UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

urn:nbn:de:hbz:466:1-74413

Visual Library

M. 474a.

M
VII 284

CORPUS JURIS CANONICI,

PER

REGULAS NATURALI ORDINE DIGESTAS.

In TRES TOMOS divisum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CORPUS
JURIS CANONICI

PER

REGULAS NATURALI ORDINE DIGESTAS.

In TRES TOMOS divisum.

CORPUS
JURIS CANONICI,
PER
REGULAS NATURALI ORDINE DIGESTAS,
USUQUE TEMPERATAS, EX EODEM JURE, ET CONCILIIS,
PATRIBUS, ATQUE ALIUNDE DESUMPTAS, EXPOSITI.

OPUS, TUM IN REBUS OBSCURIS CLARITATE, TUM DISPERSIS
Collectione ac delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque INDICIBUS
ac PRÆFATIONIBUS, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum.

In TRES TOMOS divisum.

AUTHORE

JOANNE PETRO GIBERT,
DOCTORE THEOLOGO, ET CANONISTA.

TOMUS PRIMUS

Collegii S. J. Paderborno

COMPLECTENS

PROLEGOMENA AD JUS CANONICUM
IN SE ET UNIVERSIM CONSIDERATUM.



COLONIÆ ALLOBROGUM,
Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET, & SOCIORUM.

MDCCXXXV.

CUM PRIVILEGIIS ET APPROBATIONIBUS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CORPUS
IURIS CANONICI,
PER
REGULAS NATURALI ORDINE DIGESTAS,
USUQUE TEMPERATAS, ET TOTUM JUS, ET CONCILIIS,
PATRIBUSQUE ATQUE ALIIS PRUDENTIBUS ADAPTATUM.

IN QUO, NON MODUS ORANDI CLARITATI, TUM DISERTIS
Collectionibus accedit, in controversiis componendis, diriguntur Tribunalia
ac Praxis Fori, Neque quæ quotidiano usu expedita illustrantur.

In TRES TOMOS distributum.

AUCTORE
JOANNE PETRO GIBERT,
DOCTORE THEOLOGO, ET CANONISTA
TOMUS PRIMUS
EDITIO SECUNDA
PROLEGOMENA AD IUS CANONICUM
IN QUIBUS DE IURISPRUDENTIA CANONICA
ET ORDINE ALIORUM


IOAN. BOUHIER IN SENAT. DIVION. PRAESES INTEGERR. ANNO. MDCCIV. ÆT. XXXI. ACADEMIAE GALLO-SOQ.
BUHERII os insigne videns mirabere. Quid si
Ingenium, doctrinam, et candida pectora noris?
B. De la Monnoye.
Daudet sculp. Lugd. 1732.



Delamonce in. et del.ᵗ Daudet Sculp. Lugd. 1732.

VIRO ILLUSTRISSIMO

JOANNI BUHIERO,

IN SUPREMA BURGUNDICI SENATUS CURIA PRÆSIDI, ET ACADEMIÆ GALLICÆ SOCIO.

MARCUS-MICHAEL BOUSQUET & SOCII.

PRæclarum per se munus, litteratis hominibus ut faceremus omni ex parte commendatissimum, inscriptione TUI Nominis exornatum conspici magnoperè voluimus, PRÆSES ILLUSTRISSIME. Quod ut fieret, cùm exorari passus es aliquandò, rem feciſti TU quidem, non solùm nobis, atque Operis hujus Auctori, sed eruditis quoque omnibus valdè gratulandam. Sive est enim in hoc officii genere aliquid, cum honore TUO conjunctum, quod TUA deprecabatur ac recusabat, magnarum semper virtutum comes, modestia; habet quod nobis, itemque Auctori, gens eruditorum universa gratuletur; quod præstantissimæ eruditioni TUÆ, ac virtuti, debebatur in commune ab omnibus, fausta nostra effecit fortuna, ut à nobis privatim

tim acciperes. Sive, quòd certò nos intelligimus, ad verum honeſtumque, de Libri hujus pretio, ac dignitate, judicium, TUA plurimùm valebit auctoritas; habemus nos, quod cunctis viciſſim gratulemur librorum amatoribus, atque doctrinarum; Theſaurum illis exponimus cum hoc Libro, cujus de utilitate ac præſtantia niſi judicaſſes perhonorificè, nunquam dediſſes hanc veniam ut in TUO Nomine appareret; neque verò nos expetiſſemus.

Omninò factum opportunè, ut Opus ſuum, noſtra deſcribendum arte, cùm offerret eruditus Auctor, omni offerret, ut ita dicamus, clientela liberum; ita ut integrum eſſet nobis, Patronum ei adoptare: Et tale offerret, ſic ingenio perfectum, ſic elaboratum ſtudio, tantâ eruditionis legitimæ copiâ exuberans, adeò ſuis abſolutum numeris atque partibus, ut ejus TIBI patrocinium, nos pudenter deferre, TU ſuſcipere honeſtè poſſes. Debemus illi ſanè, quod profitemur non inviti, hoc nomine plurimùm. Sed neque parùm debet ille nobis, ut non confidentiùs dicamus quàm veriùs, quòd eum impetravimus Operi ſuo Patronum, cujus approbatio, atque judicium, cæteris quibuſque eruditis, & judicandi norma ſit, & præjudicium approbandi. Quamquam ipſe TE, ILLUSTRISSIME PRÆSES, quem Operi perficiendo adjutorem vocavit non fruſtrà, publicando advocare auſpicem ultrò deſtinabat.

Ut ſint igitur aliqui, remotis præſertim in regionibus, propter ignorationem popularis Gallorum linguæ, & librorum eâ linguâ conſcriptorum infrequentiam, ad quos laudatiſſimi Auctoris nomen, pluribuſque dudùm conteſtata

mo-

monimentis fama eruditionis, nondùm fortaſſe pervenerit: At nemo erit tamen uſpiam, qui felicia TUI, BUHIERE, *Nominis auſpicia, in prima ſtatim Libri fronte cùm viderit, hunc opinetur ex illo eſſe fungorum genere, quos litterariorum nunc præſtigiatorum effundit ventoſa ambitio, ſpecioſos titulis, promiſſis onuſtos, graves immanium mole ac numero voluminum, inanes rebus; quos incauti emunt, indocti mirantur, docti contemnunt, neque vel tactu dignos, vel aſpectu cenſent. Hunc nemo præcipuæ cujuſdam utilitatis ac frugis eſſe non exiſtimabit, cui & ſuffragium dederis, & patrocinium. Nam quis neſcit, (niſi fortè liberalibus de ſtudiis ac litteris audivit unquam nihil) quæ* TUA *ſit,* PRÆSES ILLUSTRISSIME, *præſtantia ingenii atque vis? Quæ doctrinæ copia, ejus maximè, quæ Juris Antiſtitum propria eſt atque Judicum? Quæ ſubtilitas judicii? Quæ integritas æſtimationis? Quæ laudum earum omnium, & quàm admirabilis conſociatio, ex quibus illa magni excellentiſque Viri, atque omni virtute abſoluti, ſpecies efflореſcit; quam in uno aliquo conſpectam eò ſuſpicimus magis atque diligimus, quòd in pauciſſimis videmus?*

Equidem omnes, & eximiæ artes, quæ ad humanitatem, & egregiæ dotes, quæ ad efficiendam, conflandamque hominis excellentiam pertinent, quoddam habent commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur. Sed tamen, quo neſcimus fato, non eſt, in communi hominum vita, fratrum rarior, quàm iſtarum quaſi ſororum, in laudatorum quoque virorum animis, concordia. Si quos elegantia

ornat ingenii, eam ſæpè habent modico comitatam doctrinarum inſtructu, atque apparatu. Flori nativo patrii ſermonis, atque ſtili, locum vix relinquit plena perfectaque linguarum cognitio, quas vulgò doctas & vetuſtas nominant; brevi ſocordia faciet Sæculi, ut antiquatas ac barbaras nominare conveniat. Qui Athenis ac Romæ civis eſt, in patria non rarò peregrinus degit atque hoſpes. Quibus rident Muſæ faciles, ſic eas amant plerumque, ſic otioſis earum luſibus delectantur, atque inſtudioſo, ut ille ait, ducuntur ſtudio, ut mentis agitationem ad graviora, magiſque neceſſaria transferre, neque, ſi poſſint, fortaſſe velint, neque, ſi velint, ex facili poſſint. Multos habet Litteratorum, quam vocant, Reſpublica, qui ſe Criticos profiteantur, incuratiſque hactenus veterum librorum ulceribus, ac latentibus vitiis medicas manus adhibeant; at oppidò, quòd expoſtulari audivimus non ſemel, paucos habet, qui tuendæ litterarum incolumitati ſalutarem artem ea religione tractent, in qua tutò Lectoris fides acquieſcat; qui tabem, ubi nulla eſt, non videant, & ſana non ulcerent inopportunâ curatione. Tùm quàm non ſunt paſſim obvii, quos à ſtudiis ſpecies laboris non deterreat? quos ab officiorum aſſiduitate ſtudiorum amœnitates non revocent? quos ſtudiis quæſita eruditio non admoneat ipſa ſui, ut ſoli velint ſapere, oſtentent ſua, aliena obſcurent? quos ſparſa in vulgus fama eruditionis non ſic emoveat, ut ſe homines eſſe obliviſcantur, neque agere dignentur inter Mortales humaniter, civiliter cum Civibus; atque ab reliquis thure

ſibi

ſibi & fumo velint, tamquam Oraculis, ſupplicari.

Subducta longè ab illis eſt ſordibus TUA, PRÆSES ILLUSTRISSIME, *& indolis excelſitas, & eruditionis præſtantia. Scribimus quod lubenter legant eruditi omnes. Ea ſcribimus ſcilicet, quæ ab ipſis de* TE *ſcripta legimus, vel audivimus dicta. Narrant illi, & cum admiratione commemorant in* TE *ſummam eſſe cum ampliſſima dignitate conjunctam humanitatem; cum ſingulari doctrinæ fama, ingentiumque meritorum, tantam vivendi, agendique, vel comitatem, vel communitatem, quantam neque præſtent ii, quibus promerendæ hominum gratiæ, non aliam natura forſve viam aperuerit. Elimatam ſubtilemque ingenii aciem immenſa, quæ in* TE *eſt, abſtruſarum ex omni Antiquitate rerum comprehenſio exacuit, non obtundit, non infuſcat, ſed perpolit. Poëticos ignes non extinguit auſtera Themidis gravitas, & quaſi ſenium. Scitè cogitandi, argutè ſcribendi ſolertia, æquitati non officit ſanè & candidè, alienis de ſcriptis, laboribuſque judicandi. Nimirùm quòd inimicæ videntur aliæ aliis, & ad conciliandum faciles parum hæ dotes, non hæc earum eſt propria conditio; ſed aliundè labes adſcita. Singulas qui perfectas habet, magnus quiſque Vir atque excellens, habet conſpirantes amicè, ſociataſque omnes.*

Facit iſtarum laudum in TE *abſoluta conſenſio, calamis celebrata eruditorum omnium atque linguis, nemo ut ſit litterarum amator, qui*

qui TE non vehementer diligat; nemo admirator virtutis, qui non ſuſpiciat. Fructum eo die cepiſti publicæ hujus exiſtimationis, ac benevolentiæ, non exiguum, VIR MAXIME, quo die ab ingenii Principibus, & Arbitris elegantiarum, in celeberrimam Academiam tanto cooptatus es univerſi ejus ordinis concentu, tanto applauſu cæterorum. Jam quoties ex utroque, & Sacro Jure, & Profano, & Veteri, & Novo, quidpiam incidit obſcuræ ſuprà communem modum quæſtionis; quoties dirimendæ per arbitria annoſæ lites, diutinis involutæ tenebris, fallentibus nodis multiplicibus implicatæ; quoties caliginoſis Veterum Scriptorum locis ingerenda nova lux, aut Criticorum opem fruſtra expertis denuo ſalus advocanda; quoties eruditis operibus, atque ſcriptis ponendum certa æſtimatione pretium, ad quem aditur, quàm ad TE, fidentiùs? quis conſulitur ſecuriùs? quis utiliùs auditur?

Etenim iſtas, magna quidem ingenii facilitate, ſed magno nihilominùs ſtudii labore collectas, eruditionis immenſas opes, non TIBI propriè reſervatas eſſe vis, ſed cum multis maximè communicatas. Eximios quippe, præſtanteſque Viros, ipſa ultrò admonet natura, ut ſe ſentiant communi bono eſſe natos. Privatum nihil habet magna indoles. Hinc illud eſt, quod TUA, librorum ornatu atque numero, in primis autem merito ac delectu locuples, tanta tamen præſtantiſſimorum in Codicum multitudine, vix TE uno doctior

Biblio-

Bibliotheca, Studiosis ad usum fructumque expositа patet omnibus; seu quos TUA complectitur, doctrinarum pridem cultrix, Divio; *seu quos TIBI peregrè, virtutis & doctrinæ fama copulavit. Gentilitia est ista TIBI, & cum sanguine propagata laus, PRÆSES ILLUSTRISSIME. Quod æquævis TU feciſti Tuis hactenùs, & porrò facis, hoc suis fecere quondam Majores TUI. Ac dum erit bonis, legitimisque studiis honos aliquis, tamdiu memoria vigebit immortalium beneficiorum, quibus litterarum studiosos obligavit INCLYTA* BUHIERORUM *GENS, tot præstantium hominum ferax, tot in publicam rem meritis clara, tot exornata titulis, tot omnium generum insignibus decorata. Sed hæc missa facimus nos. In TE unum intuemur Defensorem bonarum artium, Adjutorem liberalium studiorum, Vindicem eruditæ Antiquitatis profligatæ per inscitam barbariem humanitatis, ac litteraturæ Statorem.*

Atque utinam ne TE ultra, aut invaletudo, aut interpellatio negotiorum, necessaria illa quidem, reique utilis publicæ, sed litterarum commodis valde iniqua, ab editione retardet Operum, quæ ad illustrandas veteris memoriæ, aut Juris Utriusque partes obscurissimas, habes multis lucubrata vigiliis, multiplici eruditione conspersa! Incredibilem eorum expectationem concitavere illa jam Specimina, quorum TU, data occasione, feciſti flagitantibus Amicis copiam; ipsi cùm publico communicarunt. Interim hoc accipies TUÆ

debi-

debitum dignitati, ab Auctore ſolerter elaboratum, à nobis non indiligenter curatum munus. Præcipua eſt enim adhibita cautio, ne ſua utilitate probatum TIBI *Opus noſtrâ fieret culpâ Studioſis inutile; neve eſſet aliqua parte non laudandum, quod* TUI *Præfatione Nominis honeſtatum eſt.* Vale.

PRÆ-

PRÆFATIO

Quæ continet Hiſtoriam Conſiliumque Operis.

IN ipſo Operis limine, quod non noſtris, ſed Divinæ Gratiæ viribus innixi ſuſcipimus, paucis enarrare juvat, quæ ſit illius origo & progreſſus, quæ ſit methodus, quis fructus, quæ diviſio.

Ab Operis origine ordimur, ut Lectori ſtatim pateat ad illud non moviſſe nos effrænam ſcribendi libidinem, rei litterariæ publicoque commodo adeò pernicioſam, ſed unum ardenſque publicæ utilitatis deſiderium. Colliget enim ex illius Hiſtoria, inceptum id eſſe, perfectumque iri, ne pereat immenſus, aſſiduuſque decem ad minus annorum Labor, communis nobis quondam cum Amico noſtro ad hanc rem perficiendam idoneo; is fuit Dominus LE MENC, Licentiatus Sorbonicus Aquenſis, aſſiduæ lectionis Vir, illiuſque qui omnia vincit laboris improbi non impatiens, mihi, omnibuſque Juris Canonici Studioſis, antè diem raptus.

Cùm enim ille Pariſiis commoraretur, ad conſonas ſibi Juris Canonici Collectiones inductus à Viris illius Juris peritiſſimis, eas ita inſtituerat, ut Canones, aliæque Juris Partes, quibus varia multiplexque materia continetur, ad breves aliquot Sententias, quibus unaquæque materia comprehendi poſſit, reducantur, & quælibet Sententia ſuo ſub Titulo collocetur; illorum verò finis eſt, ut ex unaquâque Sententiâ loco ſuo collocatâ Tractatus de ea re fiat de qua proponitur.

Quas Pariſiis orſus fuerat Collectiones, Aquis Sextiis eas continuavit; ubi nos, cùm tunc temporis admodùm juvenes eſſemus, ad laboris ſocietatem vocavit; itaque eo Duce prædictam colligendi formam ſequentes, ſingulas quæ habentur in *Secundo* & in *Quinto Decretalium Libro*, nec non in *toto Sexti*, *Clementinarum*, & *Extravagantium*, tùm JOANNIS XXII. tùm *Communium Volumine* ſententias, dum viveret collegeramus, cùm cæteras colligendas ſibi ipſe reſervaſſet; atenim illo defuncto relictas ab ipſo Collectiones ab humaniſſimo Fratre, Computorum Magiſtro, accepimus, ne defuncti labor, noſterque, imperfectus remaneret, minùſque quàm par eſſet, cui deſtinatus erat, publico bono inſerviret.

His in Collectionibus quarum hæredes, ob dictas cauſas, quaſi neceſſarii fuimus, alias inſeruerat Amicus noſter, factas ad explicationem vel Juris Canonici Romani, vel Juris Canonici Gallici, à Viris, aut circà utrumque, aut circa alterutrum, verſatiſſimis; nos quoque dum colligebamus, accuratè notaveramus uſus Gallicos circà res collectas, id quantùm pro ætate licebat, quantùmque naſcenti in nobis Juris Gallicani

cognitioni conveniebat; sententiis, prout est dictum, collectis, *Regulæ* nomen à Magistro nostro impositum; tùm quia à suis ita edoctus erat, tùm quia dirigunt, ideoque eundem ac *Regulæ* effectum habent; tùm quia pars sunt quædam Canonum, qui idem ac Regulæ sonant; tùm quia pleræque sunt Generales Normæ ad agendum, sive in judicio, sive extrà judicium.

Collectionibus prædictis accesserunt aliæ eâdem arte, à Domino DALLO Doctore, Socioque Sorbonico, MAZARINI Collegii Syndico, factæ: Istæ autem duodecim Codices in folio occupant, quorum alii Sententiolas nostris similes dumtaxat continent, alii verò Tractatus, inter quos nullus adeò perfectus est, ut quæcunque in Corpore Juris leguntur circà rem in eo discussam comprehendat; in margine Codicum referuntur quandoque Canones aliundè quàm ex Corpore Juris desumpti, interdum verò citantur duntaxat. Collectas sententias, non Regulas, sed *Decisiones* vocat, quod tamen eodem modo recidere videtur, cùm Decisiones istæ sint Regulæ aliarum Decisionum, Regulæ verò Decisiones contineant, sintque decidendi rationes: Has autem Decisiones ipsissimis Canonum verbis transcribit, eâ autem religione ut quantumvis plurimas, quoad sensum easdem, offenderit, singulas iisdem, quibus constant, terminis referat, eodemque modo Titulis Tractatuum, quibus congruunt, subjiciat, quod tædii, vanique laboris plenum, ideòque non imitandum, nobis visum fuit. In animo habebat Dominus DALLO jamdiù desideratum Juris Canonici, ad usum Gallicum, & ad utrumque forum Ecclesiasticum accommodati, Corpus condere; at vix benè cœpto Operi (si cùm eo quod futurum erat conferatur) Opificem mors præripuit, in magnam Juris Canonici scientiæ perniciem: Ille verò moriens Collectiones suas Domino DE PRECELLES, Doctori Socioque Sorbonico, reliquit, qui gnarus similes nos habere Collectiones, juxtà quòd exposuimus, in Opus redigendas, pro humanitate suâ communes illas nobiscum fecit, adjectâ lege, ut quæ Amico suo deberemus, testaremur. Cui Legi libentissimè paremus, tùm ut promissis stemus, tùm ne quem suâ laude, suâque gloriâ, defraudemus; illam verò manifestamus, ut non spernendum veræ, quæ rara est, amicitiæ, testimonium memoriæ commendemus.

Acceptatam autem Legem ut impleremus, concreditas nobis Collectiones, quantùm in nobis fuit, perfecimus, iis adjectis, quæ ad hoc necessaria judicavimus, eaque de causa, cùm illas Author generatim divisisset, in Tractatus, Titulos, Sectiones, vel Paragraphos, & Decisiones, quibus constat quælibet Sectio, vel Paragraphus, longioresque Tractatus in plures Partes subdivisisset, retentis Divisionibus; & Subdivisionibus, alios Tractatus, Titulos, Sectiones, vel Paragraphos, ac Decisiones, addidimus. Præterea omnibus & singulis locum congruum assignavimus, quoties aut nullum, aut incongruum habuerunt; quod non infrequenter contigit: Innumeras quoque notas, sive usum, sive Criticam spectantes, adjecimus; desumptis prioribus ex Novissimo Jure; posterioribus verò depromptis ex doctioribus Criticis. Cùm plurimæ essent citationes puræ & simplices, his subjecimus loci laudati substantiam, aut verba notabiliora, idque eo conducibilius visum est, quod prædictæ cita-

citationes plerumque desumantur ex Libris, qui in manibus cujusvis Juris Canonici studiosi non versantur.

Quamplurimas abbreviationes insolitas, aut saltem non vulgares, explicuimus; loca non pauca, quorum pars casu perierat, restituimus; correctiones benemultas quoad punctuationem, aut neglectam, aut malè locatam, necnon quoad citationes mendosas, fecimus; quandocumque Canones, aliave similia ex Veteri Editione laudat, indicavimus, ubi habentur in Novâ, præsertim si de Collectione *Actorum Cleri Gallicani*, idque quia in Nova ordo Veteris planè immutatus. Cætera quæ nostra sunt in Editione Manuscripti, data occasione, in Præfationibus Secundi Tomi sigillatim memorabuntur.

Alias mutationes majoris momenti libentissimè fecissemus, si nobis licuisset, Collectoris methodum ad nostram reducendo, quam præferendam illi censebamus; sed Fides, Religio, Æquitas, Modestia, immensusque Labor vetabant. Authoris, ipsiusque Amici mentem, in benigniorem partem interpretandam duximus, credidimusque Collectionem nobis in depositum concreditam, in publicum bonum transmittendam, prout facta erat, quoad ea, quæ ab Authore absoluta viderentur; quantùm verò ad alia, quæ imperfecta remanserant, ad eam perfectionem adducendam, quam suscipere poterant. Præterea seriùs perspeximus, quæ reformatione egerent, nimiumque creverat proprium Opus nostrum, ideòque aut recudendum erat Opus totum Domini Dallo, nostrumque, quod vires, otium, ætatemque senilem excedebat, aut utrumque intactum relinquendum quoad Methodum: Necessitas ergò incubuit, aut deserendi Opus utriusque jam penè perfectum, quod sine publico detrimento fieri nequibat, aut conjungendi utramque Methodum in Tractatibus ab utroque diversâ methodo compositis, ut uterque labore suo potiretur, utque utilitate hinc in publicum reversura neuter careret.

Quo in bivio hæsitare non permittebat mens sana, cùm in uno damnum, in altero commodum, & jacturæ lucrum præferendum, certissimè evidentissimèque ipsa dictet; ad hanc etiam partem amplectendam inducti sumus, quod diversitas methodi Operi prosit potiùs quàm noceat, non solùm in rebus, quæ ab alterutro dumtaxat tractatæ sunt; cùm tunc Tractatus alterius suppleant ea, quæ ab altero præterita sunt; sed etiam in iis, quæ ab utroque tractata sunt, cùm Tractatus nostri ob explicationes, quas continent, haberi possint veluti Commentaria Tractatuum D. Dallo, omni prorsùs expositione carentium.

Hæc igitur fuit prima Operis nostri origo, de qua sermonem instituebamus. Operis origini Methodum subjungimus, quia ex eodem fonte manavit quo Opus ipsum: Didicimus si quidem à Magistro, sicut ipse à suis, collectas circà rem quamlibet sententias ita ordinare, ut explicatâ priùs illius naturâ, tùm causas, effectus, proprietates, vias demum quibus definit explanemus. Verùm methodo à Magistro accepta non contenti, de nostro duplex Regularum genus addidimus, ut Operi nihil desit, eorum quibus utilius efficiatur: Alterum nempè, quo, illa quæ in Corpore Juris Canonici habentur, ab iis, quæ in illo non habentur secernantur: Alterum verò, quo, quæ in usu sunt saltem apud Gallos, ab aliis, quæ apud eosdem in usu non sunt, distinguantur. Utrumque autem Regularum genus exactum,

certumque haberi poteſt; prius, propter Collectorum diligentiam, quæ maxima fuit; poſterius ob ſummam illorum, quorum ope conditum eſt, circà Gallicanum uſum peritiam. Cùm in *Concilio* TRIDENTINO plurima legantur ad hodiernum uſum ſpectantia, in conficiendis Regulis circà hunc uſum Decretorum hujus Concilii rationem maximam habuimus.

Addidimus etiam interdum Summaria, quibus Tituli cum Titulis connectuntur, necnon & Regulæ unius Tituli, cum aliis ejuſdem Tituli; adjecimus quoque Corollaria, quibus in lucem prodeunt, quæ ex collectis ſub eodem Titulo Regulis fructuoſæ conſequentiæ elici poſſint.

Ex dictis circa Operis, tùm originem, tùm methodum, nemo non videt quis ex illo ſperandus ſit fructus; idcircò de utroque priùs diximus, quàm de illius utilitate ſeorſim ageremus; ad id quoque moti ſumus ex eo quod non pauca ex præmiſſis neceſſaria videantur, ad faciliùs intelligenda, quæ de percipiendis ex Opere commodis ſigillatim dicturi ſumus. Singularia autem hæc commoda plura ſunt, quàm ut omnia hîc recenſeantur, uſuque meliùs ſentientur quàm verbis exprimentur. Tribus ergo contenti cætera omittemus, illaque tria indicabimus, priuſquàm qualia quantaque ſint exponamus.

Primum quod ſeſe offert ſitum eſt in eo, quod redactis ad Sententias Canonibus, facta in pleriſque inſerta reſecantur, quæ ut plurimùm inutilia ſunt: Hinc, reſectâ non exiguâ Juris Canonici parte, non parvo eximitur labore hujus ſcientiæ alumnus: Hinc, quod in hujuſmodi Canonibus circà aliquam rem legitur promptiùs concipitur, conceptumque tenaciùs retinetur; eodem planè modo, quo corporis humani diſſectione, partes, quæ carne obteguntur, meliùs cognoſcuntur, cognitarumque forma, aliaque hujuſmodi tenaciùs adhæreſcit.

Alterum, quod ex Opere noſtro naſcitur, commodum, in eo ponimus, quod plurima, quæ ſine ordine, vel ordine incongruo habentur in Corpore Juris Canonici, congruentiori ad docendum ratione in Opere noſtro legentur: Deſideratur etenim plerumque ordo in *Decreto* GRATIANI; in aliis verò Juris Libris eſt tantùm temporis ordo, ad tradendas ſcientias omninò ineptus, quia caſus occurrentes eodem tempore ſunt ſæpiùs cum occurrentibus alio tempore ſimiliores quàm inter ſe; ſicut Nepotes ad Avorum, quàm ad Parentum ſimilitudinem quandoque magis accedunt; in Opere autem noſtro eo modo res ordinantur, quo conſiderandæ ſunt, ut perfectè cognoſcantur: Hinc cùm ordo ita ſit lumen rerum, ut, quæ benè ordinata ſunt, ſeſe invicem illuſtrent, unâ horâ plus proficiet qui noſtro in Opere Jus Canonicum leget, quàm uno die ſi illud legat in ſolis Libris, quibus illius Corpus componitur.

Quod poſtremo loco recenſemus capiendum ex Opere noſtro commodum non poſtremum eſt, ſi vim, ſi meritum, ſi magnitudinem ſpectes; nam ſi ex factorum reſectione brevior ſit Canonicus curſus; ſi ex recto cujuſque rei, de qua tractat, clarior ſit, ex accurata omnium quæ ad eamdem rem pertinent Collectione perfectior efficitur.

Ex hac autem Collectione tertium petitur commodum; ſicut ex memorata

morata factorum inutilium reſectione, primum; ex prædicto ordine, ſecundum deſumuntur. In hoc uno namque poſitum eſt, quod quæcumque hùc illùc diſperſa ſunt, ſua extrà loca errant, ſub alienis peregrinantur Titulis, coadunata ſimul ſuis quæque locis collocantur, ſedi, patriæque, ut ita dicamus, reſtituuntur.

Hinc dum dubitabitur, an aliquid in Canonico Jure reperiatur, necne? An res illa præcipiatur, iſta verò prohibeatur? An talis forma ibi præſcribatur, an alia? An talis conditio ſit requiſita? An ſufficiat? aliaque hujuſmodi, facilè ſolvetur dubium; ad hoc enim ſat erit, ut congruentes huic ſimilive dubio Regulæ percurrantur, in quibus ſcilicet negatur alia in Jure Canonico reperiri, præcipi, vetari, ad illud, vel iſtud requiri, quàm quæ ſub his comprehenduntur.

Hinc qui ſcire cupit an res aliqua in Canone integro tractetur, ſive quoad omnes ſuas partes explicetur, facillimè diſcet, modò ſingulas hujus rei partes diſtinctè cognoſcat; ſufficiet enim ut quærat, an in collectis circà illam Canonibus habeatur?

Quamvis de aliis Operis noſtri utilitatibus ſilere decreverimus, una adhuc eſt, quam prætermittere non poſſumus: Hæc autem eſt: Multa multoties in Jure Canonico nedum eodem ſenſu, ſed & iiſdem ferè terminis leguntur, quæ ſemel tantùm in Opere noſtro legentur, citatis tamen in margine, aliove loco præcipuis circà hæc Canonibus, ne ignorentur loca, in quibus eadem dicuntur; ideòque plurimæ repetitiones æquè tædioſæ ac inutiles reſecabuntur. Undè primo non abſimile commodum naſcitur. His omnibus commodis hoc etiam adde, quod unum ad commendandum Opus ſufficeret, nempè ipſum Opus ſaltem futurum eſſe veluti abſolutum totius Juris Canonici Indicem, juxtà genuinam rerum ſeriem digeſtum, ac cujuſvis illarum naturam, genus, ſpecies, cauſas, effectus, proprietates, cæteraque ad illam pertinentia continentem.

Poſtquam in *Primo Tomo* fusè De Prolegomenis actum eſt, dein in *Duobus Poſterioribus Tomis* Opus ipſum aggredimur, quod in *Tres Partes* diviſimus. In *Prima* De Personis; in *Secunda* De Rebus; in *Tertia* De Judiciis diſſeritur. Tractatus De Personis, Duabus Partibus conſtat, quarum *Prior* eſt De Ecclesia; *Poſterior* verò De Canonicis, & hæ *Secundum Tomum* complent. Tractatus verò De Rebus in Tres Partes dividitur, quarum *Prima* De Beneficiis Ecclesiasticis; *Secunda* De Contractibus; *Tertia* De Sacramentis loquitur; quæ junctæ Tractatui De Judiciis, *Tomum Tertium* abſolvunt.

Præfixus cuique Parti Index, qui, quæcumque in qualibet, & quo ordine diſcutiemus, patefaciet; hoc etiam Parti cuivis commune eſt, quod Sacras Antiquæ Diſciplinæ Reliquias venerati ubique ſumma cum cura collegimus, præſentem verò non aſpernati, quantùm licet, defendimus; nulli quoque hominum generi addicti, ſed ſoli veritati, ſuum cuique reddere conati ſumus: Hinc datâ occaſione, vel etiam de induſtria, ſuo loco ſupremam Regum in Temporalibus poteſtatem, indeque ipſorum ab Eccleſia quoad hoc independentiam; ſummam quoque Eccleſiæ in Spiritualibus autoritatem, ipſiuſque quoad hoc ſoli Deo ſubjec-

tionem, variis Juris Textibus tutati ſumus: Hinc contrà Doctores Ultramontanos ſimili modo Epiſcopalem Dignitatem, necnon illorum in diſpenſando, atque in abſolvendo poteſtatem defendimus: Hinc inſtitutioni humanæ apud nos Divinâ præponderante, nedùm Epiſcopis, ſed & Presbyteris, quem habent à Deo locum, per eoſdem Canones, ſtatuimus.

Cæterum, in qualibet Operis Parte, ne ruente fundamento ædificatio tota ſimul corrueret, modeſtioris Criticæ Leges ſecuti adulterinos Juris Textus pro Germanis, dubios pro certis, recentes pro antiquis haberi paſſi non ſumus; ſed quanta valuimus diligentia, pro neceſſitate tamen tractatæ rei, faventes vel repugnantes, cujus autoritatis ætatiſve ſint, oſtendere conati ſumus.

Inſtructus ergo Lector, ut par erat, de Operis origine, methodo, fructu, & diviſione utatur, fruatur labore noſtro ad majorem Dei gloriam, ut ſi verbo non oret pro nobis, ſua ſaltem oret oratione.

TESTIMONIA

TESTIMONIA ET EXEMPLA

Multorum insignium Jurisconsultorum, aut Canonistarum, & aliorum Eruditorum, approbantium consilium constituendi in Regulas Corpus Juris Canonici.

QUAMVIS Exempla sint species Testimoniorum redditorum actione, & ita considerata intelligantur nomine *Testimoniorum*, creditum est nihilominùs debere illa distingui à Testimoniis, & hoc nomine comprehendere tantùm ea, quæ sic communiter appellantur; hujus generis ea esse quæ redduntur verbis. Sic per Testimonia hîc intelligimus ea, quæ Periti dixerunt in favorem explicationis Juris, aut aliarum rerum per Regulas, Principia, aut Sententias, aut Effata, nam hæc verba & alia similia sinonima sunt, idemque significant. Excipientur igitur Testimonia, ex Præconiis à Viris Peritis datis modo explicandi materias per Regulas, & Exempla Operum quæ ediderunt in hunc modum. Cùm autem ea sint diversæ speciei, quia quædam sunt tantùm pura Collectio Regularum dispersarum hûc & illûc, & in ordine convenienti distributarum; alia quæ constant ex Regulis compositis ab Autoribus illorum Operum; alia denique quæ sunt mixta, cùm excipiantur ex his duobus hujusmodi Regulis, sed limitata soli interpretationi & intelligentiæ cujusdam generis Canonici; inde colligentur multa Testimonia approbationis hujus methodi, quæ considerata in eo quod habent commune, nempe esse signa illi faventia, unum facient tantùm genus Testimoniorum differentium unicè in re purè accidentali.

Elogia data huic Methodo colliguntur ex Operibus, in quibus adoptatur: nàm sæpiùs exaltatur ab Autore aut Editore eorumdem, sive in Præfatione, sive in Epistola Dedicatoria; materia utriusque id expostulat, sine quo essent imperfectæ; quamobrem inter præcipua hujus generis Jus Gallicum spectantia, nullum est in quo mentio non fiat de utilitate explicandi Jus per Regulas: Sunt 1o. Institutа Morum ANTONII LOISEL, ætatis suæ longè celeberrimi. 2o. Methodus Generalis ad intelligentiam Consuetudinum à PAULO CHALLINES, Perito Jurisconsulto, ut videtur non solùm hoc Opere, sed etiam suis Notis in Instituta citata, & in Opus sequens. 3o. Sententiæ Generales Juris Gallici à PETRO L'HOMMEAU, doctè ab Autore explanatæ. 4o. Jurisprudentia fori in Sententias redacta à LAURENTIO JOUET antiquo Advocato.

Institutiones LOISEL Editionis 1665. à CHALLINES dedicantur D. TALON. Dum in iis Editor loquitur de Opere quod ipsi dedicat, comparat illud primò Tabellæ omnium Provinciarum magni Regni, in qua Principes cum voluptate vident omnem suæ Dominationis amplitudinem, & quam pretiosè asservant in Cimeliarchio, aut alio loco, in quo sæpissimè morantur, ut renovent sic frequenter satisfactionem quam ipsis creat. Deinde explicans comparationem suam, sic agit his verbis: „Nulla sunt Opera tàm pretiosa quàm ea, in quibus res „magnæ amplitudinis rediguntur parvo spatio, & nihilominùs conservant omnem suum vigorem, „& omnem suam bonitatem, quamvis imminuatur eorum magnitudo; Instituta quoad morem hu„jusce præstantis Autoris, in quibus omnis fortitudo, & omnis pulchritudo infinitorum Volumi„num magni nostri Juris Gallici recollecta reperiuntur, cùm sint hujusce præclaræ dotis, non „sunt vili pretio de more habenda„. Ex eò quòd cùm sint tantùm Regulæ in Opere LOISEL, hæc elogia non possunt recidere, nisi in Regulas, & consequenter in Methodum explicandi Jus per Regulas; verùm utilitas hujus Methodi videtur adhuc Præfatione LOISEL; continet quod potest dici hac de re convenientius, & ideò digna est quæ tota & integra referatur, ne minuatur, illius vice dando solùm excerpta: „Eodem modo, *inquit*, quo ma„gnus noster Præceptor & Doctor communis Juris Romani nos docebat accuratè investigan„das Regulas, necnon & Principia indaganda cujusque Partis ejusdem; itaque laborem cepi „simul & voluptatem, colendo illud cum nostro Jure Gallico, spatio 40. annorum & „ampliùs, cùm annotavi in nostris Consuetudinibus & Usibus quod habebat speciem Regulæ, „aut Sententiæ, & ordinando paulatim in aliquem potiorem ordinem dirigere, cùm sperarem „duplicem ex hoc utilitatem adventuram; unam in eo quod possent esse fructuosæ, & tibi „& aliis minùs peritis usu & scientiâ, aut Institutis Consuetudinum Juris nostræ Galliæ; alte„ram in eo quod peritissimus quisque invitaretur ad communicandum cum Publico quidquid

„ex

„ ex eo habet, aut feliciùs recolligere poterit, & quod poſt tot excerptiones confuſas & incer-
„ tas, hæc ſcribendi ſimplicitas non faſtidietur, in qua videmus duos Scevolas, Neratium,
„ Caium, Papinianum, Paulum, Ulpianum, Pomponium, Martianum,
„ Ruffinum, & alios Juriſconſultos, omnem ſuam Operam poſuiſſe, & Medicorum Prin-
„ cipem acquiſiviſſe immortalem laudem; imò reperitur etiam in hoc Opere aliquandò reſo-
„ lutio aliquorum Punctorum maximè dubiorum, & in controverſiam vocatorum; & fortè
„ fortuna adveniret tertius fructus, qui longè alios duos ſuperaret, & hic eſſet quòd quemad-
„ modùm Provinciæ, aut Ducatus, Comitatus, Ditione nobilia Prædia hujuſce Regni recta &
„ gubernata ſub diverſis Conſuetudinibus ordinata ſunt, cum tempore ſub Imperio ſolius
„ Regis, & fermè ſolius ſuæ monetæ, ſic poſſent rediga ad conformitatem, rationem & æqui-
„ tatem ſolius Legis, Conſuetudinis, ponderis, & menſuræ, ſub autoritate Majeſtatis Regalis,
„ cùm poſſis habere perſuaſum pleramque partem eorum, quæ hic animo agitantur viſa fore
„ extracta ex origine & fonte Juris Antiqui conſueti, & magis uſitati hujuſce Regni, uſu &
„ praxi ejuſdem, cùm perpauca de me attulerim cum ordine & conjunctione, cujus comper-
„ tum habui magnam curam habendam eſſe ſemper: quod ſi quam reperias obſcuritatem, aut
„ majorem antiquitatem in aliqua ex illis Regulis, illarum uſus eaſdem tibi dilucidabit magis
„ ac magis, & oſtendet illas multùm inſervire ad memoriam noſtri Juris Gallici, quaſi ſi non-
„ nullæ ex his non videantur, aut revera non ſint ſemper veræ, memineris initio pro Regu-
„ la tenendum, quod eſt univerſalius & generalius, niſi ſint exceptiones & reipſa primam om-
„ nium Regularum hanc eſſe: *Nulla Regula ſine errore* „.

Deſcripſi eò libentiùs hanc Præfationem, quod nihil ſit in ea, quod juſtam non habeat ſuam applicationem in Opere meo, excepto hoc quod eſt particulare Juri Gallico: Eadem in hoc reperiuntur commoda, in eo ſequor exemplum magnorum illorum Virorum: Regulæ excerptæ ſunt ex fundo Juris, hujus propria verba retineo, ita ut in hoc puncto illis non cedam; ſed his communibus utilitatibus alias jungo, quæ dignæ ſunt adhuc attentione: nam præterquàm quod in ordinem meliorem digeritur, in eo nihil eſt de meo, niſi ordo & apta compoſitio, quibus addo explicationes, ſine quibus Opus longè minùs utile foret: His etiam jungo exceptiones collectas eodem modo ex fundo Juris, & omnia alia neceſſaria ad conciliationem contrarietatum realium aut apparentium, & præſertim multas Notas Criticas, Geographicas, Chronologicas, Hiſtoricas, & Practicas. Eſt & in eadem Editione Monitio Lectori Operi meo addicenda in iis, quæ in eo exponuntur de Regulis Loiselli, nempè quod, cùm Regulæ & Proverbia non habeant certum Autorem, poteſt dici hæc eſſe Opera omnium hominum, à quibus ideò non poſſunt non accipi, ſed è contra ab iis ſemper benevolè penſantur, cùm ſint ingenii ipſorum fœtus pretioſiſſimi, & in quibus omnis ſcientia & ſapientia, quæ eſt ad vitæ eorum rationem neceſſaria, includitur; nam quas excerpſi Regulas, eæ ſunt hujus generis, cùm frequenter excipiantur ex recta ratione omnibus hominibus communi, unde extant in Jure Civili, ſicut & in Jure Canonico, & ubique ſunt acceptæ.

Leguntur in Præfatione *Regularum ad intelligentiam Conſuetudinum* multa, quæ vergunt ad commodum illarum Regularum, quæ poſſunt applicari ad Regulas ſpectantes interpretationem Canonum, quæ ſunt pars Operis mei. Nempè Quod 1o. ſint veluti claves, ut aperiatur & evidenter cognoſcatur quod eſt occultum in Textu Morum, aut quaſi lumina ſplendida, quibus clarè perſpicimus motivum Conſuetudinum, & mentem populorum, qui eas introduxerunt, ut ex iis ſuum Jus Civile componerent, autoritate Regum noſtrorum, qui tanta cum Clementia indulſerunt ſubditorum ſuorum ſententiis, ut ex iis ſanxerint & etiam ſanciant quotidiè Leges in Regno ſuo. Poteſt & debet dici de Eccleſia, quantum ad mores diverſos, quos in eo auctorat, quod Challines ibi dicit de Regibus Galliæ quoad Jus conſuetum ſive conſuetudinarium.

In ea legitur, 2o. Omnes Scientias & Artes habere quaſdam Notiones Generales, & Principia univerſalia, quæ vocantur ab Aristotele *Communia Axiomata:* & quemadmodum Architectus non debet facere ſui ædificii fundamentum in arena, aut in aliqua terra mobili, ſed in terra firma & ſolida, ita pariter neceſſe eſt, ut illi, qui volunt intelligere Conſuetudines, non fundentur illuſionibus & imaginationibus vagis, fluctuantibus, & incertis, ſed ut nitantur & fulciantur Regulis conſtantibus & immutabilibus. Reverà in hoc omni nihil eſt, quod non conveniat Juri Canonico, ſive Communi, ſive Particulari, ut oſtenſum eſt in Decimo-quarto Tractatu illorum, quibus Prolegomena conſtant.

Sub finem *Sententiarum Generalium Juris Gallici* à Petro L'Hommeau, refertur admonitio noſtrum propoſitum concernens, nempe quod ipſi mens erat edendi Secundum Volumen ad illarum Sententiarum explanationem; in quo verò loquens de ſecundo hujus propoſiti motivo, aperit aliud commodum Methodi explicandi Jus per Regulas, hoc eſt, *inquit*, ut oſtendatur digito & oculo Jus Gallicum nec eſſe vagum, nec incertum, (ut quidam conſideratè ſentiunt) ſed ſuas habere Regulas & Sententias certas, conſtantes, & infallibiles, ut omnes Artes & Scientiæ. Quod neceſſarium exiſtimavit quoad Jus Gallicum non eſt inutile, habitâ ratione Juris Canonici, cujus mutationes frequentes in facto diſci-

disciplinæ adduxerunt bonæ multos ad credendum, idem habere vitium quod Jus Gallicum; unde fit ut coacti simus ostendere contrarium in Tractatu Canonum abrogatorum, & alibi, sed nullâ re illud clariùs patet, quàm infinitis Regulis firmis, constantibus, & universaliter acceptis, quas in Opere meo expono.

Jovet ultimus Authorum citatorum, qui constituerunt Jus Gallicum in Regulas, non minùs honorificè sentit quàm cæteri de hâc Methodo; sic, in suâ ad Lectorem Monitione, mentem aperit: „Nihil est in naturâ quod suis non nitatur principiis; fundamenta terræ tuentur præclarum „ordinem qui in eâ reperitur, ex quo Deus confusionem ex eâ separavit: Sua sunt artibus statuta, „sua sunt scientiis præcepta, suæ sunt & leges; quæque suas habet Sententias secundùm objectorum „suorum differentiam; nostra Jurisprudentia est abyssus, nisi discretè separetur ejus mixtio„: Nihil videtur aptius ut quis sentiat utilitatem & etiam necessitatem Regularum ad explicationem Juris.

Est aliud Opus spectans Jus Gallicum quod videtur partim elucubratum fuisse ad exemplum Tractatûs ultimi, & præcedentis, necnon & Tractatûs Legum Civilium in suo naturali ordine positarum. Jus Ecclesiasticum Galliæ in eo per Sententias enucleatur, sicut & in Opere Joveti, & Lhommæi, & hæc effata in eo diriguntur secundùm ordinem quem aptiorem Author judicavit. Hujus Tractatûs Titulus hic est, *Leges Ecclesiasticæ Galliæ in suo nativo ordine.* Ostendit Præfatio cujus utilitatis sit hæc Methodus, longâ enumeratione difficultatum quas resolvit: illud eadem ratione etiam sensu percipiendum præbui in Præfatione Operis mei, quæ pariter ejus complectitur Historiam.

Hæc quinque Opera non sunt sola quæ testimonium dicant in gratiam methodi explicandi Jus per Regulas; tales sunt præ cæteris Jurisconsulti expresè nominati à *Loisel*, quibus addendus *Modestinus* qui in lucem edidit, sicut & illi, Libros Regularum, quorum referuntur fragmenta in Digestis. Idem videtur esse de Jurisconsultis qui libros composuerunt, sive Sententiarum, sive Definitionum, citatis quoque in Digestis; tales sunt adhuc Scriptorum Collectores, tàm Juris Civilis quàm Canonici, quorum Tituli sunt de Regulis Juris, & de iis qui operam dederunt in hoc Titulo. Talis est inprimis *Nicolaus Vigilius*, qui utrumque Jus explanavit per Regulas, cujus Methodus de Jure Canonico suprà examinata est. Tales sunt in materiâ Medicâ Magnus Hippocrates, qui hanc per Aphorismos interpretatus est, ex quo videtur consilium cepisse *Arnoldus Corvinus*, qui eodem modo exposuit materias Canonicas. Eadem Methodus introducta est quoque in explicationem Theologiæ; Præclarum habemus exemplum in Libro *Petri Lombard* Magistri Sententiarum nuncupati, qui exposuit hanc materiam per Sententias Scripturæ, Conciliorum, Patrum, & aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum, dando illis ordinem ad hoc necessarium.

Authoribus qui agnoverunt necessitatem explicandi materias per Regulas, Principia, Sententias, & manifestaverunt aut sermonibus aut Operibus suis, jungi possent illi omnes qui toti fuerunt in dandis Summariis accuratis Textuum Juris, cujusque Decisionem continentibus; nec non & illi, qui suis in hos Textus Commentariis, primò referunt Breviaria, ut inprimis *Fagnanus*; denique illi qui ea redigunt ad Conclusiones quarum posteà dant testimonia, seu quoad quemque Textum, sive quoad omnes ejusdem Tituli qui docent rem eandem, ut GONZALEZ; nam hæc Summaria, hæ Conclusiones sunt Regulæ continentes unicè dispositionem Juris, quæ cùm ordinentur juxtà ordinem generalem quem postulant materiæ, & ordinem particularem cuique necessarium, sunt Corpus Regularum, quod complectitur omnes Decisiones Juris in suo Ordine Naturali; hi Autores aliam aperuerunt & præparaverunt viam Operi quod edo; didicerunt separando Decisiones à factis, immorandum tantùm Decisionibus, quibus hæc dederunt occasionem; nihil fermè deerat eorum labori præter ordinationem Decisionum, & addita fuit, postquàm accuratè perpensum est an illæ sint rectè conformes Textibus ex quibus excerptæ fuerunt.

Non in vanum videbitur quod dixi de Utilitate Methodi explicandi materias per Regulas, in Præfatione Tractatûs Usuum Ecclesiæ Gallicanæ pertinentium ad Censuras, & in peculiari Tractatu de Privilegio Canonis *Si quis suadente* inserto in eôdem Tractatu; utrobique de commodo hujusce Methodi loqui coactus fueram, quia erant ex præcipuis quorum editione separatâ gustûs publici periculum facere volebam.

Comparando Opus nostrum, cum FLORENTII Operibus, inprimis cum hoc quod fecit consultò spectans modum colligendi Canones, docendi & ediscendi Jus Canonicum, & cum Prænotionibus Canonicis DOUJATII, observatur accuratè omne quod in eo invenitur pertinens ad utilitatem explicandi Jus per Regulas, Sententias, Principia, Effata, Axiomata.

Loquendo de Autoribus qui suis exemplis testimonium reddiderunt in favorem modi docendi per Regulas, omissus est PETRUS PITHÆUS, qui versùs finem XVI. Sæculi, in Sententias constituit Libertates Ecclesiæ Gallicanæ, incipiendo per generaliores, quibus omnes alias refert tanquam consequentias ex principiis suis deductas. Prima, quod Rex ab omni potestate Ecclesiastica non pendeat in rerum temporalium administratione; Altera, quod Papa subjectus sit Canonibus, in rerum spiritualium gubernatione.

Epitome Juris Civilis & Juris Canonici à CARDINALI DE LUCA editum debuisset in numerum Authorum aggregari qui hanc Methodum approbaverunt suo exemplo; nam disserit de principiis, & quidem per sententias: habet pro Titulo, *Il Dottore vulgare, o verò Compendio di tutta la Legge Civile & Canonica.* Editum est Romæ anno 1679. in 9. Volum. in 4. Author est magnæ famæ, tùm propter suum judicium, cùm propter suam eruditionem. *Vid. Catalogum Autorum Juris Canonici p.* 53. à DOMINO LANGLET.

Methodus noſtra probatur facto & verbo in Paratitlis ANDREÆ DE VAUX; nam non ſolùm explicat Jus Canonicum per etimologiam nominis, per definitionem rei, per Diviſiones, Subdiviſiones, per cauſas & effectus, per proprietates, ſed etiam loquitur honorificentiſſimè de hâc Methodo initio ſuæ Lectori Monitionis, in quâ dicit illam commendari ab omnibus Philoſophis & omnibus Juriſconſultis; & quemadmodum communiter uſitatur, Principes Belgici juſſerunt, ut Tirones ſtudii Juris tùm Civilis tùm Canonici docerentur Inſtitutiones utriuſque, quia complectuntur prima principia, & quia dant idæam generalem totius Corporis Juris]. *Cùm omnium non modò Philoſophorum, ſed & Juriſconſultorum ſententiâ receptum ſit, ut in tradendis Diſciplinis à primis principiis, & ab aliis quæ univerſaliora ſunt, initium ſumatur, tuncque paulatim ad altiora procedatur, donec ad ultima ſcientiæ artiſve perveniatur faſtigia; nec aliter ſcientiæ vel artis alicujus ſtudioſi, quàm hiſce gradibus ad veram ſolidamque eruditionem pertingere valeant: jure optimo à Sereniſſimis Belgii Principibus conſtitutum fuit, ut in hac noſtrâ Lovanienſi Academiâ non minùs ad Sacrorum Canonum ſcientiam aſpirantibus, quàm ad Legum cognitionem animum applicantibus, Inſtitutiones prælegerentur, quæ non modò prima Juris Pontificii principia contineant, ſed totum velut Corpus atque univerſalem illius cognitionem exhibeant.*

Si Autor loquens de neceſſitate hujus Methodi mentionem faciat ſpecialem incipientium, ideò agit, quia plus illâ opus habent quàm alii, & non vult illud ad eos ſolos reſtringi, quod dicit de hac neceſſitate; nam ſine hac Methodo difficile eſt rem quamque in ſuo loco naturali conſtituere, & neceſſarium eſt omnibus ut in interpretatione Juris, ſpectati ſive generaliter ſive particulariter, ordo naturalis adhibeatur, tùm materiarum comparatarum aliæ cum aliis, tùm partium cujuſque materiæ inter ſe collatarum; aliter in confuſionem inciditur, & non poteſt non defatigari Lector, cùm ad loca aliena ſæpiùs remittatur, ad quæ cogitare non poſſet non monitus. Itaque, quod poſteà dicit Autor de ordine & partitione, convenit ſubjecto, ſcilicet Methodo explicandi Jus per Regulas, nam ambo ſunt conditiones abſolutæ neceſſariæ ad illam: Sine juſta partitione bonus ordo eſſe non poteſt, & ſine hoc non poſſumus duci ad notitiam principiorum minùs generalium, per agnitionem principiorum generaliorum, ſive agatur de generalitatibus Juris, ſive mentio fiat de Jure privatim conſiderato. Itaque non in vanum referetur hîc pars utriuſque, cùm certum ſit ſapientiores credidiſſe neceſſarium, ut quæque materia in apto ordine explicetur: addit quod meritò vituperenrur Interpretes Juris, qui ſæpè egerunt de rebus benemultis extrà locum ſuum, & varios pannos aſſuerunt miſcendo varium genus præceptorum & materiarum: Similes in hoc homini ruſtico qui poneret ſimul diverſa grana, hordeum, triticum, fabas, & alia legumina. Cùm deindé aliqua exempla attulerit, obſervat multa incommoda ex hâc confuſione naſcentia; unum ex præcipuis in hoc ſitum eſt, quod indeſinenter Lector remittatur ad loca aliena, ad quæ non potuiſſet attendere, ſine talibust remiſſionibus; alterum in eo poſitum quòd exponatur ſæpè ad quærendum, ita tamen ut non poſſit interdum reperire; ultimum, quod materiæ ferè inextricabiles ſeu inintelligibiles efficiantur.

Quod ad partitionem pertinet, obſervat concinnitatem in partitione rem eſſe magni momenti, ſed difficillimè ad illam aſpirari; & utrumque probat: Undè poteſt concludi quod in hac materia quiſquis agere, ut meliùs poteſt, debeat, & labori aliorum indulgere. In rebus magnis conatus ſunt laudandi, & nullus tenetur ad primum ordinem pervenire; ſatis ipſi, ſi quantùm poteſt ad illum accedat proximè.

Gloſſatores primi redegerunt Deciſiones Juris in Regulas, obſervando quid decidat quiſque Textus, quod ſolent facere poſt expoſitionem caſûs reſoluti; Summiſtæ deindè ordinaverunt has Obſervationes Interpretationum; & hunc perfecerunt ordinem Inſtitutarii, collocando quamque Deciſionem cum ſuis conſequentiis, in ſuum locum, nec tamen adhæſerunt ordini Decretalium, quem ſecuti ſunt Summiſtæ.

APRROBA-

APPROBATIO

D. DE FERRIERE, *Parisiensis Consultissimæ Facultatis Antecessoris Primicerii, & Comitis.*

QUÆ prælegi ex Opere, quod inscribitur, *Expositio Juris Canonici, per Regulas Naturali Ordine digestas, usuque temperatas*, mihi visa sunt utilissima; facilem quippè viam iis aperiunt, qui veram perfectamque Canonici Juris peritiam adipisci desiderant. Verùm nihil aliud expectandum erat ab eximio illius Autore D. JOANNE PETRO GIBERT, *Doctore Theologo & Canonista*, qui præclarum aliud Opus circa prima Juris Canonici principia paucis abhinc annis edidit Gallico idiomate elaboratum. Datum PARISIIS, pridiè Kal. Novemb. anni MDCCXXXIV.

DE FERRIERE, *Parisiensis Consultissimæ Facultatis, Antecessor, Primicerius, & Comes.*

APPROBATIO

D. JOANN. BAPT. DALLOZ, *J. U. D. Archipresbyteri, & Offic. Metrop. Lugdunensis à parte Burgundiæ Comitatûs.*

QUicumque inclytum Dominum JOANNEM PETRUM GIBERT, Parisiensem Doctorem Theologum peritissimum noverit, cujus nomen pro meritis ubique in gratia; aliquid aut contrà bonos mores, aut contrà Catholicam, Apostolicam, Romanamque Fidem, aut contrà sanam Ecclesiæ Gallicanæ Doctrinam, in ejus Operibus contineri, aut ab eodem in lucem prodiri posse, proculdubio non suspicabitur. Sedulò siquidem perlegimus *Corpus Juris Canonici*, in Tres Tomos divisum, ab eodem peritissimo Doctore digestum, dilucidatum, & enucleatum, ac in lucem nuper editum; nihil in eo certè tale reperimus, sed omnia Orthodoxæ Fidei consona, omnia tanto Authore digna, & Doctorum omnium laude & applausu dignissima; multùmque in futurum & Tyronibus, & studiosis, & etiam Juris Canonici Doctoribus profutura. Ità censet, & opinatur, ità sperat, peritissimi Doctoris prædicti addictissimus Cliens. SEPTEMMONCELLIS Idibus Decembris, anno reparatæ Salutis MDCCXXXIV.

JOAN. BAPT. DALLOZ, *J. U. D. Archypresbyter & Offic. Metropol. Lugdunensis à parte Burgundiæ Comitatûs.*

APPROBATIO

D. SALMON, *Doctoris, Socii Sorbonici, ac Bibliothecæ Sorbonicæ Præfecti.*

NOvum hunc Clarissimi Auctoris laborem plurimùm iis profuturum esse confido qui *Juri Canonico* dant Operam. Etenim etsi integrum Opus legere non licuerit; quod tamen legi, & laude & luce dignissimum visum est. In eo Vir eximiâ Jurium omnium Scientiâ instructus, similem ei posuit industriam, quam, probante & gratulante universâ Literatorum Republica, in

plurimis aliis Operibus à se vulgatis exhibuerat. Habuisset sanè Jurisprudentia tùm Sacra tùm Civilis quod meritò huic succenseret, si quam semper tantoperè excoluerat, provectior ætate factus immerentem neglexisset. Est autem quod ipsa jam gratuletur sibi, quæ nacta sit in eo & honoris vindicem sui & tutorem dignitatis; siquidem Sapientissimus Auctor optima quæque & præstantissima in Scripturis Sacris, in Sanctis Patribus, in Antiquis ac Novis Ecclesiæ Doctoribus & Jurisperitis, exquisito limatæ censuræ judicio delegit & ordine recto disposuit. Ad hæc non vulgaris accessit in his quæ difficultatem aliquam patiuntur dexteritas & solertia, quibus res sic attemperat, ut nec remissiùs de his, nec arctiùs æquo scribere in animo habens, ad eum cuncta redigere tentaverit modum, quem recta ratio Christianæque Leges sapientissimè fixerunt. Quare nulli non, mihique inprimis optandum videtur, ut tàm præclarum Opus quàm citiùs Publici Juris fiat. Datum Parisiis quinto Kal. Februarii, anno Christi MDCCXXXV.

Salmon, *Facultatis Parisiensis Doctor, Socius Sorbonicus, ac Bibliothecæ Sorbonicæ Præfectus.*

EPISTOLA

AMPLISSIMI VIRI

D. ESPIARD DE SAUX,

In Senatu Bisuntino *Insulati Præsidis*, circà Librum cui Titulus, Corpus Juris Canonici, Authore D. Joan. Petro Gibert, Doctore Theologo, scripta ad Amicum.

Quæsisti à me, *Clarissime Domine*, quid sentiam de Libro qui inscribitur, Corpus Juris Canonici &c. cujus Tomus Primus recèns prodiit. Quid de eo judicem, liberè dicam. Opus est, ut ego quidem existimo, præstantissimum, dignumque omninò Doctissimo, cui dicatum est, Magistratu. Magna equidem in fronte Operis pollicitus est Author eximius, sed non vano certè hiatu, ut vanus ille apud Horatium promissor; imò fidem plenè exsolvit, quodque verissimum est, magnificis promissis longè plura præstitit. Nil ergo exoptandum magis quàm ut egregii illius Operis reliquæ Partes sine ullâ intermissione in lucem prodeant: quo quidem gratius nihil contingere posse cunctis Rei Litterariæ amatoribus, & inter alios præcipuè Canonistis, persuasum habeo.

Tuus & devotissimus tibi Servus

Datum in ædibus nostris Bisuntinis
anno MDCCXXXV.

ESPIARD DE SAUX.

DOM.

D. BRET DE ROMESTE,

Divionensis Universitatis Decani,

EPISTOLA AD AUCTOREM.

MIrificè delectatus sum, ILLUSTRISSIME DOCTOR, lectione *Prospectûs Expositionis Juris Canonici, per Regulas Naturali ordine digestas, ex illius Corpore, aut aliundè desumptas*; quem Prospectum amicitiæ cultu, nuperrimè ad me misisti. Tametsi ab Urbe PARISIORUM discesserim à decennio, attamen mei non oblitus es, nec vexationum, quas in hac Civitate Metropoli, Dei auxilio, & Supremi Regis Nostri justitiæ amore, superavi, cùm mihi plurima Operum Tuorum fragmenta legenda, sed miranda sanè, identidem credideris.

Nunc ego, annos septuaginta & ultrà natus, moræ impatiens, ut omnium desideriis respondeas enixè quæso. Apprimè Operibus Tuis, & virtutum famâ pernotus es in Republica Litteraria. Quod suscepisti propositum, de Editione Tui Operis postremi, idiomate Latino elaborati Te maximi nominis Virum annuntiat iterùm. Quod Opus Litterati pluries solummodò cogitatione & animo finxerunt, aggressus es, nec tantùm inchoasti, sed desperatum propemodùm Opus, strenuè susceptum, feliciter absolvisti, pro Reipublicæ Christianæ bono in genere, & pro Juris Regii & Gallici dilucidatione & confirmatione in specie.

Idcircò Juris Canonici defectus in ordine, reparasti; ejusdem Juris omissiones & lacunas repleviisti; inutilia resecasti, supposititios Canones notasti, totius Operis Partes & Divisiones ingeniosè, sed prudenter & diù meditatus es; Regni Senatuum Oracula, maximâ cum vigilantiâ hactenùs in Archivis involuta, in lucem protulisti; veritatem & juris & facti, non in rivulis, sed in fontibus puris haurire sategisti; Regum, eorumque intimi Concilii Leges & Edicta exposuisti. Labores Tui Canonum & Legum alumnis pretiosi erunt perpetuò; Advocatis utiles valdè, peritissimis etiam Judicibus apti; Antecessores ipsi Operum Tuorum Epitomen edocendo, Juris Universi studium biennio concludendi artem à Te desumptam fateri gloriabuntur; quia verum est testimonium quod de temetipso scripsisti, in hæc verba, *Ex Collectione hujus Operis, plus mense discetur, quàm anno, in legendo Corpore Juris, prout nunc est, disceretur.*

Sacræ Theologiæ Doctori & Canonistæ simul immensum Opus Tuum consentaneum erit, eo quòd Canones constituant securam Theologiæ praxim, eorumque conclusiones ex Theologicis principiis elicitæ dignoscantur.

Exultans legi in pluribus Tractatuum tuorum locis, & in Prospectu Expositionis tuæ, Juris Civilis Decisiones & sensus te explorasse, & inter utrumque Jus differentias per radices & causas recensere non dubitasse; sibi enim Canones Ecclesiæ, & Imperii Leges invicem auxiliantur, ut sub earum Sanctitate & Potentiâ quiescat Orbis Christianus.

Quamobrem CHRISTI Religio primam mundi originem Antiquitate suâ adæquat; nam *quod prædicaverunt Apostoli, hoc annuntiaverunt Prophetæ, nec serò est impletum quod semper est creditum*, ut notat S. LEO *Sermone* 3. *de Nativitate*, post Apostolum ad EPHESIOS Cap. II. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Ideò qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, jam Juris Naturalis præcepta non tantùm, sed etiam conscientiæ bonæ interioris, & charitatis semina & scintillas splendescere fecit in tenebris Gentilitatis, per Leges Civiles à Paganis traditas. Inter plura sit satis duo tibi exempla proponere, *v. g.* in Lege Secundâ *Codicis* JUSTINIANI *de Fideicom.* ubi ab ANTONIO Imperatore prohibetur traditi Fideicommissi repetitio, & vindicatio, statuiturque frustrà moveri quæstionem ab hæredibus de re solo conscientiæ motu traditâ.

ULPIANUS ipse Christianos plures benignitate & charitate antecellit, dum definit in *Lege, Furem nocturnum* 9. Ad L. CORNELIAM *de Sicariis*, impunitam fore nocturni furis occisionem, eo scilicet casu, eaque conditione, *si qui occidit, sine periculo suo, furi nocturno parcere non potuerit.*

Canonicæ autem Sanctiones ad perfectiorem viam progrediuntur; nam bonæ conscientiæ & rectæ ac Christianæ charitatis & mansuetudinis regulas & præcepta tradunt, cordis humani interiora componunt, & purificant, non tantùm ad veniam usque furi nocturno condonandam, sed & ad inimicorum dilectionem; quia sub inimicorum telis & calumniis, videt Christianus Dei justitiam, delictorum nostrorum miseratione & gratiâ vindicem, in terris.

Concordant iterùm Leges Civiles & Ecclesiasticæ in multis: Tuentur simul Reipublicæ tranquillitatem, privatorum Societates & concordiam, bonam fidem in contractibus & commerciis, Civium securitatem, & in ultimis voluntatibus justam libertatem. Sed Jus Civile à Canonico perficitur; nam cogitationes hominum, actiones, & intima cordis consilia ad finem Divinæ simplicitatis & æternæ beatitudinis dirigit.

Leges Civiles ſtatuunt rem judicatam pro veritate haberi; ſed Canonicæ adeò veritatem in factis, & conſcientiam puram & interiorem venerantur, ut non rarò graviſſimum ſit peccatum obedire rei judicatæ, ſicut ſtatuit & decidit INNOCENTIUS III. Maximus Pontifex, in Cap. *Litteras.* EXTRAV. *De Reſtitut. Spoliat.* Quod patet ex diverſis aliis Canonibus, tàm apud GREGORIUM, quàm apud GRATIANUM editis; quia Eccleſia de internis & occultis etiam judicat, & melius eſt obedire Deo, quàm hominibus.

JURIS CANONICI fundamenta & baſes ſunt veritas, charitas, & humilitas, Divinæ virtutes, quæ ſplendeſcere videntur in multis Decretalibus & Reſponſis Summorum Pontificum, Eccleſiæ Patrum, Statutis Conciliorum, in quibus decidendi rationes ſingulari pietate & benignitate omnibus deteguntur: Sunt enim in Statu Civili & in Eccleſia Paſtores optimi, non ſemetipſos regentes ſolùm, ſed CHRISTI gregem paſcentes, ægrotum ſanantes, infirmum conſolantes, confractum alligantes, quod perierat quærentes, non cum authoritate & potentiâ imperantes.

Plures tamen unitatem fidei non ſervarunt, charitatis, fraternitatis & pacis vincula diſſolverunt ex ſuperbiâ, & ut ait Apoſtolus TIMOTH. I. *A quibus quidam aberrantes converſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe Legis Doctores; non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Unicum inter multa ſuperbiæ exemplum de MARTINO LUTHERO referam, cujus furor & mentis impetus eò proceſſit, ut *Juris Canonici Corpus* igne abſumi juſſerit: fruſtrà tamen; nam etiam Academiæ quæ ab unione fidei receſſerunt *Jus Canonicum* legere & docere non deſiſtunt, reſecantes tantummodò ea quæ Neotericorum cupiditatibus inſervire non poſſunt.

Quid deſiderabilius in præſenti Orbis Chriſtiani ſtatu, quàm Opus Tuum, in quo collegiſti rerum originem, naturam, antiquitatem, ſpecies, cauſas, effectus, & ordinem; ſuppoſititia à veris, incerta à certis ſecernendo? Juris intima & profunda perſcrutatus es; quod digito leviter tangunt alii, plenis manibus in Operibus Tuis colligaſti: Veritatem in cordis mei ſinceritate loquor; minùs dico quàm ſentio. Noli ex humilitate Tua, aliquid mali, aliquid fraudis, adulatorium aliquid de ingenio meo injuriosè ſuſpicari; id eſt, jam ſeneſcentem me, in ætatis, cordis, & ſtatûs mei dedecus, tanti criminis reum factitare. Bona Tua reticerem funditùs, ſi Chriſtianæ humilitatis fama quæ in Te eſt, non me moneret.

Amicorum Tuorum, Concivium, imò & Conſanguineorum Tuorum, *Pariſiis & Divione* amicitiam colui, præſertim D. D. GIBERTI, Doctrinâ & optimis moribus Viri præſtantiſſimi, Eloquentiæ Anteceſſoris, tunc temporis Pariſienſis Univerſitatis Meritiſſimi Rectoris. Nemo neſcit cordis Tui peculiares virtutes eſſe charitatem, Chriſtianam humilitatem, pacificam vitæ conſuetudinem cum hilaritate & patientiâ. Hæc bona in Scriptis Tuis, Te fortaſſe nec ſciente, nec volente ſciri, relucent; neque enim in Operibus Tuis, neque in Proſpectu Expoſitionis Tuæ, vel minimum quidem humanæ Doctrinæ tumoris veſtigium inveni; *non ambulas in magnis, neque in mirabilibus ſuſpectè*; cor optimum & ſpiritum rectum creavit in Te Deus, formaliter dico, non materialiter; charitas enim, humilitas, patientia, benignitas, ſcientia, omnia ſunt dona Dei, ut notat *Cardinalis* BELLARMINUS *in* PSAL. L. ℣. 11. & ideò ſudores & vitam Tuam, Eccleſiæ Decretorum, Legumque Civilium Sanctitatem perluſtrans, Dei gloriæ dedicas & conſecras, pro Fidelium inſtitutione & ædificatione, & pro aberrantium converſione.

Tandem ne à fine & ab officio Epiſtolæ recedam, humilis Viri teſtimonium libenter admitte. Faxit Deus ut diù iterùmque meditationibus & ſtudiis Tuis Reſpublica Chriſtiana ditetur. Ea ſunt Vota,

DOCTOR PERILLUSTRIS,

DIVIONÆ, *die decima ſexta Octobris anno* MDCCXXXIV.

Humillimi & obſequentiſſimi Tui
BRET DE ROMESTE,
Divionenſis Univerſitatis Decani.

EPISTOLA

AMPLISSIMI VIRI

J. B. ANT. TINSEAU,

SS. Theol. Doctoris, Canonici Metropolitani, Promotoris Biſuntinæ Diœceſeos, Academiæ Vice-Cancellarii ſcripta ad AMICUM.

DE magno Opere DOM. GIBERT quid ſentires ſcire avebam plurimùm: Tu me contrà ſententiam dicere jubes. Egone ut Cenſorem agam? idque apud Te, quo certiùs nemo ſanctiùſve pronuntiare poterat. Sed Tu quid imponas, vide: mihi enim, vel cum pudoris diſpendio, parere certum eſt. De Authoris conſilio paulò confidentiùs dicam; quoniam & Te memini habuiſſe ab initio

tio ἀνεφόρως. Nam cùm ceteris ex prospectu utile Opus & commodum fore videretur, Tu etiam penè necessarium judicabas. Atqui non te fugit fuisse Viros doctrinâ, fide, industriâ præstantes, qui Canonum Disciplinam seu explanare Tironibus, seu foro accommodare procurarint: Mitto Pragmaticorum ingentem turbam, qui suprà formulas, allegationes, glossasve, vix quicquam sapiunt; Neque de his sermo est qui singulare aliquod argumentum sibi constituêre: Hos dico quibus eadem quæ D. GIBERTO sparta contigit, qui Scholastica Forensibus, Sacris Civilia, Vetera Novis conjungere, atque invicem conferre sunt aggressi; undè Canonicæ Scientiæ solidum quoddam & absolutum Corpus exurgeret: Ex his, inquam, neminem nosse videor, qui tantam argumenti amplitudinem vel mente plenius complecti, vel distinguere solertius, vel demùm tot comparatis undique certissimis firmissimisque subsidiis æquare, contenderet. Narro tibi fabulam? imò expertus testor. Cùm occurrerent gravissimæ Quæstiones, & usûs apud Nos quidem non infrequentis, contigit non semel duos tresve Authores adire, ex iis quorum celebre inprimis nomen, tractatio autem diffusissima censetur; piget dicere, frustratus recessi: vel nihil erat quod faceret ad propositum, vel hujusmodi ut pro nihilo jure haberes. Itane, summo ingenio, summâ eruditione Viros? Equidem nemo sanus negaverit: Et tamen homines illi erant laboris immensi, sed non semper labori par est auxilium: Quare nec vidisse soli omnia, nec omnem omninò diligentiæ industriæve palmam præripuisse existimandi sunt. Quid quod ad hæc Sacra plerique mentem afferunt haud satis præjudiciis vacuam? Ille Arrestis omnia conficere sperat: Alius ne nomen quidem eorum audire sustinet. Hic, augustiori Antiquitatis facie perculsus abreptusque, Recentia & foro propiora fastidio carpit: Illi vetera omnia sordes aut tenebræ; nullam rem putat, nisi undè rem facere possit. Ineptissimi omnium, qui Gentis suæ moribus reliquum Orbem stare aut cadere jubent, peregrina vel contemptu transfigunt, vel ignoratione deformant. Vidit hos scopulos D. GIBERTUS; vidit in iis effugiendis maximum sibi operæ pretium fore; atque ad hanc amussim exactum ab eo Opus, jam Primum Volumen suadet.

Facilis est & accurata methodus, Tironibus expedita, nec inutilis Veteranis. Juris principia affatim exequitur, planâ concinnâque serie deducit. Pragmaticum quidem dixeris; at non jejunum, neque aridum. Origines Legum & Canonum curiosâ sedulitate eruit; variam temporum Gentiumque Disciplinam eruditâ brevitate persequitur. Antiqua illustrat, præsentia docet, antiquata signat; utrisque studiosâ collatione lucem haud modicam affundit. Quæcunque sunt in universo Jure pulcherrima, atque ad ornandos Studiosorum animos conferunt, eorum nihil indictum sinit. Præcipua tamen ipsi Fori cura: quâ in parte summâ fide, ac penè incredibili diligentiâ, expectationem omnem, quam editis pridem Operibus de se commoverat, planè superavit. Satis non erat omnium antè se Canonistarum labores evolvisse, & digessisse; etiam Consultissimos non Urbis solùm, sed & Provinciarum Viros assiduè interrogavit, ne quid omissum quod scitu necesse esset, nevè secùs positum, aut sine authoritate assertum argueretur. Igitur controversas quæstiones copiosè, obscuras perspicuè, ratas fideliter expendit: in congerendo impiger, in explicando sobers, ubertatem delectu temperat. Singularia etiam benè multa tractat, quæ tametsi ad praxim plurimùm faciunt, vix alibi reperire sit. In adoptandis Sententiis quàm cautus ac moderatus sit, ex primo statim adspectu deprehendes: Quippè cùm Gens omnis Canonistarum in duas quasi Sectas scissa habeatur, alteri unum esse studium putant Ecclesiasticæ Jurisdictionis fines contrahendi, seu veriùs tollendi; alteram id contendere ut æquo latiùs pateat; ipse inter utramque tutus incedit; nemini præter fas addictus, infensusve, nihil cœco affectui, nihil pravis suspicionibus indulgens; quod jus & æquum est hoc tenere, & unicuique candidus impertiri studet. Non alienorum præcipites Censuræ, non verborum acerbitas, aut pronuntiandi audacia, stomachum movent. Ea ubique, seu disputandi, seu opinandi modestia, quam juvenum animis inspirari sedulò, atque ad exemplum proponi, è re publicâ esset: Scilicet his moribus, cùm incerta fastu magis quàm rationibus autorari putantur, cùm infirmos hominum sensus pro sempiternâ lege jactare nullus est pudor. Cæterùm Author Ecclesiæ Catholicæ Romanæ obsequentissimus nihil laudat aut probat quod non sit ejus Placitis de fide aut moribus apprimè consonum: Hanc unam sibi normam constanter proponit & sequitur. Si quid ei quandocùnque adversum est, id rejicit, & pro virili expugnat. Maxima ubique ergà SEDEM APOSTOLICAM reverentia, cujus dotes & jura verè amplissima explicare, ornare, ac strenuè, ubi opus est, tueri gaudet. Periculosas opiniones ad hoc tantùm adducit quò fortiùs explodat. Ex peritissimis & maximè probatis fontibus sua omnia derivat: Odiosa quælibet, extrema, nec saniori Disciplinæ satis congrua fugit, atque etiam fugiendi autor est. Quamobrem, si qualis in limine apparuit, eumdem se in reliquo Opere præstare pergat, haud dubium est judicii & diligentiæ eximiam laudem absque cujusquam invidiâ consecuturum; inprimis verò candore singulari acceptum apud omnes fore. Hoc quoque non temerè videor augurari posse, habituros nos totius Ecclesiastici Juris Systema, aptiori methodo digestum, ceteris uberiùs Observationum copiâ, at, si inutilium amputationem spectes, brevius etiam & jucundius; undè magno usui futurum est, cùm universis qui Canonum scientiam penitiùs introspicere avent, tùm iis præsertim qui in utroque foro negotia tractant: siquidem habebunt isti instructissimum quoddam penu, ex quo non Canonum modò interpretationes, sed & rerum judicatarum receptissimam praxim, Tribunalium omnis generis authoritates, varios Populorum usus, aliaque omnia causarum momenta tutò & expeditè haurire possint; singulis suo loco & ordine ita appositè collocatis ut nemo superfluis retardari debeat, dùm necessaria incassùm quærit.

Ita nos sperare jubet VIR MAXIMUS, cujus ingenti nomine quantùm accessit Operi decus, tantùm & spem nostram erigi par est. In quo sanè D. GIBERTI vel sapientiam vel fortunam miror.

Quid

Quid enim sapientius facere potuit, quàm ut Juris Sacra tractaturus Juris-peritorum, imò & Litteratorum omnium, Principem communi consensione Virum auspicio expeteret? Neque minùs felicem dixeris, qui hujusmodi Patronum nactus est, cujus unius suffragio securitatem Operis, non sine honestissimo laborum fructu, comparasse videbitur.

J. B. ANT. TINSEAU *SS. Th. Doctor*,
Canonicus Metropolitanus, Promotor Bisuntinæ Diœceseos, Academiæ Vice-Cancellarius.

PRIVILEGIUM

Sacræ Cæsareæ & Catholicæ Majestatis.

CAROLUS SEXTUS,

Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum IMPERATOR, semper Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, REX; ARCHIDUX Austriæ; DUX Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Würtembergæ; COMES Tyrolis &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium Universis, quòd cùm Nobis Noster Sacrique Imperii fidelis Dilectus *Marcus Michaël Bousquet & Consortes* humillimè exponi curarint, quem in modum *Joannis Petri Gibert Corpus Juris Canonici per Regulas naturali ordine digestas, usuque temperatas, ex Corpore Juris ac aliundè desumptas, in tres Tomos divisum*, in folio prelo committere resolverint, vereantur autem, ne Æmulorum invidia, Editionem hanc imitantium impendii & laboris sui fructu frustrentur: ideòque Nobis demissè supplicârint quatenus eorum indemnitati Privilegio Nostro Cæsareo succurrere clementissimè dignaremur, Nos submissis pariter ac æquis eorum precibus annuendum censuerimus. Ac proindè auctoritate Nostrâ Cæsareâ omnibus & singulis Bibliopolis, Bibliopegis, Typographis & aliis quibuscunque rem Librariam seu Negotiationem exercentibus, firmiter inhibemus, vetamus, & interdicimus, ne quis supranominatam *Joannis Petri Gibert Corpus Juris Canonici* ex toto vel in parte, sub hâc aliâve forma aut titulo per decem annorum spatium ab hodierno die computandum, intra Sacri Romani Imperii & Regnorum Ditionumque Nostrarum hæreditariarum fines recudere vel aliis recudendam dare, aliorsumve impressam apportare, aut distrahere, citra præfatorum Impetrantium, eorumdem hæredum ac Successorum voluntatem & assensum in scriptis obtentum, ausit vel præsumat. Si quis verò secùs faciendo Privilegium hoc Nostrum seu interdictum violare, contemnereque præsumpserit, eum non solùm ejusmodi exemplaribus ubicunque locorum repertis, perperam quippè recusis seu apportatis: (quæ dictus *Marcus Michael Bousquet & Consortes* sive propria authoritate, sive Magistratûs ejus loci auxilio sibi vindicare poterint:) de facto privandum, sed & decem marcarum auri puri pœnâ Æratio seu Fisco Nostro Cæsareo & Parti læsæ ex æquo pendenda, omni spe veniæ sublatâ, mulctandum decernimus, dummodò tenor hujus Nostri Privilegii in fronte Libri impressus reperiatur, & consueta quinque Exemplaria Consilio Nostro Imperiali Aulico exhibeantur. Mandamus itaque omnibus & singulis Nostris & Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum Nostrorum hæreditariorum Subditis & fidelibus dilectis tàm Ecclesiasticis quàm Sæcularibus, cujuscunque statûs, gradûs, dignitatis, aut ordinis fuerint, præsertim verò iis, qui in Magistratu existentes, vel suo, vel Superiorum suorum loco aut nomine Jus Justitiamque administrant, ne quemquam Privilegium hoc Nostrum violare, spernere, aut transgredi patiantur, sed si quos contumaces compererint, constitutâ à Nobis mulctâ eos puniri, & quibuscunque modis idoneis coërceri curent, quàtenus & ipsi gravissimam Nostram indignationem & prædictam pœnam evitare voluerint. Harum testimonio literarum Manu Nostrâ subscriptarum, & sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur HALBTHURNI die vigesima quinta Septembris, Anno millesimo septingentesimo trigesimo tertio, Regnorum Nostrorum, Romani vigesimo secundo, Hispanicorum trigesimo primo, Hungarici & Bohemici verò vigesimo tertio.

CAROLUS.

UT: L.S.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium.
J. J. HAYECK DE WALDTSTÄTTEN.

PROLEGO-

PROLEGOMENORUM PRÆFATIO.

DE Prolegomenis quæ dicturi sumus hæc sunt. Id nomen donamus iis quæ Jus Canonicum in se, & in genere sumptum, respiciunt, quæque præparant ad illius studium, intelligentiamque. Singula per Tractatus, Observationes, Dissertationes, aliamve similem Methodum discutiuntur, ac cuivis discussionis generi generale Tractatûs nomen imponitur, brevitatis causa. Quæ autem quilibet Tractatus contineat, quæ sit illius cum aliis connexio, ex qua nascitur ratio loci illi assignandi, quæ necessitas, quæ utilitas ad Juris studium intelligentiamque, sigillatim exponitur in cujusque illorum Considerationibus Præliminaribus, ad quas remittendus Lector, ne in iterationes inutiles ac tædiosas incidamus. Divisis Prolegomenis duas in Partes, quarum Prior continet ea quæ aliundè quàm ex Corpore Juris desumuntur; Posterior illa quæ ex Corpore potissimùm depromuntur; exordium fit à Collectione Canonum ad studium Juris Canonici excitantium, illius ad hoc motiva præcipua continentium. Hinc transitur ad Considerationem Juris & Legis in genere sumptorum; deindè de Jure Publico agitur, & quid de illo doceat Jus Canonicum observatur, examinatisque naturâ Legis, illius Divisionibus, conditionibus vel qualitatibus ad illam requisitis, quid cuique Legum speciei proprium seorsim expenditur, habitâ primâ curâ de Legibus merè Ecclesiasticis, de Sæcularibus, & de Mixtis, notatisque è singulis quæ scitu digniora visa sunt. Cum inter Legum conditiones præcipuæ sint Publicatio & Receptio, Collectio fit Canonum ad illam proximè pertinentium, sed præsertim ad publicationem ipsis locis ubi servandæ sunt, objectaque contra illos diluuntur, initio ducto à prioribus sæculis, ad nos usque perducta illorum serie. Huic Dissertationi alia subjungitur de effectu Legis puræ & prohibitivæ circa actus illi contrarios, an scilicet illos irritet; in utramque Partem Quæstio agitatur, deciditurque non solâ authoritate illam tractantium, sed gravissimis rationum momentis.

Expeditis illis quæ cuivis Legi communia sunt, ad ea devenitur quæ deculiatiùs Canones spectant; habitâque ratione antiquitatis Canonum Apostolorum, aut veræ aut præsumptæ, afferuntur conjecturæ novæ circa illorum originem, separatis priùs quæ circa illos certa sunt ab iis quæ incerta sunt, ut à certis incerta eruantur; posteà ostenditur Collatione factâ illorum cum Canonibus Conciliorum quinque Priorum Sæculorum, ex istis illos videri desumptos. Hanc discussionem sequuntur Regulæ circa Concilia in se sumpta, eorumque præcipuas species,

ſcilicet Generalia & Particularia. Dehinc Notæ Hiſtoricæ circa Concilia Generalia, quibus potiora quæ ad illa propiùs attinent diſcutiuntur, non omiſſis cæteris ſcitu neceſſariis circa illorum tempus, locum, poteſtatem convocandi, authoritatem Convocatorum, Aſſiſtentiam Perſonalem, vel per Procuratorem, iſtiuſque facultatem, munus, obligationem, ſubſcriptiones; quæ omnia præcedunt vel ſubſequuntur Conſiderationes non aſpernandæ. Finitis his Notis, nonnulla peculiaria circa Concilia Africana colliguntur, eò utiliora, quò favorabiliora uſibus Gallicanis. Hìc collocanda videbantur quæ fuſiſſimè de Concilio TRIDENTINO, de prærogativis illius, de illius acceptatione, & executione, de novitatibus ab illo introductis, de interpretatione Decretorum ejus, multiſque aliis conſimilibus; idque ob naturalem affinitatem cum Conciliis Generalibus, inter quæ maximum locum ubique ferè habet: ſed cum Decreta illius, Juris Noviſſimi pars præcipua ſint, his præmittenda viſa eſt Diſſertatio de autoritate Secundi Ordinis in Synodis Diœceſanis, quæ Jus tàm Vetus quàm Novum ſpectat, & ad Jus in ſe ſumptum, de quo hactenùs, magis accedat; quod etſi parvi momenti, notaſſe convenit, ne quid neglectum circa ordinem etiam videatur.

De reliquis Tractatibus hujus *Partis Prioris* PROLEGOMENORUM, nihil aliud dicendum ſe ſe offert, præter quàm quod illa abſolvatur comparatione Collectionum quibus conſtat Corpus Juris Canonici, ſive inter ſe, ſive cum aliis Collectionibus quæ extra illud continentur; nec non ſimili Collatione Corporis Juris Orientalis cum Corpore Juris Occidentalis, ac demum comparatione noſtræ Methodi cum aliis ſimilibus jam editis, ſed præſertim VIGELIANA quæ ad illam propiùs accedit, quæque ſigillatim diſcuſſa eſt, ut pateat quantùm differat à noſtrâ, in propoſito, in executione, in perſpicuitate, in amplitudine, nec non in ordine, quod fuſiſſimè demonſtratur plurimis exemplis, Obſervationibuſque, tùm in initio, tùm in decurſu, tùm in fine comparationis. In Primâ & Secundâ Collatione texitur Hiſtoria Juris Canonici, cum in his de illius ſingulis Collectionibus fusè agatur, notaturque à quo, quo ſæculo, quæ contineat, quomodò per illas Jus illud ad nos tranſmiſſum ſit, nullumque ferè ævum quo aliqua confecta non ſit: quæ omnia ſimul juncta ad hanc Hiſtoriam ſufficiunt.

Ad *Poſteriorem Partem* PROLEGOMENORUM quod attinet, deſumitur potiſſimùm ex Corpore, ideòque magis congruit propoſito Operis, quod eſt illud reducere in Regulas, quoad Argumentum patitur. Alio nomine titulove creſcit hæc eadem congruentia; pleraque enim quæ in illa tractantur per Regulas exponuntur, hæc autem ad decem Capita redigi poſſunt, nempè 1°. Naturam Juris Canonici: 2°. Diviſiones illius ſeu ſpecies: 3°. Cauſas quæ ſunt materia, forma, finis & authoritas condendi: 4°. Juris Axiomata ſeu Regulas: 5°. Illius fontes, partes præcipuas, quæ ſunt Conſtitutiones, Reſcripta, Sententiæ Patrum, Conſuetudines, nec non Deſuetudines: 7°. Collationem ejus cum Jure Civili, ut videatur in quo conveniat cum illo, in quo differat: 8°. Conciliationem Textuum qui contrarii videntur: 9°. Verborum & locutionum ſignificationem: 10°. Privilegia ſic dicta quia ſunt Leges privatæ, quæque ad Jus privatum duplici titulo pertinent, cùm hinc pars ſint Juris privatorum, quod ſic vocatur quia in illorum commodum conſtitutum eſt;

est; isthinc verò ex istis privatis faveant tantùm nonnullis illorum, veluti Exceptiones Juris Communis eorum ergo favorabiles. Prædictorum Capitum quodlibet minutatim explicatur, dilucidaturque, nullo prætermisso Textu qui de illo loquatur, eòque magis quò tractanda res est gravioris momenti; hinc magna cura Divisionum illius, & discussionis membri cujusque; hinc multiplicatæ Divisiones & Observationes circa quamlibet illarum: Plurima exempla habentur in Tractatibus præcipuis, nempè de Regulis Juris, de Constitutionibus, de Rescriptis, de Consuetudine, ac de Privilegiis. Regulæ Juris inspectæ sunt in se ac in genere; divisæ posteà in Communes & Particulares; istæ subdivisæ in Judiciales, Beneficiales & Morales; quæ subdivisæ in Prohibitorias, Præceptorias, & Permissorias, indicatis priùs fontibus ex quibus Doctrina Morum haurienda est. Communes accommodatæ sunt ad res præcipuas, seu potiùs rerum genera quibus convenire possunt. Cuique Regulæ Ratio illius subjungitur quæ verisimilior visa est, nulla prætermissa quæ summam diligentiam non effugit. Collectarum simul Regularum utilitas, quantùm pro captu viribusque licuit; commendatæ ex his elicitæ consequentiæ opportuniores: pari ratione Quæstiones super eas propositæ sunt non minimi momenti; si quæ aliis contrariæ visæ sunt, pro posse conciliatæ sunt, hinc aliorum Textuum sibi invicem, vel verè vel apparenter, adversantium conciliationem dandi occasio sumpta est.

Similis cura circa sequentes Tractatus. De omni genere Constitutionum actum est, nempè Conciliorum Generalium & Particularium, Episcoporum, Capitulorum, aliarumque Communitatum; actum de Jure statuendi, interpretandi Statuta, ab illis dispensandi, illaque mutandi, abrogandi, revocandi; de discrimine inter varios illos modos illis derogandi, de conditionibus requisitis ad illa singula facienda. Par diligentia circa Rescripta, ad quæ producuntur non pauca quæ de Constitutionibus dicta sunt, cùm plurima extent Rescripta quibus statuitur circa Doctrinam, Mores vel Disciplinam, & in quibus hac de causâ locum habent ea singula quæ Constitutionibus convenire notata sunt, par cura demum circa Privilegia, quæ cum inter Rescripta gratiæ comprehendantur, iis omnibus subsunt, quæ de hoc Rescriptorum genere exposita sunt. Quæ autem Peculiaria, tùm Rescriptis, tùm Privilegiis, pari attentione examinantur, ita ne quidquam alicujus momenti intactum remanserit. Idem dicendum de Consuetudine quæ, ut præmissa, Legis vim habet; idem quoque de Sententiis Patrum, quæ quandoque eâdem gaudent prærogativâ. In his omnibus, prout rei gravitas majorem solitâ exigit diligentiam, impensa est adhibitaque; siquidem de principiis Juris agebatur, in quibus tractandis minima negligentia non minùs periculosa, quàm ipsa sit in construendis fundamentis ingentium ædificiorum.

INDEX
TITULORUM, SECTIONUM,
PARAGRAPHORUM, QUÆSTIONUM, ET CAPITUM,

Quæ in Parte Priori *Prolegomenorum* Tomi Primi continentur.

PARS PRIOR,

Complectens varios *Tractatus*, circa illud in se, seu in genere spectatum, aliundè quàm ex illius Corpore desumptos, congruoque Ordine digestos, nec non ad illius intelligentiam maximè necessarios. *pag.* 1

TITULUS I.

Selecti Canones studium Juris Canonici proximè respicientes, ejusque necessitatem utilitatemve inculcantes, in varias Classes distributi. *ibid.*

Sectio I. *Clerici Sacros Canones callere tenentur*, 2
Sectio II. *Quæ esse debeat Clericorum cura, ut Sacri Canones serventur.* 3
Sectio III. *De Conciliorum aliorumve Cœtuum Ecclesiasticorum utilitate.* 5
Sectio IV. *De Necessitate & Autoritate Conciliorum.* 6

TITULUS II.

De Jure & Lege generatim sumptis. 8

Sectio Unica. *De Jure Publico in genere spectato, sive Considerationes magni momenti circa Jus Publicum Ecclesiasticum, sive Sacrum.* ibid.

TITULUS III.

Quid est Lex? 10

TITULUS IV.

Qualis Lex esse debeat. *ibid.*

TITULUS V.

De Distinctione Legum petitâ ex Distinctione Potestatum quibus competit illas condere; nempè Sacerdotii, & Imperii, Canones ex Corpore Juris vel aliundè deprompti. 11

TITULUS VI.

De qualitate & materiâ Legum Sæcularium, desumptis ex Officiis Principum erga subditos, Canones ex Corpore Juris, aliisque Sacris Monumentis deprompti. 12

TITULUS VII.

Peculiaria de Officiis Principum erga Ecclesiam. 13

TITULUS VIII.

De Legibus ab Ecclesiâ vel à Principe conditis, quæ excedere videntur condentis potestatem; sed potissimùm de Ecclesiæ Legibus hujusmodi; ubi variæ ipsarum species exponuntur; & discutitur quantum sit earum Autoritas. 14

Sectio I. *Exponitur mens Ecclesiæ in Legibus à Superioribus Ecclesiasticis, circa Res Temporales conditis.* ibid.
Sectio II. *De Legibus Ecclesiæ merè Ecclesiasticis.* 18
Sectio III. *De Legibus Ecclesiæ circa Res mixtas.* 20

TITULUS IX.

Discussio Historica circa necessitatem Solemnis publicationis Canonum, in locis ubi servandi sunt, faciendæ, illorumve receptionem per usum, ut vim obligandi habeant. 22

Caput I. *Præcipua Decreta quæ insinuant servandos Canones qnalescumque.* ibid.
Caput II. *Autoritates quibus relata Decreta explicantur, probaturque Canones non obligare, nisi in locis, ubi servandi sunt, solemniter publicentur, & interdum Publicationem iterandam esse, vel nisi saltem per usum recepti fuissent.* 24
Caput III. *Autoritates aliæ adhuc clariores, circa eamdem Canonum Publicationem.* 25
Caput IV. *Aliæ Autoritates circa Canonum Publicationem, ipsius modum speciatim spectantes.* 26
Caput V. *Objectiones contra allatas Autoritates, à Conciliis mox citatis desumptas.* 27
Caput VI. *Continuatio Autoritatum, circa solemnem Publicationem Canonum in locis, ubi servandi sunt* 28
Caput VII. *Continens Objectiones Generales contra Testimonia suprà adducta, circa necessitatem Publicationis faciendæ per loca Decretis subdita.* 29

TITULUS X.

Summa Dissertationis circa Autoritatem Legis purè prohibitivæ, & nullitatem Actuum, adversus ejus dispositionem factorum, in quâ propugnatur Legem illam vi sua Actus hos irritare. 30

TITULUS XI.

Appendix Dissertationis. 32

TITULUS XII.

Dissertatio circa causam Nullitatis Actuum contra Legis Publicationem factorum: ubi Sententia opposita defenditur. *ibid.*

TITULUS XIII.

Conjecturæ novæ circa veram originem Canonum Apostolorum, accuratâ eorumdem cum Canonibus Quinque Priorum Sæculorum Collatione confirmatæ, quibus antecedunt Observationes ea quæ circa eosdem Canones certa sunt, complectentes. 38

Sectio I. *Ea quæ certa sunt circa Canones Apostolorum.* ibid.
Sectio II. *Collatio Canonum Apostolorum cum Canonibus Quinque Priorum Sæculorum, Illustrationes ad eorum intelligentiam necessarias continens, & quorumdam*

dam accommodationem, ad probandam Regularum Gallicanarum *æquitatem, & confirmandas Superiores, de eorumdem origine, conjecturas.* 45
Solvuntur Objectiones *quædam adversus Consilium hujus Collationis.* 62
Sectio III. *Canones Apostolorum Regularum Gallicanarum æquitatem probantes.* 63

TITULUS XIV.

Regulæ circa Concilia? 63
§. I. *Quid sciendum circa Conciliorum nomen.* ibid.
§. II. *Quæ sit Conciliorum natura.* ibid.
§. III. *Quis Conciliorum finis.* 64
§. IV. *De convocandi, & præsidendi Potestate, & de Sessionis ordine.* ibid.
§. V. *Quæ sit Conciliorum in genere divisio.* ibid.
§. VI. *Ad quem pertineat Conciliorum interpretatio, & quomodo sit facienda.* ibid.
§. VII. *Cujus sit à Conciliorum Decretis dispensare; & quo in casu ab his dispensandum.* 65
§. VIII. *Quæ necessaria ut Conciliorum Decreta ligent.* ib.
§ IX. *Quot modis delinquatur in Concilia.* ibid.
§. X. *Quâ pœnâ puniantur in Concilia delinquentes.* 66
Regulæ circa Concilia in Particulari. *ibid.*
§. I. *Quid requiratur ut Concilium sit Generale.* ibid.
§. II. *Cujus sit Concilium Generale convocare, eidemque præsidere.* ibid.
§. III. *Quæ Concilii Generalis Autoritas.* ibid.
§. IV. *Quæ sit inter Concilia Generalia distinctio.* 67
§. V. *In quibus Concilium Generale, à Particulari præcipuè differat.* ibid.
Regulæ circa Concilia Particularia. *ibid.*
§. I. *In quibus Concilium Particulare, cum Generali conveniat.* ibid.
§. II. *Quæ sit Conciliorum Particularium divisio.* 68
§. III. *Cujus sit Concilia Particularia convocare, iisque præesse.* ibid.
§. IV. *Quæ sit Conciliorum Particularium Autoritas, & quanti facienda.* ibid.
§. V. *An aliqua Lex Concilia Particularia præcipiat.* 69
§. VI. *In quibus Concilia Particularia conveniant & differant inter se.* ibid.
Regulæ circa Concilia Particularia, in specie considerata. *ibid.*
§. I. *A quo Provinciale Consilium sit convocandum.* 70
§. II. *Quo tempore convocandum sit Concil. Provinc.* ib.
§. III. *Qui ad Concilium Provinciale vocandi.* ibid.
§. IV. *Quæ causæ à veniendo ad Concilium Provinciale vocatos eximant.* 71
§. V. *Ad quid teneantur Episcopi, qui vocati ad Concilium Provinciale venire nequeunt.* ibid.
§. VI. *Quæ pœnæ Episcoporum ad Concilium Privinciale venire nolentium.* ibid.
§. VII. *Quæ agenda in Concilio Provinciali.* 72
§. VIII. *Quid faciendum circa Concilii Provincialis Decreta.* ibid.
Appendix ad Regulas circa Concilia, in quo de Synodo Diœcesanâ. ibid.

TITULUS XV.

Notæ Historicæ circa Concilia Generalia invicem collata, in quibus eorum præcipua discrimina & similitudines exhibentur, necnon asseritur æquitas Regularum & usuum Galliæ. 73

PARS PRIMA.

Sectio I. ibid.
Sectio II. *Prima* Observatio *generalis circa Concilia Generalia in se ipsis seu in genere considerata.* ibid.
Sectio III. *Secunda* Observatio *generalis.* 74
Sectio IV. *Tertia* Observatio *generalis.* 75
Sectio V. *Postremæ* Observationes *generales.* ibid.
Notæ Historicæ circa Concilia figillatim considerata. 76

PARS SECUNDA.

Sectio I. *Notæ circa nomen.* ibid.
Sectio II. *Notæ Historicæ circa convocationem & translationem Conciliorum Generalium.* 77
Sectio III. *Notæ Historicæ circa causas Convocationis Conciliorum Generalium.* 79
Sectio IV. *Notæ circa locum in quo Concilia Generalia celebrata sunt.* 84
Sectio V. *Notæ Historicæ circa tempus celebrationis Conciliorum Generalium.* 86
Sectio VI. *Notæ Historicæ circa Præsidentiam.* ibid.
Sectio VII. *Notæ circa* Assistentiam per Legatos *in Conciliis Generalibus.* 89
Sectio VIII. *Notæ Historicæ circa modum sententiam dicendi, in Conciliis Generalibus.* 91
Sectio IX. *Notæ Historicæ circa Definitiones factas à Conciliis Generalibus, in rebus Fidei aut Morum.* 92
Sectio X. *Statuta Disciplinæ à Conciliis Generalibus condita.* 96
Sectio XI. *Notæ Historicæ circa Acta Conciliorum Generalium.* 98
Sectio XII. *Notæ Historicæ circa subscriptiones Conciliorum Generalium.* 99
Sectio XIII. *Notæ Historicæ circa confirmationem Conciliorum Generalium.* 100
Sectio XIV. *Notæ Historicæ circa Acceptationem Conciliorum Generalium ab Episcopis, qui eis non adfuerunt.* 103
Sectio XV. *Notæ Historicæ circa sumptus necessarios ad celebrationem Conciliorum Generalium.* 105
Sectio XVI. *Notæ Historicæ circa Conciliorum Generalium* Numerum, *quæ prout talia à Gallis habentur.* 106
Sectio XVII. *Accommodatio Notarum Superiorum ad Sententias atque usus Gallicanos.* 107
Appendix circa præcedentes Notas. 107
Sectio I. *Confirmatio Sententiarum* D. DE MARCA, *circa Libertates Ecclesiæ Gallicanæ iniquè impugnatarum.* ib.
Sectio II. *Discussio & Refutatio Autoritatum & Rationum à* FAGNANO *adductarum, quibus probare, nititur,* Leges Ecclesiasticas ligare ante illarum acceptationem. 108

TITULUS XVI.

Peculiaria notanda in Conciliis AFRICANIS circa Convocationem, Locum, Tempus Celebrationis, Qualitatem, Numerum, Præsidentiam, Formam Canonum, sumptus Itineris & Mansionis, Pœnas Absentium, Autoritatem Secundi Ordinis. 112

TITULUS XVII.

Rationes pro & contrà, circa Suppositionem Concilii CARTHAGINENSIS celebrati anno 398. 114

TITULUS XVIII.

De SECUNDI ORDINIS in Synodo Diœcesanâ Autoritate. 116. & 117
Cap. I. *Præjudicium Generale in gratiam Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo Autoritatis.* 117
Cap. II. *Alia generalis probatio Secundi Ordinis, in Diœcesanâ Synodo, Autoritatis, deducta ex plerorumque Ecclesiæ Sæculorum praxi universâ.* ibid.
Cap. III. *Alia probatio in gratiam Autoritatis Secundi Ordinis, in Diœcesanâ Synodo, ex hujusce Synodi origine deprompta.* 118
Cap. IV. *Probationes Autoritatis Secundi Ordinis in Diœcesanis Synodis, depromptæ ex convenientiâ Synodorum Diœcesanarum cum Conciliis Provincialibus, sigillatim expensæ. Canones Conciliorum aut Statutorum Synodorum, qui Synodo Diœcesanæ nomen tribuunt Concilii. Quid indè inferri potest?* 119
Cap. V. *Probationes Autoritatis Secundi Ordinis in Synodo Diœcesanâ, desumptæ ex eo, quod prærogativa Conciliorum, quæ consistit in Spiritûs Sancti, aut* JESU CHRISTI *auxilio, Diœcesanæ Synodo tribuatur.* 120
Cap. VI. *Probationes Autoritatis Secundi Ordinis in Synodo Diœcesanâ, depromptæ ex Canonibus, Statutis, & aliis testimoniis, quæ ostendunt olim duas Synodos quotannis habitas fuisse.* ibid.

Cap. VII. *Autoritatis Secundi Ordinis, in Diœcesanâ Synodo Probationes, desumptæ ex Testimoniis, quæ significant eos, qui tenebantur convenire ad Synodum Diœcesanam per Procuratorem, quandò legitimè impediebantur, interesse debere.* 122
Cap. VIII. *Probationes Autoritatis Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo, deprompta ex Canonibus, vel Statutis fidem facientibus de pœnis inflictis, iis, qui Synodo interesse negligunt, absque legitimo impedimento.* 123
Pœnæ Generales & indeterminatæ. Pœnæ Particulares. Suspensio. Excommunicatio. Beneficiorum Privatio. 124
Pœna Pecuniaria. Quibus hujus Pœnæ tribuenda sit pecunia. 125
Cap. IX. *Probationes Autoritatis Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo, desumptæ ex provocationibus ad Synodos Diœcesanas delatis.* ibid.
Cap. X. *Probationes Autoritatis Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo, depromptæ ex Canonibus, qui astruunt, in Synodo Diœcesanâ de Litibus, tùm Capitalibus, tùm Civilibus, ad eam delatis judicari.* 126
Cap. XI. *Probationes Autoritatis Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo, desumptæ ex Canonibus, vel Statutis Synodalibus, quæ prohibent, ne quis è Synodo discedat sine licentiâ.* 127
Cap. XII. *Probationes Autoritatis Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo, depromptæ ex Canonibus & Statutis Synodalibus, quæ astruunt, Diœcesanam Synodum aliquam partem habuisse in Statutis, Præscriptionibus, Decretis, quæ Synodalia vocata sunt.* 128
Cap. XIII. *Probationes Autoritatis Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo, desumptæ ex testimoniis, quæ ostendunt, Synodum Diœcesanam per plures dies continuari non secus ac Concilia Provincialia.* 129
Cap. XIV. *Probationes Autoritatis Secundi Ordinis in Diœcesanis Synodis, aliundè desumptæ, quàm ex convenientiâ harum Synodorum cum Conciliis Provincialibus; aut potiùs Canones & Statuta Synodalia, quæ clarè sive generatim, sive sigillatim, de illa Autoritate loquuntur.* 130
Cap. XV. *Nova Monumenta Autoritatis Secundi Ordinis in Synodo Diœcesanâ, desumpta ex Actibus Jurisdictionis, qui fieri debent cum suâ approbatione.* 132
Cap. XVI. *Monumenta Autoritatis Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo, ex Canonibus aut Statutis Synodalibus deprompta, spectantibus Examinatores eligendos in Diœcesanâ Synodo, & à Synodo approbandos.* ibid.
Cap. XVII. *Monumenta Autoritatis Secundi Ordinis in Synodis Diœcesanis, desumpta ex Canonibus, qui Synodo tribuunt Synodalium testium electionem.* 135
Cap. XVIII. *Testimonia in gratiam Autoritatis Secundi Ordinis in Synodis Diœcesanis, desumpta è Canonibus, qui spectant judices à Synodo electos, ut legentur à Sanctâ Sede.* ibid.
Cap. XIX. *Canones qui tribuunt Synodo Diœcesanæ electionem Examinatorum, testium Synodalium, judicum à Sanctâ Sede delegandorum, statuunt aliis rationibus gravioribus hac in Synodo Secundi Ordin. Autorit.* 134
Cap. XX. *Monumenta Autoritatis Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo, desumpta ex Canonibus, qui præscribunt ea quæ non potest Episcopus statuere sine consensu aut consilio sui Capituli.* 135
Cap. XXI. *Tot sunt adhuc testimonia Autoritatis Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo, quot sunt Celebrationis Monumenta Synodorum Diœcesanarum ad materiam Conciliorum Provincialium præparandam.* 136
Cap. XXII. *Objectiones contra Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo Autoritatem.* ibid.
Objectio I. *Desumitur ex testimoniis, quæ, cum indicant à quo facta sunt Statuta Synodalia, solius Episcopi mentionem faciunt.* ibid.
Objectio II. *Eruitur è Statutis Synodalibus, quæ videntur innuere, ea jam facta, ad Synodum lata fuisse; eaque duntaxat in Synodo fuisse lecta, & promulgata.* 137
Objectio III. *Desumpta ex eo, quòd Canones, qui mentionem faciunt de fine convocationis Synodorum, pronuntient eam fieri debere ad instruendos eos, qui Synodo intersunt, eosque ad pietatem informandos.* ibid.
Objectio IV. & V. *Desumptæ ex non usu, aut Abrogatione Canonum, qui asserunt Autoritatem Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo, & ex præscriptione Episcoporum adversus Secundum Ordinem.* 138
Objectio VI. *Contra Autoritatem Secundi Ordinis in Synodo Diœcesanâ, quoad statuta, quæ in ea fiunt.* 139

TITULUS XIX.

Forma Administrationis Diœcesanæ, seu modus in eis Jurisdictionem exercendi; & quænam sunt facultates, quas Ecclesia Episcopis tribuit. 140
Traditio *quæ Diœceseon Administrationem nec esse, nec futuram fuisse merè Monarchicam demonstrat.* 142

TITULUS XX.

Varia Opuscula *Concilii* TRIDENTINI Executionem, Publicationem, Apologiam, Interpretationem, modum tractandi Doctrinam, Decretorum Conciliationem, pluriumque de illis dubiorum Resolutionem contingentia. 146

SECTIO I.

Cap. I. *Excerpta è Conciliis Galliæ Concilio Tridentino posterioribus, circa executionem Decretorum illius.* ib.
Cap. II. *Concilium Rhemense.* ibid.
Cap. III. *Concilium Rothomagense.* 147
Cap. IV. *Concilium II. Rhemense.* ibid.
Cap. V. *Concilium Burdigalense.* 148
Cap. VI. *Concilium Turonense.* 149
Cap. VII. *Concilium Bituricense 1584.* ibid.
Cap. VIII. *Concilium Aquense.* 150
Cap. IX. *Concilium Tolosanum.* 151
Cap. X. *Concilium Narbonense 1609.* 152
Cap. XI. *Concilium Bundigalense 1624.* 153
Cap. XII. *Animadversiones circa excerpta collecta.* ibid.
Cap. XIII. *Solutio difficultatis cujusdam gravioris petitæ ex Synodi Aquensis excerpto, circa Obligationem servandi Decreta Conciliorum Generalium nondum juridicè in partibus promulgatorum.* 154
Cap. XIV. *Peculiaria notabilia circa publicationem Concilii Tridentini in Galliâ, excerpta è Conciliis ibi, ad procurandam Decretorum ejus executionem, habitis.* ibid.
Cap. XV. *Concilium Rhemense anno 1564.* 155
Cap. XVI. *Concilium Rothomagense anno 1581.* ibid.
Cap. XVII. *Concilium Rhemense anno 1583.* 156
Cap. XVIII. *Concilium Turonense anno 1583.* ibid.
Cap. XIX. *Concilium Aquense anno 1585.* 157
Cap. XX. *Cur Concilia Rhemense ann. 1564. Burdigalensia 1583. & 1624. Tolosanum 1590. & Narbonense 1609' nihil dicant de solemni Publicatione Tridentini in Galliâ universâ.* ibid.

SECTIO II.

Propositiones quinque discutiendæ circa Criminationes contra Concilium Tridentinum factas. ibid.
Propositio I. *An clausula* salva semper in omnibus Sedis Apostolicæ Autoritate, *quæ legitur in fine Præfationis* SESS. VII. de Reform. *& clausula*, salva semper Sedis Apostolicæ Autoritas sit, & esse intelligatur, *quæ legitur* Cap. XXI. SESS. XXI. de Reform. *Concilium omnia Decreta sua circa Disciplinam mero Pontificis arbitrio submiserit & dimiserit.* ib.
Propositio II. *Circa Criminationes contra Concilium Trident. factas. An clausula, proponentibus Legatis, diminuat autoritatem Decretorum Conc. Tridentini?* 159
Propositio III. *Discutienda circa Criminationes contra Concilium Tridentinum factas. An qualitas Delegati Sedis Apostolicæ, quam Concilium toties Episcopis attribuit, ipsis injuriosa sit?* 160
Propositio IV. *Discutienda circa Criminationes &c.* 161
Propositio V. *Circa Criminationes &c. An Concilium hoc ex merâ politicâ abstinuerit à definiendis Quæstionibus. Utrum Episcopi ex Divina Institutione sint? An ex eadem Institutione Presbyteris Superiores sint? An Lege Divinâ teneantur ad* Residentiam? 162

SECTIO III.

Solutio aliquot difficultatum Cap. I. SESS. XXII. de Reform. *circa vitam & mores Clericorum.* 164
Difficultas I. *An Concilium renovaverit Canones non solùm malè observatos, sed etiam abrogatos.* ibid.
Difficultas II. *An inter Concilia, quorum Canones innovat Tridentinum complectatur Concilia Particularia, perinde ac Generalia? Quidnam intelligat per Can.*

Can. de Cultu, *& Canones* de retinendâ Doctrinâ. 165
Difficultas III. *An his verbis*, quibuscumque Criminibus, *his connexis, Choreis, Lusibus, Concilium annumeraverit Choreas, & Lusum, Criminibus, quæ Ecclesiasticis Personis interdicta sunt.* ibid.
Difficultas IV. *Quænam sunt negotia Sæcularia Clericis interdicta per Canones in laudato Capite* innovatos. *ib.*
Difficultas V. *Quomodo intelligenda sunt hæc verba:* Eadem iisdem pœnis, vel majoribus, Arbitrio Ordinarii imponendis observetur. 166
Sectio IV. *Novitates è Concilio Tridentino, circa Conciliorum Generalium Celebrationem, introductæ, atque earumdem causæ.* 167
Sectio V. *Quæstiones discutiendæ circa Concilia, Decreta & Constitutiones Canonicas in Constitutionibus Regiis laudatas.* 170
Sectio VI. *Quare Episcopi Italici impedierint, ne Concilium Tridentinum definiret Residentiam Episcoporum esse Juris Divini.* 172
Sectio VII. *An æquale sit, seu indifferens Decreta Conciliorum concipi eorum nomine, vel nomine Præsidentis, expressam mentionem faciendo consensûs Episcoporum qui cum Præsidente congregati sunt.* ibid.
Sectio VIII. *An post Concilium Tridentinum reperiantur Concilia Particularia, quorum Decreta confecta sint sub Archiepiscopi nomine, cum Suffraganeorum consilio & consensu; & quænam illa sint.* 173
Sectio IX. *Utilitas, quam Gallia, respectivè ad Curiam Romanam, traxit nolendo publicare Concil. Trid.* 174
Sectio X. *Momenta Precum frequentium Pontificum, ut Concilium Tridentinum in Galliâ publicaretur.* ibid.
Sectio XI. *An Principes aliquam partem habuerint in Conciliis Provincialibus post Tridentinum habitis, ad procurandam executionem Decretorum ipsius; & posito quòd aliquam habuerint, an indè elici possit aliquid illi Concilio favorabile.* ibid.
Sectio XII. *Conciliatio* Capitum VI. & VII. Sess. XXV. *de Regul.* circa Electiones Abbatissarum per Suffragia secreta. 176
Sectio XIII. *An Decretum Concilii Tridentini circa Matrimonium Filiorum-familias ad Doctrinam pertineat, an ad Disciplinam?* 177
Sectio XIV. *De Concilio Tridentino comprehendens cæteras Quæstiones.* ibid.
Quæst. I. *An Concilium Tridentinum faverit sententiæ tuenti, Papam esse Superiorem Concilio Generali.* ibid.
Cap. II. *An Constitutionibus Galliæ noceant, qui dicunt, magnam partem Decretorum Concilii Tridentini in eâ acceptam esse usu, quæ nullis tamen auctorata sunt Ordinationibus?* 179
Cap. III. *An dignitas Capitis Ecclesiæ Universalis det Papæ aliquam Jurisdictionem in omnem Ecclesiam?* 180
Cap. IV. *An cum* Pius IV. *vetuit, ne interpretaretur Concilium Tridentinum sine licentiâ Sanctæ Sedis, locutus fuerit solùm de interpretatione Hominis, & non interpretatione Juris.* ibid.
Cap. V. *Difficultates propositæ in hæc verba Articuli IV. Ordinationis Blesensis*, id omne sub pœnis *per Concilia latis, &c.* 181
1. *De quibusnam Conciliis agatur?* 2. *De quibus pœnis?* 3. *Qui fructus inde percipi possit quoad Praxim?* ibid.
Sectio XV. *Observationes circa nondum à Concilio Tridentino servatum in tractandis iis, quæ ad Doctrinam spectant.* 182

TITULUS XXI.

Axiomata Generalia circa Concilium Tridentinum è Fagnano excerpta, cum necessar iis, sive ad illorum confirmationem, sive ad confutationem Observationibus. 184

TITULUS XXII.

Discussio Interpretationum Fagnani circa Decreta Concilii Tridentini laudata in *Indice* littera T. sub hoc titulo: *Concilium Tridentinum*, ubi Sessionum ordo servatur. 186
Cap. I. *Cap.* 13. *de ætate & qualitate*, *Capita* 4. *&* 5. *de tempore Ordinationis.* ibid.
Cap. II. *Cap.* 2. *de Clericis pugnantibus.* ibid.
Cap. III. *Caput* 27. *de Electione.* 187
Cap. IV. *Caput* 1. *de Simoniâ.* ibid.
Cap. V. *Cap.* 2. 4. 16. *de Præb.* 188
Cap. VI. *Cap.* 3. *de Clericis non residentibus.* 189
Cap. VII. *Capita* 25. *&* 30. *de Privilegiis.* 190
Cap. VIII. *Capita* 3. 4. *de Religiosis Domibus.* ibid.
Cap. IX. *Cap.* 9. 11. 12. *de Clericis non residentibus. Cap.* 3. *De Sepulturis.* 191
Cap. X. *Caput* 11. *De Parochis non residentibus.* 192
Cap. XI. *Caput* 3. *de Sepulturis.* 193
Cap. XII. *Caput* 9. *de consecrandis Ecclesiis.* ibid.
Cap. XIII. *Caput* 16. *De Officiis Judicis ordinarii.* 194
Cap. XIV. *Cap.* 15. *de temporibus Ordinationum. Cap.* 2. *de Clericis pugnantibus.* ibid.
Cap. XV. *Capita* 16. 18. 24. *de Privilegiis.* 195
Cap. XVI. *Caput* 16. *de Privilegiis Capellanorum.* ibid.
Cap. XVII. *Caput* 18. *de Exemptionibus.* 196
Cap. XVIII. *Cap.* 24. *de Privilegiis Oblatorum.* ibid.
Cap. XIX. *Cap.* 18. *de Præbendis.* 197
Cap. XX. *Cap.* 1. *de Pœnitentiâ & Remissione.* 198
Cap. XXI. *Cap.* 14. *de ætate & qualitate præficiendorum.* ib.
Cap. XXII. *Cap.* 37. *de Electione.* 199
Cap. XXIII. *Cap.* 4. *de ætate & qualitate eligendorum.* ib.
Cap. XXIV. *Caput* 4. *de Rescriptis.* 200
Cap. XXV. *Caput* 27. *de Jure Patronatûs.* ibid.
Cap. XXVI. *Caput* 2. *Ne Sede vacante.* ibid.
Cap. XXVII. *Caput* 46. *de Simoniacis.* ibid.
Cap. XXVIII. *Caput* 42. *de Electionibus.* 201
Cap. XXIX. *Cap.* 18. *de Præscriptionibus.* ibid.
Cap. XXX. *Caput* 3. *de Successionibus ab intestato.* 202
Cap. XXXI. *Cap.* 12. *de Regularibus.* ibid.
Cap. XXXII. *Cap.* 15. *de Renunciationibus.* ibid.
Cap. XXXIII. *Cap.* 12. *de Judiciis.* ibid.
Cap. XXXIV. *Cap.* 3. *de Pœnis. Cap.* 48. *de Sententiis Excommunicat. Cap.* 14. *de Officiis Judicis delegati.* 203
Cap. XXXV. *Cap.* 2. *de concedendis Præbendis.* 204
Cap. XXXVI. *Cap.* 10. *de Cohabitatione Clericorum & Mulierum.* 205
Cap. XXXVII. *Cap.* 5. *&* 11. *de Filiis Presbyteror.* ibid.

TITULUS XXIII.

Quænam sit Autoritas Decretorum sive Declarationum, quas Cardinalium Congregationes ferunt; vimne Legis habent? Quot sunt ejusmodi Congregationes? In quo conveniunt invicem, aut discrepant. 206

TITULUS XXIV.

Comparatio Collectionum Juris Antiquarum cum Collectionibus contentis in Corpore Juris, & istarum inter se. 210
Cap. I. *Collectionis* Gratiani *quæ vocatur* Concordia Canonum Discordantium, *cum cæteris Collectionibus Corporis Juris*, Collatio, *in quâ illius cum his similitudo ac dissimilitudo observatur.* ibid.
Sectio I. *Discrimen I. ab Autoritate sumptum.* ibid.
Sectio II. *Discrimen II à formâ Collect. desumptum.* 212
Sectio III. *Discrimen à materiâ Collect. desumptum.* 213
Sectio IV. *Discrimen à vitiis Collectionum inter se collatarum desumptum.* 215
Artic. I. *Errores & mendæ Primæ Partis.* ibid.
Artic. II. *Errores & nævi Secundæ Partis.* 218
Artic. III. *Errores seu menda in Collectionibus* Gratiano *posterioribus occurentia.* 224
Sectio V. *Similitudines insigniores Collectionis* Gratiani *cum Collectionibus posterioribus.* 231
Sectio VI. *Observationes in Glossas.* ibid.
Cap. II. *Collatio Collectionum Corporis Juris Canonici cùm Collectionibus anterioribus, tàm Orientalibus, quàm Occidentalibus.* 234
Cap. III. *Observationes in præcipuas Collectiones Græcorum seorsim sumptas.* 236
Cap. IV. *Observationes in Collectiones Latinas Corporis Juris Collectionibus anteriores, speciatim consideratas & cum his collatas.* 238
Sectio I. *Collectio* Martini Bracarensis *cum Decreto collata.* 239
Sectio II. *Collectiones* Isidori, *Capitularium &* Hadriani *cum Decreto* Gratiani *collatæ.* 240
Sectio III. *Observationes in Collectionem* Reginonis *collatam cum Decreto.* 141

Sectio IV. *Observationes in Collectionem* BURCHARDI *collatam cum Decreto cæterisque Collectionibus Corporis Juris.* 242
Sectio V. *Observationes in Collectionem* IVONIS Carnotensis *collatam cum Collectionibus Corporis Juris.* 243
Cap. V. *Collatio Corporis Juris Occidentalis, cum Corpore Juris Ecclesiæ Orientalis.* 245
Cap. VI. *Observationes circa autorisationem seu confirmationem Collectionum Epistolarum Decretalium Pontificum tàm præcedentium, quàm subsequentium* GREGORIANAM, *ubi plura de utilitate, imo necessitate legendi antiquiores Collectiones, quoad ea, quæ resecta vel omissa à* GREGORIO IX. 248
Cap. VII. *Observationes circa Rubricas Juris Canon.* 254
Observationes in Summas Textuum Juris Canonici. 255
Cap. VIII. *Observationes in Collectionem Septimi Decretalium ad calcem Extravagantium Communium Editioni Lugduni anni 1661. infertam, & maximè in Concilia, quorum Decreta in ea continentur.* 256
Cap. IX. *Observationes circa Epistolas aliave Acta falsò Pontificibus quatuor priorum Sæculorum adscripta, & nonnullas posteriorum Sæculorum usque ad Sæculum IX. inclusivè.* 257
Sectio I. *De falsis Decretal. in Corpore Juris laudatis.* ib.
Sectio II. *De falsis Concil. in corpore Juris numeratis.* 261
Sectio III. *Observationes circa effatum celeberrimum in corpore Juris pluries numeratum, hisque verbis, aliisve similibus, ut plurimùm conceptum:* Episcopi in partem sollicitudinis, vocati sunt, solus Papa in plenitudinem potestatis; *illiusque originem.* ibid.
Cap. X. *An Decisiones Rotæ sint pars Juris Canonici, ubi occasione accepta, colligitur quod circa celeberrimum illud Tribunal scire debet.* 262

TITULUS XXV.

Observationes circa Opera facta ad progressum in studio Juris Canonici, sive speculativo, sive Practico, faciliorem præstandum, ubi specialiter discutiuntur ea, quæ Jus illud in Regulas distributum continent. 265
Caput Unicum. *Ubi confertur Methodus* VIGELIANA, *cum Opere, quod in lucem damus.* ibid.
Argumentum, Titulus & Præfatio Operis ad nostrum magis accedentis. ibid.
Observationes circa Divisionem Operis. 266
Observationes in Librum I. in quo de Jure ac Legibus in genere disseritur. 268
Observationes in Cap. II. *quod Exceptiones continet contra Leges.* 269
Observationes in Cap. III. *&* IV. *continentia omnes Juris species in quibus distinguitur id, quod vim Legis obtinet, ab iis, quæ illa carent.* ibid.
Observationes in Cap. V. *De Magistratibus, eorum Ordinatione, Obligationibus, Functionibus, Juris, & maximè Jurisdictione.* 270
Observationes in Cap. VI. *in quo agitur de Judiciis Publicis & de Rebus quibuscumque ad ea tàm generatim, quàm speciatim pertinentibus.* 271
Observationes in Cap. VII. *agens de Pœnis.* ibid.
Observationes Generales in Cap. VIII. *&* IX. *quæ agunt de Censuris.* 272
Observ. speciales in Cap. VIII. *de Excommunicatione.* ib.
Observationes in Cap. IX. *circa Interdictum.* 274
Observationes in publica Judicia, de quibus Cap. X. *disseritur.* ibid.
Observationes in Cap. XI. *&* XII. *quorum illud de Pœdis Delictorum in Accusatione admissorum, hic de Sententiæ executione agit.* ibid.
Observationes in Cap. XIII. *ubi agitur de Remissione Pœnarum, causis ejus, & consecutionibus.* 275
Observationes in Cap. XIV. *de Remediis Accusationi subsidiariis.* 276
Observationes in Cap. XV. *de Judiciis Publicis speciatim sumptis.* 277
Læsæ Majestatis. Vis publica, aut privata. ibid.
Raptus Mulierum. Homicidium. ibid. *Plagium.* 278
Adulterium & Stuprum. Falsum. ibid. *Magia.* 279
Observationes in Cap. XVI. *de Simonia.* ibid.
Observationes in Cap. XVII. *de Hæresi generatim considerata.* 280
Observat. in Cap. XVIII. *de Hæresi speciatim sumptâ.* 281
Quæst. I. *De Judæis & Saracenis.* ibid
Quæst. II. *De Paganis.* ibid.
Quæstiones III. IV. V. *De Manichæis, Apostatis & Beguardis.* ibid.
Observationes in Cap. XIX. *De Usurâ.* ibid.
Quæst. IV. *De Pœnis Usuræ.* 282
Liber II. Methodi VIGELIANÆ *Juris Canonici*, De Judiciis Privatis *inscriptus.* ibid.
Observationes in Divisionem hujus Libri. ibid.
Observationes in Cap. I. *generalem Descriptionem Judicorum continens.* ibid.
Quæst. III. *Circa tempus in quo judiciis vacandum est.* 283
Quæst. IV. *Circa durationem judiciorum.* ibid.
Observationes in Cap. II. *de Judice* Quæst. II. *de dando Judice, & Foro competenti.* ibid.
Quæst III. *De Officiis Judicum.* 284
Observationes in Cap. III. *De Avocatis.* ibid.
Observationes in Cap. XIV. *De Procuratoribus.* ibid.
Quæst. II. *De Revocatione Procuratoris & Resumptione negotii per se, aut per alium gerendi.* 285
Quæst. III. *De Potestate atque Officio Procuratoris.* ib.
Quæst. IV. *&* V. *De Obligationibus respectivis ex procuratione nascentibus inter constituentem & constitutum.* ib.
Observat. in Cap. V. *circa Actorem, Reum & rem litig.* ib.
Observ. in Cap. VI. *De citatione & consequentiis ipsius.* 286
Quæst. I. *De præcedentibus citationem.* ibid.
Quæst. II. *De modo citationis faciendæ.* ibid.
Quæst. III. *De effectibus, & de Edicto peremptorio.* ibid.
Observat. in Cap. VII. *De Libelli Oblatione, & de Editione instrumentorum.* ibid.
Observ. in Cap. VIII. *De Dilationibus.* ibid.
Observ. in Cap. IX. *De Exceptionibus Dilatoriis.* 287
Quæst. III. *Exceptio Excommunicationis.* ibid.
Quæst. IV. *Exceptio Spoliationis.* ibid.
Quæst. V. *Exceptio petita à satisdatione.* 288
Observ. in Cap. X. *De Reconventione.* ibid.
Observ. in Cap. XI. *circa contestationem Litis & Juramentum calumniæ.* ibid.
Observ. in Cap. XII. *De Probationibus.* 289
Observ. in Cap. XIII. *De Probatione per instrumenta.* 290
Observ. in Cap. XIV. *circa Probationem per testes.* 291
Observ. circa Cap. XV. *De Confessione Judiciaria.* 292
Observ. in Cap. XVI. *De Jurejurando.* ibid.
Observ. in Cap. XVII. *De ordine cognitionum, aliisque Officiis Judicis.* 293
Observ. in Cap. XIII. *De Appell.* 294
Quæst. III. Quis habeat jus provocandi. 295
Quæst. IV. *Ad quem sit provocandum.* ibid.
Quæst. V. *De tempore, intra quod appellandum est, ejusque duratione.* ibid.
Quæst. VI. *Modus & Forma Appellationis.* ibid.
Quæst. VII. *Officia appellantis consectariæ Appellat.* ibid.
Quæst. VIII. *Remedia Appellationis subsidiaria.* 296
Cap. XIX. *De Sententiâ & de Re Judicatâ.* 297
Observ. in Cap. XX. *circa Executionem Rei judicatæ, impensas Litis, Salaria Judicum atque Ministrorum.* &c. 298
Observ. in reliquum Cap. XX. *circa Missionem in Possessionem ad conservationem Rei litigiosæ.* 299
Observ. in Cap. XXI. *circa Compromissum.* ibid.
Observ. in Cap. XXII. *circa Transactiones.* 300
Methodi VIGELIANÆ *Juris Canonici Liber III. De Re Ecclesiastica, & primò de Ecclesiis generatim.* ibid.
Observ. in Divisionem. ibid.
Observ. in Cap. I. *circa Ecclesias generatim.* ibid.
Observ. in Cap. II. *De Ecclesiâ vacante.* ibid.
Observ. in Cap. III. *De Clericis & Monachis generatim spectatis & in* Cap. VI. *de illorum Ordinatione.* 301
Quæst. IV. *&* V. *circa locum & tempus Ordinationis.* 302
Quæst. VI. *De Rebus Ordinationem præcedentibus.* ibid.
Quæst. VII. VIII. *Modus Ordinationis faciendæ, adjuncta, eventus & consectaria ipsius.* ibid.

Obser

Officia & Munera Clericorum, quibus non fungendo, Clericatum amittunt. ibid.
Observationes in Cap. VI. *Circa Privilegia, & Bona Clericorum & Monachorum.* 304
Observationes in Cap. VII. *circa Beneficia quæ omnia comprehenduntur hîc sub verbis Præbendarum, & Dignitatum.* 305
Cui Beneficia conferenda sint? ibid.
Ad quem pertineat Jus conferendi. 306
Quid conferendum sit? 307
Quantum, quando conferendum: Antecedentia Collationem. 308
Consectaria Collationis, & de Actionibus Beneficiariis. ibid.
Cui competat Actio Beneficiaria? ibid.
De Judice Actionis Beneficiariæ, Adjunctis ejus & Consectariis. ibid.
De amittendis Præbendis & Dignitatibus. ibid.
Causæ amissionis Beneficiorum. ibid.
Ad quem pertineat Jus auferendi Beneficia? 309
Quid & quantum amittatur. ibid.
Antecedentia Amissionem seu Privationem Beneficiorum, ejusque Consectaria. ibid.
PARS TERTIA *de Reliquo jure Præbendarum.* ibid.
Observationes in Cap. VIII. *circa Episcopos, atque alios Prælatos.* 310
Dignitas Episcoporum. ibid.
De Gradibus Dignitatis Episcopalis. ibid.
Quæst. VII. *De loco Episcopatûs.* ibid.
Quæst. VIII. *Officia Episcoporum.* ibid.
Quæst. IX. *Circa Officium & Jus Prælati Superioris supplendæ negligentiæ Prælatorum Inferiorum.* 311
Quæst. X. *Circa Potestatem, Bona & Privilegia Episcoporum & aliorum Prælatorum.* ibid.
Observationes in Cap. IX. *circa Jurisdictionem Prælatorum.* ibid.
PARS PRIMA, *De viis per quas acquiritur Jurisdictio.* ibid.
Observationes in Cap. X. *de Electione Prælatorum.* 312
Quæst. VIII. *Eventus & Consectaria Electionis.* 314
Observationes in Cap. XI. *de Prælatis, aliisque Personis Ecclesiasticis.* 315
Quæst. X. *De Corepiscopis.* 317
Quæst. XI. *Archidiaconi.* ibid.
Quæst. XII. *Archipresbyteri.* ibid.
Quæst. XIII. *Presbyteri.* 318
Quæst. XIV. *Curati, seu Parochi.* ibid.
Quæst. XV. XVI. *Diaconi, Subdiaconi.* 319
Quæst. à XVII. ad XXV. *Acolyti, Exorcistæ, Lectores, Psalmistæ, Primicerius, Thesaurarius, Sacrista, Custos, Ostiarius.* ibid.
Quæst. XXVI. *De Vicario & Officiali.* ibid.
Quæst. XXXVI. *Circa Fœminas Ecclesiasticas & Moniales,* XXXVII. *Abbatissam.* XXXVIII. *Diaconissam.* 320
Observationes in Cap. XII. *de Bonis Ecclesiæ in genere.* ibid.
Observationes in Cap. XIII. *De Decimis, Primitiis, Oblationibus.* 321
Primitiæ. 322
Oblationes. ibid.
Observationes in Cap. XIV. *De Jure Patronatûs.* 323
Quæst. III. *Jura Patronorum.* ibid.
Observationes in Cap. XV. *De Rebus aut Bonis Ecclesiasticis Corporalibus speciatim consideratis.* 324
Quæst. I. *De ædificandis Ecclesiis.* ibid.
Quæst II. III. IV. V. VI. *De Oratoriis privatis, de Altaribus, de Sacristiâ, Campanis, & Imaginibus Sanctorum.* ibid.
Quæst. VII. VIII. IX. *De Sacramentis, Aquâ Benedictâ, & Reliquiis, Sanctorum.* ibid.
Quæst. X. XI. *De Vasis & Vestimentis Ecclesiæ, & de Lignis Ecclesiæ destructæ, vel ad Ecclesiam dicatis.* ibid.
Methodi VIGELIANÆ *Juris Canonici Liber IV. de Actibus Ecclesiasticis.* ibid.
Observationes in Cap. I. *de Fide, de Doctrinâ Christianâ, de Concionibus & Precibus.* ibid.
De Concionibus. 326
De Oratione, seu Precibus. ibid.
Observationes in Cap. II. *De Officiis & Mysteriis Sacris.* ibid.
Observationes circa Cap. III. *De Sacramentis in genere, & speciatim Eucharistia, Baptismo, Confirmatione.* 328
Quæst. IV. *Quid, & quantum offerendum, & sumendum.* 329
Quæst. V. *Expositio Eucharistiæ & verborum ejus.* ib.
Quæst. VI. *Modus offerendi, & accipiendi Eucharistiam; Antecedentia & adjuncta.* ibid.
Quæst. VII. *Quando & quoties offerendum, & sumendum sit.* ibid.
Quæst. VIII. *Consectaria Ecclesiastica.* ibid.
De Baptismo. ibid.
De Confirmatione & Sancto Chrismate. 330
Observationes in Cap. IV. *De Consecrationibus & Benedictionibus.* 331
Observationes in Cap. V. *De Pœnitentia.* 332
Observationes in Cap. VI. *De Peccatis quæ sunt materia Pœnitentiæ.* 334
Quæstio VIII. *Correctio seu Punitio Peccatorum.* 335
Observationes in Cap. VII. *De Eleemosynâ, Jejunio & Martyrio.* ibid.
Observationes in Cap. VIII. *De Feriis & Festivitatibus.* 336
Observationes in Cap. IX. *De Sepulturis.* ibid.
Observationes in Cap. X. *De Voto & Jurejurando.* 337
Observationes in Cap. XI. *De Sponsalibus, quo verbo significantur Affidatio, vel Desponsatio, quæ inter Christianos nihil aliud est, quam Celebratio Matrimonii.* ibid.
Observationes in Cap. XII. *De Nuptiis, seu de Matrimonio.* 338
Observationes in Cap. XIII. & XIV. *De Impedimentis Matrimonii sub nomine Exceptionum adversus Matrimonium, sumptarum ex persona contrahentium.* 339
Observationes in Cap. XVI. *De Jure Matrimonii contracti, quamdiù constat.* 340
Observationes in Cap. XVII. *De Actione in adhæsionem.* ibid.
Observationes in Cap. XVIII. *De Matrimonii dissolutione.* 341
Observationes in Cap. XIX. *De Actione ad Dissolutionem Matrimonii, ejusque Accusatione.* 342
Observationes in Cap. XX. *De Jure Matrimonii dissoluti.* ibid.
Observationes in Cap. XXI. *De Secundis Nuptiis.* 343
Observationes in Cap. XXII. *De Concubinis.* ibid.
Observationes in Cap. XXIII. *De Conciliis.* ibid.
Observationes in Cap. XXIV. *De Visitationibus.* 344
Methodi VIGELIANÆ *Liber V. De reliquo Jure Pontificio.* 345
Observationes in Cap. I. *De Jure Publico.* ibid.
Observationes in Cap. II. *De Jure Personarum.* 346
Observationes in Cap. III. *De Jure Rerum.* 347
Observationes in Cap. IV. *De Censibus.* ibid.
Quæst. II. *Quid, & quantum debeatur?* ibid.
Quæst. III. *Adjuncta Censûs, seu Officia Censum exigentis.* 348
Observationes in Cap. V. *De Causis Juris Lucrativis, & de Conditionibus.* ibid.
Observationes in Cap. VI. *De Obligationibus & Actionibus generatim spectatis.* 350
Observationes in Cap. VII. *De Contractibus & quasi Contractibus.* 351
Observationes in Cap. VIII. *De Delictis & quasi Delictis.* 352
Observationes in Cap. IX. *De Exceptionibus & Liberationibus.* ibid.
Observationes in Cap. X. *De in integrum Restitutione.* 353
Observationes in Cap. XI. *De Verborum Significatione.* ibid.
Observationes in Cap. Ultimum. *De Regulis Juris.* 354

INDEX

INDEX TITULORUM, SECTIONUM, PARAGRAPHORUM, QUÆSTIONUM & CAPITUM,

Quæ in Parte Posteriori *Prolegomenorum* TOMI PRIMI continentur.

PARS POSTERIOR.

TITULUS I.

Quid sit Jus Canonicum? *p.* 1.
§. I. *In quibus Jus Canonicum cum Jure Civili præcipuè conveniat.* 2
§. II. *In quibus Jus Canonicum à Jure Civili præcipuè differat.* 4
§. III. *Origo præcipuarum differentiarum inter Jus Canonicum & Jus Civile.* 5

TITULUS II.

Quæ sint Juris Canonici Causæ? 7
§. I. *Quæ sit Juris Canonici Causa efficiens.* ibid.
§. II. *Quæ sit Naturalis Causa Juris Canonici.* 8
§. III. *Quæ sit Juris Canonici Causa Formalis.* ibid.
§. IV. *Quæ sit Causa Finalis Juris Canonici.* ibid.
An id (scilicet Juris Canonici finem esse vitam æternam) locum habeat in omnibus Juris Canonici partibus. 9

TITULUS III.

Quæ sunt Juris Canonici Partes? 10

TITULUS IV.

De Fontibus hodierni Juris Canonici. 11

TITULUS V.

Regulæ circa Sanctorum Patrum Scripta, è Jure Canonico collectæ. 12
§. I. *An Canon aliquorum Scripta Doctorum expressè approbet, & quorum?* ibid.
§. II. *An aliquorum Scripta Doctorum confusè tantùm probet Jus Canonicum, & quorum?* ibid.
§. III. *Quam Sanctorum Patrum Scriptis Jus Canonicum Autoritatem tribuat?* 13
§. IV. *An aliquem ex Patribus aliis Jus Canonicum præferat?* ibid.
§. V. *An Summos Pontifices inter SS. Patres Jus Canonicum collocet?* ibid.
§. VI. *An Sanctorum Patrum loca inter Canones relata, vim suam à Canone habeant?* ibid.

TITULUS VI.

De Verborum Juris Canonici Significatione.
§. I. *Quid doceat Jus Canonicum circa Verba in genere sumpta?* 14
§. II. *Quæ Verba, quasque Locutiones Jus Canonicum interpretatur.* ibid.

TITULUS VII.

Observationes circa ipsas Juris Canonici Regulas. 15
Cap. I. *De Communibus Juris Regulis.* Observatio. *Non alia in Jure Canonico leguntur Communes Juris Regulæ, quàm quæ sequuntur.* ibid.
Cap. II. *De particularibus Juris Regulis.* 22
§. I. *Quæ sint Beneficiales Juris Regulæ?* ibid.
§. II. *Quæ sint Judiciales Regulæ?* 24
§. III. *De Moralibus Regulis.* 27
Artic. I. *De Canonicis Morales Quæstiones decidendi Modis.* ibid.
Artic. II. *De Prohibitoriis circa Mores Regulis.* ibid.
Artic. III. *De Permissoriis circa Mores Regulis.* 29
Artic. IV. *De Præceptoriis circa Mores Regulis.* 30
Cap. III. *Quæstiones circa ipsas Juris Canon. Regul.* 32
Cap. IV. *Conciliatio plurimorum Canonum, quorum alii sunt inter Regulas Juris sub hoc Titulo, collectas in fine Collectionis* GREGORII IX. *&* *Collectionis* BONIFACII VIII. *Cæteri verò pro Regulis habentur, cum plurimis Canonibus alterutrius generis, qui illis adversari videntur.* 33
Sectio I. *Utrùm effectus, vulgaris Legis Prohibitivæ sit, irritum facere actum sibi contrarium.* 34
Sectio II. *Utrùm nullus sit Casus, in quo Juris Ignorantia Excusationem afferat, & Ignorantia facti non afferat?* 35
Sectio III. *Utrùm Præsules, qui Jus condendi Leges habent, teneantur observare, atque observari curare Leges suorum Prædecessorum, cùm eas consistere Ecclesiæ utilitas postulat.* 36
Sectio IV. *Quâ Ratione conciliandi sunt Textus, qui Jus Canonicum cum Divino Jure confundunt, atque illi qui utrumque dilucidè secernunt.* 37
Sectio V. *Utrùm sit aliqua species Actûs, qui, cùm nullus esset initio; tractu temporis possit convalescere; vel qui validus initio, per subsequens factum invalidus fiat: Denique utrùm* Cap. XII. De Regular. *probet alterutram Conciliationem ejus Textûs cum* Reg. XVIII. & LXXIII. *De* Reg. Jur. in VI. 38
Sectio VI. *Quare in quibusdam Argumentis illicitum haberi debet, quod expressè non permittitur, & in aliis, licitum videri debet. Quod diserte non interdicitur, & quænam sint illa Argumenta.* 39
Sectio VII. *Quis consensus Textuum, qui dicunt:* Laïcos etiam pios non esse in Ecclesiâ, nisi obediendi, non imperandi gratiâ; eosque nullam accepisse Potestatem in Personas & Bona Ecclesiastica, *cum eis qui docent:* Principibus commissam esse Ecclesiæ curam, cujus rationem, si eam neglexerint, Deo sunt reddituri? 40
Sectio VIII. *Utrùm possit conciliari Regula.* Idem de similibus ferè dum Judicium, *cum Textibus, qui dicunt,* Odia esse restringenda? 41
Sectio IX. *Multi Canones definiunt,* standum esse posterioribus, si hi cum prioribus pugnent; *Unus occurrit, qui dicit* in illo casu standum esse antiquiori; *Quâ viâ conciliari potest hic cum cæteris?* ibid.
Sectio X. *Conciliatio Textuum, qui significant* Canones obligare statim atque promulgati sunt, *cum iis qui insinuant,* alicujus temporis lapsumad id requiri. 42
Sectio XI. *An Textus, qui dicunt* in Legibus Novitates esse pernicioſas, *adversentur iis qui docent* semper licere novas Leges condere. 43
Sectio XII. *Varii Modi componendi* 1. *Textus qui unicum casum excipiunt à Regula dicente,* Legem futuris providere, *cum Textibus qui plures casus excipiunt.* 2. *Textus,* qui puniunt Actiones nondùm vetitas, *cum Textibus, qui illam punitionem videntur damnare.* 44
Sectio XIII *Quomodo conciliari debent Textus,* qui vetant Autoritatem præstare rebus, quas permittunt, *cum iis,* qui absolutè permittunt. 46

TITULUS VIII.

De Legibus sive Constitutionibus Ecclesiasticis. 47
Sectio I. *De Constitutionibus, sive Decretalibus Romani Pontificis.* 48
Sectio II. *De Constitutionibus Episcoporum.* 49
Sectio III. *De Constitutionibus factis à Capitulo.* ibid.
Sectio IV. *Ad quæ se extendat Lex seu Constitutio.* ibid.
Sectio V. *De Interpretatione Legum.* 50
Sectio VI. *De Revocatione, Derogatione, ac Cessatione Legum.* 51
Sectio VII. *De Dispensatione à Legibus Ecclesiasticis.* ib.
Sectio VIII. *De Potestate ferendi & mutandi Leges.* 52
Sectio IX *Quomodo utendum Autoritate Legum, aliâque quâvis simili in Responsis Canonicis.* 53
Sectio X. *An & quomodo Leges observari debeant?* ibid.
Sectio XI. *De Legibus, quæ pœnam imponunt.* 54
Sectio XII. *De Lege Divinâ.* 55

TITULUS IX.

§. I. *Quid sit Constitutio juxta totam suam latitudinem considerata.* 56

§. II.

§. II. *An Constitutio à Canone differat, & in quo?* ibid.
§. III. *An Constitutio à Statuto differat & in quibus.* 57
§. IV. *Quibus casibus liget Constitutio Ecclesiastica, quibus non?* ibid.
§. V. *Quando Constitutio mutanda, quando non?* 59
§. VI. *An Constitutio omnes sibi subditos æqualiter liget; & qui sunt illi subditi.* ibid.

TITULUS X.

De Rescriptis. 60
Cap. I. *Continens Regulas sive Decisiones à Jure propriis verbis desumptas.* ibid.
Sectio I. *Quid sit, & quotuplex Rescriptum?* ibid.
Sectio II. *De veritate narrationis in Rescriptis.* ibid.
Sectio III. *Quandonam forma Rescrip. reddatur invalida.* 61
Sectio IV. *De Vitiis, quæ contingere possunt in formâ Mandati.* 62
Sectio V. *De Modo, quo Rescripta Apostolica diriguntur, & quid operetur narratio Papæ.* ibid.
Sectio VI. *De variis Clausulis, quæ in Rescriptis apponi solent.* ibid.
Sectio VII. *Quos effectus pariat Rescriptum, & ad quas personas extendatur.* 63
Sectio VIII. *An semper, & quomodo teneatur Rescriptum executioni demandare is cui dirigitur à Papâ.* 64
Sectio IX. *Quid requiratur, ut Rescripta executioni mandari possint, & quomodo ea debeant adimpleri.* ibid.
Sectio X. *Quomodo intelligenda sint Rescripta, & quando extinguantur seu desinant.* 65
Sectio XI. *De Rescriptis* Gratiæ *in particulari.* ibid.
Sectio XII. *Quas pœnas incurrant, qui falsant Litteras seu Rescripta Apostolica, vel qui falsis Litteris utuntur.* 66
Sectio Ultima. *De Secundis Rescriptis, quandonam priora revocent, illisve prævaleant?* 67
Cap. I. *Regulæ circa Rescripta à Jure Canonico, quoad sensum pro depromptæ, quibus singula, quæ præcedentibus desunt, sive quoad ordinem, sive quoad divisiones, sive quoad Materiam, supplentur.* 68
Sectio I. *De Rescriptorum Autoritate.* ibid.
§. I. *Quanta sit Rescriptorum Autoritas?* ibid.
§. II. *Undè suam hauriant Rescripta Autoritatem.* 69
§. III. *Quæ requirantur, ut suâ Rescripta potiantur Autoritate.* ibid.
§. IV. *Ad quas res extendatur Rescriptorum Autoritas.* ib.
Sectio II. *De Rescriptis falsis.* ibid.
§. I. *Quæ falsi Rescripti Notæ in Jure exprimantur.* ib.
§. II. *Quæ à Jure adhibeatur cautela, ne fiant falsa Rescripta.* 70
§. III. *Quis circa falsum Rescriptum Reus censendus est.* ib.
§. IV. *Quomodo à Jure Canonico puniatur circa Rescriptum falsum Reus.* ibid.
Sectio III. *De Rescriptis suspectis.* ibid.
§. I. *Quæ Rescripta falsitatis suspecta à Jure censentur.* ib.
§. II. *Quid faciendum circa Rescripta falsitatis suspecta.* ib.
Sectio IV. *De Rescriptis nullis.* ibid.
Sectio V. *De Annulandis Rescriptis.* 72
Sectio VI. *De Rescriptis, quorum dubius est valor.* ibid.
Sectio VII. *De Rescriptorum quibus inest Ambiguitas, Interpretatione.* ibid.
Sectio VIII. *De aliis Rescriptorum Divisionibus.* ibid.
§. I. *De Rescriptis conditionatis.* ibid.
§. II. *De Rescriptis disjunctivis.* 73
§. III. *De Rescriptis obreptitiis, subreptitiisve.* ibid.
§. IV. *De Rescriptis proprio motu datis.* ibid.
§. V. *De Rescriptorum stylo.* ibid.
§. VI. *Comprehendens cæteras Rescript. divisiones.* ibid.
Sectio IX. *De iis quæ Rescriptis justitiæ sunt peculiaria.* ib.
Sectio X. *De iis, quæ Rescriptis* Gratiæ *peculiaria sunt.* 74
Sectio XI. *De iis, quæ Rescriptis tàm* Gratiæ, *quàm* Justitiæ *communia sunt.* 75
Sectio XII. *De Rescriptorum executione.* ibid.
Sectio XIII. *In quibus differat Jus Canonicum à Jure Civili circa Rescripta.* 76
Cap. III. *Appendix ad Tractatum de Rescriptis, in qua comparantur Gratiæ Exspectativæ Apostolicæ, cùm Exspectativis usu receptis in Galliâ.* ibid.

TITULUS XI.

De Consuetudine. 79
Cap. I. *Divisiones Juris propriis verbis depromptæ.* ibid.
Sectio I. *Quid sit Consuetudo & quæ sit ejus Autoritas.* ib.
Sectio II. *Confertur Autoritas Consuetudinis cum Legibus, Æternâ, Naturali, Divinâ, Humana.* ibid.
Sectio III. *De malâ Consuetudine.* 80
Sectio IV. *Quomodo sint observandæ variæ Consuetud.* ib.
Sectio V. *Quos effectus pariat Consuetudo legitima.* 81
Sectio Ultima. *Quomodo probetur Consuetudo?* ibid.
Cap. II. *Regulæ circa Consuetudinem, quoad sensum è Jure desumptæ, cum explicatione præcedentium Decisionum, tàm exemplis, quàm variis Decisionibus congruo Ordine digestis.* ibid.
Punctum Primum. *Circa Consuetudinem in tres Paragraphos divisum.* ibid.
§. I. *An Consuetudo sit pars Juris?* ibid.
§. II. *Quare Consuetudo sit pars Juris.* 82
§. III. *A quo tempore Consuetudo est pars Juris.* ibid.
Punctum II. *De Consuetudinis Naturâ.* ibid.
§. I. *Quid significet hæc vox Consuetudo?* ibid.
§. II. *Quid sit res nomine Consuetudinis significata.* ibid.
Punctum III. *De Consuetudinis divisionibus.* ibid.
§. I. *Quotuplex sit Consuetudinum divisio?* ibid.
Punct. IV. *Quid cuique Consuetudinum generi conveniat.* ib.
§. I *De primâ Consuetudinum Divisione.* ibid.
§. II. *De priore secundæ Consuetudin. divisionis parte.* 83
Sectio I. *Quid ex Canone sit bona Consuetudo.* ibid.
Sectio II. *Quid faciendum circa bonas Consuetudines.* ib.
Sectio III. *Quæ bonæ Consuetudinis exempla in Canone legantur.* ibid.
§. III. *De altero secundæ divisionis membro, sive quæ notanda in Canone circa Consuetudinem malam.* ibid.
Sectio I. *Quid sit mala Consuetudo.* ibid.
Sectio II. *Quæ in Canone malæ Consuetudinis exempla, sive quæ pravæ Consuetudines in eo expressè improbentur.* 84
Sectio III. *Quid juxta Canonem faciendum circa malam Consuetudinem.* 85
§. IV. *De tertiâ Consuetudinis divisione.* ibid.
Sectio I. *Quid sit Consuetudo indifferens; & quibus Notis dignoscatur.* ibid.
Sectio II. *Quid sit faciendum circa Consuet indifferent.* ib.
Sectio III. *Quæ sint in Canone Consuetudinis indifferentis exempla.* 86
Punctum IV. *De Consuetudinis vi.* ibid.
§. I. *Undè oriatur Consuetudinis vis?* ibid.
§. II. *Quid possit Consuetudo, sive generalis, sive particularis, & quid circa istam expressè prohibeatur.* 87
§. III. *Quid non possit Consuetudo?* 88
§. IV. *An facta ex Consuetudine malâ abrogentur cum ipsa.* 89
Cap. III. *Regulæ extractæ ex methodo generali compositâ à Patrono causarum in Curiâ Parisiensi, & in lucem editâ Parisiis Anno 1666. Ad intelligentiam Consuetudinum Galliæ, & accommodatæ Juri Canonico tàm communi, quàm particulari.* ibid.

TRACTATUS DE PRIVILEGIIS,

Pars I. Continens Divisiones Juris propriis ipsius verbis desumptas. 95
Sectio I. *Quid sit Privilegium, & quotuplex, at quomodo intelligendum?* ibid.
Sectio II. *Quomodo observanda sint Privilegia, & ad quæ se extendant?* 96
Sectio III. *Quæ interpretatio adhibenda sit in Privil* 97
Sectio IV. *Quid exprimi debeat in Privilegio, ut valere possit, & quomodo in Notitiam venire debeat?* ibid.
Sectio V. *Quibus concedi possit Privilegium, & quinam illo debeant gaudere?* ibid.
Sectio VI. *Ad quantum tempus durent Privilegia, & quandonam extinguantur?* 98
Sectio VII. *De Privilegiis in ordine ad forum contentios.* ib.
Sectio VIII. *De Innovatione & Confirmatione Privil.* 99
Sectio IX. *De variis modis, quibus amitti possunt Privilegia.* ibid.
Sectio Ult. *De Conservatoribus Privilegiorum.* 100

PARS II. Complectens Regulas circa Privilegia è solo Textu Juris Canonici desumptas quoad sensum, cùm explicatione aliundè etiam depromptâ. 101
Titulus I. *Quid sit Privilegium?* ibid,
Regula Unica. *Quæ propriam Privilegii naturam continens, etiam ferè hujus Tractatûs materiam explicat.* ib.
Titulus II. *Quotuplex sit Privilegium?* ibid.
Titulus III. *Quid peculiare habeatur in Jure Canonico circa diversas Privilegii species.* 102
Titulus IV. *Quæ necessaria, ut Privilegium valeat?* 103
Titulus V. *Quibus viis acquiratur Privilegium, vel non?* ibid.
Titulus VI. *Qui Privilegia dare possunt, quique in Canone id posse dicantur?* 104
Titulus VII. *Quibus dari possunt Privilegia? Quibus de causis? & quomodo danda?* ibid.
Titulus VIII. *Circa quæ versetur Privilegium? & de quibus id exprimatur in Canone?* ibid.
Titulus IX. *De Pertinentibus ad Privilegiorum formam.* 105
Titulus X. *Quid Privilegia efficere possunt, vel non possunt?* ibid.
Titulus XI. *Quomodo interpretanda Privilegia?* 106
Titulus XII. *Quomodo servanda sint Privilegia?* 107
Titulus XIII. *Quibus modis amittatur Privilegium?* 108
Titulus XIV. *De Privilegiorum innovatione.* 109
Titulus XV. *De Usurpationibus Privilegiorum ac de eorum Contemptoribus.* ibid,
Titulus XVI. *De Privilegiis clausis in Corpore Juris.* ib.
Titulus XVII. *De Conservatoribus Privilegiorum.* 110
Titulus XVIII. *De exhibendis Privilegiis.* 111

PARS III. Continens prætermissa in duobus præcedentibus, nempè Quæstiones varias circa Privilegia, necnon & Regulas circa Exemptiones Regularium tàm in Spiritualibus, quàm in Temporalibus. 112
Sectio I. *Continens Quæstiones XXII. fusè tractatas, debitoque ordine dispositas.* ibid.
Quæst. I. *An de Privilegiis sanè dici queat, illa ad Jus Commune pertinere?* ibid.
Quæst. II. *Num Privilegia, prout ad bonum Reipublicæ regimen necessaria, favorabilia sint? Si verò favorabilia, malè fit, ut strictè sunt interpretanda?* ibid.
Quæst. III. *Num propter privatam alicujus utilitatem concedi possit Privilegium?* ibid.
Quæst. IV. *An in Corpore Juris Privilegiorum causæ aliquæ speciatim exprimantur? & quæ sint?* ibid.
Quæst. V. *Num Exemptio à Privilegio differat?* 113
Quæst. VI. *Num Exempti dici debeant Metropolitani, qui immediatè subsunt Summo Pontifici* 114
Quæst. VII. *Quæ præcipua sint Exemptorum genera?* ib.
Quæst. VIII. *An de Exemptis Sæcularibus in Corpore Juris mentio fiat?* Atque etiam, *An circa hujus generis Exemptionem Antiqui ibidem reperiantur Canones?* ibid.
Quæst. IX. *An Metropolitanorum in Suffraganeos Jurisdictio dici debeat Privilegium?* 115
Quæst. X. *An in Occidente ante Sæculum IX. fuerint Primates, sive Episcopi, qui pluribus Archiepiscopis præessent?* ibid.
Quæst. XI. *An Exemptiones Sæculares favorabiles minùs sint, quàm Regulares?* Atque, ut res in exemplo posita clarior fiat, *Quæritur, verbi gratia, an Exemptio Monasterii ab Episcopi Jurisdictione, favorabilior sit, quàm Capituli Sæcularis Exemptio ab eâdem Jurisdictione?* ibid.
Quæst. XII. *An Capitulum Papæ vel Metropolitano immediatè subesse possit dici, etsi Papa vel Metropolitanus suam super illud Jurisdictionem proximè non exerceat, nec per se, nec per alios?* 116
Quæst. XIII. *An Exemptiones, quibus Episcoporum subditi Metropolitanis immediatè subjiciuntur, præferendæ sint iis, quibus iidem immediatè subsunt Papæ?* ibid.
Quæst. XIV. *An certum sit, Privilegium vel Exemptionem amitti unico Actu contrario?* ibid.
Quæstio XV. *An Prælatus non Exemptus ab Ordinarii Jurisdictione, possit præscribere Episcopalem Jurisdictionem?* ibid.
Quæst. XVI. *An Prælatus Exemptus possit præscribere Jura Episcopalia? & quæ dubitandi ratio?* 117
Quæst. XVII. *An qui abutitur Privilegio, illud eo ipso amittat?* 118
Quæst. XVIII. *An Privilegium pereat eo ipso, quod maximè damnosum fiat, vel quod cesset causa propter quam concessum est?* 119
Quæst. XIX. *An, si Ecclesia alicujus Civitatis Cathedralis obtineat Exemptionem ab Ordinarii Jurisdictione, nullâ factâ mentione Exemptionum similium concessorum plerisque Ecclesiis ejusdem Civitatis, postrema hæc censenda sit obreptitia?* ibid.
Quæst. XX. *An Privilegia aliis, quàm concedenti, nociva concedere liceat, non vocatis, quorum interest?* ib.
Quæst. XXI. *An, pendente lite circa Exemptionem, Exempti eâ gaudere debeant?* ibid.
Quæst. XXII. *An Exemptiones, quibus totus Ordo Religiosus eximitur à Jurisdictione Episcoporum, aut Monasterium à Jurisdictione Ordinarii, aut Capitulum, aut Episcopus à Jurisdictione Metropolitani, executioni mandari possint sine Litteris Regiis Patentibus?* 120
Sectio II. *Quæstiones circa indicia certa incertave Exemptionis.* ibid.
Quæstiones *circa amissa vel combusta vel subrepta Privilegiorum instrumenta.* 121
Quæstiones *de Exemptionibus abrogatis per Canones Jus Commune continentes.* ibid. & 122
Sectio III. Quæstiones *nonnullæ extra locum suum positæ, præcedentium expositoriæ vel suppletoriæ.* 122
Quæstio I. *An qui Jurisdictionem contra Episcopum præscribit, non præscriptâ Territorii parte, illam ita acquirat, ut Episcopus per præventionem illam exercere nequeat?* ibid.
Quæst. II. *Quæritur, an in Corpore Juris Canonici mentio fiat de Exemptis nullius Diœceseos, an saltem de iis sermonem faciat Concilium Tridentinum?* 123
Quæst. III. *Quæritur, an in Jure de Exemptis, qui Jurisdictionem habeant Episcopalem, vel saltem in Concilio Tridentino Sermo fiat?* ibid.
Quæst. IV. *Quæritur, an Exemptio, quâ quis immediatè Sedi Apostolicæ subest, memoretur in Jure & in Concilio Tridentino?* ibid.
Quæstio V. *Quæritur, an, & in quo differat Monialium Exemptio à Monachorum Exemptione?* ibid.
Quæst. VI. *Quæritur, an Prælatus, cui Exemptus immediatè subjicitur, quam haberet Ordinarius, in illum habeat Jurisdictionem?* ibid.
Quæst. VII. *Quæritur, an Prælato Exempti proximo illum corrigere neglegente, Ordinarius istius negligentiam supplere possit?* 124
Quæst. VIII. *Quæritur, an ex quo alicui Jure pleno subjecta est Ecclesia, omni Episcopali Jure gaudeat?* ib.
Quæst. IX. *Quæritur, an per libertatem alicui Ordini, vel Monasterio, vel Capitulo in Exemptionis Privilegio concessam, absoluta Exemptio intelligatur?* ibid.
Quæst. X. *An sit aliquod Privilegium Ecclesiasticum, quod amitti nequeat.* ibid.
Quæ. XI. *Quæritur, an sint, qui Jurisdictioni Episcopi non subsint in Judiciis ad Doctrinam pertinentibus; ita ut sibi liceat judicare falsum, quod verum Episcopus declaravit, vel falsum dicere, quod verum Episcopus judicavit; accipere Opus aliquod ab Episcopo non probatum pro Normâ docendi, ac judicandi de veritate vel falsitate Doctrinæ, in solvendis dubiis circa Doctrinam propositis?* ibid.
Quæst. XII. *Quæritur, an Actus quo deliberatur ab Academiâ Theologicâ, an hoc illudve Opus recipiendum sit pro Normâ docendi, sit Actus Jurisdictionis?* 125
Sectio IV. *Regulæ circa Exemptiones: Et primò, de Exemptione circa Visitationem.* ibid.
Sectio V. *De Regularium Exemptione in Temporalib.* 128
De Spirituali Regularium Exemptione ab Episcopi Jurisdictione. 130

EXPOSI-

EXPOSITIO JURIS CANONICI,

PER

REGULAS NATURALI ORDINE DIGESTAS,

EX ILLIUS CORPORE, AUT ALIUNDE DESUMPTAS.

PROLEGOMENA

Ad Jus Canonicum per Regulas exponendum, in Duas Partes divisa.

PARS PRIOR.

Complectens varios *Tractatus*, circà illud in se, seu in genere spectatum, aliunde quam ex illius Corpore desumptos, congruoque ordine digestos, nec non ad illius intelligentiam maximè necessarios.

TITULUS PRIMUS.

Selecti Canones *studium Juris Canonici proximè respicientes ejusque necessitatem utilitatemve inculcantes, in varias Classes distributi.*

MONITUM,

Colligendos Canones ad IV. Capita reducimus, Duo priora spectant obligationes Clericorum circà Canones; nempe illos callendi, & curandi ut serventur: posteriora duo pertinent ad motiva illarum; scilicet 1°. Utilitas Canonum, sivè in se, sivè erga Clericos, quos docent, quæcumque scire tenentur ad instruendum Populum, componendos mores, tùm suos, tùm istius, 2°. Necessitas & Autoritas Canonum. Cùm autem Concilia sive Generalia, sive Specialia, sint præcipui fontes Canonum; idcircò quæ dicenda erant de illorum utilitate, necessitate, & autoritate, sub Conciliorum nomine exposuimus.

In Collectione, sequimur ordinem temporum simul & rerum, *Primum*, in

referendis Canonibus, incipiendo ab antiquioribus, progrediendoque gradatim, à sequentibus ad recentiores & postremos accedimus: *Secundum* erga Capita tractanda, quæ ità componuntur, ut antecedentia ad subsequentia naturaliter ducant. Si qui extrà locum referantur, quoad tempus quo conditi sunt, emendatio facilis, indicante errorem ipsorum datâ, quo medio Prœli director in sedem debitam quemlibet revocare poterit. Quos verò sub varia classe collocare fas est, quia ad illas simul pertinent, sub congruentiori relati sunt cum monitione illius ad alias relationis. Hujusmodi Canones se se invicem illustrant & confirmant. In illis maximè notanda momenta, quibus reverentiam Canonibus, in se spectatis, procurant, quæque impellant etiam ad studium Juris Canonici. Horum præcipua sunt.

1°. Promissio CHRISTI, quod aderit ubicumque plures in nomine suo congregati erunt.

2°. Effectus illius, nempe assistentia *Spiritus Sancti*, quæ eò major quò numerosior Cœtus.

3°. Exemplum Apostolorum, in quibus promissum hoc primùm impletum est.

4°. Constans Ecclesiæ praxis hos Cœtus congregandi, vel statis temporibus, vel quoties instat necessitas.

5° Fructus uberes indè percepti. Hinc elogia his Cœtibus data, in hoc uno comprehensa, quòd sint omnium Ecclesiæ malorum antidota. In iisdem collectis Canonibus non nihil habes circà necessitatem Legum Ecclesiasticarum publicationis atque acceptationis.

SECTIO I.

Clerici sacros Canones callere tenentur.

I.

ERIT dilectionis tuæ per Plebes finitimas & Consacerdotes nostros, qui in illis regionibus propriis Ecclesiis præsident, regularum hunc librum, quasi dedascalicum atque monitorem, sedulò insinuare, ut & nostros cognoscere, & ad fidem confluentium mores valeant docendi sedulitate formare. INNOCENTIUS I. *Victricio Rothomag.*

II.

Ecclesiasticorum Canonum norma nulli esse debet incognita Sacerdoti, quia nesciri hæc à Pontifice satis est indecorum; maximè cùm à Laicis & Religiosis viris & servetur, & custodienda esse ducatur: INNOCENTIUS I. *Maximo & Severo.*

III.

Nulli Sacerdotum suos liceat Canones ignorare. CÆLESTIN. *Universis Episcopis per Apuliam.* Idem habetur multoties in CAPITULAR. *Regni Franciæ.*

IV.

Ne qua excusatio de ignoratione Canonum nascatur: quamquàm ignorare numquam licuerit Sacerdotem, quid Canonum regulis fuerit definitum, hæc ad Provincias vestras scripta direximus: S. LEO *Episcopis per Campaniam*, &c. *Capite secundo in fine.*

V.

Parochiani Clerici à Pontificibus suis necessaria sibi statuta Canonum legenda percipiant, ne se ipsi, vel populi, quæ pro salute eorum decreta sunt, excusent postmodùm ignorasse. *Concilium* AURELIANENSE IV. *anno* 141. *C.* 6.

VI.

Sciant Sacerdotes Scripturas sacras & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione, & doctrinâ consistat, atque ædificent cunctos, tàm fidei scientiâ, quàm operum disciplinâ. *Concilium* TOLET. *anno* 633. *C.* 25. *Conc.* ARELAT. 813. 6. *C.* 3. ut Episcopis Canones & regulam non liceat ignorare: Nulli Sacerdotum eosdem Canones ignorare liceat. *C. vigesimo* 53. *Concil.* FRANCOFORT. 794.

VII.

Cùm omnia Concilia Canonum, qui recipiuntur, sint à Sacerdotibus legenda, & intelligenda, & per ea sit eis vivendum, & prædicandum, necessarium ducimus, ut ea, quæ ad fidem pertinent, & ubi de extirpandis vitiis & plantandis virtutibus scribitur, hoc ab eis crebrò legatur, & intelligatur, ut in populo prædicetur: *Concilium* MOGUNTINUM *anno* 847. *Capite secundo.*

VIII.

Quoniam autoritas sacra Canonum nulli Sacerdotum Canones ignorare permittit, ne quemquam in reliquo nobis commissorum hujus ordinis expertem noverimus Canonum, decrevimus pariterque injunximus excepta per nostri laboris studium hæc modica succinctaque Capitula unumquem-

quemque habere in posterùm: HERARDUS, Archiepiscopus Turonensis, *in Præf. Collect. Can. An.* 858.

IX.

Ut in proximâ Synodo unusquisque suos Canones habeat, & intelligat: quia nulli Sacerdotum licet ignorare Canones; *Capitular.* GUILLIBERT. Episcopi C. 3. BALUZ. illa collocat inter Acta Sæcul. IX.

X.

Obsecro fraternitatem vestram ut hæc Capitula, quæ ad emendationem vitæ breviter digessi, assiduè legatis, & memoriæ commendetis, & eorum, sivè Scripturarum Sacrarum lectione, mores componatis, vitam emendetis, & cum subditis plebibus, opitulante domino. ad cœlestia regna pergere certetis. THEODUL. *Aurel. ad Paroch. An.* 797.

XI.

Nulli Episcopo liceat Canones, aut Librum pastoralem à Sancto Gregorio editum, si fieri potest, ignorare, in quibus se debet unusquisque quasi in quodam speculo assiduè considerare. *Concilium* TURON. III. *sub Carolo Magn. Sæculo IX.* An. 813.

XII.

Decrevimus juxtà Sanctorum Canonum constitutionem & cæterarum Sanctarum Scripturarum doctrinam, ut Episcopi assiduè sint in lectione, quoque intelligant & Librum Beati Gregorii Papæ de cura Pastorali, & secundùm formam ibidem constitutam & vivant & prædicent: *Concilium* CABILON. *sub Carol. Magn.* 813.

XIII.

Sed quia non est leve Canonum scita nescire, & ignorare medico medicinale officium, minus grave, statuimus, ut in susceptione curæ animarum & ordinis Sacerdotum, examinentur de his præcipuè ordinandi: *Concilium* LONDON. *Anno* 1237. *Cap.* 2.

XIV.

Verùm de hoc Sacri Canones enunciant, qui Antistiti vestro tribuendi sunt, & ab eo Sacerdotibus qui claves tenent scientiæ aperiendi, & vobis nihilominus, in quibus opus est, & minimè prohibetur, insinuandi: NICOL. *ad Bulgar. C.* 9.

XV.

Quod vos ignorare minimè credimus, (*agitur de re quæ in Canonibus potissimum continetur*) ab ipsis Apostolicis viris cognoscitis; & cùm in Sacris Conciliis ab Episcopis promulgatæ sint regulæ, & receptæ, quis extrà Episcopos promulgator Canonicarum quiverit esse sententiarum: LEO IV. *ad Episcopos Britan. Cap. I. circà annum* 850.

XVI.

Provideatur in unaquaque Ecclesia Cathedrali, & Collegiata, de Bibliotheca, in qua boni libri, & ab Ecclesia recepti, potissimùm Sacri, Jurisque Divini & Canonici recondantur. Si qui in celebri Universitate Sacrorum Canonum Professioni operam dare desiderant, licentia percipiendi in absentia fructus potiantur. *Concilium* AURO. 1583.

XVII.

Decani seu Præpositi, Archidiaconi, & Pœnitentiarii sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia seu Doctores, aut Licentiati in Jure Canonico, non tamen per saltum promoti. *Concilium* ROTOM. 1581. BITUR. 1584.

SECTIO II.

Quæ esse debeat Clericorum cura ut Sacri Canones serventur.

I.

NULLI Sacerdotum liceat quidquam facere quod Patrum possit regulis obviare; quæ enim à nobis res digna servabitur, si Decretalium norma constitutarum, pro aliquorum libitu, licentiâ populis permissâ, frangatur: COELEST, *Episcopis per Apul. & Calabr. Anno* 427. *à* CONCIL. TOM. II. *p.* 1622.

II.

Ut nobis gratulationem facit Ecclesiarum status salubri dispositione compositus, ita non levi nos mœrore contristat, quoties aliqua contra constituta Canonum Ecclesiasticamque Disciplinam præsumpta, vel commissa cognoscimus: Quæ, si non quâ debemus vigilantiâ resecemus, illi, qui nos speculatores esse voluit, excusare non possumur, permittentes sincerum corpus Ecclesiæ, quod ab omni macula purum custodire debemus, ambientium improba contagione fœdari, cùm ipsa sibi membrorum per dissimulationem compago non congruat: S. LEO *Episcopus Præf. ad Episcopos per Campaniam, & Picenum.* CONC. TOM. III. *p.* 1293.

III.

Ne quid sit quod prætermissum à nobis fortè credatur, omnia decretalia constituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quàm omnium decessorum nostrorum quæ de . . . . . Canonum promulgata sunt disciplinis, ità à vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari: *ibid. C. . . 5. . ibid.*

IV.

Vestrum nemo discedat nec ab his deviet, quæ juxta regularum ordinem, frequens ad vos directa Sedis Apostolicæ decrevit autoritas. XISTUS III. *Episcopis Illyrici, Anno* 437.

V.

Cùm nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temerè nihil licere, & cum Sedes Apostolica, super his omnibus favente Domino, quæ paternis Canonibus sunt præfixa, pio devotoque studeat tenere proposito, satis indignum est quemquam, vel Pontificum vel ordinum subsequentum hanc observantiam refutare, quam beati Petri Sedem & sequi videat & docere. GELAS. *Decret. . . . Cap.* 9. *An.* 492.

VI.

Primo in loco nobis visum est, ut in nomine Domini non tàm nova quàm prisca Patrum instituta sancientes, id ipsum constituamus, quod titulis præsentibus, in Canonibus legitur insertum: *Concilium* MATISCON. I. *Anno* 582.

VII.

Talem vobis cum omni sollicitudine personam exquirite, in qua ex omnium adunata possit gaudere concordia, & sacris nullo modo respuatur Canonibus: S. GREGORIUS *Epistola III. L.* 2. Anno 564.

VIII.

Fraternitas tua ad prædictas Ecclesias ne properet, & assiduis adhortationibus Clerum Plebemque admonere festinet, ut, remoto studio, uno eodemque consensu, talem sibi præficiendum expetant Sacerdotem, qui tanto dignus sit ministerio & à venerandis Canonibus nullatenùs respuatur: S. GREGORIUS *Epist.* 38. *L.* 2. *Eodem Anno.*

IX.

Canones qui à sanctis Patribus in unaquaque Synodo huc usque constituti sint, observari æquum censuimus. *C.* 1. *Concilium* CALCEDON. (*Undè inferre est, primam Patrum curam circà disciplinam eam fuisse, ut conditi jam jam Canones servarentur*) *Anno* 451.

X.

Hoc quoque huic Sanctæ Synodo pulcherrimè & honestissimè placuit, ut, ab hoc nunc tempore & deinceps, ad animarum medelam & perturbationum curationem, firmi stabilesque maneant Canones, qui à Sanctis Patribus, qui nos præcesserunt, suscepti & confirmati sunt. *Concilium* TRULL... *Cap.* 2. *Anno* 692.

XI.

Quamquam omnes qui sacris mancipantur ordinibus, Canonicis regulis teneantur adstricti, expedibile tamen est ut promissionis suæ vota sub cautione spondeant, quos ad promotionis gradus Ecclesiasticæ provehis disciplinæ; solet enim plus timeri, quod singulariter pollicetur, quàm quod generali innexione, aut sponsione, concluditur, ut unusquisque ad gradus Ecclesiasticos accessurus, ... promittat ut in nullis operibus suis canonicis regulis contradicat. *Concilium* TOLET II. *Canone* 10. *Anno* 675.

XII.

Quocircà hæc, quæ superna inspiratione communi consensu placuerunt, si quis Sanctorum definita servantes Antistitum, qui statuta præsentia subscriptionibus propriis firmaverunt, nec non & quos eorum Deus voluerit esse successores, relicta integritate observationis, excesserit, reum se divinitatis, Christo autore, pariter & fraternitatis indicio, futurum esse, cognoscat. *Concilium* EPAON. . . . *Cap.* 40. *Anno* 517.

XIII.

Hæc ergo, Deo propitio, constanter & unanimiter definita servantes, etiam præteritorum Canonum statuta decernimus, ut Christo auctore deinceps inconvulsa universa serventur, ut manente concordia, quæ divina inspiratione salubriter in præsenti tempore definita sunt à modò habeant vigorem, & custodiant caritatem: *Concil.* AURELIAN. *An* 549. *Can.* 24. CONC. *Tom. V. p.* 397.

XIV.

Quæcunque præcepta antiquorum Canonum modò in Concilio recitata sunt, nullus audeat salubriter præterire. Si quis autem quasi contumax transgreditur, ille, necesse esse, ut de suo degradetur officio. *Concilium* BRACARD... 2. *Cap.* 22. *Anno* 563. CONC. *Tom. V. p.* 842.

XV.

Quia in aliquibus rebus consuetudo prisca negligitur, ac decreta Canonum violantur, placuit ut juxtà antiquam consuetudinem Canonum decreta serventur. *Concilium* PARIS. *Cap.* 8. *Anno* 557. *ibid. p.* 817.

XVI.

Si quis hanc definitionem, quam ex autoritate canonica communi consensu conscripsimus, observare distulerit, aut eas qui ipsum audire neglexerint, (leg. *ipsam*). in notitiam Episcopi non deposuerit, anno à consortio fratrum, vel ab omnium Christianorum communione, habeatur extraneus. *Concilium* ANTISSIODOR. *Cap.* 45. *Anno* 578.

XVII.

Maneant in suo vigore Conciliorum omnium constituta, simul & Synodicæ sanctorum Præsulum Romanorum Epistolæ. Nullus deinceps ad promerendos honores Ecclesiasticos contra vetita Canonum aspiret indignus. Nihil ex hoc fiat, quod sancti Patres Spiritu Dei pleni sanxerunt debere non fieri: &, qui præsumpserit, severitate priorum Canonum distringatur. *Concilium* TOLET... 589. . . . .

XVIII.

Canonum vero statuta ab omnibus intemerata serventur. CABIL. *Cap.* 2. *Anno* 650.

Ab hoc Spititu sancto succensi plena decerni unanimitate, ut quæcumque pro Ecclesiasticis negotiis fuerint definitiones conscriptæ, autoritate universali, nullus contradicere audeat . . . nullus non implere contendat; alioquin honoris sui, & Communionis Sanctæ lugeat amissione mulctatus. *Concilium* TOLET. VIII. *Cap.* 11. *Anno* 653.

XIX.

Id communi definitione decrevimus, ut capitula quæ in priscis Canonibus minimè habentur inserta, pari promulgentur sententia, & antiquis jungantur regulis perenni jugitate mansura & omni reverentia conservanda. *Concilium* TOLET. IX. *Præf. Anno* 655.

XX.

Quoniam nonnulli Sacerdotes, in suæ salutis grave dispendium, statutorum Synodalium . . . vilipensores & trangressores, Dei timore & Prælatorum suorum obedientia contempta, inveniantur frequenter, eisdem injungitur in virtute obedientiæ, secundum quam aliàs eis injunctum est, quod quilibet quaternum Synodalem habeat, quem in Synodis defferat & illum frequenter perlegat, & contenta in eo magis solito tamquam filius obedientiæ observare studeat diligenter. *Synod.* ANDEGAVENS. 1293.

XXI.

Vos verò Sacri Ecclesiæ Ministri per viscera misericordiæ Domini Nostri JESU-CHRITI hortor & obtestor, ut ad has Constitutiones amplectendas reliquos omnes exemplo vestro invitetis, his pareatis, has servetis, has die nocteque medite-

ditemini. Hæ in veſtram potiſſimùm gratiam & honorem ſunt comparatæ; quò enim ſeverius, continentiùs, ſanctiùs, vitam inſtituetis, eò major religioni honos tribuetur, frequentiora apud noſtros homines vitia evaneſcent: FRANCISCUS DE JOYOSA, S. R. E. Card. Archiepiſcopus Toloſ. in *publicatione Concilii Toloſ. Anno* 1590. *Conc.* TOM. XV. *p.* 1429.

XXII.

Fruſtrà conderentur Leges ſi in iis obſervandis vigilans cura non adhiberetur, & de earum obſervatione nulla ratio peteretur; quare conſtitutionem *Concilii* LATERANENSIS, quæ incipit *ſicut olim*, hæc Synodus ſecuta, decernit, ut Epiſcopi per ſuos, viros ſtatuant, doctrina & vitæ exemplo probatos, qui ſolicitè inveſtigent, an & quando ſacri Canones, & hujus Synodi Decreta ſerventur. *Concilium* MEXIC. *Lib. III. Tom. I.* 5513. (Initium hujus Canonis deſumptum videtur ex *C.* 1. *de Statu Monachor. in 6°.* quoniam parùm eſſet jura condere, niſi eſſent qui executioni debitæ demandarent.)

XXIII.

Qua igitur audacia, ô Sacerdotes! iſtorum omnium Conciliorum deſpexeritis Conſtitutiones? Monachi enim unius hominis Conſtitutiones tenent, Sancti videlicet Benedicti, & ſecundùm Regulam ejus vivunt, quam ſi violaverint, corriguntur ſtatim, cum omni humilitate, juxtà Abbatis eorum ſententiam. Vos etiam habetis Regulam: ſi vel eam legere volueritis, videritis quid ſit vobis conſtitutum, *Canones* ALFRICI *n.* 34. *Sæcul. X.*

XXIV.

Præcipit quoque, quod omnes Diœceſani Copiam hujuſmodi Conſtitutionum & aliorum Provincialium Conciliorum recipiant, & in ſuis Synodis frequenter publicare procurent, & in ſuis Diœceſibus & Civitatibus faciant firmiter obſervari: *Concilium* ROTOM. *Cap.* 13. *Anno* 1335.

XXV.

Rectores Eccleſiarum quarumcumque, Provinciæ Turonenſis Statuta, in hoc Concilio ordinata, perpetuò, anno quolibet, primâ die Dominicâ Adventûs, multiſque aliis hîc expreſſis, publicent Populo congregato, & lingua materna exponant ſufficienter, dùm ibi divina celebrantur: *C.* 9. *Concil.* CASTRIGONT. 336. *Concilium* ANDEGAV. *C.* 32. *Anno* 1365.

XXVI.

Valdè malè me habet quòd Patrum de cætero defecerunt Canones, & omnis accurata Diſciplina ex Eccleſiis ejecta eſt: & timeo nè ſi hæc progredi paulùm ſinatur incuria, in omne confuſionis genus res Eccleſiaſticæ redeant. BASILIENS. *Chorepiſcopis* CONCIL. *Tom. II. p.* 1767.

SECTIO III.

DE CONCILIORUM *aliorumve Cœtuum Eccleſiaſticorum* UTILITATE.

I.

AD Synodum Patrum quiſquis fuerit evocatus occurrat, nec ſanctæ Congregationi ſe deneget, in qua maximè conſtituendum eſſe noverit, quod ad Diſciplinam poterit Eccleſiaſticam pertinere: meliùs enim culpa vitabitur, ſi inter Sacerdotes Domini, collatio frequentior habeatur, & emendationi pariter & caritati plurimùm præſtat adunata ſocietas: LEO *Epiſtola IV. C.* 5.

II.

Eccleſiaſticæ Diſciplinæ debet eſſe ſuffragium Congregatio Sacerdotum: nec aliud erit ſuæ ſollicitudinis tàm peculiare conſcribere, quàm quod ad fundamentum Religionis proficere recognoverit: operari non ceſſetur, cum Paſtoralis cautela propagatur in ovilis cuſtodia. Paucorum veneranda Decreta ſint ſalutis publicæ documenta. *Concilium* TURON. II. *Anno* 567.

III.

Ne qua inter fratres diſſenſio, ne qua inter præpoſitos & ſubjectos ſint fomenta diſcordiæ, ad unum convenire Sacerdotes neceſſe eſt, ut & de incidentibus cauſis diſceptatio & ſit ſalubris de Eccleſiaſtica obſervatione collatio; quatenùs, dum per hoc, & præterita corriguntur, & Regulam futura ſuſcipiunt, omnipotens Deus fratrum concordiâ collaudetur, expectatione Concilii nihil pravum, nihil præſumatur illicitum: GREGORIUS *Epiſtola III. Lib. VII.*

IV.

Nulla penè res Diſciplinæ mores ab Eccleſia magis depulit, quàm Sacerdotum negligentia, qui contemptis Canonibus, ad corrigendos Eccleſiaſticos mores Synodum facere negligunt: *Concilium* TOL. IV. *Cap.* 3. *An.* 633. CONC. *Tom. V. p.* 1700.

V.

Hoc quoque Sanctæ Synodo pulcherrimè & honeſtiſſimè placuit, ut, ab hoc tempore deinceps, ad animarum medelam & perturbationum curationem, firmi & ſtabiles maneant, qui à SS. Patribus, qui nos præceſſerunt, ſuſcepti ac confirmati ſunt, atque à Deo nobis etiam traditi ſunt, ſanctorum & glorioſorum Apoſtolorum nomine: 85. Canones. *Concil.* TRULL. *C.* 2. *An.* 692. CONC. *Tom. VI. p.* 1516.

VI.

Quo plura emergunt in populo Dei noxia & Epiſcopali diligentiâ recidenda, ad hoc plures & frequentiùs neceſſe eſt convenire Pontifices, ne Miniſterii Sacerdotalis nomen fruſtrà comprobentur geſtare.

VII.

Majorum institutionibus contraire, & Sanctorum Patrum Decreta convellere, quid aliud est quàm vinculum Societatis CHRISTI abrumpere, & usurpatæ præsumptionis licentiâ totius Ecclesiæ Statum dissipare; *C. 4. Concil.* TOLET. XII. *Anno* 681.

VIII.

Frequens Generalium est &c. . . . *Cod. de Conciliorum authoritate. num.* 8.

IX.

Non dubium est, Sanctissimi Patres, quod optima Conciliorum adjutoria ruenti mundo subveniunt, si officiosis, quæ corrigenda sunt, studiis, peragantur. Ideò oportet, ut, quia ore Salvatoris Nostri Domini sal terræ esse probamini, per quos salvationis obtineat lucrum, per quos regenerationis percipit sacramentum; ut diligentia definitionis vestræ ab omni emendata contagio, & ab infirmitatis peste sit liberata, & bonorum omnium proventibus gratiosa: ERVIGIUS REX, *Præf. Conc.* TOLET. XII. . . . . 681.

X.

Ex quo, renovato Conciliorum Provincialium usu, certissimum est Christianam Rempublicam uberrimos salutis fructus esse percepturam, & quoniam natura & ratione ipsa ducimur, ut in rebus gravioribus deliberandis aliorum Consilia exquiramus: vel quod cautior deliberatio est, si ad nostrum judicium multorum sententia accesserit, vel quia apud illos, quibus consulere maximè cupimus, majorem authoritatem & pondus habet consultatio, in quam plures consenserint. Hujus in Ecclesia instituti autor CHRISTUS Dominus Magistrique Apostoli, Christi promissione, Apostoli exemplo. *Sanctus* CAROL. *in Concilio Provinciali* I. CONC. *Tom. XV. p.* 243.

XI.

Cum certo certius sit, quod Deus propter orationum instantiam, jejuniorum observantiam & Eleemosynarum largitionem, maximè sua beneficia elargitur, & si quolibet tempore sit pietatis operibus indulgendum, ferventiùs tamen hæc fieri debent tempore Conciliorum, quo scilicet tempore nos oportet quælibet Dei beneficia gratiam & misericordiam, & in agendis directionem instantiùs & devotiùs implorare . . . . . omnes & singuli ad Concilium Provinciale convocati, per tres dies antè jam sessionem, plus solito orationibus & Eleemosynis insistentes debeant jejunare. *Concil.* RAVENNENS. III. *Cap. ibid. Anno* 1314.

In omnibus Academiis in quibus utriusque Juris studia instituta sunt, Jus Canonicum publicè prælegatur. *Concilium* BITUR. *Tom. XXIX. Cap.* 3. *Anno* 1584.

XII.

Salus Ecclesiæ, terror hostium ejus, & fidei Catholicæ stabilimentum sunt Synodi, quas etiam rectissimè nervos Ecclesiæ dixerimus: neglectis ergò Synodis non aliter Ecclesiasticus ordo defluit, quàm si humanum corpus nervis solvatur: *Concilium* COLON. II. *Anno* 1547. *de Synodorum celebratione n.* 1.

XIII.

Veterem Ecclesiæ consuetudinem insequentes, quam Apostoli nobis reliquerunt, & Sancti Patres, quasi per manus traditam, retinuerunt, quoties in fide Christiana dubiæ quæstiones orirentur, aut alioqui ancipiti malo Ecclesia periclitaretur, mox Synodum convocarent, & dubias quæstiones ex Scripturis Sanctis, juxtà Sanctorum Patrum communem consensum & receptam Ecclesiæ autoritatem . . . . . *Concilium* MOGUNT. *præf. Anno* 1549. *circà med.*

SECTIO IV.

De NECESSITATE & AUTORITATE *Conciliorum.*

I.

SPIRITUS Sancti testatur præsentiam congregatio Sacerdotum; verum est enim quod legimus, quia nec potest veritas mentiri, cujus in Evangelio ista sententia est; ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego sum in medio eorum. Quod cum ita sit, si nec huic tam brevi numero Spiritus Sanctus deest, quantò magis eum tunc interesse credimus, quando in unum convenit tanta turba Sacerdotum: *Epistola* CÆLEST. *in Synod. Ephes.*

II.

Sanctum namque est pro debita sibi veneratione Concilium, in quo utique nunc Apostolorum frequentissimæ illius quam legimus, Congregationis aspicienda reverentia est: nunquam his defuit magister, quem receperant prædicandum; adfuit his semper Dominus & Magister: sed nec docentes à suo Doctore deserti sunt unquàm: docebat ille qui miserat, docebat qui in Apostolis dixerat quid docerent; docebat qui in Apostolis suis se confirmat audiri. Hæc ad omnes in commune Domini Sacerdotes mandatæ prædicationis cura pervenit: *Epistol.* CÆLEST. *ad Synod. Ephes.*

III.

Secundum Sanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia consecratos, Metropolitanos singularum Provinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis suæ cura prætenditur, jus traditæ sibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decernimus; ita ut à regulis præstitutis, nulla aut negligentia, aut præsumptione discedant: LEO. *Epistola XII. Cap.* 2.

IV.

Quoniam religiosus Sancto Spiritu congregante conventus hortatur, ut quæcumque pro Disciplinâ Ecclesiasticâ necessaria, curâ diligentiore tractemus: HILARUS *in Conc. Roman. Anno* 461.

Hæc quæ à nobis divina inspiratione tractata vel finita sunt, quisquis excesserit aut implere, quod

quod abſit, adverſa perſuaſione neglexerit, quaſi divinorum mandatorum tranſgreſſor, reum ſe fraternitatis Concilio futurum eſſe cognoſcat. *Concilium* LUGDUN. *Cap.* 6. *Anno* 517. *Concilium* AUREL. II. §. 33. *Cap.* 21.

Sicut Sancti Evangelii quatuor Libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor; Nicænum, in quo adverſum Arrii dogma deſtruitur; Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error convincitur; Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorii impietas judicatur; Calcedonenſe verò, in quo Eutichis Dioſcorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione cuſtodio: quia in his, velut in quadrato lapide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, & cujuſlibet vitæ atque actionis norma conſiſtit. Quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe cernitur, tamen extra ædificium jacet: GREGORIUS, *Epiſtola XXIV. in fine.*

V.

Omnipotentis Dei adeſſe præſentiam, ſi hæc obſervaveritis, ſcitote, quia ſcriptum eſt, ubi fuerint duo &c. Si ergo adeſſe dignatur ubi duo vel tres fuerint, quantò magis non deerit, ubi plures convenerint Sacerdotes: GREGORIUS *Lib. VII. Epiſt. III. verſus finem.*

Hoc univerſæ fraternitati veſtræ ſuademus, ut ea quæ Spiritu Sancto dictante, per ora omnium terminata fuerint, per omnes Eccleſias innoteſcant; ut unuſquiſque quid obſervare debeat, ſine aliqua excuſatione condiſcat: *Concilium* MATISC. II. *Præf.* 585. *idem C.* 15.

VI.

His ita ſe habentibus & proteſtantibus, exultantes in eis, ſicut qui invenit ſpolia multa, divinos Canones amplectabiliter in pectore recondimus, & integram illorum præceptionem ac immobilem tenemus, tàm ſcilicet illorum, qui ab almis & laudabiliſſimis Apoſtolis, Spiritûs Sancti tubis, editi ſunt, quàm eorum, qui à ſex ſanctis & univerſalibus Synodis, in expoſitione hujuſmodi Decretorum promulgati ſunt, nec non & illorum qui à Sanctis Patribus noſtris prolati fuiſſe probantur: ab uno enim eodemque Spiritu illuſtrati definierunt quæ expediunt: *Synod.* NICÆN. II. *Caput primum.*

VII.

Hac intentione confluximus ad locum memoratum, ut fida collocutione, quid nobis in tantis periculis & tribulationibus agendum ſit, ſollicitè quæreremus, & Sancto Spiritu demonſtrante inveniremus, *Epiſt. IV. Synod. apud Saponarias.* [Hic locus pertinet quoque ad SECT. *de Utilitate.n.*8.] Frequens generalium Conciliorum celebratio agri Dominici præcipua cultura eſt, quæ vepres, ſpinas & tribulos hæreſum, errorum & ſchiſmatum extirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & Vineam Domini ad frugem ſaluberrimæ fœcunditatis adducit; illorum verò neglectus præmiſſa diſſeminat, atque fovet. Hæc præteritorum temporum recordatio, & præſentium conſideratio antè oculos ponunt: *Concilium* CONSTANT. *Seſſio.* 39. *Conc.* BASIL. *Seſſ.* 1. *n.* 3.

VIII.

Tam ex communi omnium voluntate, quam ex evocatione ſeu ordinatione glorioſiſſimi Domini Clodovæi Regis, pro zelo religionis vel orthodoxæ fidei dilectione, in Cabilone &c. ut... interveniente divina inſpiratione, de Canonibus ſignificaretur, quòd ſi fuiſſet aliquid prætermiſſum, vel per negligentiam aut ignorantiam vitiatum, in priſtinum ſtatum, ſicut dudum fuerat à Sanctis Patribus ſtatutum, deberet auxiliante CHRISTO reformari: *Concilium* CABIL. *præf. Anno* 650.

IX.

Hinc & Decreta præcedentium Patrum ad contentionis jurgium radicitùs evellendum ritè Synodalem cenſuêre fieri conventum, ut illic, de diverſitate judiciorum protenſæ lites, habeant terminum, ubi Spiritus Sanctus univerſalem coadunaverit cœtum: *Concilium* TOLET. VIII. *Cap.* II. *Anno* 653.

X.

Quam ob cauſam luculentiùs & magna voce pronuntiare non timeo, quia qui illa, quæ diximus, Sanctorum Patrum ſtatuta, quæ apud nos Canones prætitulantur, ſivè ſit Epiſcopus, ſivè Clericus, ſivè Laïcus, non indifferenter receperit, ipſe ſe convincit, nec Catholicam fidem & Apoſtolicam, nec Sancta vera CHRISTI Evangelia quatuor utiliter & ad effectum ſuum retinere vel credere: LEO IV. *ad Epiſcopos Britan. n.* 6.

Ad autoritatem pertinet *vis obligandi*; ideòque hùc pertinet quod legimus *in Concilio* TOLET. *Anno* 1355. *Cap.* 1.

XI.

Ne onerentur culpæ pondere ex tranſgreſſione Conſtitutionum Provincialium CHRISTI fideles, quos divina pietas jugo ſuavi & onere leviori ſupponere miſericorditer eſt dignata, ſacro approbante Concilio ordinamus, quòd Conſtitutiones proſunt prædeceſſorum noſtrorum, & quæ in futurum condentur, niſi aliter in condendis, fuerit expreſsè ordinatum, non ad culpam, ſed ad pœnam tantùm earumdem obligent tranſgreſſores.

Hinc ſequitur Concilium ſenſiſſe, ut par eſt, Canones etiam Conciliorum Provincialium obligare ad culpam, niſi in iis aliud expreſſum fuerit; cùm velit Conſtitutiones hujus Provinciæ obligare tantùm ad pœnam, niſi aliter in illis expreſſè fuerit ordinatum, eamque legem neceſſariam judicaverit.

XII.

Etſi in Divinis Præceptis non continetur, quod tales majorum noſtrorum Conſtitutiones jubent; tamen ut noſtris majoribus obediamus, ſaltem in his quæ Legi divinæ non adverſantur, diſerti Juris divini eſt: *Concilium* MOGUNT. *Anno* 1549. *Cap.* 48.

Sive tradantur ſcriptis Canonibus, quales Apoſtoli Spiritu Sancto tribuere non verentur. Viſum eſt, inquiunt, Spiritui Sancto & nobis: *ibid.*

TITULUS II.

De JURE *&* LEGE *generatim sumptis.*

I. JUS est dictum, quia justum est. DIST. I. *Cap.* 2. *jus. Jus scriptum. de testib. cogendis. Cap. Cæterùm.* LIB. II. DECRETAL. TIT. XXI. *cap.* 6.

II. Jus aut Naturale est, aut Civile, aut Gentium. *ibid. cap.* 6. *jus.*

III. Jus Naturale est commune omnium Nationum, eo quod ubique instinctu naturæ, non institutione aliqua, habetur *ibid. cap.* 7. *jus.*

IV. Jus Civile est quod quisque Populus, vel quæque Civitas sibi proprium divinâ humanaque causâ constituit, *ibid. cap.* 8. *Jus Civile.*

V. Indè Jus Gentium appellatur, quia eo jure omnes ferè Gentes utuntur: *ibid. cap.* 9. *Jus Gentium. fin.*

VI. Naturale Jus inter omnia primatum obtinet tempore & dignitate; cœpit enim ab exordio Rationalis Creaturæ; nec variatur tempore; sed immutabile permanet, DIST. V. *prima parte init.* Juris Naturalis transgressio salutis periculum induit. *de Consuet. cap. ult.* DECRETAL. LIB. I. TIT. IV. *cap.* 11.

VII. Jus Naturale prævalet Constitutioni & Consuetudini. DIST. VIII. *cap.* 2.

VIII. Jus Gentium est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violandorum Religio, connubia inter alienigenas prohibita. DIST. I. *cap.* 9. *Jus Gentium, init.*

IX. Homines ab initio natura liberos protulit, & Jus Gentium jugo substituit servitutis. CAUS. XII. QUÆST. II. *cap.* 68. *cum Redemptor. init.* GREG. I. *Lib.* V. *Epist.* 12. *An.* 595.

X. Jus militare est belli inferendi solemnitas, fœderis faciendi nexus, signo dato egressio in hostem, vel pugnæ commissio; item signo dato remissio; item flagitii militaris disciplina, si locus deseratur; stipendiorum modus, dignitatum gradus, præmiorum honor, &c. DIST. I. *cap.* 10. *Jus militare.*

XI. Omne Jus Legibus & moribus constat. DIST. I. *cap.* 2. *Jus. fin.*

XII. Jus generale nomen est: LEX autem *Juris* est species, *ibid.*

SECTIO UNICA,

De JURE PUBLICO, *in genere spectato*, sive *Considerationes magni momenti circà* JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM, sive SACRUM.

REGULA, Pacto privatorum Juri Publico derogari non potest, *occasionem ansamque præbet sequentibus considerationibus, circà Jus Publicum Ecclesiasticum.*

Receptissima est apud omnes, sed de sensu illius, vel potiùs de Casibus in illa comprehensis, non consentiunt omnes. Hujus dissensionis plura exempla habes *in cap.* 12. *de Foro compet.* & in Interpretibus circà illud; sed maximè CUJACIO & GONZALE. Causa autem illius est, quòd INNOCENTIUS III. in hoc Textu citatâ regulâ utatur, ut probet nullum Clericum posse renuntiare Privilegio fori, persuasus quod illud Privilegium sit Juris Publici; ut potè concessum statui Ecclesiastico, qui est Juris Publici. Hæc decisio Pontificia displicet *Cujacio*, sentienti quòd privilegium fori sit veluti jus, vel bonum commune inter Clericos, cujus pars à quolibet possidetur; atque cum ista sit in ipsius utilitatem, huic, tanquam proprio juri, renuntiare cuique liberum sit. E contrà *Gonzalez*, INNOCENTII decisionem amplexus, *Cujacium* refellit; nititurque ostendere, quòd privilegium fori sit bonum totius Cleri in commune possessum; ideòque nulli membro licere illud abdicare in causis suis; quod si præstaret, honori corporis detraheret; eô planè modo, quô quis renuntiaret privilegio Canonis, in favorem totius Cleri concesso, istum injuriâ afficeret. GLOSS. *in* v. *juri publico*, jamjàm *Gonzali* præiverat, sed quantumcumque *Gonzalez* cum GLOSSA Innocentii decisioni faveat, SALGADO longiùs progreditur; nàm, eadem innixus Regulâ, *pacto privatorum juri publico derogari non potest*, hinc concludit, Religiosum Exemptum non posse contrahendo se se subjicere Ordinario loci, etiam consentiente superiore immediato, nisi annuat Papa; quam extensionem non probat *Gonzalez*.

Cùm ergò celeberrimi Juris Interpretes, ità dissideant, circà Interpretationem prædictæ Regulæ, aliis plus, aliis minùs Jus Publicum ampliantibus, visum est conducibile fore, discutere, quid in illo Jure contineatur, quid non, eâque discussione æquivocationes tollere, ex variâ illorum verborum, *Jus Publicum*, acceptione proficiscentes.

PRIMA *Consideratio Juris Publici definitionem continens ac explanans.*

Unus tantùm est Textus Juris Canonici, qui definiat *Jus Publicum*. Nempè *Can.* II. DIST. I. illud redigit ad hoc, quod proximè spectat Ceremonias sacras, illarumque Ministros, necnon & Magistratus positos ad Reipublicæ administrationem: *Jus Publicum est in sacris, & in sacerdotibus & in magistratibus.* Hic Canon desumitur ab ISIDORO *Hispalensi*, qui hunc mutuavit ab ULPIANO in *L.* I. *§. hujus studii* 2. *ff. de Justitiâ & Jure*; iste autem paulo superius illud definit his verbis, *Publicum Jus est quod ad statum Rei Romanæ spectat.* Quod hic Jurisconsultus dicit de Jure Publico circà Rempublicam civilem, producendum est ad Rempublicam sacram, nempè Ecclesiam, quæ, ut illa, Regimen suum habet, omniaque necessaria, ut bonum sit; scilicet, Leges suas, Magistratus suos, Pœnas suas, suaque Præmia. Cum Ecclesia his præsidiis in bono statu conservetur, jure meritò dici potest, hæc omnia ad statum Ecclesiæ pertinere, eâdem planè ratione, quâ dicitur de his, quibus Respublica in bono statu manutenetur, quòd illa ad illius statum spectant. Hinc fortè derivavit nomen *Statûs*, quod Regnis attribuitur.

Itàque, Jus Publicum Ecclesiasticum amplissimum esse debet, cùm illo regantur quæ spectant ad sacra, illorum Ministros, istorum munia, electionem, vel promotionem, sustentationem, præmia pœnasque.

Hinc maxima Canonum pars, quibus constat CORPUS JURIS, ad *Jus Publicum* pertinet. Ejus generis sunt 1°. Apud GRATIANUM *tota Pars III. de Consecratione*, quæ spectat loca sacra, Sacramenta, Sacrificium Missæ, Festa, Jejunia, aliave ad cultum Divinum destinata. 2°. Quæcumque in *Parte II.* circà crimina & judicia collegit, in genere spectata; hæc autem, has circà res præcipuè versatur. 3°. Quæ habet in *prima Parte* de Principiis Juris, & de Ordinatione, & de spectantibus ad Ordinandos; hæc autem generatim & speciatim spectata, sunt hujus *Partis* præcipuum argumentum. 4°. In aliis Collectionibus ejusdem CORPORIS, *Tit.* I. *de Fide & Summa Trinitate: de Constitutionibus: de Rescriptis: de Consuetudine*: *Tit.* I. *de Electione: de Præbendis: de Concessione præbendarum: de Jure Patronatûs: de Institutionibus: de Translationibus: de Renunciationibus:* aliive, qui spectant Promotionem Ministrorum sacrorum, vel Sacramenta, vel Sacrificium, vel Officium divinum, vel Administrationem bonorum Ecclesiasticorum, vel Dignitates, vel alia Beneficia, vel Jurisdictionem, tàm voluntariam quàm contentiosam, ad quam pertinet totus *Liber* II., Pars *Quarti*, & totus ferè *Quintus*; undè quantæ hoc Jus amplitudinis existat, manifestum fit.

SECUNDA: *Varias horum verborum* Jus Publicum *colligens, ea explicans significationes, nec non æquivocationes amovens.*

Hæc locutio, *Jus Publicum*, æquivoca est. Significat enim quandòque possessiones, cæteraque quibus fruun-

fruuntur Principes vel Regna, aliaque regiminum genera, Aristocraticum, & Democraticum, & Mixtum, ex his duobus vel tribus simul coalescens. Hæc autem *Juris Publici* nomine donantur; quia ad Publicum pertinent; eò planè modò quò, ea quibus Privati fruuntur, vocantur *Jus Privatum*; æquivocatio ex eo petitur quòd, per Jus Publicum intelligitur Lex, quâ regitur quod ad Reipublicæ, tùm Sacræ, tùm Civilis, statum attinet: Et hoc nomen datur etiam rebus possessis ab illâ, ipsiusve Capite, ut Caput est.

Similis æquivocatio reperiretur in hâc locutione, *Jus Privatum*; si Lex, quæ dirigit ea, quæ ad Privatos pertinent, Jus Privatum vocaretur; quemadmodùm ea, quæ à privatis possidentur, Privata Jura appellantur: sed hoc insolitum. Lex enim hujusmodi vocari solet Jus Privatorum. Undè fit ut, in CORPORE JURIS, nullus extet locus, qui legem, quæ regit possessiones Privatorum, vocet *Jus Privatum.* Non obstat *Can.* 3. *Dist.* 3. in quo hæc leguntur: *Privilegia sunt Leges privatorum, quasi privatæ leges; nam privilegium indè dictum, quòd in privato feratur.* Hic enim *Canon* respicit tantùm exiguam partem Legis, quæ dirigit possessiones Privatorum, regulæque communis Exceptionem; ideòque confirmat Observationem factam, sicut Exceptio firmat regulam. Idem *Canon* unicus esse videtur Juris Textus, in quo hæc locutio *Lex privata*, usurpetur; è contra Jus Publicum frequentissimè sumitur, tàm pro Lege, quæ regit res ad Publicum pertinentes, quàm pro rebus hujus generis: undè res Principum, ut Principum, vocari solent Jura Publica; præsertim apud Authores, qui de his rebus egerunt. Cujus usus ratio est quòd *Jus* significat, tùm id, quod cuique pertinet; quo sensu dicitur Jus suum cuique tribuere: tum Legem, quâ illud regitur; proindèque res ad Publicum pertinentes, *Jura Publica* dicuntur, ut Leges, quæ illas regunt. Æquivocatio tolleretur, si ea, quæ ad Publicum pertinent, *Res Publicæ*, non *Jura Publica*, vocarentur.

Eadem locutio *Jus publicum*, est etiam æquivoca, quandò Juri Communi Privatorum Juris Publici nomen datur. Tunc enim confunditur id, quod ad statum Reipublicæ ejusque conservationem spectat, cum illo, quod ad bonum Privatorum pertinet: quæ duo ità distinguenda sunt, ut utilitas Publica à Privatâ distinguitur. Nec obstat quòd Jus Commune Privatorum conditum sit ob bonum Commune, quod etiam Publicum dicitur, atque ad illud tendat: nàm *Jus* verè & propriè *Publicum*, est illud, quod directè, proximè, & immediatè commodum publicum respicit; Jus verò Commune Privatorum directè, proximè, & immediatè respicit bonum cujusque Privati, nec ad utilitatem publicam confert, nisi prout conservatio rei privatæ influit ad conservationem Reipublicæ, eòque tendit ut medium ad finem. Verùm quidem est quod Jus Commune Privatorum, Jus Publicum dici potest; sed alio sensu: nempè, quò *Commune* pro *Publico* sumitur; ut, quandò fama vel rumor communis accipitur pro fama vel rumore publico, notitia communis pro notitia publica, actio privata, publica dicitur, ex eo quòd publicè nota est. Undè Lex aliudve simile publicari dicitur, quandò denuntiatur, vel promulgatur in aliquo loco, ut ab omnibus Incolis innotescat.

Porrò, ut hæc clariùs exponantur, advertendum. 1°. Quod *Jus* dici possit *Publicum*, vel ratione *Materiæ*; vel ratione *Intentionis* illud ferentis; vel ratione *Notitiæ*; vel ratione *Authoritatis*.

Jus Publicum est, ratione *Materiæ*, quando respicit immediatè res publicas, quæ nullius privati sunt, sed ad fiscum seu ærarium publicum pertinent, utpotè necessariæ ad regimen, gubernationem, vel administrationem publicam.

Ratione *Intentionis*, Publicum est, quòd conditur pro omnibus subditis, eorumque utilitatem, eoque sensu Jus Commune dicitur Publicum.

Ratione *Notitiæ*, Publicum est, quod omnibus, vel majori parti notum est.

Ratione *Authoritatis*, Publicum est, quod fit Authoritate publicâ, ut Acta, Instrumenta debitè scripta, vel recepta à Ministris publicis, vel coràm Judice recognita.

Idem dicendum de Judiciis præsertim Criminalibus, quæ, propter pœnas capitales, aliasve afflictivas, multò magis egent authoritate publicâ.

Advertendum 2°. Quòd, inter Leges quibus constat Jus Privatorum, nonnullæ sunt, quæ ad Jus Publicum quodammodò pertinent; quia conditæ sunt multò magis ad bonum publicum quàm ad commodum Privatorum. Tales sunt, quibus succurritur imbecillitati Personarum, quarum Princeps præcipuus Tutor esse debet, quæque sunt præsertim Minores, Mulieres, aliive similes, qui Minorum privilegio fruuntur. Tales sunt etiam, quæ caverunt ne Ministri Sacri egeant, indigentiàque suâ vel pereant, vel Servitium Divinum deserant. Tales quoque, quæ subveniunt deceptis, vel vi metuve oppressis; quæ irritant actus bonis moribus, ideòque Juri Naturali adversantes. In his omnibus aliisque similibus, locum habet Regula: *Pacto privatorum, Juri publico derogari non potest.* Pacta siquidem Juri Publico, sic spectato, contraria, irrita sunt: Cùm sint injusta, vel utrimque, ut cùm Religioni repugnant, quæ mores dirigit, Jus Naturale ac Divinum executioni mandat, ac interpretatur, vel ex parte eorum, qui ad illa inducunt, eoque modo Jus Publicum lædunt.

Advertendum 3°. quòd, inter Privilegia statui Personarum concessa, quædam sunt ità necessaria ad illum conservandum in splendore suo & in Reipublicæ commodum, quod indè percipere illa intendit, ut, si ipsis renuncietur à Membris vel à Corpore, bonum hinc speratum pereat. Hujus generis esse videtur Privilegium Canonis, *si quis suadente*, aliorumque similium, qui conditi sunt, ut Ecclesiastici ab omni injuriâ personali præservarentur. Nàm si huic renunciaretur, nec status in splendore suo conservaretur, nec Respublica intentum hinc bonum consequeretur, quod aliud non est, nisi ut DEUS honoretur in Ministris suis; proindéque huic Privilegio, nec Membra, nec Corpus renuntiare possunt, nec debent. Is est sensus *Cap.* 56. docentis, nulli licere hoc Privilegium abdicare, nec usum contrarium valere.

Alia sunt Privilegia statui Personarum concessa, quibus renuntiare fas est, illæsis manentibus illius splendore & bono huic à Republicâ intento. Tale fuit Privilegium Fori aliàs tributum Sacerdotibus Gentilium & Militibus, cui utrisque renuntiare licuit, testante JUSTINIANO in Legibus laudatis à GONZALE *in C.* 12. *de foro Compet.* quamvis illud privilegium ad Jus publicum spectaret, cum status Personarum sit Juris Publici. An autem Clerici eidem Privilegio renuntiare possint, discussum est in Tractatu *de Judiciis*, qui locus & sedes naturalis est hujus discussionis.

Consequentiæ ex utraque consideratione deducendæ.

Ex dictis sequitur, hæc verba *Jus publicum*, significare, 1°. Bonum, quod ad Publicum pertinet. 2°. Bonum, quod ad Principem, ut Principem, spectat, 3°. Jus Commune Privatorum. 4°. Legem, quæ regit quidquid proximè respicit gubernationem sivè Regimen Publicum, ejus Formam, Ministros, Magistratus, Media, quibus in bono statu manutenetur. Postrema significatio congruentior est aliis, idque infertur ex definitionibus Juris Publici suprà relatis. Hoc in sensu accipit Author *Institutionis ad Jus Gallicum Civile;* opponens etenim Jus Publicum Juri Privatorum, hæc habet, Le *Droit François a deux parties. Le Droit Public, qui regarde toute la Nation en*

géné-

général, comprend tout ce qui sert à conserver la Religion & l'Etat, & le Droit des Particuliers, qui les regarde tous également, & qui sert à régler leurs Droits, & les différens qu'ils ont les uns avec les autres.

Sequitur 2o. Utrumque Jus confundendi occasionem dare, qui Jus Privatorum, Juris Publici nomine donant, ideò quòd omnibus commune sit. Et maximi refert illa distinguere, hoc nomen reservando Juri, quod regit commoda Reipublicæ, quodque proximè & immediatè respicit utilitatem publicam, cui non confert jus privatorum, nisi medio commodo Privatorum, quod immediatè spectat.

Sequitur, 3o. quòd, cùm Religio sit prima pars Juris Publici, quidquid illàm lædit, Juri Publico adversatur; ideòque, cum boni mores ad Religionem spectent, Pacta & Conventiones his contraria præcipuè continentur in Regulâ, *Pacto privatorum, juri publico derogari non potest.* In quo Principes sivè Spirituales, sivè Temporales, potioris conditionis non sunt, quàm alii homines; quia, quoad Religionem illiusque authorem, ad instar Privatorum sunt.

4o. Ex factâ suprà enumeratione eorum, quæ sunt *Materia* Juris Publici, patet, omnes ferè Tractatus, quibus constabit *Secunda Pars* hujus Operis, ad Jus Publicum quodammodo pertinere, ut in illis prout opus erit, ostendetur; idem dicendum de posteriori Parte Partis Primæ: Proindéque specialem de illo tractatum necessarium non esse, sed præcedentes Observationes & Considerationes abundè sufficere, ad hoc, ut facilè discernatur à Jure Privatorum, cum quo nonnunquam confunditur; quod illarum præcipuus scopus fuit.

TITULUS III.

Quid est LEX?

I. LEX est Constitutio scripta: DIST. I. *Cap. 3. Lex.* Divinitùs & humanitùs sancitas, Divinas & Humanas Leges vestra devotio & dignitas observare curabit, si & in cœlesti regno, & in terreno feliciter cupitis prosperari. *Concil.* MELD. *An.* 845. *Can.* 26. CONC. *Tom. VII. p.* 1829.

II. CONSTITUTIO Lex est in scriptis redacta, sivè Jus. DIST. I.

III. Lex erit omne jàm quod ratione constiterit dumtaxat quod Religioni conveniat, quod Disciplinæ congruat, quod saluti proficiat. DIST. I. *Cap. 5. consuetudo §. ult. porrò, fin.*

III. Omnes Leges aut Divinæ sunt aut Humanæ DIST. I. *Cap.* I. *omnes.*

V. Leges Ecclesiasticæ, Leges Vulgares & Publicæ, CAUS. XXXIII. *Quæst.* II. *Cap. 3. historia.*

VI. Constitutio alia est Civilis, alia Ecclesiastica, DIST. III. *Prima Parte §. omnes species.*

VII. Ecclesiastica Constitutio *Canonis* nomine censetur, & dicitur *Jus* CANONICUM, & aliquando *Jus* DIVINUM. *ibid. & in 6o. de Privilegiis cap. cùm de diversis.* LIB. V. TIT. VII. *Cap.* 2.

VIII. Constitutio Civilis, vel *Edictum* est, quod Rex, vel Imperator constituit, vel edicit. DIST. II. *Cap.* 4. *Constitutio.*

IX. Duæ sunt Leges, una Publica, altera Privata; CAUS. XIX. *Quæst.* 2. *Cap.* 2. *Duæ init.*

X. *Publica* Lex est, quæ à Sanctis Patribus scriptis est confirmata, ut est Lex Canonum, quæ quidem propter transgressiones est tradita *ibid.* Lex *Privata* est, quæ instinctu Sancti Spiritus in corde scribitur. *ibid. §. Lex. init.*

XI. Dignior est Lex Privata, quàm Publica, *ibid. med.*

TITULUS IV.

QUALIS LEX ESSE *debeat.*

ERIT Lex honesta, justa, possibilis, secundùm naturam, secundùm Patriæ consuetudinem, Loco Temporique conveniens, necessaria, utilis. DIST. IV. *Cap. 2. erit.*

Lex non debet esse obscura, vel captiosa, sed certa & manifesta *de Verborum significatione. Cap. Abbate §. penultimo, contrà quod fin.* DECRETAL. LIB. V. TIT. XL. *Cap.* 25.

Erit manifestà, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat. *ibid.*

Nullo privato commodo, sed prò communi civium utilitate sit conscripta. *ibid. fin.*

Qui Legem fert ad commune commodum & aliorum profectum intendit *in 6o. de Privilegiis, Cap. cùm de diversis init.* LIB. V. TIT. VII. *Cap.* 2.

Factæ sunt Leges, ut earum metu Humana coerceatur audacia; tutaque sit inter improbos innocentia, DIST. IV. *Cap.* I. *factæ init.*

Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi præceptum, necessitas est servientis, CAUS. XIV. *Quæst.* I. *Cap.* 3.

Constitutio nihil debet obscurum vel ambiguum continere, *de Const. Cap. quoniam* LIB. I. DECRETAL. TIT. II. *Cap.* 13.

Ait Romana autoritas, quæcumque Leges sine die & Consule fuerunt prolatæ, non valeant. *Inter fragmenta Conciliorum* TOM. II. CONCIL. *p.* 1233. *Capite, debent fin.*

Ideò Lex ponitur, ut appetitus noxius sub juris regula limitetur, per quam genus humanum, ut honestè vivat, alterum non lædat, jus suum unicuique tribuat, informatur. GREGOR. IX. *in Præmio* DECRETAL. *§.* I.

Effrenata cupiditas, sui prodiga, pacis æmula, mater litium, jurgiorum, quotidie nova litigia generat, ut, nisi justitia conatus ejus sua virtute reprimeret, & quæstiones ipsius implicitas explicaret, jus humani fœderis litigatorum abusus extingueret; *in Præm.* DECRETAL. *post initium.* Pravorum severitas extirpatur, dùm canonica instituta ad agnitionem eorum observanda modis omnibus deducuntur, ita scilicet, ut, quæ sunt aut in præteritis gestis, aut in præsentibus constitutis, nullus his contradicere audeat, nullus reverberare præsumat, nullus non implere contendat. *Concil.* TOLET. *16. An. 693. Cap.* 7. TOM. VI. CONC. *p.* 1342.

Lex, seu Constitutio, & Mandatum nullos adstringunt, nisi post quàm ad notitiam pervenerint eorumdem, aut nisi post tempus intrà quod ignorare minimè debuissent *in 6o. de concessione Præbendæ*, &c. *Cap. quia cunctis §.* 2. *nec obstaret* LIB. III. TIT. VII. *Cap.* I.

Leges instituuntur, cùm promulgantur; firmantur cum moribus utentium approbantur. DIST. I. *Cap.* I. *§. leges.*

Quæ Legibus constituta sunt nec communi usu approbata, se non observantes transgressionis reos non arguunt. *ibid. §. hæc.*

Non est necessarium cùm Constitutio solemniter editur aut publicè promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus, per speciale mandatum, vel litteras inculcare. *De Postulatione Cap. ad hæc* LIB. I. DECRETAL. TIT. V. *Cap.* I. *§. quod non sufficit.*

Id solùm sufficit, ut ad Constitutionis observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publicè promulgatam. *ibid. de Postulatione. Cap. ad hæc.* LIB. I. DECRETAL. TIT. V. *Cap.* I. *§. quod nec sufficit.*

Quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est, constat primitùs non fuisse. CAUS. I. *Quæst.* 7. *Cap.* 7. *quod pro, init.*

Constitutiones, quas diuturnitas temporis observavit, & usus consuetudinis hactenùs approbatæ retinuit, temeritate qualibet ne infirmentur. *de Consuet. Cap. ex litteris in integro* LIB. I. DECRETAL. TIT. IV. *Cap.* 2. scriptum est patere Legem quam ipse tuleris & alibi.

Quod

Quod quisque juris in alterum statuerit, ipse eod. jure utatur, *Pragm. Sanctio, de* CAUSIS, TIT. 11. §. 13. *fin.*

TITULUS V.

De DISTINCTIONE LEGUM *petitâ ex Distinctione* POTESTATUM *quibus competit illas condere; nempe Sacerdotii, & Imperii,* CANONES *ex* CORPORE JURIS *vel aliundè deprompti.*

I. Mediator Dei & Hominum homo CHRISTUS JESUS, sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro æternâ vitâ Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantum modò rerum Imperialibus legibus uterentur. DISTINCT. XCVI. *Cap. 6. cùm ad §. fin.* desumitur à NICOLAO I. Refertur idem locus cum *Gelasii* Canone infrà adducendo in Concilio apud *S. Macram* in Diœcesi . . . Rhemensi, Ann. 881. *Cap.* 1. TOM. IX. CONC. *p.* 337. ubi circà hanc Distinctionem alia notatu digna adjiciuntur.

II. Ideò Pontifex militans Deo minimè se negotiis sæcularibus implicare debet, ac vicissim non ille rebus Divinis præsidere, qui est negotiis sæcularibus implicatus: *ead.* DIST. &c. *Idem habetur, in eodem Concilio & Canone.*

III. Novæ Pedagiorum exactiones sine autoritate & consensu Regum & Principum non sunt imponendæ: *de Censib. Cap. Innovamus.* LIB. III. DECRETAL, TIT. XXXIX. *Cap.* 4.

IV. Ad Regem pertinet non ad Ecclesiam de possessionibus bonorum temporalium judicare. *Qui filii sint legitimi Cap. Causam* 2. LIB. IV. DECRETAL. TIT. VII. *Cap.* 7.

V. Ecclesia non vult juri Regum detrahere, in rebus quæ ad ipsorum judicium pertinent. *ibid.*

VI. Constitutio Laïcorum circà res Ecclesiæ, seu venditio fundorum Ecclesiasticorum sine legitimo Clericorum consensu, non valet. *de Constitutionibus, Cap. quæ Ecclesiarum.* LIB. I. DECRETAL. TIT. II. *Cap.* 7.

VII. Etiamsi talis Constitutio respiciat commodum & favorem Ecclesiarum, nisi fuerit ab Ecclesia approbata, non valet. *ibid. Cap. Ecclesia, seu* LIB. I. DECRETAL. TIT. II. *Cap.* 10. Similes Canones referuntur in *Regulis* circà *Constitutiones*, & explicantur.

VIII. Laïcis Ecclesiæ præjudicium afferentibus Ecclesia vult moderatâ autoritate resistere. *De Privilegiis. Cap. sicut colligitur, cum* GLOSSA *p.* 170.

IX. Sanctæ Ecclesiæ dogmata non Imperatorum sunt, sed Pontificum, quæ tutò debent dogmatisari. Idcircò Ecclesiis præpositi sunt Pontifices à Reipublicæ negotiis abstinentes &c. *Epist.* GREGORII II. *an.* 726. *ad Leonem Isaurum*: CONC. TOM. VII. *p.* 18. *circà medium.*

X. Semper decuit ac bonum Deo visum est totum mundum à duobus Ministris regi optimè, ac gubernari, Sacerdote & Rege scilicet, *Convent. Melod.* TIT. XVI. *Art.* 1. *fin.* 1579.

XI. Duo sunt quibus principaliter hic mundus regitur, autoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. DIST. XCVI. *Cap.* 10. *duo sunt* &c.

XII. Refert inter Pontificis & Principis unctionem quia caput Pontificis chrismate consecratur, brachium verò Principis oleo delinitur, ut ostendatur, quanta sit differentia inter autoritatem Pontificis & Principis potestatem. *De Sacra Unctione Cap. unic.* LIB. I. DECRETAL. TIT. XV. *Cap. un.* 2. *parte §. unde.*

XIII. Laïcorum & Ecclesiæ distincta est jurisdictio. *De Privilegiis Cap. sicut colligit*, GLOSSA LIB. V. DECRETAL. TIT. XXXIII. *Cap.* 2.

XIV. Lege Imperatorum non in omnibus Ecclesiasticis controversiis utendum est, præsertim cum inveniantur Evangelicæ & Canonicæ sanctioni aliquoties obviare. Lex Imperatorum non est suprà Legem Dei sed subtùs. Imperiali Judicio non possunt Ecclesiastica jura dissolvi. *Cap.* 1. DIST. X.

XV. Constat Ecclesiam peregrinantem duabus præsentialiter Personis gubernari, Sacerdotali scilicet, ac Regali; quatenùs autoritate Episcopali atque Imperiali censurâ, intrinsecùs & extrinsecùs circumseptâ liberiùs modùm proprium valeat conservare. *Conc.* AQUISGR. II. *An.* 836. *post Can.* 25. TOM. VII. CONC. *p.* 1726.

XVI. Ubi Ecclesiastica potestas deficit, ad sæculares recurratur potestates. DIST. XVII. *Cap.* 4. *nec licuit, fin.* GLOSS. colligit ex his verbis, ne obstinati aliorum perditio esse possint, secundùm Canones per sæculares comprimi potestates. De eodem ad Principes Recursu sermo fit, in *Can.* 19. *Can.* 11. *Quæst.* 1. eruto ex *Conc.* CARTHAGIN. III. *An.* 397. *celebrato.*

XVII. Ubi Ecclesia per se proficere non potest, invocandum est auxilium sæculare. *De Clerico excommunicato ministrante. Cap. si quos. fin.* GLOSS. *colligit* verbo, *Regis judicio.* LIB. V. DECRET. TIT. XXVII. *Cap.* 2. GONZAL. in hunc locum *n.* 2. notat id, quod hic dicitur, de recursu ad Regis judicium, desumi ex *Conc.* VERNENSI *C.* 9. sub PIPINO *An.* 755.

XVIII. STEPHANUS V. *Epistol. I.* ad *Basilium* Imperat. *Tom. IX.* CONC. *p.* 366. manui regiæ non subjicitur Sacerdotalis & Apostolica nostra dignitas; licet enim ipsius Christi imperatoris similitudinem in terris geras, rerum tamen mundanarum & civilium tantùm curam gerere debes.

XIX. *Epistola* HENRICI, Regis Romanorum, ad *Gregorium VII.* anno 1073. TOM. X. CONC. *p.* 29. regnum & Sacerdotium ut in Christo ritè administrata subsistant, vicaria sui ope semper indigent.

XX. *Conc.* PARIS. VI. *Cap.* 3. *An.* 829. *Tom.* VII. CONC. *p.* 1599. post relatum locum *Gelasii* suprà laudatum, addit ex *S. Fulgentio*, quantum pertinet, inquit, ad hujus temporis vitam, in Ecclesia, nemo Pontifice potior, ac in sæculo, Christiano imperatore nemo celsior invenitur.

XXI. *Conc.* AQUISGRA. II. *An.* 836. *præfat.* loquens de *Ludovico Pio*, hæc de potestate Principis circà res Ecclesiasticas, habet: Cœpisset secundùm ardentissimam circà divinum cultum sibi cœlitus inspiratam voluntatem, multa congrua & necessaria de emendatione sanctæ Ecclesiæ . . . . solerter ac curiosè pertrahere, supponens utramque potestatem, spiritualem & temporalem mutuo auxilio egere, præcepit ut sese invicem adjuvent. *Conc.* CABILLON. II. *An.* 813. *Can.* 20. CONC. TOM. VII. *p.* 1276.

XXII. *Epistola* GREGORII IV. ad Episcopos Franciæ. TOM. VII. CONC. *Append. p.* 1870. fusè explicat quid debeant Regi, quid Pontifici.

XXIII. Ad firmamentum Cœli, hoc est Universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis autoritas, & Regalis potestas. *De Majorit. & Obed. Cap. solitæ §. 5. præterea* LIB. I. DECRETAL. TIT. XXXIII. *6.*

Illa potestas quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est: quæ verò carnalibus, minor. *ibid.*

XXIV. Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea quæ divina sunt Imperiale aliquod jus habere: *Caus.* XXIII. *Quæst.* 8. *Cap.* 21. *§.* 4. Divus Ambrosius priùs dixerat, quæ divina sunt imperatoriæ potestati non esse subjecta.

XXV. Sacerdotium Imperii sanctificatio est, & Constitutio; & Imperium Sacerdotii fortitudo, & firmamentum; de quibus sapiens quidam Princeps & in Sanctis Regibus beatissimus . . . . . ait: „ma„ximum donum Deus hominibus præstitit, Sacerdo„tium & Imperium, illud quidem adornans & regens „cœlestia, hoc verò gubernans legibus justis terrestria. *In Epistol. Episcopor. & Presbyterorum Orientis*, TARASIO, *Patriarchæ Constantinopolitano*, Actione III. *Concilii* NICOEN. II. *p.* 170.

XXVI.

XXVI. *Concilium* TROSLEIANUM *Anni* 909. *Cap.* 2. TOM. IX. CONC. *pag.* 524. fusè agit de distinctione utriusque Potestatis, eximia loca Patrum & Pontificum de illa referens.

XXVII. Imperiali Judicio non possunt Ecclesiastica Jura dissolvi. DIST. X. *Cap.* 1. *lege* §. 1.

XXVIII. Lege Imperatorum non in omnibus Ecclesiasticis Controversiis utendum est. *ibid. Cap.* 1. *lege init.*

XXIX. Occurrunt rarò Ecclesiasticæ causæ tales, quæ non possint statutis Canonicis expediri. *De Privilegiis. Cap. super specula.* LIB. V. DECRETAL. TIT. XXXIII. *Cap.* 28.

XXX. Res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad Divinam Confessionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis defendat autoritas: CAUS. XXIII. *Quæst.* 5. *Cap.* 21. *res.*

XXXI. Imperium suis administrationibus debet esse contentum, non usurpare, quæ Sacerdotibus Domini solùm conveniunt: DIST. X. *Cap.* 5. *Imperium.*

XXXII. Si Imperatores in errore sunt, pro errore suo contrà veritatem leges dant, per quas justi probantur, & coronantur, non faciendo quod illi jubent, quia Deus prohibet. CAUS. XI. *Quæst.* 3. *Cap.* 98. *Imperatores init.*

Quando autem Imperatores veritatem tenent, pro ipsâ contra errorem jubent; quod quisquis contempserit, ipse sibi judicium acquirit. *ibid.*

XXXIII. Licet cum aliquo dispensetur à Papa quoad actus spirituales; non tamen intelligitur cum eo dispensatum, quoad actus sæculares. *Qui filii sint legitimi. Cap. per venerabilem. Init. colligitur*, LIB. IV. DECRETAL. TIT. XVII. *Cap.* 13.

XXXIV. Sacrorum statuta Canonum, Principum Constitutionibus adjuvantur. *De novi operis nunciatione. Cap. intelleximus. §. quia verò. init.* LIB. V. DECRETAL. TIT. XXXII. *Cap.* 1.

Leges non dedignantur sacros Canones imitari. *ibid.*

XXXV. Principes sæculi nonnunquàm intrà Ecclesiam potestatis adepta culmina tenent, ut per eandem potestatem Disciplinam Ecclesiasticam muniant. CAUS. XXIII. *Quæst.* 5. *Cap.* 20. *init. Regnum aliquod.*

XXXVI. Quantùm ad ea quæ jus fori contingit consuetudinibus suis, & institutionibus Regum suorum omnino regi potest, usumque testamentorum rejicere. *De Consuetudine Cap. ex litteris crisi. init. in integ.* LIB. I. DECRETAL. TIT. IV. *Cap.* 2.

XXXVII. Ad Sacerdotes Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates. DIST. XCVI. *Cap.* 11. *si Imperator.* JOHANNES VIII. An. circ. 873. Illa discere debent, non docere; in his executiones suas subdere Sacerdotibus, non præferre. *ibid.*

XXXVIII. Sicut Romani Pontifices ab injuria Principum cessant, sic ipsi contra Jus Romanorum Pontificum se nequaquàm injuriosos ostendant. *De Elect. Cap. venerabilem in int. med.* LIB. I. DECRETAL. TIT. VI. *Cap.* 34.

XXXIX. Sæculari Domino, sub cujus judicio de hæreditate causa vertitur, relinquitur, ut pro quæstione spirituali, non dimittat, quin causam super hæreditate audiat & decidat; *Qui filii sint legitimi. Cap. lator. §. ideòque, fin.* LIB. IV. DECRETAL. TIT. XVII. *Cap.* 5.

XL. Quisque Episcoporum, per Regiam autoritatem Reipublicæ Ministros conveniat, ut si in quibuscumque civili indiguerit adjutorio, Reipublicæ Ministris concurrentibus, suum, imò Divinum possit ritè peragere ministerium. *Conc.* MELD. *An.* 845. *Cap.* 71. TOM. VII. *Conc. p.* 1841.

Si in adjutorium vestrum terreni Imperii leges assumendas putatis, non reprehendimus: fecit hoc Paulus, cùm adversùs injuriosos Civem Romanum se esse testatus est. *Cap.* 7. DIST. X.

TITULUS VI.

De QUALITATE ET MATERIA LEGUM *Sæcularium, desumptis ex Officiis Principum erga Subditos*, CANONES, *ex* CORPORE JURIS, *aliisque Sacris Monumentis deprompti.*

I. REGES & Principes mundi sunt maximè constituti propter latrones, homicidas, raptores, ut & illos damnent, & alios suo timore compescant. CAUS. XXIII. *Quæst.* 5. *Cap.* 39. *sunt quædam fin.*

II. Regi ad bonorum laudem, vindictam verò malorum, gladius est commissus. *De Homicidio Cap. postulasti.* LIB. V. DECRETAL. TIT. XII. *Cap.* 21.

III. Omnis potestas tribuitur à Domino ad justitiam rectumque judicium exercendum. *In 6. de Homicidio Cap. porrò humani §. cùm igitur, post init.* LIB. V. TIT. IV. *Cap.* 1.

IV. Ipsa jura humana per Imperatores & Reges sæculi Deus distribuit generi humano. DIST. VIII. *Cap.* 1. *quo jure.*

V. Regi licet in civitate, cui regnat, jubere aliquid, quod nequè antè illum quisquam, nec ipse unquam jusserat, & contrà societatem civitatis ejus non obtemperatur. DIST. VIII. *Cap.* 2. *quæ contra.* Imò contra societatem non obtemperatur. *ibid.*

In potestatibus societatis humanæ major potestas minori ad obediendum præponitur. *ibid. fin.*

VI. Regum officium est proprium, facere Judicium & Justitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos, & peregrino, pupilloque, & viduæ, qui faciliùs opprimuntur à Potentibus, præbere auxilium: CAUS. XXIII. *Quæst.* 5. *Cap.* 23. *Regum.*

VII. Administratores sæcularium dignitatum ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum & viduarum protectionem, rapaciumque refrænationem constituti esse procul dubio debent. *ibid. Cap.* 26. *administratores init.*

VIII. Ea quæ divina sunt Imperatoriæ potestati non sunt subjecta: CAUS. XXIII. *Quæst.* 8. *Cap.* 21. *convenior. init.*

IX. Non licet Imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contrà divina mandata præsumere, nec quidquam, quod Evangelicis, aut Apostolicis regulis obviet agere: DIST. X. *Cap.* 2. *non licet.*

X. Rex à regendo dicitur, ut se sub Deo, & bonos cum Deo, puritate cordis, veritate oris, firmitate stabilitatis regat, & pravos à pravitate corrigat, & in rectitudinem dirigat: *Synodus* CARISIACA *Anni* 858. *Cap.* 5. TOM. VIII. CONC. *p.* 657. *& Cap.* 11. *p.* 662. *Cap.* 14. *pag.* 665.

XI. Omnis Rex Dei habet imaginem: CAUS. XXXIII. *Quæst.* 5. *Cap.* 13. *hæc imago post init.*

XII. Rex in coronatione sua jurat & tenetur jura regni sui & honorem coronæ suæ illibita servare. *De Jurejurando Cap. intellecto. §. quia.* LIB. II. DECRETAL. TIT. XXIV. *Cap.* 33.

Regi non licet alienationes facere in præjudicium Regni sui. *ibid.*

XIII. Ideò gerere Rempublicam, ut rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile. CAUS. XXII. *Quæst.* 3. *Cap.* 5. *Militare.*

XIV. JESUS-CHRISTUS Nazarenus unctus est oleo . . . . . præ consortibus suis. Principis unctio à capite ad brachium est translata, ut Princeps ex tunc non ungatur in capite, sed brachio, sive humero, vel in armo, in quibus Principatus congruè designatur; juxtà illud quod legitur; factus est principatus super humerum ejus. *De sacra unctione. Cap. unico, Parte tertia circà med.* LIB. I. DECRETAL. TIT. XV.

XV. Imperator habet privilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis divinitùs consecutus est, ut ejus beneficiis non ingratus, contra

dispo-

dispositionem cœlestis ordinis nil usurpet filius, non præsul Ecclesiæ *Cap.* 11. DIST. XCVI.

XVI. Summum in Regibus bonum Justitiam colere, ac sua cuique jura servare, & in subjectos non sinere quod potestatis est fieri; sed quod æquum est, custodiri. Gregorii V. Epist. IV. ad *Constantiam* Reginam Galliæ, TOM. IX. CONC, *p*, 756.

XVII. *Concilium* CALETUENSE *An.* 787. *Cap.* 11. 12. TOM. VI. CONC. *p.* 1866. de Regibus hæc inter alia habet: „Reges habeant Consiliarios prudentes, do„minum timentes, moribus honestos, ut Populus „bonis exemplis Regum & Principum eruditus & con„formatus, proficiat in laudem & gloriam omnipo„tentis Dei„.

XVIII. *Conc.* PARIS. VI. *An.* 829. *Cap.* 1. 2. 3. 4. *lib.* 2. TOM. VII. CONC. *p.* 1636. fusè agit de Officiis Principum. *Cap.* 1. hæc dicit: „Rex à rectè agendo „vocatur. Si enim piè, & justè, & misericorditer re„git, mente Rex appellatur: Si his caruerit, non „Rex, sed Tyrannus est. Antiqui omnes Reges Ty„rannos vocabant; sed posteà piè justè & miseri„corditer regentes Regis nomen adepti sunt„.

Caput 2. sic incipit: „Regale ministerium specia„liter est, Populum Dei gubernare & regere, cum æqui„tate & justitia, & ut pacem & concordiam habeat „studere„.

Argumentum *Cap.* 3. est; *de periculo Regis*, „quod „benè agentes remunerare, malè agentes sua auto„ritate reprimere, causamque pauperum ad se facere „ingredi debeant, *capitis* 4. verò, quòd æquitas ju„dicii est stabilimentum Regni, & injustitia, ejus „eversio„.

XIX. *Concilium* AQUISGRAN. II. *An.* 836. *Cap.* 3. *Can.* 1. 2. 3. &c. TOM. VII. CONC. *p.* 1715. Eadem habet, sed aliis verbis. Hujus Cap. epigraphe est, *de Persona Regis, Filiorumque ejus & Ministrorum.*

XX. Ab illo, qui solus meritò & Rex & Sacerdos fieri potuit, Ecclesia ità disposita est, ut Pontificali autoritate & Regali potestate gubernetur. *Conc. ad* THEODONIS VILLAM. *An.* 844. *Cap.* 2. TOM. VII. CONC. *p.* 1802. Ibid. *C.* 4. tractat de Officio Regum, circà res Ecclesiasticas, & Officio Episcoporum ergà Reges circà easdem.

XXI. Indignum valdè est, qui in Regia dignitate cæteros Eccelesiæ filios autore Deo præcellunt, negligentiùs, quæ Dei sunt, exequi videantur. *Conc.* MELD. *An.* 845. *Cap.* 15. TOM. VII. CONC. *p.* 1844.

XXII. *Concilium* MOGUNTIAC. *Anni* 888. *Cap.* 2. 3. TOM. IX. CONC. *p.* 403. agit de Officio Regum in genere, & in specie: præcipuè ergà personas miserabiles, quales orphani, pupilli, viduæ, oppressi, pauperes.

XXIII. INNOCENTIUS II. *Epist.* 2. TOM. X. CONC. *p.* 946. hæc habet: „Nihil Rege sublimiùs, nihil est „quod clariore lumine præfulgeat, quàm fidos in „principe, nihil est quòd ita nequeat occasui sub„jacere, quàm vera Religio„.

XXIV. Justum est Principem Legibus obtemperare suis. DIST. IX. *Cap.* 2. *Justum est Init.*

Justa est vocis eorum autoritas, si, quod Populis prohibent, sibi licere non patiantur. *ibid. Cap.* 2. *fin.*

XXV. Jus humanum in potestate est Regum terræ. CAUS. XXIII. *Quæst.* 7. *Cap.* 1. *quicumque, init.*

XXVI. Jure humano dicitur, hæc villa mea hæc domus mea, hic servus meus est. DIST. VIII. *Cap.* 1. *quo jure.*

XXVII. Illa Imperatori tollere non licet, quæ Juris Naturalis existunt. CLEMENTINARUM *de sententia, & re jud. Cap. Pastoralis. §. cæterùm fin.* LIB. II. TIT. XI. *Cap.* 2.

XXVIII. Humanitatis est etiam Sæcularis Principis prospicere egenis, & dare operam, ut pauperibus alimenta non desint, EXTRAVAG. COMM. *de Privilegiis. Cap. inter cunctas §. ult. circà tertium. fin.* LIB. V. TIT. *de Privilegiis. Cap.* 1.

XXIX. Rex debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terrâ perdere, parricidas & pejerantes vivere non sinere. CAUS. XXIII. *Quæst.* 5. *Cap.* 40. *Rex.*

XXX. Nec Tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit, si Regia clementia Tyrannus subditos tractet. CAUS. XIV. *Quæst.* 5. *Cap.* 9. *neque si quis. §.* 3.

Nec vituperabilis ordo Regiæ potestatis, si Rex crudelitate tyrannicâ fæviat. Aliud est namque, injustâ potestate justè velle uti; & aliud est, justâ potestate injustè velle uti. *ibid. §.* 4.

XXXI. Quomodò Reges Domino serviunt in timore, nisi ea, quæ contrà jussa Domini fiunt, religiosâ severitate prohibendo atque plectendo. CAUS. XXIII. *Quæst.* 4. *Cap.* 42. *Si Ecclesia. fin.*

Aliter servit, quia homo est, aliter, quia etiam & Rex est. Quia homo est, ei servit, vivendo fideliter; quia verò etiam Rex est, servit, leges justa præcipientes & contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo. *ibid.*

XXXII. Meminerint à Deo potestates fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum &c. CAUS. XXIII. *Quæst.* 4. *Cap.* 45.

Non frustrà sunt instituta potestas Regis & cognitoris jus, ungulæ carnificis &c. CAUS. XXIII. *Quæst.* 5. *Cap.* 18.

XXXIII. Intemerata plus erunt quæ patriæ sunt salubri pollicitationi (à Principibus) jurata, quàm illa, quæ ob unius tantùm domûs sunt utilitatem pollicita. *Conc.* TOLET. XV. *An.* 688. TOM. VI. CONC. *p.* 1305. *init.*

Tributum Cæsaris est, non negatur. CAUS. XXIII. *Cap.* 21. *§.* 6.

TITULUS VII.

PECULIARIA DE OFFICIIS PRINCIPUM ERGA ECCLESIAM.

I. QUoties Principes ab Episcopis, & Ecclesiasticis viris conventi fuerint, eorum quærimonias attentiùs audiant, & secundùm quod necessitas expetierit, absque negligentia examinent, & diligenti studio corrigant. CAUS. XXIII. *Quæst.* 5. *Cap.* 26. *Administratores.*

II. Reges ac Principes omnes, quæ Ecclesiastici Juris sunt, tanquàm Dei præcipua venerentur, nec ab ullis Magistratibus cædi patiantur. *Conc.* TRID. *Sess.* XXV. *de Reform. Cap.* 20.

Severè in eos, qui Ecclesiæ libertatem, immunitatem, atque jurisdictionem impediunt, animadvertant. *ibid.*

III. Principes sæculi nonnunquàm intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut, per eamdem potestatem, Disciplinam Ecclesiasticam muniant. CAUS. XXIII. *Quæst.* 5. *Cap.* 20. *Principes.*

Intrà Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut, quod non prævalet Sacerdos efficere per Doctrinæ sermonem, potestas hoc impleat, per disciplinæ terrorem. *ibid.*

Sæpè, per Regnum terrenum, cœleste Regnum proficit, ut, qui intrà Ecclesiam positi contrà fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, vigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas Principalis imponat. *ibid.*

IV. Noli te gravare, Imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, Imperiale aliquod jus habere: noli te extollere, sed, si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus, scriptum est, *quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari.* Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium jus commissum, non Sacrorum. CAUS. XXIII. *Quæst.* 8. *Cap.* 21. *convenior. §.* 4.

V. Quantò Reges Divinâ gratiâ summâque providentiâ majoris gratiæ privilegio decoravit, tantò viros religiosos majori debent caritate diligere, & in justitiis suis manutenere propensiùs & favore. *De Judiciis Cap. quanto in int. init.* LIB. II. DECRETAL. TIT. I. *Cap.* 3.

VI. Fidelium Principum poteſtati Deus ſuam Eccleſiam credidit. CAUS. XXIII. *Quæſt.* 5. *Cap.* 20. *Principes ſin.*

Agnoſcant Principes ſæculi, Deo debere ſe rationem reddere propter Eccleſiam, quam à Deo tuendam ſuſcipiunt. *ibid. poſt. med.* ſive augeatur pax & diſciplina per fideles Principes, ſive ſolvatur; ille ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam tradidit. *ibid. fin.*

VII. Sæculares Principes Catholicos Deus ſanctæ fidei, Eccleſiæque protectores eſſe voluit. *Concilium* TRID. *Seſſ.* XXV. DECRET. 2. *de Reform. Cap.* 20. *poſt init.*

VIII. Imperator bonus intrà Eccleſiam eſt, non ſuprà Eccleſiam; bonus enim Imperator quærit auxilium Eccleſiæ, non recuſat. CAUS. XXIII. *Quæſt.* 8. *Cap.* 21. *convenior. §. 6.*

Tributum Cæſaris eſt; non negatur. Eccleſia Dei eſt; Cæſari utique non debet adjici: quia jus Cæſaris eſſe non poteſt templum Dei. Quod cum Imperatoris honorificentiâ dictum nemo poteſt denegare. Quid enim honorificentiùs, quam ut Imperator Eccleſiæ filius eſſe dicatur? *ibid.*

IX. *Concilium* TROSLEIANUM *Anni* 909. *Cap.* 1. TOM. IX. CONC. *p.* 524. Principes condecet, ut privilegia ab antiquo Eccleſiis conceſſa roborent & ſtabiliter obſervari jubeant, &, quemadmodùm, ab antecedentibus Regibus honoratæ, vel rebus ampliatæ ſeu dotatæ fuerunt, ità de cæterò, ſub omni integritate, ſalva æquitatis ratione, permaneant.

X. Cognoſcant Principes ſæculi, Deo debere ſe rationem reddere propter Eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt. *Conc.* PARIS. VI. *An.* 829. *lib.* 2. *Cap.* 2. *fin.* TOM. VII. CONCIL. *pag.* 1640.

XI. Vide *Concilium* MOGUNTINUM I. *Anni* 857, in *Epiſtola ad* LUDOVICUM *fin.* TOM. VIII. CONC. *pag.* 40. & *Cap.* 4. & *Cap.* 6. ubi inter alia dicit, zelo Dei oportet vos defendere Eccleſias CHRISTI, qui vobis regnum in terra & dominationem tribuit; adductiſque poſteà exemplis priorum Imperatorum ad id excitat.

XII. Pertinet hoc ad Reges ſæculi Chriſtianos, ut temporibus ſuis pacatam & ſine diminutione velint ſervari matrem ſuam Eccleſiam, undè ſpiritualiter nati ſunt. NICOL. I. *ad Conſ. Bulgarorum Cap.* 18. TOM. VIII. CONC. *p.* 526.

Collecti hactenùs Canones circà Diſtinctionem, Qualitatem & Materiam Legum *ſequenti Titulo* explicabuntur, eorumque utilitas demonſtrabitur.

TITULUS VIII.

De LEGIBUS *ab* ECCLESIA *vel à* PRINCIPE *conditis, quæ excedere videntur condentis poteſtatem; ſed potiſſimùm de Eccleſiæ Legibus hujuſmodi. Ubi variæ ipſarum ſpecies exponuntur; & diſcutitur, quænam ſit earum autoritas.*

TRes in ſpecies dividi poſſunt Superiorum Eccleſiaſticorum Decreta, pro variis argumentis, circa quæ illa ſanciuntur: 1°. Quædam verſantur circa argumenta merè Temporalia; quales ſunt Canones circa *Manumiſſionem ſervorum*, qui reperiuntur in 1°. *Arauſicano.* 2°. *Arelatenſi.* 5°. *Aurelianenſi.* 2°. *Matiſconenſi*, & quibuſdam aliis Conciliis. Plura extant hujuſmodi Decreta, quæ *Judæos* reſpiciunt; juxta ea, quæ jubent, ut illi veſtes peculiares gerant, quibus à cæteris hominibus diſtinguantur; quæ prohibent eos certis diebus in publicum prodire, & palam operari diebus feſtis Chriſtianorum, eoſque damnant in quandam pecuniæ ſummam Eccleſiæ Parochiali quotannis ſolvendam. Hæc totidem ſunt Leges *Concilii Lateranenſis* IV. habiti An. 1215. ſub *Innoc.* III. *Can.* 67. 68. 69. Concilii *Narbonenſis An.* 1227. *Can.* 2. 3. 4. *Viennenſis*, in Auſtriâ, An. 1267. *Can.* 15. 16. 17. & complurium aliarum Synodorum Sæculis XII. XIII. XIV. habitarum.

Nihil eſt, quod magis ad autoritatem temporalem pertineat, quàm quod conſtituitur *Can.* 17. hujus Concilii *Viennenſis*. In eo damnantur Judæi, in quos ſpiritualis poteſtas, quam Deus Eccleſiæ impertitus eſt, non habet juriſdictionem; atque ſanciuntur carcer, verbera, mulcta pecuniaria, & depoſitio, quæ totidem ſunt Pœnæ Temporales. *Si quis verò Judæus cum aliquâ Chriſtianâ fornicationis vitium deprehenſus fuerit commiſiſſe, quoadùſque decem marcas argenti, ad minùs, pro emendatione ſolverit, diſtricto carceri mancipetur; & mulier Chriſtiana, quæ tam damnatum coïtum elegerit, per civitatem fuſtigata, de ipsâ civitate, ſine ſpe redeundi, penitùs expellatur.*

Multa ſunt in *Tridentino* Decreta ad primam hanc ſpeciem revocanda. v. g. illud, quod omni patrimonio exuit Duello dimicantes; & omnia Decreta, quæ Judici Eccleſiaſtico tribuunt facultatem damnandi Laïcos in mulctam pecuniariam, etiam in re civili.

Legum Eccleſiaſticarum ſpecies *Secunda* complectitur eas, quæ *merè* Eccleſiaſticæ ſunt; & *Tertia* eas, quæ circa argumenta *mixta* verſantur. Triplicem hanc Legum ſpeciem accuratè diſtinguere opus eſt, & inveſtigare, quænam ſit Eccleſiæ autoritas circà unamquamque; ut Spiritualis Poteſtas cum Temporali concilietur; ut in ſingulis argumentis capita ad alterutram pertinentia diſtinguantur, & quænam denique ſit utriuſque poteſtas.

SECTIO I.

Exponitur MENS ECCLESIÆ *in* LEGIBUS *à Superiobus Eccleſiaſticis, circà* RES TEMPORALES, *conditis.*

COnfundenda non ſunt omnia Conciliorum, & Pontificum Decreta, circà Res Temporales. Verum, ut minùs perturbatè exponatur, qualis ſit autoritas illorum, & majori cum certitudine detegatur mens eorum, à quibus illa profecta ſunt, ipſa in *Quinque* ſpecies diſtribuam.

Plura ex iis ſunt tantùm pia Conſilia, à Patribus, qui Conciliis interfuerunt, quique ea ad fidelium ſanctificationem utilia duxerunt, Regibus propoſita. Hujus generis ſunt Canones ex *Lateran.* IV. & ex *Narbon. Vienn.* & *Trident.* Conciliis, modò laudatis. Item plura ejuſmodi propoſitorum exempla occurrunt, in Regeſtis eorum, quæ geſta ſunt in Conciliis Gallicanis; maximè quoad media, quæ adhibenda erant, ad debilitandam & paulatim extinguendam Calviniſtarum ſectam in ditione Gallicanâ. Etenim Paſtores noſtri non ſibi arrogant, ut autoritate ſuâ Eccleſiaſticâ, ad vim ſtatutorum, omnes & ſingulos articulos à ſe propoſitos evehere poſſint. Si nonnullos executioni mandari non curat Rex, ipſi ob id non ſcandaliſantur; quippè qui gnari ſint, quòd iis ille ſuam autoritatem impertiretur, atque eos in Leges converteret, niſi inpræſentiarùm malum, quod indè Reſpublica ſentire poſſet, ſuperaret bonum, quod ex illis ſperatur. *Conc.* INSULAN. *Tom.* XI. CONCIL. *pag.* 2350.

Concilium INSULÆ, *in Comitatu*, An. 1253. habitum evidenter ſupponit Decreta Conciliorum circà Res Temporales eſſe mera *propoſita*, priuſquam à Principibus adoptentur. *Concilium* ARELATENSE, An. 1234. pœnas pecuniarias in contemptores excommunicationum conſtituerat; *Concilium Inſularum* illius Decretum confirmat, ſub clauſula tamen, ſi Domini temporalis conſenſus impetrari queat. *Contra contemptores excommunicationum ſervetur quod continetur in Concil. Arelatenſi, ſi hoc poterit per Temporales Dominos obtineri.*

An.

An. 1288. Senatus Parisiensis Judices Ecclesiasticos vetuit, ne pœnas pecuniarias in Judæos pronuntiarent. Subjicio verba quæ referuntur. *Cap. 36. Probationum Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ* n. 9. pag. 1370. *In Parlamento Pentecostes An.* 1288. *fol. 79. 6. dictum fuit, quòd Prælati aut eorum Officiales non possunt pœnas pecuniarias Judæis infligere, nec exigere per Ecclesiasticam censuram, sed solummodò pœnam à Canone statutam, scilicet Communionem fidelium, sibi subtrahere.* Decretum hoc luculenter probat, celebri huic collegio persuasum fuisse, Canones, qui supersunt adversus Judæos, ex autoritate Ecclesiasticâ non esse profectos.

Alii sunt Canones circa Res Temporales, qui intrà meri *propositi* limites non continentur, ut præfati; sed conditi fuerunt ab Ecclesia, ut, quatenùs potest, Legum Sæcularium, ad fidei promulgationem, hæreseon extirpationem, & generaliter, ad Ecclesiæ bonum utilium executionem procuraret *.

An. 1228. S. LUDOVICUS Constitutionem promulgavit in Hæreticos & Excommunicatos, qua Hæreticos eorumque fautores omnibus Officiis & Dignitatibus privat; item, factione Testamenti, & omnibus bonis, tàm mobilibus, quàm immobilibus; nec non præcipit Baillivis suis, ut apprehendant bona eorum, qui anno integro Excommunicati manebunt; & prohibet illa restituere, priusquàm absoluti fuerint, & sine suo speciali mandato.

Art. 2. „Ad ipsorum (Hæreticorum) extirpationem „statuimus, quòd Hæretici, qui à fide Catholicâ de„viant, quocumque nomine censeantur, postquam „fuerint de hæresi, per Episcopum loci, vel per aliam „Ecclesiasticam personam, quæ potestatem habeat, con„demnati, indilatè animadversione debita puniantur.

„Art. 3. † „Ordinantes etiam & firmiter decer„nentes, ne quis Hæreticos receptare, vel defensare, „quomodolibet, aut ipsis favere, aut credere quoquo„modò præsumat; &, si aliquis contrà prædicta facere „præsumpserit, nec ad testimonium, nec ad hono„rem aliquem de cætero admittatur, nec possit „facere Testamentum, nec successionem alicujus hæ„reditatis habere. Omnia bona ipsius mobilia & im„mobilia sint ipso facto publicata decernimus, ad ip„sum, vel ad posteritatem ipsius nullatenus rever„sura.

Art. 7. „Statuimus ut excommunicati vitentur, se„cundùm Canonicas sanctiones; &, si aliqui per an„num contumaciter in excommunicatione perstite„rint, ex tunc temporaliter compellantur redire ad „Ecclesiasticam unitatem, ut, quos à malo non retra„hit timor Dei, saltem pœna temporalis compellat.

Art. 8. „Undè præcipimus quòd Ballivi nostri om„nia bona talium excommunicatorum, mobilia, & „immobilia, post annum capiant, nec iis aliquo „modo restituant, donec prædicti absoluti fuerint: nec „tunc etiam, nisi de nostro speciali mandato„.

Constitutio hæc unum est ex illustrioribus, quæ supersint, monimentis pietatis S. Ludovici, ejusque zeli, ad conversionem Hæreticorum, & Excommunicatorum correctionem. Concessâ sibi divinitùs potestate sapiens utitur Princeps, adeò usque, ut Hæreticos & Excommunicatos bonis exuat, sed unà docet nos, sibi persuasum esse solos Principes hanc pœnam sancire posse.

Vult Excomunicatorum bona capta manere, donec absoluti fuerint, Ecclesiæque satisfecerint; sed ab Episcopali judicio non pendet, ut ea restituantur. Jubet ut suum expectetur mandatum speciale, *nec tùm etiam, nisi de nostro speciali mandato.*

† Antè *S. Ludovicum*, LUDOVICUS VIII. ejus Pater, circà eandem rem Constitutionem fecerat. Hoc à *Concilio* NARBON. An. 1227. discimus. Hæc sunt ejus verba. *Can.* 1. „Felicis recordationis Dominus „Ludovicus Rex Francorum, attendens quantâ per„tinaciâ Laïci Provinciæ Narbonnensis & quarundam „partium adjacentium, in præjudicium animarum „suarum, Sententiam Excommunicationis contem„nerent, contrà hujusmodi pertinaciam olim apud „Apamiam constitutus, à Consilio Domini Romani „Sancti Angeli Diaconi Cardinalis, tunc Apostolicæ „Sedis Legati, omnium etiam Prælatorum de Fran„ciâ, qui præsentes fuerant, pro Ecclesiasticâ Liber„tate statuit, ut, quicumque, post trinam admoni„tionem, excommunicari se permiserit, in novem Li„bris & uno Denario Turonensi puniatur; si verò „per annum, contumaciter in Excommunicationis „Sententiâ permanserit, bona ejus omnia cadant in „commissum. Quam Constitutionem nos Petrus, „Archiepiscopus Narbonnensis, de consilio fratrum & „suffraganeorum nostrorum, & approbatione totius „Concilii, mandamus & statuimus, atque præcipi„mus de cætero in Provincia Narbonnensi ab om„nibus inviolabiliter observari, ità videlicet, quòd „si fortè Excommunicatus in prædicta summa puniri „nequiverit, minori, vel aliàs secundùm providen„tiam sui Diœcesani Episcopi puniatur, sicut à Præ„latis Franciæ observatur„. Juxtà ordinem quem *Guillelmus* DE PODIO *Laurentii* servavit in Chronico suo, Concilium Apamiense, in quo Ludovicus VIII. hanc Constitutionem fecit, habitum fuit exeunte Anno 1226. paulò antè mortem ejusdem Principis. Idem Historicus scribit Concilium Narbonnense præfatum, quadragesimâ subsequenti celebratum fuisse. *Cùm enim* (inquit *Cap. 36.*) *esset Apamiæ Rex* (Ludovicus VIII.) *ibi multa consilio Cardinalis & contra contemptores Clavium Ecclesiæ animadvertit, statuto necessario & salubri, de quo fit mentio in Concilio Narbonnensi, in sequenti mox quadragesimâ celebrato, quod incipit felicis recordationis.* Concilium *Biterrense* habitum An. 1246. refert Decretum Concilii Narbonnensis *Can. 36.* CONCIL. TOM. XI. *pag.* 684.

Antequàm hæ Leges promulgatæ fuissent, quædam Concilia eamdem pœnam adversus Excommunicatos tulerant, atque adversùs Hæreticos, eorumque fautores. Exindè Concilia, *Tolosanum*, An. 1229.; *Biterrense*, An. 1246.; *Talentinum*, An. 1248.; *Albigense*, An. 1254. pluraque alia, similes quoque Canones condiderunt.

Decreta Conciliorum, quæ Principum Constitutiones præiverunt, nihil aliud erant quàm pia proposita, quæ effectum habere non poterant, nisi Reipublicæ moderatores iis autoritatem impertirentur. Concilia, quæ secuta sunt, Canones suos fecerunt, ut, quatenùs poterant, procurarent executionem Legum Principum Christianorum, quas utilissimas rebantur ad extirpationem hæreseon, & propagationem fidei, *Canon.* 1. *Concilii Narbon.* modò relatus, & 13. *Concil. Valent.* An. 1248. invictè probant Decreta hæc facta non fuisse, nisi ad Legum Civilium normam. Patres Valentinenses hos Canones fecerunt adversùs eos, qui excommunicationes contemnunt, jubent ut, quoad francigenas, observetur Constitutio *Cupientes*, quæ est *Ludovici*, cujus aliquot articuli supra relati sunt, & alii declarentur infames, absolvique nequeant nisi à Pontifice. „De contemptoribus Excommuni„cationum, quantùm ad eos qui sunt in Regno Fran„ciæ, observetur illa Constitutio, *Cupientes*, & Con„cilium Apamiarum: quantùm ad alios, qui non „sunt in Regno, statuimus, quòd si perstiterint per „sex menses in excommunicatione, & moniti nolue„rint resipiscere, denuntientur infames, & excom„municati, in locis ubi morantur, & in locis vici„nis, à quâ infamiâ non nisi per Sedem Apostoli„cam absolvantur„.

Concilium ALBIGENSE An. 1254. habitum. *Can.* 32. contrà Episcopos excommunicationum contemptores, distinguit quoque, inter Episcopos Gallicanos, &

* An. 1225. FRIDERICUS II. Imperator, similem edidit Legem quoad Hæreticos, & Excommunicatos, quæ excusa est ad calcem *Corporis Juris*. p. 539. Editio Vitre.

† TOM. XI. CONCIL. *pag.* 423.

† TOM. XII. CONCIL. *pag.* 304.

exteros : Jubet, ut, quoad posteriores, observetur *Canon.* 17. Conc. *Valent.* &, quoad priores, exequatur Decretum Concilii *Narbon.* suprà relatum. „ Circa Episcopos & excommunicationum temerarios contemptores, quantùm ad eos, qui sunt in Regno „ Franciæ, statutum Narbonnensis Concilii, quantùm „ verò ad illos, qui sunt extrà Regnum Franciæ, Valentinum Concilium observetur „.

Ratio, propter quam hoc Decretum alias pœnas statuit in excommunicatos regnicolas, quàm in extraneos, à Regibus nostris non pendentes, est, Principes horum Excommunicatorum Domini, nullam fecerant Constitutionem ei similem, quæ in Galliâ obtinebat; undè Patres illius Concilii suam autoritatem adhibere non potuerunt, ut ejus executionem procurarent; & coacti fuerunt exigere solummodò pœnas Ecclesiasticas, compertum habentes, quòd ad Principes solos pertinebat, ut subditos suos bonis temporalibus exuerent.

Notandum est quòd duo Cardinales Legati Pontificis huic Concilio præsidebant, & quod *Canon* 3. inter eos, qui vulgò tribuuntur *Lateranensi* IV. An. An. 1215.; jubet, ut Hæretici bonis omnibus spolientur, eâdemque pœnâ afficiantur ii, qui per annum in Excommunicationis vinculo perseverabunt.

„ Bona hujusmodi damnatorum, si Laïci fuerint, „ confiscentur; si verò Clerici, applicentur Ecclesiis, „ à quibus stipendia perceperunt. Qui etiam in„ venti fuerint solâ suspicione notabiles, nisi juxtà „ considerationem suspicionis, qualitatemque perso„ næ, propriam innocentiam congruâ purgatione „ monstraverint, Anathematis gladio feriantur, & „ usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evi„ tentur; ità quòd, si, per annum, in Excommunica„ tione perstiterint; ex tunc velut hæretici condem„ nentur „.

Si Patres Concilii *Valentini* persuasum habuissent, hoc Decretum *Conc. Later. IV.* esse Legem, cui omnes fideles teneantur parere, independenter à Principum approbatione, pœnam hanc adversùs Hæreticos tulissent sine regionum distinctione, &, quoad Galliæ incolas, suum Decretum Concilii Generalis potiùs quàm Legis Civilis autoritate, muniviſſent.

Si Nota superior attentè perpendatur, nullus supererit dubitandi locus, quin hoc Lateranense Decretum spectatum fuerit dumtaxat ut *Consilium*, quod Episcopi hujus Synodi Principibus proposuerunt. Undecim posteà annis, unus Cardinalis, Legatus Pontificis, *Ludovicum VIII.* rogavit in Concilio Apamiensi, ut Legem ferret in Contemptores Excommunicationis. Anno sequenti coactum fuit Narbonæ Concilium, quod suam autoritatem adhibuit, ut hujus Legis executionem procuraret, quodque asserit eam in Galliâ universâ custodiri, *sicut à Prælatis Franciæ observatur*; nullam autem facit mentionem Decreti Concilii *Lateranensis*, An. 1228.

S. LUDOVICUS novum Edictum fecit, eô Severius, quod Pater ipsius tulerat. *Concilium Valentinum* 22. annis post, Decretum circa hanc rem condidit, solùmque innititur his *S. Ludovici & Ludovici VIII.* Legibus; eas executioni mitti procurat, quoad Excommunicatos Galliæ, pœnasque spirituales tantùm decernit adversùs Excommunicatos externis Principibus subditos. Verosimile non est quòd neque Concilia, in suis Decretis, neque Principes, in suis Constitutionibus, laudavissent *Canonem* 3. Concilii *Lateranensis* IV. si persuasum fuisset fidelibus illud esse veram Legem, atque Ecclesiam à Deo accepisse facultatem statuendi circà hoc argumentum.

Paulò post hoc *Quartum* Concilium *Lateranense*, plura Concilia in Galliis habita, pœnas temporales decreverunt adversùs Hæreticos, eorumque fautores. Concilia, *Tolosanum*, *Albigense*, & quædam alia similes Canones fecerunt. Jubent ut prædia eorum capiantur, qui sinent Hæreticos in eis commorari, utque Ballivi, si fortè negligant officium suum in Hæreticorum inquisitione & punitione, interdicantur ab Officio, denuntienturque incapaces alterius cujuscumque dignitatis.

Unus est articulus in Canone 3. Concilii *Lateranensis* IV. adversùs Dominos temporales, qui ex districtu suo ejicere negligunt incolas Hæreticos, sed non tribuit facultatem Conciliis Provincialibus, eos bonorum suorum amissione punire; jubet solùm, ut Episcopus, Metropolitanus, ejusque suffraganei, eos excommunicent, & nisi post excommunicationem, intra annum satisfaciant, id referatur ad Pontificem, qui Vasallos ipsorum Sacramento fidelitatis absolvet. „ Si verò Dominus temporalis requisitus & monitus ab „ Ecclesia, terram suam purgare neglexerit, ab hac „ hæretica fœditate, per Metropolitanum & cæteros „ comprovinciales Episcopos excommunicationis vin„ culo innodetur; &, si satisfacere contempserit infra „ annum, significetur hoc Summo Pontifici ut ex tunc „ ipse Vasallos ab ejus fidelitate denunciet absolutos, „ & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam „ exterminatis Hæreticis sine ulla contradictione pos„ sideant, & in fidei puritate conservent &c. „. Undè confici potest Concilia Gallicana sua Decreta non feciſſe ad confirmandum, aut suscipiendum *Canonem* 3. *Lateranensis* IV. verùm suam autoritatem Principum nostrorum autoritati consociare studuisse, ut horum Constitutiones fideliùs observarentur.

Ad hanc *Tertiam* speciem Legum Ecclesiasticarum circa Res Temporales referri possunt Canones, qui nova Tributa imponi vetant, augerive vetera. Concilia, à quibus hæc Decreta profecta sunt, non sibi arrogaverunt jus imponendi Leges Principibus, imò Decreta supremæ Potestatis Temporalis asserunt, adversùs usurpationes quorundam Dominorum privatorum, qui tributa imponere audebant, quamvis hanc potestatem à Superioribus suis non accepissent. Pleraque è Conciliis, quæ hos Canones fecerunt, disertè exponunt aliam non fuisse Ecclesiæ mentem. En Statutum Concilii *Lateran.* III. An. 1179. habiti, sub Alexandro III. Pontifice *Can.* 22. CONC. TOM. X. *pag.* 1520. „ Nec quisquam alicui novas Pedagio„ rum exactiones sine autoritate Regum, & Princi„ pum consensu, statuere, aut statutas de novo te„ nere, aut veteres augmentare aliquo modo teme„ rè præsumat; si quis enim contrà hoc venire præ„ sumpserit, & commonitus non destiterit, donec „ satisfaciat, communione careat Christianâ „. *Concilium Avenionense*, An. 1209. cui præfuerunt duo Legati Pontificis INNOC. III. eamdem facit exceptionem, nisi tributa hæc de Principum consensu exigunt *Can.* 6. TOM. XI. CONC. *pag.* 44. „ Jubemus ut „ tàm Ecclesiasticæ personæ, quàm Sæculares, à Pe„ dagiis, Guidagiis, Salinariis, & aliis indebitis exac„ tionibus, per excommunicationis sententiam in per„ sonas, & interdictum personarum, penitùs desiste„ re compellantur, nisi fortè Regum, vel Impera„ torum concessione probaverint se habere „.

Tertia species Legum Ecclesiasticarum, circa Res Temporales, complectitur *Canones*, quos fecerunt Concilia ex vigore autoritatis, quam à Principibus acceperant. Hujus generis sunt Canones *Arausicani I. Arelatensis II.* & *Aurelianensis V.* circà *Manumissionem servorum.* „ In Ecclesiâ manumissos (inquiunt „ Patres) vel per Testamentum Ecclesiæ commenda„ tos, si quis in servitium, vel obsequium, vel ad „ Colonariam conditionem imprimere tentaverit, ani„ madversione Ecclesiasticâ coërceatur „. Idem præcipit *Canon* 7. *Aurelian. V.* „ Quia plurimum suggeſ„ tione comperimus, eos, qui in Ecclesiis juxtà pa„ trioticam consuetudinem à servitio fuerint absoluti, „ pro libito quorumcumque iterùm ad servitium re„ vocari, impium esse tractavimus, ut, quod in Ec„ clesiæ consideratione à vinculo servitutis absolvitur, „ irritum habeatur; ideò pietatis causâ communi con„ silio placuit, observandum, ut quæcumque manci„ pia ab ingenuis Dominis servitute laxantur, in eâ

„ liber-

„ libertate maneant, quam tunc à Dominis percepe-
„ runt; hujusmodi quoque libertas si à quocumque
„ pulsata fuerit, cùm justitia ab Ecclesiis defendatur,
„ præter eas culpas, pro quibus leges collatas servis
„ revocari jusserunt libertates „.

Plura alia Concilia Leges tulerunt in hanc rem. Constat manumissionem servorum ejusque modum pendere omnino à Supremâ Potestate temporali, & Deum non dedisse Episcopis facultatem statuendi, ut Manumissio sit legitima, cùm facta fuerit in Ecclesiâ sub testimonio Pastorum. Usus hic sub Imperatore *Constantino* initium habuit. Hæc scribit SOZOMENUS sub finem *Cap. IX. Lib. I. Historiæ*, postque illum CASSIODORUS *Historiæ Tripartitæ, Lib. I. Cap. 9.*
„ Cùm ob nimiam legum severitatem, potior liber-
„ tas, quam Romanam Civitatem vocant, etiam volen-
„ tibus Dominis, difficile admodùm acquireretur; tres
„ tulit leges quibus constituit, ut quacumque in Ec-
„ clesiâ, sub testimonio Sacerdotum libertate donati
„ essent, Civitatem Romanam consequerentur. Hujus
„ piæ institutionis judicium ætas nostra adhuc reti-
„ net, cùm moris sit, ut Leges hac de re scriptæ
„ præfigantur in tabulis manumissionum „.

Una è Legibus, quarum meminit *Sozomenus*, ad nostrum usque sæculum non remansit: aliæ duæ sunt in *Codice Justinianeo, Tit. de his qui in Ecclesiis manumittuntur.* Secunda tantùm extat in *Codice Theodosiano, Lib. I. Tit.* VII. *Cap.* 58.

Diu viguit in Galliâ modus hic servos manumittendi, ut patet ex *Capitul.* 1°. Regis *Dagoberti*, cui Titulus *Lex Ripuariorum.* Omnes ejus solemnitates exponit, *Capitul.* TOM. I. *pag.* 41. „ Hoc etiam ju-
„ bemus ut qualiscumque francus, & ripuarius seu ta-
„ bularius servum suum pro animæ remedio, seu
„ pro pretio, secundum Legem Romanam, libe-
„ rare voluerit, ut in Ecclesia, coram Presbyte-
„ ris, Diaconis, seu cuncto Clero & Plebe, in
„ manu Episcopi, servum cum tabulis tradat, &
„ Episcopus Archidiaconum jubeat ut ei tabulas se-
„ cundùm Legem Romanam, quâ Ecclesia vivit,
„ scribere faciat, & tàm ipse quàm & omnis pro-
„ creatio ejus liberi permaneant, & sub tuitione Ec-
„ clesiæ consistant „. *Cap.* 58. *n.* 1.

Ex *Cap.* 32. *Lib. V. Capitul.* apparet Gallos hunc morem retinuisse usque ad Sæculum IX. *Tom. I. Capitul. pag.* 891. *Manumissiones in Ecclesia sunt celebrandæ.*

In Africâ, Ecclesia, ineunte Sæculo V., nullam habebat autoritatem in manumissione servorum. Amplissima hæc Ecclesia, dùm congregata esset, statuit rogandum esse Imperatorem, ut sanciret morem Italicum circà hanc rem in Africâ observari. Duo *Canones* qui extant in Concilio, quod vulgò dicitur *Africanum*, sunt nota certa deliberatum hoc fuisse pluribus in Conciliis. Verosimile non est idem Concilium duos Canones circà hoc argumentum condidisse. En *Can.* 31. *Conc. Africani* TOM. II. CONC. *pag.* 1650. „ De manumissionibus sanè in Ecclesia dicen-
„ dis, si id nostri Consacerdotes per Italiam facere
„ reperiantur, nostræ etiam erit fiduciæ istorum or-
„ dinum sequi: datâ plenè licentiâ misso Legato, ut
„ quæcumque digna fide pro statu Ecclesiæ & salute ani-
„ marum agere potuerit, nos laudabiliter in conspectu
„ Domini accepturos. Quæ omnia si Sanctitati vestræ
„ placent, edicite: ut & meam suggestionem ratam
„ esse vobis advertam, & nostram omnium consen-
„ sionem sinceritas eorum libenter accipiat. Ab univer-
„ sis Episcopis dictum est, omnibus placent hæc quæ
„ injuncta sunt peragenda, & prudenter à tuâ Sanc-
„ titate narrata „. Et in *Canone* 49. hujus Collectionis: „ Item placuit ut de manumissionibus in Ec-
„ clesia celebrandis, ab Imperatore petatur „. Canones hi inserti fuerunt *Codici Ecclesiæ Africanæ.* Prior est 64us. & Posterior 82us. TOM. II. CONC. *pag.* 1088.

Dubitari igitur nequit, quin Ecclesiæ potestas quoad servorum manumissionem, Legibus civilibus innixa sit, & Concilia nonnisi post acceptam à Principibus autoritatem super hac re, Canones fecerint. Infinitus est in Conciliis numerus Canonum, qui ad hanc Tertiam speciem Legum Ecclesiasticarum circà Res Temporales, referri possunt. Videlicet *ii*, qui jubent ut bona Ecclesiæ immunia sint à tributis: ut Loca sancta jus azili habeant pro reis: ut Causæ Clericorum judicentur ab Episcopis; etiam quoad Res Civiles: & plures alii. Modus, quo hi Canones compositi sunt, non indicat qua auctoritate Episcopi eos fecerint: perrarò significant, se hanc facultatem à Principibus accepisse, seque ex Legum Civilium vigore solummodò statuere. Hæc est origo erroris quorumdam Scriptorum recentiorum, qui nullum animadvertentes discrimen in formâ Canonum circà Res Spirituales & circà Res Temporales, arbitrati sunt eos manare à potestate spirituali, quam Deus Episcopis largitus est.

Pro *Quarta* specie Legum circà Res merè Temporales Ecclesiæ tributarum, assignari possunt Decreta, quæ Principes fecerunt in Comitiis Episcoporum aliorumque Magnatum ditionis suæ, quæque vulgò *Canones* vocantur, quamvis autoritas Ecclesiæ in eis haud intervenerit, & Principes solummodò consuluerint Episcopos, velut personas magna prudentia & summa probitate commendabiles.

Compilatores, qui Concilia Gallicana, Hispanica, & Anglicana ediderunt, plures ex ejusmodi Conventibus illis inseruerunt sub nomine *Conciliorum*; quamvis hoc verbum *Concilium*, Conventibus Ecclesiasticis sit affectatum. Concilium quoddam Anglicanum Grataleceni An. 929. habitum, constituit, ut unica sit in Regno integro Monetæ species: ut Moneta in certis dumtaxat Locis cudatur, & manus adulteratorum Monetæ amputentur. Constat, hæc statuta ex potestatis spiritualis jurisdictione non esse. Verum quidem est *Præfationem & Canones* indicare, qualis fuerit autoritas Regum hoc in Concilio; sed plura sunt, in quibus omnia eadem ratione, atque illic, gesta sunt, quamvis ità disertè non dicatur, Decreta ex autoritate Principum profecta esse.

Huic speciei adjici possunt Decreta ad Autoritatem temporalem spectantia, quæ sub autoritate Principum confecta sunt à pluribus Synodis, voluntatis illorum gnaris, & sæpè etiam illis præsentibus. Hujus generis est Decretum à *Concilio Matisconensi II. An.* 583. factum, circà observationem Diei Dominicæ. Sancit in eos, qui parere renuent, ut, *si causidicus fuerit, irreparabiliter causam amittet; si rusticus aut servus, gravioribus fustium ictibus verberabitur.* Ejusmodi Sanctio à Spirituali Potestate exire nequit. Ex Edicto Regis *Guntramni* ejusdem anni, discimus, illam Synodum hoc sub ejus autoritate Decretum fecisse.

In his *Quatuor* speciebus Legum Ecclesiasticarum circà Res Temporales, *Concilia* dumtaxat attigi, quæ habita sunt, ut darentur regulæ Provinciis, in quibus Ecclesiasticæ personæ temporalem autoritatem supremam non haberent.

Quinta supereſt species, continens Leges Civiles Episcoporum, qui Principes Temporales sunt in locis, ubi Episcopi supremam autoritatem temporalem exercent.

Leges administrationem Civilem respicientes, vulgò confusæ cum Ecclesiæ Canonibus reperiuntur. Ibi enim Sæcularis atque Spiritualis Magistratus unus atque idem Legislator est, qui Decreta sua, quomodò libuerit, ordinare potest, atque Ecclesiasticis viris eam, quam voluerit, administrationis temporalis partem credere. Hæc ratio una est ex eis, propter quas Concilia *Romæ* habita, ex quo Pontifices ejus Domini facti sunt, plena sunt Decretis ad regimen Reipublicæ pertinentibus. Pontifices non intendunt, ut omnes hi Canones omnium Statuum Christianorum Leges evadant. Ea partim fecerunt ad temporalem Urbis Romæ administrationem, Provinciarumque sibi subditarum: v. g. *Canon.* 12. *Concilii Lateran. An.* 1122. sub CALIXTO II. habiti, quodque pri-

mo loco ponitur inter Occidentalia Generalia, est potiùs Ordinatio Politiæ temporalis, quam fecit Pontifex, *ex curiâ, Concilio, & consensu præfecti*, ut patet ex verbis *Canonis*, quàm Lex Ecclesiastica omnibus Ecclesiis consultò proposita. *Tom. XI.* CONCIL. *p.* 898. „ Illam verò pravam defunctorum porticanorum con-„ suetudinem, quæ hactenùs ibi fuit ex fratrum nos-„ trorum & totius curiæ Consilio, nec non & vestro „ atque consensu præfecti, removendam censemus, ut „ porticanorum habitatorum sine hæredibus morien-„ tium bona, contra morientium deliberationem mi-„ nimè pervadantur, ità tamen, ut porticarii in Ro-„ manæ Ecclesiæ & nostra nostrorumque Successorum „ obedientiâ & fidelitate permaneant „.

Idem de *Decretalibus* dicendum est. Plures sunt, quæ Civiles effectus ordinant, quasque non fecissent Pontifices, si eam solùm haberent potestatem, quam Deus *Petro* indulsit, cujus Successores sunt. Illa autoritas non continetur in dignitate *Capitis Ecclesiæ* quam instituit CHRISTUS. Illa non gaudebant, priusquam Reges nostri eos Dominos supremos fecissent, nihilque in ipsorum Decretis ævi superioris simile occurrit. Nunc de aliis Ecclesiæ Legibus disputandum est, quæ circà Res merè Temporales non versantur.

SECTIO II.

De LEGIBUS ECCLESIÆ *merè* ECCLESIASTICIS.

Secundo generi Legum Ecclesiæ subjeci eas, quæ *merè Ecclesiasticæ* sunt; id est, quæ nullam cùm administratione Temporali connexionem habent, quarumque observatio nullam in Reipublicæ regimine mutationem inducere potest. Quales sunt eæ, quæ præcipiunt fideles Eucharistiæ Sacramentum in Pascha accipere, suaque peccata semel in anno saltem, proprio Sacerdoti confiteri. Hæ à Spirituali Potestate unicè pendent & Principum, quatenùs politicorum, autoritatem non respiciunt Magistratuum: si autem aliquando ipsorum notioni subjaceant, id solùm fit quatenùs illi sunt Ecclesiæ Protectores, ut in suo Regno illas executioni mandari procurent.

Quamvis ad Principes solos pertineat Legum, circà res merè temporales, latio, suprà observavi jus illud ab Ecclesia pluries exercitum fuisse: idem vicissim factum reperimus circà res merè spirituales. Principes supremi Religioni Christianæ mancipari fatentur eas ab Ecclesiæ Jurisdictione unicè pendere. Hoc non obstitit quominùs Imperatores piissimi facerent Leges, non solùm circà Ecclesiasticam Disciplinam, sed etiam præcipua fidei capita. Cùm enim Deus Ecclesiæ tutelam ipsis mandaverit, se obligatos esse rati sunt, ad utendum autoritate, quam ab ipso acceperunt, ut Ecclesiæ Decreta recipi procurarent, cavillantesque flagitiosos atque Hæreticos contenderent.

THEODOSIUS MAGNUS Imperator Legem promulgavit An. 381. contrà Arianorum, & Eunomianorum Hæreses: *Leg. nullus Cod.* THEOD. *Lib. XVI. Tit.* v. *Leg.* 6. & *Cod.* JUST. *Lib. I. Tit.* I. *Leg.* 2. Illustri huic Ecclesiæ protectori non sufficit subditis jubeat ut fidem Nicænam amplectantur, ejus ipse articulos determinat, eâque ratione exponit, quæ fidei Catholicæ expositio ab Episcopis concinnata potiùs quàm Lex Civilis videtur.

„ Nullus Hæreticis ministeriorum locus, nulla ad „ exercendi animi obstinationis dementiam pateat oc-„ casio, sciant omnes, etiamsi quid speciali quoli-„ bet rescripto per fraudem elicito ab hujusmodi „ hominum genere impetratum sit, non valere. Ar-„ ceantur cunctorum Hæreticorum ab illicitis Congre-„ gationibus turbæ: Unius & Summi Dei nomen „ ubique celebretur; Nicænæ fidei dudùm à majori-„ bus traditæ & divinæ Religionis testimonio atque „ adsertionis firmatæ, observantia semper mansura „ teneatur: Photinianæ labis contaminatio, Ariani „ sacrilegii venenum, Eunomicæ perfidiæ crimen, & „ nefanda monstruosis nominibus autorum prodigia „ Sectarum, ab ipso etiam aboleantur auditu. Is „ enim Nicænæ adsertor fidei, & Catholicæ Religio-„ nis verus cultor accipiendus est, qui omnipoten-„ tem Deum & Christum Filium Dei uno nomine „ confitetur, Deum de Deo, lumen de lumine, qui „ Spiritum Sanctum (quem ex summo rerum Paren-„ te & speramus & accipimus) negando non violat: „ apud quem intemeratæ fidei sensu viget incorruptæ „ Trinitatis indivisa substantia, quæ Græci assertione „ verbi ὁσία rectè credentibus dicitur. Hæc perfec-„ tio nobis magis probata, hæc veneranda sunt. Qui „ verò iisdem non inserviunt, desinant affectatis do-„ lis alienum veræ Religionis nomen assumere, & suis „ apertis criminibus denotentur, ab omni summoti „ Ecclesiarum limine penitùs arceantur „ &c.

Nonne hæc verba sunt expositio fidei? *Is enim Nicenæ assertor fidei & Catholicæ Religionis verus cultor est accipiendus, qui omnipotentem* DEUM *&* CHRISTUM *Filium Dei uno nomine confitetur* &c. Numquid alius esset Episcoporum congregatorum sermo?

An. 373. VALENTINIANUS Imperator Legem hanc condidit dùm Treviris esset; *Antistitem qui sanctitatem Baptismatis illicita usurpatione geminaverit, Sacerdotio indignum esse censemus.*

Similem fecit GRATIANUS, An. 377. „ Eorum „ condemnamus errorem qui Apostolorum præcepta „ aliàve Christiani nominis Sacramenta sortitos, alio „ rursus baptismate non purificant sed incestant, la-„ vacri nomine polluentes „: Eas Leges retuli prout abbreviatæ sunt *in Cod. Justiniani Lib. I. Tit.* VI. *Ne sanctum Baptisma iteretur.* Textus illarum paulò fusior est in *Codice Theodos. Lib. XVI. eodem Titulo Leg.* 1. *&* 2. Nihil est his in Legibus, quod eas à *Canonibus* distinguat. Earum argumentum Ecclesiasticum est. Pœna in Episcopos ejus contemptores lata similis est: *Sacerdotio indignum esse censemus.* Et stylus denique non repugnat. Totus *Liber* XVI. *Codicis Theodosiani* constat ex Legibus circa Fidem contra Hæreticos, & circa Disciplinam Ecclesiæ. Ejusdem generis multæ sunt in *Lib. I. Cod. Justin.* XII. priores Tituli circà materiam hanc versantur. Magna pars earum quæ sunt in *Tit. de summa Trinit. & Fide Catholica;* in Tit. v. *de Hæret. & Manichæis;* in VI. *Ne sanctum Baptisma iteretur*, respiciunt *Fidem.* Plures quoque circa Disciplinam Ecclesiasticam & Monasticam versantur.

In NOVELLIS *Justiniani*, QUINTA, *de Monachis*, definit tempus Probationis ad admittendos Monachos; Formam in Abbatum Electione servandam, & quædam alia Capita Disciplinæ interioris Monasteriorum. SEXTA tres Partes continet, quarum 1ª. *de Moribus:* 2ª. *de Ordinatione:* 3ª. est *de Residentia Episcoporum.* NOV. LVIII. vetat Missam in domibus privatorum recitari, NOV. CXXIII. *de Episcopis, Clericis & Monachis*, statuit circà residentiam Episcoporum, convocationem Conciliorum, ætatem Presbyterorum, & aliorum Clericorum, eorumque Matrimonia, Preces publicas, aliaque multa ejusdem naturæ capita.

Ostendi in *Prima Parte*, qualis fuerit autoritas *Capitularium* Regum nostrorum. Ipsa partim componuntur ex Decretis, quæ respiciunt Fidem, & capita Disciplinæ omninò Ecclesiastica ordinant. Determinant ætatem necessariam ad Sacerdotium; modum recipiendi Religiosos; Abbatesque eligendi; quid Episcopi & Presbyteri scire teneantur; Sanctos, qui invocari debent; & generaliter omnia Disciplinæ Ecclesiasticæ puncta.

Primum Capitulare, An. 789. quod vulgò *Capitulare Aquisgranense* nuncupatur, continet 80. Articulos qui ferè singuli ad hoc argumentum pertinent. *Carolus Magnus* in eo loquitur imperativè. * Jubet *Art.* 68. „ Ut

* *Cap.* 66. *Lib.* I. juxtà Collect. *Anseg.*

„ Ut Episcopi diligenter discutiant per suas Parrochias „ Presbyteros, eorum fidem, Baptisma & Missarum „ celebrationes, ut fidem rectam teneant & Baptisma „ Catholicum observent, & Missarum preces benè „ intelligant, & ut psalmi dignè secundum divisio- „ nes versuum modulentur, & Dominicam Oratio- „ nem ipsi intelligant, & omnibus prædicent intelli- „ gendam; ut quisque sciat quid petat à Deo, & „ ut Gloria Patri cum omni honore apud omnes can- „ tetur, & ipse Sacerdos cum sanctis Angelis & Populo „ Dei communi voce, Sanctus, Sanctus, Sanctus de- „ cantet „.

Ulteriùs progreditur Princeps inclitus, postque statuta hæc generalia, indicat Sacerdotibus atque Episcopis veritates, quas annuntiare debent; *Cap. ult. ejusdem Capitularis.* „ Primò omnium prædicandum „ est omnibus generaliter, ut credant Patrem & Fi- „ lium, & Spiritum Sanctum, unum esse Deum om- „ nipotentem, æternum, invisibilem, qui creavit „ cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt; „ & unam esse Deitatem, Substantiam, & Majestatem „ in Tribus Personis, Patris, & Filii, & Spiritus Sanc- „ ti; item prædicandum est, quomodo Filius Dei „ incarnatus est de Spiritu Sancto, & ex Maria sem- „ per Virgine pro salute & reparatione humani ge- „ neris passus, sepultus, & tertia die resurrexit, & „ ascendit in cœlos; & quomodò iterùm venturus sit „ in Majestate divinâ judicare omnes homines secun- „ dum merita propria; & quomodo impii propter „ scelera sua cum Diabolo in ignem æternum mit- „ tentur, & justi cum Christo, & cum Sanctis An- „ gelis suis in vitam æternam. Item diligenter præ- „ dicandum est de resurrectione mortuorum, ut sciant „ & credant in iisdem corporibus præmia meritorum „ accepturos. Item cum omni diligentia cunctis præ- „ dicandum est, pro quibus criminibus deputentur „ cum Diabolo in æternum supplicium: Legimus „ enim Apostolo dicente, manifesta autem sunt ope- „ ra carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, lu- „ xuria, animositates, idolorum servitus, veneficia, „ inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, „ dissensiones, hæreses, sectæ, invidiæ, homicidia, „ ebrietates, commessationes, & his similia, quæ „ prædico vobis, sicut prædixi; quoniam qui talia „ agunt regnum Dei non consequentur; ideò hæc „ eadem, quæ magnus prædicator Ecclesiæ Dei sigil- „ latim nominavit, cum omni studio prohibeantur; „ intelligentes quàm sit terribile illud quod dixit; „ quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conse- „ quentur.

„ Sed & omni instantia admonete eos de dilectio- „ ne Dei & proximi; de fide & spe in Deo; de hu- „ militate & patientiâ; de castitate & continentiâ; „ de benignitate, & misericordiâ; de eleemosynis; „ de confessione peccatorum suorum; & ut Debito- „ ribus suis secundùm Orationem Dominicam debita „ sua dimittant, scientes certissimè, quòd qui talia „ agunt, regnum Dei possidebunt: & hoc ideò di- „ ligentiùs injungimus vestræ caritati, quia scimus „ temporibus novissimis pseudos Doctores esse ven- „ turos, sicut ipse Dominus in Evangelio prædixit, „ & Apostolus PAULUS *ad Timotheum* testatur. Ideò „ dilectissimi, toto corde præparemus in scientiâ ve- „ ritatis ut possimus contradicentibus veritati resis- „ tere, ut divinâ donante gratiâ verbum Dei „ crescat & multiplicetur in profectum Sanctæ Dei „ Ecclesiæ & salutem animarum vestrarum, & lau- „ dem & gloriam nominis Domini nostri JESU „ CHRISTI „.

Novissimis sæculis Reges nostri Statuta quoque circà argumenta eadem fecerunt. *Constitutio Aurelianensis* Ordinem, Electionem, Archiepiscoporum & Episcoporum, visitationem Diœceseon illorum, eorumque Residentiam; eorum Coadjutores; causas propter quas decernere poterunt Monitiones aut Censuras Ecclesiasticas, aliaque multa ejusdem naturæ.

In *Solæsensi*, extant Articuli LXIV. Ecclesiam spectantes, quorum pars major circà hoc argumentum versatur. *Octo* priores *Tituli Lib.* I. *Collationis Constitutionum*, pleni sunt Legibus, quas Reges nostri à LUDOVICO *Crasso*, circà Res Ecclesiasticas fecerunt.

Initio hujus sæculi GOLDASTUS, Jurisconsultus Germanus, Librum composuit, qui est Collectio Constitutionum Principum, circà Sanctam Eucharistiam. *Digesta regia de Sacro-Sanctâ Eucharistiâ sivè Constitutiones Imperiales de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nostri* JESU CHRISTI. Nullum sanè argumentum magis Ecclesiasticum est.

Loquendo de Legibus, quas Ecclesia circà Res Temporales fecit, dixi Concilia persæpè, in suis *Canonibus*, reticere, à quo teneant autoritatem, quâ illas faciunt; utrum à Christo, an verò à Principibus eam potestatem acceperint? Par in Principum Legibus silentium, circà Res merè Ecclesiasticas. Eodem modo statuunt, ac super Temporalibus; perrarò dicunt se ideò statuere, ut procurent executionem Legum Ecclesiæ; undè concludere debemus.

1o. Utrum Leges, Autoritate Spirituali, an autem Temporali, conditæ fuerint dignosci non potest, ex eo quòd in *Conciliis* existant, aut in *Constitutionibus Principum*. Judicium ferri debet ex natura materiæ, quam præcipiunt aut vetant.

2o. Erraret qui contenderet, Deum dedisse Principibus potestatem determinandi quid credendum sit in Religione JESU CHRISTI, & ordinandi Res merè Ecclesiasticas; quia inter Leges Principum Christianorum Religionis studiosissimorum, quædam tales existunt. Nihiloveriùs diceretur, Ecclesiam à Christo accepisse veram potestatem, circà Res Temporales; quia *Concilia* sæpè Leges super iis rebus tulerunt. Utraque ratiocinandi via æqualiter pernicioſa foret; utriusque vitium ac falsitas facilè ex prædictis detegitur.

Habemus Decreta Superiorum Ecclesiasticorum, circà omnes ferè Res Temporales: paucæ vicissim sunt Spirituales, circà quas non habeamus Leges Principum. Hæc Legum Ecclesiasticarum & Sæcularium quasi confusio, circà res easdem Spirituales, aut Temporales, non oritur ex corruptione Superiorum Ecclesiasticorum, & Principum, qui, non consistentes intra limites potentiæ, quam Deus illis credidit, totis viribus enisi sunt, ut usurparent administrationem, quæ à sua autoritate non pendebat; imò concordia, quâ jungi invicem debent, & studium, quo utrique secundum Spiritum Dei, officio suo satisfacere satagebant, germanæ sunt hujus conspirationis causæ.

Deus Principes constituit Sanctorum Decretorum protectores, subque hoc nomine, ad officium eorum pertinet, ut omnem autoritatem, à Deo sibi collatam, adhibeant ut Legum Ecclesiasticarum executionem procurent. Coguntur punire subditos contumaces ac rebelles. Deus Superioribus Ecclesiasticis præcipit, non solùm ut populos doceant obedientiam, quam debent Principibus supremis, sed etiam, ut potestate sibi divinitùs collata utantur ad eos cogendos, usque, si opus fuerit, pœnas Ecclesiasticas graviores adversùs rebelles sanciant. Populi non uno eodemque modo affecti sunt. Sunt quos pœnarum temporalium timor officio contineat, qui pœnas Ecclesiasticas contemnerent, alios magis movet Excommunicatio, quàm bonorum temporalium jactura. Hæ causæ Ecclesiam impulerunt, ut faceret Decreta circà temporalia: eædem Principes Christianam Religionem profitentes moverunt, ut Leges facerent circà Res merè Spirituales. Ambæ Potestates aliâ invicem indigent, Deusque illarum autor vult eos quibus alterutram committit, sibi mutuam necessariamque ad continendos in officio populos opem ferant.

SECTIO III.

De LEGIBUS ECCLESIÆ CIRCA RES MIXTAS.

LEGES ſuper rebus merè Temporalibus, & Leges ſuper Rebus merè Eccleſiaſticis, negotium facere non debent, quoad amplitudinem & limites utriuſque Poteſtatis. Priores omninò à Temporali Juriſdictione pendent: Sola Spiritualis authoritas vera eſt poſteriorum latrix. Paulo difficiliùs eſt diſtinguere eas, quarum materia *mixta* eſt, & in eis Eccleſiæ poteſtatem, illæſa Sæculari Juriſdictione, diſtinguere.

Res aliqua ſeu materia vel negotium *mixtum* dici poteſt, duobus modis: 1°. Si, ſub vario reſpectu conſideratum, illud à diverſis poteſtatibus pendeat; veluti matrimonium, apud Chriſtianos. Quidquid pertinet ad civiles effectus pendet ſolùm à Temporali Poteſtate: quod autem ſolùm reſpicit ſanctificationem eorum, qui Matrimonio junguntur, & media Sacramentum hoc dignè recipiendi, nullatenùs immutata adminiſtratione Civili, hoc, inquam, à ſolâ autoritate Eccleſiæ dirigi debet, v. g. Leges, quæ jubent, ut ii qui Matrimonium inire volunt, Sacramento Pœnitentiæ ad illud ſe præparent, ſunt merè Eccleſiaſticæ: eæ verò quæ Filios hæreditate paternâ aliiſque commodis privant, cùm Matrimonium reluctantibus Parentibus ſociatum fuit, merè Civiles ſunt.

Aliud eſt materiæ mixtæ genus, in quâ id, quod Spiritualem Poteſtatem reſpicit, tantam cum Civili adminiſtratione connexionem habet, ut Leges Eccleſiaſticæ effectum ſortiri nequeant, niſi aliqua regimini Reipublicæ mutatio inferatur. Nonnunquàm Superiores Eccleſiaſtici, nec non Principes autoritate propria; eaſdem res jubere aut vetare poſſunt. Pleraque ex Impedimentis Dirimentibus, quæ in Matrimonio Catholicorum obtinent, ex Eccleſiæ præcepto, hujus generis ſunt; imò ſuam inſtitutionem trahunt à Legibus Civilibus. Hujus materiæ cenſeri etiam debent Teſtamenta Beneficiatorum, & generaliter quidquid pertinet ad diſpoſitionem rerum quas ex reditibus Eccleſiaſticis comparaverunt.

Leges vetuſtiſſimæ ſuper hoc argumento ab *Imperatoribus* conditæ ſunt. *Concilia* ſubſequentia plures, circà id, fecerunt *Canones*: hodièque varius eſt mos Regnorum Chriſtianorum, Gallicanæ Leges approbant Teſtamentum Beneficiati, quamvis nihil Eccleſiæ erogaverit. Eædem permittunt ejus Creditoribus, ut ejus Beneficiorum reditus apprehendi per manum Judicialem faciant: eædem ejus Hæreditatem ab inteſtato deferunt ad ejus proximiores Cognatos. Secundùm hunc morem, proprietas redituum Temporalium Beneficii videtur Titulari tribui. Aliud in multis regionibus obtinet.

Conſtitutiones, quas Eccleſia, ſuper hoc materiæ *mixtæ* genere, condit, non ſunt mera *Conſilia* quæ Dominis Supremis proponat, qualia diximus eſſe ea, quæ ad Res Temporales pertinent; ſed cum imperio & autoritate loquitur. Hæ res pertinent ad poteſtatem, quam Deus illi largitus eſt. Verùm eædem ab ejus juriſdictione non pendent unicè, ſed etiam à Principibus: Deus autem vult, ut omnes Chriſtiani Legibus civilibus obtemperent, & ſacer quidem Epiſcopatûs character ab hoc obſequio non liberat eos, qui ad hanc inſignem dignitatem evecti ſunt. Non minùs ii tenentur, quàm cœteri fideles, præſumptionis pondus in favorem Principum Temporalium inclinare, in omnibus, quæ ad Reipublicæ regimen pertinent. Hic ordo, quem Deus in Religione JESU CHRISTI, ſicut anteà, conſervat, eos aſtringit ad conſulendos Principes, circà executionem Legum Eccleſiaſticarum ſuper hoc negotio conditarum, priuſquam fidelibus eas imponant. Si illæ obſervari non poſſint, quin mutationes in Civili adminiſtratione inducantur, plura incommoda gravia parituræ, vel quin officiatur aliis conſiliis, quæ præfectis Reipublicæ videntur utiliora; neceſſitas incumbit Epiſcopis ut ſe Principum voluntati ſubjiciant. Præſumptio, quam ad illorum partes convertere debent, eos compellit, ut credant, futurum, ut hæ Leges à Principibus approbarentur, niſi circumſtantiæ præſentes ipſis aliud ſuaderent.

Veroſimile eſt hoc fuiſſe momentum unius ex illuſtrioribus Epiſcopis Eccleſiæ Africanæ †: Cùm dixit; Imperium non eſſe in Eccleſiâ, ſed Eccleſiam in Imperio: ſic ille exponit Textum Apoſtoli, qui fideles admonet, orandum eſſe pro Regibus. „ Tunc medi„ tabatur [Donatus] contrà præcepta Apoſtoli Poteſ„ tatibus & Regibus injuriam facere, pro quibus, ſi „ Apoſtolum audiret, quotidiè rogare debuerat; ſic „ enim docet Apoſtolus *Paulus*: rogate pro Regibus „ & Poteſtatibus, ut quietam & tranquillam vitam „ cum ipſis agamus; non enim Reſpublica eſt in „ Eccleſia, ſed Eccleſia in Republica „ &c.

Cùm igitur Eccleſia ſit Reipublicæ Membrum, aſtringitur ad ſe conformandum Legibus Principum, quibus illius cura commiſſa eſt. Hæc obligatio neceſſitatem imponit fidelibus ſe ſubjiciendi omnibus juſſis, etiam duriſſimis, quæ à Principe, Spiritu Dei deſtituto, proficiſci poſſunt, quamdiù parere poterunt, illæſis Legibus Naturali, ac Divinâ: debent ergo Orationes fundere pro Regibus juxtà præceptum Apoſtolicum, *ut quietam & tranquillam vitam cum ipſis agamus.*

Si Principes abutantur obſequio Superiorum Eccleſiaſticorum, & ſi bonum publicum ſit potiùs prætextus, quàm rationabile momentum, ad repudiandas Eccleſiæ Leges, rationem ab iis repetet Deus: Verùm Præſumptio ſemper ex eorum parte ſtare debet; quamdiù voluntas illorum in re, quæ ad eorum autoritatem pertinet, Legibus Naturali, ac Divinæ non repugnat evidenter. Aliæ non ſunt rationes, quibus ſubditi à parendi neceſſitate liberentur.

Recentes extiterunt Autores, qui conati ſunt probare Deum dediſſe Eccleſiæ poteſtatem deponendi Principes, qui autoritatem ſuam adverſùs Religionem Chriſtianam convertunt; ſed conſentiunt omnes Poteſtatem Spiritualem & Temporalem diſtingui. Contendunt quidem Temporalem Spirituali ſubordinari, ſed nolunt ambas Poteſtates confundi. Juxtà illorum doctrinam, ii, quibus Spiritualem autoritatem commiſit Deus, malos Temporalis adminiſtratores mutare poſſunt; ſed Deus illis dedit facultatem capeſſendæ per ſe ipſos adminiſtrationis: Et quidem ſi id poſſent, Temporalis Poteſtas in Spirituali contineretur. Pontifices in ſuis molitionibus contrà Principes, omni contentione atque operâ eniſi ſunt, ut eis autoritatem eriperent; ſed auſi non ſunt in eorum locum ſe ſubſtituere, eorumque in ditione, ſicut Romæ, imperare: Videndæ ſunt duæ INNOCENT. III. Bullæ, in quibus declarat, ſe non eſſe judicem eorum quæ Temporale reſpiciunt in aliis Regnis; *extant in Probationibus Libertatum Gallicanarum. Cap. 7. n. 3. & 4. pag.* 224. Eodem in *Capite n.6.* extat Actus cujuſdam Commiſſarii Pontificii, per quem declarat, Regem LUDOVICUM IX. ſibi inter dixiſſe ne cognoſceret de aliquâ ex rebus ad Juriſdictionem Sæcularem pertinentibus.

Si Leges omnes Civilem adminiſtrationem reſpicientes in *Conciliis* & *Decretalibus* Pontificum contentæ fideles ligarent, priùſquàm ab eorum Principibus approbatæ & confirmatæ eſſent; Poteſtas Temporalis, in Spirituali contineretur, & Pontifices non ſolùm jus haberent è ſolio dejiciendi Reges iniquos; & Chriſtianorum perſecutores; poſſent etiam adminiſtrationem illorum ſuſcipere, ſeque in locum Principum deponendorum ſubrogare: imò ſupremam haberent Autoritatem Temporalem in omnibus Regnis Chriſtianis; horum autem Domini nihil eſſent, niſi *Delegati*, qui, ſub autoritate Pontificum, eorum juſſa

† OPTAT. MILEV. *Lib. III.* Adver. Parmenion. *pag.* 66.

jussa exequerentur. Ii qui Leges circà Res Temporales condunt, quæ sunt norma Populorum, & quas imperia eorumque Domini mutare nequeunt; ii, inquam, proculdubiò supremi sunt administratores Potestatis Temporalis. Alia nunquàm fuit supremæ dignitatis idea; adeò ut omnes Reges, etiam sanctissimi & studiosissimi, nihil aliud essent in suâ ditione, quàm quod est Romæ Gubernator, aliarumve Urbium aut Provinciarum Præfecti, quarum Pontifex Dominus est.

Doctrina hæc suos assertores cogit, ut multò longiùs progrediantur. Ex eorum Principiis sequitur, nullum esse Concilium Provinciale, neque etiam Episcopum, qui non sit suprà Reges, in administratione Temporali: possunt singuli abrogare Leges Principum, unusquisque in eâ, cui præest, Provinciâ.

Pleraque Concilia, quæ Constitutiones fecerunt, super rebus Temporalibus, nondùm tentaverunt iis tantam extensionem dare: oporteret tamen illas eò usque producere priusquàm defendi possit, Decreta Conciliorum & Pontificum, circà res ad Temporalem administrationem pertinentes, constringere subditos ad parendum, priùsquàm à Principibus approbata fuerint.

Has Observationes feci circà varias Leges, quæ tribuuntur Ecclesiæ, ratus, eas alicujus esse futuras utilitatis, ad scrutandam amplitudinem utriusque Potestatis, Spiritualis, & Temporalis, earumque ope distingui posse, quod ad alterutrius autoritatem pertinet. Non intendo damnare morem apud nos obtinentem, quò Judici Ecclesiastico competit cognitio multarum rerum, quæ pertinent ad Jurisdictionem Temporalem. Parùm interest, quoad Reipublicæ pacem, an controversiæ Privatorum, per Ecclesiasticas Personas, an per Laïcales, dirimantur: exoptandum est solùm, ut hæc autoritas nonnisi viris probitate & bono exemplo conspicuis committatur. Credibile est eos, ex quibus Ecclesiasticum Corpus constat, his dotibus ac virtutibus instructos esse, & quidem in majori gradu, quàm cæteros homines. Munera eorum statui annexa, & diligentia, quam nostri Superiores afferre tenentur, ad vitandam deceptionem in recipiendorum delectu, nobis omnem scrupulum tollere debent. His rationibus permoti sunt Principes Christiani, ut in eis magnam administrationis civilis partem collocarent; eædem rationes juncto caractere sacro, quo fulgent, non parum efficaciæ habuerunt, ut eos populi suarum controversiarum Arbitros eligerent. Principes nostri iisdem momentis innixi subditis suis Ecclesiasticos Judices dare possunt, & qui de negotiis temporalibus cognoscere poterunt pluribus paucioribusve, prout necessitas temporum, & variæ circumstantiæ requirunt, eos boni publici gratiâ, transferri ab Altari, & à prædicatione Verbi Divini, quæ præcipua sunt Episcoporum & Sacerdotum officia.

Sed postquam Reges eos elegerunt, ut, sub autoritate suâ, sint Judices subditorum suorum, confundere non opportet potentiam temporalem, quam à Principibus tenent, cum spirituali, quam Deus Ecclesiæ suæ contulit, cujus illi Ministri sunt. Confusio hæc partium causa est controversiarum nimis frequentium inter Ecclesiasticos & Laïcos, de Jurisdictione; & quamvis sæpissimè nonnisi de rebus agatur, quarum Ecclesiastici notionem habent solùm ex concessione Principum, de iis tamen tractatur, perinde ac Laïci spiritualem Potestatem usurpare vellent.

Immeritò quidem nonnulli Ecclesiasticis vitio vertent, quòd contra Judices Laïcos propugnent Jurisdictionem Temporalem, quam à Principibus acceperant: Imò studium, quo ordinem Judiciorum in eo statu conservare satagunt, quem Principes instituerunt, laude dignum est; ii verò, qui eos inquietare volunt, injusti sunt. Tenemur omnes præsumptionem inclinare in eorum gratiam, qui nobis imperant; unde sequitur credendum esse, quòd ad publicam utilitatem conducat, ut Ecclesiastici sub Regia autoritate sint Judices subditorum, in quibusdam casibus ad civilem administrationem pertinentibus, quamdiù Principes hujus ordinis autores, eum conservare volent. Sed Ecclesiastici non reddent Cæsari, quæ sunt Cæsaris, si potentiam Temporalem, quam exercent, confundere velint cum spirituali; &, si autoritatem suam vindicent, quasi pars esset potestatis, quam JESUS CHRISTUS eis dedit; dùm agitur tantùm de amplitudine Jurisdictionis, quam ab Imperio acceperunt.

Laïci, qui à Principibus eliguntur, ad jus subditis dicendum, non habent autoritatem judicandi de omnibus, quæ continentur in Constitutionibus. Notavi, plures ex iis circà materiam merè spiritualem versari, easque Principes condidisse, ideò quòd, sub nomine Protectorum Ecclesiæ, tenentur procurare executionem Legum ipsius, & pœnas temporales sancire in subditos contumaces. Leges Principum non statuunt circà harum rerum principia; sed illa supponunt instituta, atque ordinata per Leges Superiorum Ecclesiasticorum: pœnas tantum adjiciunt, quas Ecclesia ferre non poterat. Non igitur pendet à Laïcis, qui sub autoritate principum dumtaxat judicant ut pronuntient circà substantiam vel principia rerum, quæ merè spirituales sunt; sed, postquàm Superiores Ecclesiastici id judicaverunt, possunt infligere pœnas Legibus principum latas, & civiles effectus determinari, si aliqui sint.

Si v. g. difficultas exoriatur circà validitatem Voti ab homine emissi, qui ejus erat ætatis ac statûs, in quibus de personâ suâ disponere posset; hoc ad Judicem Laïcum non competit: sed hæc notio pertinet solùm ad Judicem Ecclesiasticum, post cujus judicium, Judex Laïcus, secundùm Leges cognoscere potest de consequentiis Civilibus, quales sunt successiones, exhæreditatio, validitas Testamentorum, aliæve res, circà quas Leges eodem modo non statuunt, quoad eos, qui solemnia vota emiserunt, & eos, qui permanserunt in statu Civili. Asserit aliquis pertinaciter doctrinam, quam fidei adversari alii contendunt: Judex Laïcus, eum neque condemnare, neque absolvere potest; sed, eô, per Superiores Ecclesiasticos, hæreticô denunciatô, ad Laïci Judicis autoritatem pertinet, ut eum pœnis addicat, quas Leges Principum contrà Hæreticos sanciunt.

Hæ Observationes aliquam lucem afferre possunt ad germanam intelligentiam *Appellationum tanquàm ab abusu*. Si sententia Judicis Ecclesiastici, à quo appellatur, circà rem merè spiritualem versetur; Judex Laïcus, apud quem provocans conqueritur, Magistratûs Politici nomine, nullitatem Judicii pronuntiare nequit. Si de materia Temporali agatur, Appellatio fundari potest, aut in Judicis Ecclesiastici Incompetentia, aut in Judicii ipsius iniquitate. Utrumque pendet ab amplitudine potestatis, quam Principes Ecclesiasticis Judicibus concesserunt. Potuerunt eam æqualem, vel etiam majorem facere, quàm sit autoritas Curiarum Laïcalium, si hoc ad publicam utilitatem necessarium sit. Magna fuit morum, circà hanc rem, diversitas, pro temporum, ac regionum diversitate. Eadem permansit varietas inter omnia Regna Catholica. Ecclesiastici non habent eamdem potestatem in administratione Civili. Si Respublica Judicibus Curiarum Ecclesiæ, & Judicibus Curiarum Laïcarum æqualem autoritatem dedisset, Appellatio tanquam ab abusu careret fundamento; eoque in casu, solùm ad principem deferri possent querelæ de injustitiâ Judiciorum Ecclesiasticorum. Verùm, si in quadam ditione esset Primarium Tribunal, cui cætera subordinata forent, quoad causas civiles; si Principes Judici Ecclesiastico commisissent cognitionem aliquot negotiorum temporalium, cum subordinatione huic primario tribunali; evidens est Appellationes tanquàm ab abusu tunc fore legitimas, futu-

futurumque, ut Judices primarii Tribunalis, quamvis Laïci essent, possent illas admittere, illæsa autoritate Spirituali, nec minutâ Jurisdictione Temporali, quam Ecclesiastici à Principibus tenerent.

Locutus sum tantùm de potestate, quæ Principibus competit, quatenùs Magistratibus Politicis, in Appellationibus tanquàm ab abusu. Protectoris Ecclesiæ dignitas, quæ supremæ potestati temporali cohæret, illam longiùs prorogat; verùm ejus limites assignare difficile est. Nomen hoc non tribuit Principibus jus faciendi Leges circà res spirituales; sed eis imponit obligationem procurandi executionem earum, quas fecit Ecclesia. Hanc ob causam, Magistratus aliquando admittunt Appellationes tanquàm ab abusu propositas à sententiis, quas Ecclesiastici Judices, circa res spirituales tulerunt. Usurparent autoritatem quæ sibi non competit, si Appellationes tanquàm ab abusu admitterent, cùm sententia de quâ appellans conqueritur, non est evidenter contraria Legibus Ecclesiæ, quia hoc in casu agitur de interpretatione *Canonum*, quæ non competit principi: Legis interpretatio pendet ab eo, qui ejus ferendæ autoritatem habet.

Sed cùm evidens est violatos fuisse Canones, Magistratus contendunt appellari posse ad Ordinarium; appellari posse tanquam ab abusu; se posse has appellationes admittere, non arrepto Thuribulo: quia Decretis suis Ecclesiæ inserviunt, ejusque triumphum de contemptoribus Legum ipsius adjuvant, sed illam non regunt. Hæ appellationes vulgares evaserunt, definitio litis plerumque expeditior est. Judiciorum Ecclesiasticorum solemnitates & numerus sententiarum similium, qui necessarius est, ut sententiæ Curiarum Ecclesiasticarum supremam autoritatem acquirant, tantam prolixitatem, totque impensas trahunt, ut sæpè declinetur hæc via, cùm alia occurrit. Clerus Parisiis an. 1605. congregatus aliquod huic malo remedium afferre voluit, sed ob resistentiam Archiepiscoporum Lugdunensis & Bituricensis, coactus fuit hoc laudabile consilium ad tempus magis propitium transferre.

Tractatus hic Gallicé compositus est à defuncto Domino LE MERRE, in Curia Parisiensi Advocato eruditissimo, mihique communicatus ab ipso, Anno 1703. Hunc autem in Latinum verti curavi, Anno 1729. ut subnecterem Observationibus meis circà Constitutiones, quarum nonnullis maximè affinis est: in his enim Autoris consilium imitatus ostendi, quomodò intelligendi sunt *Canones* de Rebus Temporalibus statuentes, eoque modo Ecclesiæ potestatem excedentes, adhibitisque iisdem distinctionibus, exposui extra *Corpus Juris* non vagatus. Hic autem plurima adduxit exempla aliundè sumpta, tùm ex *Conciliis*, tùm ex Libris Juris Civilis, Codice Theodosiano & Justinianeo, nec non ex Capitularibus aliisque Constitutionibus Regum Francorum: quibus testimoniis magnoperè illustrantur ac confirmantur quæ à me dicta sunt, ea suplentur quæ omissa sunt, quæque præcipuè spectant Leges de rebus spiritualibus à Principibus conditas, ideòque illorum potestatem, saltem, specie, superantes. Undè his Observationibus accedit nova utilitas, ex comparatione, inter Leges Civiles, & Leges Ecclesiasticas utrinque similiter extrà suam ditionem vagantes.

TITULUS IX.

DISCUSSIO HISTORICA circa necessitatem solemnis publicationis Canonum in locis, ubi servandi sunt, faciendæ, illorumve receptionem per usum, ut vim obligandi habeant.

PRÆFATIO.

OCcurrunt plura Decreta Summorum Pontificum, tàm antiqua quàm nova, quæ supponere videntur quod quidquid Titulo *Canonis* insignatur, præsertim si à Sede Apostolica emanet, aut illius autoritate fulciatur, obliget independenter ab omni stipulatione, in Locis, ubi servandum est, faciendâ, nec non ab omni receptione per usum. Extant etiam celebres Canonistæ, qui docent, quemvis *Canonem* obligare, ac inter alios FAGNANUS *in Cap.* I. *de Constitutione n.* 47. ubi hæc habet: *Secundò, nota omnes Canones esse de præcepto*; quod deinde probare conatur, nullo excepto Canone, nec circumstantiâ ullâ, petitâ, aut ex qualitate Canonis, aut ex conditionibus requisitis, ut Lex obliget. Cùm ergo multa referat, ut ejusmodi Decreta & Sententiæ Autorum laudatorum discutiantur, & explicentur, in mentem venit referre & explicare Autoritates, quæ probent, Canones obligandi vim non habere, nisi postquàm in locis, ubi vigere debent, debitè publicati fuerint, aut per usum recepti sine ulla publicatione.

Ut ergo utrumque feliciter fieri possit, duo incumbunt peragenda. 1. Ut referantur nonnulla hujusmodi, eaque præcipua. 2. Ut colligantur autoritates, quæ illa elucidant. Utrumque autem genus desumitur ex Pontificibus & ex Conciliis. Hoc autem in prioribus Canonum intricat, quòd indistinctè loquantur de obligatione servandi Canones, nulla facta exceptione eorum, qui sibi invicem adversantur, vel qui abrogati sunt, vel quibus derogatum est, aut qui non conveniunt quibusdam Locis, aut Temporibus, aut Personis: undè confundere videntur Canones Generales cum Particularibus; vigentes cum obsoletis; qui ad Fidem pertinent, cum illis qui solam respiciunt Disciplinam; Temporales cum Perpetuis, etsi hæc inter se collata Canonum genera maximè differant. Hoc autem opus eò libentiùs suscipitur, quòd ad Canonum reverentiam plurimum conferre possit, ex collectis hac de re in eo testimoniis.

CAPUT PRIMUM.

Præcipua Decreta quæ insinuant servandos Canones qualescumque.

HOrum Decretorum *Primum* est in *Epistola* CÆLESTINI I. *ad Episcopos Apuliæ & Calabriæ*, Anno 427. scripta. Hic enim *Cap.* 1°. complectens quodvis Canonum genus, sub Titulo *Regularum Patrum*, nomineque *Decretalium Constitutorum*, illorum observationem cuilibet Sacro Ministro in primis commendat, sine ulla restrictione; idque adeò necessarium suggerit, ut eô omissô Populorum salus periclitetur: cùm, si sacris Canonibus debita reverentia non habeatur, spes ulla sit fore, ut, quæ aliis sacris rebus debetur, conservetur. „ Nulli Sa-„ cerdotum liceat quidquam facere quod patrum pos-„ sit regulis obviare; quæ enim nobis res digna ser-

„ vabi-

„ vabitur; si Decretalium norma constitutorum, pro „ aliquorum libitu, licentiâ populis permissâ, franga„ tur„. Nihil novi statuens antiqua Decreta qualiacumque sint servari præcipit.

Occurrit simile Decretum in *Litteris* SIXTI III. ad *Episcopos Illyricianos* missis, nihil addens antiquis regulis, illas indistinctè custodiri jubet. Hac in re prædecessorum vestigia sequens, qui idem pluries illis præceperant: „ Vestrum nemo, [inquit] discen„ dat, nec ab his deviet, quæ juxta regularum ordi„ nem frequens ad vos directa Sedis Apostolicæ de„ crevit autoritas „. Decretum est anni 437.

S. LEO non minùs indistinctè loquitur de observatione Canonum quorumcumque, in *Præfatione & Capite* 5°. EPISTOLÆ, quam scripsit An. 443. ad *Episcopos Italiæ*. Docet, in *Præfatione*, Ecclesiam corpus esse, quod pulchritudinem & puritatem ex observatione Canonum accipit, illorumque violatione maculatur; huic autem Corpori Pontificem præpositum fuisse, ut ipsius splendorem conservet; alioqui coram Deo, qui illum præfecit, inexcusabilem futurum: „Ut nobis, [inquit] gratulationem facit Ecclesia„ rum status salubri dispositione compositus, ità „ non levi nos mœrore contristat, quoties aliqua „ contra constituta Canonum, Ecclesiasticamque Disci„ plinam, præsumpta vel commissa cognoscimus; quæ, „ si non, quâ debemus vigilantiâ, resecemus, illi, qui „ nos speculatores esse voluit, excusare non possumus, „ permittentes sacrum corpus Ecclesiæ, quod ab omni „ macula purum custodire debemus, ambientium fœ„ da contagione fœdari, cum ipsa sibi membrorum „ per dissimilationem compago non congruat „.

Quod autem S. LEO mox dixit generaliter, de quibuscumque servandis Canonibus, hoc idem, in *Cap.* 5°. ejusdem *Epistolæ*, nominatim ac indistinctè dicit de Decretis prædecessorum suorum, his nimirùm verbis: „Nequid sit, quod prætermissum à nobis fortè cre„ datur, omnia Decretalia constituta, tàm beatæ re„ cordationis *Innocentii I.* quàm omnium decesso„ rum nostrorum, quæ de Canonum promulgata sunt „ disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri debere „ mandamus, ut, si quis in illa commiserit, veniam „ sibi deinceps noverit denegari „.

Circa quod *S. Leo* convenit cum *Sixto III.* in duobus 1°. Commendat observationem Decretalium Sedis Apostolicæ, nullâ factâ exceptione. 2°. Insinuat hæc desumpta esse ex Canonibus: hoc enim infertur ex his verbis, *de Canonum Disciplinis*. Differt verò in eo, quòd pœnas comminatur transgressoribus Episcopis, à quo *Sixtus* abstinuerat.

Decretum IX. GELASII, circa obligationem servandi Canones, Anni 492. non minùs generalibus verbis concipitur; postquàm enim dicit, Sanctam Sedem sibi nihil permittere, quod debitæ Patrum Regulis reverentiæ adversetur; imò quidquid illæ præscribunt studiosè custodire: adjicit, rem esse indignam Episcopis, inferioribusque Ministris, hac in re ab exemplo hujus Sedis discedere, eòque magis, quòd totum Corpus, Capiti, quod à Deo accepit, sese conformare debeat: „ Cum nobis contra salutarium re„ verentiam regularum cupiamus temerè nihil licere, „ & cùm Sedes Apostolica, super his omnibus, favente „ Domino, quæ paternis Canonibus sunt præfixa, „ pro devotoque studeat tenere proposito, satis in„ dignum est, quemquam vel Pontificum vel Ordi„ num subsequentium hanc observantiam refutare, „ quam Beati Petri Sedem & sequi viderit ac doce„ re, satisque conveniens sit, ut totum corpus Ec„ clesiæ in hâc sibimet observatione concordet, quam „ vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius po„ suit principatum „.

Collecta hucusque Decreta diriguntur ad sacros Ministros, eosque excitant, ad Canonum quorumcumque custodiam, variis momentis. 1°. Ob reverentiam illis debitam. 2o. Ad salutem Populorum sibi commissorum. 3o. Ob iteratas sæpiùs admonitiones à Sede Apostolica sibi factas. 4°. Ob Ecclesiæ splendorem retinendum. 5o. Pœnarum comminationem. 6o. Exemplo ejusdem Sedis, quæ servat illos, & servandos docet.

Hoc unum autem in illis vexat, quòd generalibus locutionibus utantur, iisque secùm plura absurda, aut incommoda, involvere videantur. Sequens verò reipsa intricat; ait enim, quòd, si quis Episcopus, aut Clericus, vel Laïcus, non indifferenter recipiat statuta SS. Patrum, quæ titulo *Canonum* insigniuntur, seipsum convincere, se Catholicâ & Apostolicâ fide carere, seque efficaciter non credere Sancta Quatuor Evangelia. Desumitur ex *Epistolâ* LEONIS IV. ad Episcopos *Britanniæ*, circà Annum 850. scripta; sic enim loquitur: „ Quam ob causam & magna voce pronunciare „ non timeo, quia, qui illa, quæ dicuntur Sanctorum „ Statuta, quæ apud nos *Canones* prætitulantur, sive „ sit Episcopus, sive Clericus, sive Laïcus, non indif„ ferenter receperit, ipse se convincit nec Catholi„ cam & Apostolicam, nec vera Christi Evangelia qua„ tuor, utiliter & ad effectum suum retinere vel cre„ dere „.

Extat hoc Decretum apud GRATIANUM *Canon.* 1. DIST. XX. in verbis paulo diversum. Augetur difficultas non parum, ex eo, quòd anteà enumerans Canones recipiendos, multos inter illos collocat, qui sunt vel obscuri, vel ambigui, vel moribus Gallorum non apti, vel sibi invicem repugnantes, ob diversas locorum, temporum, & personarum circumstantias. Legenda hujusmodi enumeratio, ut sanè de hâc difficultate judicari possit.

Decretis hujusmodi, ex *Epistolis* Pontificum desumptis, adjiciendi nunc sunt notabiliores *Conciliorum Canones*, quia similem pariunt difficultatem, eamque confirmare videntur exemplo suo.

Ejus generis sunt *Can.* 1. *Conc.* CALCEDON. An. 451. celebrati. *Canon.* 2. *Concilii in* TRULLO habiti, An. 692. *Canon.* 1. *Conc.* NICÆNI II. convocati An. 787. In hoc conveniunt, quòd Canonum omnium anteà conditorum à Conciliis, tàm Generalibus, quàm Particularibus, sive Orientalibus, sive Occidentalibus, executionem præcipiant. *Trullanus* alios explicat, hujusmodi Conciliorum seriem contexens, quæ in genere tantùm alii recensent.

Cùm Canones illorum Conciliorum inter se quandoque dissentiant, factum, ut contrarii, ab uno quoque trium mox citatorum Canonum, probentur firmenturque. Exemplum habes hujus contrarietatis maximè notandum, in *Canone* 14. Concilii *Antiocheni*, An. 341. celebrati, qui reprobat appellationes ad Sedem Apostolicam; & Canonibus *Africanis*, qui illas itidem damnant; si conferantur cum Canonibus *Conc.* SARDICENSIS, An. 347. habiti, qui easdem probant. Undè fit, ut præcipi nequeat observatio omnium Canonum, quin simul præcipiatur, ut contrarii Canones serventur.

Ut ergo clariùs pateat, quæ, ex tribus laudatis Canonibus, Calcedonensi, Trullano, ac Nicæno, exurgat difficultas, referendi sunt singuli ipsissimis verbis. *Primus* sic concipitur: *Canones, qui à Sanctis Patribus in unaquaque Synodo hucusque constituti sunt, observari æquum censuimus.*

Hæc locutio, *in unaquâque Synodo*, adeò generalis est, quòd comprehendat, tàm Synodos Occidentales, quales *Arelatensis*, An. 314. *Sardicensis*, An. 347. *Carthaginensis*, *Milevitanæ*, cæteræque *Africanæ*, celebratæ ante annum 451. quàm Orientales, quæ in Codice Universalis Ecclesiæ continebantur, quæque solæ Canones condiderunt, nimirùm, *Nicæna*, *Constantinopolitana*, *Ephesina*, *Ancyrana*, *Neocæsar.* *Antiochena*, *Laodicena*, & *Gangrensis*.

Hæ autem considerationes confirmantur à *Canone Trullano*, cujus hæc sunt verba ad rem appositа. Ob„ signamus etiam reliquos omnes Canones, qui à Sanc„tis & beatis Patribus expositi sunt, id est à 318. divis „ Patribus, qui Nicææ convenerunt, ab iisque qui Ancy-

„ ræ,

„ ræ, & iis etiam qui Neocæsareæ, similiter & qui „ Gangris. Prætereà & ab iis qui Antiochia Syriæ, „ atque etiam qui Laodicea Phrygiæ. Prætereà autem „ à 150. Patribus qui in hac à Deo conservanda & „ Imperiali Civitate convenerunt, & à 200. qui Ephe- „ siorum Metropoli priùs coacti sunt, & 630. Sanc- „ tis & Beatis Patribus qui Calcedone, similiter & „ iis qui Sardicæ, & qui Carthagine, & qui rursùs „ in hac Dei Cultrice & Imperatrice urbe convene- „ runt sub Nectario, qui huic Imperanti Civitati præ- „ sidebat, & Theophilo, qui fuit Alexandriæ Archiepis- „ copus „.

Cætera, quæ habentur in eodem, tàm præcedentia, quàm subsequentia illud quod retulimus, prætermittendum ducimus, quia ad elucidationem Canonis Calcedonensis, nec non & Nicæni, prout iste cum illo convenit, non faciunt; spectant siquidem partim ad Canones Apostolorum, partim ad Epistolas Patrum Græcorum, quæ *Canonicæ* vocantur. Quoad Nicænum *Canonem*, notare sufficit: 1o. Quòd expressam mentionem non faciat, nisi de *Sex* Conciliis Generalibus præcedentibus, & de Conciliis Provincialibus, de quorum numero tacet. 2o. Trullanam Synodum inter *Sex* comprehendit. Hujus autem Canones, in pluribus, Ecclesiæ Romanæ, seu Occidentalis Canonibus adversantur: ideòque Canones secum repugnantes probet, sicuti Calcedonensis I. Trullanus II. eorumque observationem insimul præcipiat.

Jàm satis superque de Decretis, quæ indistinctè præcipiunt, ut Canones ab omnibus serventur, ac de Canonibus illa confirmantibus, in eo quòd idem præcipiunt, & de incommodis hinc emergentibus, nempè, Decreta illa, nec non & Canones hujusmodi, ad impossibile obligare; cùm simul servari nequeant, quæ contraria: Item, obligare ad servandos Canones non receptos, aliosve abrogatos, vel ut noxios, vel ut moribus patriis non consentaneos.

Nunc, ad hæc absurda, aliave similia respondendum, 1o. Prædicta incommoda non occurrere, nisi in Canonibus ad Disciplinam spectantibus; cessare autem si mens Ecclesiæ inspiciatur. Hanc autem aliam non esse, quàm ut unaquæque Regio Canones sibi convenientes observet. Hoc positò, nullum incommodum: nulli Canones damnantur, sed in honore habentur, prout cuique loco utiles sunt. Omnes quidem reverentiâ digni sunt, sed non omnes utique utiles: diversa remedia, diversis morbis applicanda: illorum usus liber esse debet, dummodò quilibet iis utens ad salutem perveniat. Hoc unum Ecclesia desiderat: modus est indifferens; si probatus fuerit ab iis, qui præsunt, vel præesse debent. Fides una est & eadem apud omnes, & esse debet: mores autem non item; sed illorum diversitas permittenda, prout necessitas, vel utilitas id postulat. Extant non pauci Canones, sive antiqui, sive novi, qui id docent. Circa res hujusmodi maxima vis usus & consuetudinis. Multa antiquitùs viguerunt, posteà abolita fuerunt, deinde restituta, pro temporum varietate. Quæ nunc vigent, abrogationi obnoxia sunt.

Respondendum. 2o. Propositiones generales pro subjecta materia accipiendas: Nomine autem *Canonum* servandorum, non alii intelliguntur, quàm, qui recepti sunt, & vigent; ideòque vim Legis habent. Hinc autem sequi quòd Canones decretave, quæ indistinctè præcipiunt, ut Canones serventur, intelligendi sunt de iis, qui adhuc in vigore sunt, eaque omnia habent, quæ requiruntur ad obligandum.

Respondendum. 3o. Plura ex adductis Decretis condita fuisse benè multos post annos, quibus lati erant Canones, quorum observationem indistinctè commendabant præcipiebantque: idcircò istos jam jàm publicatos, aut per usum, multò priùs obligasse; eâque de causâ, ut custodirentur, ursisse, dummodò non fuerint abroliti.

CAPUT SECUNDUM.

Autoritates, quibus relata Decreta explicantur, probaturque, Canones non obligare, nisi in Locis, ubi servandi sunt solemniter publicentur, & interdum publicationem iterandam esse, vel nisi saltem per usum recepti fuissent.

COllectioni faciendæ præmittendum, [ut ex dicendis patebit] obligationem publicandi Leges quascumque ex Jure Naturali nasci; cùm, sine publicatione, debitè cognosci nequeant, nullusque obligari possit ad faciendum, quod non novit: quia ad impossibile nemo obligari potest. Hinc innumeri propemodùm Canones hanc præceperunt: Et præsumendum, illos, qui illius non meminerunt, supposuisse illius necessitatem adeò notam esse, ut Prælati, quibus publicandi onus incumbit, huic muneri non defuturi essent. Itaque hujus Collectionis Scopus præcipuus non est, ut probetur, quæ, & quanta sit Publicationis necessitas; sed, ut ostendatur, quis illius modus, cæteraque explicentur, quæ ad illam pertinent. Quod cùm meliùs fieri non possit, quàm Conciliorum testimoniis, quæ de illa mentionem expressam fecerunt, occurentia ab initio Sæculi IV. usque ad Sæculum XV. accuratè congeremus, salvo tamen necessario delectu.

Antiquissimum omnium desumitur ex *Concil.* ARELATENSI, habito An. 314. Extat in illius *Epistola* ad SYLVESTRUM Pontificem. Supponens Concilium Decreta sua vim obligandi habere non posse sine publicatione, mittit illa ad illum, ut illius opera innotescerent per totum illius districtum, & Christianorum infinitæ multitudini, ad Imperatorem Senatumque Romanum, ob negotia apud eos peragenda confluenti. Eamque esse ipsius mentem his verbis significat: *placuit etiam, antequàm à te, qui majores Diœceses tenes, per te potissimùm omnibus insinuari.* Corruptus est hic locus; ut restituatur legendum, *ante à te audiri, & cognosci, qui major es Diœcesis, à te potissimùm omnibus insinuari.* Colligitur hæc restitutio ex *Summa Epistolæ* præfixa Canonibus: *quod decrevimus communi consilio charitati tuæ significavimus, ut omnes sciant quid in futurum observare debeant.* CONC. TOM. I. *pag.* 1426. & 1427.

Laudatum Concilium quodammodò Generale fuit: quia ex præcipuis Orbis totius Provinciis constabat, & ab Imperatore convocatum fuerat, ad finiendas Controversias Universam Ecclesiam spectantes; & Legati Sedis Apostolicæ interfuerunt. Idcircò Canones illius publicatione generali indigebant, ut ad omnes, propter quos conditi erant, pervenire possent. In quo hi Canones differebant ab illis, de quibus CÆLESTINUS, in *Epist.* supra objectâ: ubi insinuat, extare Canones proprios quibusdam Regionibus, vel cuidam generi Personarum, quos ideò illarum Canones appellare licet, ob peculiarem ad illos respectum. Hic autem videtur sensus illorum verborum, *nulli Sacerdotum liceat suos ignorare Canones*: Vox illa, *suos*, attentione digna, legitur non solùm apud JUSTELLUM & LABBÆUM, sed etiam apud BURCHARD. *Lib. II. Cap.* 16. & IVONEM CARNOT. *Part.* VI. *C.* 281. si verò apud *Gratianum* omittatur *Can.* 4. DIST. XXXIII. idemque fiat quandoque in *Capitular. 6. Regum Franciæ*, interdumque mutetur in istam, *sacros:* mendum est, corrigendum per *Epistolam* ipsam, prout refertur à citatis Autoribus.

Eamdem publicationis necessitatem itidem supponit *Concil.* NICÆN. An. 325. in *Epist. Enciclica*, seu Circulari, missa ad Episcopos, qui non interfuerant; sic enim ibi loquitur: *Quæ literis ad vos perscribere visum est, ut intelligere possitis quæ Decreta sancitaque.* SOCRAT. *Lib. II. Cap.* 9.

Eamdem suppositionem videre est in EPIST. *Concilii* SARDICENSIS, habiti An. 347. ad Papam JULIUM, qua

qua illum suorum Decretorum certiorem faciant; hæc enim habet: *Tua autem excellens prudentia disponere debet, ut per tua scripta, qui in Sicilia, qui in Sardinia, & in Italia sunt, fratres nostri, quæ acta sunt & definita sunt, cognoscant.*

Porrò, si Concilium Sardicense, si Concilium Arelatense credidissent Canonum publicationem factam Romæ, sufficere, ut notitia illorum certa ad alias Ecclesias transmittatur; non rogassent Pontificem, ut Decreta, ad illum missa, communicaret Episcopis sui districtûs. Patres quoque *Nicæni* Canones suos Episcopis, qui non interfuissent, non misissent; sed satis habuissent, ut Romam deferrentur, hac spe, fore, ut hinc ad cæterorum notitiam devenirent.

Porrò, quòd appropriat nonnullos Canones quibusdam regionibus, nihil aliud est quàm publicatio, ibi, non alibi facta, aut acceptatio, receptioque per usum, ab istis, non ab aliis facta.

INNOCENTIUS I. mentem suam clariùs exposuit circà necessitatem publicationis Canonum, in *Epistola ad Victricium Episcopum Rotomag.* illi siquidem suggerit, præcipitque, ut populis vicinioribus, nec non & Collegis suis, Collectionem Canonum sibi missam, publicandam curet; tùm, ut cognoscant Romanos mores, tùm, ut Prælati discant, quomodò regere debeant, qui Christi fidem amplectuntur: „Erit dilectionis tuæ „per plebes finitimas & Sacerdotes nostros, qui in „illis regionibus propriis regionibus præsident, re„gularum hunc Librum quasi didascalicum atque mo„nitorem, sedulò insinuare, ut ità nostros cognos„cere, & ad fidem confluentium mores, valeant „docendi sedulitate formare„.

Objecta sunt suprà quædam verba *Sixti III.* scribentis ad Episcopos Illyrici, quæ sumpta ut par est, obligationem servandorum Canonum fundari, nedùm in eorum justitia, sed etiam in illorum publicatione, innuunt. Prohibens enim ne discedant ab eo, quod Sancta Sedes præscripsit, insinuat, illos ad obedientiam teneri, ob duas causas. 1ª. Quòd pluries præcepti Apostolici notitiam acceperunt, ut patet his verbis: *Frequens ad vos Decreta decrevit autoritas.* 2ª. Quòd præceptum justum sit, ut hinc colligitur juxtà regularem ordinem.

Eadem doctrina probatur per *Epistolam* S. LEONIS ad Episcopos, in qua loquitur de duplici publicatione: altera, quâ primâ vice Canones notificantur; altera, quâ, si obliti fuerint, in memoriam revocantur. Utraque infertur ex his verbis: *Ne qua excusatio de ignoratione Canonum nascatur, quamquam ignorare numquam licuit Sacerdotem, quid Canonum regulis definitum fuerit, hæc ad vestras Provincias scripta direximus.* Prior desumitur ex eo quod dicit, *Sacerdotem non posse ignorare Canones;* hoc enim provenit ex eo quòd illos publicandi cura incumbit Sacerdoti. Posterior, ex cæteris verbis, quibus patet denuò missos Canones fuisse præfatis Episcopis, ut iterata publicatione illorum memoria conservaretur.

CAPUT TERTIUM.

Autoritates aliæ adhùc clariores, circà eamdem Canonum publicationem.

CONcilium TOLETANUM IX. An. 655. habitum, Publicationem Canonum adeò necessariam duxit, quò vim obligandi haberent, ut, volens novos antiquis attexere, illos publicari decrevit, sicuti veteres sequuti publicati fuerant; huc etiam adductum fuit spe, fore, ut ipsa publicatione, ac cum aliis conjunctione, æqualiter stabiles ac venerandi efficerentur.

„Id communi definitione decernimus; ut Capitu„la, quæ in priscis Canonibus minimè habentur in„serta, pari promulgarentur sententia, & antiquis „jungerentur regulis perenni jugitate mansura, & „omni reverentiâ conservanda. Legere est aliquid fortiùs clariùsque de necessitate publicationis Canonum, in Concilio XVI. ejusdem Civitatis, An. 693. celebrato. *C.* 7. Refertur à GRATIANO *Can.* 17. DIST. XVIII. sub numero *Cap.* 6. hujus *Concilii*, sed truncatus; ideòque, ut in Concilio habetur, hîc describetur; quæ enim resecta sunt argumento favent. *Grandis populo datur emendationis correctio, si gesta synodalia, dùm quandoque peraguntur, relatione Pontificum in suis Parrochiis publicantur.* Quæ emendandi populum ratio ex duplici capite petitur: 1º. Ex ipsa culparum cognitione, quam accepit ex publicatione, & remediorum quibus curantur. 2º. Ex autoritate medicorum, fiduciaque in illis. „Et ideò plena decernimus „unanimitate connexi, ut dum in qualibet Provin„cia Concilium agitatur, unusquisque Episcoporum ad„monitionibus suis intrà sex mensium spatium, om„nes Abbates, Presbyteros, Diaconos, atque Cle„ricos, seu etiam omnem Conventum Civitatis ipsius, „ubi præesse dignoscitur, nec non & cunctam Dioe„cesis suæ plebem aggregare nequaquàm moretur: „quatenùs coràm eis publicè omnia referata, de his „quæ eodem anno in Concilio acta, vel definita ex„titerint, plenissimè notiores efficiantur.

„Habita ergò ratione utilitatis populo proventuræ „ex hac publicatione, uno ore præcipimus, ut qui„libet Episcopus è Concilio Annuo redux, convocet „Clerum Sæcularem & Regularem, & Plebem Civita„tis, cum Clero, & Plebe Diœceseos, ibidemque le„gendos Canones curet à Concilio conditos: pro„fectò etenim pravorum severitas extirpatur, dùm „Canonica instituta, ad agnitionem eorum observan„da, modis omnibus inducuntur.

„Vitiorum extirpatio fit cognitione Constitutio„num Canonicarum; ita scilicet, ut, quæ sint, aut „præteritis gestis, aut in præsentibus constitutis, „nullus his contradicere audeat, nullus ea rever„berare præsumat, nullus non implere contendat; „sive veteres, sive recentes, tantam in se ipsas re„verentiam excitant, ut nemo contrà illas loqui „audeat, & quisque conetur observare.

„Si verò nihilominùs contingeret quod has cons„titutiones aliquis transgrediatur, hunc volumus per „duos menses communione Ecclesiæ esse privatum: „quòd si quispiam ea parvi-pendenda crediderit.... „nec non potiùs earumdem definitionum fautor be„nevolus extiterit, sententia excommunicationis „duorum mensium curriculo persistat usquequaque„.

Cùm *Capitularia* Regum Franciæ circà negotia Ecclesiastica, inter Constitutiones Ecclesiasticas accenseantur, hîc referre fas esset illorum loca, quæ Publicationem *Capitularium* præcipiunt, sive Episcopis, sive Comitibus. Sed quia hæc loca collecta sunt à BALUZIO. *n.* 15. 16. 17. *Prælection.* in illa, sufficiet ut ad citatos numeros remittamus.

Interea observabimus, *Heraldum*, Archiepiscopum Turonensem, post compositam nonnullorum Capitularium *Summam*, illam publicasse in Synodo Diœcesanâ An. 858. Qua in re Regum voluntati, qui illa condiderant, sese conformavit, nec non Ecclesiæ perpetuæ praxi, quæ suarum Legum publicationi semper providit, ut obligandi vim haberent.

Veritatem hanc agnoscit LEO IV. rescribens ad Episcopos *Britanniæ*, qui illum super diversa Capita consuluerant. Perpenso etenim quòd necessaria sit Canonum Publicatio, quodque illius cura Episcopis incumbit, ait, *Cap.* 1., Episcopos non posse Canones ignorare, quia ipsorum fuit illos in Conciliis promulgare, ac etiam recipere, idque ab ullis aliis usurpari non possit, quod his verbis exprimit. *Cùm in Sacris Conciliis ab Episcopis promulgatæ sint regulæ, & receptæ, quis extrà Episcopos promulgator Canonicarum quiverit esse sententiarum?* Relata verba subministrant occasionem distinguendi tria genera Canonum.

Primum est eorum, qui ab ipsis Conciliis conditi sunt. *Alterum* est eorum, qui ab aliis Conciliis Ge-

neralibus, vel Particularibus, Occidentalibus, vel Orientalibus, quàm ab ipsis, in quibus itidem leguntur, vel promulgantur. *Tertium* eorum, qui, cùm usu recepti jam sint, sed malè servati, in posterioribus Conciliis innovantur. Hinc quoque *Triplex* Canonum *Promulgatio*. 1ª. Fit in ipso Concilio Canonum conditore. 2ª. In Concilio aliorum anteriorum adoptante & confirmante. 3ª. In Concilio, Canones ab aliis ejusdem Patriarchatûs, vel Primatiæ, vel Provinciæ editos, renovante.

Præter has promulgationes, est alia non minùs necessaria: nempè, ea quæ fit in Synodis Diœcesanis, in Parochiis, aliisque Ecclesiis. Seorsim de eâ sermo factus est à Conciliis Toletanis suprà laudatis; de eadem quoque frequens mentio posteà fiet.

De *Acceptatione Canonum*, eorumque *Receptione per usum*, intelligendus videtur *Canon* 2. *Concil.* MOGUNTINI An. 847. habiti; Cujus hæc sunt verba: „Cùm „omnia Concilia Canonum, quæ recipiuntur, sint à „Sacerdotibus legenda & intelligenda, & per ea sit „eis vivendum & prædicandum, necessarium duxi„mus, ut ea quæ ad fidem pertinent, & ubi de „extirpandis vitiis & plantandis virtutibus scribitur, „hoc ab eis crebrò legatur & bene intelligatur ut „in populo prædicetur„.

Idem dicendum de *Capit.* 9. *Capitularis* GUILLEBERTI, Episcopi, fortè Carnotensis, quod BALUZIUS collocat Sæculo IX. Sic autem se habet: *Ut in proxima Synodo unusquisque suos Canones habeat & intelligat, quia nulli Sacerdotum licet ignorare Canones.* Sumptus hic Canon ex loco suprà citato CÆLESTINI I. loquitur de Canonibus receptis in Diœcesi, & accommodatis Diœcesanorum moribus; qua de causa dici possunt *proprii* illorum, pro quorum utilitate conditi, vel recepti sunt.

Idem sentiendum de *Cap.* 34. *Canonum* ÆLFRICI, Sacerdotis Anglicani. In eo, comparans Ministros Sacros cum Religiosis, exprobrat illis negligentiam & contemptum Canonum, cùm isti secundùm Regulam vivant, etsi ista data sit ab homine, & Canones emanare credantur à Spiritu Sancto, pergensque adjicit: *Etsi quis illam interdum transgreditur, transgressionem ab Abbate humiliter suscipit. Quâ igitur audaciâ Sacerdotes despexeritis, istorum omnium Conciliorum despexistis Constitutiones: Monachi enim unius hominis Constitutiones tenent, Sancti videlicet* BENEDICTI, *& secundum ejus Regulam vivunt, quam si violant, corrigunt statim cum humilitate, juxta Abbatis sententiam: Vos autem habetis Regulam, si vel eam legere volueritis, quid vobis sit constitutum.* Canones citati sunt Sæculi XI. nec aliud erant quàm jus receptum apud Anglos.

Ne autem hic *Canon*, duoque proximè præcedentes, videantur ad rem non pertinere, in memoriam revocandum, hîc agi, nedùm de Canonum Publicatione, sed etiam de illorum Receptione per usum, quæ interdum publicationis vicem gerit.

CAPUT QUARTUM.

Aliæ Auctoritates circà Canonum Publicationem, ipsius modum speciatim spectantes.

EX adductis hactenùs Auctoritatibus paucæ sunt, quæ aliud probent, quàm necessariam esse Publicationem Canonum, eoque modo faciendam, ut ad illorum notitiam sufficienter perducat: afferendæ mox, ad usque finem, his adjiciunt, quæ sigillatim ad eam requiruntur; explicantes, inter alia, quo loco, quo tempore, quo numero, quâ autoritate, quibusve aliis circumstantiis, facienda sit; nec non, quæ contrà objicere, quæ respondere licet, subministrantes.

Omnium prima ex INNOCENTIO III. desumitur, habeturque in *Cap.* 1. *de Postulat.* Huic ansam præbuit eventus celebris Sæculi XII. exeuntis. Cùm Sedes *Senonensis* tunc vacasset, Capitulum postulavit Episcopum Antissiodorensem, misitque Præcentorem, ad illam Pontifici præsentandam. Is illam rejecit, hanc adducens causam, quòd interdictum latum contrà Regnum Galliæ, ob adulterium *Philippi Augusti*, violarat. Episcopus sese excusabat, dicens, se illius cognitionem non habuisse; quia de illo certus non factus fuerat, nec à Papa illius latore, nec à Legato promulgatore, nec ab Executore, ad Executionem misso. Excusationi respondebat Pontifex, frivolam esse; quia interdictum solemniter pronunciatum fuisset, & publicè promulgatum coràm multitudine personarum, nec, ut constitutio obliget, necesse esse, ut singulis notificetur speciali mandato, vel Litteris ad id scriptis. Legendus Textus, in quo hæc verba præcipuè notanda: *Cùm Cardinalis idem sententiam præsentibus multis solemniter & publicè promulgavit;* quæ ostendunt publicationem factam in locis, quæ Interdicto subjiciebantur. Quibus addenda sunt verba ista: *Nec sit necessarium, cùm Constitutio solemniter editur, aut publicè promulgatur, ipsius notitiam, auribus singulorum per speciale mandatum, vel per litteras inculcare; sed id solùm sufficit, ut quis ad ejus observantiam teneatur, quòd eam noverit, aut solemniter editam, aut publicè promulgatam.* Hinc inferre est, publicationem Legis esse debere, ut illius sufficientem cognitionem præbeat, nec aliud ampliùs exigi.

His adjicit Pontifex, quòd, cùm quidam, Canones Concilii *Sardicensis* non custodientes, sese excusarent, allegantes quòd illos non noverant, excusatio rejecta fuerat, ex eo quòd, apud illos celebratum fuerat; sic enim loquitur: *Cùm & contrà quosdam, qui Concilium Sardicense non servabant, tanquàm illud non habuerint, aut perceperint, Canonica tradat autoritas, quòd eis non facilè facultas credendi tribuitur, cùm idem penès illos in suis regionibus actum fuerit, & receptum.*

Non examinabimus an factum mox relatum cum Historia concordet; cum non allegetur, nisi ut pateat, *Innocentium III.* existimasse, quòd, ut Canones obligent incolas hujus vel illius regionis, oporteat ut in hac publicati fuerint, vel per usum recepti.

Juxtà eadem principia, *Concil.* LATERANENSE IV., cui idem Papa præfuit, An. 1216. duos Canones condidit, quibus providit, ut Leges Ecclesiasticæ in locis, ubi servandæ sunt, promulgentur. Prior est, in *Cap.* 25. *de Accusat.* Cùm enim Concilium præcepisset, ut Concilia Provincialia celebrarentur, & in iis reformarentur, quæ à Testibus Synodalibus denunciata fuissent; *quæ in iis statuta fuerint publicentur in Synodo Diœcesana quotannis celebranda.*

Posterior legitur, in *Cap.* 13. *de Pœnit. & Remiss.* Supponit publicationem faciendam ab Episcopis per totam Diœcesim; postquàm enim medicis jussit, ut post duas aut tres visitationes, ægrotos moneant, ut Sacramenta sumant, quia morbi sunt pœna peccatorum, istisque cessantibus, & illi cessant; subjicit, præceptum usum suum non habiturum, nisi à die quo *Canon* hic ab Ordinariis locorum promulgatus fuerit, ideòque nec pœna incurretur, nisi propter transgressiones publicationem subsecuturas.

Quod *Prior*, de Publicatione Decretorum Provincialis Concilii cujusque, in Diœcesana Synodo facienda, jussit, jam jusserat *Conc.* TOLETAN. XVI. suprà laudatum: undè huic præcepto maxima accessit autoritas; cùm Concilium *Lateranense IV.* celeberrimum fuit, ità ut Generale, per antonomasiam, sive præstantiam, nuncupari consueverit. Quâ autoritate factum, ut plurima ex posterioribus Conciliis, tàm Generalibus, quàm Particularibus, eamdem Publicationem pariter injunxerint. Inter quæ notabiliora sunt, quæ eamdem iterare jusserunt, vel singulis annis, vel pluries in anno; nec non & ea, quæ suorum Decretorum obligationem suspenderunt ad tempus præfixum, aut duorum mensium, aut unius, computandum à fine primæ publicationis.

PRIORIS

PRIORIS GENERIS *Primum*, est *Concilium*, apud COGNAC celebratum, *An.* 1262. Locus hic est in Provincia Burdigalensi: Sic autem loquitur *Cap.* 7. *Statuimus ut Constitutiones Provinciales, annis singulis, in Synodis publicentur: maximè illæ, per quas pœnæ transgressoribus infliguntur.* Quod dicit de Constitutionibus Provincialibus, intelligi potest de præteritis, ac de futuris, sicuti de præsentibus ab ipsis factis; cùm vox illa, *Provinciales*, indistinctè sumpta, omnes & singulas hujus triplicis generis comprehendat.

Secundum, est *Concilium Viennense*, in Austria habitum, *An.* 1267., quod præcipit, ut sua Decreta, singulis annis, in Synodis publicentur, & in Parochiis, quæ Laïcos spectant.

Tertium, est *Concil. Londinense An.* 1268. celebratum, idem præcipiens, circà publicationem suorum Decretorum, in Synodis Diœcesanis, addensque, circà Monasteria, ut pluries in anno nonnulli Textus Juris sigillatim designati, in illis legantur.

Quartum, est *Conc. Salzburgense*, *An.* 1272. *C.* 18. Jubet, ut Decreta sua, quater in anno, publicentur, in Ecclesiis Cathedralibus, & Conventualibus.

Quintum, *Conc. Rotomag.* 1339. statuens, ut, nedum sua, sed & aliorum ejusdem Provinciæ Conciliorum Decreta pluries publicentur: præcipit quoque, quòd omnes Diœcesani copiam hujusmodi Constitutionum, ac aliorum Provincialium Conciliorum recipiant, & in suis Synodis frequenter publicare procurent.

Idem propè videre est in *Concilio* apud *Castrum Gonterii*, in Provincia Turonensi 1336. *C.* 9. & in *Concilio Andegavensi*, ejusdem Provinciæ 1365. *Cap.* 32. Plures cujusque anni dies præfigunt ad publicationem Decretorum Provincialium, præcipiuntque, ut singulis his diebus fiat in vulgari linguâ.

POSTERIORIS GENERIS Concilia præcipua sunt 1°. *Concil. Valladolid.* in Diœcesi Palentia, in Hispania, suarum Constitutionum obligationem suspendit per duos menses à die publicationis in locis, ubi servandæ erant, faciendæ: *Volumus insuper quòd Constitutiones prædictæ ad observantiam sui ligent omnes nostræ legationis & singulos, post duos menses à publicatione prædicta, facienda in Ecclesiis Cathedralibus, numerandos.* Habitum fuit An. 1322.

2°. *Concilium Auxitanum*, à loco ubi habitum est *Marciacense nuncupatum*, An. 1326. *C.* 14. & 49. Prius *Caput* suspendit per duos menses, posterius, per mensem, obligationem constituta servandi. Utrumque de quibusdam tantùm de Constitutionibus loquitur; quoad cæteras, præcipit dumtaxat Concilium, ut singulis annis publicentur.

3°. *Concilium Salzburgense*, *An.* 1392. *C.* 3. statuit, ut pœna à se lata vim non habeat, nisi post mensem, à die publicationis. *Concilium Colonience* 1310. *C.* 28. Pœnis non subjecerat, nisi post tres menses à die publicationis numerandos.

Quod de *Concilio Valladolid.* dictum est, à Concilio *Tolet.* anni 1355. *C.* 2. confirmatum est; quod declaravit, illius Constitutiones obligare in circumstantiis, in quibus voluit ut obligarent. Hæ autem circumstantiæ, ut publicentur integræ in omnibus Ecclesiis Cathedralibus & in Synodis Diœcesanis coràm populo, Cleroque Sæculari & Regulari, Exempto & non Exempto: quoad alia loca, summariè tantùm promulgentur. Postremam ob circumstantiam, dubitatum fuit, an hæ Constitutiones obligarent in toto districtu legationis? & resolutum, obligare etiam in his locis, ubi facta summaria publicatio; quia, in præcipuis locis suprà memoratis, integra facta fuerat.

CAPUT QUINTUM.

Objectio contrà allatas autoritates à Conciliis mox citatis desumptas.

LEgatus insinuat, promulgationes à se præceptas, post eam, quæ in Concilio *Valladolid.* coràm Concilio, Clero, & Populo facta est, necessarias non fuisse, sed ad majorem cautelam dumtaxat injunctas; hæc enim habet: „ Sed quamquam singulorum auribus juxtà Canonicas Sanctiones, non esset, post „ publicationem hujusmodi [mox memoratam] Constitutiones prædictas necessarium inculcare, tamen „ ne aliquis ab ipsarum observantia possit se per „ ignorantiam aliquatenùs excusare, prædictis nostræ „ Legationis Prælatis injungimus, quòd Constitutiones omnes & singulas, in suis Cathedralibus Ecclesiis, infrà octo dierum spatium, postquàm illic „ delatæ fuerint, Clero non Exempto, qui de ordinaria, Exempto verò, nec non Religiosis Exemptis, „ tàm militaribus, quàm non militaribus, autoritate „ nostra & populo convocatis, & deindè in primis „ eorum Synodis, solemniter & integraliter faciant „ publicari „. Porrò, si facta in Concilio publicatio, juxtà hoc Concilium, sufficiebat; videtur quòd à nobis non benè adducta fuerat ejus autoritas, ad probandum, Canones in locis, ubi servandi, publicandos esse.

Huic objectioni plura responsa. 1o. Si Legatus in ea fuisset sententia, quæ illi tribuitur, aliter sensisset quàm Concilium *Lateranense IV.* quod præcipit, ut Decreta Conciliorum Provincialium, in Synodis Diœcesanis publicentur.

2o. Hæc verba, *in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandantes*, ostendunt, quòd existimaverit, publicationem in locis prædictis tanti momenti esse, ut digna res esset, quæ strictè præciperetur, nec non in virtute sanctæ obedientiæ.

3o. His utens verbis, *singulorum auribus inculcare*, & Canonicas sanctiones ad id laudans, alludit ad dictum *Innocentii III.* in *Cap.* 1. *de Postulat.* suprà relatum, quoad majorem illius partem. Sed fausta non est hæc applicatio; nam Pontifex de notificatione privatim facta, per speciale mandatum, vel Litteras ad id directas; & Legatus agit de publicatione facienda in variis locis, cœtibusque: ideòque, non cuique singulatim, sed multis conjunctim.

4o. Hoc Sæculo XIV., nec non & præcedenti, Canonum publicatio in locis, ubi servandi erant, jam jam Juris Communis erat. Concilium siquidem *Salzburgense*, An. 1386. loquens de simili publicatione, præcepta ab anteriori Concilio ejusdem Provinciæ, dicit, eam esse de Jure antiquo: *Dudùm*, (inquit) *fuit in nostra Provincia constitutum, ut Episcopi suffraganei omnes Constitutiones Provinciales habeant sigillatim, easque suis Subditis sicut juris est studeant publicare.* Hoc autem Concilium Salzburgense, quod hujusmodi publicationem præceperat, illud fortasse est, quod An. 1282. habitum fuit; etenim jubet, ut sua Decreta publicentur in omnibus Ecclesiis, sivè Cathedralibus, sivè Conventualibus; quo nomine intelliguntur quæcumque Ecclesiæ Collegiatæ, tàm Regulares quàm Sæculares.

5o. Legatus, qui præfuit Concilio Provinciali *Syriæ*, An. 1254. editâ, contrà Simoniacos, Constitutione, & missa ad Archiepiscopum Nicosiensem, illi præceperat, ut illam in Ecclesiâ præcipuâ Civitatis Nicosiensis publicaret, sed etiam ut illam promulgandam curet à singulis suffraganeis in Ecclesiis, eorumve Vicariis Generalibus, & in omnibus aliis locis, ubi hæc publicatio necessaria videretur; hæc enim habet CONC. *Tom. XI. part.* 2. *p.* 1409. *Mandantes ut ea publicari faciatis in majori Ecclesia Nicos. convocato Clero civitatis ejusdem, & ità fieri faciatis per Episcopos vel eorum Vicarios, in Ecclesiis vestræ jurisdictioni subjectis, nec non per illa loca Cypri, ubi videritis*

expedire. Notanda hæc verba, *convocato Clero.* Ad hoc enim fiebat ſpecialis Cleri convocatio, ut cuique, cujus intererat, Conſtitutio innoteſceret.

Non prætermittenda alia Objectio, quæ fieri poteſt, contra id quod dictum eſt, Concilium *Cognacenſe*, Anno 1262. celebratum, omnium primum videri, quod publicationis iterationem præceperit. Hæc autem deſumitur ex Synodo Diœceſis ſuffraganeæ, *Durhan* dictæ, in Provincia *Eboracenſi* habitâ, An. 1255. in qua hujuſmodi iteratio his verbis injungitur. *Iſtas autem ſententias quater in Anno, ſcilicet in majoribus feſtis anni, & ſolemniter volumus publicari.* Sed hæc Objectio facilè ſolvitur, cùm hîc de *Synodo* agatur, &, de *Concilio* ſermo ſuprà factus eſt.

Objici etiam poſſet contra Publicationis neceſſitatem, quòd plurima Concilia, etiam Generalia, illam non neceſſariam judicarint, cùm illam non præceperint: &, inter alia, allegari poſſent Concilium *Viennenſe*, ſub CLEMENTE V. Concilium *Piſanum*, *Conſtantienſe*, *Florentinum*, *Lateranenſe V.* Immò *Tridentinum.* Sed hæc Objectio ex ſilentio petita, vana, frivolaque videtur; cùm illud provenire poſſit ex eo quòd ea, quæ de Jure Communi ſunt, ſubintelligi multoties ſoleant, quòd ſperandi juſta erat cauſa, fore, ut Epiſcopi ultrò, ſpontè, ſolo zelo ducti, illorum Decreta promulgarent.

Etſi Concilium TRIDENT. *Cap.* 1. SESS. XXIV. *de Reform. Matrim.* juſſerit, ut pluries promulgaretur Decretum ſuum contra Clandeſtina Matrimonia, & *Cap.* 16. SESS. XXIII. de publicatione frequenti Decreti circà Reſidentiam Paſtorum caverit; collocatur tamen inter Concilia, quæ ſuorum Decretorum promulgationem diſertis verbis non præceperunt, idque, quia de generali promulgatione tacuit. Hoc autem hinc eveniſſe videtur, quòd executionem ſummo Pontifici potiſſimùm commiſit, dimiſitque, & publicationis cura ad executorem ſpectat: quæ ratio ad alia Concilia, quæ de Publicatione ſiluerunt, extendenda eſt.

CAPUT SEXTUM.

Continuatio Autoritatum, circà ſolemnem Publicationem Canonum, in locis, ubi ſervandi ſunt.

TOT ſuperſunt citanda teſtimonia Conciliorum de hujuſmodi Publicatione, ut in immenſum creſceret hæc Collectio, ſi ſingula ſuis verbis referrentur. Idcircò illa indicare ſufficiat cum notis neceſſariis. Hæc autem ſunt: I. Concilium *Colonienſe*, Anni 1423.; II. Concilium *Senenſe* ejuſdem Anni *C.* 36. III. Concilium *Copenegham* 1425. IV. Synodus *Friſinghenſis* 1440. *Cap. ult.* V. Concilium *Andegavenſe* 1448. *Cap.* 16. VI. Concilium *Toletan.* 1473. *C.* 28. VII. Concilium *Senon.* 1528. VIII. Concilium *Mogunt.* 1549. *C.* 104. IX. Concilium *Treverenſe* eodem anno. X. Concilium *Narbon.* 1551. *C.* 66.

His adjiciendæ Conſtitutiones BENEDICTI XII. circà Reformationem Canonicorum Regularium S. Auguſtini, An. 1339. Conſtitutiones HENRICI, Cantuarienſis Archiepiſcopi An. 1423. *Reformationes Cleri Leodicenſis* approbatæ à NICOLAO V. 1448. Hæc enim omnia præcipiunt, ut ſua Decreta publicentur in locis, ubi obſervanda ſunt.

Quamvis Concilium *Baſilienſe* publicationem Decretorum ſuorum expreſſè non caverit, promulgata tamen ſunt in Eccleſiis, quæ illa receperunt: Talis eſt 1°. Eccleſia *Gallicana*, cujus *Pragmatica Sanctio*, ex his Decretis compoſita, promulgata & regiſtrata fuit in omnibus Parlamentis tunc exiſtentibus, tanquam Lex Regni.

Talis 2°. Eccleſia *Germanica*, quæ eadem Decreta promulgavit in pluribus Conciliis Provincialibus, ac in Synodis Diœceſanis. Hoc modo publicata fuerunt in Provincia *Salzburgenſi*, ut patet ex *Cap.* 25. Synodi *Friſinghenſ.* Ibidem enim legitur, illam coactam ad publicationem Decretorum *Baſilienſium*, mox receptorum à Natione Germanicâ; ſitque expreſſa mentio omnium eorum, quæ in citata Pragmatica Sanctione memorantur, additis nonnullis reſtrictionibus, quarum præcipua eſt abrogatio integra Præventionis in VI. Menſibus, qui Ordinariis conceduntur ad collationem, aliamve Proviſionem Beneficiorum. His Conciliis & Synodis, quæ Decreta Baſilienſia promulgarunt, adjiciendum eſt Concilium *Avenionenſe*, An. 1425. habitum, à Cardinali *Fuxenſi*, Archiepiſcopo Arelatenſi, ac Legato Avenionenſi: mandavit ſiquidem publicationem Decreti *de Conceptione Immaculata*, ab illo conditi, faciendam in omnibus, ſingulique Diœceſibus Epiſcoporum, à quibus Concilium conſtabat, in proxima futura cujuſque Diœceſis Synodo.

Concilium *Narbonenſe* An. 1551. celebratum, ſuprà citatum, diem præfixit ad publicationem ſuorum Decretorum in Synodo Diœceſana.

In eodem *Canone* obſervanda etiam proteſtatio, quam facit, ſe noluiſſe derogare ullis Conciliis, ſive Generalibus, ſive Provincialibus, receptis, firmatiſque per uſum. His enim verbis ſupponit Decreta Conciliorum vim ſuam partim recipere ab uſu.

Ad eamdem neceſſitatem publicationis Canonum, in locis faciendæ, ubi ſervandi ſunt, probandam, jàm pluries, & à pluribus adhibitum eſt argumentum petitum ex eo, quòd Pontifices & Epiſcopi Galliæ inſtarunt apud Regem, ut Concilii *Tridentini* Decreta publicari mandaret. Validum & convincens eſt utique, ac facillimum eſſet, quæ ſit ejus vis, explicare ex circumſtantiis perſonarum, temporum, & locorum. Sed vanus foret labor, cùm nullus ſit rationis compos, qui hoc non ſentiat ipsâ ſolâ terminorum propoſitione. Idcircò, omiſſâ hujus facti ponderatione, perpenſioneque, hoc unum conſiderabitur, Epiſcopos Galliæ illa Decreta, prout potuerunt, publicaſſe, cùm non poſſent, ut voluiſſent, promulgare. Hoc patet ex Conciliis Provincialibus ab illis celebratis, nec non ex Statutis Synodalibus, in quibus, nedum hujus Concilii doctrina, ſed & diſciplina inſerta eſt. Plura ad id illos impulerunt. 1. Decretorum utilitas, neceſſitaſque. 2°. Concilii mens indicata Decretis duobus, quibus frequens illorum publicatio præcipitur. Jàm ſuprà citata ſunt, & allata ratio hujus præcepti, petita ex peculiari illorum conditione, itidemque manifeſtata *Cap.* 2. SESS. XXV. in quo omnium Decretorum ſuorum publicationem implicitè præcipit, dùm illorum receptionem, in proximo Concilio cujuſque Provinciæ celebrando, faciendam injungit.

Fruſtrà objiceretur PIUM IV. qui mentem Concilii Tridentini meliùs noſſe potuit, quàm quivis alius, cùm per tres annos illud rexerit, ab anno 1560. ad annum 1563., inſinuare illius Decretorum vim à Publicatione nullo modo pendere; conſultus ſiquidem, circà tempus, quo illa obligare inciperent, reſpondet, quòd extrà Romam id fiet 1. die Maii 1564. tribus ſcilicet menſibus poſt confirmationem in Conſiſtorio, nullâ factâ mentione Publicationis, quam ſi neceſſariam duxiſſet, ex Concilii mente, juſſiſſet, & tempus illud, à die publicationis inciendum, declaraſſet. Facillimè huic Objecto fieret ſatis.

1°. Qui nimis probat, nihil probat. Hæc autem Objectio nimium probat: cùm hinc ſequeretur, quòd non ſolùm publicationi Conciliorum, in locis, quæ illorum Decretis ſubjiciuntur, neceſſaria non eſſet; ſed etiam nec illa opus eſſe in locis, ubi celebrantur, nec illis in quibus confirmantur; cùm de ulla publicatione PIUS IV. mentionem non faciat.

2°. Bimeſtre tempus, quo illorum Decretorum vim ſuſpendit, conceſſum non eſt, aut eſſe videtur, niſi ad publicationem in locis faciendam, ſine quâ ſufficiens illorum cognitio haberi non poteſt: nec conſequenter obligandi vim habere, cùm Lex obligare

gare nequeat, nisi eos, qui eam sufficienter norunt, aut nosse potuerunt; quod sola publicatione præstari potest.

30. Sanctus *Carolus Borromæus*, nepos PII, ipsius Coadjutor, cooperatur circà benè gesta Avunculi in *Concilio Tridentino*, ideòque utriusque mentem apprimè callens, in fine cujusque suorum Conciliorum *Mediolanensium*, declaravit, sacrum Concilium *Tridentinum* voluisse, sicuti & prudentia, ut Decreta sua, per loca ipsis subjecta promulgarentur, potissimùm in Synodis Diœcesanis: *Unusquisque præterea Episcopus ea in proxima Synodo, ad præscriptum sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, promulgari jubebit.*

Porrò, cùm Decreta Conciliorum Generalium sint multò majoris momenti, quàm Decreta Conciliorum Provincialium, non dubium quin colligi possit, Concilium Tridentinum voluisse, ut sua Decreta in Synodis Diœcesanis publicarentur, ex eo quòd præceperit id fieri de Decretis Conciliorum Provincialium.

Idem inferri potest ex cura, quam habuerunt alia Concilia Provincialia, post Concilium Tridentinum celebrata, circà publicationem Canonum à se conditorum. Illinc enim hæc convocata fuere in executionem illius Decretorum; ideòque sua Decreta, quoad fieri potuit, his conformarunt: instinc verò jusserunt, ut sua, in singulis Provinciæ Diœcesibus, promulgarentur. Sunt etiam nonnnulla, quæ senserunt, quod hoc præcipuè modo utilia & fructuosa futura essent. Hujus generis, inter alia, est Concilium *Bituricense*, relatum CONC. TOM. XV. Præses enim hujus Concilii, post recepta à Cardinalibus illius Decreta, remisit Suffraganeis, ut illa promulgarent, asserens, se id facere, ne accusaretur neglexisse maximam sui officii partem: *Quæ, ut ad Dei omnipotentis gloriam & sinceram Ecclesiæ disciplinam, ea statim ad vos transmittenda curavimus, ne, quod mali poëtæ faciunt, extremum actum (ut est in proverbio) præcipuam nempè potissimamque laboris nostri partem neglexisse videamur. Agite ergò fratres . . . . . ea apud vos vestrosque publicari . . . . . curate.*

Decretum V. Concilii *Mediolanensis II.* An. 1569. habiti; suppeditat duo argumenta de necessitate publicandi Canones, per loca illis subjecta. *Prius* sumitur ex Ecclesia Romana: *Posterius*, ex Ecclesia Mediolanensi. Nàm præcipiens Episcopus, ut Bullas in Diœcesi suâ quisque publicet, intrà duos menses, postquàm noverit illas Romæ promulgatas, *Duplex* illarum genus distinguit. *Primum*, illarum, quæ præcipiunt illam localem publicationem: *Alterum*, illarum, quæ eam non præcipiunt, quarumque illæ tantùm publicandæ sunt, quæ Diœcesi utiles esse posse videntur: Summorum Pontificum quæ quotannis, de qualibet causâ ab illis edentur. *Episcopus duobus saltem post mensibus, quas ille Romæ editas noverit, in sua Diœcesi potissimùm promulgandas curet, quas promulgari in iis ipsis jussum erit: tùm illas item, quas ad Ecclesiæ gubernationem pertinere aliquâ ratione posse, judicabit.*

Hinc observare juvat, extare Canones, qui Officiales Curiæ Romanæ directè respiciunt, & indirectè quoscumque illorum expeditionibus indigentes; &, quoad hos Canones, non semper necessarium, ut per loca subdita publicentur. Ejusmodi sunt Regulæ Cancellariæ circà Beneficiales Provisiones, modumve judicandi lites.

Alios autem occurrere, qui directè pertinent ad Populum. Hos autem semper per loca publicandos; quia agunt de faciendis, aut vitandis ab ipso. Observandum etiam inter Canones posterioris generis, extare nonnullos, qui ea officia Populi spectant, quæ illorum multa interest numquàm oblivisci: & quoad istos, necessarium, ut pluries per loca publicentur, posito inter publicationes competenti intervallo.

Indè factum est, ut Concilium *Tridentinum Cap.* 1. SESS. XXIV. *de Reform. Matrim.* jusserit iterùm atque iterùm Decretum suum contrà Clandestina Matrimonia, per loca publicare, prout opus erit.

Hinc quoque *Mediolanense III.* An. 1573. habitum, præcipit publicare in Ecclesiis Cathedralibus, prima Dominica Quadragesimæ, Canones *ipso facto* excommunicantes, undequaque desumantur, sive ex Bullis Pontificum, sive ex Conciliis Generalibus, præsertim Concilio Tridentino, sivè ex Conciliis Provinciæ, sivè ex Statutis Synodalibus, de iis, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent. Hinc idem Concilium *Tit. ult.* præcipit, ut colligantur ex Decretis suis, quæ ad Laïcos spectant, illaque promulgentur per partes, tempore convenienti.

CAPUT SEPTIMUM.

Continens Objectiones Generales contrà Testimonia suprà adducta, circà necessitatem Publicationis faciendæ per loca Decretis subdita.

NE quid dubietatis remaneat, circà allata Testimonia probationemque indè deductam, operæ pretium duximus, quæcumque hìc colligere, quæ adversùs illa objici possunt.

Primùm, quod occurrit, est, quòd inter Concilia, post Concilium Tridentinum convocata, extant nonnulla, quæ præcipiant sua Decreta obligare, duos aut sex menses post publicationem factam in Metropoli, sivè vivâ voce, sivè scripto locis publicis affixo, nullâ factâ mentione publicationis faciendæ intereà per Diœceses. Hujus generis sunt Concilia *Mediolanensia*, suprà laudata: Concilium *Aquense* 1585. Concilium *Tholosanum* 1590. ad calcem Constitutionum, & *Tit.* ubi de iis, quæ generatim illos respiciunt.

Sed hoc objectum facilè solvitur, 1°. Eo planè modo, quò soluta est Objectio petita ex *Bullâ* PII IV. Nempè, tempus hujus suspensionis concessum esse, ut intereà per Diœceses publicentur, quæ in Metropoli promulgata sunt. Quod eo verisimilius videtur, quò omni probabilitate careat, hæc Concilia derogare voluisse Concilio *Lateranensi* IV. celeberrimo, aliisve Canonibus maximè notandis, suprà laudatis, à quibus præceptum est, ut Conciliorum Statuta in Synodis Diœcesanis publicarentur. Hæc autem solutio confirmatur à quibusdam ex Conciliis objectis, quæ non præcipiunt tempus, à quo Decreta obligare debeant, computandum à die publicationis, factæ in Metropoli, nisi postquàm jusserunt, ut illa fieret in qualibet Diœcesi, proxima Synodo in ea celebranda. Ejusmodi est Concilium *Burdigalense* An. 1583. Indè enim sequitur credidisse, non sufficere illa promulgare in Metropoli, sed oportere etiam, ut in Diœcesi publicarentur.

Alia est solutio, brevior quidem, sed non minùs valida: nempè, Concilia, quæ de publicatione in Diœcesi facienda obscurè locuta sunt, vel de ea tacuerunt, per cætera interpretanda, quæ illam clarè præceperunt. Sunt enim & numero potiora, nec non & dignitate.

Objectio longè difficilior desumitur ex Concilio *Mexicano*, An. 1585. celebrato; hoc enim expressè dicit publicationem, quæ fit in Metropoli, sufficere ad inducendam obligationem, per totam Provinciam; singulasque, quæ fiunt per Diœceses, fieri tantùm ad majorem cautelam. Verba ejus hæc sunt: *Nè autem aliqua persona, sivè Sæcularis, sivè Ecclesiastica, ab horum Decretorum observatione per ignorantiam se valeat excusare, sub prætextu quòd huic promulgationi non interfuerit, hæc Synodus decernit sufficientem esse solemnem eorum publicationem in hac Diœcesi factam, ut omnes iisdem subjaceant, ac in eis contentas pœnas incurrant. Monet etiam, ad uberiorem cautelam, Episcopos, ut eadem in suis Diœcesibus, si opus fuerit; Vicario verò, seu Præsidenti, Sede Episcopali vacante, præcipit, ut infrà duos menses, à die habitæ notitiæ computandos, in Ecclesia Cathedrali, Decreta prædicta respectivè publicari faciant.*

Huic Objectioni nulla responsio convenientior,

quàm, hujus Concilii Patres, in hoc, Doctorum Ultramontanorum opinionem secutos, qui putant, publicationem per Loca Legem ferenti subdita, necessariam non esse, sed sufficere, ut fiat in præcipuo loco districtûs: Hoc nixi fundamento, quòd huc confluunt aliorum locorum incolæ, qui cæteros certiores facere possint de iis, quæ ibi publicata fuerunt. Verùm hæc opinio non est secura, cùm agitur de rebus ad salutem necessariis, &, quoad pœnas, nimiùm dura, nec non à mente majorum nostrorum prorsùs aliena, ut ex dictis patet.

Porrò, in his, quæ ad salutem spectant, tutius est sequendum; &, quoad Pœnas, humanior sententia amplectenda est. De periculo animarum constat, ex eo quòd extranei in loco hoc existentes, sæpè sæpiùs non intersunt promulgationi Legum, &, si adfuerint, nequaquàm singula, quæ publicantur, memoriter retinere possunt: proindèque multominùs eis fas est, ad aliorum notitiam illa transmittere. Prætereà, hæc sententia videtur contraria Juri Naturali, quod prohibet, ad impossibile obligare quemquam, nihilque magis impossibile, quàm ut quis agat, vitetve, quod ignorat sibi præceptum, vetitumve.

Similis Objectio eruitur, ex Praxi Ecclesiæ Romanæ circà *Bullarum* promulgationem Romæ factam, vel viva voce, in Ecclesiis, vel *S. Petri*, vel *S. Johannis Lateranens.* vel scripto affixo locis consuetis.

Similisque recurrit solutio. Aliam addere licet; nempè, quòd ratio, propter quam Romæ fit promulgatio, postulat ut, per alia loca Bullis subdita, fiat: alia enim non est, quàm ut à nullo prætendi possit excusatio ignorantiæ, ut patet ex Bulla PII IV. circà Confirmationem Decretorum Concilii Tridentini, in qua hæc leguntur, sicut in cæteris: *Ut hæc ad omnium notitiam perveniant, neve quis excusatione ignorantiæ uti possit, cùm illi, quibus per loca prædicta non promulgantur Bullæ Pontificiæ, justam excusationis causam habeant, se illarum notitiam sufficientem non habuisse.*

Prætereà, sunt nonnullæ Bullæ, quæ ipsarum promulgationem, per loca, præcipiant, ut suprà observatum est, in Decreto 5°. *Concilii II. Mediolanensis:* quoad alias, promulgatio per Diœceses necessaria non est; cùm istas directè & proximè non spectent, sed solùm Jura Pontificum, seu Prætensiones, vel Officialium Curiæ Romanæ, aliaque eidem Curiæ peculiaria. De his autem Bullis intelligendum, est quòd Bullæ Pontificiæ obligent, etsi Romæ tantùm promulgatæ fuerint.

Frustrà diceretur, quòd Roma sit Patria communis omnium Christianorum, cùm plurimi ibi degant cujusque Nationis; ideòque, promulgationem ibidem factam, censeri factam omnibus fidelibus; cùm hi alios quodammodò repræsentent: Addereturque, hanc promulgationem habendam tanquàm factam, in cœtu generali omnium Christianorum totius orbis: frustrà, inquam, id objiceretur, & simile quid prætenderetur, de locis, in quibus sedent Patriarchæ, vel Primates, vel Metropolitani, quoad illos, qui mediatè subsunt ipsorum Jurisdictioni.

Nàm, præterquam quòd huic Objectioni jàm suprà satisfactum sit, dùm sermo factus est de Canone *Mexicano*, præcipiente, ut facta in Metropoli promulgatio sufficiat, quoad omnia & singula loca totius Provinciæ; responderi etiam potest, innumera suprà citata Concilia, quæ præceperunt, ut Decreta sua aliorumque Conciliorum, per Diœceses promulgentur, non ignorasse hujusmodi magnarum Sedium prærogativas, nec tamen, hac in re, illarum habendam rationem censuisse; sed, propter animarum salutem, quæ hinc periclitaretur, spretis his subtilitatibus, providisse, ut, per loca singula Decretis subdita, promulgatio ubique terrarum fieret.

In vanum quoque objiceretur inserta in nonnullis Bullis *Clausula*, ut, post promulgationem Romæ factam, ipsæ universos Fideles obligarent: & in exemplum adducerentur Bulla CLEMENTIS VIII, circà opera *Caroli Molinæi*, & Bulla URBANI VIII. circa Librum inscriptum *Augustinus Iprensis* quæ à VAN ESPEN referuntur *in* 4. *Parte Promulgationis Legum.* Nàm hujusmodi clausula rarò inseritur, recens est, toti antiquitati contraria, inventaque ad sopiendas quasdam Controversias, nulla habita fructûs vel successûs ratione. De hac videsis laudatum Autorem fusé differentem, quod ab aliis jàm feliciter actum est, iterùm agere, nec decet nec juvat.

Demùm, sunt qui existiment Modum promulgandi Leges rem esse meræ Disciplinæ, ac omninò pendere à voluntate illas ferentis; ità ut, si voluerit, præcipere possit, ut facta Promulgatio in præcipuo suæ ditionis loco, ergà alia loca sufficiat, aliâ verò ullâ necessaria non sit. Sed hi non attendunt, quòd finis Promulgationis illius postulet ut ità fiat, ut ad certam sufficientemque Legum notitiam perducere possit, quotquot illis subsunt, & in potestate Legislatoris non est, quòd facta in loco ditionis ad hujusmodi notitiam perducat, quandò ista longè latèque patet, quòdque si Subditos suos obligaret ad observationem Legum suarum sine alia promulgatione, illos ad impossibile obligaret, cùm nullus implere possit quod ignorat. Non ergò pendet à voluntate Legislatoris, ut suas Leges, quo velit modo, promulgare faciat; sed illas ità promulgandas curare debet, ut Subditi illas certè nosse possint, aliàs jus non habet exigendi ab his, ut illas servent: si verò exigat, in Jus Naturale & Divinum peccat; hæc enim vetant ne quis ad impossibile obligetur.

TITULUS X.

Summa Dissertationis, circà Autoritatem Legis purè prohibitivæ & Nullitatem Actuum, adversùs ejus dispositionem factorum in qua propugnatur Legem illam vi sua Actus hos irritare.

PRincipiò distinguenda sunt, hac in re, variæ Legum species. Quædam permittunt, quædam præcipiunt, quædam prohibent.

Nulla est difficultas circà Leges Permissivas, quibus quæstio Nullitatis adplicari nequit. Quoad Præceptivas, communior opinio est, eas Nullitatem non importare, nisi disertè pœnam illam nullitatis pronuntient. Id D. LE MAITRE proponit velut Principium, in suo Tractatu *Des Criées. Cap.* 18. & MORNACIUS *ad Leg.* 1. *ff. de Procurat.* Non tamen asserimus semper esse necessarium quoad usum, cùm Leges aliquam præcipiunt formalitatem, pœnam nullitatis exprimi, ad nullos efficiendos actus, in quibus solemnitates à Lege constitutæ, neglectæ fuerunt. Nàm si actus illi sint magni momenti, v. g. Testamenta, Actusque similes, illi declarantur nulli, cùm deest aliqua solemnitatum à Consuetudine Locorum requisitorum; quamvis non ferat solemnitates observandas esse, sub pœna nullitatis: quia juxtà Jurisconsultos, forma dat esse rei; cessat res existere, si forma desit.

Non hîc de ejusmodi Legibus agitur. Ambigitur tantùm de *Prohibitivis*, & quæritur, an Actus dispositioni Legis Prohibitivæ contrarii ipso jure sint nulli?

Perspicuitatis gratiâ, *Quatuor Casus* mihi distinguendi videntur. *Primus*, cùm Lex nullitatis pœnam nominatim sancit; & tunc nulla est difficultas. Nulla est etiam in *Secundo Casu*; scilicet, cùm pœna nullitatis aliàs, adversùs infractores, Lex sancit; hinc enim actus nullus est, debitaque alia pœna.

Tertius Casus est, quò Lex aliquid prohibet, certamque pœnam fert in infractores. Quidam Doctores volunt, actum, in eo Casu, Legi adversum, nullum insuper esse; quamvis pœna in Lege lata executionem sortiri debeat. Verùm opinio contraria à

JASONE

JASONE propugnata *in Leg. Prætor ait.* ff. *de novi Operis nunt.* æquissima videtur. Credibile est Legislatorem aliquid sub pœnâ determinatâ prohibentem, non voluisse actum prohibitum effectu carere: sed satis habuisse, si coërceret infractionem per specialem pœnam à se cautam.

Casus illi est, casus Legis *Furiæ*, de qua loquitur ULPIANUS in suis Fragmentis, Tit. 1. n. 16. his verbis: *Quæ vetat aliquid fieri, & si factum sit non rescindit, sed pœnam injungit ei, qui contrà Legem fecit, qualis est Lex Furia &c.* Videturque eam esse sententiam *Jasonis*, ad hanc Legem *Prætor ait*, mox laudatam, ff. *de Nov. Oper. nunt. n.* 11. *p.* 39. *Pauli à* CASTRO *Conc.* 62. Cardinalis TUSCHI, *Verbo Actu Conclus.* 141. *n.* 12. *& seq.* Id luculenter à BALDO tractatur, in *L. non dubium, C. de Legibus. n.* 28. ubi refert omnes distinctiones, quæ in Casu simili fieri possunt.

Quartus Casus est, cùm Lex merè ac simpliciter prohibitiva est, neque pœnam nullitatis, neque aliam quamcumque sanciens: & tunc actus Legi contrarius omninò nullus est. Lex *non dubium Cod. de Legib.* circà hoc diserta est: *Ut ea quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non tantùm inutilia, sed pro infectis habeantur, licèt Legislator fieri prohibuerit tantùm, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est.* Undè dicit CUJACIUS *Lib. XIX.* OBSERVAT. *Cap.* 20. *Hodiè omnem Legem esse perfectam;* id est, post Legem *non dubium*, legem ipso jure annullare quidquid dispositioni suæ adversatur. Hoc etiam inter Regulas Juris Canonici proponitur. *Cap. quæ contrà jus 64. de Reg. Juris in 6.*, quod laudatur à GOTHOFREDO velut confirmativum ejusdem Legis *non dubium.*

In eamdem Legem quid objici jàm nobis possit? Hoc tantùm. Vel Legem *non dubium*, esse specialem, aut non ubique receptam; aut denique Legis ejus dispositionem materiam Canonicam non complecti.

Porrò non existimo ullam ex iis objectionibus aliquatenùs fundari. Nulla umquàm Lex generalior fuit. Non solùm fert, nullum pactum, nullam conventionem valere posse adversùs legem; sed adjiciunt Imperatores, velle se, ut ea omnia complectatur, *quod ad omnes etiam legum interpretationes, tàm veteres quàm novellas, trahi generaliter imperamus.*

Sed fortè Doctores aliquam posteà limitationem induxerunt: imò nullus est qui Legem illam non putaverit, quoad omnia sua capita, perpetuò ac inviolabiliter servatam. Adeundi sunt *Bartolus, Baldus, Paulus à Castro, Salicetus* n. 16. & *Jason in eamdem legem.*

Juxtà hæc Principia, cùm Lex aut Consuetudo utuntur verbo *non potest*, unicum hoc verbum omnimodam actûs nullitatem inducit, ut dicit ALEXANDER, *L.* 3. *Conc.* 77. *n.* 2. GLOSS. ad *Cap.* 1. *de Reg. Jur. in 6.* CHASSANEUS *in Consuetudinem Burgundiæ*, Tit. *des Droits de Mor. art.* 1. *verbo ne peut.* D'ARGENTRE' in *art.* 214. *Consuetudinis Aremoricæ, Gloss.* 2. *n.* 1. *& art.* 469.

Potentior est Lex quæ vetat, quàm quæ permittit, ait QUINTIL. *Declam.* 374. MORNACIUS, *ad Legem* 43. ff. *de procurat.* dicit quòd, *Lege vetante, quidquid in contrarium actum est, sit nullum.* TIRAQUELLUS *in Leges Connubiales Gloss.* 15. verbo. *ne peut.* dicit, *Verbum*, NE PEUT, *inducere nullitatem actus contrarii.*

Idcircò Doctores iidem contendunt etiam actum esse nullum, quamvis Lex eum prohibens, nullitatis pœnam expressè non ferat: Perpende verba JASONIS in L. *non dubium. n.* 15. *&* 16. *Cod. de Legib. Amplia*, inquit, *quia actus factus contrà legem est nullus; etsi lex non procedat ulteriùs actum annullando . . . . lex prohibitiva simpliciter loquens semper intelligitur habere clausulam annullativam actûs, undè non est necesse quòd lex ultrà annullet.*

D. LE MAITRE *des Criées C.* 18. hoc etiam disertè dicit, *Si loqueretur lex per verba prohibitiva, etiam quod non procederet annullando, auctiones* (les Criées) *nullæ forent, ex expressa definitione legis, non dubium. Cod. de Legib.* ejus verba retuli.

D. EXPILLI, Præses Gratianopolitanus, *Plaidoyé 36. n.* 4. & in suis *Arrestis Cap.* 32. „ Lex, (inquit) importat nullitatem, quamvis Legislator id „ non declaravit, sufficit actum esse prohibitum„. LOUET. & BRODEAU *Litt.* M. *C.* 3. *n.* 1.

MOLINÆUS *Consuetud. Paris. art.* 1. *Gloss.* 1. verbo *peut. n.* 1. ejusdem est sententiæ. His adjicere possumus DAUMAT, *des Loix Civiles, Tom. I. Lib.* 1. *n.* 1. *sect.* 2. *art.* 19. *&* 20. *Quodcumque factum est*, inquit, *adversùs interdicta legis, nullum est: quamvis nullitatem non sanciat*; & hoc proponit ut Regulam: & quidem, ex quo Constitutiones (*Les Ordonnances*) aut Consuetudines utuntur verbo, *non potest*, aut alio verbo prohibitivo, quamvis nullitatis pœnam non adjiciant, actus contrarius est nullus. Id in Foro constat; v.g. *Art.* 1. *Consuetudines Burgundiæ, Tit. IV.* dicit simpliciter, mulierem non posse contrahere sine autoritate Mariti; *indè actus reputatur nullus*, ait CHASSANEUS, in hunc *Art.* verbo *ne peut*; idque certum est in usu.

Idem est de *Consuet.* COMITATUS. *Mulier non potest*, inquit, *contrahere sine autoritate Mariti:* nec aliquid ultrà adjicit. Nihil tamen apud nos certius, quàm actus à Muliere, sine Mariti autoritate factos, esse omninò nullos. BOGUET *in Consuetudines Comitatûs*, ut Regulam constantem proponit. *Parisiis* nemo Hæres & Legatarius simùl esse potest; nemo potest disponere de Quatuor Quintis Propriorum. Nulla mentio fit nullitatis in Articulis *Consuetudinis Parisiensis* has prohibitiones continentibus; contrarii tamen actus sunt omninò nulli.

Ex Constitutione, non possunt reprobari Testes sine Procuratione speciali. Cognati vulgò non possunt esse Testes. Actus contrarii sunt nulli, quamvis Constitutio meram prohibitionem contineat, omissâ mentione nullitatis. Sexcenta alia exempla si opus esset, facilè reperias.

Sed fortè Canonistæ contrariam sententiam tuentur. Imò eamdem amplectuntur, atque Autores mox laudati. GLOSSA *in Cap.* 1. *de Reg. Juris in 6. Cap.* 64. *ejusdem tituli.* COVARRUVIAS *ad C. tua nobis, de Testamentis n.* 2. qui dicit: *Hæc verba* non potest, *Actum in contrarium gestum nullum esse manifestè ostendunt.* PHILIP. FRANCUS *ad Cap.* 1. *de Reg. Juris in 6.* Cardinal. PARESIUS. Vol. IV. Conc. 78. *n.* 35. Cardinal. TUSCHUS, *Verb.* potest. *Conclus.* 464. *& in Verbum* Actus *Conclus.* 141. *n.* 5. *Actus factus*, inquit, *contrà legem vel statutum nullus est, etiamsi lex non procedat ulteriùs annullando.* Nec etiam opinamur aliquem allegari posse Canonistam sententiæ contrariæ assertorem; hucusque saltem neminem reperimus.

Ex his omnibus conficitur quòd inter Canonistas, non secùs ac inter Autores qui scripserunt in Legem, hæc Propositio etiamnum spectatur ut certa: scilicet, Lex prohibitiva ex se trahit nullitatem actûs; etiamsi non procedat ultrà actum annullando. Quòd si *Canones* aliquando pœnam nullitatis Legi prohibitivæ inferuerunt, id non significat actum legi, cui non est apposita, contrarium, esse id circò ratum, posito quod *Canon* verbis prohibitivis concipiatur: superflua non nocent, nihil ultrà confici potest. Si eam apposuerunt, ut plurimùm id factum est Legi Præceptivæ: tunc enim, ad efficiendum actum nullum, oportuit inferere pœnam nullitatis. Sic apponenda fuit hæc pœna. SESS. XXIV. *C.* 1. *de Matrim. Concil.* TRIDENTINI, quoniam verbis Præceptivis dumtaxat concipitur, non verò Negativis. *C.* 7. SESS. XXV. *de Reform.* Regressus & Coadjutoriæ prohibentur; nullitatis pœna ibi non inferitur: *Nullæ* tamen semper judicatæ sunt Coadjutoriæ Beneficiorum simplicium; &, in *Comitatu*, Regressus *nulli* judicantur.

Sed, inquies, pœna nullitatis admitti non debet, nisi in Casibus à Jure expressis, sicut cæteræ pœnæ. Verum quidem hoc; sed fatendum est, quòd Lege aut Canone actum prohibente, genuinus est ille casus Legis, ubi nullitas ipso jure dispositionem Legis sequitur.

Quod si usu, qui Leges abrogare potest, impedimenta principiò dirimentia, deinceps in impedientia tantùm mutata sunt: 1°. Consuetudinis effectus ille est. 2°. Principiò non ubique recepta sunt, ut impedimenta impedientia. 3°. Matrimonii favor impedimentorum dirimentium rigorem fortè infregit. 4°. Denique, Canones constituendo hæc impedimenta impedientia, monuerant fortè se nolle ut matrimonium, non obstantibus his impedimentis, contractum, esset nullum: aut, sic eos usus interpretatus erat. Quod autem probabilius videtur, favor ille induxit Exceptionem circà hanc rem, in Regula generali alibicumque observata, quæ vult, actum adversùs Legis prohibitionem factum, sivè Civilis, sivè Canonicæ, à Populis approbatæ, esse nullum ipso jure; quamvis Lex nullitatis pœnam non ferat: nisi in Casibus specialibus usus ei derogaverit; cùm nulla dubitatio sit, quin Consuetudo possit impedimentum, principiò dirimens, mutare in impedimentum merè impediens, ratumque facere omnem alium actum, qui juxtà legis dispositionem omninò nullus erat.

TITULUS XI.

APPENDIX DISSERTATIONIS.

DEmonstratio absolvi potest, quòd etiamnùm verba *ne peut*, in materia Matrimonii, trahunt nullitatem, quamvis Leges, quæ Matrimonium prohibent, in casibus à se constitutis, non adjecerint pœnam nullitatis; absolvi, inquam, potest, ope *Consuetudinis de Gorze*. & Constitutionis Regiæ, pro Coloniis Americæ. An. 1716. Consuetudo *Gorzensis* An. 1624. à Principe Lotharingicæ Familiæ emendata *Tit.* 1. *Art.* 19. fert verba sequentia: *Masculi non possunt antè* 20. *annos completos, & puellæ antè* 18. *legitimè conjugari, sine expresso eorum consensu, in quorum potestate sunt.*

Art. 7. EDICTI Mensis Octobris An. 1716. circà *Servos Nigros Coloniarum*, in Curia registrati, 24. Novembris 1716. sic concipitur: *Servi Nigri utriusque sexus, qui in Gallias adducti aut missi in Gallias à Dominis suis, ibi Matrimonium contrahere non poterunt sine consensu Dominorum suorum, &, posito quòd consentiant, dicti servi erunt & manebunt liberi & vigore dicti consensus.*

In Consuetudine *Gorzensi* & Regio Edicto, sola verba reperiuntur, *non poterunt*: nullitatis pœna non est expressè adjecta: de ea ne verbum quidem. Porrò quæritur, quænam fuerit mens Principum quorum autoritate Leges illæ latæ fuerunt? Matrimonium-ne permiserunt in casibus quibus illud prohibuerunt? Quod quidem dicendum esset, si opus fuisset adjici prohibitionibus pœnam nullitatis. Servi Nigri in Gallia constituti, possent igitur simùl matrimonium contrahere sine consensu Dominorum suorum, & non possent. Non possunt, quia Edictum id fert nominatim; aliam pœnam non pronuntiat, eâque sublatâ, esset illusorium. Sed ex adverso, dicet aliquis, eos posse; quia non fuit adjecta nullitatis pœna. Verùm, si, ex dispositione Juris utriusque, clausula hæc subintelligatur in Legibus Prohibitivis ipso Jure, & ex vi verborum, facilè est tollere difficultatem.

Aliud exemplum subjicio. Hæc Propositio: *Quædam personæ non possunt conjugari in certis circumstantiis, & hæc: Matrimonium non potest esse inter illas;* verbis ferè synonymis constant. Porrò Concilium *Trident. Cap.* 6. SESS. XXIV. *de Reformat.* hâc ultimâ utitur, inter Raptorem & Raptam nullum posse consistere matrimonium, quam diù Rapta in potestate Raptoris manserit. Nonne autem unum ac idem est, ac si dixisset, *non poterunt unà conjugari*: &, si hoc modo locutum fuisset, adjiciendane fuisset nullitatis pœna?

TITULUS XII.

DISSERTATIO circà causam Nullitatis Actuum contrà Legis prohibitionem factorum: ubi sententia opposita defenditur.

QUæritur 1°. an nullitas Actuum Legi contrariorum subintelligatur in omnibus casibus, in quibus expressa non est? 2°. An, contrà, locum tantum habeat, cùm expresè lata est? Sanè magna est & magni momenti difficultas proposita; momentum ejus qualitati & amplitudini materiæ respondet. Agitur de Legibus, Contractibus, Tractatibus Pacis aut Belli, inter Principes; de Brevibus, aut Provisionibus Beneficiorum, aut Officiorum, sive Sæcularium, sive Ecclesiasticorum; & de Judiciis utriusque generis: uno verbo, de Jure Publico & Privato, frequentibus infractionibus Legum utrumque continentium violato. Porrò, si infractiones illæ annullant omnes actus in quibus reperiuntur, ingens erit actuum nullorum numerus.

Magni refert igitur difficultatem propositam solvere. Verùm hæc solutio difficillima est; Nam Io. circà hoc occurrunt Regulæ Juris sibi invicem contrariæ: nempè hæc: *Quæ contra jus fiunt, pro infectis utique haberi debent. Reg.* 64. *in* 6. Cui affinis est Lex *non dubium. C. de legibus.* Et *Cap.* 3. *qui Matrimon. accus.* Et ista apertè adversa, *multa sunt quæ fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. C.* 16. *de Reg.* II°. Infiniti sunt Casus, in quibus leges nullitatem expresè non ferunt, & alii contrarii in quibus illa expresè fertur. Si autem, inquiunt nullitas subintelligitur, cur tàm sæpè exprimitur; &, si necessarium sit illam exprimi, ut locum habeat, quamobrem Leges intrà prohibitionem steterunt, nec ultrà ad annullationem progressæ sunt, tot in Casibus, in quibus nullitas ex qualitate argumenti valdè necessaria videtur.

III. Dubio locus est an nullitas sit pœna? Hinc enim ea cadit in actum punitionis incapacem, nihilque aliud est, quàm consecutio prohibitionis, & transgressionis ejus, positò quòd semper subintelligatur, cùm expressa non est. Illinc Constitutiones nostræ eam vocant *Pœnam*, ipsam ferendo his verbis, *sub pœna nullitatis*, (à peine de nullité) tàm crebris in *Constitutione Civili*. An. 1667. & *Const. Criminali* An. 1670. & quæ leguntur etiam in aliis, ac maximè in *Edicto An.* 1606. *Art.* 31. Incertum itaque est, an ea sit ejusdem conditionis, ac Pœnæ, quæ tamquàm odiosæ restringi debent, ad casus in quibus exprimuntur? An sit affinis Legibus, quæ tanquàm favorabiles extendi debent ad casus non expressos, dummodò ratio Legis ipsis applicari possit.

IV. Inter Auctores qui affirmant nullitatem actûs semper in Lege prohibitiva contineri, quorum sanè numerus amplissimus est; quidam agnoscunt plures Exceptiones, quæ, junctâ ratione ab ipsis allatâ, intricationem pariunt. Talis est præ cæteris, CANISIUS in *Reg.* 64. suprà laudatam, à quâ excipit Matrimonium post votum simplex contractum, aut contrà interdictum Ecclesiæ, aut cum Neophitâ, quam ad Baptismum contrahens instituerit; Ordinationem Clericorum, Consecrationem Ecclesiarum, Sententiam Judicis duriorem, aut conditionalem, aliasque supplere Exceptiones significat; tùm rationem illarum Exceptionum afferens, dicit, eas nasci ex eo quòd Leges expresè permittant actus prædictos subsistere, nonobstante eorum contrarietate dispositioni Legum.

Porrò, hæ Exceptiones, earumque rationes molesto

lesto nodo nos implicant. Videmus enim Matrimonia prohibitioni Legum ea non annullantium contraria, subsistere, non obstante illa contrarietate. Talia sunt ea, quæ tempore vetito celebrantur, aut sine proclamatione Bannorum, aut sine Benedictione Missæ, aut post sponsalia cum aliis contracta. Videmus etiam Baptismum, Confirmationem, Benedictionem Ornamentorum Sacrorum, Benedictionem Abbatum aut Abbatissarum esse validas, quamvis in eis omnia Legibus præscripta non observentur: difficillimum autem esset ostendere, eas permittere expresè, ut tales actus, nonobstante contrarietate hac, subsistant.

Vo. Sententia hæc vulgò obtinet, quòd, ut Lex nullitatem actuum dispositioni suæ contrariorum contineat, sufficiat eam verbis negativis concipi, nullamque aliundè pœnam ferre. Verùm, hæc implicatione non caret. Nam, omnes Leges *prohibitivæ*, verbis, negativis æquipollentibus, enunciantur, qualia sunt ea, quæ in negativa resolvuntur; ea, v.g. quibus præcipitur, jubetur quasdam actiones non fieri: plures autem ex eis Legibus nullam pœnam ferunt, & nihilominùs, actus ab iis prohibiti, sunt validi, quamvis earum dispositioni contrarii. Tot ejusmodi Legum exempla adduci possent, quot sunt Canones Matrimoniorum Clandestinitatem vetantes, aut eorum celebrationem certo tempore, aut contrà interdictum Judicis, aut Episcopi, aut durante lite circà prius Matrimonium, aut Sponsalia jam contracta. Vid. circà hoc *Cap.* 4. *de Feriis. Cap.* 10. SESS. XXIV. *de Reformat. Matrim.* quæ prohibent Matrimonium certo tempore, non adjectâ pœnâ. Vid. *Cap.* 1. 2. 3. *de Matrimonio contracto contrà interdictum Ecclesiæ. C.* 28. *part.* 6. *post Conc.* LATER. 3. *C.* 18. *de Sponsal & Matrim.* prohibitionem similem continentia, sine pœna, eos spectantem, qui, ob rationes non perpetuas, conjugari non debent, donec certum tempus elapsum sit. Si sint Textus qui irritent Matrimonia sic contracta, hoc factum est, inquit PONTIUS *L.* 6. *C.* 7. *n.* 6. ex eò quòd autores prohibitionis ipsi Decretum irritans inseruerant: ubi agnoscit Episcopo, non secùs ac Pontifici, competere hanc facultatem.

Idem Autor *C.* 13. *&* 14. *ibid.* probat, quòd non solùm Incestus adulterinus, sed etiam omnia crimina pœnitentiæ publicæ obnoxia, à Matrimonio ità excludebant, ut non annullarent ea, quæ, non obstante interdicto, contrahebantur. *Canones* ab eo laudati id luculenter demonstrant. GONZALES in *Cap.* 3. *ejusdem Tituli* restringit etiam ad casum Decreti irritantis interdicto Judicis annexum, nullitatem matrimonii contrà interdictum Ecclesiæ contracti.

Extat in *Cap.* 28. *Sextæ Partis* Collectionis jam laudatæ, unum verbum valdè notabile, quod ostendit, nullitatem non debere annecti aut contineri in singulis prohibitionibus. Scilicet, ea pœna nimia est, & delicto eorum, qui Matrimonium adversùs Judicis aut Episcopi interdictum contrahunt, minimè proportionata. Hinc enim solutio deduci posset, dicendo nempè, Legem continere nullitatem actuum sibi contrariorum, quandò transgressio satis gravis, ut tantam mereatur pœnam; judicium autem de gravitate delicti ferri posset ex qualitate rei, verbi gratia, cùm in Sacramentis, & in Contractibus, distinguantur *Substantia* & *Accidentia*, credibile esset Leges, quæ sola Accidentia spectant, non continere nullitatem; eas verò, quæ circà substantiam versantur, continere nullitatem eorum, quæ contrà dispositionem suam gesta sunt. *Cap.* 7. *de Condition. appositis.* Hanc solutionem confirmaret per distinctionem conditionum, quæ Matrimonio apponi possunt, ab iis, quæ apponi nequeunt, indè sumptam, quòd hæ destruant substantiam, aliæ verò circà Accidentia sola versantur. Vid. hoc *Caput* quod est GREGORII IX. qui Matrimonio accomodat id, quod cæteris Sacramentis convenit, & quibuscumque actibus nullitatis capacibus, & in quibus certæ solemnitates à Legibus requiruntur, ut magis venerandi aut liberi fiant. Talis est speciatim Electio solemnis, ubi *Glossa Pragmaticæ* in verbo *conveniant de Elect. Cap. sicut pag.* 97. *col.* 1. duplex genus solemnitatum distinguit, alias Substantiales, alias Accidentales. Difficultas sita est in secernendo Substantialia à non Substantialibus, quæ non cadit in Sacramenta, quorum Materia & Forma non vocantur in controversiam, v. g. Baptismum, Eucharistiam, Extremam-Unctionem: aut circà quæ, non obstantibus disceptationibus, consentiunt omnes, quasdam res, non verò alias, esse eorum Materiam & Formam; qualia sunt Confirmatio, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium. Nàm saltem hæ solæ res sunt Substantiales his Sacramentis. Verum difficultas cadit, inquam, tantùm, in Actus, de quorum Substantiâ litigatur.

Sunt Autores qui contendant, quòd si Leges aliquot pœnam nullitatis expresè sanciant, id factum sit, quia Leges illæ succedunt aliis, quæ, non obstante prohibitione certorum actuum, quam ferebant, tolerabant nihilominùs illos subsistere, licèt contrà dispositionem suam factos. In exemplum vocant Constitutiones Regias, quæ vetant ne filii Minores Matrimonium contrahant sine consensu Parentum, declarando quòd secùs Matrimonium non validè contrahetur. Verùm, ut magis aperiatur eorum mens, ea eorum ratiocinatio. Romanæ Leges ejusmodi Matrimonium prohibuerant, &, hoc solo interdicto nuptiæ Minorum, sine consensu Patris, erant nullæ. Deindè, Leges Canonicæ prohibitionem conservantes ac prorogantes, patiebantur eas nuptias esse, non obstante quòd aliquatenùs suæ dispositioni adversarentur; cùm experientia docuisset illam Canonum indulgentiam Gallis esse perniciosam, existimaverunt Reges reducendam esse nullitatem; utque manifestum facerent hanc esse suam mentem, jusserunt ejusmodi nuptias ut perperàm contractas reputari, aut conceptis verbis, ut in *Constitutione* 1629. aut verbis æquipollentibus, ut in *Constit. Solesienſi*, & in *Declaratione anni* 1639. eas comparando Matrimoniis per vim contractis.

Tùm, sibi suadentes se satis disertè locutos fuisse, earum nuptiarum nullitatem supponunt in Constitutionibus subsequentibus, &, præ cæteris, in *Constitutione anni* 1686. in qua Rex ab illa pœna dispensat liberos, qui parentum consensum consequi non poterant, quoniam hi Gallias deseruerant, ob adhæsionem suam Religioni prætensæ Reformatæ; liberi autem qui hîc constiterant, erant Catholici: dispensationisque necessitatem insinuat: 1o. Exponendo, se, quatenùs communem subditorum suorum Patrem, supplere defectum consensûs verorum Patrum, ac Matrum. 2o. Præcipiendo convocationem Cognatorum vulgò usurpatam, cùm Liberi utroque Parente carent. 3o. Declarando, se, pro hoc unico casu, derogare Constitutionibus.

Verùm, hic modus solvendæ difficultatis propositæ, quibusdam casibus dumtaxat satisfacit, idque, quod velut certum proponitur, non omninò constat; quod autem constat, expositione indiget. Nàm prima prohibitio quarumdam rerum, cum clausula, *sub pœna nullitatis*, provenire non potest ex eo quòd, cùm olim purè prohibitæ fuissent, sicque nullitatem traxissent, partim deinceps prohibitæ, partim permissæ, fuerint: prohibitæ, quoad actionem; permissæ, quoad validitatem. Porrò, *in Titulo* 2. *Constit. Civilis*, occurrunt quatuor prohibitiones sub pœna nullitatis, rerum nondùm purè prohibitarum, mox, quoad validitatem, permissarum, suppetit exemplum simile, in *Art.* 3. *Tit.* 7. *Constit Criminalis*, prohibitiones quas Romanæ Leges ferunt, in Nuptias Minorum, absque Parentum consensu contrahentium, verbis nullitatis actuum affectatis concipiebantur. His v. g. *non potest consistere.* Vid. *Doctrinam Canonum Corpori Juris incluſ. p.* 163. *Object.* 2. ubi probatur hæc Observatio.

Canones, qui prædictarum Nuptiarum prohibitione

nè contenti fuisse dicuntur, non innotuerunt perfectè, nisi post *Collectionem* GREGORIANAM mediante XIII. Sæculo editam. Hinc autem, à pluribus retrò Sæculis, Ecclesia Gallicana irritabat Nuptias Minorum, sinè consensu Parentum celebratas, ut ostendi in *Dissertatione* circà illa Matrimonia. Itàque, positò quòd Gallia hæc Matrimonia Sæculo XIII. toleraverit, quod hìc discutere nec possumus, nec debemus, prorsùs credibile est, eam illa deinceps annullantem, idque Clausulâ, *sub pœna nullitatis*, declarantem, voluisse tantùm, hoc in casu, vetera Regni instituta renovare. Plures alias difficultates hìc congerere facilè foret, nam *Basilius* PONTIUS, *L. 5. C. 3.* multas collegit, ejusque responsiones novam difficultatum segetem pariunt, quia non carent redargutione. Sed is labor inutilis foret; ea quæ diximus abundè sufficiunt, ad inculcandam necessitatem nostri instituti, vel probandum, quàm difficile sit invenire rationem quâ hinc extricer. Horum conscius, non ausim mihi felicem successum polliceri: tentabo dumtaxat aperire viam aliis, qui feliciorem invenient exitum. Quædam itaque Principia statuo.

PRINCIPIUM I.

Si Lex prohibitiva nullitatem actuum à se vetitorum trahat, id è Jure Naturali non oritur; sed ex Jure Positivo. Nàm, ut ostensum fuit in *Tractatu Historico circà Matrimonium*, & alibi, quamvis Lex Naturalis Matrimonium interdicat, post continentiæ Votum, constat, illud, quod post ejusmodi votum contrahitur, non esse nullum Jure Naturali; quia hodiè etiamnùm subsistit, si Votum merum ac simplex sit, & per XI. aut XII. Sæcula validum fuit, etiamsi Votum solemne foret. Imò quidam Textus Juris expresè ferunt discrimen inter illa duo Vota existens, ab Ecclesia constitutum fuisse. Itaque, positò quòd prohibitio nuptias ineundi, post Votum solemne, nuptias annullet, ut revera facit, oportet ut hunc effectum à Jure Positivo derivet, quod cùm ferè nunquàm & nusquàm uniforme sit, vix probabile est quòd, si Lex prohibitiva nullitatem trahat, id ubique, id semper verum sit, ac fuerit. Undè sequitur, pro regulâ generaliter approbatâ proponi non posse, nec debere, Legem prohibitivam trahere nullitatem.

PRINCIPIUM II.

Leges Positivæ effectum non habent, nisi ex voluntate eorum, qui eas condunt; nihil enim aliud sunt quàm voluntas Legislatoris, verbis imperativis manifestata. Ut igitur, in quibusdam ditionibus, Lex prohibitiva quælibet nullitatem actuum contrariorum trahat, oportet Principem id expresè voluisse, & consequentem aliquam existere Legem generalem, quæ voluntatem illam declaret. Cùm ergò agitur de Lege prohibitiva quorumdam locorum, circà res particulares, non meritò dicitur eam trahere nullitatem ex se ipsa, ex solius prohibitionis vigore; nisi certæ probationes suppetant, Principem velle generatim, ut, quodcumque fiet contrà Leges particulares, semper nullum sit: atqui supponi nequit hæc voluntas in Principe, si crebrò suis Legibus pœnam nullitatis apponat; sed contrarium potiùs dicendum est: scilicet, eum velle, ut nullitas locum habeat solùm in casibus, in quibus expresè sancitur: aliàs frustrà nullitatem exprimeret, si jàm declaravisset intendere se, ut omnis Lex prohibitiva traheret nullitatem. Itaque, cùm Reges Galliæ Clausulam Nullitatis quibusdam Articulis Constitutionum suarum, non verò in aliis, inserere soleant; credibile fit, eos non velle, ut omnes prohibitiones, quas ferunt, annullent Actus contrarios. Factum suprà probatum fuit, illudque annotandum est. Nàm, præsumendi locum habemus, voluntatem Regiam esse, ut Leges peregrinæ in suâ ditione approbatæ, nullitatem actuum non operentur, nisi cùm in eis exprimitur, aut verbis conceptis, aut æquipollentibus: iis v. g. quæ suprà observatæ sint in Legibus Romanis circà Matrimonium Minorum sinè consensu Parentum. Itaque, ob momentum hujus facti, aliquot exempla Clausulæ Nullitatis Regiis Constitutionibus insertæ subjiciam.

Præcipuum acceptum est ab *Art. ult. Tit. 2. Constitut. An. 1667.* qui annullat expresè omnia Arresta, Judicia, quæ Constitutionibus, Edictis, ac Declarationibus contraria erunt, non productâ pœnâ hâc ad alios actus simili contrarietate laborantes. Cætera sunt, Decretum irritans *Pragmaticæ* insertum, & *Concordato*, in gratiam Graduatorum, in Indulto Senatorum Curiæ Parisiensis, in Brevibus Læti Adventûs, contrà prætensiones Cleri, in *Art. 28. Constitut. Blæsensis* circà Professionem antè sexdecim annos factam, actus ab ea dependentes.

PRINCIPIUM III.

Multi sunt actus Legibus merè prohibitivis vetiti, qui nullitatis capaces non sunt. v. g. plantatio, satio, aratio, putatio, vestium cultus, ædificatio, ludus, balneorum usus &c. aliique actus circà Artes Mechanicas versantes. Positò, igitur, quòd ejusmodi Leges actuum à se vetitorum nullitatem trahant, excipiendi sunt omnes qui nullitatis incapaces sunt. Hæc Exceptio tàm evidens est, ut, si fortè aliqua sit Lex generalis annullans omnes Actus dispositioni Legum merè prohibitivarum adversos, nemo necessarium duxerit eam restringere ad actus nullitatis capaces, hancque restrictionem ex naturâ rerum subintellectam non viderit.

PRINCIPIUM IV.

Inter Actus capaces nullitatis, quidam olim, pluribus etiam Sæculis, interdicti fuere; nec tamen nulli fuere, licèt adversùs Legis dispositionem fierent, iique deinceps nulli effecti sunt, per Clausulam Nullitatis, eorum prohibitioni insertam. v. g. XII. & XIII. Sæculis vetitum erat facere Professionem antè annum integrum Probationis, & nihilominùs valida erat Professio, quamvis antè annum completum fieret; quod stetit usque ad Concil. *Trident.* quod eamdem prohibitionem innovando, ei Clausulam Nullitatis inseruit *Cap. 15.* SESS. XXV. *de Regular.* ubi habemus exemplum necessitatis exprimendi aliquandò nullitatem in Lege prohibitiva luculentius exemplo suprà allegato atque expositò.

PRINCIPIUM V.

Certum non est Ecclesiasticas Leges, quæ enunciare videntur quodcumque contrà Leges factum, esse nullum, loqui de Nullitate latæ Sententiæ; longè minùs, eas loqui tantùm de Legibus merè prohibitivis, & de iis, quæ nullitatem nec expressis, nec æquipollentibus verbis ferunt.

Ad procurandam lucem, subjicio Textus, qui vulgò in hunc finem laudantur. *Primus* est *in Can. Vides. 1.* DIST. X. Ibi JOANNES VIII. dicit, *Vides, Fili charissime, quia quod contrà Leges accipitur, per Leges absolvi meretur.* Verbum hoc, *meretur*, disertè ostendit, eum Pontificem existimavisse, actus illos non esse nullos, sed irritatione tamen esse dignos.

Secundus est in *Can. Imperiali 13.* CAUS. XXV. *Quæst. 11.* S. GREGORIUS in eo dicit *Januario*, Episcopo Caralitano, *Imperiali Constitutione apertè sancitum est, ut ea, quæ contrà Leges fiunt, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.* Hæc verba, *habenda sint*, significant nullitatem esse pronuntiandam. Constitutio Imperialis, de qua loquitur *S. Gregorius*, probabiliter est Lex *non dubium C. de Legib.*

gib. quæ est *Theodosii* ac *Valentiniani*, & contrà Curiales facta, qui, cùm ab administratione negotiorum, aut bonorum alienorum excluſi essent, conducebant & fide jubebant adversùs mentem Legis, eâque fraude merebantur, ut Imperatores irritarent id quod fecerant, aut facturi in posterùm erant: sic eam explicat PONTIUS *L. 5. C. 3. n. 10. & 11.*

Circà quod observandum est, eam Legem Imperialem esse Titulum vetustiorem qui afferatur, ad probandum Legem prohibitivam actuum contrariorum nullitatem trahere.

Primus enim *Canon* allegatus, est Sæculi IX. *Secundus*, de quo actu loquimur, est circà Sæculum VII. *Tertius* autem, quem mox videbimus, incerti temporis est, posterior tamen Legi, de qua agitur; quoniam tribuitur vel CÆLESTINO I. electo an. 427. vel CÆLESTINO II. aut III. qui Sæculo XII. vixerunt. Hic autem postremus una est ex *Regulis Juris* à BONIFACIO VIII., sub finem Sæculi XIII. collectis. Porrò: Lex cadit circà An. 425., quô Theodosius Valentinianum imperii socium fecit. Itaque, Lex illa spectari potest ut fons omnium *Canonum* laudatorum: & proindè ii videntur in Regulam generalem assumpsisse dispositionem particularem, undè nata est implicatio, à qua nos expedire, cæterosque liberare conamur.

Tertius Canon est apud GRATIANUM. *Can.* 2. CAUS. 35. *Quæst. 6.* sub Titulo *Decreti Ecclesiæ Florentini missi à* CÆLESTINO, circà Ann. 1143. Pro principio proponit hoc; *quod contrà interdictum & ordinem Ecclesiæ factum est, tamquàm inordinatum, ratum non haberi, tàm divinæ quàm humanæ legis proclamat autoritas.* Undè concludit, secundum Matrimonium, contrà interdictum Ecclesiæ factum, esse nullum, quamvis prius, de quo lis pendebat, foret invalidum. Idem videtur *Canon Lib. IV.* DECRETAL. *C. 3. qui Matrim. accus.* GONZALES, in hoc Caput, Verbo *interdictum*, notat, agi de interdicto irritante, id est, cui Clausula Nullitatis adjecta fuerat; & Verbo *Humanæ Legis*, laudat Legem *non dubium. C. de Legib.* quam mox probavimus esse fontem principii, quod exponendum suscepimus; eâque observatione confirmat nostram animadversionem, circà originem vis annullantis Canonibus negativis attributæ.

Quartus Canon est ipsa *Regula 64. de Reg. Jur. in 6.* Cujus verba sunt: *Quæ contrà Jus fiunt, debent utique, pro infectis haberi.* Ubi patet agi, de nullitate sententiæ ferendæ. Hæc verba, *pro infectis haberi debent*, id clarè ostendunt; cùm pars prior nimis generalis sit: quoniam indè sequeretur omnes actus Juri contrarios fore nullos; suprà autem ostensum fuit, magnum esse illorum numerum, qui validi sunt, non obstante quòd Juris dispositioni contrarii sint. Undè fit, ut restringenda sit illa pars, ad Jus actuum substantiam spectans, & ad Jus expresè, aut tacitè, id est, verbis æquipollentibus, nullitatem ferens. PROBUS, in suis Additionibus ad *Glossam* GUIMERII, contendit, Verbum *nullatenùs*, in prohibitione adhibitum, nullitatem actuum contrariorum significare *p. 134. col. 2. verbo nullatenùs*, & insinuat indè cognosci prohibitionem aliquam esse irritantem.

PRINCIPIUM VI.

Legislatores eamdem actionem pluribus pœnis punire possunt. Plura occurrunt exempla in Canonibus, qui deponunt & excommunicant Clericos quorumdam criminum reos. v. g. Simoniæ &c. quæ relata sunt in Tractatu de *Excommunicatione*, & in Tractatu de *Depositione.* Positò igitur quòd omnis Lex prohibitiva nullitatem trahat actuum contrariorum, concludi nequit, aliquam ex iis Legibus non operari hunc effectum, ex eo quòd aliam pœnam adjicit prohibitioni: maximè, si attendamus, multas esse leges, quæ alias pœnas nullitatis adjiciunt, sivè in materia impedimentorum dirimentium Matrimonii, sivè in materia Processûs Judiciarii, ut patuit ex Articulis suprà laudatis. *Constitut. Civilis.*

Eludi nequeunt exempla hæc Legum nullitatis pœnam aliis jungentium, dicendo, id factum fuisse, nè putaretur eas non annullare actum, ex eo quòd aliis pœnis puniebant. Nàm, cùm incipiant à nullitate, probabilius est, eas nullitati expressæ alias adjecisse pœnas, ut significarent eam pœnam non sufficere.

PRINCIPIUM VII.

Meritò creditur Legislatores, qui quibusdam Legibus suis Clausulam Nullitatis apponunt, eo ipso significare, se intendere ut nullitas non habeat locum, nisi in casibus, in quibus expresè fertur: aliàs Legibus suis laqueos pararent subditis suis, qui locum haberent inferendi, cæteras eorum Leges non annullare actus sibi contrarios, ex curâ quâ res illa expresè attributa est nonnullis, per Clausulam nullitatis. Quòd eò perniciosius esset, quòd possent spectare has Leges speciales, velut exempla Legis generalis ferentis Nullitatem, non habere locum, nisi in casibus, in quibus expressa est; & præsumere existentiam illius Legis ex his magnis principiis. 1°. Restringendas esse res odiosas. 2°. Pœnas in earum ordine esse. 3°, Nullitatem actuum esse Pœnam, in eo quòd partes spoliet omnibus ipsorum commodis; undè fit, ut Censura & Irregularitas, aut quælibet alia res odiosa locum non habeant, nisi in Casibus jure expressis. *C. 18. de Sent. Excommunic. in 6.*

PRINCIPIUM VIII.

Extrà argumentum Matrimonii, Leges, quæ quosdam actus nullitatis capaces quibusdam personis interdicunt, ratione vitiorum, quæ in eis sunt, eos solâ prohibitione annullant. Tales sunt eæ, quæ Clericis suspensis, aut excommunicatis, aut irregularibus interdicunt Electionem, aut Collationem, aut Præsentationem; Prodigis contrahendi, Religiosis testandi, Judæis Officia publica possidendi.

Ratio horum Casuum aliorumve similium est, quòd prohibitio auferat potestatem faciendi actus vetitos, aut à jure illos faciendi excludat. Idem est de Legibus, quæ vetant similes actus in similium personarum favorem fieri. Tales sunt eæ, quæ vetant donare Religiosis Professis, aut personis mortem Civilem passis. Ratio pariter similis est. Quoniam ille Leges auferunt jus accipiendi. In utriusque generis Casibus nullitatem non operatur Natura Legis prohibitivæ; sed qualitas materiæ actuum, quæ certas capacitates in personis requirit; quibus deficientibus, actus effectum suum sortiri nequeunt.

Matrimonium ab hac regulâ excipimus; quia id interdicitur certis personis, ob vitia quæ satis gravia non sunt, ut mereantur omnimodam illud contrahendi incapacitatem. Talis olim fuit Cognatio proveniens à præsentatione alicujus personæ ad cæremoniam Baptismi, quæ vocatur *Catechismus.* Talia fuere omnia crimina Pœnitentiæ publicæ subjecta: Talia sunt hodiè Vota simplicia Castitatis, aut Matrimonium non contrahendi, aut se Religiosum faciendi: talia sunt sponsalia cum aliis. Hinc patet, præfatas Leges, Canonesve, allegari non posse, ad probandum, Leges prohibitivas irritare actus ipsarum dispositioni contrarios, cùm nullitas hæc aliundè proveniat.

PRINCIPIUM IX.

Vel prohibitio directè cadit in substantiam actuum, qualis est propria Forma; & tunc credibile est eam trahere nullitatem illorum actuum: quoniam, destructâ actus substantiâ, actus consistere non potest. Vel prohibitio directè cadit in Accidentia, quales

sunt

sunt vulgò simplices Formalitates; & tunc meritò existimatur, eam actus contrarios non annullare.

Probatio ac necessitas hujus distinctionis inspicitur in Ritualibus Veteribus à P. MARTENE collectis, & in Novis seorsim excusis. Idem videtur in Veteribus Pontificalibus, quorum aliquot ab eodem Autore collecti sunt; & in Pontificali Romano, quod hodiè est in usu. Nàm, in illis omnibus Libris reperiuntur multæ Cæremoniæ merè Accidentales, non solùm quoad Sacramenta, sed etiam circà Benedictiones Abbatum atque Abbatissarum, Ecclesiarum, Cæmeteriorum, Reconciliationem Locorum pollutorum, Consecrationem Ecclesiarum, Altarium, Calicùm, Benedictionem Ornamentorum Ecclesiis aut Ministris Sacris destinatorum. Et distinguuntur Cæremoniæ Accidentales à Substantialibus, per varietatem illarum; cùm hæ ferè ubique sint similes.

Prohibitio cadit in Accidentia actuum, cùm non prohibentur in se ipsis, sed in Personis, quas non decet illos facere. Sic vetantur Ecclesiasticis quidam actus profani, ex eo solo quòd eos administratio negotiorum temporalium dedeceat. Talia sunt munera Notarii, & Procuratoris ordinarii, Cauponis, Lanii, ergà Clericos clericaliter viventes ac vestitos: tales sunt etiam Ludi, sivè Sæcularibus interdicti, v. g. alea; sivè personis iisdem, quatenùs Sæcularibus, concessi, quales sunt omnes Ludi publici, Clericis iisdem, quatenùs Clericis, interdicti.

Verùm, ut magis illustretur id, quod de Substantia & Accidentibus actuum diximus, observare debemus, Formam actuum merè humanorum, quæ ipsis substantialis est, vulgò à voluntate Legislatoris pendere; undè fit, ut, id quod actibus quibusdam certis in locis Accidentale est, ipsis Essentiale sit in aliis. v. g. Proclamationes Bannorum Matrimonii, quæ in majore Ecclesiæ Occidentalis parte fiunt tantùm ad meliorem formam, merèque Accidentales sunt, in Gallia Essentiales sunt Matrimonio Minorum, *Art.* 40. *Constit.* BLÆS. *An.* 1579. quæ jubet unam saltem fieri, & de aliis dispensare vetat, absque consensu Parentum, sub pœna à Conciliis in Matrimonia Clandestina latâ, quæ alia non est, quàm nullitas lata à *Tridentino*, cujus Decretum irritans Matrimonia Clandestina hìc in Legem Regni convertitur.

Porro: si Forma illorum actuum arbitraria sit, ità ut, quod Essentiale, aut quasi-Essentiale est, in una Regione, tale non sit in alia, difficile est discernere eos, qui nulli sunt, ob defectum Formæ, à cæteris, nisi per Clausulam Nullitatis priorum prohibitioni junctam, & in posteriorum prohibitione omissam; aut per qualificationem Essentialis, alteri Formæ, & non alii, datam, Clausulæque Nullitatis æquipollentem. Exemplum habemus talis qualificationis, in Præfatione *Declarationis An.* 1639. ubi solemnitates ad vitandam Clandestitatem absolutè necessariæ enumerantur, & vocantur Cæremoniæ quasi-Essentiales: undè sequitur, nullitatem hìc nasci ex qualitate Formæ omissæ, non verò ex mera prohibitione.

PRINCIPIUM X.

Probando suprà per exemplum à Matrimonio sumptum, omnem Legem prohibitivam non continere nullitatem actuum contrariorum ipsius dispositioni, quia multa Matrimonia valida sunt, quamvis contrà interdictum Ecclesiæ contrahantur; consequenter ostendi: 1°. Hujusmodi actus non esse semper nullos; maximè cùm vergunt in commodum eorum, qui eos faciunt: Matrimonium autem unus est ex illis actibus, cùm fiat ad utilitatem contrahentium. 2°. Esse actus contrarios prohibitioni Ecclesiæ, qui non sunt Nulli in Foro Interiori, neque in Foro Exteriori; cùm Matrimonia, non obstantibus impedimentis prohibitivis facta, contraria sint prohibitioni, nihilominusque valeant in utroque Foro. 3°. Esse prohibitiones Ecclesiæ quarum causa temporalis est dumtaxat; & tamen esse actus contrarios istis prohibitionibus, qui nulli sunt; cùm Matrimonium ratione defectus Ætatis, aut Amentiæ transitoriæ, nullum sit; quamvis causa hujus prohibitionis sit temporalis. 4°. Esse prohibitiones, quarum causa est perpetua, & nihilominùs actus factos contrà illas, non esse nullos; cùm Votum, Sponsalia, & omnia Crimina Pœnitentiæ publicæ obnoxia, sint, aut fuerint, causæ Perpetuæ prohibendi Matrimonii iis, qui in illis detinebantur, & Matrimonia contrà illas prohibitiones contracta, hodiè sint valida, fuerintque, dùm illa Crimina à Matrimonio excludebant. Itàque, exemplum Matrimonii labefactat distinctiones inventas, ad discernendos casus, in quibus actus contrà interdictum Ecclesiæ facti, nulli sunt, ab iis, in quibus nulli non sunt; & corroborat distinctionem ortam ex eo quòd sint casus, in quibus prohibitionem sequitur Clausula irritans, & alii, in quibus prohibitio solitaria est. Dici non potest inutilem futuram, nisi nullitatem actuum contrariorum trahat, prohibitionem, cùm alia non fertur pœna: nàm ea transgressores punitione dignos facit: FAGNAN. *in Cap. Responso* 43. *de Sent. Excomm. n.* 114. *&* 115. ubi asserit, Excommunicationem ab Episcopo latam in Collegium, illicitam esse, non verò nullam. *Cap.* 5. *de Sentent. Excommunic. in* 6. Quod in eo solùm fundari potest, quòd mera prohibitio nullitatem actuum contrariorum non includat, oporteatque nullitatem ipsi adjectam esse, ut vim annullandi habeat. Circà quòd observandum esse moneo, me in Tractatu de *Censuris*, pro certo asseruisse, Excommunicationem latam in Corpora fore nullam, quia contraria esset Juri Naturali & Divino, quòd velut iniquitatem atrocem innocentes excommunicare vetant; meque illum Autorem non laudare, nisi quia, pòst alios multos, agnovit prohibitionem Juris merè Positivi non trahere nullitatem actuum contrariorum. In hunc finem laudat Canonem *Non novimus* CAUS. XVII. *Quæst.* II. & Canonem, *Si via.* DIST. XXVII. qui confirmant id quod diximus suprà, Votum simplex Matrimonium non annullavisse Sæculo V. & VII.; ut nec hodiè. Laudat etiam *C.* 1. *de Off. Jud. Ordin. in* 6. quod vetat, ne Officiales Metropolitani Censuras ferre audeant in Episcopos Suffraganeos Provinciæ, quamdiù Archiepiscopus ab ea non exierit; & quo tamen Censuram non annullari contendit.

Observare debeo eumdem Autorem *n.* 103. *ejusd. Cap. Responso:* notabilem tradere interpretationem Legis, *non dubium*, quam dicit canonizatam fuisse Canone Imperiali supra laudato, in principio [undè confirmatur nostra animadversio circà effectum istius Legis] ibi quippe dicit, agi de casu, quo Lex quibusdam aliquid faciendi potestatem dans, modum eâ utendi præscribit, cum prohibitione aliter agendi; tuncque actum adversùs interdictum factum debere esse nullum, ob defectum potestatis, quæ data tantùm fuit sub conditionibus tunc deficientibus: undè concludit quòd, cùm, quos *Innocentius IV. C.* 5. *de Sent. Excomm. in* 6. *§. in universit.* vetuit excommunicare Collegia, eo tempore habuerint excommunicandi jus tanquàm Ordinarii, prohibitio illius Pontificis non annullavit Excommunicationem, quam ferrent in Corpora. Porrò, si hæc interpretatio vera sit, aliæ non erunt in Jure prohibitiones actuum contrariorum nullitatem continentes, quàm eæ, quæ dirigentur ad personas sub certis conditionibus, quibus parere negligent, delegatas, aliæve consimiles. Quod nullitates Juris notabiliter restringeret, easque vocaret ad casus, quibus saltem verbis æquipollentibus exprimerentur.

Fortè, inquies, si sint Leges merè prohibitivæ, quæ nullitatem actuum contrariorum non trahant, id factum est, quia consuetudo abrogavit nullitatem, quam ferebant. Multiplex est responsio. 1°. Proban-

bandum esset eos principiò actus effeciſſe nullos : 2°. Cur, vice versâ, dicere non liceret, ſi, inter eas Leges, quædam nullitatem actuum contrariorum trahunt, quamvis ea non ſit expreſſa, ipſas effectum hunc accepiſſe ab uſu, qui nullitatem illam tàm inſtituere potuit, quàm aliam abrogare. 3°. Multi ſunt Canones merè prohibitivi, quos olim annullaviſſe contrarios actus probari nequit. Sola SESSIO XXIII. *de Reform.* tria exempla ſuppeditat, *C. 4. 6. 16.* Primum merè ac ſimpliciter vetat dare Tonſuram iis, qui dotibus ad eam requiſitis, carebunt. Nemo autem huc uſque dixit, Tonſuram eorum, qui aliqua ex iis dotibus carent, eſſe nullam; quamvis agatur de re inſtitutionis Eccleſiaſticæ, ac nullitati obnoxiæ. *Cap. 6.* vetat conferri Beneficia Tonſuratis impuberibus, utiturque verbis, quæ creduntur notare intentionem Legiſlatoris eſſe, ut actus contrarius ſit nullus, his ſcilicet, *Nullus . . . . . antè 14. annum Beneficium poſſit obtinere.* Verba *nullus poſſit*, attentionem merentur. Nullus autem Autor, quem noverim, putavit Collationem factam Minori annorum XIV. eſſe nullam. Sub finem *Cap. 16.* legitur hæc prohibitio mera & ſimplex: *Nullus præterea Clericus peregrinus ſinè Commendatitiis ſui Ordinarii litteris, ab ullo Epiſcopo, ad divina celebranda & Sacramenta adminiſtranda admittatur.* At inauditum eſt, ullum Autorem aſſeruiſſe, approbationem datam Sacerdoti peregrino Commendatitiis carenti, ad audiendas Confeſſiones aut benedicendas Nuptias, eſſe nullam.

Objici nequit adversùs hæc tria Decreta. *Cap. 15. ejuſd.* SESS. quod merè ac ſimpliciter vetat certas perſonas audire Confeſſiones, nec adjecit pœnam nullitatis, & nihilominùs ſemper, atque etiam hodiè exiſtimatum fuit, Confeſſionem iis factam fore nullam, quoad Abſolutionem. Hæc objectio robore caret. Nàm nullitas Abſolutionis tùnc non oriretur ex eo, quòd Lex eſt merè ac ſimpliciter prohibitiva: ſed ex eo, quòd auferat poteſtatem Juriſdictionis prorsùs neceſſariam ad validitatem Abſolutionis, ut obſervatum fuit in *Principio* VII.

Fruſtrà objiceretur, Legem merè ac ſimpliciter prohibitivam, niſi nullitatem traheret, abſurdam fore, ex eo quòd prohiberet ac permitteret eamdem actionem: vetaret verbis, & permitteret, cùm eam ſubſiſtere pateretur. Fruſtrà hoc diceretur; nulla eſt enim abſurditas aliquam Legem vetare ac permittere eandem actionem, ſub diverſo reſpectu. Aliàs omnes Leges Eccleſiaſticæ ac Civiles, quæ Impedimenta Matrimonii merè prohibitiva conſtituunt, abſurdæ forent, cùm vetent & permittant Matrimonium. Vetant, ut ſupponitur: permittunt, illud ſubſiſtere ſinendo, quamvis contrà diſpoſitionem ſuam factum: v. g. *Declaratio An. 1639.* vetat; 1. Occultari Matrimonium coram Eccleſia celebratum, & proindè contrahi cum illa intentione. 2. Ducere Concubinam in extremis. 3. Vetat perſonas civiliter mortuas Matrimonium contrahere: & nihilominùs hæc tria Matrimonii genera tolerat, ea dumtaxat effectibus Civilibus privando. Adjiciendum eſt, plures Juriſconſultos celebres, v. g. *Cujacium* & *Gothofredum* putaviſſe, Leges Romanas ita prohibuiſſe Nuptias Filiorum familias ſinè conſenſu Parentum factas, ut eas non annullarent; & GONZALEM *in Cap. 1. de deſponſ. impub.* eorum ſententiam amplexum eſſe. Viri ergò inſignes non exiſtimaverunt abſurdum eſſe Leges illas ejuſmodi nuptias eodem tempore prohibere, ac permittere, ſub diverſo reſpectu: prohibere, ratione boni privati Patrum, quorum autoritas ſic conſervabatur: permittere, ratione boni publici, quod [ut putant] exigebat ut ejuſmodi Matrimonia conſiſterent. Vid. *Gonzalem* loco laudato, & GERBAIS, in ejus *Tractatu pacifico*; ubi loquitur de defectu Conſenſûs Parentum. Quod eò notabilius eſt, quòd Leges laudatæ merè ac ſimpliciter prohibitivæ ſunt; & quædam ex illis utantur verbis, *non poteſt*, quæ dicuntur nullitatem trahere; Talis eſt Lex 2. *Cod. de Nuptiis*; quæ fert expreſsè, Nuptias ſine conſenſu Patris contractas, *conſiſtere non poſſe*; quâ in re, hi Juriſconſulti præbent occaſionem annotandi, peritiores viros eſſe negligentiæ, vel inadvertentiæ obnoxios; ſiquidem illi ipſi Juriſconſulti agnoverunt dictionem ſimilem trahere nullitatem in *Inſtitutionibus Juſtiniani* ergà Matrimonia in Gradibus prohibitis contracta. Vid. Objectionem 11. adversùs nullitatem Matrimoniorum ſinè conſenſu Parentum factorum *p. 163. & ſeq.* in *Doctrina Canonum* circà hanc rem.

Alia ſuperſunt exempla Legis merè prohibitivæ, quam famoſi Canoniſtæ putaverunt nullitatem non trahere. Tale eſt, *Cap. Roman. 5. de Sentent. Excom. in 6. §. in Univerſitatem*, abſolutè prohibens Collegia aut Univerſitates, excommunicare, his verbis: *In Univerſitatem vel Collegium proferre excommunicationis Sententiam penitùs prohibemus.* Nihilominùs *Fagnanus* poſt alios, exiſtimat, Excommunicationem contrà hoc interdictum latam, validam fore. Non igitur putavit Clauſulam Nullitatis ſemper ſubintelligi in Lege merè prohibitivâ; hìc enim valida ſubeſt ratio eam ſubintelligendi: ſcilicet, quia prohibitio facta eſt in gratiam Collegiorum, taliſque prohibitio, ſub auditâ nullitatis clauſulâ, favorabilior fuiſſet. *Vid. eumd.* Autorem *in Cap. Reſponſo. n. 114.* Præterea hìc agitur de prohibitione factâ per Concilium Generale *Lugdunenſe* I. An. 1245. & juxtà eumdem Autorem, Decreta illorum Conciliorum diſpoſitiones contrarias annullant, niſi ipſis expreſsè derogatum fuerit, *Cap. Nonnulli de Reſcript. & Cap. Ex parte, de Capellis Monachorum.*

Facilè foret hìc magnam vim exemplorum à *Concil. Trident.* ſumptorum, congerere: hinc enim peramplus eſt numerus prohibitionum quas tulit; indè verò *Fagnanus* idem, poſt *Congregationem* Concilii interpretem, affirmat, nullam eſſe ex iis prohibitionibus, quæ contrarios actus annullet, niſi eas quibus Clauſula Nullitatis inſerta fuit. *Cap. cùm acceſſiſſent. n. 30. & ſeq.* Aliquot laudare ſufficiet. Duo ſunt *Cap. 5.* SESS. XXIV. *de Reform.* Primum ſumitur à prohibitione diſpenſationis, ad contrahenda in gradu prohibito Matrimonia, concedendi, aliter quàm rarò, cum causâ, & gratuito. Aliud petitur ex prohibitione diſpenſandi in 2. niſi inter magnos Principes, & pro causâ publicâ: nihilominùs ejuſmodi diſpenſationes creberrimæ ſunt, & vulgò pro validis habitæ.

Ex dictis in hac *Diſſertatione*, ſivè in *Principiis* collectis, ſivè in Obſervationibus præcedentibus, ſivè in Teſtimoniis, in utriſque adductis, ſequi videtur, certum non eſſe Leges merè prohibitivas ex natura ſua annullare actus ipſarum diſpoſitioni contrarios; imò probabilius apparere, hunc effectum ex ſe ipſis non habere, ſed potiùs, vel ex Clauſula nullitatis, illis inſerta, vel ex verbis æquipollentibus huic Clauſulæ; vel ex uſu illas ſubſequente, ac per multos annos perdurante; vel ex materia ipſarum exigente, ut actus ſint nulli; vel ex duplici genere nullitatis, nempè ferendæ & latæ ſententiæ; nec ſinè hujuſmodi diſtinctionibus, conciliari poſſe Leges Canoneſvè, tùm Generales, tùm Particulares, ſibi invicem adverſantes, nec non Juriſconſultos & Canoniſtas inter ſe diſſidentes, ob apparentem hanc antinomiam.

TITULUS XIII.

Conjecturæ novæ circà veram originem CANONUM APOSTOLORUM, *accuratâ eorumdem cum* CANONIBUS QUINQUE PRIORUM SÆCULORUM *collatione, confirmatæ, quibus antecedunt* OBSERVATIONES, *ea quæ circà eosdem Canones certa sunt complectentes.*

PRÆFATIO.

SOlent, qui de *Canonibus Apostolorum* disserunt, eos duplici modo perpendere, generatim scilicet, ac sigillatim. Generatim discutiunt, 1°. Originem eorum ac vetustatem. 2°. Numerum. 3°. Authoritatem. Dùm verò hæc inquiruntur, sæpe evenit, ut certa à dubiis, vix secernantur; adeò ut, his illa obnubilantibus, post evolutas Dissertationes prolixas, non habeant quid sentiant Lectores. Hoc vitium fugientes, certis tantùm immorari satis habuimus; undè sequetur hoc commodum, fore, ut, licèt quædam circà hæc Capita ignorentur, teneantur tamen ea, quæ scitu sunt prorsùs necessaria.

Ubi verò Autores illi Canones Apostolorum sigillatim excutiunt, nihil aliud, ut plurimùm, curant, quàm uniuscujusque Canonis difficultates enodare, omissâ horum Canonum collatione, cum *Canonibus Quinque Priorum Sæculorum*. Quod si hanc comparationem perstringant, eò usque præconceptâ, de illorum vetustate, opinione, abripiuntur, ut quæsito, utrùm *Canones Apostolorum* ex aliis, an alii ex ipsis desumpti sint, secundùm Canones Apostolorum semper sententiam ferant.

His vitiis medebitur accurata collatio *Canonum Apostolorum*, cum Canonibus Quinque priorum Sæculorum, quorum cum Locus & Tempus certi sint, sicut Autores eorum ac Occasiones, generalesve saltem Causæ; *Canones* autem *Apostolorum* horum Capitum ratione sint incerti, ostendere conabimur, *Canones Apostolorum* ex illis fuisse desumptos; & proindè transferendo honorem à Canonibus incertæ authoritatis, in Canones authoritate indubitata præditos, his debitam existimationem restituemus. Hoc veritati nos debere putavimus officium. Valdè quidem optaremus, ut aliquis summi gradus eruditus id, quod molimur, præstare dignaretur; magnam quippè hoc opus desiderat notitiam Historiæ priorum Sæculorum, præcipuè verò Errorum, usuumque perversorum, atque modorum quibus utriusque generis mala sublata sunt. Studium tamen recludemus peritioribus, qui labori nostro succedere volent. Solatium nobis interim afferet plurimas difficultates enodavisse, circà Canones à commemoratis Conciliis laudatos, specimenque dedisse rerum in Primæva Disciplina insigniorum: putà, circà Electionem, Consecrationem, Translationem, & Residentiam Episcoporum; Irregularitatem ex mutilatione, vel ex naturali Corporis vitio, vel ex Bigamia, vel ex peccato mortali publico &c. provenientem; Cælibatum Clericorum; Collationem Baptismi, & Ordinum; Observationes Legales; Celebrationem Paschatis; Jejunium diebus Mercurii, Veneris, Sabbati, & Quadragesimæ frequentatum; Oblationes, Frequentem Communionem, Censuras, Divortium, Simoniam; Schisma; Celebrationem Synodorum; Jura Metropolitanorum, Administrationem Bonorum Ecclesiasticorum. Quod certo vigiliarum nostrarum pretio succedet, etsi præcipuum Conjecturarum nostrarum finem minùs feliciter attigerimus. Cæterùm, quantulumlibet attendatur, hinc finis Prolegomenorum magnis Operibus præfixorum, hinc scopus Dissertationis, quam adjicimus *Prolegomenis* CORPORIS JURIS CANONICI *in Regulas distributi*, patebit, illam eorum esse Partem, non solùm utilem, verum etiam necessariam. Norunt equidem Viri Litterarum periti ideò scribi *Prolegomena*, ut res generaliores per totum Opus vagantes exponantur, & sic vitentur crebræ repetitiones, quæ aliàs declinari nequeunt. Neminem latet præterea *Canones Apostolorum* locum obtinere inter Canones Quinque Priorum Sæculorum, ex quibus universa ferè coalescit Pars Prior Corporis Juris Canonici, nempè *Decretum* GRATIANI: Porrò, Dissertatio nostra (quod satis indicat *Titulus* & *Præfatio*, maximèque collatio ipsa) nihil aliud continet quàm expositionem istorum Veterum Canonum, in qua accuratè perpenduntur res Canonibus Conciliorum ejus ævi, & Canonibus Apostolorum communes. Eadem Dissertatio nostris Prolegomenis Juris Canonici in Regulas distributi adjicienda etiam videtur, ratione ejus, quam in ea adhibuimus, methodi. Nàm Observationes, quibus certa secernimus ab incertis, Regulæ sunt, ferè similes iis, quibus alia expressimus argumenta ibi pertractata; & Collatio constat serie Probationum in Observationibus laudatarum, & juxtà ordinem *Canonum Apostolorum* relatarum. Præterquàm quod, ad inferendam Prolegomenis nostri in Corpus Universum operis, nostram, in Canones Apostolorum, Dissertationem, movemur exemplo eorum, qui propter certissimam connexionem Canonum Apostolorum, cum Prima Parte Corporis Juris Canonici, & adjicere hanc Collectionem æquum duxerint, atque, eadem de causâ, Canones *Pœnitentiales* etiam inseruêre, sæpè in eadem Parte laudatos.

SECTIO PRIMA.

Ea quæ certa sunt circà CANONES APOSTOLORUM.

1. CANONUM APOSTOLORUM Autor, sivè Collector, illos APOSTOLIS supponere voluit, quod apparet ex his verbis, *Can.* 28. *Quemadmodùm Simon Magus à me Petro. Can.* 81. *qualis noster Onesimus. Can.* 85. *& actiones nostras Apostolorum*; tùm ex illorum Inscriptione, apud DYONISIUM EXIGUUM. *Incipiunt Regulæ Sanctorum Apostolorum prolatæ per Clementem Romanæ Ecclesiæ Episcopum*: & ex Titulo, quem præ se ferunt, in fine *Decreti* GRATIANI. *Canones Sanctorum Apostolorum, per Clementem, à Petro Apostolo Romæ ordinatum Episcopum, in unum congesti.*

2. Collectio hæc CLEMENTI fuit attributa: quod sequitur

quitur non solùm ex laudatis locis; sed etiam ex *Joanne Antiocheno*, qui, in Præfatione suæ Collectionis, ait, *Apostolos Clementis operâ hos Canones emisisse*; & ex Præfatione *Photii* in suum *Nomocanonem*, in qua disertè affirmat Canones Apostolorum, *Clementis opera* collectos fuisse.

3. *Clemens*, cui Collectio Canonum Apostolorum tribuitur, ille ipse est, cui Constitutionum Apostolicarum collectio pariter adscribitur: argumento est *Can.* 85.

4. Inter eos, qui Canones Apostolorum in suas Collectiones retulere, quidam existimaverunt, eos ab *Apostolis* fuisse confectos, vel dignos esse, qui tribuerentur Apostolis. Hoc innuit *Joannes Antiochenus*, initiò Collectionis sic loquens: *Discipuli & Apostoli Domini* 85. *Canones nobis transmisêre*. Idem patet ex loco, quem in fronte, ut plurimùm, obtinent, apud eos, qui Canones Ecclesiasticos, ex ordine temporis collegerunt. Falsum ergò Canones illos corrupto tantùm vocabulo *Canones Apostolorum* nuncupatos fuisse, pro Canonibus Virorum Apostolicorum.

Falsum est, præterea, à Viro pio exiisse hanc Collectionem; nisi mendacium gravissimum pietatis argumentum videatur. Hinc sequitur illos Canones à parente suo nullam autoritatem mutuari; imò propter fraudem, quâ Opus Apostolis indignum ipsis affingitur, penitùs esse rejiciendos, sicut à perspicacioribus diutissimè reprobati sunt.

5. Multa sunt momenta quæ inclinent ad credendum, hos Canones ab *Apostolis* factos non fuisse. I°. Quatuor Prioribus Sæculis sub hoc titulo, ut mox patebit, incogniti fuêre, quod scripto Apostolico repugnat. II°. Errori obnoxii sunt circà Hæreticorum Baptismum & Ordinationes. Præterea, difficultates dirimunt, aut Errores damnant, Tertiò tantùm, aut Quartò Sæculo ortos: quod patet ex *Canone* 51. Novatianorum, Donatistarum, Luciferianorum errorem damnante, qui docebant Lapsorum post Baptisma neminem, vel eorum qui in crimina quædam inciderant, admittendum: patet etiam ex *Canone* 65. Sabbatho jejunantes Clericos deponente, Laïcosque excommunicante. III°. Sancitis gravibus pœnis, interdicunt illi Canones id, quod ab Apostolis concessum videtur, per Decretum ACT. C. XV. ℣. 29. relatum, quod statuens circà Legis Mosaïcæ capita, donec plenius innotuisset Evangelium, à Gentibus observanda, solam à sanguine & suffocato abstinentiam imponit: Sed *Canon* 62. deponit Clericos aliquid à bestiis abreptum comedentes. IV°. Inducunt in errorem *Tertullianeo* similem; etenim *Canon* 46. significat, Baptismum per veros tantùm Sacerdotes conferri posse. V°. Usum præcipiunt Tribus prioribus Sæculis impossibilem; scilicet, duplicis Concilii celebrationem in uno quoque anno. C. 38. VI°. Si Canones Apostolorum antè Sæculum V. cogniti fuêre, certum est eos pro Apostolicis non fuisse reputatos, *Nicænum* enim Concilium *tres saltem Episcopos*, ad Ordinationem Episcopi, requirit; ast in 1°. *Apostolorum Canone*, Duo sufficiunt. *Canon* 5. ejusdem Concilii, duorum Conciliorum celebrationem quotannis præcipit, sicut 37. *Apostolorum*; tempus tamen diversum assignat. *Canon* 32. S. BASILII, ejusdem Sæculi, ac Canones *Nicæni*, jubet Clericos pro peccatis ad mortem deponi tantùm: plures autem è Canonibus *Apostolorum* ejusmodi reos deponunt, & excommunicant. Tales sunt *Can.* 28. 29. & 51. 64. VII°. *S. Augustinus* & *Innocentius I.* Pontifex, putaverunt, eum, qui, uxore antè Baptismum ducta, aliam baptizatus habuerit, esse Bigamum, & promoveri non posse ad Ordines; *Canon* 16. insinuat illud non accidere, nisi ambas post Baptismum acceperit. VIII°. Controversiæ circà Baptismum ab Hæreticis collatum, & Diem celebrandi Paschatis, minùs diuturnæ fuissent, siquidem *Canon* 7. vetat Pascha cum Judæis comedere, & *Canones* 46., 47. Baptismum Hæreticorum disertè reprobant. Denique Concilium *Calcedonense* deponit tantùm Clericos, qui pecuniâ datâ Ordines, aut aliquod Officium Ecclesiasticum, adepti sunt: at *Canon* 29. *Apost.* eos præterea excommunicat.

6. Antè Sæculum *Quintum* nullum extrà controversiam testimonium Canonum *Apostolorum* Collectionem commemorat. Primum ejusmodi subministrat *Dyonisius Exiguus*, in sua *Præfatione*, exeunte V. Sæculo scripta. Nec juvat objicere *Gelasium* Pontificem, *Dyonisio* vetustiorem *Cap. Sancta Romana*, de Canonibus *Apostolorum* loqui. Illud enim *Capitulum* suppositicium videtur eruditis, eòque magis, quòd incredibile est *Dionysium*, Romæ degentem, Opus ab Apostolica Sede damnatum, in Concilio 70. Episcoporum, & inter Hæretica aut Schismatica numeratum, vertere voluisse, nullâ Canonum Erroneorum factâ secretione; quales sunt 46. 47. Imò satis probabile est, mediante Sæculo V. Canones *Apostolorum* nondùm innotuisse: *Primus* enim Canon Concilii *Calcedonensis*, anno 451. habiti, omnes confirmans Canones, de Canonibus in Concilio factis solùm loquitur. Verba sunt: *Qui à suis Patribus in unaquaque Synodo expositi sunt, observari Canones æquum censuimus*. Observandum est *Sextum* Concilium Generale Anni 692. *Can.* 2. in Confirmatione Canonum, qui à Superioribus Conciliis facti, recepti, aut confirmati fuerant, inseruisse Canones *Apostolorum* dictos; tùnc enim noti erant, & adprobati. Undè colligi potest, Concilium *Calcedonense* simili modo locuturum fuisse, si eos cognovisset.

7. Circà tempus quo *Dionysius* vulgavit 50. *Canones Apostolorum*, JOANNES *Antiochenus* 85. commemorat, quorum plerosque in sua Collectione refert. Undè, ex eò quod plures à *Dionysio* non sunt editi, non sequitur cæteros nondum fuisse collectos; sed eum ab interpretatione eorum abstinuisse, vel eos omninò ignorasse. Porrò, inter 50. *Dionysii*, quidam sunt Erronei. Tales proculdubio sunt *Canones* 46. 47. qui Baptismum ab Hæreticis collatum, sine ullo discrimine reprobant, & falsi Sacerdotis Baptismum invalidum esse significant.

Quidam sibi mutuò adversari videntur. Tales sunt *Canon* 24. & *Canon* 28. 29. Duplici pœna delictum unicum puniendum non esse asserit, *vigesimus-quartus*; & ideò Clericum in fornicatione, perjurio, furto &c. deprehensum, deponi simùl & excommunicari non debere, ne duplicem pœnam idem peccatum luat: At 28. & 29. deponunt, & excommunicant Episcopum, Sacerdotem, Diaconum, qui pecuniâ datâ suam dignitatem adepti sunt. Idem *Can.* 24. non magis cum 51. & 63. quàm cum 28. & 29. concordat.

Occidentalis Ecclesiæ Disciplinæ quidam sunt oppositi. Tales sunt *Can.* 16. qui Bigamiam, Baptismo anteriorem, pro nihilo ducit, & *Can.* 20. qui Eunuchos sivè ab ortu, sivè alienâ sectos malitiâ, admittit ad Ordines.

Verosimile est igitur, *Dionysium* reliquos non omisisse, quia erronei aut discordantes, vel ab Ecclesiæ Romanæ Disciplina discrepantes sunt; sed quia eos non cognovit.

8. Cùm transferebantur à *Dionysio*, à pluribus rejiciebantur, ut ipse testatur, in suæ Collectionis Præfatione; *quibus quia plurimi consensum non præbuêre facilem, hoc ipsum &c.* At rejici non poterant, nisi ab Apostolis, quorum nomen gerebant, abjudicandi, & fœtus alicujus falsarii visi fuissent. Neque enim Opus majore sui parte bonum, generaliter reprobandum est, vel saltem propter inspersos errores; satis enim fuisset monere, illud cautè legendum esse, sicut observatum fuit ergà quædam scripta, quibus accommodatur illud Apostoli. *Omnia probate, quod bonum est tenete.*

9. Pessima foret ratiocinatio: Disciplina, quam Canones illi exhibent, vetus est, & priora Sæcula sapit,

ſapit, ergò ſunt antiqui, & primorum Sæculorum. Veteres enim pariter forent Libri ſpurii *Dyoniſii Areopagitæ*, & *Conſtitutiones Apoſtolicæ* IV°. Sæculo juniores.

10. Quod attinet ad Canones, qui à Nicænis, Ancyranis, Neocæſarienſibus, Gangrenſibus, Antiochenis, non niſi in verbis differunt, credibilius eſt Collectorem Canonum Apoſtolorum, ex illis Conciliis illos decerpſiſſe, quàm Concilia ex illis Canonibus ſuos ſumpſiſſe. Nàm Canones Conciliorum extrà omnem controverſiam ſunt; Canones *Apoſtolorum* in dubium vocantur, illique antè hos ſunt editi. Nec aliis prorsùs de cauſis falſarum *Decretalium* ſuppoſitio colligitur. Quî fieret, inquiunt, ut Canones, Epiſtolæ, Leges, notitiæ multò antiquioris quàm *Decretales*, & certiſſimæ veritatis, ex novitiis & ſuſpectis Inſtrumentis Loca utriuſque Communia mutuati eſſent: nunquam certum ex incerto, ſed hoc ex illo eruitur.

11. Licèt Concilia Ancyranum, Nycænum, & Antiochenum, Canones antiquiores laudant, aut commemorant; indè verò inter Canones *Apoſtolorum*, quidam ſimilia præcipiant, ac illi Canones, non licet inferre, Canones à Nycænis, Ancyranis, Antiochenis Patribus laudatos, aut commemoratos, eoſdem eſſe, ac ſibi ſimiles Canones *Apoſtolorum*. Longè minùs, ſcriptos fuiſſe, tùm cùm laudarentur, aut commemorarentur. Regulæ enim non ſcriptæ pariter cum ſcriptis appellantur, conſuetudine vim Legis, uti ſcripta Lex, obtinente: præterquàm quòd hæ commemorationes facilem illorum Canonum fabricationi occaſionem aperuerunt, ut obſervant Critici, circà plura Opera, quæ ex ſimilibus laudationibus ſuam originem ducunt.

12. Quidam è Canonibus ab Ancyrano laudatis, inter Canones *Apoſtolorum* non leguntur. Exemplo ſunt *Can.* 21. & 22. In primo dicitur, *priorem* definitionem mulieribus abortum ſibi per medicamenta procurantibus Communionem in morte tantùm concedere; poſteriorem verò poſt decennem pœnitentiam. Alter docet *priorem* definitionem ab homicidis non voluntariis Luctum ſeptennem deſiderare; poſteriorem verò, quinquennem tantùm. At nihil ſimile occurit in Canonibus *Apoſtolorum*. Ejuſdem Concilii *Canones* 19. & 24. addimus, ex quibus eruitur: 1°. Bigamis pœnitentiam imponi, cujus tempus Canonibus erat definitum, ut ſignificant hæc verba, *Bigamorum definitionem impleant*: hanc ſententiam amplexus eſt ZONARAS, in ſuo in hunc Canonem *Commentario*. 2°. Alium Canonem quinquenni pœnitentia Ariolos ſubjicere, eoſque à quibus conſulebantur, vel ad ægrorum curationem vocabantur. Nuſquàm autem in Canonibus *Apoſtolorum*, Ancyranorum Canonum hæc præcepta continentur. Undè ſequitur alias fuiſſe regulas veteres, à Canonibus *Apoſtolorum* diverſas, quæ ab antiquis Conciliis tàm potuêre laudari, quàm Canones Apoſtolorum.

13. Inter commemoratos, aut laudatos à veteribus Conciliis Canones, quidam *Scriptorum Canonum* more referuntur: tales ſunt *Cap.* 5. *Nicæni*, & 23. *Antiocheni*; Prioris verba ſunt, *de iis qui à Communione ſegregati ſunt, ſivè Clericorum, ſivè Laïcorum ſint ordinis, ab Epiſcopis, qui ſunt in unaquaque Provincia, valeat ſententia ſecundùm Canonem, qui pronuntiat eos, qui ab aliis ejecti ſunt, non ab aliis admittendos.* Ipſius enim Canonis verba referri videntur. In poſteriore ſic loquitur Antiochenum; *Servetur ritus qui dicit, non aliter debere fieri Epiſcopum, quàm cum Synodo & Judicio Epiſcoporum, qui, poſt dormitionem defuncti, poteſtatem habent dignum provehendi.*

Canones à Nicæna & Antiochena Synodo laudati velut *Scripti*, non reperiuntur, quoad terminos, in Collectione Canonum *Apoſtolorum*. Soli 16. & 32. hujus Collectionis ad *Nicænum* poſſunt referri; at in illis cernitur tantùm accomodatio imperfecta regulæ generalis à *Nicæno* laudatæ. Vetant enim dumtaxat ſuſpenſos à ſuis Epiſcopis Clericos, ad Eccleſiaſtica munia admitti, & abſolvi Sacerdotes & Diaconos Communione per ſuum Epiſcopum ſegregatos. Unus eſt in hac Collectione Canon *Antiocheno* conſentiens, 76. ſcilicet. Sed in prima ſui parte tantùm, quæ declarat, *quod non oportet Epiſcopum fratri, filio, cognato gratificantem, ad Epiſcopatûs dignitatem, quem vult eligere.*

Porrò, hæc Definitio eſt tantùm unum è Conſectariis Canonis ab *Antiochena* Synodo laudati: nàm ideò Epiſcopus ſuum Succeſſorem eligere non poteſt, quia Electio Epiſcopi ad Comprovinciales Epiſcopos pertinet, idque poſt dormitionem ejus, qui Epiſcopatum obtinebat.

14. Cùm Definitiones in Canonibus Apoſtolorum contentæ Scriptura Sacra nituntur, minimè dicendum eſt, Concilia eaſdem Definitiones ex illis Canonibus hauſiſſe, licèt illos antiquiores eſſe conſtaret. Sic colligi non poteſt Concilium *Calcedonenſe*, dùm Clericos & Monachos ſollicitudinem temporalem, exceptâ miſerorum cauſâ, pœnis Canonicis propoſitis, ſuſcipere vetat, hanc prohibitionem ex Canonibus *Apoſtolorum* excerpſiſſe, qui *Can.* 6. deponunt Clericos negotiis Sæcularibus immixtos, *C.* 81. eâdem pœnâ feriunt Clericos Rempublicam adminiſtrantes, & *C.* 83. eos qui Sacerdotio, Romanos honores, aut Exercituum Regimen copulare præſumunt. Ratio eſt, quòd hæc definitio Scripturâ nititur. Non ſolùm quippè, ait PAULUS, *militans Deo non implicat ſe negotiis Sæcularibus*, verùm CHRISTUS ipſe monet, *neminem poſſe duobus Dominis ſervire; reddendum Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei Deo.* His etiam CHRISTI verbis, quæ in probationem adducuntur, ſtabiliuntur *Canones* 81., & 83. Idem dicendum eſt de *C.* 2°. *Nicæno*, & 10°. *Sardicenſi*; ſcilicet, etiamſi Canon *Apoſtolorum* Neophitorum Ordinationem, ac maximè ad Epiſcopatum promotionem vetans, duobus mox laudatis antiquior foret, hoc non probare, ex hoc illos fuiſſe deſumptos.

15. Inter Canones Conciliorum Sæculo VI. anteriorum, qui alios Canones laudant, quidam dubio procul Conciliorum præcedentium Canones laudant. Exemplo erit *C.* 23. *Antiochenus*, qui alium appellare non poteſt, quam IV. *Nicænum*, qui ſolus tùnc temporis Electionem Epiſcopi à Concilio Provinciali faciendam eſſe declarabat. Item *C.* 1. *Laodicenus*, qui alium laudare nequit, quàm 3. *Neocæſarienſem*, quo vetuſtior Canon non extat, qui Bigamos pœnitentiæ ſubjiciat. Item *C.* 2. *primi Conſtantinopolitani*, qui 6. & 7. *Nicænos* expreſsè commemorat. Item *C.* 6. *Conſtantinop. ejuſdem*, qui alterius Concilii *Conſtantin.* Decretum refert. Item *C.* 28. Concilii *Calcedonenſis*, qui *C.* 3. *Conſtantinop.* I. laudat. Item *C.* 12. *Codicis Eccleſiæ Africanæ*, qui Canones à ſe laudatos, *Statuta veterum Conciliorum* nuncupat. Ejuſdem ſunt conditionis Canones illius *Codicis*, qui alios Canones laudant. Quo enim tempore confecti fuere illi Canones, alii non cognoſcebantur in Africâ, quàm *Nicæni & Africani.*

16. In iiſdem Conciliis V. priorum Sæculorum, nulli, præter eos quos commemorabimus, & qui modò relati ſunt, alios Canones laudant. Ii ſunt *Can.* 1. 2. 6. 9. 10. 13. 15. 16. 18., *Nicæni*; *C.* 8. *Epheſinus*, *Can.* 5. 8. 9. 14, 19. 24. 26. *Calcedonenſis*. *C.* 14. *Ancyranus*, *Can.* 2. 3. 9. 21. *Antiocheni*, *Can.* 1. *Laodicenus*, *C.* 11. *Sardicenſis* 1. *Epiſt. Canonicæ* S. BASILII *Can.* 3. 12. 81.

Canones autem ab annotatis Canonibus laudati, alii ſunt, quàm *Can. Apoſtolorum*, quod de ſingulis ex ordine probandum, prout illos retulimus, & eos in ſuo *Codice* compoſuit *Dyoniſius.*

Canon 1. *Nicæni Conc.* Canones 21. 22. 23. *Apoſtolorum* laudare videtur; cùm idem ſtatuat, ac illi Canones. Scilicet, ut Eunuchi, quos hominum malitia aut medicorum præſcriptio exſecuit, non obſtante hoc vitio, in ſuis Ordinibus maneant, vel ad

eos

eos promoveantur; quod si semetipsos secuerint, neque accipiant, vel acceptos retineant. Præterea, de primis ait, illos à Canone admitti, modò virtutibus requisitis non careant. Sed probabile est, per *Canonem*, Regulam *non scriptam* intelligi à Concilio. Nam, præterquam quòd Concilio mos est Canonum scriptorum ipsos terminos referre, *Can.* 5, si Concilium Canones *Apostolorum* laudare voluisset, non solam dimidiam Canonis partem, sed etiam alteram, quæ majoris videtur momenti, Canone confirmasset: At non appellat Canonem, nisi pro Eunuchis, per alienam malitiam sectis; Canones verò *Apostolorum* statuunt etiam de iis, qui se ipsos secuêre. Adjici potest, hos Canones perfectè sibi non congruere: nàm *Canon Nicænus* de spadonibus tacet, *Canon* 21. *Apostolorum* eos complectitur, iisque annumerat eos, qui alienâ malitiâ tales sunt. Aliundè Concilium statuit contrà eos, quos exsecuit medicorum præscriptio, qui omittuntur à *Canon. Apostolorum.* Concilium barbaris adjicit dominos, qui servos suos secant: de ejusmodi Eunuchis tacent Canones *Apostolorum.* Concilium non docet cur ille, qui se ipsum secuit, ab Ordinibus excluditur, eorumve exercitio: rationem affert 22. *Apostolorum Canon*, eum sui ipsius homicidam, divinique operis eversorem esse.

Tantùm est inter *Can.* 2. *Nicænum*, & 80. *Apostolorum* discrimen, ut verosimile sit hunc ab illo non laudari; licèt circà eandem rem statuant, his verbis, *præter Ecclesiasticum* Canonem, aliquis à Concilio Nicæno Canon laudari videatur, nobisque nullus alius supersit qui potuerit afferri.

Equidem, in utroque, de arcendis ab Ordinibus Neophitis agitur, hujusque exclusionis afferuntur rationes. Sed Canon *Apostolorum* recèns absolutos pœnitentes Neophitis adjicit, utrosque ab Episcopatu tantùm excludit; rationem affert, non decere eum, qui nondùm constantis fidei, pietatisque specimen dedit, aliis præfici; denique excipit casum, quô Deus ipse evidenter eos ad hanc dignitatem vocat, quandò nimirùm voluntatem suam de hujusmodi viris aperit.

Concilium *Nicænum* de Neophitis recèns fidei mancipatis dumtaxat, & iis, qui, breviori in Cathechumenatu tempore transacto, satis post Baptisma probati non fuere, loquitur. Eos ab Episcopatu non solùm, verùm etiam à Sacerdotio excludit, duplici de causa. *Prima* est, ejusmodi homines longâ probatione indigere, quâ se infirmos, & muneri robur eximium desideranti impares esse, discant. *Altera* indè fluens à PAULO sumpta est ad verbum, *ne inflatus incidat in judicium, & in laqueum diaboli.* Difficillimè quippè infirmi resistunt tentationibus in hoc fastigio frequentibus. Tres hujus Canonis interpretationes, *Gentiani Herveti*, *Dyonisii Exigui*, & *Isidori Mercatoris*, licèt verbis discrepantibus, expositioni nostræ planè congruunt. Vid. TOM. II. CONCIL. *pag.* 27. 39. 45. Deniquè jubet Neophitos neglectâ sanctione hac ordinatos, deponi; quæ cautio abest à Canonibus *Apostolorum.*

Addere juvat, hæc verba, *præter Ecclesiasticum Canonem*, legi tantum in præfatione Canonis hoc modo; *quoniam multa, vel necessitate, vel urgentibus alioqui hominibus, præter Ecclesiasticum Canonem facta sunt*, (GENT. HERVET.) Huic præfationi Concilium duas subnectit definitiones. Priorem retulimus circà Neophitos; posterior deponit eum, qui duorum, triumve testimonio, animalis peccati, post baptisma perpetrati convictus est. Si de significatione horum verborum, *animalis peccati*, concordarent eruditi, facilè detegeretur, utrùm secunda Præfationis commemoratæ Pars, in aliquo *Apostolorum Canone* reperiatur, an inter Canones Concilii *Nicæno* anterioris? Nàm, si per hæc verba, *animale peccatum*, fornicationem intelligamus, manifestum est *Can.* 17. *Apostolorum*, & *Cap.* 9. *Neocæsar.* idem statuere quod *Nicænus*: Cum hoc tamen discrimine, quòd *Concilium Neocæsarienf.* disertè agat de Clerico, se, antè ordinationem, peccatum carnale admisisse, confitente, eumque à celebratione Mysteriorum arceat in perpetuùm, vel, deficiente probatione, conscientiæ dimittat; *Canon Apostolorum*, agat de Laïco, qui Concubinam post Baptismum habuerit, eumque ab Ordinibus excludat; *Canon* autem *Nicænus*, prout apud *Beveregium* legitur, loquitur disertè de Clerico criminis hujus post Baptismum convicto. Prout in *Codice Ecclesiæ Universalis*, & à *Dyonisio* Exiguo refertur, ambiguus est; & de Laïco, ejusque promotione, vel de Clerico, ejusque depositione, potest intelligi. Hæc enim verba, *abstineat à Clero*, tàm significant ab accipiendis, quàm ab exercendis abstineat Ordinibus; & pœna in violatores hujus Canonis proposita utrique sententiæ congruit: ille enim, qui, invitis Canonibus, promovetur ad Ordinem, & is, qui, contempta Juris suspensione, sui ordinis munia obit, depositionem pariter merentur. Aliud etiam discrimen observari potest. Canon Apostolorum de iterato delicto statuit, *Concubinam habuerit*: Cæteri, de unico peccato loquuntur. Jamverò, si *peccatum animale*, flagitium atrocius significet, ex eorum numero quæ vocantur à *Joanne* peccata ad mortem, *Canon Nicænus* intelligit alium Canonem, sivè scriptum & amissum, sivè non scriptum: solus enim è superstitibus 32. *Basilianus* huic argumento congruit, sed *Nicæno* junior est.

61. *Nicæni* tres sunt Partes, numeris peculiaribus in *Codice Ecclesiæ Romanæ*, à *Quesnellio* edito, distinctæ; scilicet, sub signis 10. 11. 12.

Ex his sola ultima ad institutum nostrum pertinet, cujus tot sunt interpretationes, quot Canonum Codices: sed eadem est omnium sententia, licèt verba discrepent: Scilicet, quando occurrit, ut duo, vel tres, studio acriori intercedant Electioni communi, Provincialium Episcoporum consensu factæ, nec non rationi à Canonibus Ecclesiasticis consentaneæ, pluralitatem suffragiorum vincere debere. Porrò, hanc esse mentem hujus Canonis patebit legenti eum, prout est in *Codice Universalis Ecclesiæ*, in veteri hujus Codicis Versione, in Codice *Dyonisiano*, in *Beveregianis Pandectis*, in *Codice Ecclesiæ Romanæ.* Idem Canon eundem habet intellectum, quoad hanc causam, apud *Martinum Braccarensem*, *Part. I. Cap.* 3. ait enim, *Si quis Electionem secundùm Canones factam contradicat &c.* Undè sequitur, Concilium *Nicænum* nullum Canonem peculiarem laudare, sed Ecclesiasticas regulas intelligere, sivè scriptas, sivè non scriptas; ac proindè, Canonum Apostolorum vetustatem hoc testimonio nullatenùs adjuvari. Aliundè constare debet Concilium *Nicænum*, etsi peculiarem aliquem Canonem proferret, nullum laudare ex *Canonibus Apostolorum*, quia nullus est, qui præcipiat rem tantisper ad *Nicæni Canonis* statutum accedentem; undè aliud colligitur, scilicet, ex hac locutione, *secundùm* vel *adversùs Canonem Ecclesiasticum*, non posse deduci, Concilium Nicænum Canones *Apostolorum* laudare, quamvis illud, quod Canone Ecclesiastico juberi, vel Canoni adversari, adfirmat, præceptum foret, aut vetitum in Canonibus *Apostolorum*; & nihil tale in vetustioribus *Nicænô* Conciliis occurreret; cur enim ibi, sicut hîc, Regulas Ecclesiæ, sivè scriptas, sivè non scriptas, generatim non appellaret.

Can. 9. *Nicænus* aliter intelligi nequit quàm 6. ejusdem Concilii. Quod ut pateat, ejus sententiam & verba nos attinentia subjiciam: *Si quis omissâ inquisitione promotus ad ordines, post ordinationem crimina ab ordinibus excludentia confiteatur, vel si ante ordinationem eadem confessio, adversùs Canonem, manus impositæ sunt, tales Canon non admittit.*

Circà hunc Canonem duo sunt discutienda, 1°. Utrùm aliquem singularem *Canonem* laudet? 2°. Utrùm ille sit inter Canones Apostolorum?

Primò quidem notandum est, verbum *Canon*, bis in hoc Canone adhibitum, eandem habere significationem; & Canonem, quo adversante conferuntur ordi-

ordines viro, propter peccatum ab iis excludendo, eundem esse ac qui non admittit ejusmodi hominis ordinationem. Quibus positis, videtur, Concilium singularem Canonem non laudare; sed verbum *Canonis* usurpare, pro recto ordine, & recta disciplina, seu rectam rationem intelligere, quæ jubet, ut eo tempore, quo plerorumque Christianorum castissimi mores erant, eorum Præpositi baptismali innocentia præditi essent. Sic saltem eum interpretata est Versio antiqua *Codicis Ecclesiæ Universalis*, per *Justellum* relata *Tom. I. Biblioth. Juris Canonici*, ut significant hæc verba, *ordinem & disciplinam*, quibus usa est, cæteris *Canonem* scribentibus; hoc verbum eundem habet intellectum in *Codice Romanæ Ecclesiæ*.

Si Concilium *Nicænum* hunc sensum verbi *Canon* habuisset., nulla superesset difficultas circà posterius caput nobis excutiendum. Sed, si Concilium illud vulgariter intelligat, & aliquem *Canonem* singularem appellet, dicendum est Concilium non laudare Canones *Apostolorum*, quia definitio Canonis *Apostolorum* est tantùm consecutio & exemplum regulæ à *Nicæno* allatæ. Nàm, ex eò quòd ab Ordinibus arcendi sunt, qui peccata lethalia, post Baptismum admisêre, sequitur eum, qui Concubinam habuerit, non esse admittendum.

Canon laudatus à *Canone* 10. *Nicæno*, unus ex *Ancyranis* potiùs, quàm ex *Canon. Apostolorum* videtur, ut probat eorum collatio, quæ sequitur. *Quicunque ex iis qui lapsi sunt, vel per ignorantiam, vel scientibus iis qui promoverunt, ordinati sunt, hoc Ecclesiastico Canoni non præjudicat. Ei enim cogniti deponantur.* Hæc sunt verba *Canonis* 10. *Nicæni*, prout refertur apud *Beveregium*. Cæterorum Interpretum eadem ferè sunt verba. In eodem *Beveregio*, sic legitur 12. Ancyranus. *Eos qui ante Baptismum sacrificarunt & postea baptizati sunt, visum est ad ordinem promoveri, ut qui abluti sunt.* Iisdem ferè vocibus redditur à cæteris Interpretibus.

Canon *Apostolorum*, causæ adfinis, est 62. & sic statuit: *Si quis Clericus propter metum humanum Judæi, vel Græci, vel Hæretici negaverit, siquidem nomen* CHRISTI, *ejiciatur; sin autem nomen Clerici, deponatur.*

Ex Collatione horum Canonum, patet: 1°. Eos in hoc convenire, scilicet, violatæ fidei crimen, sivè ab Idolis sacrificantibus, sivè CHRISTUM negantibus, admissum, à promotione ad Ordines eorumque exercitio excludere. Constat 2°. in eo discrepasse, quòd *Nicænus Canon* nominatim declarat, etsi promoti peccatum sciverit Episcopus, qui eum promovit, tàm deponi eum debere, quàm cùm illud ignoravit Episcopus. Nihil simile in duobus aliis occurrit. Præterea, diserte statuit violatæ, post Baptismum, fidei reos, à subsequentibus Ordinibus deponendos; per lapsos enim designantur ei, qui fidei renuntiaverunt.

Hoc tantùm insinuat *Canon Ancyranus*, declarando propter abjectam in Catechumenatu fidem, baptizatum ab Ordine non excludi, apertéque idololatriam intelligit. *Canon Apostolorum* de idololatria non loquitur; verùm de CHRISTO, aut de Clericatu negato; CHRISTI negationem, non solùm depositione, sed etiam excommunicatione punit. Excommunicatio enim Clericorum, si major sit, quæ designatur per verbum *ejiciatur*, id est, extrà communionem collocetur, depositionem continet. Sed hoc amplius est, ille *Canon*, De Clerico, qui fidem violavit, loquitur; quæ circumstantia crimen auget: cæteri de Laïco loquuntur.

Igitur, ex hac Collatione sequitur Nicænum, Ancyrano magis quàm *Apostolorum Canoni* accedere, ambo enim priores de crimine Laïci, posterior de crimine Clerici, agunt. Ergò, si Nicænus aliquem Canonem laudat, Ancyranum potiùs laudat. Satis autem Canones Nicænus & Ancyranus discrepant, ut hunc ab illo non laudari credibile sit: Undè, cùm nullus superstit antiquus Canon, idem quod Nicænus præcipiens, hæc verba, *hoc non præjudicat Canoni*, satis aptè intelliguntur de Regula *non scripta*, sivè Episcopus promovendi vitium sciviſſet, sivè ignoraviſſet, ex æquo servanda.

Fortè quis mirabitur, notitia defectus promoti, quam habet Episcopus, non obstante, promotum deponi, tùm cùm dispensandi facultatem quàm maximam haberent Episcopi, eóque magis, quòd hodiè, cùm is, qui de impedimentis Ordinum dispensare potest, si promovendi vitium cognoscit, eumque nihilominùs promovet, cum eo dispensaviſſe præsumitur. Sed cadit admiratio, si verum *Canonis* sensum exhibet *Ecclesiæ Romanæ Codex*: apparet enim ex illa Versione, Canonem de Episcopo loqui, qui justâ dispensationem non exigente causâ & contemptu, ordinem confert ei, quem fidem violaviſſe noverat. Ipsa Versionis verba subjicio, *quicunque . . . ignorantia vel contemptu eorum qui ordinaverunt, ordinati sunt &c.*

Lex Ecclesiastica à 13. *Canone Nicæno* laudata, in nullo veteri Concilio, neque inter Canones *Apostolorum* legitur. Fert ea Lex, pœnitentium neminem morti proximum ultimo, & maximè necessario viatico id est, reconciliatione, privandum esse, quæ sola est auxilium magis in hoc transitu necessarium, quod impertiri homines possint. Hanc interpretationem confirmat titulus Canoni præfixus in Versione veteri, & in Codice Ecclesiæ Romanæ, sic enim concipitur, *de reconciliatione danda morientibus* (in Veteri Versione): *pœnitentibus* (in Codice Ecclesiæ Romanæ.)

Si quis autem contendat *Sextum Ancyranum* eum ipsum esse qui laudatur à 13. *Nicæno*, fatebimur quidem in fine hujus 61. *Canonis*, juberi, ut detur communio pœnitentibus in morte: quin etiam in Versione Codicis Ecclesiæ Universalis, pro his verbis, *in morte*, scribi, *secundùm Canonem*; sed apud *Dyonisium Exiguum* & *Beveregium*, in loco verborum, *secundùm Canonem*, legi, *sub definitione*; in veteri autem Versione, sæpiùs à nobis commemorata, his verbis *sub definitione*, substitui hæc, *sub hora*, quæ tempus mortis indicant. Præterquàm quòd etiam, si in Canone *Ancyrano* laudaretur Canon, urgente morte dandam semper communionem statuens, non Canonem Ancyranum laudaret *Nicænus*, sed eum potiùs, qui ab Ancyrano profertur. Denique, Canon Ancyranus, respectu Concilii Nicæni, recentior est; ut, quasi Lex Antiqua potuerit à Concilio laudari.

Porrò: hic *Canon* aliqua suspicione Concilium *Eliberitanum* aspergere videtur: hujus enim Concilii plures Canones communionem morientibus negant, & de reconciliatione intelliguntur: ille tamen *Osius*, maximæ inter Nicænos Patres authoritatis, huic præsederat. Quî fit igitur, ut, quæ non semel in Eliberitano probaverat, dilucidissimè damnaverit in Nicæno? Quâ ratione sivit ille, Patres Nicænos testari, lege antiquâ & canonicâ cautum esse, ut reconciliatio nemini pœnitenti, instante morte, negaretur? Ille, inquam, qui eam in pluribus Casibus recusandam præcepit, in Eliberitano, numquid sententiam recantare solemniter voluisset?

Huic objectioni occurritur, ex eo, quòd illa graviori mole *Sardicense* Concilium premeret; in eo quippè, quibusdam in casibus recusandam morientibus reconciliationem, censet *Osius*. Itaque, si ad purgandam *Osii* sententiam, in Canonibus Eliberitani Concilii, reconciliationem morienti negantibus contentam, suspicemur eum ignoraviſſe legem in Nicæno commemoratam: hoc Sardicenses Canones non dilueret, qui, certis in casibus, reconciliationem morituro pariter negant. Illa enim Lex Concilium Sardicense non potuit latere.

Idcircò, ne diutiùs immoremur huic Objectioni nimis, & propterea, nihil probanti, breviter dicendum est, Concilium Nicænum de iis agere, qui inter

ter pœnitentes publicos adscripti fuerant, Eliberitanam verò, nec non Sardicensem Synodum, de iis intelligi debere, qui non fuerant admissi.

Sed, ut redeamus ad Institutum, à quo tantisper superioris difficultatis enodatio nos avocavit, Lex à Concilio Nicæno laudata in nullo Canone anteriore existens, novum nobis exemplum suppeditat, id, quod sæpiùs jam asseruimus, confirmans, scilicet, Regulas *non scriptas* à Concilio laudari, ac proindè malè concludi: Concilium Nicænum aliquam commemorat regulam, quæ, inter Canones *Apostolorum* versatur; ergo lex antè Concilium scripta erat; ergo Canones *Apostolorum* Concilio sunt vetustiores. Regula enim à Concilio laudata fortè scripta non fuit, tùm etiam cùm à Concilio adduceretur, & posteà inter Canones *Apostolorum* fuit collocata.

Quamvis *Canones Apostolorum* 14. & 15. perindè ac *Nicænus* 15. translationes prohibeant, suamque prohibitionem hìc ideò proferat, quòd Canoni adversantur, vero tamen simile non est, Nicænam Synodum eò loci Canones Apostolorum intelligere.

Ratio enim, propter quam Concilium Nicænum Episcopum transferri vetat, translationibus justis, id est, authoritate legitima, cum justa causa concurrente, factis, communis est & injustis, id est, quibus alterutra harum conditionum deest. Possunt quippè translationes justæ tumultus & seditiones parere. Quæ causa à translationibus extranea Concilium impulit, ut utrumque translationum genus prohiberet; Canones Apostolorum translationes injustas tantùm prohibent, nihilque in iis præter earum iniquitatem attendunt.

Concilium *Nicænum* nullam excipit circumstantiam: *Canon* 14. *Apostolorum* casum excipit, quò Episcopus Ecclesiæ, ad quam transire meditatur, utilior esset, fieretque translatio *multorum Episcoporum judicio*, & maxima exhortatione.

Concilium Nicænum transeuntes non punit; sed eos Ecclesiæ suæ restitui jubet: *Canon* 15. *Apostolorum* punit Presbyteros, Diaconos, & cæteros Clericos, qui inconsulto migravêre Episcopo; eos enim à Cleri communione dividit; præsertim si, hortante reditum Episcopo, in Ecclesia, ad quam migraverunt, commorentur.

Concilium Nicænum de Episcopis, Sacerdotibus, & Diaconis tantùm loquitur: *Canon* 15. *Apostolorum* Clericos inferiores illis adjicit.

Ergò, cùm tantum sit discrimen inter *Canonem* 15. *Nicænum*, & 14. & 15. *Apostolorum*, meritò diximus, à vero abesse, Concilium Nicænum hos Canones laudavisse. Quibus positis, cùm nullus existat Canon Nicænâ Synodo anterior, qui eandem, circa translationes, definitionem, contineat, probabile est Concilium eò loci Regulam non scriptam commemorare.

Canon 16. *Nicænus* etiam de translationibus agere videtur; sed reverâ de peccato non residentium loquitur: ac præterea, ratione personarum, à superiore in eo differt, quòd ille de Episcopo, Sacerdote, Diacono, loquatur; hic autem, de Episcopo minimè, sed facta compensatione, Sacerdoti & Diacono eos omnes adjiciat, qui Catalogo Clericorum continentur. Mali originem aperit, ejusque medicinam. Causa mali in eo est, quòd non residentes præ oculis timorem Dei non habent, neque *Canonem*. Hujus vocabuli occasione, hunc Canonem discutimus, quid hic significet infrà declarabitur.

Medicina erit, Clericos absque legitima causa Parœciam suam egredientes, intrà alias non admitti; sed, ut in suam redeant, compelli; quod si pertinaciter reverti nolint, à communione segregari.

Si tale sit 16. *Nicæni* Argumentum, oportet, ut his verbis, *Canonem*, *non agnoscentes*, Canonem *Apostolorum* laudet: inter eos enim Canones, unicus est 16. *Nicæno* adfinis, scilicet 15. Porrò, hic *Canon* disertè de translatione agit, ut significant hæ voces *cum penitùs transierit*, quæ relictam prorsùs Parœciam priorem indicant. At *Nicænus*, de non residentibus loquitur. Cùm nullus sit Canon Nicæno anterior, idem quod ipse præcipiens, ergà Clericos non residentes, probabile est, eum, per *Canonem*, eo loco, regulam non scriptam intelligere.

Multa, circà Communionem Clericis non residentibus ademptam, dicenda forent. His autem ab Instituto nostro nimiùm alienis, monebimus, verbum *Communio*, in veteribus Canonibus æquivocum esse; aliquando illud significare omnem, sivè Sacram, sivè Civilem, Communionem; aliàs, pro parte Communionis hujus, usurpari, sivè in Ministerio Sacro, sivè in Sacramentis, sivè in Orationibus. Hæc autem significationum varietas obstat, quominùs certò dignoscamus, quænam sit illa Communio, quam Clericis non residentibus adimit Nicæna Synodus. Quædam circà hoc argumentum regulæ datæ sunt in Tractatu *de Excommunicatione*, cui Titulus est, *Usages de l'Eglise de France concernans les Censures.*

Canon 18. *Nicænus* duas praxes tanquàm Canoni adversantes arguit. Prior est, Diaconos Eucharistiam Episcopis & Sacerdotibus, quam ab iis accipere debent, porrigere: altera, Diaconos inter Presbyteros sedere. In damnatione primi abusûs hæc verba adhibet Concilium, *Pervenit ad Sanctam Synodum quod in nonnullis Locis & Civitatibus, Diaconi dant Presbyteris Eucharistiam, quod neque Canon, neque consuetudo tradidit, ut, qui offerendi potestatem non habent, iis, qui offerunt, dent Corpus* CHRISTI.

Abusum alterum sic profligat Concilium, *sed nec in medio quidem Presbyterorum, liceat Diaconis sedere, id fit enim præter Canonem & Ordinem.*

Neuter mos à Conciliis Nicæna Synodo antiquioribus damnatur; quapropter, per Canonem, Concilium Nicænum intelligit Regulam non scriptam, rectam, scilicet, rationem, quæ Superiori subjicit inferiorem, tùm maximè, cùm Lex & distinctio graduum observanda est.

Præterea, in Secunda Parte hæc duo conjungit Concilium, *Ordinem* & *Canonem*; ut hic per illum exponatur: ordo autem hìc rectam rationem significat.

Canon 8. *Ephesinus* jubet, ut, secundùm Canones ac veterem consuetudinem, Cyprii Episcopi ab Antiocheno Episcopo non pendeant. Canones, qui appellantur, sunt 6. & 7. *Nicæni*, qui definiunt singularium Ecclesiarum privilegia conservanda esse, observandasque consuetudines antiquas. Nec juvat objicere, *Can.* 6. *Nicænum* laudare etiam Canonem antiquiorem, qui alius esse nequit, quàm Canon *Apostolorum*, & proindè etiam laudatur ab *Ephesino*. Nàm præterquàm quòd ostendimus, eò loci Canonem *Nicænum*, Canones *Apostolorum* non commemorare, *Pars* 6^1. *Nicæni*, quam intendunt laudare Canones *Apostolorum* minimè adfinis est argumento 8^1. *Ephesini*, qui Cyprios Episcopos ab Episcopi Antiocheni subjectione immunes declarat.

Canones autem à *Can.* 5. *Calcedonenſi* laudati, inter Nicænos & Antiochenos leguntur. Nàm *Can.* 15. & 16. *Nicæni*, & 3. *Antiochenus*, idem vetant quàm *Calcedonenſis*: scilicet, ne Episcopi aliive Clerici de Civitate in Civitatem transeant.

Undè, licèt eadem definitio in *Can.* 14. & 15. *Apostolorum* contineatur, certò asseri nequit à Synodo Calcedonensi laudari Canones *Apostolorum*, eosque proindè, Nicæno & Antiocheno Concilio esse antiquiores.

Canone 9. ejusdem Concilii omnis Clericus, qui litem cum alio Clerico habens, Judicem Sæcularem adit, omisso Episcopi arbitrio, pœnis Canonicis subditur. Quæritur, utrùm pœnarum Canonicarum nomine, Concilium eas intelligat, quas delinquentibus Clericis imponere solent Canones; an eas, quæ in Clericos, prædicto modo, litigantes, sanciuntur à quibusdam Canonibus. Difficultas ex eo oritur, quòd Concilium *Carthaginense*, An. 419. habitum, hunc

casum nominatim continet, ac jubet, Clericum, in negotio Capitali, sodalem suum in Jus Prætoris vocantem, etiamsi vicerit, deponi; in negotio Civili, litis æstimationem præstare, vel deponi. Hoc enim Concilium, Calcedonensi Synodo cùm sit anterius, putabit aliquis hanc illius definitionem impleri jussisse: maximè si attendatur, antè Concilium Calcedonense, solam Carthaginensem Synodum pœnas decrevisse in Clericum, qui, adversùs Clericum, Sæcularem Judicem adit. Verò tamen similius est, Concilium Calcedonense, priore sensu, pœnas Canonicas usurpare.

Objectio alicujus momenti adversùs ea, quæ plurium Canonum alios Canones laudantium occasione, diximus, laudatorum plerosque regulas esse non scriptas, quas Author Canonum *Apostolorum* quibusdam ad velandam fraudem immutatis composuit; objicitur, Concilia, ex quibus deprompti sunt illi Canones, regulas non scriptas, à scriptis distinguere solere, has *Canones* nuncupando, illas, *usum* aut *consuetudinem*: hujus discriminis exempla plurima, vel solum Nicænum continet. *Can.* 6. 7. sed præsertim *Can.* 18. in quo dicens, neque Canonem, neque consuetudinem Diaconis talem facultatem tradidisse, se, consuetudinem à Canone distinguere, significat.

Responsio. Respondemus 1°. Compertum esse Concilia, verbo *Canonis*, aliquando *consuetudinem* designasse, siquidem laudati Canones non extant. 2°. Ubi consuetudini *Canon* opponitur, verbum illud *Regulam scriptam* denotare; aliàs *Regulam* duntaxat significare *scriptam*, vel *non scriptam*. Jàm verò, si Concilia Regulas non scriptas aliquandò commemorant, quidni arbitremur, ubi Canones laudati, in nullo antiquiori Concilio reperiuntur, eos nihil aliud esse quàm Regulas non scriptas? Quare fingemus eos esse ex numero Canonum *Apostolorum*, fortè quia similes Regulæ inter eos occurrunt: Sed debile est hoc argumentum, quandiù incertum erit, eos ex laudatis Regulis, inter Concilia non extantibus, non fuisse fabricatos. Omnia in falsarii Opere suspecta esse debent, eòque justiùs, quòd, inter laudatas regulas quasdam, neque in Canonibus *Apostolorum*, neque in Conciliis antiquioribus, reperiri dubium non sit. Undè sequitur, quòd, cùm manifestum sit, harum regularum ratione, Concilia laudavisse regulas non scriptas, potuisse pariter alibi laudari regulas similes, quas Author Canonum *Apostolorum* scripturæ mandatas, Regulis scriptis aliundè excerptis, inseruit.

17. Si Concilia Quinque Priorum Sæculorum Canones *Apostolorum* laudare totiès intendissent, quotiès adducunt regulas veteres, his Canonibus aliquatenùs affines, eos appellare non omisissent, quotiès jubent res, quæ in illis Canonibus verbis conceptis leguntur. Porrò, Canones plurimi eadem præcipiunt, quæ à Canonibus *Apostolorum* statuuntur, plerique tamen nullum Canonem laudant. Vide collationem eorum Canonum cum Canonib. V. Priorum Sæculorum.

18. Multa suadent Canones *Apostolorum* in Oriente fuisse confectos. 1°. Enim Græcâ primùm Linguâ prodiêre, ut docent *Joannes Antiochenus*, & *Dyonisius Exiguus*, qui eos primi commemorant. Eorum prior Canones *Græcos* tantùm in suam Collectionem retulit, ut probat enumeratio Canonum ab eo compositorum ejus Operi præfixa. Posterior, in sua *Præfatione* disertè dicit, se Canones Apostolorum è Græca in Linguam Latinam convertisse: ac, ne quis putaret eos in veteri Canonum, quos pariter transtulerat, versione, contineri, illos à cæteris distinguit, *Regulas* nuncupando, cæteros verò *Canones*, ac diversas Notas iis præfigendo.

2°. Quædam in Canonibus *Apostolorum* Ecclesiæ Græcæ Disciplinam redolent; putà cùm vetant Sabbato jejunare, exceptâ Paschatis Vigiliâ, apud Græcos festivâ; & cùm jubent, ut quartæ & sextæ Feriæ, quas pœnitentiæ potissimùm dicabant, jejunium observetur.

3°. Non loquuntur illi Canones, nisi de Ordinibus in Ecclesia Græca receptis; scilicet, Episcopatu, Sacerdotio, Diaconatu, Subdiaconatu, Cantoratu, Lectoratu.

4°. Non præcipiunt Continentiam Subdiaconis, Diaconis, Presbyteris; sed uxorem ducere duntaxat vetant, quod Cantori ac Lectori concedunt.

5°. Plerique eorum Judæis, in rebus Religiosis, communicare vetant, multò plures autem Judæi V. Prioribus Sæculis Orientis partes coluêre, quàm Occidentis.

6°. Inter Libros Canonicos ab iis numerantur Constitutiones Apostolicæ in Occidente vix auditæ.

Nec juvat objicere, in *Canone Librorum Canonicorum* numerari *Machabæorum* Libros, qui in nullo eorumdem Librorum Catalogo, vel Canone Orientali continentur, sed in Occidentalibus Scripturarum Canonicarum Canonibus. Fatemur quidem, neque Concilium *Laodicenum*, neque *S. Athanasium*, neque *S. Gregorium*, Theologum, sivè *Amphilochium*, Libros Machabæorum collocare in suis Librorum Sacrorum Catalogis; eos autem in Canone scripturarum ab *Innocentio I.* confectò & in *Carthaginensis Concilii* Canone Anni 419. contineri: verùm indè non sequitur, Canones *Apostolorum* in Occidente confectos fuisse. Patet enim ex Canonibus Librorum Sacrorum apud Orientalem Ecclesiam confectis ab singulis Ecclesiis particularibus, ex quibus coalescebat, eosdem Libros non admitti. v. g. *S. Amphilochius* testatur à quibusdam Librum *Esther* inter Canonicos numerari; contrà, *S. Athanasius* eum inter Pseudo-Canonicos collocat. *S. Gregorius* eum prorsùs omittit. Concilium denique *Laodicenum* inter Libros approbatos eum adscribit. *Epistola S. Judæ* inter Libros Canonicos numeratur à Concilio *Laodiceno*, *S. Athanasio* & *S. Gregorio*; tamen *Amphilochius* eam inter eas, quæ ab omnibus non admittebantur, collocat. Fieri ergò potuit, ut Libri Machabæorum, qui Canonicis in nullo laudatorum Catalogorum Ecclesiæ Orientalis adscribuntur, hanc dignitatem adepti sint in Ecclesia, undè oriundus erat falsarius, atque illa Orientalium pars foret.

Ex his omnibus Observationibus ea, quæ certa sunt circà originem Collectionis Canonum *Apostolorum* continentibus, sequitur: 1°. Solidis rationibus non probari illam antè Sæculum V. prodiisse; imò probatum fuisse, eam antè illud tempus ignotam fuisse.

2°. Validis nos argumentis moveri ad sentiendum laudatos à Conciliis V. Priorum Sæculorum Canones sub Antiquarum Regularum aut Canonum nomine, esse Leges non scriptas, vel consuetudines præcedentium Sæculorum. Canones verò, quos, omisso *veterum* Epitheto, laudant, in Conciliis anterioribus reperiuntur.

3°. Sequitur, nullam esse insignem definitionem in Conciliis V. Priorum Sæculorum, quæ non legatur in Canonibus *Apostolorum*, quibusdam per affectationem immutatis, ut rivi in fontem, & fontes in rivos converterentur. Hac methodo partim detecta fuit suppositio *Epistolarum* Pontificibus I V. Primorum Sæculorum adscriptarum; præter silentium Sæculorum quibus vixerunt, ac subsequentium, quædam agnita sunt fragmenta ex authoribus posterioribus concisa, & aliquatenùs adulterata.

4°. Post has cæterasque suppositionis notas, meritò credi, illud, in quo Canones illi cum laudatorum Conciliorum Canonibus conveniunt, ex his fuisse desumptum. Qui aliter putant, maximum subeunt periculum nothis & spuriis attribuendæ dignitatis, quam legitimis eripiunt. De cætero, etsi studuerimus infringere authoritatem Collectionis *Canonum Apostolorum*, nihil detrahimus regulis luculentis quas continet, suam dignitatem ex se ipsis, non ex illa, mutuantibus: & quoniam regulæ non idcircò minùs bonæ, quia scriptæ non sunt, non refert scire, utrùm scriptæ fuerint, an non, quoties de earum utilitate agitur; sed hæc notitia parum curari non debet, quoties ad detegendam fraudem inservit, quantum enim à veritate distat mendacium, tantum veritatis amor, ad illud detegendum, nos accendere debet.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

COLLATIO CANONUM APOSTOLORUM cum CANONIBUS V. PRIORUM SÆCULORUM, illustrationes ad eorum Intelligentiam necessarias continens, & quorundam accommodationem, ad probandam Regularum Gallicanarum æquitatem, & confirmandas superiores, de eorumdem Origine, Conjecturas.

CANONES V. PRIORUM SÆCULORUM.

CANON I.

Canon 20. Concilii *Arelatensis* anni 314. Ordinationes Episcoporum ab octo Episcopis confici, sin pauciores convenire possint, à tribus saltem fieri jubet. *Canon.* 4. *Nicænus* & 19. *Antiochenus* volunt, ut omnes Comprovinciales, vel saltem plerique eorum, Episcopi Ordinationi consentiant, ut illi qui adesse nequibunt, consensum suum per Epistolam significent, ut quicunque poterunt, aut tres saltem interfint, & præcipuam authoritatem Metropolitanus obtineat, licèt Concilium Antiochenum numerum Episcoporum, qui in necessitate sufficiet, non assignet, credibile est illud tres duntaxat, sicut Nicænum, desiderare. *Can.* 13. *Codicis Ecclesiæ Africanæ*, cum *Nicæno* prorsùs convenit.

2.

Omnes Canones V. Priorum Sæculorum, qui de Ordinatione Presbyterorum, & Clericorum Inferiorum agunt, supponunt eam ab unico Episcopo confici. Expressa sunt hac in re *C.* 10. *Antiocheni* verba: nàm, præter quàm quòd ait, Ordinationem Corepiscopi, ad Civitatis Episcopum pertinere, illi interdicit Ordinationem Presbyterorum & Diaconorum, *præter Episcopum Civitatis*: quod significat eum, si non sit Episcopus, Episcopi Civitatis ministerio uti; si sit Episcopus, ejus consensum postulare debere. *Concil.* 4. *Carthaginense* tot argumenta facultatis, quam Episcopus solitarius habet, ad ordinandos Clericos inferiores, suppeditat, quot continet Canones modum conficiendæ ordinationis declarantes: tot autem sunt, quæ tunc erant, & etiam nunc sunt diversi Ordines.

Sacerdos ab Episcopo suo, præter quàm in Africa, deponi poterat. Sufficere valuisset instituto nostro hoc Concilium *Carthag.* Sed, quia apud quosdam (licèt immeritò) malè audit, alia Concilia adjecimus.

3. & 4.

Canon 37. *Codicis Ecclesiæ Africanæ* magnam habet affinitatem, cum hoc 3. *Canone Apostolorum*; & prima parte *quarti*: hunc subjicio.

Ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm quod ipse Dominus tradidit hoc est panis & vinum aquâ mixtum: primitiæ verò, seu mel & lac, quod uno die solemnissimo in Infantum Mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem, ut à Sacramento Dominici Corporis & sanguinis distinguantur, nec amplius in primitiis offeratur quam de uvis & frumentis.

Ad agnoscendam horum *Canonum* similitudinem, attendendum est, 1°. Utrumque de Oblationibus super altare sistendis, & Primitiis loqui. 2°. Uterque vetat, ne aliud offeratur super altare, quàm quod Dominus tradidit, quod ipsum ab *Africano* Canone exponitur; scilicèt panem & vinum aquâ mixtum, ab altero velut nota res omittitur. 3o. Uterque Casus excipit semel aut bis in anno contingentes: nam Canon *Africanus* permittit in Die Paschatis offerri ad altare mel & lac, Baptismi ceremoniis adhibenda. Indè Canon *Apostolorum* sinit offerri tempore opportuno spicarum & uvarum primitias: Canon Africanus eandem oblationem fieri permittens, de tempore non loquitur; sed, cùm præter frumenti & uvarum primitias alias non admittat, satis indicat, eas fruges, tùm cùm colliguntur, esse offerendas.

Canon

CANONES APOSTOLORUM.

CANON I.

[Episcopus à duobus vel tribus Episcopis ordinetur]

Canonibus ex altera parte laudatis, hic concordat, in eo quòd jubet plures ad Episcopi consecrationem convenire; ab iisdem in eo discrepat, quod exceptionem pro regulâ proferat, & plures in singulis consecrationibus non desideret, quam cæteri in casu necessitatis postulant.

Oportet ut hic Canon nondùm fabricatus aut notus, vel adprobatus esset, cùm depositus est *Armentarius*, quia à duobus duntaxat Episcopis fuerat consecratus. Ex eò quòd hic Canon Nicæno adversatur, malè inferretur, hunc Nicæno non esse posteriorem; falsarius enim in arrogantiam valdè pronus est.

II.

[Presbyter ab uno Episcopo ordinetur & Diaconus & reliqui.]

Multæ sunt rationes discriminis inter Ordinationes Presbyterorum, & Consecrationes Episcoporum, quoad Ordinantium numerum constituti.

Una est omni tempore valens, quæ ex Episcopatûs dignitate sumitur. Alteram inducit Disciplina Episcopi scilicet, ejusdem Provinciæ negotia multa communi Consilio versanda habent & in administranda Provincia socii sunt. Oportet igitur ut, quia, per Consecrationem unius Episcopi, cæteris Collega datur, omnes Episcopi huic Ordinationi, per præsentiam, aut Epistolam, consentiant, atque, in publicum hujus assensûs testimonium, multi ac tot quot adesse poterunt interfint.

III.

[Si quis Episcopus vel Presbyter, præter Domini de Sacrificio Ordinationum, alia quædam ad altare attulerit, vel mel, vel lac, vel, pro vino, siceram factitiam, (pro *factitiam* vertit HALOANDER *aut confecta quædam*: DYONISIUS EXIGUUS, *& confecta quædam.*) vel aves, aliqua animalia, vel legumina, præter ordinationem, deponatur; præterquàm novas spicas vel uvam tempore opportuno. Ne liceat autem aliud aliquid ad altare offerre quam oleum ad luminare, & incensum tempore Sanctæ Oblationis.]

IV. PARS PRIOR.

[Omnis autem alius fructus domum mittatur Primitiæ Episcopo & Presbyteris, sed non super altare.]

Quidam, per *Primitias*, omnium frugum *Decimas* intelligunt. Sed, cùm jus illud cum suo nomine ad Christianos à Judæis transierit, *Primitiarum* verò jus apud Judæos, à *Decimarum* jure distinctum erat; eadem distinctio mansit apud Christianos, inter hæc jura, statim ac constitutâ fuêre.

Ex iis omnibus, quæ hodie vocantur Episcoporum jura temporalia, alia non deprehendimus in Canonibus V. Priorum Sæculorum, quam jus Primitiarum & jus Oblationum, tametsi non apparet his juribus obligationem aliquam, aut solvendi necessitatem, impo-

CANONES V. PRIORUM SÆCULORUM.

Canon 4. *Apostolorum* alias præter spicarum & uvarum primitias agnoscit; cùm *Can.* 3. permittente has ad altare offerri, *Canon* 4. jubeat, ut omnis alius fructus domum mittatur Episcopis, & Presbyteris, qui primitiarum distribuendarum jus habent, & super altare eas sisti prohibent.

Ex ultimo Canone *Antiocheno* patet, dispensationem redituum Ecclesiæ pertinere ad Episcopum, fierique debere adhibito Presbyterorum Consilio. Idem jus Episcopo attribuit *Canon* 8. *Gangr.*

5.

Canon 1. & 9. *Gangr.* anathemate feriunt eos, qui Nuptias ut rem execrandam damnant. *C.* 14. ejusdem anathematisat fœminas hac de causa viros suos relinquentes. *Canon.* 15. & 16. anathemate feriunt eos, qui, pietatis obtentu, parentes aut filios suos deserunt.

Si ex his Canonibus *Gangr.* confectus fuit Canon *Apostolorum*, quare nullum in transgressores anathema continet? Licèt loquatur de errore à Synodo Gangrensi anathematisato; sed præterquàm quòd pœnæ à Canon. *Apostolorum* latæ parùm accuratam habent proportionem ad delicta, Canon noster de Clericis duntaxat agit; qui, sivè per zelum, sivè per errorem, uxores ejiciebant. Oportuit ergò, pœnis Ecclesiasticis propositis, detegere, an adversùs fidem peccarent, priusquàm anathemate ferirentur.

6.

Canon 16. *Codicis* & *Can.* 3. Concil. Calcedonensis idem prohibent, quod *Can.* 6. *Apostol.* Prior his verbis, *placuit ut Episcopi Presbyteri & Diaconi non sint conductores, aut procuratores.* Rationem affert quia *nullus militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Posterior rationem hanc tacet; sed Pupillorum, Orphanorum, Viduarum aliarumve egentium personarum causam excipit. Ejus verba sunt. *Decrevit sanctum magnumque Concilium, nullum deinceps Episcopum vel Clericum, possessiones conducere, aut negotiis Sæcularibus se miscere, præter pupillorum, si fortè leges imponant inexcusabilem curam, aut civitatis Episcopus Ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat.*

7.

Canon 1. *Antiochenus*, decreta in Laïcos Excommunicatione, qui Pascha cum Judæis celebrare contumaciter perseverabunt, sic pergit: *si quis autem eorum qui præsunt Ecclesiæ, Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus audebit post hoc Decretum, ad populorum subversionem, & Ecclesiarum perturbationem, seorsùm agere, & Pascha cùm Judæis peragere; sancta Synodus eum abhinc alienum esse ab Ecclesia judicavit, ut qui non solùm sibi peccati causa, sed & multis exitii & subversionis causa fuerit; & non solùm eos à Ministerio deponit, sed & illos, qui audent iis, post depositionem, communicare, depositos etiam externo honore privari.* Cujus

CANONES APOSTOLORUM.

impositam fuisse; quippè fideles ejus ævi adeò proni erant ad largienda temporalia iis, à quibus accipiebant spiritualia, ut eos Legibus constringi minimè decuisset. Præterea, bona Ministrorum Sacrorum utendi his donariis ratio, magis fideles ad dandum, quàm lex quælibet impellebat. *Canones* 28. 29. 58. Synodi *Eliberitanæ*, quæ anno 305. collocatur, de usu oblationum loquuntur.

IV. PARS POSTERIOR.

[Clarum autem est, quod Episcopus & Presbyter Diaconis & reliquis Clericis distribuunt.]

V.

[Episcopus vel Presbyter vel Diaconus, uxorem suam ne ejiciat Religionis prætextu: sin autem ejecerit, segregetur; & si perseverat, deponatur.]

Hic Canon in pluribus Concilii *Gangr.* Canonibus continetur, ut consequens in suo principio. Clericis enim accommodatur dispositio generalis Canonum Gangrensium.

Sed cùm Clerici pœnis Ecclesiasticis coerceri, eæque gradatim ferri debeant, *Canon Apost.* 1. jubet, ut Clerici, qui, sub Religionis specie, uxores suas ejiciunt, à Ministerii Sacri Communione suspendantur, ac, nisi resipuerint, deponantur.

VI.

[Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, sæculares curas non suscipiat, alioqui deponatur.]

In eo discrepat hic Canon à Canonibus Africanis. & Calcedonensibus, quòd hic deponat Diaconos, Presbyteros, Episcopos Sæcularibus Curis se implicantes; Canon autem Africanus nullam pœnam sanciat, & Canon Calcedonensis generalem coercitionem contineat, *increpationibus Ecclesiasticis subjacebit.* Adde quòd ultimus, prohibitione sua, omnes Clericos, ipsos etiam Monachos comprehendat; cæteri, de Episcopo, Presbytero, Diacono duntaxat loquuntur.

Porrò, delictum illud satis grave non videtur, ut statim depositione puniatur. Quapropter suspicor, in hoc Canone contumaciæ conditionem subaudiri; præcipuè cùm attendo illam in superiore exprimi. Gravius enim peccat maritus Episcopus, Presbyter, Diaconus, qui religionis obtentu suam deserit uxorem, quàm qui Sæculares Curas suscipit. Hæc enim desertio eodem sensu accepta, quô à Synodo *Gangr.* damnata est, (qui genuinus videtur) tùm errori in fide conjuncta est, tùm sævitiæ ergà corpus, & animam uxoris. Imò hæc conditio in 81. hujus *Collect.* qui hujus est expositio, continetur.

VII.

[Si quis Episcopus vel Presbyter, vel Diaconus, Sanctum Paschæ diem cum Judæis, ante vernum æquinoctium celebraverit, deponatur.]

Hic Canon contraxisse videtur Decretum Concilii *Nicæni*, circà celebrationem Paschatis, ab *Antiocheno* renovatum. Quod patebit legentibus Canonem ex altera parte descriptum, & *Can.* 11. hujus Collectionis.

Hic Canon præbet exemplum delicti per solam depositionem in Clericis Majoribus coerciti, qui in Decretis Concil. excommunicationi majori subjacent.

Hinc conjicere licet Autorem Canonum *Apostolo-*

rum

CANON. V. PRIORUM SÆCULORUM.

Cujus Sanctus Canon & Dei Sacerdotium fuit particeps (Vers. GENT. HERVET.)

Nicæni Synodi, Decretum circà Paſcha extat in ejus Epiſtolâ Synodicâ à SOCRATE relata, *Lib.* 1. *Cap.* 9.

Senſus ultimi §. eſt, Clericos depoſitos ſpoliari honore, quem Canones eorum Ordini adſcribunt. Eodem ferè modo redditur in *Codice Eccleſiæ Romanæ.*

8. 9. & 10.

Similitudo Canonis 2. *Antiocheni* cum Canon 8. 9. & 10. *Apoſtolorum* poſtulat, ut integer hîc referatur: „ Omnes qui in Eccleſiam ingrediuntur & Sacras Scri„ pturas audiunt, orationi autem cum populo non „ communicant, vel ſanctam Euchariſtiæ participatio„ nem, propter aliquam inſolentiam averſantur, eos „ ab Eccleſia expelli, donec poſtquam confeſſi fue„ rint, fructuſque pœnitentiæ oſtenderint, & implo„ raverint, veniam aſſequi poſſint. Non licere autem „ communicare cum excommunicatis neque in domi„ bus convenientes pro iis orare (legendum videtur „ cum gr. συνεύχεσθαι) qui precibus Eccleſiæ non „ communicant, neque in alia Eccleſia recipi, qui „ in alia non conveniunt. Si quem autem ex Epiſ„ copis, vel Presbyteris vel Diaconis, vel quem ex „ Canone excommunicatis communicare apparuerit, „ eum quoque excommunicatum eſſe, ut qui Cano„ nes Eccleſiæ confundat „.

11.

Canon hic in Regulam generalem convertit Decretum Synodi *Antiochen.* in Clericos communicantes Clericis, qui propter celebrationem Paſchæ, cum Judæis, depoſiti ſunt. Porrò depoſitio, quæ juſtè decernitur in eos, qui Clerico ob hanc rationem depoſito, communicant, duriùs ſanciri videtur aliis in caſibus: putà ſi Clericus fœnori, furto, vel impudicitiæ deditus deponitur, æquitas non ſinit Clericum huic in oratione communicantem, ob hanc ſolam culpam deponi. Ratio diſcriminis eſt, quòd ille, qui communicat ei, qui Paſcha cum Judæis pertinaciter peragit, cadit in ſuſpicionem ſocietatis in errore; & idcircò eidem pœnæ ſit obnoxius; ſed qui communicat Clerico, propter aliud vitium, ab infidelitate diverſum, depoſito, in ejuſdem peccati ſuſpicionem venire non debet.

Canon 16. *Apoſtolorum* oſtendit omnem Clericum, Clerico depoſito communicantem, non deponi; nàm Epiſcopus, qui admittit Clericum ab alio Epiſcopo depoſitum, excommunicationi ſolùm ſubjacet.

12. & 13.

Canon 2. *Antioch.* in fine, jubet eum, qui in aliqua Eccleſia non admittitur, in cœteris non recipi. Idem decreverant *Canon* 5. *Nicænus*, & *Can.* 53. *Eliberitanus* anno 305.

Can. 7. *Antioch.* & 13. *Calcedonenſis*, jubent neminem Extraneum, abſque Pacificis aut Commendatitiis Litteris recipi. Hic de ſolis Clericis loquitur, circà aggravationem Excommunicationis, ceu ejus prorogationem ad tempus longius. Nihil in Canonibus antiquis occurrit ſimile huic 13. *Canoni Apoſtolorum Canon* tamen 9. *Laodicenus* verbum habet aliquatenùs accedens. Jubet ut fideles cœmeteria Hæreticorum adeuntes,

CANONES APOSTOLORUM.

rum ſua furta, ſuamque fraudem hoc velo tegere voluiſſe.

VIII.

[Si quis Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus, vel ex Sacerdotali catalogo, facta oblatione, non communicaverit, cauſam dicat; & ſi probalis fuerit, veniam conſequatur: ſi autem non dicat, ſegregetur, ut qui populo offenſionis cauſa ſit, & ſuſpicionem dederit adversùs eum, qui obtulerit, tanquàm rectè non obtulerit.]

IX.

[Omnes fideles qui ingrediuntur, & ſcripturas audiunt, in precatione autem & ſacra Communione non permanent, ut Eccleſiæ confuſionem afferentes ſegregari oportet.]

X.

[Si quis cum excommunicato vel in domo una precatus fuerit, is ſegregetur.]

Diſcrimen horum Canonum à 2. *Antiocheno* ex induſtria profectum videtur. Nàm ex prima parte Canonis factus eſt *Can.* 9. & neglectâ delicti causâ, quam Synodus per hæc verba increpat, *propter aliquam inſolentiam*, commemoratur ejus effectus, ſcilicet, confuſio fidelis cum pœnitente, qui *conſiſtentium* gradum obtinet & non communicat.

Canon 8. ad Clericos reſtringit id, quod *Antiochenus* de omnibus fidelibus dicit; exceptio enim, quæ in eo affertur, ſubauditur in *Antioch.* cùm veroſimile non ſit Canonem, qui eos punit, qui ab Euchariſtiâ, propter inſolentem alienationem, abſtinent; eos coercere voluiſſe, qui juſtis duntaxat de cauſis, à communicatione abſtinent.

Id quod in 9°. dicitur de confuſione quæ Eccleſiæ affertur, 10°. potiùs adjiciendum, fuiſſe videtur.

XI.

[Si quis, cùm ſit Clericus, cum Clerico depoſito oraverit, deponatur & ipſe.]

Ex hoc Canone patet, depoſitionem continere excommunicationem ab officiis ordinum, ex quibus aliquis depoſitus eſt; aliàs vel puniretur ille, qui cum Clerico depoſito communicat.

Huic 11. videtur adverſari 16. Nàm Epiſcopus, qui admittit, Clericum ab alio Epiſcopo depoſitum, Excommunicationi duntaxat ſubjicitur; ſed nulla eſt repugnantia, præterquàm quòd enim, ubi de pœnis agitur, Epiſcopus Clericorum nomine non continetur, *Can.* 16. de Clerico depoſito non loquitur, ſed de ſuſpenſo.

Hæc reſponſio partim ſufficiet iis, qui *Canonem* hunc 11. putarent adverſari 3. *Antiocheno*, qui Synodo Provinciali mandat coërcitionem Epiſcopi, Clericum ab alio Epiſcopo depoſitum admittentis.

XII. & XIII.

[Si quis Clericus vel Laïcus ſegregatus ſive non recipiendus, diſcedens in altera urbe receptus fuerit abſque Litteris commendatitiis, ſegregetur, & qui excepit & qui exceptus eſt.

Si verò fuerit excommunicatus, aggravetur in eundem excommunicatio.] DIONYSIUS EXIGUUS vertit, *proteletur*; HALVANDER, *in longius tempus protenditor.* Ad tollendam confuſionem *Can.* 12 delenda ſunt hæc verba, *ſegregatus ſive*, valdè inutilia, cum toto Canone de perſona non recipienda agatur, plures autem ſunt perſonarum non recipiendarum

adeuntes, vel sacella martyrum, ut ibi orent, vel sanentur, in aliquod tempus excommunicentur.

14.

Canon 15. *Nicænus, C.*16. *Antiochenus, C.*5. *Calcedonenſis*, translationes vetant, sicut hic Canon. Prior translationem irritam facit, transeuntemque ad primam Ecclesiam remittit. De translatione autem loquitur, quæ sine authoritate legitimâ facta est. In secundo Canone agitur de translatione Episcopi, & declaratur ad translationem legitimam, necessariam esse authoritatem Concilii perfecti; Synodum verò perfectam esse, ad quam Metropolitanus & omnes Provinciales Episcopi convenêre. Adjicitur præterea, detrudendum esse ab occupata sede transeuntem Episcopum, etiamsi plebs universa in eum post invasionem consensisset.

Can. Calcedon. loquitur de translatione, sive Clericorum inferiorum, sive Episcoporum, non secùs ac *Nicænus*; & circà hanc nihil statuit, nisi præcedentium Canonum executionem.

His Canonibus adjiciendi sunt *Can.* 1. *Conc. Sardicenſis*, qui ex parva in magnam civitatem transire vetat; quia ambitio vel avaritia translationes plerúmque pariunt, cùm hucusque nemo ex magna in parvam urbem transierit; transeuntes autem Communione etiam Laïcâ in mortis articulo privat; & 2. qui eandem pœnam proponit, in eum, qui translationem suam purgare intenderet, per Epistolas Plebis ejus ad quem transivit loci, *quia*, inquit, *facilè est hujusmodi Litteras captare.*

15.

Hic *Canon.*6°. *Calcedodenſi* innititur, qui vetat quemlibet ad Ordines promoveri, nisi certæ Ecclesiæ addicatur. *Can.* 16. *Nicænus* excommunicat omnem Clericum, qui, monitus ut in suam redeat, in alienâ commoratur Ecclesiâ. Per hanc autem excommunicationem Clericalis intelligitur, cujus effectus est Exclusio à Ministerio sacro. Hujus interpretationis ratio est, quòd Excommunicatio major durius, quàm par est, hoc delictum cohiberet.

Canon. 3. *Antiochenus* adeò similis videtur huic 16. *Apoſtolorum*, ut illum describendum esse hîc duxerimus, velut exemplar quod imitatus est. *Can.* 16.

„ Si quis Presbyter vel Diaconus, vel quis omninò „ ex Sacerdotali ordine, relicta Parochia sua, in aliam „ abierit, deindè omninò commigrans, in alia Paro„ chia longo tempore versari conatur, nè amplius ce„ lebret; maximè, si, proprio vocante Episcopo, ut „ in suam paræciam redeat, exhortantique non pareat. „ Si autem in insolentia perseverat, is omninò à Sa„ cro Ministerio deponatur, ut nec ampliùs redeundi „ locum habeat „.

S. Ultimus ostendit hæc verba, *non ampliùs celebrare*, interdictionem à sacris tantùm significare.

16.

Pars ultima 5. *Can. Antioch.* „ Si autem eum, qui „ propter hanc causam depositus est, alius Episcopus „ receperit, à communi Synodo puniatur, ut qui „ ritus Ecclesiasticos dissolvat „.

Licèt hic Canon pœnam non assignet, illam verò definiat *Can. Apoſt.* punitio Episcopi semper à Concilio Provinciali pendet; ad illud enim pertinet Excommunicatio aliave coercitio; quia Excommunicatio à Canone *Apoſtolorum* decreta, est tantùm *ferendæ sententiæ.*

17.

Prima Pars hujus Canonis apud S. PAULUM legitur 1. TIMOTH. Cap. III. & TIT. Cap. I. cum hoc discrimine, quòd *Paulus* non distinguat eum, qui duas,

rum gradus. 1. Extranei & ignoti. 2. Clerici depositi. 3. Excommunicati, sivè Clerici, sivè Laïci. Ex hoc tripertito genere solos priores cum Litteris pacificis admitti fas est; cæteri recipi non debent, nisi absoluti sint, fidemque absolutionis fecerint, si Excommunicatio cognita erat.

XIV.

[Episcopo non liceat suâ relictâ Parochiâ ad aliam transilire, etiamsi à pluribus cogatur; nisi sit aliqua causa, quæ eum cogat hoc facere, ut pote cum possit ipse majus lucrum illis, qui illic habitant, pietatis verbo conferre; idque non ex se, sed multorum Episcoporum judicio, & maxima exhortatione.]

Ex Canonibus ex altera parte laudatis, conficitur, hunc nihil definire, quod alii non complectantur. Hujus enim Canonis doctrina versatur circà conditiones Episcoporum translationi, ut licita sit, necessarias. Hæ autem sunt, 1. Ut adsit causa gravis; putà, utilitas Ecclesiæ, ad quam transit Episcopus, 2. Ut non privato transeuntis Episcopi consilio, multo minùs ex ipsius authoritate translatio fiat, sed multorum Episcoporum judicio, & maxima exhortatione.

Porrò Canones laudati easdem conditiones postulant. Nàm 1. jubent, ut translatio fiat per Synodi Provincialis authoritatem & consequenter *multorum Epiſcoporum judicio.* Ità autem jubent, ut *absque perfectâ Synodo* fieri vetent. Requirunt præterea, ut justæ sint translationis causæ; cùm translationes ideò prohibeant, quia ex ambitione, vel avaritiâ procedunt. Denique, sicut Canon Apostolorum, translationum iniquarum ansam succidit, plebis scilicet desiderium verum, aut captatum, *etiamſi à pluribus cogatur*: ità & laudati Canones, sed multò dilucidiùs.

XV.

[Si quis Presbyter vel Diaconus, vel omninò ex catalogo Clericorum, relicta sua Parochia in aliam abscesserit, & cùm penitùs transierit præter sui Episcopi sententiam, in alia Parochia commoretur, eum non ampliùs celebrare jubemus: maximè si, eum adhortante Episcopo ut rediret, non paruit in contumacia & insolentia perseverans: is autem ibi ut Laïcus communicet.]

Communicabant ut Laïci, qui Laïcorum Ordini communicabant. Per *Communionem Laïcam* intelligi etiam potest, redituum Ecclesiæ pars, quæ Laïcis Extraneis egentibus, & Litteras pacificas habentibus addicta erat. Verumque esse hunc intellectum videtur; qua enim ratione sineretur pervicacem peccatorem Eucharistiæ communicare? Præterea, ut Clericus in Laïcorum gradu communicet, oporteret eum esse depositum: at ex *Can.* 3. *Antioch.* ex quo hic desumptus esse videtur, apparet, hæc verba, *non ampliùs celebrare*, depositionem non complecti; siquidem hæc pœna in *Canone ſequenti* designatur per *Cessationem à munere.*

XVI.

[Sin autem Episcopus, apud quem sunt, nihili faciens decretam à munere cessationem, eos ut Clericos receperit, segregetur ut immodestiæ & insolentiæ Magister.]

XVII.

[Qui post sanctum Baptisinum duobus conjugiis fuerit implicitus, vel habuerit Concubinam, non potest esse Episcopus, vel Presbyter, vel

CANONES V. PRIORUM SÆCULORUM.

duas, post Baptismum, uxores duxit, ab eo, qui, vel ambas, antè Baptismum, accepit, vel primâ, antè Baptismum, acceptâ, secundam post Baptismum habuit; sed omnem Bigamum ab Ordinibus excludat.

Pars Posterior extat in *Can.* 2. & 9. *Conc. Nicæni*, & in *Can.* 9. *Neocæsar.* Nam, si omnis, qui in peccatum lethale aut carnale incidit, ab Ordinibus excluditur; excludendus est ille, qui Concubinam habuerit,

18.

Quod fert hic Canon de tribus prioribus Mulierum generibus è Mosaica Lege desumptum est, LEVIT. XXI. *v.* 7. 14.

19.

Can. 2. *Neocæsar.* docet, mulierem leviro suo nubentem, ad pœnitentiam non admitti, nisi hoc matrimonium dirimat. Undè sequitur, hujusmodi nuptias pro nefariis habitas fuisse. Quæ cùm ità sint, *Canon* 19. *Apost.* ex 2. *Neocæs.* & aliis, qui criminosos ab Ordinibus excludunt, desumptus esse videtur.

ARISTENUS in sua Epistolarum Canonicarum *Synopsi* refert Canonem iisdem verbis constantem, inter *Canones* S. BASILII, circà genus & tempus pœnitentiæ, propter peccata lethalia, imponendæ.

20.

Tanta est depositionis pœna, ut hic *Can.* necessariò intelligendus sit de propter quæstum facta fidejussione. Hæc autem cautio Clericis interdicitur, tùm quia turpis lucri genus est & Clericis interdictum *Canone* 17. *Concil. Nicæni*; tùm quia eos negotiis Sæcularibus, à quibus abstinere debent, implicaret.

21. 22. 23.

C. 1. *Concilii Nicæni* prorsùs congruit cum 21. & 22. *Can. Apost.* Can. 1. *Neocæsar.* leviora delicta Clericorum depositione punit; putà, si uxorem duxerint, aut fornicati fuerint. *Can.* 32. S. BASILII deponit Clericos peccati ad mortem reos; cujusmodi proculdubio est mutilatio. In superiùs laudata *Synopsi, ibid.* refert *Aristenus* Canonem *S. Basilii*, qui deponit Clericum seipsum secantem; & à Clericatu excludit Laïcum eodem delicto irretitum: ille autem Canon de eadem mutilatione loquitur atque Canones *Apost.*

24.

Licèt *Can.* 1. *Conc. Nicæni* ab Ordinibus tantùm excludat Laïcum, qui se ipsum mutilavit, cum hoc nihilominus congruet, si tres anni Excommunicationis, hîc definiti, in publica pœnitentia transigendi sunt: publici enim pœnitentes ab Ordinibus excluduntur.

25.

Can. 3. & 32. *Basiliani* idem declarant, nisi quod 3. de Diaconis fornicantibus duntaxat loquitur, & 32. de iis, qui sunt in Gradu; scilicet, Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis. Denique eidem rationi illi Canones innituntur.

C. 51. ejusdem *Basilii* eandem doctrinam continet, & de omnibus Clericis loquitur; quos dividit, in eos, qui sunt in Gradu, de quibus mox locuti sumus, & in eos, qui sunt in Ministerio: quibus verbis designat Lectores, Cantores, Vasorum Sacrorum Custodes & similes ministros,

CANONES APOSTOLORM.

vel Diaconus, vel omnino ex numero Sacerdotali.]

XVIII.

[Qui viduam accepit, vel ejectam vel meretricem, vel mimam, vel scenicam, non potest esse Clericus.]

Cum rarò accidat, ut mimæ non sint venales, inter meretrices potuerunt numerari. Sed etiamsi se ipsas non vulgarent, constat eas non haberi inter castas; itáque sicùt infamia mulieris de adulterio palam convictæ, ejus maritum ab ordinibus excludat (*Can.* 8. *Neocæs.*) ità infamia scenicarum statui annexa, earum virum ab Ordinibus excludere debet: & proindè hic Canon à *Neocæs.* deduci potuit.

Concil. Valent. anni 374. C. 1. prohibet ordinari eos, qui Viduas duxerunt. *Conc. Tolet.* 1. anni 400. coërcet Lectores Viduas ducentes *C.* 30.

XIX.

[Qui duas sorores duxit, vel consobrinas non potest esse Clericus.]

Sensus hujus Canonis est, virum incestuosum ab ordinibus excludi.

XX.

[Clericus fidejubens deponatur.]

XXI.

[Eunuchus, si ex hominum injuria factus sit, vel in persecutione virilibus privatus sit, vel sic natus est, si dignus est, fiat Episcopus.]

XXII.

[Qui se ipsum mutilavit, ne sit Clericus; est enim sui homicida, & Dei opificii hostis.]

XXIII.

[Si quis, cùm sit Clericus, se ipsum mutilavit, deponatur; est enim sui homicida.]

XXIV.

[Laïcus, qui se ipsum mutilavit, tribus annis segregetur; est enim vitæ suæ insidiator.]

Per hunc Canonem, qui in plures annos excommunicat, facilè exponitur *Can.* 13. & patet, quòd aggravare excommunicationem, idem sit, ac ejus tempus prorogare.

XXV.

[Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus deponatur & non segregetur; dicit enim Scriptura, non vindicabis bis in idipsum. Similiter & reliqui Clerici.]

Canon hic adversari videtur Canoni 29. & 64. qui deponunt & excommunicant simùl Clericos. Ad conciliandos hos Canones, dici forsàn potest, crimina atrocia ex hâc regulâ esse excipienda; præcipuè verò violatæ fidei crimen. Simoniam autem, de qua *Can.* 29. &

CANONES V. PRIORUM SÆCULORUM.

Blaſtanes Cap. 9. litt. Δ, ex ſententia, *non vindicabis bis in id ipſum*, deducit prohibitionem imponendi pœnitentiam publicam Clericis depoſitis; eandem prohibitionem commemorat *Can. 27. Codicis Eccleſiæ Africanæ.* C. 1. *Conc. Neocæſ.* deponit; atque etiam pœnitentiæ publicæ ſubjicit Clericos fornicantes, quod minimè feciſſet, ſi notus fuiſſet *Can. Apoſt.* & pro Apoſtolico fuiſſet reputatus, vel etiam temporum Apoſtolicorum. Ex eo autem, quòd Canon *Apoſt.* mitior ſit *Neocæſarienſi*, poteſt colligi, illum eſſe hôc recentiorem.

26.

Canon 10. *Concil. Ancyrani*, & *C.* 1. *Conc. Neocæſ.* conceptis verbis cælibatum Presbyteris & Diaconis præcipiunt. Sed hunc, ex inſtitutione Eccleſiaſtica tantùm procedere docent, quia *Can.* 10. ab eo diſpenſare valet Epiſcopus. Licèt autem hi Canones de Epiſcopis nominatim non loquantur, vix putari poteſt, Canones, qui Presbyteris & Diaconis continentiam præcipiunt, eadem Lege Epiſcopos non conſtringere.

Can. 4. *Codicis Africani* nominatim jubet Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, & cæteros, qui vaſa ſacra contrectant, à mulieribus abſtinere. *Canon* autem 10. *Ancyranus* oſtendit *Canonem* 26. *Apoſt.* hôc titulo non fuiſſe inſignitum: probabile enim non eſt, Epiſcopo demandaturum fuiſſe diſpenſandi facultatem, à Canone tàm venerandæ autoritatis.

27.

Canon hic ex duobus Scripturæ locis confectus eſt. Unus ex PAULI ad *Timoth.* & *Titum*, in quo, inter Clericorum dotes, hanc inſerit, *non percuſſorem.* Alter à 1. PETRI *Epiſtolarum C. II.* deſumptus eſt; ubi fideles exhortans ad ferendam patienter perſecutionem, CHRISTI exemplo utitur: qui, licèt Innocens pro iis paſſus erat, atque ità patienter, ut, cùm malediceretur, non malediceret, cùm pateretur, non comminaretur.

Equidem apud *Gratianum C.* 2. *Diſt.* 45. extat *Canon* Sæculi IV. huic argumento affinis: vetat enim Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos verberare Subditos ſuos, qui peccant. Sed ſuppoſititius eſt ille Canon, ſicut Synodus Romana ſub *Silveſtro I.* ex qua deſumptus eſt.

28.

Concilium *Antioch.* idem ferè præcipit *Can.* 4. verba ejus ſunt: *Si quis Epiſcopus à Synodo vel Presbyter vel Diaconus, à proprio Epiſcopo depoſitus, aliquid de miniſterio agere auſus fuerit; nullam amplius ſpem reſtitutionis in alia Synodo neque defenſionis locum ei habere liceat.*

Quantumvis ſit, inter hos Canones, in verbis diſcrimen, in ſubſtantia conſentiunt; quod enim in altero eorum non continetur, ſubaudiri neceſſe eſt: v. gr. in *Can. Antioch.* de criminum vulgatione tacetur: Sed cùm nemo damnari debeat, niſi propter crimina, ſecundùm Juris regulas manifeſta, id eſt, vel per confeſſionem rei, vel depoſitionem teſtium, aliamve ſimilem viam; patet hanc manifeſtationem à *Canone* ſupponi. In Canone *Apoſt.* non dicitur Epiſcopum à Synodo Presbyterum & Diaconum à proprio Epiſcopo fuiſſe depoſitos; ſed cùm alia non ſit legitima depoſitionis forma, credibile eſt id in *Can.* ſubaudiri. Quod attinet ad pœnam, depoſitio perpetua ſatis per ſuam diuturnitatem compenſat alterius pœnæ, ſcilicet excommunicationis, gravitatem. Sed, etiamſi major eſſet diſſimilitudo, non tolleretur ſuſpicio Canonem *Apoſt. à Canone Antiocheno* eſſe deſumptum; quippe quæ ex induſtria, ad tegendam fraudem, procedere poteſt.

29. 30.

Obſervandum eſt primùm, *Can*, 30. nihil continere præter expoſitionem 29. rarò enim accidit, ut, abſque pecuniâ, Principes ad hæc procuranda moveantur:

CANONES APOSTOLORUM.

communicationem cum Judæis & Hæreticis in Oratione, de qua *Can.* 64. agit, valdè ad infidelitatem accedere.

XXVI.

[Ex iis, qui, non ducta uxore ad Clerum promoti ſunt, jubemus, ſi velint, uxorem ducere Lectores & Cantores ſolos.]

XXVII.

[Epiſcopum, vel Presbyterum vel Diaconum, qui verberat fideles, qui peccant, vel infideles, qui injuriam fecerint, & per hæc vult perterrefacere, deponi jubemus. Dominus enim nequaquam hoc nos docuit; contrà autem, ipſe verberatus non repercuſſit, maledictis petitus, maledicta non retulit, patiens, non minatus eſt.]

XXVIII.

[Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus juſtè ob manifeſta crimina depoſitus, ſibi aliquandò creditum miniſterium attingere audeat, ab Eccleſia omnino abſcindatur.]

XXIX.

[Si quis Epiſcopus per pecunias hanc ſit dignitatem aſſecutus, vel Presbyter, vel Diaconus, deponatur, & ipſe & qui eum ordinavit & à Com-

CANONES V. PRIORUM SÆCULORUM.

tur: eorum quippè ministri vix aliquem gratis autoritate sua juvant.

Satis erit igitur, si reperiamus aliquem veterem Canonem, qui cum 29. penitùs congruat.

Canon ille est 2. *Calcedon.* qui de Ecclesiasticarum dignitatum venditionibus loquitur, pœnasque in emptores, atque in venditores, decernit. Hæc sunt ipsius verba: „Si quis Episcopus propter pecunias „ ordinationem fecerit, & non venalem gratiam in „ venditionem deduxerit, & propter pecunias ordi„ naverit Episcopum, vel Corepiscopum, vel Pres„ byterum, vel aliquem eorum, qui in Clero annu„ merantur, vel propter pecunias promoverit Oeco„ nomum, vel Defensorem, vel Paramonarium, seu „ Monasterii administrum, vel aliquem ex Canone „ turpis lucri gratiâ, qui hoc tentasse convictus fue„ rit, de proprio gradu in periculum veniat, & qui „ est ordinatus ex ordinatione vel promotione, quæ „ instar mercatorii venum datur, nihil juvetur; sed „ sit à dignitate, vel curatione, quam pecuniis ad„ eptus est, alienus. Si quis autem adeo turpibus „ & nefariis lucris intercessor apparuerit, hic quoque „ si sit Clericus, proprio gradu excidat, sin verò „ Laïcus, aut Monachus, anathematizetur„.

Can. 11. *Cauſ.* 1. *q.* 1. S. GREGORIO NAZIANZ. adscriptus, excommunicat ac deponit simùl eum, qui sacros emit Ordines, sed ille *Canon* ex Operibus ejus Docoris desumptus, non est, quæ nihil simile continent.

31.

„ Si quis Presbyter superbia Inflatus secernendum „ se ab Episcopi sui communione duxerit, ac sepa„ ratim cum aliquibus, Schisma faciens, Sacrificium Deo „ obtulerit, anathema habeatur & locum amittat„. *Can.* 11. *Codicis Ecclesiæ African.*

Can. 6. *Synodi Gangr.* anathemate ferit eos, qui religiosos Conventus extrà Ecclesiam factitant.

Hi Canones conjuncti substantiam definitionis *Can. Apost.* continent, cujus triplex est Caput. 1. Quæri potest, quodnam sit illud Schisma quod damnat? 2. Quoniam de causa tantoperè execrandum sit? 3. Quænam in Schismaticos, & eos, qui illis adhærent, proponatur pœna? Hæc autem omnia in nostris *Can.* facilè deteguntur, 1. Docent illud vetitum Schisma fieri per conventus religiosos & Sacrificia seorsim à Pastore oblata. 2. Superbiam & ambitionem esse causam hujus Schismatis, 3. Deponendos esse Clericos Altare erigentes, & Laïcos eorum assecias, esse excommunicandos. Diximus eos, quoad substantiam, convenire: Quædam sunt enim circumstantiæ in *Can. Apostol.* expressæ, quæ in aliis duobus omittuntur; sed subaudiri debent. Hæ autem sunt, 1. Ut Schisma nefarium sit, oportere, ut Pastoris, qui deseritur, nec fides nec mores fuerint damnati; hæc autem conditio ibi continetur, ubi dicitur, Schisma vetitum illud esse, quo superbia inflati, se, à legitimi Pastoris communione, secernunt. 2. Schismatis duæ ejusque assecIæ pluries antè Excommunicationem, & Depositionem, sunt admonendi. Hæc autem conditio semper requiritur ad Depositionem, & Excommunicationem, quoties delinquentes ob contumaciam coërcendi sunt.

Ideò autem *Canon Afric.* excommunicat simùl, ac deponit authorem Schismatis, quia sæpè Hæresis accedit Schismati, *Can.* 5. *Concil. Antioch.* magis etiam ad hunc accedit; iisdem enim verbis constat, & tres admonitiones depositioni præmittendas, commemorat.

32.

Sententia generalis, eum qui, à proprio Episcopo excommunicatus est, ab aliis recipiendum vetans, legitur *Can.* 5. *Con. Nicæni* & *Can.* 6. *Concil. Antiocheni.* Addunt illi Canones Exceptionem, scilicet, si Excommunicatio injusta à Synodo pronuntiata fuerit.

Inutilis est Exceptio, quam affert *Canon Apost.* Nàm successor ejus qui excommunicavit, alium non

CANONES APOSTOLORUM.

Communione etiam omninò excindatur, ut Simon Magus à me Petro.]

XXX.

[Si quis Episcopus Sæcularibus Potestatibus usus, per eas Ecclesiam adeptus sit, deponatur, & segregetur, & omnes illi, qui communicant.]

Tantillùm à *Calcedonensi Can.* recedunt hi, ut illius compendium merum esse videantur, cui aliquid novi ad tegendam ejus originem intextum est. In eò enim discrepant, 1. Quòd *Concil. Calcedonense* Ordinibus Sacris Ecclesiastica Officia conjungit, & venditoribus atque emptoribus intercessores adjicit. 2. Quòd *Can. Apost.* deponit simùl & excommunicat eos, qui à *Calced.* tantùm deponuntur. Sed leve est hoc discrimen: & præterea, si quædam neglexit *Can. Calcedon.* quæ scripta sunt in *Can. Apost.* & quædam omisit *Canon Apost.* quæ leguntur in *Calcedon.* dicere possumus, authorem eorum Canonum, eadem de causâ, qua aliquid adjiciendum judicavit, aliquid etiam detrahendum censuisse.

In 30. *Can.* Apost. de Episcopatu solo agitur, quia se, solius hujus dignitatis Electioni, Princeps immiscebat.

Quoniam verò antequàm Principes Christiani fierent, eorum authoritate abuti nemo potuit, ad consequendum Episcopatum, omninò credibile est, hunc Canonem antè Sæculum IV. quo Principes fidem amplexi sunt, confectum non fuisse.

XXXI.

[Si quis Presbyter, contempto proprio Episcopo, seorsim collectas egerit, & alterum Altare fixerit, Episcopo suo in religione, ac justitia, nulla in re condemnato, deponatur ut ambitiosus: est enim Tyrannus. Similiter autem & reliqui Clerici, & quotquot ei accesserint: Laïci autem segregentur. Hæc autem post unam alteramque & tertiam admonitionem fiant.]

XXXII.

[Si quis Presbyter vel Diaconus ab Episcopo sit segregatus, non liceat alii eum recipere, quàm qui eum segregavit; nisi fortè mortuus sit Episcopus, qui eum segregavit.]

CANONES V. PRIORUM SÆCULORUM.

habet Episcopatum, aliamve Jurisdictionem, quàm ejus Prædecessor habebat.

33.

Can. 7. 8. *Conc.* Antiocheni, *Canon.* 11. *Concil. Calcedon.* docent extraneos absque pacificis Epistolis haud esse recipiendos, atque eò usque cum *Can. Apost.* consentiunt. *Canon Calcedon.* pacificas à commendatitiis distinguit, in eo, quòd hæ suspectis tantùm personis dentur. *Canon. Antioch.* concedendarum pacificarum facultatem Episcopo reservat, sinit tamen probatissimos Corepiscopos eas quoque largiri.

Aliud discrimen observari potest inter hos Canones & *Can. Apost.* scilicet, quòd illi de Laïcis & Clericis promiscuè loquantur, hic de Majoribus tantùm Clericis.

34.

C. 9. *Antioch.* „ Episcopos, qui sunt in una qua„ que Provincia, scire oportet, Episcopum, qui præest „ Metropoli, & Curam suscipere totius Provinciæ, eo „ quod in Metropolim undequaque concurrant om„ nes, qui habent negotia: undè visum est eum „ quoque honore præcedere. Reliquos autem Episco„ pos nihil magni momenti aggredi sine ipso, ut „ vult antiquior, qui obtinuit à Patribus nostris Ca„ non, vel ad ea sola quæ ad uniuscujusque paræciam „ conferunt, & regiones, quæ ei subsunt. Unumquem„ que enim Episcopum habere paræciæ suæ potesta„ tem & administrare pro unicuique conveniente re„ ligione, & totius regionis, quæ suæ Urbi subest, Cu„ ram gerere, ut etiam ordinet Presbyteros & Dia„ conos, & unaquæque cum judicio tractet, & ni„ hil ultrà facere aggrediatur sinè Metropolitano Epis„ copo, neque ipse sinè reliquorum Sententia „.

Qui conferet hos Canones prorsùs deteget, *Can. Apost.* esse Canonis Antiocheni compendium merum. Uterque enim nihil aliud docent, nisi Metropolitanum, ut caput, & principem Provinciæ Episcopum, à cæteris veneratione colendum esse: eos debere communia Provinciæ negotia, cum eo conficere; adeò ut, circà hæc, sicut Metropolitanus, sinè Episcopis nihil valet, ità hi, sinè Metropolitano nihil possint. Denique negotia singulis Diœcesibus peculiaria, à singulis Episcopis esse curanda.

35.

Can. 2. *Conc. Constantinop.* 1. „ Non vocati autem „ Episcopi, ultrà Diœcesim ne transeant, ad Ordi„ nationes, vel aliquas alias administrationes Eccle„ siasticas „.

Can. 13. *Antioch.* „ Si Episcopus, nullo vocante, „ ad aliquorum Ordinationem, & Ecclesiasticarum re„ rum ad se non pertinentium Constitutionem, inor„ dinatè insolentèrque processerit, sint irrita ab ipso „ gesta, & in Synodo depositus pœnas det „.

36.

Can. 17. *Antioch.* „ Si quis Episcopus, accepta „ manuum impositione, & Populo præesse jussus, „ munus non susceperit, nec, ut ad sibi concredi„ tam Ecclesiam proficiscatur, persuaderi possit, is „ sit excommunicatus, donec coactus suscipiat, vel „ perfecta Synodus Episcoporum Provinciæ de illo „ aliquid decernat „.

Conc. 18. *Antioch.* „ Si quis ordinatus non ierit „ ad Paræciam, ad quam est ordinatus Episcopus, „ non suâ quidem culpâ, sed propter Populi recusa„ tionem, vel aliquam aliam causam quæ à se non „ oritur, is sit & honoris & muneris particeps, dum„ modò nullam rebus Ecclesiæ, in quâ convenit, „ molestiam afferat: is autem id suscipiat, quod per„ fecta Provinciæ Synodus, quoad se allatum est, „ judicando statuerit „.

Can. 18. *Conc. Ancyrani* loquitur de Episcopis, qui non suscipiuntur in sedibus, ad quas fuerant addicti, ac jubet, *Si velint in Presbyterio residere, in quo prius erant Presbyteri, ipsos honore non moveri.* Quod intelligendum est de honore Episcopatûs, quo spoliarentur, si

CANONES APOSTOLORUM.

XXXIII.

[Nullus Externorum Episcoporum, vel Presbyterorum, vel Diaconorum, sinè commendatitiis recipiatur; his verò allatis, examinentur, &, si fuerint præcones pietatis recipiantur: sin minùs, iis quæ sunt necessaria illis exhibitis, ad Communionem eos ne admittatis; multa enim per subreptionem fiunt.]

Attendendum est quod hic præcipitur circà Excussionem eorum, qui commendatitiis instructi sunt. Cujus ratio est, Episcopum, à quo impetratæ sunt hæ Litteræ, fortè deceptum fuisse. Eadem de causa cautiùs agunt, qui discutiunt eos, qui Ordines petunt cum Litteris Dimissoriis proprii Episcopi, licèt testetur eos prævia Inquisitione dignos, qui admitterentur inventos fuisse.

XXXIV.

[Episcopus unius cujusque Gentis nosse oportet eum, qui in eis est Primus, & existimare eum ut Caput: & nihil facere quod sit magni momenti præter illius sententiam: illa autem facere unumquemque quæ ad suam parochiam & pagos qui ei subsunt: sed nec ille absque omnium sententia aliquid agat, sic enim erit concordia, & glorificabitur Deus per Dominum JESUM CHRISTUM & Pater per Dominum in Spiritu Sancto, Pater, Filius & Spiritus Sanctus.]

Quod dicitur in fine hujus *Canonis*, Episcopis concordi animo cum suo Metropolitano agentibus, Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum per hanc concordiam glorificari, adeò luculentum est testimonium fidei Deum in tribus Personis credentis, ut luculentius antè Arii errorem non exstat, quod cùm adversùs Arianos nunquàm adductum sit, oportet ut hic *Canon* non nisi post damnatum Arium confectus sit.

XXXV.

[Episcopus ne audeat extra fines suos facere ordinationes in Urbibus & pagis sibi non subjectis; sin autem hoc fecisse convictus fuerit, præter eorum sententiam qui tenent urbes illas & pagos, deponatur & ipse, & ii quos ordinavit.]

XXXVI.

[Si quis ordinatus Episcopus non suscipiat Ministerium, & Curam Populi sibi commissam, sit segregatus, donec eam susceperit: Similiter Presbyter & Diaconus. Sin autem profectus, non susceptus fuerit, non sua quidem voluntate, sed propter Populi improbitatem, ipse maneat Episcopus: Clerus autem civitatis segregetur, quòd hujusmodi insolentis Populi correctores non fuerint.]

Hic Canon cautionem continet, quæ nullibi reperitur; scilicet Clerum Urbis, cujus incolæ Episcopum sibi præfectum non suscipiunt, segregandum esse; quia ejus in coercenda plebe negligentia illius audaciæ viam aperit.

XXXVII.

CANONES V. PRIORUM SÆCULORUM.

si sedem sibi constitutam, aliamve invadere tentarent.

37.

Can. 5. *Nicænus* jubet, 1. Bina quotannis Concilia, in singulis Provinciis, haberi, ad discutienda judicia ab Episcopis lata. 2. Ea interim judicia impleri. Quantùm ad Tempus attinet, *Canon* vult prius antè Quadragesimam celebrari, ut corda per jejunium purgentur à sordibus, quas litigando contraxerunt. *C.* 20. *Antiochen.* docet Provinciales Synodos, ad procurandam Ecclesiæ authoritatem haberi, sed præsertim ad dirimendas Controversias Ecclesiasticas, easque bis in anno in singulis Provinciis celebrandas: priorem quartâ post Pentecostem hebdomadâ, alteram Idibus Octobris, quæ malè redduntur in Pandectis *Beveregii*, per 10. *Octobris* diem, item in *Codice Ecclesiæ Romanæ*, ac in Veteri Versione per *Justellum* edita: 15ª. enim tantùm die hujus Mensis collocandæ sunt, ut in *Codice Ecclesiæ Universalis* ejusdem *Justelli*, & in *Codice Dionysii Exigui*. Denique in his omnibus Collectionibus, Mensis October *Hyperberetæus* vocatur, ut in *Canone Apost.*

38.

Can. 25. *Conc. Antioch.* Hic Canon tribuit Episcopo administrationem Rerum Temporalium ejus Ecclesiæ, eâ lege, ut eam peragat ex Presbyterorum vel Diaconorum sententiâ. Vetat eum ultrà necessitatem aliquid sibi adscisere, & sinere ut à proximis aut famulis suis bona Ecclesiæ exhauriantur: quod si in alterutro peccaverit, ejus delicti rationem reposcet Synodus Provincialis. Quoniam obscuri judices admotis eorum fontibus illustrantur. *Can.* Apost. lucem afferet hìc *Can. Antioch.* Ex eo enim patet, 1. Non prohiberi Episcopum ea quæ sibi opus sunt, sumere, 2. Episcopum non administrare seorsim, sed cum Presbyteris aut Diaconis, 3. Eum rationem suæ administrationis, non solùm in altera, sed etiam in hâc vitâ, reddere debere, eamque, non solùm de iis, quæ ipse, sed etiam quæ ministri ejus, aut proximi, dilapidaverunt.

39.

In Canonibus V. Priorum Sæculorum satis appareret esse quædam, quæ Sacerdotes, absque licentiâ, vel approbatione Episcopi gerere nequeunt. Sic *Canon* 43. vel 46. (pro diversa computandi ratione) *Codicis Ecclesiæ Africanæ*, Sacerdos absolutionem Pœnitenti publico dare prohibetur, absque consensu Episcopi. Sed hoc ita definitur, quia pœnitentium absolutio, non secùs ac pœnitentiæ impositio, Episcopo reservata erat. *Can.* 13. *Conc. Neocæsar.* Sacerdotes rusticani, in Ecclesiâ urbanâ, præsente Episcopo, mysteria celebrare nequeunt, vel Eucharistiam distribuere. Sed indè confici non potest, Sacerdotes, sinè licentiâ Episcopi perficere nihil valere, quia 1. Quod ibi definitur in gratiam Episcopi, id etiam definitur in gratiam Sacerdotum Urbanorum. 2. His officiis fungi poterant in Ecclesiâ Urbanâ, absentibus Episcopo, vel Sacerdotibus Urbanis. 3. Hic *Canon* significat, hæc ruri gerere posse Sacerdotes rusticanos; si quidem prohibitio Ecclesiam Urbanam tantum spectat.

In nullo Canone reperitur regula tantæ generalitatis, Sacerdotes scilicet, nihil valere, sinè Episcopi sententia. Ratio est quòd, cùm Sacerdotio quædam munia annexa sint, oportet ut Presbyteri, absque licentiâ speciali, ea implere valeant.

Ad salvandum Canonem *Apost.* dicendum est, eum loqui de negotiis Communibus Diœceseos, vel de Casibus Episcopo reservatis, aut de Officiis, ad quæ solus Ordo non sufficit; sed requiritur aliqua pars Jurisdictionis Episcopo attributæ.

Inter negotia communia numerari potest administratio redituum Diœcesi necessariorum, & possumus suspicari, hâc de causâ, *Can.* 7. 8. *Concil. Gangr.* prohibere, dari, vel recipi Oblationes Ecclesiæ factas, sinè consensu Episcopi, ejusve, cui hanc curam mandavit.

CANONES APOSTOLORUM.

XXXVII.

[Bis in anno fiat Episcoporum Synodus, & inter se examinent decreta Religionis, & incidentes Controversias Ecclesiasticas dirimant, semel quidem quartâ hebdomadâ Pentecostes, iterùm autem hyperberetæi duodecimo.]

Per *Decreta Religionis*, quæ à Synodis Provincialibus discutienda sunt, *Fidei decreta* sunt intelligenda; quia hæc decreta potissimùm decet *decreta Religionis* vocari; undè sequitur, illo tempore, quò confecti fuêre *Can. Apost.* existimatum fuisse, quæstiones circà fidem versantes, posse in prima instantia à Synodis Provincialibus discceptari.

XXXVIII.

[Omnium Rerum Ecclesiasticarum curam Episcopus gerat, & eas administret, tanquàm Deo intuente: Ne liceat autem ex eis aliquid sibi vindicare, vel propriis cognatis, quæ Dei sunt largiri: Si autem sint pauperes, ut pauperibus suppeditet: sed non eorum prætextu vendat, quæ sunt Ecclesiæ.]

Hic & sequentes usque ad 41. facti videntur ex *Can.* 24 & 25. *Antiochen. Concil.* quibusdam ex industriâ ad tegendum furtum immutatis, sed præsertim, initium ad finem, & finem ad initium transferendo.

XXXIX.

[Presbyteri & Diaconi sinè Sententiâ Episcopi nihil perficiant; ipse enim est, cujus fidei Populus Domini creditus est, & à quo, pro animabus, ratio exigetur.]

CANON. V. PRIORUM SÆCULORUM.

40.

Can. 24. *Antioch.* Rectè habet ut, ea quæ sunt Ecclesiæ, Ecclesiæ serventur cum omni cura & bona conscientiâ, & fide in omnium præsidem & judicem Deum, quæ etiam administrari convenit cum judicio & potestate Episcopi, (hæc omnia leguntur in *Can.* 38. *Apost.* sed mutatis verbis, & inverso ordine) cui est populus concreditus, & eorum animæ, qui in Ecclesia congregantur. (Hinc desumpta est ratio *Can.* 39. annexa, propter quam Sacerdos nihil valet absque Sententia Episcopi.)

Sint autem manifesta quæ ad Ecclesiam pertinent, cum cognitione Presbyterorum & Diaconorum, qui circà ipsum sunt; ut ipsi sciant & non ignorent quæ sunt Ecclesiæ propria; ut si contingat Episcopum migrare ex vitâ, iis manifestis existentibus quæ ad Ecclesiam pertinent, ne ea intercidant & pereant, nec quæ sunt propria Episcopi rerum Ecclesiasticarum prætextu vexentur. Est enim justum apud Deum & homines acceptum, ut Episcopus propria quibus velit relinquat, quæ sunt Ecclesiæ ipsi serventur, ut nec Ecclesia aliquod damnum sustineat, nec Episcopus Ecclesiæ pretextu proscribatur, vel qui ad eum attinent in causas incidant quibus & ipse post mortem maledictione oneretur.

41.

Jam vidimus in Canon. 38. 39. statutum, quod hic iteratur, de facultate, quam habet Episcopus, administrandi temporalia suæ Ecclesiæ, atque hujus regulæ rationem.

Hæc administratio tribuitur quoque Episcopo, à Can. 25. *Antioch.* modusque ejus exercendi ibi continetur. Quod hic adjicitur, posse Episcopum in suos, atque suorum hospitum usus, convertere reditus Ecclesiæ, non omittitur in *Antiocheno*, cum hac cautione, non debere Episcopum ultrà quam opus habet sumere, juxtà istud PAULI, *Victui & vestitui necessaria habentes his contenti simus.*

Qui sentiunt Ministros Sacros licèt pingui Patrimonio instructos, è reditibus Ecclesiæ decerpere posse, undè se honestè exhibeant; clausulam Canon. Apostolorum, *si tamen indiget*, accipiunt in sensu Conc. *Antioch.* scilicet, si illud, quod insumitur ad eos exhibendos, reverà necessarium sit. Iidem Authores opinionem suam possunt confirmare, eodem quo utitur Canon argumento, ad probandum, posse Episcopum in suos usus convertere bona Ecclesiæ. Scilicet, legem Dei statuere, ut qui altari ministrant, ex altari alantur; eandemque esse conditionem ministrorum ac militum & centurionum, qui suis stipendiis nunquam militant. Hæc enim à Paulo accepta ratiocinia Clericum divitem ab egeno non distinguunt.

42. 43.

Inter Canones V. Priorum Sæculorum atque hos duos *Apost.* aliam non reperio consonantiam, nisi quòd illi quoque ebrietatem Clericis interdicant, cum hoc discrimine, quòd Can. *Apost.* eam nominatim prohibeant, & per Depositionem vel Excommunicationem coërceant; illi verò in ejus causâ tantùm ei occurrant, vetando scilicet Cauponarum frequentationem. Eorum autem præcipui sunt Can. 24. *Conc. Laod.* qui vetat omnes Clericos, à Sacerdote ad minimum Clericum facta enumeratione, ad popinam ingredi. C. 40. Concil. Carth. apud Dionysium Exiguum, vel 43. apud *Beveregium*, qui excepta necessitatis causa, prohibet Clericos ad manducandum vel bibendum cauponam adire. Quantum attinet ad aleam, quæ Clericis per eosdem Canones interdicitur, eam tacent Canones V. Priorum Sæculorum; sed Leges Civiles *ff. Lib. II. Tit. V.* ejus horrorem nobis incutiunt, dùm ait Prætor: 1°. Si quis eum apud quem alea lusum esse dicitur, verberaverit damnumve ei dederit, sivè quid eo tempore dolo ejus substractum

CANONES APOSTOLORUM.

XL.

[Manifestæ sint Episcopi res propriæ, siquidem res habet proprias; & manifestæ res Dominicæ: ut sit in potestate morientis Episcopi, propria quibus vult, & ut vult, relinquere, & non rerum Ecclesiasticarum occasione res Episcopi, intercidant, qui nonnunquam uxorem habet & Liberos, vel cognatos, vel famulos; est enim justum apud Deum & homines, ut nec Ecclesia damnum aliquod accipiat propter rerum Episcopi ignorationem, nec Episcopus vel ejus cognati Ecclesiæ occasione proscribantur, vel in negotia, litesque incidant qui ad eum pertinent, & ejus mortem maledictis prosequantur.]

Hic Canon superiori connectitur apud Dionysium Exiguum, perindè atque in *Can.* 24. Conc. *Ant.* ex quo ferè ad 1. verbum desumptus est, per hanc connexionem facilè exponitur Canon superior, qui de administratione redituum Ecclesiasticorum proindè loquitur.

XLI.

[Jubemus Episcopum rerum Ecclesiæ potestatem habere. Si enim pretiosæ hominum animæ sunt ei credendæ, multò magis sunt committendæ pecuniæ; ut in ejus sit facultate omnia administrare, & iis qui egent per Presbyteros & Diaconos subministrare cum Dei timore & omni Religione, etiamsi sit opus in necessarium suum usum, & fratrum qui hospitio excipiuntur, ità ut ipse nullo modo egeat: Lex enim Dei statuit, ut qui altari assident ex altari alantur; quandoquidem nec miles unquam viatico suo adversùs hostes progreditur.]

Valdè cavendum est ne ad bona profana producatur argumentum, hoc Canone, contentum, quo conficitur Episcopo dandam esse administrationem redituum Ecclesiæ, ex eo quod animarum curam gerat, quæ his bonis longè pretiosiores sunt: nam bona Ecclesiastica inter res spirituales annumerantur, eidemque ordini ascribuntur, cui animæ, ad quarum salutem constituti sunt. Valet autem consecutio à majori, inter res ejusdem ordinis sed bona profana ex ordine rerum temporalium sunt, multum à rebus temporalibus discrepante, ad quem ex hoc valere non debet consecutio.

XLII.

[Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus aleis, & ebrietatibus vacans, vel desistat, vel deponatur.]

XLIII.

[Hypodiaconus, vel Lector, vel Cantor, similia faciens desistat vel segregetur, itidem & Laïci.]

Licèt Ebrietas impudicitiæ mater sit, aliter in his Canonibus coërcetur, quam impudicitia, in 25. Can. Apost. & in Can. 1. & 9. Conc. Neocæs. Nam hîc ad depositionem requiritur consuetudo; *ebrietatibus vacans*; & consuetudo inveterata, *aut desistat.* In cæteris, unicum delictum antè vel post ordinationem admissum ad depositionem sufficit.

Ex his etiam Canonibus sequitur eo, quo confecti fuêre, ævo non omnia peccata mortalia ab ordinibus excluisse, quoniam ebrietas nisi iteraretur, atque in ea perseveraretur, depositioni non erat obnoxia, nec consequenter exclusioni à promotione ad Ordines; nàm

CANONES V. PRIORUM SÆCULORUM.

tum est, judicium non dabo. 20. In eum qui aleæ ludendæ causa, vim intulerit, vel quæque res erit animadvertam.

44.

C. 17. *Nicænus.* Hic Canon eadem pœnâ propositâ vetat Clericos pecunias suas lucri gratiâ, fœnori, sivè magno, sivè parvo collocare. Can. 4. Concil. *Laod.* idem prohibet; sed de Sacerdote duntaxat loquitur, nisi per Sacerdotes omnes Clericos intelligat, ut nonnumquam ab antiquis factum est.

45.

Can. 33. Conc. Laod. Quòd non oportet unà cum Hæreticis vel Schismaticis orare; Hic Can. *Apost.* in iis etiam continetur, qui orare cum excommunicatis vetant.

46.

Ex *Can.* 19. *Conc. Nicæni*, & 70. *Conc. Constantinop.* 1. Discimus Sæculo IV. extitisse Hæreticos quorum Baptisma rejiciebatur, & alios quorum admittebatur. Priores sunt Paulianistæ, Anomiani, Montanistæ, Sabbelliani, atque ii omnes qui propter similes errores Baptismi formam immutabant. Canon. 8. Concil. *Laod.* rejicit quoque Baptismum Montanistarum. In eodem Sæculo *S. Basilius* eadem distinctione utitur. Adi BEVAREG. *Tom. II. pag.* 7. Syntagmatis alphabetici *Blastaris*, Littera A. C. 2. ubi præcipuè observandum est, vocabulo *Hæretici* non donari, nisi eos quorum Baptisma reprobatur; cæteri, licèt in errore sint, Schismatici tantùm nuncupantur. Fieri potest ut author Canon. *Apost.* hoc sensu usurpaverit verbum *hæretici*, licèt ratio quam affert, ad reprobandum Baptismum Hæreticorum, Schismaticis etiam possit accommodari; filii enim Belial sunt ii, qui sponte in errore commorantur, & ab Ecclesia Catholica avulsi sunt. Sæpè accidit, ut nimium probandi studium rationes nimis probantes proferat. *Zonaras, Balsamon, Aristenus;* hujus Canonis doctrinam non reprehendentes, significant, illam ab Ecclesiâ Græcâ, eorum ætate, admitti.

47.

Canon hic duabus partibus constat: Posterioris substantia continetur in 46. Prior Donatistas videtur perstringere, qui iterùm abluebant à Catholicis baptizatos. Illos quoque damnat, qui denuò baptizare audèrent eos, qui abluti sunt apud Hæreticos, aut Schismaticos, quorum verus est Baptismus. Juxtà C. 7. Conc. *Constantinop.* 1. inter hos numerandi sunt Ariani, Macedoniani, Sabbelliani, Novatiani, Quartodecimani, ceu Tedraditæ, Appollinaristæ. Ratio quæ pro utraque parte affertur, significat, authorem putâvisse, Baptismi veri Ministrum esse verum Sacerdotem; dicit enim eum qui Catholicorum Baptisma iterat, vel Hæreticorum admittit, non distinguere veros à falsis Sacerdotibus. Sed fortè, per Sacerdotes intelligit Ministros; & falsos Ministros nuncupat omnes, qui juxtà suum ritum, verum Baptismum conferre non poterant.

48.

Licèt hic Canon immediatè videatur ex Evangelio desumptus fieri potest ut juxtà *Can.* 102. *Cod. Ecclesiæ Africanæ* confectus sit, cujus verba sunt, *Placuit ut secundum Evangelicam & Apostolicam Disciplinam, neque dimissus ab uxore neque dimissa à marito alteri conjungatur, sed sic maneant vel sibimet reconcilientur: quod si contempserint ad pœnitentiam redigantur, in qua causa Legem Imperialem petendam promulgari.*

Ideo adversùs divortia petendam esse Legem definiunt Patres Africani, quia An. 331. promulgata fuerat Lex, quæ Christianum à Pagano non distinguens, authoritatem dabat repudio, cum facultate aliùs ineundi in certis casibus Matrimonii. Lex illa extat in *Cod. Theodos. Lib.* 3. *Tit.* 16. *Leg.* 1. Ablavio inscripta.

49.

In V. Prioribus Sæculis nullum Concilium loquitur

CANONES APOSTOLORUM.

nàm delicta depositioni obnoxia à promotione quoque excludebant.

XLIV.

[Clericus à debitoribus usuras exigens, aut desistat aut deponatur.]

LXV.

[Episcopus vel Presbyter vel Diaconus, qui cum Hæreticis comprecatus est, segregetur: sin autem eis tanquam Clericis aliquid operari permiserit deponatur.]

XLVI.

[Episcopum vel Presbyterum qui Hæreticorum Baptisma, vel Sacrificium admiserit, deponi jubemus; quæ est enim conventio CHRISTI cum Belial? aut quæ pars est fideli cum infideli?]

XLVII.

[Episcopus vel Presbyter eum qui verè habet Baptisma, si de integro baptizaverit, vel si eum, qui de impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur, ut qui irrideat Crucem Domini, & non discernat Sacerdotes veros à falsis Sacerdotibus.]

XLVIII.

[Si quis Laïcus, suâ ejectâ uxore, vel aliam acceperit, vel ab alio solutam, segregetur.]

Hic Canon de Laïco solo loquitur, quia solus Laïcus in ejusmodi delictum cadere poterat.

Cum hic Canon indistinctè prohibeat viro, qui suam uxorem dimittit, aliam ducere, adversatur distinctioni Græcorum, qui contendunt, ibi agi de divortio sine causa facto, nec cogitant, ubi Lex non distinguit, ibi nihil distingui debere.

XLIX.

[Si quis Episcopus, vel Presbyter ex Domini

CANONES V. PRIORUM SÆCULORUM.

tur de Baptismo in nomine trium Patrum, vel trium Filiorum, vel trium Spirituum collato.

50.

Can. 7. Concil. Constantinop. 1. Commemorat Baptisma unica immersione peractum. Sic baptizabant Eunomiani. Sed Canon Apostol. de aliis Hæreticis loqui videtur: nam Eunomiani unica immersione non utebantur ad significandam unicam CHRISTI mortem, sed ad fingendam unicam in Deo personam. Hæretici autem à Canone Apost. damnati, semel tantùm immergebant; quia baptizabant in mortem CHRISTI, sed fortè sensus Canonis est, quoniam Baptisma non est conferendum in nomine mortis CHRISTI, sed in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti, ità non sufficit una immersio, sed tres requiruntur.

51.

Plures Canones Synodi *Gangr.* damnant eos qui à nuptiis abhorrent, v. gr. C. 14. 9. 14. Ejusdem Conc. Canon. 2. anathematizat eos qui carnium usum detestantur. Can. 14. *Ancyr.* vetat Clericos à carne abstinere propter aliam quam Religionis causam; jubetque illam, ad vitandam omnem suspicionem, degustari.

52.

Omnes Canones V. Priorum Sæculorum, qui pœnitentiam atrociorum criminum definiunt, peccatores pœnitentes rejici vetant. Hic igitur Can. Apost. nihil docet, quod in antiquis Canonibus non contineatur, etsi à nullo speciatim, ab omnibus pœnitentialibus Canonibus desumptus est.

Canones 1. & 2. Con. *Sard.* qui communionem morientibus in certis casibus negant, huic videntur adversari; plures enim eruditi, per *Communionem*, Reconciliationem intelligunt: sed, etiamsi Canones *Sardic.* morientes absolvi prohiberent, Canoni Apost. non repugnarent. Hic enim non prohibet rejicere peccatorem, ut resipiscat; sed ejicere omninò, præclusa spe reconciliationis cum Deo. Præterea, probabile est Can. *Sardic.* loqui de participatione Eucharistiæ; quia Communionem Laïcam vocant eam, quam interdicunt etiam in morte, nullum porrò discrimen erat inter Communionem reconciliationis, tùm Clericorum, tùm Laïcorum.

53.

Canones Synodi *Gangr.* qui prorsùs à carnibus abstinere propter abominationem vetant, tàm in Dominicis, quàm in cæteris diebus, id vetant.

Canon 8. ejusdem Synodi vituperare videtur eos, qui festis diebus propter exercitationem jejunant, quod probatur à Canone Apostol. Non tamen ideò repugnant; quia Can. Apost. jejunium probat à sincera pietate descendens: Canon autem Synodi *Gangr.* vituperat jejunium à spuria pietate profectum; ut indicant hæc verba, *propter eam quæ existimatur exercitationem.*

54.

Eadem prohibitio videtur in Can. 24. Concil. *Laodic.* omnes Clericos atque etiam Monachos complectens; sed nulla pœna proponitur: hic verò adjicitur Excommunicatio.

Can. 40. vel 43. Concil. *Carth.* regulam & exceptionem hîc propositam continet; sed pœnam omittunt. Hæc sunt verba, *ut Clerici commedendi vel bibendi gratiâ Cauponam non ingrediantur, nisi hospitii necessitate compulsi.*

55. 56.

Nihil habemus in veteribus Conciliis his duobus Canonibus adfine. Prior confectus videtur ex historiâ ACT. *Cap.* XXIII. *v.* 3. 4. 5. relatâ. Can. 18. Conc. *Nicæni*, qui majorem Episcopo tribuit honorem,

CANONES APOSTOLORUM.

ordinatione non baptizaverit, in Patrem Filium & Spiritum Sanctum, sed in Tres principii expertes, vel tres Filios, vel tres Paracletos deponatur.]

L.

[Si quis Episcopus non tria unius mysterii Baptismata perfecerit, sed unum Baptisma, quod datur in mortem Domini, deponatur: non enim dixit Dominus, in meam mortem baptizate; sed, euntes docete omnes gentes, baptizantes ipsos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.]

S. Basilius triplicem immersionem numerat inter res à traditione, non à Scriptura descendentes. *Lib. de Spir. S.*

LI.

[Si quis Episcopus vel Presbyter, vel Diaconus vel omninò ex Sacerdotali numero, à nuptiis, carnibus, vino, non propter exercitationem sed propter abominationem abstinet, oblitus quòd omnia pulchra valdè, & quòd masculinum & fœmininum fecit Deus hominem, sed blasphemans calumniatur opificium; vel corrigatur vel deponatur, & ex Ecclesia ejiciatur, similiter & Laicus.]

LII.

[Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, eum qui à peccatis convertitur, non recipit, sed ejicit; deponatur: quoniam CHRISTUM molestiâ afficit, qui dixit gaudium est in Cœlo propter unum peccatorem pœnitentiam agentem.]

LIII.

[Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus in festis diebus, carnem & vinum non sumit, abhorrens non propter exercitationem, deponatur, ut qui habeat injustam conscientiam propriam, & sit multis offensionis causa.]

LIV.

[Si quis Clericus in Cauponam comedens deprehensus fuerit, segregetur; præterquàm si in publicum diversorium, propter necessitatem diverterit.]

LV.

[Si quis Clericus Episcopum contumeliâ affecerit, deponatur: Principi enim Populi tui non maledices.]

LVI.

[Si quis Clericus Presbyterum vel Diaconum, injuriâ affecerit, segregetur.] Nihil

CANONES V. PRIORUM SÆCULORUM.

rem, quàm Presbytero, vel Diacono, ostendit quoque contumeliam Episcopo inustam summa cum æquitate graviùs puniri, quàm quæ Presbytero vel Diacono irrogatur. Ille igitur Canon fundamentum continet discriminis inter Canon. 55. & 56. Apost. extantis.

57.

Canones qui vetant abhorrere ab operibus divinis rationis & sensus expertibus, superiùs laudati, docent irridendas non esse creaturas rationis participes, quorumdam vitiorum naturalium occasione. Hi sunt Can. 2. Conc. *Gangr.* & C. 14. Concilii *Ancyrani.*

58.

Can. 18. & 19. Conc. *Laodiceni* docent, tantam esse Episcopi ad Sacras Conciones obligationem, ut illæ inter officii mysteriorumque partes numerarentur. Hoc sensu legitur in *Codice Ecclesiæ Universalis*, & in *Pandectis* BEVEREGII, *post Sermones Episcoporum.* Idem sensus est harum vocum, *post Allocutiones Episcoporum*, apud Dionysium Exiguum; & harum, *post tractatum Episcoporum, in Cod. Ecclesiæ Romanæ.* Hujus obligationis gravitas magis innotescit per *Can.* 12. ejusdem Concilii. Inter præcipuas enim dotes, quibus Sacerdos instructus esse debet, ut in Episcopum assumatur, hæc requiritur, ut diù probatus sit, *& in verbo fidei, & in recti verbi dispensatione.* (apud *Beveregium*) Jamverò si, ut quis fieret Episcopus, diù in verbi ministerio probandus erat, patet, Sacerdotes concionari solitos esse, atque etiam ad concionandum astrictos.

59.

Si Canon hic, de ferenda Clericis egentibus ope ex reditibus Ecclesiæ, loquatur, innititur Canoni 25. Conc. *Antioch.* qui Episcopo committit curam distribuendorum pauperibus illorum redituum, è quibus Clericos potissimùm eligere debet. Si autem, de adjuvandis Clericis egentibus, ex propriis Episcopi, vel Presbyteri, bonis, hîc agatur, nullum scimus Canonem antiquum, qui de hoc officio loquatur; non quod æquum non sit; sed quia illius commemorandi opportunitas non adfuit.

60.

Hic Canon ut consecutio in suo principio continetur, in Canone 59. Conc. *Laod.* & in Can. 24. *Cod. Ecclesiæ Africanæ.*

Prioris hæc sunt verba: *quòd non oportet privatos Psalmos in Ecclesia legi, nec libros non Canonicos, sed solos Canonicos Veteris & Novi Testamenti.*

Quod, in Posteriore, nostro argumento congruit, sic concipitur: *Item placuit, ut, præter Canonicas Scripturas, nihil in Ecclesia legatur sub nomine Divinarum Scripturarum.*

61.

Si, processu temporis, aliquod delictum animæ circà personam reperiatur hujusmodi, & à duobus vel tribus testibus arguatur: à Clero talis abstineat. *Can. 2. Concil. Nicæni*, apud Dionys. Exiguum. In *Codice Ecclesiæ Universalis*, hæc verba etiam leguntur, *à Clero abstineat*: In cæteris versionibus legitur, *à Clero cesset.* Prior locutio significare videtur talem non esse promovendum; posterior, deponendum esse disertè indicat. Idem docet *Canon. 9. Concil. Neocæs.* Præmisso enim Sacerdotem peccato corporali pollutum à mysteriorum celebratione arcendum esse, si confiteatur hoc se admisisse antè ordinationem, addit, eum conscientiæ dimittendum esse, si nec illud confiteri velit, nec evidenter possit convinci.

62.

1. & 2. *Can. Concil. Ancyrani* de negatione CHRISTI, per Sacrificia Idolis oblata, loquuntur, ut significant, Presbyterum & Diaconum hujus sceleris reos, deponendos esse, nisi illud cito deleant, acriter pro CHRISTO pugnando; quod si fecerint, dignitatem suam conservantes, ab Ordinum exercitio duntaxat excludentur. 63.

CANONES APOSTOLORUM.

Nihil in Laïcos, qui talia auderent, definiunt hi Canones; fortè quia nemo Laïcus in hæc facinora prorumperet

LVII.

[Si quis Clericus claudum, vel surdum, vel cœcum, vel eum, cui vitiosus est incessus, irriserit, segregetur; similiter & Laïcus.]

LVIII.

[Episcopus & Clericus, qui Cleri vel Populi curam non gerit, & eos pietatem non docet, segregetur, &, si in negligentia & socordia perseveret, deponatur.]

LIX.

[Si quis Episcopus vel Presbyter, cùm sit aliquis ex Clericis egenus, ea quæ sunt necessaria ei non suppeditat, segregetur: sin autem perseveret, deponatur, ut qui fratrem suum interfecerit.]

LX.

[Si quis falsò inscriptos impiorum Libros tanquàm Sanctos in Ecclesia publicat, ad Populi & Clerici perniciem, deponatur.]

LXI.

[Si adversùs fidelem aliqua accusatio intendatur, vel fornicationis, vel adulterii, vel alicujus aliûs prohibitæ actionis & convictus fuerit, ad Clerum ne provehatur.]

LXII.

[Si quis Clericus, propter metum humanum, Judæi, vel Græci, vel Hæretici negaverit, siquidem nomen CHRISTI, ejiciatur: si autem nomen Clerici, deponatur: pœnitentiam autem agens, ut Laïcus recipiatur.]

LXIII.

CANONES V. PRIORUM SÆCULORUM.

63.

Canon hic ex Cap. XV. ACTOR. excerptus videtur.

Ineptè cum delictis pœnæ temperantur, dùm hinc deponitur Episcopus sanguinem comedens, illinc autem depositionis minæ fiunt in Clericum ebriosum, & in delicto suo pertinacem, ut in *Can.* 42. 43. undè verosimilius est, hunc Canonem loqui de eo, qui Mosaïcam Legem contemnens, quam vigere putaret, sanguinem comedit.

64.

Can. 32. LAOD. *Quòd non oportet cum Hæreticis, aut Schismaticis orare.* Can. 37. 38. ejusdem *Concil.* prohibent communicare cum Hæreticis, vel Judæis, in rebus ad eorum cultum pertinentibus, qui impietas nuncupatur in 38. *Can.*

65.

Can. 8. *S. Basilii* loquitur de homicidio in iræ impetu admisso ab eo, qui, non occidere, sed vulnerare tantùm intendebat. *Can.* 55. deponit Clericos, qui Latronibus obsistentes, eos occidunt; & segregat Laïcos in pari causa: nec distinguit utrùm se tutando occiderint; an aggrediendo. BALSAMON *in hunc Can.* dicit, Clericos, quocunque modo occidant, deponi, modo homicidium ex voluntate profectum sit; de hac enim homicidii specie intelligendus est hic *Can.* Jam narraverat statutum fuisse in Synodo sub Patriarcha *Constantino. Cliareno* habita, ut, secundùm Ecclesiasticas Leges, etiam Laïci, qui Latrones occidunt, sivè eos aggrediendo, ad tollendam è societate eorum molestiam, sivè se ipsos tuendo, coërcerentur, eoque graviùs, quò, ex illorum manibus elabi faciliùs poterant.

66.

Can. 18. *Concil.* GANGR. si quis, propter eam, quæ existimatur, exercitationem, in dominico jejunat, sit anathema. *Can.* 16. *&* 49. *Concil. Laod.* docent, cur, in Orientis partibus, Sabbatho jejunare illicitum erat? Scilicet, quia in pluribus rebus dies illa Dominicæ accedebat. Legebantur enim Evangelium & Scripturæ Sacræ, &, per quadragesimam, offerebatur Sacrificium: operibus autem servilibus incumbere ideò licitum erat, ne Christianos Judaïco ritu vivere putaretur.

67.

Ex *Can.* 11. *Concil. Ancyrani* patet, cur hic *Canon* 67. suam definitionem restringat ad casum, quo rapta mulier alteri desponsa non est; scilicet, quia hæc viro suo restituenda est. *Desponsas aliis puellas, & ab aliis postea raptas, placuit iis, quibus desponsæ erant reddi, etiamsi vim passæ sint.*

Canon 25. *S. Basilii* exponit, quid significet vox *segregetur:* & indicat hunc Canonem de segregatione pœnitentiæ annexa, loqui. Hæc sunt ejus verba; *Qui à se stupratam* in *uxorem detinet, stupri quidem pœnam subibit; ei autem mulierem habere permittetur.* Quibus verbis docet *Basilius*, eum, qui ducit mulierem, quam vitiaverat, ideò à pœnitentia non esse immunem.

68.

Canone 48. *Cod. Ecclesiæ Africanæ* Ordinationes iterari prohibetur. *Innocentius I.* Pontifex reprobat Ordinationes Arianorum, licèt eorum Baptisma approbet, hac de causâ, quòd, si Baptisma eorum imperfectum sit, quia Spiritum Sanctum dare nequeunt, & ideò hæc suppleatur impositis super respicientes manibus, vana est eorum ordinatio, quia multo minùs plenitudinem Spiritus dare possunt. *C.* 47. *Collect. Decretor. Pontif. per Dionysium Exiguum.*

69.

Can. 19. *Conc.* GANGR. Si quis eorum, qui exercentur absque corporali necessitate, se insolenter gerat, & tradita jejunia, quæ communiter servantur ab Ecclesia, dissolvat, perfecta in eo residente ratione, sit anathema.

CANONES APOSTOLORUM.

LXIII.

[Si quis Episcopus vel Presbyter, vel Diaconus, vel omninò ex Sacerdotali Catalogo, comederit carnes in sanguine animæ suæ, vel quod à feris captum, vel morticinum, deponatur; hoc enim lex prohibuit: si autem Laïcus sit, segregetur.]

LXIV.

[Si quis Clericus, aut Laïcus, in Synagogam Judæorum, vel Hæreticorum, introierit ad orandum, & deponatur, & segregetur.]

LXV.

[Si quis Clericus injurgio quemquam pulsaverit, & uno ictu interemerit, ob impotentis animi sui effrænationem, deponatur. Laïcus verò si fuerit, segregetur.]

Doctrina hujus Canonis, velut consecutio in suo principio, continetur in 23. & 24. suprà. Nàm, si mutilatio depositionem Clerici, excommunicationem Laïci meretur, à fortiori, homicidium in ira patratum, deponet Clericum, & segregabit Laïcum.

LXVI.

[Si quis Clericus deprehendatur die Dominico jejunans, aut Sabbato, præter unum solum, deponatur: si verò Laïcus segregetur.]

Doctrina hujus Canonis continetur in 51. & 53. suprà, qui generatim prohibent, quod hic specialiùs interdicit.

LXVII.

[Si quis Virginem non desponsatam vi allata habet, segregetur: ei autem aliam accipere non liceat; sed illam retinere, quam elegit, etiamsi pauper sit.]

LXVIII.

[Si quis Episcopus vel Presbyter vel Diaconus secundam Ordinationem ab aliquo susceperit, deponatur & ipse, & qui ordinavit; nisi utique constiterit quòd ab Hæreticis Ordinationem habuerit: qui enim ab iis baptizati, vel ordinati sunt, ut Fideles, & Clerici sint, fieri non potest.]

LXIX.

[Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor Sanctam Paschæ Quadragesimam non jejunat, vel quartum diem vel

CANONES V. PRIORUM SÆCULORUM.

Can. 10. *Conc.* LAOD. Quòd non oportet in quadrageſimæ poſtrema ſeptimana quintæ feriæ jejunium ſolvere, & totam quadrageſimam dehoneſtare, ſed oportet totam quadrageſimam jejunare, aridis veſcentes.

C. 15. S. BASIL. Non reprehendet nos quiſquam quartam & ſextam feriam obſervantes, in quibus nobis jejunare ſecundùm traditionem cum ratione præceptum eſt.

Ex his Canonibus patet; nihil continere *Can.* 69. quod non in antiquis Canonibus reperiatur, exceptâ pœnâ, quæ nihil ſingulare habet.

70.

Can. 37. 38. *Conc.* LAOD. Quòd non oportet quæ à Judæis feſtiva accipere, neque unà cum eis feſtum agere; Quòd non oportet à Judæis azima accipere, vel eorum impietatibus communicare.

Diſcrimen horum Canonum à Canone Apoſt. leviſſimum eſt; nam, ſi ille nominatim de utroque perſonarum genere loquatur, de quibus agere ſolent Canones, hi etiam illas continent, neutrum genus adpellando. Pœna autem in Can. Apoſt. propoſita adeò vulgaris eſt, ut in aliis ſubaudiri eam probabile ſit.

71.

Quæcumque, in hoc Canone, Judæos ſpectant, ex majori parte continentur in *Can.* 37. *Conc. Laod.* Nam omnia, quæ hic prohibentur, in Feſtis Judæorum peraguntur, quibus intereſſe vetat *Can. Laod.*

Quod ſpectat ad paganos in 39. *Can. ejuſd. Concilii* legitur his verbis; *quòd non oportet cum gentibus feſtum agere, & eorum impietati communicare.*

72. 73.

Can. 8. GREG. NYSS. Sacrilegium in antiquâ Scripturâ cædis quidem condemnatione non viſum eſt tolerabilius; ſimiliter enim & qui cædis convictus erat, & qui res Deo dedicatas abſtulerat, lapidationis ſupplicium ſubibat. Eccleſiaſtica autem conſuetudo, lenitate neſcio quomodo utens, tolerabilius illius morbi piaculum exiſtimavit: nam, breviori tempore Sacrilegos, quàm Adulteros punivit; Adulteros igitur 17. annos à Communione expellit. *Can.* 2. *Epiſt. Cyrilli ad Domnum* vaſa pretioſa inalienabilia . . . Eccleſiis ſervari jubet.

Hûc accedit *Can.* 24. *Conc. Calced.* qui Monaſteria Deo dicata in ſæcularem habitationem convertere vetat.

74.

Can. 74. 87. *Cod. Eccleſ. Afric.* Excommunicatur *Quod vult Deus*, quia ſe in Concilio ſtiturum, ad diluendam accuſationem, pollicitus, non comparuit: itaque hic Canon ſubſtantiam Canonis 74. ſuppeditat. Scilicet, ſi Epiſcopus accuſatus & citatus vadimonium per contemptum deſerit, ille puniri debet, ne ejus contumacia illi in lucrum cedat. *Can.* 19. *ejuſdem Cod.* docet, Epiſcopum accuſatum, qui elapſo, poſteàquam ab Electis judicibus citatus eſt, menſe non comparet, ſegregandum eſſe; niſi ſe legitimo impedimento diſtentum fuiſſe doceat, quo caſu dabitur alius menſis, quo elapſo, niſi ſe ipſum purgaverit, ſegregandus eſt. *Can. eodem.* Epiſcopus, qui ad univerſalem Eccleſiæ Africanæ Synodum cauſam ſuam diſcutiendam non defert, ſuum ipſe judicium pronuntiat.

75.

Ex *Can.* 129. *Cod. Eccleſ. Afric.* Hæretici Clericos accuſare non poſſunt, & *Can.* 131. *ejuſdem Cod.* ejus, qui accuſare nequit, depoſitio non admittitur.

Canone 6. Concil. Conſtantinop. 1. Hæretici declarantur, ad accuſandum Epiſcopum, inhabiles. Porrò, numerus teſtium à nullo veteri Concilio, præter Nicænum C. 20. definitur: ejus autem decretum planè congruit eum Can. Apoſt. ità ut author hujus Canonis cum ex Nicæno ſumere potuerit. Synodus autem Nicæna numerum teſtium accepit à PAULO 1. *Timoth.* V. 19.

CANONES APOSTOLORUM.

vel Paraſceven, præterquàm ſi propter imbecillitatem corporalem, deponatur: ſi ſit autem Laïcus, ſegregetur.]

LXX.

[Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omninò ex Catalogo Clericorum jejunat cum Judæis, vel cum illis Feſtos dies agit, vel ab ipſis Feſtis xenia accipit, ut v. gr. azyma, aut quod tale, deponatur: ſi verò ſit Laïcus, ſegregetur.]

LXXI.

[Si quis Chriſtianus oleum deferat in Templum Gentium, vel in Synagogam Judæorum, in eorum Feſtis, vel Lucernam accendit, ſegregetur.]

LXXII.

[Si quis Clericus vel Laïcus à Sancta Eccleſia ceram vel oleum auferat, ſegregetur.]

LXXIII.

[Vas aureum, vel argenteum, vel velum ſanctificatum, nemo ampliùs in uſum ſuum convertat hoc enim fit præter jus & contra leges: ſi quis autem deprehenſus fuerit, mulctetur ſegregatione.]

LXXIV.

[Epiſcopum à viris fide dignis ob aliquid accuſatum, ipſum ab Epiſcopis vocari neceſſe eſt, &, ſi ſe quidem ſtiterit, & confeſſus vel convictus ſit, ſtatuatur pœna: ſi autem vocatus non paruerit, ſecundò etiam vocetur, miſſis ad ipſum etiam Epiſcopis duobus; ſi autem ſic non obedierit, vocetur & tertiò, duobus ad eum rurſus miſſis Epiſcopis; ſi autem vel ſic aſpernans & contumax ſe non ſtiterit, Synodus ea, quæ voluerit, adversùs eum pronuntiet, nec lucri facere videatur, dùm judicem ſubterfugit.]

LXXV.

[In teſtimonium adversùs Epiſcopum, Hæreticus ne admittatur, ſed nec unus ſolus fidelis: in ore enim duorum vel trium ſtabit omne verbum.]

CANON. V. PRIORUM SÆCULORUM.

V. 19. qui duos aut tres teſtes ad Presbyteri condemnationem requirit.

76.

Can. 23. *Conc.* ANTIOCH. Epiſcopo non licere pro ſe alterum ſucceſſorem ſibi conſtituere, licèt ad exitum vitæ perveniat, quòd ſi tale aliquid factum fuerit, irritum eſſe hujuſmodi conſtitutum.

Canon 6. Concil. Nicæni reſcindit Electionem Epiſcopi alibi quàm in Concilio Provinciali factam.

Can. 32. *Codicis Eccleſiæ Africanæ* vetat Epiſcopum proximis ſuis dare bona, quæ acquiſivit; dùm eſſet Epiſcopus, & pecuniâ ex reditibus Eccleſiæ reſiduâ.

77.

Ex *Can.* 1. *Conc. Nic.* diſcimus, vitia corporis, quæ Officiis Eccleſiaſticis non ſunt impedimento, ab Ordinibus non excludere.

78.

GELASIUS *C.* 16. excludit ab Ordinibus *aliqua corporis parte imminutos*: & C. 19. *corpore ſauciatum.* Si autem objiciatur, rationem à *Gelaſio* allatam non ſolùm eos excludere, quos corporis defectus ad munia Eccleſiaſtica inhabiles facit, ſed etiam eos, qui carent aliqua parte ad Ordinis exercitium parum neceſſaria; ſcilicet, quia Lex Officia Sacra hujuſmodi perſonis interdicebat: reſpondemus, licèt ea ſic ſe habeant, nihilominùs conſtare in V. Prioribus Sæculis eſſe Canones, qui idem prohibeant, quod 78. Apoſtolorum.

79.

Uſque adeò ſanè comperimus in licita quæque prorumpere, ut dæmoniis ſimilibuſque paſſionibus irretitis Miniſteria Sacroſancta tractare tribuatur, quibus ſi hoc opere poſitis aliquid propriæ neceſſitatis occurrat, quis de ſua fidelium ſalute confidat, ubi Miniſtros ipſos curationis humanæ tanta perſpexerit calamitate vexari, atque ideò neceſſariò removendi ſunt, ne quibuslibet, pro quibus mortuus eſt CHRISTUS, ſcandalum generetur infirmis. GELAS. *Cap.* 19. in Collectione Dionyſii Exigui.

Altera Canonis pars aliquatenus continetur in Reſponſis *Timothæi*, Patriarchæ Alexandrini, qui unus eſt ex 150. Patribus Concil. Conſtantinop. I. C. 3.

Interrogatio. Si quis, cum ſit fidelis, à dæmone corripiatur, debet ne Sanctorum Myſteriorum eſſe particeps, an non?

Reſp. Si Myſterium enunciet, nec ullo modo blaſphemet, ſit particeps, ſed non ſingulis diebus; ſufficit enim, ſi ſtatis temporibus.

Dici nequit Energumenum, qui enuntiat Myſterium & nullo modo blaſphemat, uti poteſt Myſteria percipere, ità poſſe eos conficere, & proindè ad ordines promoveri: præterquàm quòd enim majus eſt ſacra conficere, quàm percipere, majus etiam eſt ea ſimùl perficere & percipere. Denique, correptus à dæmone ſtatis tantùm temporibus Myſteriis participare valet: Ordines autem aſtringunt ad percipiendum quotidiè, quandò eorum Officium Sacrificium quotidiè offerri poſtulat.

80.

Can. 2. *Concil.* NICÆNI. Quoniam multa vel neceſſitate vel urgentibus alioqui hominibus, præter Canonem Eccleſiaſticum, facta ſunt, ut homines, qui è vita Gentili ad fidem nuper acceſſerunt, & exiguo tempore Catechumeni, id eſt initiati, fuere, ſtatim ad lavacrum ſpirituale deducant, & ſimùl ac baptizati fuerint ad Epiſcopatum vel Presbyteratum provehant, rectè habere viſum eſt, ut nihil deinceps tale fiat: nam & Catechumeno tempore opus eſt, & poſt Baptiſmum majore probatione &c.

Hæc ultima ratio ad recentes pœnitentes producitur, & oſtendit eos, non magis quàm Neophytos, ad Ordines admittendos eſſe. Exceptio Can. Apoſt. è manifeſtatione divinæ voluntatis petita, ſubauditur in Can. Concilii, hæc enim neceſſitatem probationis tollit.

81.

CANONES APOSTOLORUM.

LXXVI.

[Quòd non oportet Epiſcopum fratri vel filio gratificantem, ad Epiſcopatûs dignitatem, quem vult, eligere: Epiſcopatûs enim hæredes facere juſtum non eſt, ea quæ Dei ſunt humano effectu largientem: non enim licet Eccleſiam Dei in hæredes conferre. Si quis autem hoc fecerit, irrita quidem Electio maneat, ipſe quoque ſegregatione mulctetur.]

LXXVII.

[Si quis vel oculo orbatus, vel fœmore oblæſus, Epiſcopatu autem dignus ſit, fiat: non enim corporis damnum eum polluit, ſed animæ inquinatio.

LXXVIII.

[Qui autem eſt ſurdus & cæcus, ne ſit Epiſcopus, non ut pollutus, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur.]

LXXIX.

[Si quis Dæmonem habeat, ne fiat Clericus; ſed neque cum fidelibus precetur: purgatus autem recipiatur, &, ſi ſit dignus, fiat.]

Secunda Pars hujus Canonis primam complectitur: nàm, ſi non licet Energumeno cum fidelibus orare; multò minùs ei licere debet ad Ordines aſcendere.

LXXX.

[Eum, qui è vita Gentili acceſſerit, & baptizatus fuerit, vel ex improba vivendi ratione, non eſt æquum protinùs Epiſcopum fieri. Iniquum eſt enim, ut, qui ſui nondum experimentum oſtenderit, ſit aliorum magiſter; niſi fortè hoc Divina gratia fiat.]

LXXXI.

CANONES V. PRIORUM SÆCULORUM.

81.

Canon 7. *Concil. Calced.* anathemate ferit Clericos, qui Sæculares dignitates suscipiunt.

Innocentius I. inter eos, qui promoveri non debent, numerat eos, qui administraverunt: *Si quis fidelis administaverit.* Quod de administratione publicâ, non secus ac de privatâ, intelligendum est. Ratio autem peculiaris hujus irregularitatis est, quòd omnis administratio, ac maximè publica, aliquandò obnoxia sit pœnis, quæ Ecclesiam infamiæ, perindè atque Ministrum, subjiciunt? Extat hoc *Decretum* apud Dionysium Exiguum. *Can.* 30. *Decret. Innoc.*

82.

Can. 3. *Concil. Gangr.* anathematizat eum, qui servum, sub pietatis obtentu, à servitio Domini avellit.

Can. 4. *Concil. Calced.* eadem pœna ferit eos, qui religioso habitu, sinè consensu Dominorum, servos induunt.

S. LEO, queritur, promoveri ad ordines eos, qui libertatem à Dominis consequi non poterant. *Cap.* 1. *ejus Decret.* apud Dionysium Exiguum.

GELASIUS prohibet conferri Ordines servo, nisi Dominus ejus consentiat. *Cap.* 14. *ejus Decret.* apud Dionysium Exiguum.

83.

Can. 7. *Concil.* CALCED. Eos qui semel ordinati sunt . . . . statuimus, nec ad militarem expeditionem posse venire: qui autem hæc audent, & non pœnitentia ducti, ad id reverturtur, quod propter Deum prius elegerant, anathematizari.

Si agitur in Can. Apost. de officio quod sanguinis humani effusionem non importat, nihil hîc dicitur, quod non sit in *Can.* 81. sed si officium illud sanguinem effundere cogat, *Canon.* 30. *Decret. Innoc.* apud Dionysium Exiguum huic similis est: nàm inter impedimenta ordinum, gestationem armorum post Baptisma, numerat.

84.

Nihil simile huic Canoni LXXXIV. inventum in Canonibus Quinque Priorum Sæculorum. Desumptus videtur ex variis Scripturæ locis, sed potissimùm ex Lib. *Regum*, ubi legitur: *Qui non obedierit Principi, morte moriatur.* Citatur hîc locus, *Cap.* 2. *de Majorit. & Obed.* non indicato Cap. hujus Lib. *Gonzalez* putat, sensum illorum deduci posse ex REGUM *Cap.* XIV.

85.

In Canonibus V. Priorum Sæculorum plures sunt Librorum Sacrorum Catalogi, quorum vetustior est, in *Can.* 59. *aut* 60. *Concil. Laod.* in hæc verba:

Hi sunt Libri, quos legi oportet. Ex VETERI TESTAMENTO, *Genesis*; *Exodus*, id est exitus ex Ægypto; *Leviticum*; *Numeri*; *Deuteronomium*; *Jesu Nave*; *Judices*; *Ruth*; *Esther*; *Regum* Primus, Secundus, Tertius, Quartus; *Paralipomenon* Primus & Secundus; *Esdræ* Primus & Secundus; Liber *Psalmorum CL.*; *Proverbia Salomonis*; *Ecclesiastes*; *Cantica Canticorum*; *Job*; Duodecim Prophetæ, *Isaias*; *Jeremias*; *Baruch*; *Lamentationes & Epistolæ*; *Ezechiel*; *Daniel.* NOVI autem TESTAMENTI hi: Evangelia Quatuor; Secundùm *Matthæum*; Secundum *Marcum*; Secundum *Lucam*; Secundum *Joannem*; *Actus Apostolorum*; *Epistolæ Catholicæ* Septem; *Jacobi* Una; *Petri* Duæ; *Joannis* Tres; *Judæ* Una; *Epistolæ Pauli*, Quatuordecim; ad *Romanos*, Una; ad *Corinthios*, Duæ; ad *Galatas*, Una, ad *Ephesios*, Una;

CANONES APOSTOLORUM.

LXXXI.

[Diximus non oportere Episcopum vel Presbyterum se ipsum ad publicas administrationes demittere, sed in Ecclesiasticis negotiis versari: vel ergò ità non facere persuadeatur, vel deponatur: nemo enim potest duobus Dominis servire, secundùm Domini præceptum.]

Hic Canon videtur esse consecutio *Can.* 6. Nàm, si Episcopus, Presbyter, negotia sæcularia suscipere non debet, oportet ut licitum non sit Episcopo &c. se publicis administrationibus implicare, quæ præcipuum inter sæcularia negotia gradum obtinent.

Sed quemadmodum in collatione 6. *suprà*, observavimus, circà negotia privatorum excipi Casum necessitatis, vel caritatis, à Synodo *Calced.* ità hîc eadem exceptio necessaria est, eò magis, quò publica utilitas privatorum commodis anteponenda est.

LXXXII.

[Servos in Clerum provehi sinè venia Dominorum, non permittimus, ad possessorum molestiam, domorum enim eversionem illud efficit. Si quando autem etiam servus dignus visus sit, qui ad gradum eligatur, qualis noster quoque Onesimus visus est, & Domini concesserint, ac liberaverint, & ædibus emiserint, fiat.]

LXXXIII.

[Episcopus vel Presbyter vel Diaconus exercitui vacans, & utraque obtinere volens, Romanum scilicet Magistratum, & Sacerdotalem administrationem, deponatur: quæ sunt enim Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.]

Zonaras & *Balsamon* putant ibi agi tantùm de Procuratoris officio, vel similibus, quæ sinè armis exercentur. Hic *Canon* nullius erat authoritatis antequam Imperatores Christiani fierent: Neque enim Pagani Imperatores dignitates conferre Ministris Religionis, quam insectabantur, voluissent, nec eas suscipere Ministri. Primus autem Imperator Christianus *Constantinus* imperium auspicatus est, an. 306.

LXXXIV.

[Quisquis Regem vel Principem, præter jus, contumeliâ adfecerit, pœnas luat; &, si sit quidem Clericus, deponatur; si verò Laïcus segregetur.]

LXXXV.

[Sint nobis omnibus Clericis & Laïcis Libri venerandi & Sancti, VETERIS quidem TESTAMENTI, *Mosis* Quinque, *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*, *Jesu*, *filii Nave*, Unus; *Judicum*, Unus; *Ruth*, Unus; *Regnorum*, Quatuor; *Paralipomenorum*, id est, derelictorum Libri; *Dierum*, Duo; *Esdræ*, Duo; *Esther*, Unus; *Machabæorum*, Tres; *Job*, Unus; *Psalterii*, Unus; *Salomonis*, Tres; *Proverbia*; *Ecclesiastes*; *Cantica Canticorum*: Prophetarum Duodecim, *Esaiæ*, Unus; *Jeremiæ*, Unus; *Ezechielis*, Unus; *Danielis*, Unus: Extrinsecus autem à vobis intelligatur debere adolescentes vestros discere *Sapientiam* eruditissimi *Sirach.* Nostra autem, id est, NOVI TESTA-

CANONES V. PRIORUM SÆCULORUM.

Una; ad *Philippenses*, Una; ad *Colossenses*, Una; ad *Thessalonicenses*, Duæ; ad *Hebræos*, Una; ad *Timotheum*, Duæ; ad *Titum*, Una; ad *Philemonem*, Una.

Conferendo hos Canones minor Librorum numerus in *Laod.* apparet, quàm in Can. Apost. cum Libri omnes, qui commemorantur in *Laod.* reperiantur in Can. Apost. &, præter eos, Libri Machabæorum, & Sapientia Sirach, qui absunt à *Laod.*

Duos alios habemus Canones Ecclesiæ Orientalis, qui continent enumerationem Librorum Sacrorum. Extant illi apud BEVEREGIUM *Tomo II. p.* 178. 170.180. *Part.* 1. Uterque Carminibus constat. Prior est *S. Greg. Nysseni:* Alter *Amphilochii.* In utroque iidem Libri referuntur, ac in *Laod.* præter Librum Esther. Canon Amphilochii Apocalypsim commemorat, quam plerisque videri supposititiam asserit. Iisdem temporibus Ecclesia Latina suppeditat duos ejusdem conditionis Catalogos. Alter est *Innoc. I.* nempè C. 27. in Collectione ejus *Decret.* per Dionysium Exiguum: Alter è Synodo Carthaginensi desumptus est, An. 419. habita 24. in *Codice Ecclesiæ Africanæ.* In utroque iidem continentur Libri, ac in Can. Apost. sed duplex tantùm numeratur Machabæorum Liber. His præterea adjiciuntur Tobias, Judith, Apocalypsis: Quinque Libri tribuuntur Salomoni, quia illi adscribuntur Sapientia & Ecclesiastici Liber.

In Catalogo *Innoc. I.* prout est *in Codice Ecclesiæ Romanæ*, numerantur decem & septem Libri Prophetarum. Sed vel inconsulto septemdecim, pro sexdecim, scripti sunt; vel author illius Codicis Baruch à Jeremia discrevit.

In *Cod. Ecclesiæ Africanæ*, prout apud *Beveregium* legitur, omittuntur Machabæorum Libri.

CANONES APOSTOLORUM.

TESTAMENTI Evangelia Quatuor, *Matthæi*, *Marci*, *Lucæ*, *Johannis*; *Pauli Epistolæ* Quatuordecim; *Petri Epistolæ* Duæ; *Joannis*, Tres; *Jacobi*, Una; Clementis, Epistolæ Duæ; & Constitutiones nobis Episcopis per me Clementem in octo Libris editæ, quæ non sunt omnibus divulgandæ, propter ea quæ sunt in eis Mystica, & Actus nostri Apostolorum.]

In Versione *Haloandri*, quæ est ad calcem Decreti, antè hæc verba *Clementis Epistolæ*, sunt hæc, *Judæ una.*

Insignes falsitatis notas gerit hic Canon. In eo loquuntur Apostoli, *Actus nostri Apostolorum;* CLEMENS quoque loquitur, non solùm his verbis: *per me clementem;* sed & his, *nobis omnibus Clericis & Laïcis;* Apostoli enim hoc modo loqui non poterant, cùm eorum ætate nondùm percrebuisset divisio Ecclesiæ in Clericos & Laïcos; *Clemens* etiam loquitur in his verbis: *nostra autem.* Apostoli enim conjunctim spectati hoc modo loqui non poterant, plures quippè defuncti erant, cum Joannes Evangelium suum scripsit, atque ubi à se invicem discesserunt, nunquam simùl convenêre: Discessio verò illa nondùm scriptis pluribus Novi Testamenti Libris facta est.

Inter Scripturas Canonicas numerantur *Constitutiones Apostolorum*: opus dubio procul Apostolis indignum, & nomine Libri Apostolici. Atque illud præmittitur *Actis Apostolorum*, quæ semper pro Canonicis habita sunt.

Solvuntur OBJECTIONES *quædam adversùs Consilium hujus* COLLATIONIS.

I. OBJICI potest. Magna est equidem affinitas inter Canones Apostolorum, & Canones V. Priorum Sæculorum, cum quibus collati sunt; sed non leves adverti possunt differentiæ, etsi eorum similitudo suadet, illos ab his desumptos fuisse. Quoniam illos supposititios esse constat, ut sufficienter probatum fuit; cæteri verò procùl dubio sinceri sunt ac genuini. Differentiæ annotatæ suadere etiam videntur, illos à Canonibus V. Priorum Sæculorum excerptos non fuisse.

Huic Objectioni facilè occurritur. Scilicet, cum Canones Apostolorum illis suppositos fuisse certissimum sit, ut superiùs probatum fuit, eorum parens est fraudulentus falsarius, ejusque perversitas legitimum suppeditat argumentum, ad credendum, illas differentias ad tegendam fraudem, fuisse affectatas. Quod eo probabilius est, quòd hinc Evangelium nos doceat, prudentiores esse filios sæculi, filiis lucis, hinc verò prudentia jubebat vitandam esse perfectam consonantiam, ne suppositio detegeretur.

II. Objici potest. Inter Canones V. Priorum Sæculorum, multi sunt qui publicam pœnitentiam definiant, ejusque exercitationes, gradus tempora, pro variis scelerum generibus observanda; quænam sint illa scelera, & qua ratione pœnitentes absolvi debeant. Porrò, licèt sint 85. Canones Apost. nullus de publicâ pœnitentiâ, rebusque ad eam spectantibus, agit: non ergò ex Canonibus V. Priorum Sæculorum confecti sunt; sed antiquiores sunt illis Canonibus, qui de pœnitentiâ publicâ loqui cœpêre, scilicet *Neocæsarienstibus* & *Ancyranis.*

Respondemus 1o. Canonem 12. Apostol. de pœnitentiâ publicâ loqui. Nàm protelatio excommunicationis ejus, qui jàm segregatus, novum facinus admittit Excommunicatione dignum, nihil aliud est quàm pœnitentiæ publicæ prorogatio: quia sola delicta publica per Excommunicationem coërcentur, & Excommunicatio, quæ protendi potest, alia non est, quàm Excommunicatio minor, pœnitentiæ publicæ annexa; alia quippè est majoris natura, sic comparata, ut absolvere necessarium sit excommunicatum statim atque satisfecit, vel satisfacere offerens, sinceritatis suæ notas probabiles præbet. Canon 62. etiam de pœnitentiâ publicâ potest intelligi, qui jubet Clericum, ideò depositum, quia Clericatum negavit, hominum metu, ut Laïcum haberi, pœnitentiæ tempore, cui subjici Clericos, docet.

Respondemus 2o. quòd, etiamsi inter Canones Apost. nullus ad pœnitentiam publicam spectaret, indè non conficeretur eos à Canonibus V. Priorum Sæculorum non fuisse desumptos. Validæ fortè rationes falsarium impulêre, ut eos omitteret, qui de pœnitentiâ agunt. Fortè, in Diœcesi vel Provinciâ ubi degebat, erat quædam Collectio Canonum Pœnitentialium illi similis, quæ refertur in Synodo Eliberitanâ, cujus 8. Canones pœnitentiam publicam spectant; ità ut Collectio Pœnitentialis esse videantur.

Fortè etiam, omisit Canones de Pœnitentiâ Publicâ agentes, quia Sæculo V. quo prodiit hoc opus, illorum præcipui & plures exoleverant; quia pariter exoleverat Idololatriæ crimen, cujus pœnitentiam definiebant.

SECTIO

SECTIO III.

Canones Apoſtolorum REGULARUM GALLICANARUM *æquitatem probantes.*

QUod hic annectimus de utilitate Canonum Apoſtolorum ad probandam æquitatem *Regularum Gallicanarum*, pars eſt fructûs, quem ex labore noſtro ſperavimus.

Prima noſtrarum Regularum eſt, Epiſcopos poſſe, in Synodis Provincialibus diſceptare quæſtiones circà fidem aut mores in ſua Provincia emergentes, & cæteras dirimere controverſias ibidem ortas. Illa autem confirmatur per *Can.* 36. prout ad calcem *Decreti* GRATIANI referuntur; vel 30. prout ſunt in Collectione *Dionyſii Exigui*, qui jubet Synodum Provincialem bis quotannis cogi, ad diſcutiendas difficultates circà dogmata, aliaſque occurrentes quæſtiones. *Bis in anno Epiſcoporum Synodus celebrator, ac pietatis inter ſe dogmata in diſquiſitionem vocantor, nec non incidenter contradictiones dirimuntor.* Verba HALOANDRI retuli, ad calcem Decreti relata. Idem ſenſus eſt apud Dionyſium Exiguum, ſed aliis verbis declaratur: *Bis in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur, ut inter ſe invicem pietatis dogmata explorent, & emergentes Eccleſiaſticas contentiones amoveant.*

Secunda Sententia Gallicana eſt, approbationem tranſlationis Epiſcoporum non pertinere ad Summum Pontificem, ex Inſtitutione divinâ, ſed ex Eccleſiaſticâ duntaxat, quæ tandiù perſeverare debet quamdiù Eccleſiæ utilitas illud requiret. Hæc autem Sententia confirmatur per *Canonem* 13. apud *Gratianum.* Apud Dionyſium Exiguum 14. qui, poſtquàm prohibuit Epiſcopos ab unâ ad aliam Sedem tranſire, caſum excipit, quo major ſperatur utilitas in nova Sede; hocque ſuppoſito, requirit Epiſcopum non proprio conſilio tranſire, ſed multorum Epiſcoporum judicio, & maxima Exhortatione. *Epiſcopo, qui ſuam Eccleſiam dereliquerit, alteri inſilire nefas eſto, licèt à plurimis ad id compellatur, niſi rationabilis aliqua cauſa ſubſit, quæ hoc ipſum facere vi adigat; nempè quod plus lucri & utilitatis his, qui illic conſtituti ſunt verbo pietatis conferre poſſit. Neque tamen hoc à ſe ipſo, ſed multorum Epiſcoporum judicio, & exhortatione maximâ,* (Verſio HALOANDRI.)

Tertia eſt Sententia, Eccleſias Majores, ac præcipuè Nationales, poſſe ſibi jura & diſciplinam conſtituere, quam Nationis moribus conducere duxerint. Hæc Regula confirmatur per omnes Canones ex quibus colligitur Eccleſiam, cui hæc collectio fuit accommodata, in pluribus Capitibus diſciplinâ ſingulari uſam fuiſſe. Nam 1. ille pro Bigamo non reputabatur, qui duas antè Baptiſmum (*C.* 16.) uxores duxerat, vel unam antè Baptiſmum aliam poſt Baptiſmum, acceperat. Licèt uterque pro Bigamo habeatur in Eccleſia Romana. *Innocent. I. Epiſt. II. C.* 3.

2. Nuptias interdicebat omnibus præter Lectores, & Cantores, Clericis, *Can.* 25. In cæteris Eccleſiis Subdiaconi & alii inferiores Clerici uxores ducere poterant, in quibuſdam jus illud habebat ipſe Diaconus, qui, antequam Ordines ſuſciperet, adversùs Legem Cælibatûs fuerat proteſtatus, *Can.* 10. *Ancyr.*

3. Duo Epiſcopi poterant conſecrare Epiſcopum, *C.* 1°. in cæteris tres ſaltem requirebantur, *Can.* 4. *Nicæn. Can.* 20. *Arelat.* anni 314. *C.* 1. Codicis Eccleſiæ Africanæ.

4. Reprobatur Baptiſmus Hæreticorum, ideò tantùm, quia erant Hæretici, *Can.* 46. 47. qui in reliquis Eccleſiis admittebatur, modo collatus fuiſſet in nomine trium perſonarum, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti, *Can.* 8. *Conc. Arelat. an.* 314. *Can.* 19. *Nicæn. Can.* 1. conſtant.

Deniquè, poſſumus etiam confirmare Sententiam, quæ fert, Reges ab Eccleſia non pendere circà temporalia, per *Canones* 81. & 82. qui docent, adminiſtrationem publicam & Magiſtratus Romanos, Dignitatibus Eccleſiaſticis eſſe inſociabiles.

TITULUS XIV.

REGULÆ *circà* CONCILIA.

DE CANONIBUS locuturi, de CONCILIIS priùs agimus; tùm, quia à Conciliis vulgò conſtituuntur Canones; tùm, quia à Conciliorum autoritate & diſtinctione, Canonum autoritas, præcipuaque inter illos diſcrimina deſumuntur; Concilia autem conſiderari poſſunt, vel in genere, vel in ſpecie.

Regulæ circà Concilia in genere.

Sunt Octo, quæ ſpectant ad Concilia in genere: Conciliorum Nomen, Natura, Finis, Diviſio, Interpretatio, Diſpenſatio, Modi, quibus ligent & in illa delinquatur, Pœnæ, quibus in illa delinquentes, plectuntur. Hinc Octo circà iſta:

§. I.

Quid ſciendum circà Conciliorum NOMEN.

REGULA UNICA.

Non alia ſcienda ſunt circà Conciliorum Nomen, quàm quæ ſequuntur *.

1. *Concilii* Nomen accipi pro Epiſcoporum Congregatione.

2. Hanc Epiſcoporum Congregationem variis aliis per ſe donari nominibus, quæ *Concilii* ſunt Synonima; qualia ſunt iſta, *Cœtus, Synodus, Conventus, Concio, Eccleſia*, prout Concionem ſignificat, *Senatus, Comitia*, aliave, ſi quæ ſint, ſimilia.

3. In *Corpore Juris Canonici* Epiſcoporum Congregationes communiter vocari *Concilium*, vel *Synodus*, ſed frequentiùs *Concilium.*

4. *Synodi* nomen dari, non ſolùm Epiſcoporum Congregationi, ſed & convocato ſub Epiſcopo, Presbyterorum Diœceſis ſuæ cœtui. *C.* 11. 16. DIST. XVIII. *C.* 25. *de Accuſ. C.* 2. SESS. XXIV. *de Reform.*

§. II.

Quæ ſit Conciliorum NATURA.

REGULA.

In eo ſita eſt Conciliorum *Natura*, quòd ſint Epiſcoporum Congregatio à Superiore Eccleſiaſtico legitimè facta, ad Spirituales Res tractandas.

Regulæ veritas patet ex eò, quod contineat id omne, in quo Concilio cum aliis Cœtibus, tùm Eccleſiaſticis, tùm Civilibus convenit, & in quo ab illis differt.

Convenit enim cum aliis Cœtibus in eo, quòd ſit Congregatio à Superiore legitimè facta; id ſiquidem eſſe debeant cœteri Cœtus, ut ſint legitimi.

Differt verò ab aliis Cœtibus, vel ratione *Perſonarum*, quæ convocantur, ſi enim qui convocantur non ſunt Epiſcopi, Congregatio, quæ fit, non eſt Concilium. Hinc, Synodus Diœceſana, Capitula, tàm Sæcularia, quàm Regularia, non ſunt Concilium, eo ſenſu, quo hic ſumimus; vel ratione *Convocantis*; ſi enim Epiſcopi à Superiore Eccleſiaſtico non convocentur, ſed à Principe, eorum, juxtà Canoniſtas, Congregatio non eſt Concilium. Hinc, quoties Epiſcopi convocantur, ad Generalia Regni alicujus Comitia, ſimiliave, à Principe, aliove ejus vices gerente, hujuſmodi Congregatio eſt potiùs Cœtus Civilis, quàm Concilium; non tantùm ob rerum, de quibus ibi agitur, quæque ut plurimùm Temporales ſunt, ſed etiam, ob perſonæ convocantis, quæ Sæcularis eſt: qualitatem: vel ratione *rerum tractandarum*, quæ, ut præcipuos.

* *Synodus* C. 1. DIST. XV. ad Conciliorum nomen ſpectat.

Animarum Paſtores deceant Epiſcopos, Spirituales, eſſe debent.

C. 10. CAUS. 11. QUÆST. v. probat, non licere Poteſtati Sæculari propriâ autoritate Concilia convocare.

C. 2. DIST. XCVI. docet, quæſtionum, quæ in Conciliis tractantur definitionem, ad ſolos Epiſcopos pertinere. Canones quibus infrà oſtendetur ſolos Epiſcopos Conciliis Provincialibus intereſſe ut Judices, idem probant, à minori ad majus, de quolibet Concilio; cùm id genus Concilii ſit inter Concilia minimum.

§. III.

Quis Conciliorum FINIS.

REGULA.

Non ob aliud convocantur Concilia, quàm, ut aliquid circà Fidem, vel Mores, ſivè internos, ſivè externos, vel pacem Eccleſiarum ſtatuatur. *C.* 2. DIST. LXIII.

C. 2. 3. 4. DIST. XCVI. Huc referri poſſunt item *C. unic.* SESS. XVII. *C.* 2. 21. SESS. XXIV. *Concilii Tridentini.*

Regulæ. RATIO hæc eſt: Conciliorum, quæ extrà ordinem convocantur, triplex tantùm eſt occaſio, vel cauſa. Hæreſes enim, vel Schiſmata, vel Abuſus, ad eorum convocationem movent. Si autem, ad Hæreſes damnandas convocantur, habent pro fine ipſam fidem, cujus conſervationem, vel explicationem, intendunt. Si, ad Schiſmata tollenda congregantur, Eccleſiæ pacem reſpiciunt, eamque pro fine habent. Si, ad corrigendos mores, tùm internos, tùm externos, circà utroſque enim poſſunt eſſe abuſus, mores contingunt, ad eoſque, ut ad finem, referuntur. Concilia verò, quæ ſtatis temporibus convocantur, vel aliàs convocabantur, dùm vigebant Canones, qui illa præcipiebant, non ob aliud præcepta erant, quàm, ut exorta circà fidem vel mores dubia, introducti abuſus, turbæ excitatæ, vel lites, finirentur; ideoque ob tres fines in *Regula* memoratos.

Prætereà, convocantur Concilia, ad publicum Eccleſiæ bonum: Triplex eſt autem Eccleſiæ bonum: Nempè, Veritas, Unitas, & Sanctitas. *Veritati* inſerviunt Concilia, quæ ad tollenda circà fidem dubia convocantur. Quæ ad conciliandum pacem, *Unitati:* quæ ad tollendos vitioſos abuſus, *Sanctitati.* Itaque, non alii debent eſſe Conciliorum fines, quàm in *Regula* contenti.

Dices fortaſſè, primum ex his finibus convenire tantùm Concilio Univerſali; quia fides eſt Cauſarum Majorum præcipuà, quæ ſinè Papæ autoritate definiri nequeunt, iſthæc verò non interponatur Concilio Particulari. Sed, ad id reſpondetur, quòd varii Canones docere videantur, quæſtiones fidei, in prima Inſtantia decidi poſſe à Concilio Particulari, & inter alios, *C.* 5. 12. 13. 14. 16. DIST. XXX. quibus à *Conc. Gangr.* damnantur errores nonnulli Manichæorum, ad fidem nonnihil pertinentes.

§. IV.

De convocandi & præſidendi poteſtate, & de Seſſionis ordine.

REGULA I.

Ejus eſt convocare, cujus eſt præſidere: qui autem eſt vel Dignitate, vel Ordinatione prior, is jure præſidet.

RATIO eſt: Ad convocandum, & ad præſidendum, requiritur ſuperioritas ergà illos, qui convocantur, & quibus præſidetur.

REGULA II.

Undè ſumitur præſidentia, indè petitur Seſſionis ordo.

Ratio: Præſidentia aliave præcedentia, digniori debetur.

Utraque *Regula* infertur è *C.* 7. DIST. XVII. *C.* 1. DIST. XVIII. *C.* 2. SESS. XXIV. *cit.*

§. V.

Quæ ſit Conciliorum in genere DIVISIO.

REGULA I.

Non eſt niſi duplex Conciliorum in genere Diviſio, *Subſtantialis* & *Accidentalis.*

RATIO. In Conciliis, ut in aliis rebus, nihil eſt aliud, quàm Subſtantia & Accidentia. Diviſio, quæ à Subſtantia petitur, *Subſtantialis* dicitur: quæ verò ab Accidentibus, *Accidentalis.*

Hanc Diviſionem inſinuat *C.* 4. DIST. XVII.

REGULA II.

Omne Concilium, ſecundùm ſubſtantiam conſideratum, eſt vel *Generale*, vel *Particulare.*

RATIO Diviſionis. Omne Concilium non Generale eſt Particulare: propterea non eſt Concilium, niſi Eccleſia congregata: Eccleſia autem, vel tota, vel pars ejus: ſi tota, eſt Concilium *Generale:* ſi pars, eſt Concilium *Particulare.*

Hæc Diviſio vocatur *Subſtantialis;* quia Concilii Generalis anima, nempè Spiritus Sanctus, ut eſt Spiritus Veritatis & Sanctitatis, ſubſtantialiter differt ab anima Concilii Particularis, quæ eſt mens humana ſibi derelicta, quoad divagationem, vel deviationem à Veritate, & à Sanctitate, cùm ſit errori & vitio obnoxium.

REGULA III.

Concilium, tàm Generale, quàm Particulare, juxtà Accidentia ſpectatum, eſt vel *Ordinarium*, vel *Extraordinarium.*

RATIO. Vel convocantur præfixo ab aliis Conciliis tempore; Talia ſunt, quoad Particularia, quæ præcipiuntur. *C.* 2. 4. 6. 7. DIST. XVIII. *C.* 24. *de Conſ.* DIST. III. &, quoad Generalia, qualia, quæ à Conciliis *Conſtantienſi* & *Baſilienſi:* Vel datâ occaſione; talia ſunt omnia ferè Concilia Generalia, ac benè multa Concilia Particularia, &, inter alia, quæ in veteri Canonum Codice Eccleſiæ Univerſæ continentur. Nota, circà 2. & 3. Regulam, quòd Concilium Particulare vocatur quandoque Generale: idque, quia, licèt Particulare ſit, reſpectu Concilii Oecumenici, quod eſt abſolutè Generale, eſt tamen Generale, reſpectu plurium Conciliorum Particularium, quæ ſub ſe comprehendit. Hujus obſervationis exemplum habes, in *C.* 4. DIST. XVII. ſed clariùs, in *C.* 244. *Part. IV.* IVONIS.

§. VI.

Ad quem pertineat Conciliorum INTERPRETATIO, *& quomodo ſit facienda?*

REGULA I.

Juridica Conciliorum Interpretatio pertinet ad Epiſcopos, qui Conciliis adfuerunt, eorumque Succeſſores; ſed præcipuè ad illum, qui præfuit, ejuſque Succeſſorem.

RATIO.

RATIO. Ejus est Legem interpretari, cujus est condere: Hujusmodi autem Episcopi, sed Præcipuè Præses, Legem condunt in Conciliis; ideòque eorum est, illam interpretari, sed maximè Præsidis. Facultas hæc ad successores extenditur, quia in autoritate succedunt. *C. 3. de Off. Ordin.* §. *Statuto* §. *quamquàm post C.* 16. QUÆST. 1. CAUS. XXV. *C.* 31. *de Excom.*

Restringitur *Regula* ad Juridicam Interpretationem, quæ, cùm vim Legis habeat, Jurisdictionem eamdem in interprete postulat, quæ in Legislatore exigitur: est enim alia interpretatio, quæ Expositoria dici potest, quæad quemvis Jurisperitum pertinet.

REGULA II.

Pro Locorum, Temporum & Personarum diversitate, Canonum Leges sunt interpretandæ.

RATIO. Canonum Leges sunt velut remedia, quæ Locis, Temporibus & Personis sunt accomodanda. *C.* 1. 2. 3. DIST. XXIX.

§. VII.

Cujus sit à Conciliorum Decretis DISPENSARE; *& quo in casu ab his dispensandum.*

REGULA I.

A Conciliorum Decretis *Dispensatio*, prout est Juris relaxatio, ad eosdem, & eodem modo pertinet, ac juridica eorum interpretatio.

Infertur è *C.* 20. *de Elect.* ubi INNOCENTIUS III. dicit, se posse dispensare à Constitutione ALEXANDRI III. quia parem cum Alexandro habet potestatem. Præterea, eisdem datur solvendi ligandique potestas MATTH. XVIII.

RATIO. Ejusdem est solvere, cujus est ligare: Lex autem ligat, Dispensatio solvit: ideoque attinet ad eos, ad quos Legis constitutio spectat, & eodem modo; quia, quò, pro autoritate sua, in Legem magis influunt, plus possunt circà dispensationem.

Ut *Regula* meliùs intelligatur, notandum est. 1. Præter dispensationem, quæ dicitur *Juris Relaxatio*, quia à ligante Lege eximit, aliam esse, quæ mera *Juris Declaratio* dicenda; quia declarat tantùm hoc in casu non Legem obligare: talis est, v. g. quâ permittitur febre laboranti abstinentiam carnis non servare diebus, quibus præcipitur.

2. Improprium hoc Dispensationis genus, etsi non necessarium Legis scientiam habenti, petendum tamen esse à Superiore, ut debita ipsi reverentia exhibeatur.

REGULA II.

Extra casus urgentis necessitatis, tùm privatæ, tùm publicæ, & evidentis utilitatis non privatæ, sed publicæ, non est dispensandum.

RATIO. Malum infert Legi Dispensatio vulnus ipsi infligens, ejus pulchritudinem in æqualitate sitam lædens. Malum hoc bono aliquo compensandum est; vel publico, quale est necessitas, vel utilitas publica; vel privato, quale est necessitas privata, quâ intelligitur personæ privatæ, vel illius rerum, conservatio, sicut &, necessitate publicâ significatur conservatio personæ, vel rei publicæ: & utilitate publica, intelligitur augmentum rei publicæ non minimum. Discurrendum est de Dispensatione, ac de usu Matrimonii; quia, sicut iste, ob annexam sibi turpitudinem, eget aliquibus bonis, quibus cohonestetur, ità & Dispensatio, ob similem rationem, simile exigit cohonestamentum *C.* 19. *de Sent. & Re Jud.* docet, in Dispensationibus inspiciendam esse necessitatem, ac utilitatem. *C.* 15. *qui Filii legit.* ostendit, utilitatem in Dispensationibus inspiciendam esse, non privatam, sed publicam. *C.* 5. CAUS. IX. QUÆST. 1. ubi GELAS. II. dicit, quòd, cessante necessitate cessare debeat Dispensatio.

Incisio, quæ fit Legi per Dispensationem, quâque subditus Legis Legi subtrahitur, propter necessitatem, vel privatam, vel publicam, vel utilitatem publicam, similis est incisioni, quæ fit Arbori, quâque ramusculus illius resecatur, ut alteri Arbori inseratur: nàm, sicut istà incisio fit & redundat ad bonum aliarum Legum, quibus servatur subditus, dùm necessitas personæ movet ad Dispensationem, vel diligens executor, dùm publica in dispensando inspicitur, vel necessitas, vel utilitas.

Ad majorem *Regulæ* intelligentiam notandum, discrimen positum inter necessitatem, & utilitatem, quòd privata necessitas ad Dispensationem sufficiat, non verò privata utilitas, peti ex eò, quòd, quandò cùm aliquo dispensatur, propter necessitatem privatam, inspicitur bonum, sinè quo vivere nequit, quodque ideò in Legibus Humanis, quales sunt, de quibus agitur, est sufficiens causa Dispensationis: Si verò dispensaretur cum aliquo, ob privatam utilitatem, consideraretur bonum, sinè quo vivere potest, sed cum quo commodiùs vivit, quodque ideò non est sufficiens Dispensationis motivum. Præterea, non rara, qualis esse debet, cum sit à Lege, exceptio, sed frequentissima esset Dispensationis causa: cùm, ut plurimùm, Lex quælibet privato sit onerosa, proindèque ipsi utile est ab ea eximi.

REGULA III.

Contrà necessitatem vel utilitatem publicam nunquam est dispensandum.

RATIO. Si dispensaretur, id fieret propter bonum privatum, quòd, ut minùs, semper postponendum bono publico, quod majus est.

§. VII.

Quæ necessaria, ut Conciliorum Decreta ligent.

Quæ ad alias Leges, ut ligent, requiruntur, eadem, ut Conciliorum Decreta ligent, etiam requiruntur.

Hinc præcipitur, ut publicentur, ità ut, ad omnium, singulorumque notitiam pervenire possint, *C. ult.* DIST. XVIII. *C.* 25. *de Accusat. C.* 40. *de Simon. C.* 13. *de Pœnit. & Remiss.*

Præterea, oportet, ut usu recipiantur & retineantur, id est, acceptentur, & non abrogentur contraria consuetudine.

§. VIII.

Quot modis delinquatur in Concilia.

REGULA.

Non alii leguntur in Corpore Juris Canonici, quàm qui sequuntur.

1. Si in Conciliis tumultus & contentiones excitentur, Conciliaque sic perturbentur. *C.* 3. CAUS. V. QUÆST. IV.

2. Si vocati ad Concilia, venire contempserint. *C.* 43. CAUS. XI. QUÆST. III.

3. Si ad Concilia accedentes, Conciliorum præceptis obedire respuant. *ibid.*

4. Si, antè finitam Causæ suæ examinationem, vocati, abierint, vel antequàm dissolvatur, Concilium deserant. *ibid. C.* 12. DIST. XVIII.

5. Si excommunicatus aut depositus à Synodo divina Officia celebrare præsumpserit. *C.* 6. 7. CAUS. XI. Q. III.

6. Si ab his Decreta non serventur. *C.* 5. 13. 14. 16. CAUS. XXV. QUÆST. I.

7. Si illorum Statuta non publicentur in locis, in quibus servanda sunt. *C. ultim.* DIST. XVIII. *Cap.* 25. *de Accusat. C.* 40. *de Simon.*

§. IX.

Quâ pœnâ puniantur in Concilia delinquentes.

REGULA.

Non alia habetur in Canone quàm Excommunicatio ferendæ vel latæ sententiæ, vel suspensio.

Opponi possent *C. 6. 7.* CAUS. XI. QUÆST. III. ubi à Synodo excommunicatus, vel depositus, divinis se ingerens, à restitutionis spe excluditur. Sed dici potest, hos Canones non continere Pœnam, sed tantùm Irregularitatem, quæ est Impedimentem Canonicum, & non Pœna.

Regulæ circà Concilia in Particulari.

Acturi de Conciliis *in Particulari*, à nobiliori illorum specie ducemus exordium, nempè, à Conciliis Generalibus, circà quæ quæremus: 1. Quid requiratur, ut Concilium sit Generale. 2. Cujus sit illud convocare, in eoque præsidere. 3. Quæ autoritas. 4. Quæ distinctio inter Generalia. 5. In quibus præcipuè differat Concilium Generale à Particulari.

§. I.

Quid requiratur ut Concilium sit Generale?

REGULA.

Ut Concilium sit Generale non alia requiruntur, quàm quæ sequuntur.

1. Ut omnes Episcopi ad illud vocentur.

2. Ut convocetur ab eo, cujus est illud convocare.

3. Ut iste in eo præsit per se, vel per alium.

Ut pateat *Regula*, duo probanda incumbunt. 1. Hæc tria requiri. 2. Hæc sufficere.

Litteræ convocatoriæ Conciliorum Generalium dirigi solent ad omnes & singulos, qui jure vel consuetudine, adesse debent, vel possunt. Id patebit ex subjiciendis infrà Observationibus circà Concilia Generalia.

Primum ostenditur, quoad primam partem, ex eo, quòd Concilium Generale non sit nisi Ecclesia Universalis congregata; atque nomine Ecclesiæ, in his, quæ jurisdictionis sunt, Episcopi intelliguntur, ut in istis verbis CHRISTI, *Dic Ecclesiæ*, quibus jubet, ut monitionum occultarum contemptor, Ecclesiæ deferatur. Prætereà, Episcoporum est regere Ecclesiam, ut habetur ACT. II. ℣. 28. Regitur autem maximè per Generalia Concilia.

Quoad Secundam, & Tertiam Partem, constat ex eo, quòd omnis Congregatio, ut sit legitima, fieri debet eo convocante, cujus est convocare, eodemque præsidente.

Secundum patefit ex eo, quòd omnis alia Congregatio est legitima, quando vocantur, qui vocandi sunt, convocatio fit ab eo, ad quem pertinet; ac iste Congregationi per se, vel per alium, præest.

Hinc sequitur Abbates Generales Ordinum, & Cardinales, qui non sunt Episcopi, non esse ad Concilium vocandos Jure Divino, ut sit Generale; ac, si ad illud vocentur, id fieri Jure Humano, quale est Privilegium, Consuetudo.

Quæres, cur nihil dicat *Regula* de numero Episcoporum, qui adesse debeant Concilio, ut sit Generale? Respondetur: id ità factum, quia nullus est ad hoc determinatus. Sunt enim Concilia Generalia celeberrima, quibus adfuêre tantùm CL. quale est *Constantinopolitanum I.* Imò CXXX. quale *Calcedonense* istaque majori in honore habentur propter venerandam antiquitatem, quàm *Concilium Lateranense* cui adfuêre millia & ampliùs Patrum.

Quæres iterùm, cur omnes Episcopi vocari debeant, adesse verò ei non debeant, ut sit generale? Respondetur: nullum prætermitti posse sine injuriâ; singulos verò adesse non posse, sinè Ecclesiarum detrimento, multos legitimè impediri, vel infirmitate, vel ætate, similibusve causis, ne adsint; fierique posse nonnullos adesse nolle, vel negligentiâ, aliâque injustâ causâ: undè, si omnes adesse deberent, nullum unquàm potuisset, neve posset nunc fieri Concilium Generale.

Minorem numerum præsentium Episcoporum supplet cæterorum acceptatio, in quantùm opus est, ut Conciliorum hujusmodi Decreta dici queant Ecclesiæ Universalis definitiones.

§. II.

Cujus sit Concilium Generale convocare, eidemque præsidere?

REGULA I.

Juxtà Canones *Corpore Juris* inclusos solius est Papæ Concilium Generale convocare, eidemque præesse.

DIST. XVII. *C. 1. 2. L.* Qui, ut veri sint Canones, restringendi sunt ad Concilia Generalia.

RATIO. Concilium, ut dictum, non est nisi Ecclesia congregata: Ecclesia autem est Corpus; Papa verò hujus Corporis Caput. Ideòque, sicut in aliis Corporibus, Capitis est Corpus convocare, & convocato præesse, Papæ est Concilium Generale convocare eidemque præesse.

Hæc regula & subsequens fusiori indigent expositione, quæ dabitur in Observationibus circà Concilia Generalia.

REGULA *circà Exceptiones Regulæ præcedentis.*

Præcedens *Regula* non alias patitur Exceptiones, quàm istas.

1. Si dubius sit Papa legitimus.

2. Si notorius sit Hæreticus.

3. Si Sedes vacat.

4. Si Concilium præcedens futuri tempus & locum præfiniat.

Decreta Concilii *Constantiensis* & *Basileensis* hæc quatuor probant.

§. III.

Quæ Concilii Generalis Autoritas.

REGULA I.

Eadem est Concilii Generalis, ac Ecclesiæ, imò & Scripturæ Sanctæ autoritas.

C. 1. 2. DIST. XV. *C. 11. de renunt.*

RATIO: Ecclesiam totam repræsentat, ipsiusque definitiones dictat idem Spiritus Sanctus, qui Scripturam Sanctam dictavit.

Hinc sequitur 1. non magis posse Concilium Generale à veritate & justitia deviare, quàm Ecclesiam, & Scripturam Sanctam: ideòque nihil posse contrarium fidei, vel bonis moribus definire, vel statuere.

2. Maximam esse Concilii Generalis autoritatem, cùm eadem sit, ac Spiritus Sancti, qui Deus est. Idque duplici titulo, quo illud regit Spiritus Sanctus; nempè, prout est Sponsæ Spiritus Sancti congregatio ipsam totam repræsentans, &, prout est factæ à Spiritu Sancto revelationis, & in Scriptura, & Traditione contentæ, interpres.

C. 58. DIST. I. in quo Constitutiones Conciliorum dicuntur fieri per Spiritum Sanctum.

Dices: Si eadem sit Concilii Generalis autoritas, ac Spiritus Sancti, undè fit, ut præcepta ab eo facta non

non sunt divina, sed humana; ut patet ex eo, quòd non obligant cum vitæ discrimine? Respondetur: Id provenire ex eo, quòd Concilium Generale non sit Spiritu Sancti organum extrà ea, quæ sunt revelata, illave, quæ fidem, vel bonos mores, proximè tangunt: idque, quia Ecclesia, quam repræsentat, constituta est tantùm visibilis fidei, morumque regula.

Dices iterum: Quomodò eadem est Generalis Concilii ac Scripturæ Sacræ autoritas, cùm *C.* 4. *de Elect.* dicatur, à Romano Pontifice autoritatem, roburque suum accipere; Scriptura autem Sacra à Deo, non ab homine, suam accipiat autoritatem. Sed respondetur: *Cap.* oppositum ad rem non facere; quia, de rebus spectantibus Disciplinam, loquitur, ac hìc comparatur Generalis Concilii autoritas cum Scripturæ autoritate, quoad res, quæ fidem moresque contingunt.

§. IV.

Quæ sit inter Concilia Generalia distinctio.

REGULA.

Unica est inter Concilia Generalia notanda distinctio, quæ petitur ex Constitutionibus circà Disciplinam, quæque in eo sita est, quòd alia aliis puriores ediderint.

Ratio: Duo tantùm in Conciliis Generalibus considerari possunt. 1. Potestas definiendi, & statuendi. 2. Definitiones & Constitutiones.

Quoad *Primùm*, nulla potest esse inter ea distinctio: quia, nec crevit, nec decrevit Ecclesiæ potestas, eadem semper mansit, ut & manebit: moderna etenim Ecclesia non minus est sponsa & organum Spiritus Sancti, Corpus, cujus Caput est Christus; columna & firmamentum veritatis, castrorum acies ordinata, adversùs quam portæ inferi prævalere nequeunt, aliaque similia, quàm primitiva: promissiones Ecclesiæ factæ non sunt tempori obnoxiæ:

C. 58. Dist. l. *C.* 5. Caus. xxv. Quæst. 1. Correct. Rom. *C.* 2. Caus. xxiv. Quæst. 1.

Quoad *Secundùm*, nulla etiam potest esse inter Concilia Generalia distinctio, si sermo sit de Definitionibus, & Constitutionibus, quæ fidem moresve respiciunt: cùm, circà illa, Definitiones & Constitutiones nequeant esse aliæ aliis puriores.

Restat ergò, ut Concilia Generalia non distinguantur, nisi ratione Constitutionum, circà Disciplinam; nàm præter Constitutiones circà fidem & mores, nullas alias facere potest, quàm circà Disciplinam, circà quam, priorum Conciliorum Constitutiones cæterorum Constitutionibus videntur puriores.

Dices: Concilia Generalia, quoad autoritatem, & dignitatem, distingui inter se, afferesque ad hoc *C.* 28. Dist. l. in quo hæc leguntur: *Quoties Conciliorum discors est, sententia, illius magis tenenda est, cujus antiquior & potior est autoritas;* Undè, duplici titulo Concilium unum alteri prævalet autoritate, nempè dignitate, expressa hoc verbo, *potior*, & antiquitate, alio significata.

Idem habetur *C.* 11. Causs. xxxiii. Quæst. 11.

Respondetur: Illum Canonem loqui de Conciliis non Generalibus: conciliat enim Concilium *Ancyranum*, quod est Provinciale, cum alio Concilio Particulari; 2. Etsi loqueretur de Conciliis Generalibus, restringi posset ad res Disciplinæ, in quibus antiquiora Concilia sunt aliis præferenda: quia, quæ prioribus Sæculis fervebat devotio, succedentibus temporibus tepuit, & propterea majori in honore habentur juxtà illud: antiquitati Patres sanxerunt reverentiam. *C.* 8. Caus. ix. Quæst. iii. *C.* 3. *de transl.* Nec non & istud: *Prisca, pro sua reverentia manere debent constituta C.* 1. Dist. lv. Adde, quòd objectus Canon sit spurius, cùm desumatur ex Epistola *Isidori* ad. *Massonem*, quæ supposititia est.

§. V.

In quibus Concilium Generale, à Particulari præcipuè differat.

REGULA.

Præcipua inter Concilium Generale, & Particulare discrimina non alia sunt, quàm quæ sequuntur.

1. Solus Papa potest Concilium Generale convocare, in eoque præsidere; jus verò alia convocandi, in iisque præsidendi ad alios pertinet. Dist. xvii.

2. Generalia Concilia non sunt errori, nec peccato obnoxia: Particularia verò, utrique. Ideòque, illa istis præferenda, in his, quæ fidem, vel mores spectant; non autem in aliis, in quibus Particularia constituere possunt, quæ locis sibi Subditis congruentiora, quàm quæ à Generalibus constituta sunt, *C.* 1. *de constit.*

3. Generalia obligant totam Ecclesiam; Particularia verò, ex se ipsis, non ligant, nisi illius partem. Undè ista vocantur *Locales Synodi*, id est, certis Locis, quoad autoritatem, limitatæ.

C. 1. *da Constitutionibus* docens Statuta Canonum ab omnibus custodienda. *C.* 4. Caus. 1. Quæst. vii.

4. Concilia Generalia possunt condere articulos fidei, sivè definitiones fidei facere, non item Concilia Particularia . . . *C.* 1. 2. Dist. xv.

5. Judicum Conciliorum Generalium circà Jus, est irreformabile: secùs de aliorum Judicio . . . *ibid.*

6. Concilia Generalia inter se comparata, sunt æqualis autoritatis: Concilia verò Particularia inter se comparata sunt inæqualis . . . . *ibid.*

7. Quanto Generalia autoritate excedunt Particularia, ista illa superant numero.

8. Autoritas Canonum Conciliorum Generalium crescere nequit; aliorum verò crescere potest . . . . . *C.* 1. 2. Dist. xv.

9. Concilia Particularia Generalibus sunt antiquiora, nisi Concilium, de quo Act. xv. Generalibus, tùm propter infallibilitatem: tùm propter personarum qualitatem, quæ Universam Ecclesiam repræsentabant, accenseatur.

Hæc discrimina colliguntur partim ex dictis circà Concilia Generalia, partim ex mox dicendis, circà Concilia Particularia: quæ enim sequuntur *n.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. sequuntur ex eo, quòd Concilia Generalia paris sunt, cum Sacra Scriptura, autoritatis. Quæ hactenùs humanè dicta sunt, & ex Corpore Juris desumpta, fusiùs explicabuntur in Observationibus, circà Concilia Generalia præcitatis, quæ aliundè, quàm ex illo, eruentur.

Regulæ circà Concilia Particularia.

Concilia Particularia considerari possunt: 1. In genere. 2. In specie. Primo modo sumpta, quæri potest circà ista Concilia: 1. In quibus, cum Generalibus conveniant? 2. Quæ sit illorum divisio? 3. Cujus sit illa convocare, iisque præesse? 4. Quæ illorum autoritas, & quanti facienda? 5. An aliqua Lex hujusmodi Concilia præcipiat? 6. In quibus inter se conveniant, & differant?

§. I.

In quibus Concilium Particulare, cum Generali conveniat.

REGULA.

Non in aliis, saltem notandis, Concilium Particulare, cum Generali convenit, quàm in sequentibus.

1. In *Natura*. Est enim Episcoporum congregatio à Superiore Ecclesiastico facta,

2. In *Fine*. Convocatur enim, vel ad lites, aliasve turbas terminandas; vel ad exortas, circà fidem, vel mores, dubia solvenda; vel ad eorum solutionem, à Superiore factam, recipiendam; vel demùm, ad abusus tollendos.

3. In *Potestate Leges Ecclesiasticas condendi.* Plerique enim Ecclesiæ Canones sunt à Conciliis Particularibus conditi.

4. *Circà ipsius Decreta interpretandi Jus.* Pertinet enim potissimùm ad ipsius Convocatorem, & Præsidem.

5. Judicium utriusque circà facta, est reformabile.

6. Utrique Presbyteri interesse possunt.

7. Quùm Canones sunt contrarii, posterior priorem corrigit. *C.* 1. *de Cognat. Spirit.*

RATIO. Regulæ, quæ suprà dictæ sunt convenientiæ verè sunt notandæ, utpotè desumptæ ex his, quæ Conciliis substantialiæ sunt: cætera, quæ adjici possunt, non sunt notatu digna; utpotè ab accidentibus petitæ: nempè, ex circumstantiis Temporum, Locorum, & Personarum.

§. II.

Quæ sit Conciliorum Particularium divisio.

REGULA.

Tot sunt species Conciliorum Particularium, quot sunt Dignitates Episcopales, Papatui inferiores, quæ subditos sibi habent Episcopos.

RATIO. Quælibet hujusmodi dignitas subditos sibi Episcopos convocare potest. Hinc sequitur, tres tantùm esse species Conciliorum Particularium, nempè Patriarchalium, Primatialium, & Archiepiscopalium, sivè Provincialium: cùm tres tantùm sint Papatui inferiores Dignitates Episcopales, quæ subditos sibi habeant Episcopos: nempè, Patriarchatus, Primatia, & Archiepiscopatus. Nota obiter: Concilia Archiepiscopalia vulgò dici Provincialia, quia Archiepiscopi districtus dicitur Provincia.

Quæres, qua in Classe ponamus Concilia Nationalia, sivè, quæ constant ex Episcopis totius alicujus Nationis?

Respondemus: Nos illa collocare, inter Primatialia, si tota Natio sit sub uno Primate; si verò sub pluribus, inter Patriarchalia: idque, quia, qui his Conciliis præsunt, vices gerunt Patriarcharum; cùm subditos sibi, ut præsidibus, habeant Primates. Si verò Natio non habeat Primatem, nec Patriarcham, cui subsit tota, Concilium illius Nationis ad nullam illorum speciem spectabit: sed si habeat plures Primates, qui præerit Concilio, munere Patriarchæ fungetur; cùm plures sub se habiturus sit Primates, quod tempus, quo duraturum erit Concilium, istudque in illo, simile erit Concilio Patriarchali.

§. III.

Cujus sit Concilia Particularia convocare iisque præesse.

REGULA I.

Quælibet Particularium Conciliorum species, ab ea convocatur dignitate, à qua denominatur, eamque habet Præsidem, exceptis casibus de quibus Regula subsequens.

RATIO. Ejusdem est convocare Concilia iisque præsidere: utrumque autem convenit convocatorum Superiori, qui ergà convocatos in Conciliis Particularibus est ipsa dignitas, à qua denominatur.

In GALLIA, quibusdam in casibus, convocat Concilia Provincialia Metropolitani Vicarius, quibus tamen non præsidet, sed antiquior Episcopus. Insigne exemplum habes, in Concilio *Narbonensi*, anni 1551. convocati à Vicario Generali Archiepiscopi Narbonensis; idque etiam in illo singulare, quòd nullus Episcopus illi adfuit, sed soli Suffraganeorum & Archiepiscopi Vicarii Generales.

Hinc Concilia Patriarchalia, à Patriarcha convocantur, iisque præsidet; & sic de cæteris.

REGULA II.

Non alii casus excipiuntur à Regula præcedente, quàm isti.

1. Quando vacat Sedes.

2. Cùm vacare justa de causa creditur.

3. Quando Superioris Jurisdictio aliqua ligatur Censura.

4. Quando mente captus est, aut corpore captivus detinetur

Quæres: Cujus sit Jus convocandi & præsidendi, in istis casibus.

Respondetur, illud pertinere tàm juxtà antiquos Canones, quàm juxtà novos, Episcopo antiquiori. *C.* 2. SESS. XXIV. *de ref.* CONC. BASILIENS. SESS. XX.

§. IV.

Quæ sit Conciliorum Particularium autoritas, & quanti facienda?

REGULA I.

Ea est Conciliorum Particularium autoritas, quæ Ecclesiarum quas repræsentant.

RATIO. Non sunt illa Concilia aliud, quàm istæ Ecclesiæ congregatæ.

Hinc Concilium, v. gr. Patriarchale, tantæ est autoritatis, quantæ Ecclesia Patriarchalis, quam repræsentat: ideòque, quo magis extenditur hæc Ecclesia, pluresque habet sub se Episcopos, eò major est istius Concilii autoritas. Idem dic de Primatiali, & de Archiepiscopali, sivè Provinciali.

REGULA II.

Cæteris paribus, pluris facienda est Concilii Particularis quantumvis minimi, autoritas, quàm Doctoris privati, quantumvis maximi.

RATIO. Conciliorum Particularium minimum, tribus, aut quatuor saltem Episcopis componitur: plurium autem Episcoporum sententia, Doctoris cujusvis privati opinioni prævalet; cæteris tamen paribus. Nàm, si istius sententia validioribus niteretur argumentis, præferenda esset.

REGULA III.

Decreta Concilii Particularis, quamvis à Papa confirmati, non ligant extrà Ecclesiam, quam repræsentat; nisi ab aliis recipiatur, vel Papa ad omnes alias extendat, & ipsæ illa recipiant.

RATIO. Patres istius Concilii non habent Jurisdictionem in alias Ecclesias; ideòque illis Legem ponere nequeunt: Papa confirmans Decreta, eorum vim auget, sed non extendit. Dùm Decreta hæc, ab aliis Ecclesiis recipiuntur, fiunt quodammodò illarum Decreta, sicut qui adoptatur, fit adoptatus filius. Ecclesiæ cujusvis Legi Particulari, vim Legis Universalis tribuere potest Papa, sicut Princeps, ex Statuto alicujus Provinciæ, Legem totius Regni efficere potest. Sed ad hoc necessarium est, ut confirmativa Papæ Constitutio, illiusque ad alias Ecclesias extensiva, ab istis acceptetur, ut dicetur, dùm de acceptatione Legum sermo fiet.

§. V.

§. V.

An aliqua Lex Concilia Particularia præcipiat?

REGULA.

Tàm Lege non scriptâ, quàm scriptâ, tàm Civili, quàm Canonicâ, tàm postremis sæculis, tàm præcedentibus, Concilia prædicta præcepta sunt; sed, sub aliis pœnis, novo, quàm veteri jure.

Plura facta continet *Regula*, quæ ex *Gratiano* DIST. XVIII. ex BOCHELL. *L. V. tit. ult.* & ex *Conc. Trid.* SESS. XXIV. *C.* 2. probari possunt. Qui volet horum factorum veritate convinci, legat citata loca, pluraque reperiet in *Epitome veter. jurisc. Canon. L. V.*

§. VI.

In quibus Concilia Particularia conveniant & differant inter se.

REGULA I.

Non in aliis, Concilia Particularia, inter se conveniunt, quàm, in his, in quibus differunt à Generalibus; sed non in omnibus his conveniunt.

RATIO. Differunt Concilia Particularia à Generalibus, per id omne, quod istis peculiare est; in isto autem defectu, conveniunt inter se, ut suprà ostensum est: Differunt etiam in quibusdam accidentibus, quæ sibi communia non sunt. Talis est differentia petita ex Numero. Non enim quælibet Conciliorum Particularium species, Concilia Generalia numero excedit; cùm pauciſſima sint Concilia Patriarchalia, quæ sola numerosiora esse possunt.

Quoad differentias communes Conciliorum Particularium à Generalibus, vide §. *ult.* circà Concilia Generalia.

REGULA II.

Potissima inter Concilia Particularia differentia, ab autoritate petitur; eaque una notanda est.

RATIO. Hæc differentia est substantialis; cæteræ verò, quales, quæ ab Antiquitate, vel à Numero desumuntur, sunt Accidentales; Præterea, istius differentiæ cognitio, ad praxim utilis: hinc enim discitur, qui Canones sint aliis præferendi, à quibus, & ad quæ Concilia Particularia appellari potest, à quibus & ad quæ, non.

Aliarum differentiarum cognitio ad praxim inutilis, cui soli tamen attendendum est.

Quòd autem Concilia Particularia autoritate differant, patet, tùm quia alia sint aliis majora, utpotè convocata à majori Dignitate Episcopali, eaque præside celebrata, majorique Episcoporum numero composita; tùm quia ab uno ad aliud appellatur. Verùm non isto solùm modò Concilia Particularia inter se differunt autoritate, sed aliam & alio, ad cujus intelligentiam.

Notandum: In Conciljis Particularibus duplicem posse distingui autoritatem: alia enim est *propria*, quam habent ex se ipsis, quæque major, vel minor est, prout à majori, vel minori celebrantur Dignitate Episcopali: alia verò est *Extranea*, sivè Accidentalis, quàm à Dignitate ejus, qui illorum Decreta adoptat, accipiunt. Quæque etiam Concilia ejusdem speciei possunt inter se differre; cùm unum adoptari possit, alio non adoptato: vel adoptari potest à majori dignitate, alia à minori adoptato.

Hinc, Concilia Particularia, quorum Decreta in Collectione Decretalium *Gregorii IX.* inserta sunt, differunt autoritate ab aliis similibus Conciliis; quia universalem indè autoritatem acceperunt. Hinc, Concilia Particularia approbata à *Sexta* Synodo Generali. *C.* 7. DIST. XVI. & à LEONE IV. *C.* 1. DIST. XX. autoritate superant similia Concilia, eodem modo non approbata. Ex tali siquidem approbatione Concilii Generalis autoritatem traxerunt; cùm hinc certum factum sit, nihil, in his Conciliis, fidei bonisve moribus contrarium reperiri.

Non omittendum præter duas accidentales differentias, inter Concilia Particularia annotatas, esse aliam, quæ petitur ex eo, quòd in Corpore Juris Canonici pauca habeantur de Concilio, tùm Patriarchali, tùm Primatiali; plurima verò de Provinciali, ut patebit ex his, quæ circà quamlibet horum Conciliorum speciem, mox colligentur.

Regulæ circà Concilia Particularia, in specie considerata.

Quoniam sunt tres Conciliorum Particularium species, nempè Patriarchalium, Primatialium, Provincialium, de qualibet agemus; sed de 1ª. & de 2ª. simul tractabimus: quia Canones, qui de illis loquuntur, non distinguunt illas, nullaque adhibita divisione paucis observationibus & unica *Regula*, quæ circà illas docent Canones, absolvemus: de Provinciali verò quæremus: 1. A quo convocandum? 2. Quo tempore? 3. Qui ad illud vocandi? 4. Quæ causæ vocandos à veniendo dispensent? 5. Ad quid teneantur vocati, cum adesse nequeunt? 6. Quæ pœnæ vocatorum adesse nolentium? 7. Quæ in illis agantur? 8. Quid circà illius Decreta faciendum?

Observa ergò 1. in Corpore Juris Canonici nullam fieri expressam mentionem de Conciliis Patriarchalibus, vel Primatialibus, expresso scilicet nomine Concilii Primatialis, vel Patriarchalis.

2. Variis modis dignosci posse, an Concilia, quorum Canones in Corpore Juris habentur, fuerint Patriarchalia; an verò Primatialia. Nimirùm, tùm ex numero Episcoporum; qui Conciliis his interfuerunt: Si enim 15. vel 20. excedat, ut plurimùm sunt Primatialia, vel Patriarchalia; cùm Metropolitanus, plerumque non habeat tot Suffraganeos: tùm ex Subscriptionibus, vel Inscriptionibus; si enim Episcopi diversarum Provinciarum in his legantur, Concilia sunt Primatialia, vel Patriarchalia: tùm ex rebus in his statutis; ut, si quid circa Metropolitanos jubeant.

3. Quoties Canones jubent vocari ad Concilium, quod præcipiunt, Episcopos alterius Provinciæ, istud Concilium esse Primatiale, vel quasi Primatiale.

4. Quoties Canones mandant rem, in Concilio Provinciali discussam, ad majorem Synodum deferri, istam esse Primatialem, vel quid simile.

5. Non posse certò inferri, Concilium esse, vel non esse Primatiale, ex Nomine Concilii; quia Concilium hujusmodi convocari potest in alio loco, quam in Civitate Primatis illud convocantis: nec esse Primatiale, quoties convocatur in Sede Primatiali, idque, quia, cum Primas sit, Metropolitanus, potest in Sede sua Provinciale Concilium congregare.

6. Non referre ad praxim, cognoscere, an Concilia Particularia, de quibus *C.* 7. DIST. XVI. *C.* 1. DIST. XX. fuerint Patriarchalia, Primatialiá, an verò etiam Provincialia; cùm à Concilio Generali, quod illa approbat, & confirmat, in dicto *C.* 7. & à LEONE IV., qui idem facit in *cit. Can.* 1. universalem autoritatem acceperint.

7. Si Episcopi plurium Provinciarum insimul congregantur, Concilium haberi potest ut Primatiale, etsi illi nullum habeant Primatem: hoc enim casu, Præses illius munus Primatis obit, cum Jurisdictionem exerceat in Metropolitanos. His observatis.

REGULA UNICA.

Non alia leguntur in Jure Canonico, circà Concilia Primatialia, vel Patriarchalia, quam ista.

1. Si Episcopi unius Provinciæ simul congregati, circà aliquid concordare nequeant, vocandus est Metro-

Metropolitanus vicinæ Provinciæ, cum aliquantis ejus Suffraganeis, majorque Synodus, sub Primate, celebranda; ut, in illa judicetur, quod rectum videbitur. *C.* 1. 2. 3. 4. 5. CAUS. VI. QUÆST. IV.

2. Quod semel in Synodo Particulari constitutum est, non est, nisi in majori, retractandum. *C.* 6. CAUS. VI. QUÆST. IV.

3. Presbyteri, aliique inferiores Clerici, à Conciliis Provincialibus provocantes, ad alia ejusdem Regionis, vel Nationis, Concilia appellare tenebantur. *C.* 34. CAUS. XI. QUÆST. III.

4. Injusta Episcopi damnatio, in Synodo facta, tamquàm irrita, in alia Synodo est retractanda. *C.* 35. CAUS. XI. QUÆST. III.

5. Restituta à majori Synodo, contrà injustam minoris Sententiam, insignia Ordinis, à quo depositus erat, in illa tradi debebant eo modo, quo in suscipiendo illo ordine acceperat. *C.* 65. CAUS. XI. QUÆST. III.

6. Natæ, extrà Provinciam, Primati, ut Metropolitano subditam, suam tamen intrà ditionem, Causæ, ipsius cognitioni non subjacent, nisi in secunda Instantia; easque nequit in Synodo Primatiali tractare, nisi jàm tractatæ in Concilio Provinciali, per Appellationem ad ipsum deferantur. *C.* 1. CAUS. VI. QUÆST. III.

7. Primatis est, non aliorum Diœceseos, sivè Primatiæ, Episcoporum, in Synodo Primatiali, judicare de Causis, propter quas Episcopus deponendus est, vel Episcopatui renunciare debet. *C.* 3. CAUS. VI. QUÆST. III.

8. Cùm Concilia Particularia inter se dissident, præferenda sunt aliis, quorum major est autoritas. *C.* 28. DIST. I. *C.* 11. §. *in fine* CAUS. XXIII. QUÆST. II.

9. Si Episcopus damnatus in Synodo Provinciæ suæ, ad Papam appellet, potest iste causam retractandam remittere alteri Concilio, quod, ut possit prioris Sententiam reformare, debet esse in propria autoritate majus, nisi ex commissione judicet; quo casu erit tantùm majus, aliena autoritate. *C.* 35. CAUS. II. QUÆST. VI. *C.* 7. CAUS. VI. QUÆST. IV.

§. I.

A quo Provinciale Concilium sit convocandum?

Priusquàm quæsitum in hoc §. 1. circà Concilium Provinciale, decidatur, indicanda sunt Juris Canonici loca, quæ de illo Concilio loquuntur, ac è quibus potissimùm hauriemus, quæ de illo dicturi sumus. Sunt ergò ista: DIST. XVIII. *tota* QUÆST. III. & IV. CAUS. VI. *C.* 25. *de Accusat. C.* 2. SESS. XXIV. *de Ref.*

REGULA UNICA.

Solius est Metropolitani Concilium Provinciale convocare, nisi sit legitimè impeditus, quo casu, ad Coepiscopum seniorem id pertinet. *C.* 8. DIST. XCII. *C.* 1. DIST. XCVI. Exceptio legitur in cit. *C.* 2. SESS. XXIV.

RATIO. Ecclesiæ Provinciali est Episcopus, cujus caput est Metropolitanus. Capitis est autem convocare Corpus, in quod Jurisdictionem habet.

Hinc Concilium Provinciale integrum & perfectum non habetur, cui non interest Metropolitanus, *C.* 8. DIST. XCII.

Hinc irritum declaratur, quod in Concilio, sine Metropolitani autoritate coacto, ab Episcopis Provinciæ tentatur. *C.* 1. DIST. XCVI. §. *quod si.*

§. II.

Quo tempore convocandum sit Concilium Provinciale.

REGULA.

Circà Tempus, quo Concilium Provinciale convocandum est, variant Canones in Corpore Juris inserti: Quæ diversa habent, ad tria reducuntur.

Prima pars *Regulæ* patet ex secunda: ista verò, cùm sit, quoad vim, negativa, probari nequit, nisi solutione eorum, quæ opponi possunt, qualia nulla occurrunt.

1. Jubent, ut bis in anno convocetur, idque omnes, à *Can.* 36. *Apost.* usque ad *Sextam* Synodum Generalem.

2. Hæc Synodus permittit, ut semel tantùm in anno convocetur; quod renovatur à *Septima* Synodo Generali, pluribusque post Sæculis, ab INNOC. III. in Concilio *Later. IV.*

Denique, Concilium *Trident.* præcipit, ut saltem quolibet triennio, celebretur.

Quoad *Primum*, lege *Canonem* 36. *Apost. C.* 2. 3. 4. 6. 15. & DIST. XVIII. in quibus videbis, jàm à primis Sæculis, in quibus conditi creduntur Canones Apostolici jussum fuisse, ut bis in anno Concilium Provinciale celebraretur. Deindè, idem præceptum à Conciliis *Nicæno*, *Calcedonensi*, & *Antiocheno*, ac à *Martino Bracar.*

Quoad *Secundum*, lege *C.* 7. *ejusdem* DIST. XVIII. in quo VII. Synodus Generalis dicit, se innovare, quod VI. indulserat, ut Concilium Provinciale semel in anno convocaretur; & *C.* 25. *de Accus.* ubi *Innoc. III.* in Concil. *Later.* Metropolitanis injungit, ut, juxta vetus Sanctorum Patrum institutum, Concilium Provinciale singulis annis celebrent.

Quoad *Tertium*, vide *C.* 2. SESS. XXIV. in quo *Conc. Trid.* præcipit, ut, ficubi omissa sint Concilia Provincialia, renoventur, & quolibet triennio celebrentur.

Nota obiter, quosdam ex citatis *Canonibus* determinasse, in qua Anni parte celebranda sint Concilia Provincialia: nam *Conc. Nic.* injunxerat, ut unum antè Quadragesimam, aliud circà Autumnum celebrarentur. *Conc. Antioch.* jusserat, ut unum tempore medio, inter Paschæ & Pentecosten, aliud verò Idibus Octobris convocarentur, Concilium verò *Trident.* præcepit, ut ista Concilia, post Octavam Paschæ, aliove commodiori tempore, juxtà Provinciæ morem, celebrentur. Hujus Decreti executio variis Edictis in Gallia præcepta est; Nempè Edictum *Melodunense* 1580. Edictum 1610. & *Declaratio* 1646. sed ab An. 1624. nullum ibi celebratum Concilium Provinciale, quod hoc nomine dignum ab omnibus censeatur.

Instit. ad Jus Eccles. p. 25. *Tom.* 2.

§. III.

Qui ad Concilium Provinciale vocandi.

Hujus quæstionis decisioni præmittendum est, posse quem ad Concilia vocari, ut judicet; vel, ut judicetur; vel, ut, quæ sua refert, exponat, & audiat; vel, ut, suo alios consilio juvet.

REGULA I.

Soli Episcopi Provinciales vocandi sunt, ut Judices, ad Concilium Provinciale: sed, ut judicandi, quilibet Clerici, etiam Episcopi, modò sint Provinciæ subditi; imò & Laici, si de Clericis conquerantur.

Prima Pars patet 1. Ex eo, quòd Concilium Provinciale à S. LEONE vocetur Concilium Episcopale. 2. Ex eo, quòd Concilium *Antiochenum* loquens de vocandis ad illud Concilium solorum meminit Episcoporum.

coporum Comprovincialium. 3. Concilium *Calcedonense* illud vocat Concilium Episcoporum. 4. *Martin Brach.* Concilium *Antiochenum* referens, licèt suo Sæculo accommodet, suos tamen Episcopos, inter vocandos ad Concilia Provincialia, annumerat. 5. Synodus VII. monens Patres Concilii Provincialis, quid agere debeant, dùm celebratur, solos nominat Episcopos. 6. *Concil. Later.* injungens Metropolitanis, ut Concilia celebrent Provincialia, his verbis exprimit quod jubet: *Metropolitani cum Suffraganeis suis non omittant Concilia Provincialia celebrare.*

Oppones contra *primam* probationem; citatum Concil. *Later.* Synodum Diœcesanam vocare, Synodum *Episcopalem* . . . sed respondetur: Concilium vocari posse *Episcopale*, vel ab Episcopo convocante, vel ab Episcopis convocatis, illudque componentibus: Synodum autem Diœcesanam à Concil. *Later.* vocari Episcopalem, primo modo; Concilium verò Provinciale, Episcopale nuncupari à S. Leone, secundo modo: idque quia, si à convocante denominaret illud, Concilium Archiepiscopale vocitaret.

Oppones iterùm contra omnes, Concilium Tridentinum insinuare, alios quàm Episcopos vocandos, ut Judices, ad Concilium Provinciale; cùm jubeat, ut, non solùm Episcopi, sed & alii, qui de jure, vel consuetudine, interesse debent, eidem interfint . . . . Verùm, respondetur: alios ab Episcopis, qui Concilio isti interesse debent, non interesse, ut judices, ut docet Concilium *Burdigal.* Bochel. *Lib. V. Tit. ult. C. 6.* 1582. quod, sicut & alia ejusdem temporis, celebratum est ad exequendum Concilii *Tridentini* Decretum, circà Concilia Provincialia, quodque ideò audiendum est, ut optimus hujus loci oppositi interpres.

Secunda & tertia *Regulæ* pars patent: 1. Ex *C.* 4. Dist. xviii. ubi Concilium *Antiochenum* dicit, Presbyteros, Diaconos præsentes esse Concilio Provinciali, & omnes qui existimant se læsos, Synodicam expectare Sententiam. 2. Ex *Cap.* 46. Caus. xi. Quæst. 1. in quo Clericus habens causam contra Episcopum, in Concilio Provinciali, judicandus dicitur: 3. Ex *Cap.* 2. 4. 5. 30. 35. Caus. xi. Quæst. iii. ubi legitur, conquerentem de Episcopo, Synodum Provinciæ debere interpellare. 4. Ex *Cap.* 6. 7. Caus. xi. Quæst. iii. ubi Episcopus, in Synodo depositus, restitui in alia Synodo vetatur, si divina antè restitutionem, præsumpserit celebrare. 5. Ex *Cap.* 43. Caus. xi. Quæst. iii. ubi sinè distinctione, excommunicat in Concilia delinquentes, tribus Casibus, quorum primus est eorum, qui vocati nolunt venire; 2. illorum, qui venientes, obedire nolunt. 3. Horum, qui, antè finitam causæ suæ examinationem, abeunt.

REGULA II.

Ad Concilium Provinciale vocanda sunt Capitula Ecclesiarum Cathedralium, tàm ut jura sua defendant, quàm, ut Episcopos suis juvent consiliis in decisionibus. *C.* 10. *de his, quæ fiunt à Prælat.* &c.

Hoc Caput non est *Innocentii III.* sed *Honorii III.* vide Cironium in illud.

§. IV.

Quæ causæ à veniendo ad Concilium Provinciale vocatos eximant.

REGULA I.

Causæ omnes, quæ, à veniendo ad Concilium vocatos, eximunt, reducuntur ad Impotentiam, vel absolutam, vel moralem. *C.* 5. 10. Dist. xviii.

Ratio. Sunt quatuor tantùm hujusmodi causæ, nempè.

1. Ætas. *C.* 10. *ead.* Dist.

2. Ægritudo. *ibid.*

3. Gravior necessitas, qualis, quâ quis in captivitate, vel in carcere detinetur. *ibid. C.* 9. 13. *ead.* Dist.

4. Transfretandi periculum, aliudve simile, quale nasci potest ex inobservantia Regiæ præceptionis, id expressè, vel tacitè vetantis. *C.* 2. Sess. xxiv. *C.* 13. Dist. xviii.

Prima autem, secunda, & quarta harum causarum reducuntur ad Impotentiam Moralem, qualis est eorum, qui aliquid facere non possunt sine gravi vitæ periculo, cui sese objicere non tenentur. Hæc Impotentia moralis dicitur, quia non est re, sed prudenti hominum opinione, esse judicatur. Tertia verò ad Impotentiam Absolutam, quâ intelligitur ea, quæ est in his, qui rem aliquam nequaquàm facere possunt.

§. V.

Ad quid teneantur Episcopi, qui vocati ad Concilium Provinciale venire nequeunt?

REGULA UNICA.

Duo tantùm, circà illud, Jus Canonicum præcipit,

1. Ut excusationes suas litteratoriè conscribant. *C.* 10. Dist. xviii.

2. Ut mittant Legatum, suscepturum quidquid Concilium statuerit. *C.* 9. *ead.* Dist. *C.* 3. Caus. v. Quæst. iv.

§. VI.

Quæ pœnæ Episcoporum ad Concilium Provinciale venire nolentium?

REGULA I.

In hujusmodi Episcopos, una tantùm in Corpore Juris Canonici exprimitur pœna; nempè, exclusio à Comprovincialium Communione, usque ad futurum Concilium, in quo non recipiuntur, nisi fuerint priùs absoluti: alia verò indigitatur.

Primæ Partis Ratio est: è Canonibus in Corpore Juris inclusis, soli Canones 10. 12. 13. 14. Dist. xviii. meminêre pœnæ, in Episcopos, Concilio adesse injustè nolentes, præscriptæ: Pœna autem, quam exprimunt, est ea sola, de quibus *Regula.* Nota obiter, circà hanc pœnam 1. Illam esse Excommunicationem partialem, quæ, Episcopo reo, Communionem suæ Ecclesiæ relinquens, aliarum Ecclesiarum ejusdem ac suæ Provinciæ, Communione privabat.

2. Hanc Excommunicationem esse *latæ Sententiæ*, ut hac locutione patet, *alienum à fratrum Communione se agnoscat:* quæ indicat Censuram latæ Sententiæ.

3. Inusitatum esse nunc hoc Excommunicationis genus, nisi inter innovatos à Concilio Tridentino, circà hanc rem, Canones citati includantur; quo casu erit usitatum, quoad legem, sed inusitatum, quoad executionem; cùm Decretum Concilii Tridentini proindéque pœnæ, quibus munitur, non sit in usu: hoc enim ævo: duo tantùm noscuntur Excommunicationum genera; nempè Excommunicatio *Minor*, quæ Sacrorum participatione privat, & Excommunicatio *Major*, quæ ab omni Communione Sacra excludit, insuperque simul & civili magna ex parte.

Secundæ Partis Ratio: Inter innovatos à Concilio Tridentino Canones, circà vocatos ad Concilium

lium Provinciale venire nolentes, hi soli, qui è Conciliis *Aurelian. Tolet.* & *Basilienſi* eruuntur, non sunt de numero pro prima Parte *Regulæ* allatorum; atqui Canon *Toletanus* eamdem pœnam præcipit, ac allati: Canon verò *Basilienſis* non est ad rem; quia loquitur de his, qui nollent venire ad Concilium Generale, qui Concilium Basileæ convocatum, aliudque alibi celebrare tentarent, & hic sermo fit de his, qui Provinciali adesse nolunt, nec tentant tamen Concilium Schismaticum celebrare. Canon verò *Aurelianenſis* unius tantùm pœnæ, nempè semestris à Missarum celebratione suspensionis, meminit.

Dicitur in *Regula*, hæc pœna indigitari; quia Canon *Aurelianenſis* non expresè innovatur à Concilio Tridentino; sed inter alios innovatos ab eo, tantùm indicatur.

§. VII.

Quæ agenda in Concilio Provinciali?

REGULA.

Circà agenda in Concilio Provinciali, non alia leguntur in Corpore Juris Canonici, quàm quæ sequuntur.

1. Concilium Provinciale, per singulas Provincias, omnia debet administrare, & gubernare. Quod restringendum, tùm ad Causas, quæ omnes Provinciæ Episcopos, vel plerosque, vel saltem duos simul tangunt; tùm ad Causas, in quibus, vel Episcopi accusantur, vel ab his appellatur; has enim Causas ad Concilium pertinere ex infrà notandis patebit, secus de aliis. *C.* 9. CAUS. IX. QUÆST. II. *C.* 16. CAUS. III. QUÆST. VI.

2. Omnes Causas Ecclesiasticas ventilare, vel in prima, vel in secunda Instantia examinare, scrutari, discutere potest; sed non omnes definire: majorum enim definitio, Sedi Apostolicæ reservatur. *C.* 5. 6. 7. CAUS. III. QUÆST. VI.

3. Quæ correctione & reformatione digna sunt, cum Dei timore tractare debet. *C.* 25. *de Accus.*

4. Relegendi sunt in eo aliorum Conciliorum Canones Provinciæ bono necessarii, utilesque; atque, ut serventur, in transgressores pœna est infligenda. *C.* 25. *de Accus.*

5. Instituendæ ab eo, per singulas Diœceses, personæ idoneæ, providæ, scilicet, & honestæ, quæ intrà tempus ab uno ad aliud Concilium elapsurum, ea, quæ corrigenda & reformanda sunt simpliciter & de plano, absque ulla Jurisdictione, sollicitè investigent: eaque Concilio deferant. *ibid.*

6. Clericus sive de suo, sive de alio, conqueratur Episcopo, in Concilio Provinciali judicandus est. *C.* 46. CAUS. XI. QUÆST. I.

7. Injustè ab Episcopo excommunicatus, appellare potest ad Concilium Provinciale: quod extendendum ad omnes conquerendi causas, quas Diœcesanus quisque contrà suum habet Episcopum. *C.* 2. 4. 5. 30. 31. CAUS. XI. QUÆST. III.

8. Episcopus graviter delinquens, à Papa in Concilio Provinciali deponitur. Concilium hanc potestatem habet in Gallia. Si verò ejus culpa non sit depositione digna, ab ipso Concilio punitur. Quæcumque sit Episcopi Causa criminalis, in Concilio tractatur. *C.* 10. CAUS. XI. QUÆST. III. *C.* 23. CAUS. XII. QUÆST. I. CAUS. V. QUÆST. IV. *C.* 1.

9. Presbyter & Diaconus deponi non possunt, nisi in Concilio Provinciali, in quo cum Episcopo conveniunt; sed differunt ab illo, in eo, quod, ad Diaconum deponendum, tres sufficiant Episcopi, & ad deponendum Presbyterum, sex: ad depositionem verò Episcopi, duodecim Episcopi requirantur; ac Papæ autoritas; juxtà Disciplinam à falsis Decretalibus invectam; quoad postremum. *C.* 15. QUÆST. VII. *C.* 3. 4. 5. *ead.* CAUS. & QUÆST. citantur *à Cap.* 2. *de Pœnis.*

10. Quæstiones inter Episcopos, de Parochiis apud Concilium Provinciale judicandæ sunt. *C.* 1. CAUS. 16. QUÆST. III.

11. In illo, discutiendæ incidentes, circà dogmata, ambiguitates. *C.* 36. *vel* 37. *Apostolor. ad calcem Decreti.*

§. VIII.

Quid faciendum, circà Concilii Provincialis Decreta?

Tria tantùm in Canone præcepta leguntur circà Concilii Provincialis Decreta.

1. Ut quàmprimum publicentur in Synodo Diœcesana, à quolibet Provinciali Episcopo. *Cap. ult.* DIST. XVIII. *C.* 25. *de Accusat.*

2. Eorum observationem quilibet Comprovincialis curet Episcopus. *Eod. C.* 25.

3. Ut puniatur suspensione, qui alterutrum neglexerit. *Eod. C.* 25.

Nota obiter, circà pœnam, in primi præcepti transgressores *C. ult.* DIST. XVIII. citatum bimestrem ferre Excommunicationem, ipso facto incurrendam, quæ Excommunicatio, cùm sit ad determinatum tempus, nunc usitatæ suspensioni non est absimilis.

Cætera scitu necessaria in Corpore Juris omissa, circà Concilia, tàm Generalia, quàm Particularia, in subsequentibus Observationibus de hujusmodi Conciliis, explicabuntur.

APPENDIX AD REGULAS CIRCA CONCILIA, *in quo* DE SYNODO DIOECESANA.

Cum *Synodus Diœcesana* condere possit Statuta, semperque usa sit hac potestate, eâque etiamnùm passim gaudeat, sive tota illa resideat in Præside, sive partim in cæteris Synodi Membris, de quo in Dissertatione, circà hanc Synodum, inferiùs subjicienda; æquum visum est, ut, quæ Textus Juris Canonici de hoc Cœtu doceant, iis, quæ de Conciliis dicta sunt, subnecterentur, *C.* 9. *de Major. & Obed.*

REGULA UNICA.

Circà Synodum Diœcesanam non alia docet Jus Canonicum, quàm ista.

1. SYNODUS ex Græco interpretatur COETUS. *C.* 1. §. *Synodus* DIST. XV.

2. Dicitur *Episcopalis*, quia ab Episcopo convocatur. *C.* 25. *de Accus.*

3. Synodus Diœcesana celebranda est quotannis, idque tempore congruo, quale est, quod ad aliquid majus non deputatur; nec iter agentibus incommodum. 16. *de* 18. *C.* 25. *de Accus. C.* 2. SESS. XXIV. *de Ref. C.* 24. *de Consecrat.* DIST. III.

4. Inter Jura Episcopalia recensetur, eoque loci permiscentur, quæ ad Legem Diœcesanam pertinent, cum spectantibus ad Legem Jurisdictionis: quare hinc inferre fas est, ad quam illarum Legum hoc jus spectet. *C.* 16. *de Off. Ordin.*

5. Nomine *Synodatici*, duo *solidi* debentur Episcopo. *ibid.* Apud Gallos, hoc jus ità vocatur, quia in Synodo solvitur: abolevit plerisque in locis.

6. Majora Diœcesis negotia in ea tractanda. Undè, in ea publicanda à Conciliis Generalibus Decreta, vel à Conciliis Provincialibus, similibusve Statuta; in illa minuendus est Missarum numerus, quando nimius est, ità, ut omnes celebrari nequeant, vel Eleemosyna, ad hoc relicta, non est sufficiens. *C.* 16. SESS. XXIII. *de Ref. ibid. C.* 17. DIST. XVIII. *C.* 25. *de Accus. C.* 4. SESS. XXV.

In illa eligendi Judices, quibus causæ delegentur à Papa, ejusve Legato *in partibus* committendæ, quique ideò ii esse debent, qui à Sede Apostolica delegari valeant. *Eod.* SESS. *C.* 10.

7. Omnes

7. Omnes Clerici ac Monachi Episcopali Jurisdictioni obnoxii, huic Synodo adesse cogi possunt; imò etiam exempti, qui Capitulis Generalibus non subduntur. *c.* 16. DIST. XVIII. *c.* 2.ª SESS. XXIV. *c.* 7. CAUS. XXXV. QUÆST. VI.

8. Cavendum, ne quid in illa statuatur, quod Canonicis obviet institutis. *c.* 9. *de majorit.*

9. Juxtà suppositam *Eutichiano* Epistolam, in Synodo eligendi erant 7. Testes qui jurarent, se detecturos quidquid reformatione dignum scirent.

Circà Synodum Diœcesanam plura hic quæri possent, illis, quæ alibi dicta sunt, sivè in tractatu *de Vicario Generali*, iis præcipuè locis, in quibus de Episcopi Jurisdictione, sivè, in Tractatu *de Capitulis*; sivè dùm de præcedentia actum est, facilè decidenda; nam v. gr. si jura temporalia Legem Diœcesanam spectent, evidens est, jus Synonodos celebrandi, ad Legem Diœcesanam non reduci; si, quæcunque Episcopo non prohibentur, Episcopus facere valeat, palàm est, in Synodo, ab Episcopo, circà ea omnia, quæ sibi non vetantur, statuta condi posse. Si Vicarii potestas ex commissione pendeat, in his, quæ usu vel jure communi ad Vicarium, sine speciali mandato non pertinent, oportet, ut convocatio Synodi, cum nec jure communi, nec usu, Episcopo non adeò reservetur, quòd ad illam mandato speciali egeat Vicarius, à Vicario fieri possit. Si in his, quæ ad alienationem pertinent, Capituli sui consensu egeat Episcopus, in aliis verò non egeat; manifestum est, illis de rebus, in Synodo nihil statuere posse Episcopum, sine prædicto consensu, de cæteris verò posse. Si in Cœtibus Ecclesiasticis, inter Ordinatos vel Ordinum dignitas, vel Ordinationis tempus, quoad sessionem consideretur, inter alios verò, Officiorum dignitas, vel ad illa receptionis antiquitas; cui in Synodo, præcedentia debeatur, patet. Si delegari nullus possit, nisi dignitate præditus, vel Personatum in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, vel Canonicatum, in Cathedrali, possideat, vel Prior Conventualis, Abbasve sit, nec non ætatem requisitam habeat; ita quoque nullus Synodalis Judex eligi valet, nisi unum ex his Gradum habeat, ut etiam ætatem ad id necessariam.

Cætera, quæ scienda sunt, circà Synodum Diœcesanam, & quæ prætermissa in corpore juris sunt, supplebit suprà citata *Dissertatio.*

TITULUS XV.

Notæ Historicæ circa Concilia Generalia invicem collata, in quibus eorum præcipua discrimina & similitudines exhibentur, nec non asseritur aquitas Regularum & Usuum Galliæ.

PARS PRIMA.

SECTIO I.

DUm collectionem Conciliorum P. LABBÆI lustrarem, discuteremque ejus collectanea circà Concilia Generalia, multa animadvèrti inter illa discrimina attentione digna; sivè quia eorum plura Regulas (*Maximes*) atque usus Galliæ confirmant; sivè quia nullum est eorum quod scitu necessarium non sit, cùm quodlibet pertineat ad aliquàm è præcipuis hujus argumenti circumstantiis, 1. Nomen, 2. Convocatio, 3. Convocationis causa, 4. Locus celebrationis, 5. & Tempus, 6. Præsidentia, 7. Assistentia per Procuratorem, 8. Modus sententiam ferendi, 9. Definitiones circà Fidem & Mores, 10. Statuta circà Disciplinam, 11. Acta, 12. Subscriptiones, 13. Confirmatio Pontificia, 14. Recep-

tio ab Episcopis, qui non interfuerunt, 15. Sumptus ad Concilium necessarii, 16. Numerus Conciliorum Generalium, quæ prout talia à Gallis agnoscuntur. Hæc autem discrimina colligenda esse existimavi, quia hac methodo Concilia facilè ab invicem distinguntur, resque singulis eorum peculiares discuntur, sed prius quam longiùs prosequar, duo præstanda veniunt, 1. Nonullæ observationes generales præmittendæ, circà res Conciliis Generalibus communes, & ea quæ sciri necesse est, priùs quam minutior fiat enumeratio; 2. Monendum utriusque generis Notis subjiciendam esse earum accommodationem ad regulas ususque Gallicanos.

SECTIO II.

PRIMA OBSERVATIO *Generalis circà Concilia Generalia in se ipsis seu in genere considerata.*

OBservandæ sunt imprimis conditiones requisitæ, ut Concilium pro generali habeatur. Porrò juxtà definitiones Conciliorum *Constantiens. Sess.* V. & Basileensis, *Sess.* II. sciendum est, quòd caracter proprius Concilii Generalis sit, repræsentare Ecclesiam Universalem, sicut caracter uniuscujusque Concilii particularis est, repræsentare Ecclesiam particularem, à qua suam authoritatem desumit. Et quidem utriusque Concilii Patres supponentes, Concilium Generale solum habere jurisdictionem sive superioritatem super Pontificem; cùm autem necessarium foret, ut constaret ipsos habere authoritatem in Pontifices sui temporis, Patres, inquam, declarant, se Concilium Generale constituere, quod prout tale Ecclesiam Universalem repræsentet. Et primò declarat, *quòd ipsa (Synodus) in Sancto Spiritu legitime congregata, Concilium Generale faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans.* Hactenùs Concilium *Constant.* Basileense autem iisdem verbis utitur, nisi quòd, pro *Catholicam*, dicit *militantem*, quod quidem Epitheton vulgò soli Ecclesiæ Universali seu Catholicæ tribuitur.

Cæterum, notio Concilii Generalis, ab utraque Synodo tradita, accuratissima videtur; nam Conventus Generalis alicujus Corporis, seu Universitatis, Corpus repræsentare debet, undè fit, ut dicatur Comitia Generalia Provinciarum repræsentare Provincias, & Comitia Generalia olim apud Gallos habita, totam Ditionem Gallicam repræsentare. Porrò Concilium Generale nihil aliud est, quàm Universalis Ecclesiæ conventus: ut igitur Concilium Generale sit, oportet, ipsum Ecclesiam Universalem repræsentare; & proindè conditiones necessariæ, ut Concilium Ecclesiam Universalem representet, requiruntur ut Concilium pro Generali habeatur.

Porrò hæ conditiones sunt 1. Ut omnes qui à Spiritu Sancto præpositi sunt ad regendam Ecclesiam, vocentur ad Concilium. 2. Ut omnes intersint, sin minus per se ipsos, saltem per Procuratorem, si legitimo impedimento detineantur. 3. Ut, si nonnulli non fuerint vocati, vel vocati neglexerint ire, vel etiam Procuratorem mittere, sivè legitimum habuerint impedimentum, sivè nullum, hi, inquam, ratum deinceps habuerint, quod gestum fuit.

Si aliqua ex his conditionibus desit, Concilium Ecclesiam Universalem repræsentare non potest; quia minùs ampla erit ejus authoritas, quàm authoritas Ecclesiæ Universalis: quippe Concilia tantumdem authoritatis habent, quantùm personæ ex quibus coalescunt. Præterea, Ecclesia congregata non nisi accidentalitèr differt à dispersa Ecclesia, Porrò Concilium est Ecclesia in eundem locum conveniens,

in persona eorum, per quos regitur, sicut Ecclesia dispersa nihil est aliud, quàm eadem Ecclesia, hìc & illic sita, in eadem Pastorum suorum persona.

De personis agendo, quæ convocandæ sunt ad Concilium, eique interesse debent, aut illud approbare, ut Ecclesiam Vniversalem representet, eorum tantum mentionem fecimus, qui Ecclesiæ Regimini præfecti sunt, quamvis ipsa multiplex aliarum personarum genus contineat; quia, scilicet, hìc agitur de rebus authoritatem postulantibus, cùm definire oporteat fidei Capita, aut morum, vel statuta circa Disciplinam condere. Porrò, in his et similibus casibus, Ecclesiam constituunt ii, per quos ipsa regitur.

Hactenùs sola ratione usus sum, ut probarem necessitatem triplicis conditionis à me requisitæ, quoniam sola ratio sufficere mihi visa est. Verùm præstat nihil eorum negligere, quæ doctrinam hanc confirmare possunt, & quasdam authoritates subnecto. Primò occurrit mihi Regula 29. *in 6.*, *Quod omnes tangit ab omnibus adprobari debet.* Regula hæc argumento nostro eò magis apta est, quòd singulorum Episcoporum specialitér interfit, in causis quas Concilia Generalia discutiunt, scilicet in Controversiis circa fidem & mores, Episcopi autem partim præpositi sunt ad ferendam de iis Controversiis sententiam. Alias authoritates depromo è Textibus, qui dicunt in rebus, quæ Corporis consensum postulant, ad conventum vocandos esse omnes assistendi jus habentes, aliàs Conventum, ejusque actus esse nullos, nisi qui vocati non fuerunt, injuriam sibi illatam dimittant, *Capite* 28. 35. 42. *de Elect. Reg*, 10. *De Reg. J. in 6.* Caput 42. docet præterea eos, qui legitimo impedimento detinentur, quominus indicto Comitio interfint, habere Jus Procuratores ad illud mittendi. Addere licet *Cap.* 43. *de Elect. in 6.* in quo dicitur Moniales, quæ non nominaverunt Abbatissam à majori parte electam, posse si libeat cæteris accedere, non obstante scrutinii publicatione, suoque accessu Abbatissam facere capacem Confirmationis et Benedictionis, non obstante oppositione, dummodò tot accedant quot necessariæ sunt, ut duæ partes Votorum requisitorum concurrant. Ex hoc enim apparet quanta sit vis ratihabitionis, hinc enim docet eam dare novam perfectionem novumque effectum actui jam completo: Electio enim perficitur per publicationem scrutinii, ipsiusque electionis, si persona à majori parte electa fuerit, quamvis autem perfecta sit, ratihabitio subsequens, eam capacem facit confirmationis, nonobstante oppositione, quasi in principio à duabus partibus facta fuisset. Aliundé verò per viam ratihabitionis, Concilium, quod particulare foret, eo duntaxat, propter non convocationem aliquot Episcoporum assistendi jus habentium, fit deinceps Generale.

Synodus *Basileensis* rogata, ut exponeret, quid sentiebat per *Concilium Generale*, in pacto quod cum Ecclesiæ Græcæ Deputatis fecerat, de finiendis omnibus utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ disceptationibus in Concilio generali, respondet, se intelligere Concilium, cui Pontifex, Patriarchæ, atque omnes Prælati Orbis Universi intererunt per se ipsos aut per Procuratorem, cum plena, seu integra libertate dicendi quidquid sentirent. CONCIL TOM. XII. *p.* 547.

SECTIO III.

SECUNDA OBSERVATIO GENERALIS.

NOn minus est necessarium observare, quòd Concilium Generale, cùm Ecclesiam universam repræsentet, ejus prærogativis fruatur; itaque non solùm authoritatem universalem habet sicut ipsa Ecclesia, seu potestatem obligandi omnes & singulos Fideles, sed etiam infallibile est, non secus, atque Ecclesia Catholica, cum representationis jure, sit basis, columna, & firmamentum Veritatis; fruaturque sicut Ecclesia, omnibus promissionibus auxilii singularis Spiritus sancti, similis adjutorio Scriptoribus Sacris dato. Indè fit, ut Gregorius Magnus conferens certitudinem definitionum Conciliorum Generalium, cum certitudine Doctrinæ Scripturæ Sacræ, dicit *sicut Sancti Evangelii quatuor Libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor ..... quia in his velut in quadrato Lapide, sanctæ fidei velut structura consurgit, & cujuslibet vitæ atque actionis norma consistit. C.* 2. DIST. *XV.* Indè fit etiam, ut sit inauditum, aliquod Concilium Generale, multominus Pontificem, ausum fuisse discutere definitiones Conciliorum præcedentium pro generalibus Universalitér habitorum, imo, cùm illas fidei Principia reputarent, ipsis usi sunt ad dirimendas novas controversias, vel, si iis quæstionibus definiendis alienæ essent, jusserunt, ut ab omnibus tanquàm oracula infallibilia susciperentur. Horumce capitum probationes cernere licet in plerisque Conciliis Generalibus in Oriente habitis. Verbi gratia Concilium Generale *Constantinop.* 1. Canones suos inchoat præcipiendo, ut definitiones *Nicenæ* stabiles maneant, atque immutabiles, Theodosioque Imperatori, à quo convocatum fuerat, gesta sua exponens, dicit inter alia multa, se fidem Nicænam confirmavisse; id est, ut suprà diximus, præcepisse, ut in hac fide perseveraretur.

Eadem Definitio Nicæna lecta fuit in Concilio Ephesino, statutumque fuit, ut ipsa Actis ejus insereretur. Eadem, ut regula, seu principium, adhibita fuit in decisione Controversiæ à *Nestorio* motæ, *an Virgo sacra sit Dei Mater*? Nàm Synodus, perpenso modo, quo priùs intellecta fuerat, cùm invenisset, eum Nestoriano sensui contrarium fuisse, vetuit aliam doceri, scribi aut componi Confessionem fidei, quam Nicænam, expositam eo, qui dictus fuit, modo. CONCIL. TOM. III. *p.* 671. *ad* 690.

Synodus Calcedonensis, Constantinopolitanæ & Ephesinæ vestigiis insistens definitiones Conciliorum Generalium innovat, suis Actis inserit, & in fronte definitionis mox proponendæ locat, velut principia, quibus illa innititur. CONCIL. TOM. IV. *pag.* 561.

In damnatione Trium Capitulorum lata à Quinto Concilio Generali, quod est Constantinopolitanum 11. Synodus monet, se illa damnare, ideò quòd ea reperisset contraria doctrinæ Concilii Calcedonensis; additque, se recipere definitiones omnium Conciliorum præcedentium nempè Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, & Calcedonensis; seque reprobare & damnare, quidquid rejecerant & damnaverant. CONCIL TOM. V. *p.* 567. & 568.

Idem videre est in sexto Concilio Generali, seu Constantinopolitano III. nam in definitione lata adversus Monothelitas, declarat Synodus, se tritam à Quinque Conciliis Generalibus præcedentibus viam sequi, seque eorum Doctrinæ consentire, singulorum expressam mentionem faciendo, & recipere Symbola ab aliquot ex illis in hæreseon extirpationem confecta; tum refert Symbola Nicænum. & Constantinopolitanum CONCIL TOM. VI. *p.* 1020. & 1021.

Est aliquid notabilius in Septimo Concilio Generali seu Nicæno II. præmissa enim protestatione, se nihil adjicere, nec tollere velle ex definitionibus sex Conciliorum præcedentium, renovat & refert Symbolum Constantinopolitanum cum his verbis *Filioque*, credens, Doctrinam Processionis Spiritus Sancti à Filio, quam exprimunt, contineri in Doctrina

nâ Processionis à Patre nominatim expressâ in Symbolo Constantinopolitano; tùm, facta Epitome uniuscujusque Definitionum ex iis Conciliis, declarat denique, se velle servare omnes traditiones scriptas, quæ potissimùm in Conciliis Generalibus continentur. CONCIL. TOM. VII. *p.* 554. & 555.

Denique, octavum Concilium Generale, imitando, quoad hanc rem, Concilia Generalia præcedentia, omnes Definitiones ab iis factas perlustrat atque innovat, nec non Anathema pronuntiat in eos, adversus quos illæ conditæ fuerunt, singularum, ipsiusque Synodi, cujus sunt opus, expessa mentione facta. Sic autem agnita irrefragabili earum authoritate, transit ad definitionem à se ferendam, nempé, ut Episcopi, qui sedem alienam invaserunt, deponantur & excommunicentur, restituantur vero Præsules iniqué spoliati. CONCIL. TOM. VIII. *p.* 1145. *ad* 1151.

Doctrinam, quam modò tot Conciliorum Generalium exemplo comprobavi, quibus Definitiones à præcedentibus Conciliis factæ, sancti Spiritûs oracula visa sunt; hæc, inquam, doctrina rursus confirmari potest ex ratione contraria, qua eadem Concilia usa sunt ergà Definitiones Pontificias. Etenim, denuo, discusserunt id, quod à Pontificibus fuerat definitum, quo tractatu novo significarunt, aliter se de his Decretis, aliter de Synodalibus Definitionibus sentire. Hoc pluribus exemplis probare facile esset; verùm cùm extrà Argumentum nostrum aliquatenus versetur, tria, eaque insignia sufficient. Primum è Concilio *Calcedon.* petitur *Actione* 2., ubi videri potest, quòd licèt *Leo* Pontifex definivisset, duas esse in Jesu Christo Naturas, Divinam & Humanam in Personâ unicâ, sine ulla confusione vel proprietatum diminutione unitas; nihilominùs Synodus hoc caput discusserit, Pontificisque Epistolam duntaxat laudaverit, inter Patrum testimonia probantia, Ecclesiam universam illuc usque credidisse, duas esse naturas integras, atque unicam in Christo Personam; *Concil. Tom. IV. p.* 344. usque ad 372.

Quantumvis notabile sit hoc Exemplum, propter insignem *S. Leonis* famam, sequens tamen gravius est, desumptum ex Actis Sexti Concilii generalis *Act.* 4. usque ad 17. Ibi é solemnibus Instrumentis liquet, *Agathonem* Pontificem, discussisse quæstionem, *an duæ sint in Christo Voluntates?* in Synodo Romana, cui 125. Episcopi aderant, eamque definivisse: & nihilominus Concilium eam rursus tractat, definitque, quasi neque tractata neque definita jam fuisset. Hoc attentionem eo majorem meretur, quod *Agathonis* Definitio vim omnem ac pondus habebat, quæ Definitioni ex Cathedra maximé solemni competere possunt, nulla est enim ex iis, quæ hoc nomine donantur, quæ authoritate 125. Episcoporum Pontifici junctorum fulciatur.

Exemplum ultimum à nobis afferendum habet quoque non nihil gravitatis, ob unam circumstantiam, scilicet, quod ejus sit temporis, quo Pontificis Infallibilitas in Definitionibus *ex Cathedrâ*, asseri cæperat. Illud depromo ex diplomate *Leonis X.* contrà errores *Lutheri*, & ex Actis Concilii Tridentini. Ex Pontificio Decreto patet illud, post deliberationem, tractatum, ac discussionem tanto in negotio necessarias, factum fuisse, Pontificemque excepisse sententiam Cardinalium, & complurium aliorum virorum insignium; putà Superiorum, Generalium, Priorum Regularium, & Doctorum sivè Theologorum, sivè in utroque jure. Ex Actis Concilii Tridentini cum Diplomate collatis manifestum est, Synodum discussisse rursum errores à Pontifice jàm damnatos.

SECTIO IV.

TERTIA OBSERVATIO GENERALIS.

NOn obstante Privilegio Auxilii specialis Spiritûs Sancti, illudque sequentis Infallibilitatis, quo fruuntur Concilia Generalia, non tamen pro fidei Articulis habentur omnes Decisiones ab iis factæ; circa idem Argumentum Fidei cognatum; verum, ut ejusmodi Decisio pro definitione, seu fidei Articulo habeatur, tres requiruntur conditiones, 1. ut Decisio perspicua sit., 2. ut sit positiva; 3. ut pro certâ proferatur. Ratio autem est, quod Definitio fidei sit regula salutis, necesse est igitur, ut sensus ejus non sit ambiguus, sin minus ad malum, perindè atque ad bonum dirigeret: oportet præterea, ut affirmet rem esse aut non, aliàs res indecisa manet: denique, ut omnem suspicionem ac metum erroris tollat; nisi autem pro certa proponatur Decisio, non nullum erroris metum relinquit, aut etiam parit. Aliquot exempla huic observationi lucem dabunt.

Primum petitur ex Decisione Quæstionis, *an Episcopatus ex institutione Divina sit?* in Tridentino facta his verbis, *Can 6.* SESS. XXIII. *In Ecclesia Catholica esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbiteris & Ministris.* Cùm Synodus in hac decisione usa sit vocibus ambiguis *ordinatione divina*, quæ ordinationi remotæ perindè ac proximæ conveniunt, vulgo creditur, Synodum noluisse quæstionem propositam definire.

Alterum exemplum ex *Can.* 7. SESS. XXIV. *de Matrimonio* desumitur, in quo Synodus agens de Quæstione, *an Adulterium dissolvat matrimonium?* anathema pronuntiat in eos, qui dicent, *Ecclesiam errare cùm ... docet ... propter Adulterium alterius conjugum, matrimonium non posse dissolvi*; ita ut conjugum alteruter ante alterius mortem alii conjugari possit. Cum enim Concilium non dicat positive, Adulterium non dissolvere Matrimonium, vulgaris est opinio, Canonem hunc non definire quæstionem, an Adulterium dissolvat Matrimonium.

Exempla allata ad *Primam & secundam* conditionem pertinent. Circa Tertiam duo peridonea exhibemus; unum ex Concilio Viennensi CLEM. 1. *de Summ. Trin.* Alterum ex Concilio Basileensi *Sess.* 36. petita. Non enim pro fidei Articulo habetur id, quod ab iis deciditur; quia non certo proponitur; sed primum dicit solummodo, *ex variis opinionibus circà* efficaciam Baptismi parvulorum, eam, quæ dicit, tàm parvulis, quàm adultis, conferri in Baptismo informantem Gratiam, & virtutes, tanquàm *probabiliorem, & dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, esse eligendam.* Alterum Concilium, nempe Basileense, discussâ quæstione, an Virgo Sacra sine peccato concepta fuerit, eam dirimit, dicendo solum, se definire & declarare, opinionem affirmativam approbari, vindicari, atque amplecti debere ab omnibus Catholicis, ideo quod pia sit, Ecclesiæ cultui consona, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Scripturæ Sacræ congrua; & proindé significat doctrinam, cui favet, esse duntaxat Opinionem, opinione adversâ ob quinque rationes allatas potiorem.

SECTIO V.

POSTREMÆ OBSERVATIONES GENERALES.

QUamvis plura supersint observanda circa Concilia Generalia in se ipsis & promiscué considerata, omnia sub hoc generali titulo complectemur, ideo quod singula paucissimis verbis indigent.

Ante Quartum Ecclesiæ Sæculum, nullum fuit Concilium Generale, Primum quippe est Nicænum Ann. 325. habitum. Post Sæculum XVI. nullum extitit; Siquidem Synodus Tridentina Anno 1563. absoluta, omnium Generalium ultima est. Nullum Generale habitum fuit Sæculis X. & XI. reliqua Sæcula sua habuêre ejusmodi Concilia, à *Quarto* usque ad *Decimum Sextum* inclusivè. Sunt sex Sæcula, in quorum quolibet plura fuerunt Concilia Generalia; nempè Sæculum IV. V. VII. XII. XIII. & XV. In IV. Concilia *Nicænum* & *Constantinop. I.* In V. *Ephesinum* & *Calcedonense*. In VII. Constantinopolitanum III. Generale, & Concilium *in Trullo*. In XII. Tria *Lateranensia*. In XIII. *Lateranense* unum, & *Lugdunense* duplex, In XV. *Pisanum*, *Constantiense*, *Basileense*, & *Florentinum*.

Octo priora in Oriente habita sunt; de nullius eorum Æcumenicitate disputatur: reliqua habita sunt in Occidente. Plura autem ex iis, pro Generalibus non habentur ab omnibus, Talia sunt pleraque *Lateranensia*; tale etiam *Florentinum*, eodem tempore, quo *Basileense*, celebratum: tale Imperatori FRIDERICO, qui ad Majus provocavit, visum fuit *Lugdunense*. Indè fit, ut numerus Conciliorum Generalium in Occidente habitorum, sit incertus, majorque, aut minor, pro varia qualitatum Concilii Generalis æstimatione: sed Controversia facile decidi potest ex iis, quæ diximus in *Prima Observatione Generali*.

Inter eadem Concilia Occidentalia, plura sunt, quorum Decreta Canonesque, Pontificis personæ attribuntur Concilii verò mera approbatio tribuitur: itaque, eadem habetur in iis Concilii ratio, quæ Capituli, in Statutis, Decretis, aut deliberationibus, in quibus consensu Capituli indiget Episcopus: his enim inseritur clausula, *de Consensu Capituli*, idem sonans, atque hæc, approbante Capitulo.

Pontificium exemplum secuti sunt nonnulli Metropolitani Italiæ, qui Decreta Conciliorum Provincialium suo nomine proposuerunt, adjecta clausula *approbante Concilio*. Horum expressa mentio fiet, occasione primorum Conciliorum Generalium, in quibus hanc clausulam reperiemus.

Supersunt Acta integra omnium Conciliorum Generalium in Oriente habitorum Exceptis 1. & 2. nullum est Concilium Generale Occidentale, cujus Acta supersint integra, id est, etiam cum suffragiis Patrum; ea enim desunt in Actis Concil. Trident. quæ minus imperfecta videntur, quàm reliquorum. Profer ad subscriptiones id, quod de suffragiis notavimus; illæ omnium Conciliorum Orientis, quorum Acta supersunt definitionibus subjacent. Porrò, inter Concilia Generalia Occidentis, solius Florentini Decreta subscriptionibus Patrum instruuntur.

Omnia Concilia Generalia Orientalia ab Imperatoribus coacta fuerunt. Concilia Generalia Occidentalia convocata fuêre à Pontificibus. Nullum est Concilium Generale, quod *Sacri*, vel *Sancti*, vel *Sacrosancti* appellationem non sumpserit, aut acceperit.

Ex omnibus Conciliis Generalibus nullum est, quod tandiù duraverit, quàm *Tridentinum*, An. 1545. inchoatum, ann. 1563. absolutum. Inter reliqua Concilia, *Basileense* diutissimè duravit, scilicet per 11. annos. Prima ejus Sessio est an. 1431. ultima ann. 1442. Posthæc notabilis est duratio Synodi *Constantiensis*, quæ ann. 1414. 16. Nov. incæpta, confecta est 20. Junii 1418.

Quibusdam Conciliis peculiare est, translata fuisse, Basileense translatum fuit Lausannam, tùm Ferrariam, denique Florentiam. Tridentinum, ad Bononiam translatum, Tridentum rediit.

Quædam Concilia sub pluribus legitimis Pontificibus habita sunt, tale est Tridentinum, sub Paulo III. Julio III. Pio IV. celebratum: Constantiense sub Joanne XXIII. & Martino V. habitum fuit.

Multa sunt Concilia Generalia Orientis, quorum Canones à subsequentibus nominatim adprobata fuerunt: talia sunt 1. Concilia Nicænum, Constantinopolitanum 1. Ephesinum, quorum Canones adprobat Synodus Calcedonensis Can. 1. talia sunt etiam eadem Concilia, ipsumque Concilium Calcedonense, quorum Canones adprobantur à Concilio in Trullo c. 2. nec non à 6. Concilio Generali: talia sunt etiam hæc omnia Concilia cum Trullano, quorum Canones adprobantur in Concilio Nicæno 11: talia sunt denique ea, quorum definitiones adprobat Concilium Generale VIII. Notam meretur hæc circumstantia, ideo quòd ejusmodi adprobationes totidem confirmationes sunt. De cæteris Conciliis Generalibus nihil simile dici potest. Nullum est Concilium recentius, quod præcedentium Canones omnes nominatim adprobaverit. Fama Sanctitatis ac Scientiæ, qua pollent plerique Patres priorum Conciliorum, magnam eorum Canonibus, præ subsequentium Decretis authoritatem conciliavit.

7. Concilium Generale VII. Nicænum II. *Quinti* Generalis, seu Constantinopolitani II. definitiones adprobans, nihil dicit de ejus Decreto adversus *Theodorum* Mopsuestanum, *Ibam*, ac *Theodoretum*. 8. Concilium Generale VIII. seu Constantinop. IV. adprobando definitiones à præcedentibus Conciliis factas, præterit quoque hoc Decretum. Silentiii hujus ratio est, quòd illud Decretum duas res contineat, quarum alia pertinet ad Fidem, nec mentione expressa indiget, quia ad definitionem Calcedonensem reducitur, cujus est mera confirmatio; alia pertinet ad Disciplinam, nihilque aliud est, quàm damnatio aliquot personarum. Porrò, minùs congruum fuisset, eam damnationem à Concilio Nicæno II. & Constantinop. IV. commemorari loco citato; quoniam ibi agebatur de Fidei definitione ab utroque Concilio condita, Ob eandem rationem Concilium Toletanum XIV. ad recipiendam definitionem Concilii Generalis VI. congregatum de hoc Decreto fuit.

Notæ Historicæ circà Concilia sigillatim considerata.

PARS SECUNDA.

SECTIO I.

NOTÆ CIRCA NOMEN.

QUalitas, quam sibi Concilium in suis Decretis, aut Canonibus, aut Epistolis tribuit, tantam habet cum nomine Concilii connexionem, ut omninò expediat de ea agere simul atque de Nomine. Sed cum Nomen specialius vulgo sit Concilio, quàm qualificatio; à Nomine exordiemur.

Omnia Concilia Generalia, non secus ac Particularia, Nomen trahunt, ab Urbe intrà quam habita sunt; vel ab aliquo speciali ejusdem Urbis loco, in quem Patres Concilii convenerunt. Posterioris generis unum est, à quibusdam *Trullanum* dictum ideò quòd celebratum fuerit in quodam loco Palatii Imperatorum Orientalium apud Constantinopolim. Sunt quoque Concilia Romana in ædibus Lateranensibus habita, ideoque *Lateranensia* dicta. Habita sunt autem in Ecclesia, non vero in Palatio, ut infrà ostendemus, Interèa observamus, id sequi ex principio Concilii Lateranensis habito sub MARTINO I. ubi dicitur, illud habitum fuisse in Ecclesia Domini nostri Dei & Salvatoris Jesu Christi, quæ vocatur Constantiniana, quia à Constantino ædificata est, CONCIL. *Tom. VI. pag.* 77. 78. Illud præterea probatur

ex

ex historia Concilii Lateranensis sub CALLIXTO II. habiti, quod *primum* Generale Lateranense vocatur, ubi fertur, Patres in Ecclesiâ convenire, CONC. TOM. X. *p.* 893.

Concilium *Trullanum* aliud præterà nomen habet, aliundè quàm è loco quæsitum; nempè *Quini sextum*, deductum ex eo, quòd supplevit ea, quæ deficiebant in Conciliis V. & VI. Canones pro utroque conficiendo. Unicum hoc Concilium duo habet nomina; imò posterius Concilii *Trullani* nomen, pro mera qualificatione spectari potest, adjecta, ut ab aliis Conciliis distingueretur faciliùs.

Nulla est Urbs, in qua plura Concilia Generalia celebrata fuerint, quam Constantinopolis. Quinque enim sunt, comprehenso Concilio Trullano. In cæteris Urbibus, intrà quas habita sunt Concilia Generalia, unicum illud est v. gr. Ephesi, Calcedones, Viennæ, Florentiæ, Tridenti; vel ad summum duplex, ut Niceæ & Lugduni. Ecclesia Lateranensis cum Urbe Constantini convenit, in eo quòd illic quinque Concilia Generalia celebrata fuerint.

Quoad *qualificationem*, vulgatissima est, *Sancta Synodus*, quod patet ex epistolis, quas Concilia scripsêre, vel quæ ad Concilia scripta fuêre. Nonnulla vocata fuerunt *Sacra*, qualia sunt Lateranense IV. & Pisanum: alia se *Sacrosancta* dixerunt, ut Constantiense, Basileense, Tridentinum. Cœteræ qualificationes, ut plurimùm, propriæ sunt. Sic Concilium Nicænum dicitur *Magnum*, usumque est hoc nomine in epistolâ ad Episcopos Ægypti. CONCIL. TOM. II. *p.* 59.

Concilium *Constantinopolinatum I.* sæpè dicitur Concilium *CL. Patrum*, quod illi peculiare est, TOM. II. p. 454. *Expositio CL. Patrum.* Concilium Ephesinum sumpsit primùm titulum, *Universale*, idque in sua definitione. Titulus hic sæpiùs occurrit in Concilio Calcedonensi & pluribus aliis. Concilium Constantiense primum est, quod se dixerit, *Syodus in spiritu Sancto congregata*... Hæc illius verba secuta sunt Basileense & Tridentinum.

Qualificatio, *Concilium Ecclesiam Universalem repræsentans*, reperitur primùm in Concilio Pisano. CONCIL. TOM. XI. *part.* II. *pag.* 2126; eam usurpavêre Concilia Constantiense, & Basileense, nisi quòd illud aliquando *Catholicam*, hoc nonnunquam *Militantem*, dicit.

SECTIO II.

Notæ historicæ circà CONVOCATIONEM & TRANSLATIONEM *Conciliorum Generalium.*

CIrcà *Convocationem* Conciliorum Generalium, Orientalia multùm ab Occidentalibus discrepant. Scilicet in eo, quòd priora singula, ab Imperatoribus convocata fuerint, posteriora verò à Pontificibus, excepto Pisano, à Cardinalibus convocato. Facilè probatur utrumque factum. Et quidem Imperator *Constantinus* in prima sua ad Synodum Nicænam Oratione, expressè dicit, se illam convocavisse, CONC. TOM. II. p. 26. D. E. Primum Concilium Constantinopolitanum in sua ad *Theodosium* Epistolâ, quâ ipsi gratias agit, rationemque gestorum à se reddit, declarat, se ipsius jussu congregatum fuisse, CONC. TOM. II. *p.* 945. Idem dicitur in Inscriptione Canonum ejus. Quædam tamen verba epistolæ ejusdem Concilii Constantinop. ad Concilium Romæ, sub *Damaso*, coactum, innuere videntur Concilium Constantinop. ab hoc Pontifice fuisse convocatum. *Nam Constantinopolim convenieramus mandato literarum superiore anno, à vestra Reverentiâ, post Concilium Aquileiense missarum, ad Dei amantissimum Imperatorem Theodosium.* Verum responderi potest 1. Epistolas, de quibus agitur, esse Concilii Romani, 2. Theodosium indè sumpsisse occasionem convocandi Concilii Constantinopolitani.

In Concilio Ephesino multiplex occurrit probatio, illud ab Impp. *Theodosio* & *Valentiniano* coactum fuisse. 1. Illud in Exordio Concilii expresse dicitur, ex Decreto Religiosissimorum, & Christianissimorum Imperatorum, CONC. TOM. III. *p.* 445. Idem repetitur in principio uniuscujusque actionis. Synodus idem dicit in sua ad *Celestinum* Pontificem Epistolâ, *piissimorum ac Christi amantium Imperatorum sanctionem*, p. 659. Denique plures sunt Epistolæ Concilii ad Præfatos Imperatores, in quarum Inscriptione dicitur, Concilium ex Majestatis eorum motu convocatum fuisse: nonnullæ præterea sunt ad Concilium Epistolæ, quarum Inscriptio convocationem Imperialem commemorat. Adjice, in *cap.* 32. primæ partis hujus Concilii esse Epistolam Cyclicam *Theodosii* ad omnes Metropolitanos inscriptam, ferentemque, ut convenirent ad Concilium, & secum quamplurimos è Suffraganeis adducerent.

Curam, quam Concilium Ephesinum crebrò indicat, se ab Imperatoribus *Theodosio* & *Valentiniano* convocatum fuisse, imitata est Synodus Calcedonensis; namque, in principio singularum actionum, quæ sunt XV. numero, jussionis Impp. *Valentiniani* & *Marciani*, à quibus convocata fuerat, expressam mentionem facit; similemque facit in Epistolarum Inscriptione, quâ ad eosdem Imperatores vel ad *Pulcheriam* Imperatricem scripsit.

S. LEO *Theodosium* rogat, ut Italiæ Concilium Universale largiatur, CONC. TOM. IV. *p.* 62. Sequuntur plura Imperatorum rescripta, quæ docent, ad eorum officium pertinere Conciliorum convocationem, ac translationem, à *pag.* 63. usque ad 75. unum ex iis *pag.* 66. inscribitur *ad Metropolitanos aliosque Prælatos*, jubetque eis, ut ad Concilium veniant cum Episcopis quamplurimis. Quod de quatuor priorum Conciliorum Generalium convocatione observatum fuit, confirmatur per Epistolam *Justiniani* Imperatoris, ad Episcopos Constantinopoli ex ipsius jussu congregatos; ut enim convocationem hujus Concilii à se factam suorum Prædecessorum exemplo tueretur, refert, qua ratione Concilia præcedentia convocaverint.

In XVIII. singulis actionibus *sexti* Concilii Generalis, diserta exstitit probatio, illud ab Imperatore *Constantino Pogonato* fuisse convocatum: namque in earum Exordio legitur hæc formula, *ex jussione Imperatoris, vel per jussionem Imperat.* Altera ejusdem facti probatio supereſt in Edicto Imperiali Actioni XVIII. inserto, cujus hæc sunt verba; *undè & hoc sacratissimum & universale convocantes sextum Concilium, utpote parile præcedentium Sanctorum quoque Conciliorum universalium, in medium deducere falsorum dogmatum; hoc est, novitatum, propositiones decrevimus*, CONC. TOM. VI.

Similis occurrit mentio in singulis Actionibus Conc. Nicæni II. *Septimi* Generalis; namque in septem prioribus leguntur hæc verba, *per divinam gratiam & piam sanctionem, eorumdem à Deo confirmatorum Imperatorum*; & in octava *proindè scripto, ipsorum præceptum est Patriarchæ, ut omnes Deo amabiles Episcopos adduceret ad conservandam divinitus* novam Romam, Regiam ipsorum Urbem, quibus ille literis *acceptis*, *mandatum* Imperatoris exequebatur. CONC. TOM. VII. *p.* 590.

Iis testimoniis adjice Epistolam Imperatoris, ad Pontificem *Adrianum*, in qua hunc invitat, ut ad Concilium conveniat.

Quamvis ii, qui Acta Concilii Generalis VIII. redegerunt, in principio singularum Actionum neglexerint observare, illud ab Impp. *Basilio* & *Constantino* fuisse convocatum, juxtà exemplum eorum, qui præcedentium Conciliorum acta scripserunt; plures nihilominùs suppetunt probationes, factum illud verum esse. Nam 1. in *Præmio* Act. 1. juxtà Editionem mere Latinam, leguntur hæc verba. *Ba-*

filio . . . . Imperatore, qui universalem Synodum congregans, ea quæ visa sunt Spiritui Sancto pié peregit.

2. Idem aliis verbis continetur eodem *Proœmio* Act. 1. juxta Editionem Græco-Latinam, *coacto enim generali Concilio, quod est Spiritui Sancto visum, pié executus est.* 3. Synodus ad Pontificem *Adrianum* scribens, sic loquitur circa convocationem: *quem supremus omnium Imperator Deus voluit hoc honore dignari, ut vestra prudentia, opera, judicio,* Synodicisque Constitutionibus, *hanc Magnam & Æcumenicam Synodum celebraret, atque ad finem tam illustre opus perduceret.* His præmissis facilis est responsio ad locum Epistolæ ADRIANI ad *Basilium*, quo nonnulli utuntur, ut probent, Pontificem convocavisse Concilium. Namque ex testimoniis supra relatis sequitur, Pontificis sensum esse, se monuisse, aut suasisse Imperatorem, ut Concilium convocaret.

Verùm, ut tollatur omnis dubitandi causa, sciendum est, Imperatorem deputavisse ad NICOLAUM Pontificem, consulturus eum, quid facto opus esset, ut remedium afferretur Ecclesiæ Constantinopolitanæ turbatæ schismate *Photii*, qui depositi, per suas Machinationes, *Ignatii* sedem occupaverat. Porrò, *Nicolao*, antequam respondere posset, mortuo, *Adrianum* Successorem ipsius responsum dedisse Imperatori; atque inter alia Concilia monuisse, ut Concilium ageret frequentissimum, cui Legati sedis Apostolicæ præsiderent. *Volumus ergo, per vestræ* pietatis *industriam, illic numerosum* celebrari Concilium, cui nostri quoque missi *præsidentes*, & *culparum personarumque* differentias liquido cognoscentes, juxtá quod in *mandatis acceperunt, singulorum libere discretiones exerceant.* CONC. TOM. VIII. *p.* 981. 982. 983.

Ex eadem Epistola discitur, Pontificem Romæ Concilium celebravisse, in quo *Photium* deposuerat, restitueratque *Ignatium*; missisque istius Synodi Actis ad Imperatorem, eum rogavisse, ut ea recipienda & subscribenda curaret à Concilio, quod convocaturus erat. *Insuper exhortamur* & salubri suadere studio procuramus, ut *Imperatoriæ Instantiæ* vestræ annisu, sententiarum Capitula, quæ synodicé in Ecclesia Dei, *ubi* Sanctum Corpus Apostolorum Petri Principis requiescit, pro *abolendis profanis Conciliis* Constantinopoli à Photio, tàm adversus sedis Apostolicæ *reverentiam, quàm contra Fratris* & Comministri mei Ignatii Pontificium, congregatis, *communi consonantia promulgavimus apud vos in Synodo cunctorum subscriptione roborentur.* Verisimile est Concilium Generale VIII. de iis Actis loqui, in sua ad *Adrianum* Epistola, atque indicare his verbis supra relatis, *Synodicisque Constitutionibus.* Jam probavimus, Imperatores convocavisse octo priora Concilia Generalia; superest, ut ostendamus, sequentia à Pontificibus coacta fuisse: sed prius observandum est, quòd cùm factum prius à quibusdam Ultramontanis imperitioribus controvertatur, illud sedulo probare coactus sum; sed nemine dubitante, quin Concilia Generalia, in Occidente habita, à Pontificibus congregata sint, id diligentius probare supervacaneum foret. Loca igitur, unde id præstari possit, indicare sufficiet.

1. Epistola *Alexandri III.* ad Episcopos Etruriæ, qua eis præcipit, ut conveniant ad *Tertium* Concilium Lateranense, habitum Ann. 1179. CONCIL. TOM. X. *p.* 1506. Probabile est, Epistolas similes ad aliarum Provinciarum Episcopos fuisse transmissas.

2. Epistolæ Cyclicæ ab *Innocentio III.* missæ ad omnes Patriarchas, Metropolitanos, Episcopos, Abbates & Superiores Generales Ordinum omnesque Principes, ut eos convocaret ad *Quartum* Concilium Lateranense, habitum An. 1215. CONCIL. TOM. XI. *part.* I. *p.* 119-131.

3. Epistolæ *Innocentii IV.* ad Archiepiscopum Senonensem, ad Capitulum ejusdem Urbis, ad Regem Galliæ, ad Episcopum Ostiensem, ut eos convocaret ad *Primum* Concilium Lugdunense An. 1245. credibile est, similes Epistolas ad alios Metropolitanos, Capitula, Reges, & Cardinales directas fuisse. *p.* 636. & 37.

4. Epistolæ *Gregorii X.* ad omnes Prælatos Provinciæ Hierosolimitanæ, ad *Josephum*, Patriarcham Græcorum, Prælatosque ipsi subjectos, ut eos ad *Secundum* Lugdunense convocaret, & ad Imperatorem *Michaëlem Paleologum*, ut eum de convocatione hujus Concilii certum faceret, invitaretque, ut conveniret, sive ipse, sive per Legatos *p.* 939. 49.

5. Epistolæ circulares ad convocationem Concilii Viennensis à *Clemente V.* scriptæ, ad omnes Principes supremos ad omnes Metropolitanos omnesque Abbates, CONCIL. TOM. XI. *p.* 2. *p.* 1539. ad 56.

Quantum ad Concilia sequentia attinet, existunt Diplomata, seu Bullæ convocatoriæ, ad omnes jus conveniendi habentes inscriptæ. Bulla convocationis Concilii Constantiensis reperitur TOM. XII. CONCIL. *p.* 11. Actis Concilii Basileensis præfixæ sunt Epistolæ *Martini V.* & *Eugenii IV.* ad *Julianum* Cardinalem S. Angeli ferentes, ut Concilio Basileensi cum Legati qualitate adsit, docentesque, Synodum utriusque Pontificis authoritate convocatam fuisse, CONCIL. TOM. XII. *p.* 467 ad 470.

Reliquæ Bullæ convocatoriæ suo singulæ Concilio præfiguntur in *Tom. sequent.* Perinde est de Bullis Translatoriis, & Resumptoriis, quæ sunt in principio Actorum subsequentium circà translationem, aut resumptionem. Itaque, cum Concilium Basileense ad Ferrariam à Basilea translatum fuerit, ideo quòd Græci, quorum reconciliandorum causa Synodus habebatur ex parte, Græci, inquam, Basileam convenire noluerint, èque Ferraria ad Florentiam, ob pestem, denuo translatum sit, Bullæ Translationis reperiuntur TOM. XIII. in fronte Actorum Ferrariensium, ac Florentinorum. Perinde est de Bullis translationis. & resumptionis Concilii Tridentini, quæ sunt in TOM. XIV. Agendo de Conciliorum Generalium convocatione, in Occidente habitorum, non abs re fuerit tractare quæstionem: An convocata illa fuerint absque consensu Principum. Difficultatis Caput & fons est, quòd Epistolæ Circulares ad Principes circa eorum convocationem missæ, vel communem habent formam, cum iis, quæ ad Metropolitanos, Patriarchas, Abbates &c. inscribuntur. Porro, in his consensus eorum, ad quos scribitur, minime postulatur, (ut patet ex Epistolis circà Concil. *Lateran. IV.*) namque Epistola ad Prælatos eadem est, ac quæ ad Principes, CONCIL. TOM. XI. *part.* I. *p.* 119. *ad* 131. vel aliis verbis concipiuntur, quorum tamen nullum significat, consensum Principum requisitum fuisse, ad convocationem Conciliorum Generalium Occidentalium.

Nihilominus credibile est, hæc Concilia nusquam fuisse convocata, præter consensum Principum, iis exceptis, quæ adversus ipsos habenda erant; quale est Concilium Lugdunense I. adversus *Fridericum* Imperatorem: sunt enim plures Bullæ convocatoriæ, quæ insinuent, convocationem fieri ex Principum beneplacito. V. gr. in Bulla Indictionis Concilii Tridentini, PAULUS III expresse dicit, se consuluisse Principes, & nominatim Imperatorem & Regem Galliæ. In Bulla resumptionis ejusdem Concilii, JULIUS III. sperare se dicit, *per Dei gratiam ac benignitatem, futurum, ut Reges omnes ac Principes Christiani, suis in hac re votis annuant, faveant, atque assistant.* Denique PIUS IV. in Bulla celebrationis Concilii Tridentini, dicit, se Principes *de consilio suo certiores fecisse.* Præterea, Concilium Constantiense mentionem facit expressam consensus Regis Romanorum. In translatione Concilii à Basilea ad Ferrariam, Pontifex Imperatori *Joanni Paleologo* tantum indulsit, ut eam ejus voto annuerit.

Aliundè

Aliundè ratio atque æquitas postulant, ut Concilia Generalia non convocentur absque Principum consensu: nisi enim convocatio sibi placuerit, impedient, quominus Episcopi ditionis suæ ad ea conveniant: unde fiet, ut Concilia non sint Generalia, posito quòd celebrentur, non obstante contrariâ aliquot Principum voluntate.

Alia moveri posset Quæstio circà eandem convocationem Conciliorum Generalium, scilicet, an alii, præterquam Pontifices Imperatoresque, Concilia Generalia convocaverint? Respondemus autem, id factum non esse, nisi in duobus Conciliis *Pisanis*, quorum unum pro legitimo habetur, & convocatum fuit 1409. durante Schismate BENEDICTI XIII. & GREGORII XII. per Cardinales *Benedicto* adhærentes, apud Portum Liburnum congregatos, cum quatuor Cardinalibus alterius obedientiæ, ex consensu ejus Pontificis. Alterum Pseudo-Concilium ab omnibus dicitur, & convocatum fuit an. 1511. per aliquot Cardinales sub Pontifice legitimo.

SECTIO III.

Notæ Historicæ circa causas convocationis Conciliorum Generalium.

HÆ causæ vel in genere, vel in specie considerari possunt. Causæ Generales sunt eæ omnes, ob quas Concilia Generalia possunt convocari, & tales sunt. 1°. Omnes controversiæ circa fidem aut mores, in quarum definitione dissident Ecclesiæ particulares; vel personæ, quarum interest, Ecclesiarum particularium judicium respuunt. 2°. Schisma generale, quod Ecclesiam universam in plures partes ampliores dirimit, ut accidit, cùm plures existunt Papæ, quorum singuli magnam copiam fautorum habent. 3°. Schisma particulare, quod Ecclesiam particularem insigniorem dividit, ut sit, cum plures sunt Patriarchæ, in eâdem Ecclesia Patriarchali; vel quod duas Ecclesias insignes dividit, ita ut inferior superiorem agnoscere recuset, ut factum est in divisione Græcorum à Latinis. 4°. Corruptio morum, vel generalis, ratione diffusionis per omnes Ecclesias, vel capitalis, ratione fomitis ejus primam Ecclesiam occupantis.

Causæ speciales convocationis Conciliorum Generalium eæ sunt, quæ singulis Conciliis Generalibus occasionem præbuerunt; has nobis evolvendas hic proponimus, ideò quòd solæ sint, quæ observationem mereantur, ob sui singularitatem.

Notum est omnibus, primum Concilium Nicænum convocatum fuisse, ut finem imponeret duabus controversiis, alii principali circà Divinitatem, seu consubstantialitatem Filii, alii minus gravi circà tempus celebrandi Paschatis. Cum utraque pacem turbaret, credibile est, Imperatorem Constantinum, dùm Patres ad pacem hortatur, dicitque se ipsius gratia eos convocavisse; intendisse definitionem utriusque controversiæ, velut medium efficax ad restituendam pacem, CONC. TOM. II. *p.* 26. sed, cùm quæstio circà Pascha levis sit, præ quæstione circa Divinitatem Filii, *Eustathius* loquendo de causis convocationis Synodi Nicænæ, hanc postremam solùm attingit, CONC. TOM. II. *p.* 28. *Arius orationis est causa & Conventus*; Symbolum confectum fuit ad decisionem hujus quæstionis, eaque continetur in verbo, *Consubstantialem*.

Alterius quæstionis definitio per Concilium Nicænum, commemoratur in Epistola *Constantini* ad Episcopos, qui Concilio non interfuerant, recenseturque inter media, quorum ope Concilium Ecclesiæ pacem restituit, CONC. TOM. II. *p.* 262. Quamvis Concilium Nicænum circà mores ac disciplinam multa, eaque magni momenti, Canonibus suis ordinaverit, non arbitramur, illud ejusmodi Constitutionum gratiâ speciatim fuisse congregatum, sed credibile est eas, propter occasionem, factas fuisse. Spectant eæ promotionem Eunuchorum, Neophitorum, & eorum, qui peccasse lethalitèr antè Ordinationem comperiuntur; Jurisdictionem Patriarchæ Alexandrini, honores Episcopo Hierosolimitano debitos, reditum Clericorum Novatianorum ad Ecclesiam, & ipsorum locum seu gradum in Ecclesiâ; translationem, seu non residentiam; Communionem Sacerdotum, per manum Diaconorum; usuram Clericorum; consuetudinem orandi flexis genibus in Paschate; cæterisque Dominicis per annum, & tempore Paschali.

In Actis Concilii Constantinopolitani I. nullum est Instrumentum, quod ferat nominatim, quibus de causis id convocatum fuerit; sed plura sunt, ex quibus id elici possit, ideò quòd doceant, quid gesserit Synodus. Credibile autem est, eam fuisse convocatam, propter res præcipuas, quas gessit. Talis est 1. Epistola, quam scripsit ad *Theodosium* Imperatorem, ut rationem rerum à se gestarum redderet, & in quâ dicit, se fidem Nicænam confirmavisse, & damnavisse hæreses, quæ contra ipsam emerserant. Talis est 2. *Canon I.* in quo mentionem expressam aliquot ex iis hæresibus faciens, eis annumerat opinionem semi-Arianorum, seu Spiritûs Sancti adversariorum. Tale est 3. Symbolum, quod confecit, in quo Nicæno adjicit multa, circà Spiritum Sanctum, ut ejus Divinitatem astrueret. *Dominum & vivificantem ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum.* Si Spiritus Sanctus Dominus est, vitæque author; si procedit à Patre; si honore Patri, Filioque debito dignus sit; certè Deus est, perindè ac Pater & Filius. Talis est deniquè Epistola, quam scripsit ad Concilium Romæ sub *Damaso* habitum, in qua dicit, se asseruisse Unitatem essentiæ, substantiæ, cum æqualitate Personarum Sanctissimæ Trinitatis, contrariasque hæreses damnavisse; tùm mentionem expressam facit hæreseos eorum, qui Spiritum Sanctum aggrediuntur, quæ Concilio Nicæno posterior est.

Facile esset hîc multa congerere testimonia ex Actis Concilii *Ephesini* petita, è quibus elicitur quænam fuerit causa convocationis ejus; pauca enim sunt Instrumenta, quæ id præstare nequeant. Sed id supervacaneum foret, ideoquè cùm unum expressum reperiatur in Epistolâ, quâ Concilium Imperatorem certiorem facit de Sententiâ depositionis, quam contra Nestorium tulerat, idque sufficiat, testimonium illud solùm referetur. Ex eo discimus, Imperatorem cernentem, Ecclesiam turbari ob errores Nestorii, qui docebat, duas esse in Christo Personas, Divinam, & Humanam, & sic Filium Dei non esse Hominem, neque Hominem esse Filium Dei, & proindè falsum esse quòd Deus è Spiritu Sancto conceptus sit in Virginis sinu, natus sit in tempore, biberit & comederit, passus sit crucifixus & sepultus, resurrexerit atque in Cælum ascenderit; Imperatorem, inquam, volentem Ecclesiæ pacem restituere, convocavisse Concilium Generale Ephesi, Nestorioque tribus vicibus citato, & contumaciter absente, juxtà fidem Nicænam discussam fuisse condemnationem, quam *Cyrillus*, Alexandrinus Antistes, adversus doctrinam præfatam tuleratt, consentaneamque inventam fuisse ac probatam, depositionemque adversùs Nestorium latam, CONCIL. TOM. III. *p.* 567. *ad* 571.

De causa convocationis Concilii *Calcedonensis*, fit sermo in Epistola *S. Leonis*, ad hoc Concilium; ibi enim dicitur impietatem, à Concilio Ephesino damnatam nullatenùs juvari per condemnationem, quam Synodus Calcedonensis latura est, contra impietatem *Eutichis:* quia utraque paritèr damnabilis est. Indè enim sequitur, Concilium Calcedonense convocatum fuisse contra *Eutichem.* CONC. TOM. IV. *p.* 71.

Idem cernitur in Epistolâ Imperatorum *Valentiniani* & *Marciani*, qua Concilium transferunt à Nicæâ Calcedonem, dicunt enim, Episcopos non debere averti, quominus Calcedonem conveniant, ob metum turbarum,

batum, quas Eutiches, aliive ex Asseclis ejus, concitare possent; quippe, qui sperent, fore, ut impediant, ne aliqua oriatur. *p.* 75.

Nec difficilè foret alias hujus facti probationes adtexere, si necessarium id foret; nam Epistola Concilii ad Imperatorem *Marcianum*, circà depositionem *Dioscori*, Patriarchæ Alexandrini, unam suppeditat haud respuendam. In eo sita hæc est, quòd Synodus, mentione facta, se convocatam fuisse ab Imperatore, ut malis Ecclesiæ mederetur, insinuat, Errores *Eutichis* unum esse ex his malis, seque, ut horrorem suum contra illos testaretur, deposuisse *Dioscorum*, qui faverat *Eutichi*, Sacerdotium ipsi, Abbatiamque conferendo CONC. TOM. IV. *p.* 463.

Alia occurrit probatio ejusdem facti, in definitione facta à Concilio; hinc enim constat, eam fuisse finem Convocationis Concilii, indè verò Errores Eutichis in eâ damnari. CONC. TOM. IV. *p.* 561. *ad.* 568.

Quod huc usque diximus de causâ Convocationis quàtuor Priorum Conciliorum Generalium, Confirmatur per Epistolam Imperatoris *Justiniani*, ad Episcopos Constantinopoli congregatos; loquens enim de rebus à suis Prædecessoribus gestis, Religionis ergò, refert Convocationem, & causam Convocationis uniuscujusque Concilii Generalis, quæ similis est ei, quam suprà assignavimus. Ex eadem Epistola discimus, quænam fuerit causa Convocationis *Quinti* Concilii Generalis: nempè damnatio *Trium Capitulorum*, scilicet, scriptorum *Theodori Mopsuestani*, quæ Nestorio favebant; scriptorum *Theodoreti* contrà Concilium Ephesinum, duodecimque Anathematismos *S. Cyrilli*, contra Nestorium; denique, Epistolæ *Ibæ*, Episcopi Edessani, ad *J. Marim*, Persam, erroribus Theodori & Nestorii refertæ, CONCIL. TOM. V. *p.* 419.

Res eadem cernitur in Epistola *Eutichii*, Patriarchæ Constantinopolitani, ad *Vigilium* Pontificem, in qua, postquàm declaravit, se recipere definitiones à quatuor Prioribus Conciliis Generalibus confectas, (quarum causa certissimè convocata fuerunt) singulas expresè commemorando; rogat Pontificem; ut in Concilio Generali finem imponere dignetur Controversiæ circa Tria Capitula. *Conc. Tom.* V. *p.* 424. Hæc Epistola laudatur in Concilio Florentino CONC. TOM. XIII. *p.* 78. *sess.* 5.

Sententia damnationis eorundem Trium Capitulorum lata in hoc Concilio, docet, illud hâc de causâ coactum fuisse: Idem probat ejus responsio ad objectionem petitam ex eo quod Concilium Calcedonense *Theodoretum* atque *Ibam* orthodoxos judicaverit, quam dissolvit, observando, id factum non esse, nisi postquàm uterque Nestorii doctrinæ anathema dixerat. Idem probant Canones, quos Concilium Sententiæ conjunxit, in quibus sigillatim damnantur doctrina Nestorii ejusque Asseclarum, & nominatim *Theodori*, *Theodoreti*, atque *Ibæ*.

Juxtà Inscriptionem Epistolæ *Vigilii*, ad *Eutichium*, Patriarcham Constantinopolitanum, probatur ex ea, *Quintum* Concilium convocatum fuisse, ut damnaret Tria Capitula. Hinc enim legitur, eam scriptam fuisse, ad Confirmationem hujus Concilii; indè cernitur in Epistolâ ipsâ, eam damnare eadem scripta, quæ Concilium damnaverat. Secus est, si judicium feratur ex solis Epistolæ verbis; nullum est enim de ipso Concilio: undè confici tantùm potest, eam adprobare Doctrinam hujus Concilii easdem res docendo, CONC. TOM. V. *p.* 595.

Sunt, qui contendant, Concilium hoc *Quintum* ex parte convocatum fuisse, ut damnaret errores *Origenis*; alii putant, Concilium, ob Tria Capitula congregatum, damnavisse errores Origenis, ex denuntiatione ab Imperatore *Justiniano* facta. Hoc constat, Imperatorem optavisse, ut hi errores discuterentur, & damnarentur à Concilio, ferreturque anathema contra Origenem ejusque Asseclas. Facti hujus testimonium continet Epistola Justiniani ad Concilium, CONC. TOM. V. *p.* 679. ad 681, circà finem. Constat Insuper, nihil esse in actis hujus Concilii, saltem, quo convincamur, illud damnavisse Origenis errores.

Si quis novas requirat probationes eorum, quæ diximus, de Causis Convocationis quinque Priorum Conciliorum Generalium, Epistola *Mansueti*, Archiepiscopi Mediolanensis, & Synodi ejusdem Provinciæ, ad Imperatorem Constantinum Pogonatum, circà errorem Monothelitarum, luculentum testimonium continet. Confirmare enim volens studium, quo Princeps ille curabat, ut hic error in Concilio Generali damnaretur, ipsi revocat in memoriam exemplum Imperatorum Prædecessorum ejus, qui Concilia Generalia convocaverunt, ad damnationem errorum sui ævi, mentionemque expressam facit causæ, ob quam singula hæc Concilia convocata fuerunt. CONC. TOM. VI. *p.* 602, 603.

Similis probatio erui posset ex oratione acclamatoria seu prosphonetica Patrum *Sexti* Concilii Generalis, ad Imperatorem Constantinum Pogonatum. Ibi enim expressus fit sermo de causis Convocationis singulorum è quinque Prioribus Conciliis Generalibus, ut commendaretur Providentia Divina super Ecclesiam, quæ tanta fuit, ut, in exortu cujuscunque erroris gravioris, Imperatorem & Pontificem excitaverit, ad convocandum Concilium Generale, profligandi erroris causâ. CONC. TOM. VI. *p.* 1048. *ad* 1050. Idem facit Epistola ejusdem Concilii Generalis ad *Agathonem* Pontificem; nam, circà finem, declarando se accipere quinque priora Concilia Generalia, exponit, ob quam causam unumquodque eorum convocatum fuerit. TOM. VI. *p.* 1096.

Nullum est Concilium Generale, in cujus Actis causa, propter quam convocatum fuerit, referatur sæpius, quam in 6. Generali VI. nam, præter loca tria, quæ mox attigi, circa causam Convocationis quinque Priorum Conciliorum Generalium, quæque una indicant causam, ob quam *Sextum* fuit convocatum; quatuor supersunt, in quibus ea rursùs declaratur. *Primus* est in *Epistola* Imperatoris *Constantini* Pogonatæ, ad Pontificem *Donum*, quæ, cum post obitum ipsius Romam advenisset, Successori ejus *Agathoni* data fuit. In ea cernitur, fore, ut Concilium convocaretur, ut pacem conciliaret inter Ecclesias Romanam & Constantinopolitanam, dissidentes occasione quorumdam verborum recens introductorum à Patriarchis Constantinopolitanis, ab aliis Patriarchis Orientis receptorum, Pontificibus verò improbatorum; undè factum erat, ut Patriarchæ Constantinop. è Sacris Dipticis, seu Commemorationibus Missarum, tollere voluerant Pontificem *Vitalianum*, cui rei intercesserat Imperator. Locus *Secundus* est in *Decreto* ejusdem Imperatoris, ad *Georgium*, Patriarcham Constantinop. quo jubetur, ut Episcopos districtùs sui convocet, ad definiendam Controversiam de voluntate Christi, moneatque *Macarium*, Patriarcham Antiochenum, ut veniat ipse Constantinopolim cum Suffraganeis suis, ob eandem causam. Locus hic distertior est quam præcedens, circà causam Convocationis; at sequens utroque longè luculentior. Is est in Actione 1. ubi dicitur, ab annis quadraginta sex, novitates præfatas introductas ac fautas fuisse à *Sergio*, *Paulo*, *Pirrho* & *Petro*, Patriarchis Constantinopolitanis, à *Ciro*, Patriarcha Alexandrino, à *Theodoro*, Episcopo Pharan; eas autem universum Orbem conturbavisse; in eoque sitas esse, quòd unica voluntas Christo tribueretur. Adjicitur, *Macarium* Archiepiscopum Antiochenum, unumque è Discipulis ejus, loquendo pro ipsorum Ecclesiis, & pro Constantinopolitanâ, asseruisse, se nihil novum proponere, sed doctrinam suam consonam esse doctrinæ Conciliorum Generalium, Sanctorum Patrum, & Patriarcharum Constantinop. prædictorum; quod ab aliis Concilii Patribus confutatum fuit, hâc in Actione & seq: Undè conficitur, non solùm hanc Actionem, sed etiam sequentes

tes ostendere quænam sit causa specialis Convocationis Concilii Generalis VI.

Cum definitio à Concilio facta, sit finis ejus Convocationis, ea laudari potest, ut præcipuus locorum, è quibus discimus, quam ob rem convocatum fuerit: ea est in Actione 13. In ea cernitur, Concilium, damnatis prædictis novitatibus velut execrandis blasphemiis, pronuntiare anathema adversùs eos, qui eas introduxerant, aut secuti fuerant, nominatis Sergio, Paulo, Pirrho, & Petro, Patriarchis Constantinopolitanis, Cyro, Patriarcha Alexandrino, Theodoro, Episcopo Pharan, & Pontifice *Honorio*, cum qualificatione *Assectæ Sergii*, in omnibus rebus ad ejus Errores pertinentibus, CONC. TOM. VI. *p.* 944.

Ex observationibus circà causas Convocationis sex priorum Conciliorum Generalium sequitur, singula convocata fuisse ad damnationem aliquot errorum circà Divinitatem aut Humanitatem JESU-CHRISTI. Nam 1. Concilium NICÆNUM habitum fuit contrà *Arium*, qui negabat Jesum-Christum, quatenùs Filium Dei, ejusdem sustantiæ ac Patrem æternum. 2. Concilium CONSTANTINOP. 1. habitum est, ex parte, contra eos, qui doctrinam *Arii* remotiùs aut propiùs sequebantur. 3. Concilium EPHESINUM celebratum fuit, contra *Nestorium*, qui duplicem in CHRISTO Personam statuebat, Divinam & Humanam, ità ut falsum esset, filium hominis esse filium Dei, & filium Dei, filium hominis, ac proindè eundem conjunxisse omnes proprietates Divinitatis atque Humanitatis.

4. Concilium CALCEDONENSE coactum fuit adversus Eutichem & Dioscorum, qui negabant post unionem naturæ Divinæ cum natura Humana in personaVerbi, duas naturas mansisse integras.

5. Concilium Quintum celebratum fuit duntaxat ad damnationem Scriptorum aliquot, Nestorianis erroribus faventium, proindèque ad confirmandam definitionem Concilii Ephesini. Denique, Concilium SEXTUM habitum fuit in eos, qui unicam in Christo voluntatem statuebant.

Cum similitudo, quam modò observavi, inter causas Convocationis sex priorum Conciliorum Generalium, ipsis singularis sit, brevi hac digressione secundum duxi filum narrationis causarum, ob quas unumquodque Concilium Generale convocatum fuit.

Ad institutum redeo, & dico, acta Concilii Generalis VII, NICÆÆ habiti, plures suppeditare probationes, illud congregatum fuisse ad restitutionem cultûs Imaginum, in quibusdam Ecclesiis abrogati, juxtà decretum Concilii cujusdam Constantinopolitani, quod jusserat, ut Imagines confringerentur. Cernitur enim hoc factum, 1. In Epistolâ *Constantini* atque *Irenæ* ad Pontificem *Adrianum*; in qua eum deprecantur, ut veniat ad Concilium universale quod proposuerat, ad resarciendam injuriam Imaginibus inustam à nonnullis Imperatoribus suis Prædecessoribus, CONC. TOM. VII. *p.* 32. 2. Idem videtur in apologia, quam fecit *Tharasius*, ob acceptationem Patriarchatûs Constantinopolitani, duabus de causis periculosam: hinc, quòd esset Laicus, parum in rebus Ecclesiasticis versatus; indè, verò, Ecclesia valdè divisa erat, aliis cultum Imaginum damnantibus, eò usque ut sævirent in adversarios, aliis cultum eundem vindicantibus, ità ut in Contradictores anathema pronuntiarent, *p.* 34.

3. Idem videtur in Epitome rerum gestarum antè Concilium Nicænum, de quo agitur; ibi enim legitur, Imperatorem cultum Imaginum restaurare cupientem, convocavisse Concilium Constantinopoli; id autem inchoatum fuisse, sed, mota seditione populi adversùs Synodum, Imperatorem coactum fuisse dimittere Episcopos, Conciliumque præmeditatum differre in annum, ac tranferre in aliam Urbem. *p.* 38.

4. Ex Actionibus VIII. quibus constat Concilium, nulla est, quæ proximè, aut saltem remotè non pertineat ad restitutionem cultûs Imaginum, quod perspicuum erit eas solventi: Itaque facile esset indè multa eruere, quibus probetur, Concilium hac de causâ coactum fuisse, verùm id supervacaneum foret, cum factum tam notum, quam constans sit. Substantiam definitionis Concilii referre sufficiet, quæ est in Actione VII. *Juxtà Patrum nostrorum à Deo inspiratorum doctrinam, & traditionem Ecclesiæ Catholicæ, quam à Spiritu sancto, qui in ea habitat proficisci credimus, cum omni certitudine definimus, conservandas esse non solùm figuram Crucis inæstimabilis & vivificantis, sed & imagines Jesu-Christi, Sacræ Virginis ejus Matris, Angelorum & Sanctorum, cujuscumque materiæ & formæ, tam vasis & vestimentis sacris inhærentes, quam pictas in muris Basilicarum vel ædium, & in tabellis, easque exponendas venerationi Fidelium, quæ præ cæteris complectitur salutationem, osculum, Thuris & Cereorum oblationem; quibus in rebus nihil nisi rationabile est, honos enim imagini præbitus, ad ejus exemplar refertur, quod honore præfato dignum est p.* 555.

Idem legitur in Epistola, quam Concilium ad Imperatorem & ad Imperatricem scribit, narratoriam rerum à se gestarum, ut piis eorum votis obsequeretur. *p.* 578.

Idem quoque cernitur in Epistolâ ejusdem Concilii ad Clerum Constantinop. qui vehiculorum defectu Nicæam convenire non potuerat; hæc enim Synodus opponitur ei, quæ Imaginum cultum abrogaverat, observando, illam tam esse Divinam, quam hanc Diabolicam; quia illa Caracterem habet veritatis, quæ filia Dei est, hæc mendacii, cujus Diabolus est pater, *p.* 586.

7. Agitur præterea, de causâ convocationis Concilii Generalis VII. in Epistolâ *Tarasii* ad Pontificem Hadrianum, diciturque, Imperatorem, cum vellet honorem Imaginibus debitum restituere, convocavisse Concilium Constantinopoli; post unam verò sessionem coactum fuisse illud dissolvere, propter seditionem populi, cujus Concilium occasio fuerat: pacatis autem silentio annuo mentibus, novum Concilium Nicææ indixisse, ubi lecta Pontificali Epistola, lectæ sunt quoque Epistolæ Diœceseon Orientis, è quibus omnibus cognita est pulchritudo integra paternæ traditionis.

Agendo de causa convocationis hujus Concilii VII. præterii duas quæstiones celebres, quæ ventilatæ ac decisæ fuerunt Actione 1. scilicèt, *Primò*, an Clerici hæretici, qui sinceram pœnitentiam egerunt, suo Ordini restituendi sint. 2. An Ordinationes ab hæreticis factæ sint admittendæ. Utraque enim quæstio incidens fuit duntaxat, occasione abjurationis hæreseos Iconoclastarum, factæ à pluribus Episcopis, qui hanc in Concilio Constantinopol. probaverant.

Septem Concilia Generalia præcedentia habita sunt propter causas ad fidem pertinentes; quod sequitur celebratum fuit, ut mederetur schismati nato, ex eò quod Photius Ignatium Patriarcham Constantinop. deposuit, seque in ejus locum substituit, per vim & fraudes procuraverat, dumque Patriarchatum teneret, multas fecerat Ordinationes, plures autem Clericos deposuerat, qui ab Ignatio promoti, justamque ejus esse causam rati, ipsi adhærebant: aliundè verò *Nicolaus*, Pontifex ad quem Ignatius cum Assectis suis querelas suas detulerat, Concilio Romæ celebrato, Ignatium restitui, Photium dejici jusserat; quod decretum executionem nondum potuerat sortiri, CONC. TOM. VIII. *p.* 988. *ad* 991. 1145. *ad* 1156.

Quemadmodum Concilium Generale V. definitiones Ephesinas confirmavit adversùs Nestorium, damnando Tria Capitula iis contraria, quæ Nestoriani contendebant adprobata fuisse in Concilio Calcedonensi; sic Concilium Generale VIII. confirmavit definitiones Concilii Generalis, VIII. contra Iconomachos, anathema ferendo plurib us in locis contra eorum Sectatores, *ibidem.*

Illud Octo Conciliis, de quibus actum est, speciale est, quod negotia, ob quæ habita sunt, nata

sunt

sunt in Oriente; sequentia autem in eo conveniunt, quòd Controversiæ in Occidente motæ, ipsis occasionem præbuêre.

Concilium Generale LATERANENSE, primum Conciliorum Generalium Occidentalium, congregatum fuit ad sopiendam litem circà investituras, quæ pernicioſissimos effectus habuerat, tum bellorum cruentissimorum, tum Schismatis annorum XL. Lis autem confecta est duplici conditione: Prima, ut Imperator Episcoporum electionem liberam esse permitteret: altera, ut Episcopi Regalia, seu Feuda, reciperent ab Imperatoris Manu, agnoscendo, se illa ab eo tenere. CONC. TOM. X. *p.* 893. *ad* 902. Vide Actus Synallagmaticos inter Imperatorem & Pontificem. Hoc in Concilio, de duplici genere Militiæ Crucigeræ actum fuit, 1. Hierosolimitanâ, contra Infideles, qui loca Sancta occupabant; 2. Hispanicâ. contra Sarracenos, qui eâ regione potiebantur *p.* 897. *Can. II.*

Plures hæreses cum Schismate, & multi abusus tollendi, sunt causa Convocationis 2. Concilii LATERANENSIS II. 1. Hæreses *Petri* DE BRUIS, qui docebat, Baptismum inutilem esse ad Salutem, antè ætatem rationis capacem; Ecclesias aliave loca similia ædificanda non esse, in quibus adoretur Deus; figuram Crucis affici non debere honore, sed contumeliis, in vindictam tormentorum, quæ Jesus Christus in ea passus est; non offerri quotidiè veritatem Corporis & Sanguinis Domini, per mysterium Eucharistiæ, sed hoc Sacramentum nihil esse, & offerri non debere; omnia bona opera, quæ fiunt pro fidelibus defunctis, nihil ipsis prodesse. Reliquæ hæreses, quarum de causa 2. Lateranense habitum fuit, sunt ARNALDI *de Brixia*, qui docebat, Clericos aliquod proprium possidentes, non posse salvari, idemque esse de Episcopis Feudatariis & de Monachis habentibus possessiones; sed hæc omnia pertinere ad Principem, & per beneficium ejus ad Laïcos redire debere. Schisma autorem habebat *Petrum*, *à Leone* dictum, *Anacletum II.* Antipapam contra *Innocentium II.* legitimum. Denique, abusus tollendi spectabant Simoniam circà Ordines aut Beneficia, mores Beneficiatorum, successionem ad beneficia, invasionem bonorum Ecclesiasticorum, Matrimonium Ministrorum Sacrorum & Monialium, Usuram, Duellum, contemptum Personarum Deo professione sua dicatarum, & Cæmeteriorum, rabiem Incendiariorum, modum Pœnitentiæ, clausuram Monialium. Supersunt in Canonibus Concilii ea, quæ dicta sunt circà reformationem. Alia duo capita notantur in historiâ ejus Concilii, quæ legitur *à pag.* 999. *ad* 1001. circà quod notandum est, mirum esse, quòd, cum Hæreses & Schisma præfata fuerint causa Concilii, nullum ex Instrumentis ejus pertineat ad damnationem hæreseon, vel ad Schismatis extirpationem.

De causis convocationis Concilii Generalis LATERANENSIS III. sub *Alexandro III.* agitur in ejus Epistolâ ad Episcopos Etruriæ, in quâ illis præcipit, ut Romam se conferant, dicitque se illud cogere, ad reformandas res multas, quæ reformatione indigent, & publicandas alias, quas à Fidelibus cognosci interest. CONC. TOM. X. *pag.* 1506.

Generalis hæc loquendi formula, quâ utitur Pontifex, insinuat, Concilium congregatum fuisse, ad definiendas vel ordinandas res pleraſque in ejus Canonibus contentas.

Et quidem ii, qui causas particulares ipsius enumerant, eas ex ejus Canonibus deducunt; unde fit, ut, quia Concilium fecit Canonem ad præveniendum Schisma proveniens è pluralitate Pontificum (qui primus est) & alterum, nempè 2. ad medendum malis ex eo consecutis, dicitur, illud ex parte convocatum fuisse, ut impediret Schisma, ejusque effectus; & quia Canon 27. de duplici Hæreticorum genere loquitur, quorum hi suum errorem publicè profitebantur, alii atrociter grassabantur posthabitis Sanctitate locorum, & qualitate personarum, ob quam misericordiâ dignæ erant; dicitur quoque, Concilium convocatum fuisse, ad damnationem aliquot hæreseon, & sistendum progressum malorum, cum spiritualium, tum temporalium ex iis ortorum. Denique, cum intereosdem Canones reperiantur, qui abusus gravissimos coerceant, dicitur quoque, Concilium habitum esse reformationis causâ. Canon 27. mentionem facit cujusdam Cruciatæ, nec non Indulgentiæ plenariæ, iis, qui eam profiterentur, concessæ.

Epistola circularis ab *Innocentio III.* scripta, ad omnes Archiepiscopos Ecclesiæ Universalis, & ad omnes Prælatos Inferiores, specialitèr Abbates & Priores, docet quibus de causis Lateranense IV. convocaverit, An. 1215. nam eæ omnes continentur in his verbis, *ad Extirpanda vitia, plantandas virtutes, corrigendos abusus, reformandos mores, eliminandas hæreses, roborandam fidem, sopiendas discordias, stabiliendam pacem, comprimendas oppressiones, libertatem fovendam, inducendos Principes & Populos Christianos ad concursum & subsidium terræ Sanctæ.... impendendum.* CONC. TOM. XI. *part.* 1. *p.* 124. Canones hoc in Concilio confecti, fini, in convocatione intentæ, omninò respondent: nam, *tres priores* fidem respiciunt, continentque damnationem plurium errorum, & aliquot definitiones, ac præ cæteris Transsubstantiationis, nec non Identitatis realis Essentiæ Divinæ cum Personis, ità ut dici nequeat esse in Deo quaternitatem constantem ex Essentiâ, Tribusque Personis. Idem est de *quarto*, qui damnat rebaptisationem à Græcis, præ Latinorum odio exercitam. *Quintus* & *Nonus* ad firmandam pacem tendunt, in eo quod *quintus* conservat Patriarcham Constantinopolitanum in possessione secundi gradûs inter Patriarchas. *Nonus* Græcis relinquit libertatem vivendi juxtà suos ritus & consuetudines. Cum Institutio Religionum novarum, virtutum sationi, vitiorumque extirpationi, inservire possit, nec non morum reformationi, Canon 13. continens ea, quæ sunt observanda in erectione novarum Religionum, respondet tribus capitibus causarum convocationis, hujus Concilii. Idem est de plerisque aliis, præsertim iis, qui respiciunt Clericorum incontinentiam, intemperantiam, avaritiam, ambitionem, simoniam. Quoad Caput 25. 33. 34. 42. 43. 45. 46. facta sunt ea oppressionum tollendarum, & libertatis conservandæ gratiâ. Denique, quidquid circà præsidium Sacris Locis impertiendum, decerni opus erat, continetur in Decreto, cujus titulus est, *Expeditio pro recuperandâ Terrâ Sanctâ.*

INNOCENTIUS IV. in sua ad Senonensem Archiepiscopum Epistolâ, qua eum cum ejus Suffraganeis convocat, tribus verbis aperit causas convocationis illius Concilii: *ut ipsa Ecclesia per Fidelium salubre consilium, & auxilium fructuosum, statûs debiti possit habere decorem, & deplorando Terræ Sanctæ discrimini, & afflicto Romano Imperio properè valeat subveniri, ac inveniri remedium contra Tartaros, & alios contemptores fidei & persecutores Populi Christiani, nec non pro negotio, quod inter Ecclesiam & Principem vertitur, Reges terræ, Prælatos Ecclesiarum, & alios mundi Principes duximus appellandos.*

Hujus Concilii executio cernitur, 1. In Sententiâ depositionis latâ adversùs *Fredericum* (qui est Princeps, inter quem & Ecclesiam lis erat;) & continens omnia crimina quæ Imperatori imputabantur. 2. In *Canon.* 14. & 15. loquentibus de subsidio, quod largiendum erat Imperio, quod in 14. dicitur Constantinopolitanum, & in 15. Romanum, quia est pars veteris Romani, quæ Imperium Orientale vocabatur. 3. In *Cap.* 16. præcipitur omnibus Christianis, ut Regiones suas muniant adversus Tartarorum incursiones, Sedemque Apostolicam moneant de molitionibus istius Nationis, adjicitúrque promissio auxilii ad eam repellendam. 4. In *Cap.* 170. Terræ Sanctæ providetur pluribus modis, speciatim reformatione Crucigerorum, privilegiis temporalibus, gratiis spiritualibus, subsidiis.

In Actis Concilii LUGDUNENSIS II. habiti sub

GREGO-

GREGORIO X. tres existunt Epistolæ ejus Pontificis, docentes, quamobrem convocatum fuerit. 1. Inscribitur ad Patriarcham Hierosolimitanum, ad omnes ejus Suffraganeos, & ad omnes Prælatos Regulares, aut Sæculares Provinciæ; dicitque, Concilium habitum iri, ad subveniendum Terræ Sanctæ. 2. Inscribitur ad Imperat. *Michaëlem Paleologum*, docetque, idem Concilium celebratum iri quoque, ad reconciliationem Latinorum cum Græcis, post innovationem Definitionum fidei, quæ ab utrisque accipiendæ sunt. Idem legitur in 3. Epistola, transmissa ad Patriarcham Græcorum JOSEPH dictum, omnesque ejus Suffraganeos. Tres hæ Epistolæ referuntur in Capite Actorum, CONC. TOM. XI. *part.* 2. *pag.* 939. *ad* 994.

Unicus est hujus Concilii Canon fini proposito respondens, scilicet primus, in quo declaratur, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio, tanquam ab unico principio. Instrumenta ad fines reliquos pertinentia extant à *pag.* 961. usque ad 971. suntque Confessio fidei ab Imperatore missa Latinæque consona, & jusjurandum Imperatoris & Græcorum Subditorum ejus. In utroque agnoscitur Primatus Ecclesiæ Romanæ caveturque perseverantia in fide contenta in Confessione præfata, & in obedientia sedi Apostolicæ debita.

Si de momentis, quæ convocationem Concilii Generalis VIENENSIS pepererunt, judicium feramus ex ejus Concilii decretis, & ex Epistolis circularibus, quibus convocatum est, triplex videtur fuisse causa. 1. ut discuterentur accusationes adversus Templarios intentatæ, procedereturque ad suppressionem Ordinis, si ipsæ comprobarentur.

2. Ut corrigerentur abusus, & reformarentur mores, 3. Ut aliquot circà fidem controversiæ componerentur, hæresesque damnarentur. Prima & secunda Causa videntur, in *Epistola* ad PHILIPPUM *Pulchrum*, cujus exemplum ad alios Principes transmissum fuit CONC. TOM. XI. *part.* 2. *p.* 1539. & in Epistola Scripta ad Abbatem Cisterciensem, ac transmissa ad alios Abbates ac Superiores Generales Ordinum *p.* 1554. *ad* 1556. Prima videtur, præterea, in Epistolis prorogatoriis temporis, ad quod Concilium fuerat indictum *p.* 1550. 1554. Tertia Causa legitur in CLEMENTINA, *de fide & summa Trinitate*, quæ declarat, *S. Joannem* servavisse ordinem genuinum narrationis, cum dicit, transfixum fuisse latus Jesu Christi post ejus mortem, indèque exivisse aquam & sanguinem; parvulos esse baptismi capaces, perinde atque adultos, & in eo recipere habitus infusos: & in 3. CLEMENT. *de hæret.* in qua Concilium damnat 8. Errores Beguinorum & Beguinarum, quorum aliquos renovarunt Quietistæ.

Extat alia probatio primæ causæ convocationis Concilii Vienensis, in sententia extinctionis Ordinis Templariorum, quæ in eo solemniter pronuntiata fuit; ibi enim videtur, eam ex judicio Concilii latam fuisse, post Examen serium accusationum & probationum.

Tres sunt Bullæ convocationis Concilii PISANI, sub Pontificibus BENEDICTO XIII. & GREGORIO XII. Prima aliquot Cardinales utriusque obedientiæ authores habet, apud Liburnum portum congregatos. 2. *ad Benedictum XIII.* inscribitur, & convocat omnes Prælatos utriusque obedientiæ. Ultima est Cardinalium *Benedicto* adhærentium, & convocat omnes Prælatos ipsi obedientes. Tres hæ Bullæ conveniunt in assignanda convocationis causa, nempe Schismatis extirpatione.

Cum Concilium CONSTANTIENSE sit continuatio Pisani, juxta Bullam, qua *Joannes XXIII.* illud convocat, Pisanum autem celebratum fuerit ad extirpandum schisma, credibile esset, Concilium Constantiense eadem de causa fuisse convocatum, etiamsi aliæ non supperterent probationes; verùm tot illæ sunt tàmque disertæ, ut necessarium non sit immorari circa præcedentem. Extant hæ in Sessionibus 4. & 5.

Concilium declarat in capite decreti sui, se congregatum esse ad extirpationem schismatis, & unionem ac reformationem Ecclesiæ, tam in capite, quam in membris. *Hæc Sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens, pro extirpatione præsentis schismatis, & unione & reformatione Ecclesiæ Dei in capite & in membris.*

Duæ hæ rationes non solæ sunt causæ convocationis Concilii Constant. ex ipso discimus, tertiam extitisse, nempè, damnationem & destructionem hæreseon, ut diserte dicitur in sententia contra Errores Joannis Wiclefi. *Sacrosancta Constant. Synodus . . . Errorumque & hæresum sub ejus* (schismatis) *umbra pullulantium eliminationem.*

De hac ultima causa convocationis Concilii Constantiensis sit etiam Sermo in Bulla MARTINI, ad definiendum modum procedendi contra Asseclas Joannis Wiclefi, Joannis Hus & Hieronymi Pragensis. Verba sunt, *præfata Synodus ad Omnipotentis Dei gloriam ipsiusque Catholicæ fidei, ac Christianæ Religionis conservationem, augmentum, & animarum salutem & præservationem.* Synodus pro fidei conservatione atque incremento operam agit, per condemnationem Errorum trium Hæreticorum præfatorum, CONC. TOM. XII. *pag.* 260.

Ex actis Concilii SENENSIS inferri posset, illud convocatum fuisse ad confirmandi decreta Concilii Constantiensis, contra Wiclefitas atque Hussitas, ad executionem sententiæ, ab eodem Concilio latæ, adversus Benedictum XIII. ejusque Asseclas, denique ad reconciliationem Græcorum cum Latinis, CONC. TOM. XII. *pag.* 367. 380.

Facilè cognosci possunt causæ convocationis Concilii BASILEENSIS; tres enim assignantur *Cap.* 12. SESS. I. scilicet, extirpatio hæresum, Nationum Christianarum pacatio, & reformatio morum. Idem videri potest sub Initium SESS. II. his verbis, *ad Laudem Dei Omnipotentis, ac Benedictæ Individuæque Trinitatis gloriam & honorem*, pro hæresum atque Errorum extirpatione, morum in capite & in membris Ecclesiæ Dei reformatione, ac Regum & Regnorum, cæterorumque Christicolarum . . . . dissidentium pacificatione.

Errores, ob quos, ex parte Concilium convocatum fuit, sunt Bohemorum, deque iis agitur, 1. In narratione brevi convocationis Bohemorum ad Concilium Basileense, atque in petitionibus eorum, CONC. TOM. XII. *pag.* 442. *ad* 458. 2. In prima Appendice Actorum hujus Concilii *n.* 5. *p.* 801. Locus hic præcedentibus adjectus docet, eos erravisse, circa Communionem, cum putarent eam dari oportere sub duplici specie; circa punitionem criminum, etiam publicorum, dicendo eam aliquando privatis competere; circa prædicationem, affirmando quod, si Prælatus absque justa causa, licentiam prædicandi Sacerdoti, vel Diacono deneget, utrique illud licere, non obstante Prælati repugnantia; circa possessionem Feudorum per Clericos, nec non fruitionem Jurium honorificorum temporalium, quale est exercitium Justitiæ Sæcularis.

In eadem Appendice in 101. Rex Arragoniæ an. 1436. laudat Concilium ob studium ejus, operamque ad conciliandos Bohemos; unde confirmatur mea observatio, nempe, errores Bohemorum ex iis esse, ad quorum extirpationem Concilium fuit convocatum. Illud præterea laudat Rex ob ipsius laborem, ad reducendos Græcos ad Communionem Latinam. *p.* 994.

Omnes Causæ convocationis hujus Concilii commemorantur in *Sessione III.* fusiùsque exponuntur Cum Concilia FERRARIENSE, & FLORENTINUM nihil aliud sint, nisi Basileense translatum à Basilea Ferrariam à Ferraria Florentiam, sequitur, hæc Concilia convocata fuisse ob easdem rationes, quæ in Congregationem Concilii Basileensis influxerant. Et quidem

quidem EUGENIUS IV. in Bullâ convocationis Concilii ad Ferrariam, expresè dicit: *Ad eumque locum præfatum Concilium Basileense ad omnes & singulos effectus inchoatos & inchoandos, & pro iisdem causis, pro quibus fuerat Basileæ congregatum.* Causam tamen Bohemorum excipit, sed tantùm quoad caput Communionis sub duplici specie, & in triginta dies à data translationis offerendo nihilominus Bohemis audientiam Ferrariæ circa hoc caput, cum maximâ indulgentiâ ac benignitate. CONCIL. TOM. XIII. *p.* 865. Idem Pontifex, in Bullâ Translationis, aliam causam convocationis Concilii Basileensis expresè attingit, & supponit, Concilium Ferrariense ex parte congregatum fuisse ob hanc causam; scilicet, reductionem Græcorum ad Communionem Latinorum; nam dicit, se cupivisse, ut id negotii Ferrariæ conficeretur, sed ob pestem id non licuisse *p.* 1030.

Plura sunt loca Concilii LATERANENSIS V. sub JULIO II. & LEONE X. habiti, quæ expresè agunt de causis generalibus, ob quas illud celebratum fuit. Sunt quoque quæ loquuntur de causis particularibus; denique, nonnulla sunt, è quibus una ex istis causis particularibus elici possit. Prioris generis loca sunt 1. in Bulla Indictionis per *Julium II.*; ibi dicitur, Concilium habitum iri ad Dei gloriam, ad exaltationem, unionem, & reformationem Ecclesiæ, ad extirpationem totalem hæresum, schismatumque denique ad procurandam pacem & salutem Fidelium, CONC. TOM. XIV. *p.* 38. & 39. Consimilis locus extat in Bullâ *Leonis*, quâ præcipit, continuationem Concilii sub *Julio II.* inchoati, & prorogat sessionem V. ab illo Pontifice indictam. Ibi dicitur, defunctum Pontificem convocavisse Concilium, ad statum Ecclesiæ in melius mutandum *p.* 130.

De causis particularibus indictionis hujus Concilii, expresè loquitur Bulla *Leonis X.* continens salvum conductum eorum omnium, qui jus quodvis assistendi Concilio habebant; ibi enim dicitur, illud ex parte celebratum iri, ad ineundum fœdus contra hostes fidei Catholicæ.

Quantùm ad causas particulares convocationis hujus Concilii, quæ inferri possunt ex quibusdam locis Actorum ejus, attinet; talis videtur esse abrogatio *Pragmaticæ Sanctionis* sub CAROLO VII. confectæ; omnes enim Galli, quorum specialiter intererat, ut eam defenderent, citati fuerunt ad Concilium hoc, ut rationes suas proponerent. *Leo X.* id expresè dicit in Bullâ prorogationis Sessionis VI. *p.* 130. Idem facit in Bulla *Primitiva*, quæ Concordato inserta fuit *p.* 293. Idem videtur in *præfatione* Textûs integri *Concordati*, relati à *pag.* 358. *usque ad* 388. & apud DOUJAT *Specim.* Tom. I. part. 1. pag. 91.

Denique, notum est, Concilium TRIDENTINUM, Generalium novissimum, celebratum fuisse ad restituendam pacem Ecclesiæ turbatæ, præsertim per hæreses LUTHERI & CALVINI: præterquam quod enim omnes Historici in eo consentiunt, manifestum est errores, quos in XXV. sessionibus suis profligat, alios non esse, quàm illorum Hæresiarcharum. Præterea, id significatur in tribus Bullis indictionis, nempe PAULI III. JULII III. & PII IV.: Omnes enim ferunt, Concilium congregari ad sopiendas discordias ab hæresibus ortas; nemo autem ignorat, hæreses illius temporis Lutherum & Calvinum authores habere. Hæ Bullæ sunt in TOM. XIV. CONCIL. *p.* 725. 793. 836. Bulla JULII III. mentionem expressam facit turbarum Germaniæ, quas ab hæresibus Lutheri natas esse notum est. In iisdem Bullis reformatio morum annumeratur inter causas, ob quas Concilium Tridentinum convocatum fuit. Singulæ hæ causæ commemorantur 1. In Decreto Session. I. 2. In commonitione & exhortatione Legatorum, quæ in eadem Sessione lecta fuit. In Præfatione Decreti circa Sacramenta legitur, Concilium convocatum fuisse, ad extirpationem hæreseon circa Sacramenta, sive recens inventarum, seu damnatarum atque renovatarum. Ex dictis circà causas convocationis Conciliorum Generalium, sequitur 1. In convocatione Conciliorum Generalium Orientis, plerumque indicatas fuisse causas particulares, ob quas habenda erant; sed in convocatione Conciliorum Generalium Occidentalium, causas generales, ut plurimùm propositas fuisse.

2. Inter Concilia Generalia Orientalia, unicum esse, ad Schismatis extinctionem celebratum; nempe *Octavum*: partem verò majorem Conciliorum Occidentalium habitam fuisse, ad finienda Schismata, sive inter Latinos utrimque, sive inter Latinos & Græcos. Talia sunt Concil. *Lateranense II. Lugdunense II., Pisanum, Constantiense, Senense, Basileense, Ferrariense*, & *Florentinum*; è quibus, Lateranense II. Pisanum, Constantiense & Senense, pertinent ad Schisma Latinorum utrimque; reliqua, ad Schisma Græcorum à Latinis.

SECTIO IV.

Notæ circa LOCUM, *in quo Concilia Generalia celebrata sunt.*

NOn hic agitur de *Loco medio*, seu de Urbe, in qua unumquodque Concilium Generale habitum fuit; ideò quòd inutile sit quærere, quis hic fuerit locus: quia, in Quæstionibus præcedentibus, non potui, quin de eo loquerer; Constat enim, ut jam observavi, pleraque Concilia Generalia traxisse nomen ab Urbe, in quâ celebrata fuerunt: sed, hìc loquor de *Loco immediato*, ubi Patres conveniebant, an in Ecclesiis? an in Palatio Episcopali? an in Palatio Imperiali, vel Regali? Porrò, Quæstio hæc vel in genere, vel in specie, tractari potest.

Generaliter dico, plura esse Concilia Generalia, quorum Acta non indicant Locum Immediatum, in in quo habita sunt. Talia sunt *Nicænum I. Constantinopolitanum I. Lateranense I.* Sed cum reliqua Concilia generalia, ut infrà observabimus, habita fuerint aut in Basilica principali Urbis, aut in Palatio Imperiali, credibile est, Concilia, in quorum Actis mentio non fit loci eorum immediati, conventus suos habuisse in alterutro Locorum ejusmodi. Id eò verisimilius est, quoad *primum* Concilium Nicænum, quòd existant probationes, *secundum* habitum fuisse in Ecclesiâ Cathedrali Nicææ; &, quoad Constantinopolitanum I. quòd constet reliqua ejusdem nominis habita fuisse in Ecclesiâ principali, vel in Palatio Imperiali.

Quantùm ad quinque Concilia Lateranensia attinet, dicendum est, sufficere quod appareat, aliquot ex illis celebrata fuisse in Ecclesiâ *Sancti* JOANNIS *Lateranensis*, ut inferatur, reliqua habita quoque fuisse in eadem Ecclesiâ, nisi contrariæ afferantur probationes: Ratio est, quòd probatio, quoad priora, est vehemens præsumptio, quoad cætera.

Ad discutiendam eamdem Quæstionem particulariter sumptam, lustrabimus singula Concilia Generalia, observando quid in eorum Actis dicatur, de Loco Immediato, ubi habita fuerunt.

Omnes Sessiones, seu Actiones Concilii *Ephesini* habitæ non fuerunt in Loco eodem Urbis Ephesi, sed quatuor habitæ fuerunt in Basilicâ Virgini dicata, & *Maria* nuncupata; tales sunt 1. 4. 5. 7. Namque, in principio earum legitur hæc formula, *Considentibus in Sanctissimâ, vel Sanctâ, vel eâdem, Ecclesiâ, quæ appellatur Maria* CONCIL. TOM. III. Reliquæ habitæ sunt in Domo Episcopali *Mennonis*; tales sunt 2. 3. & 6. hæc enim verba leguntur, in principio 2. *in.... Mennonis Episcopali æde.* In 3. *Sancta Synodo ad eundem locum conveniente*: In 6. *In Episcopali æde Mennonis.* CONCIL. TOM. III.

Concilium *Calcedonense* celebratum fuit in Ecclesia Sanctæ *Euphemiæ*, Martyris; idque probatur, per singulas Actiones, in quarum principio id dicitur fere iisdem verbis, exceptis 1. & 2. quæ aliquantulum variant.

variant. Præterea, reperitur, in primâ Actione, circunstantia in cæteris omissa, qua designatur pars Ecclesiæ, ubi sessiones habebantur, *antè Cancellos Sanctissimi Altaris.*

Quot sunt Collationes in 5. Concilio Generali, tot habemus probationes, illud habitum fuisse in Palatio Imperiali; cum itaque *Octo* sint Collationes, 8. probationes hujus facti habemus; nam, in singularum principio legitur, confessum haberi in *Secretario*, quod erat Porticus Palatii Imperialis cujus Lacunar concameratum erat, undè nuncupatur *Trullus*. In 6. Concilio Generali intrà eamdem Urbem Constantinopolim habito, quod dicit expresè locum istum esse partem Palatii Imperialis; *in Secretario sacri Palatii, quod cognominatur Trullus.* ACT. I. sexti Concil. Gener. *Tom. VI. pag.* 607.

Locus modò allatus ex Actis 6. Concilii Generalis, non est solus, quo probetur, Sessiones istius Concilii habitas fuisse in Palatio Imperiali; idem enim iisdem verbis repetitur in cæteris XVII. Actionibus ejusdem Concilii, exceptâ penultimâ, in quâ non indicatur locus Sessionis.

Inscriptio Orationis, quam Patres Concilii *Quinisexti*, seu *Trullani*, habuerunt ad Imperatorem *Justinianum Rhinosmetum*, docet Concilium istud consedisse in Palatio Imperiali; hæc enim sunt ejus verba; *Patrum, qui in Trullo Imperatorio Palatio convenerant, ad Justinianum Pium Imperatorem allocutoria oratio.*

Septem priores Actiones, seu Sessiones 2. Concilii Nicæni habitæ fuerunt in Ecclesiâ, quæ dicebatur *Sophia*, juxtà Ambonem. *Considentibus antè Sacratissimum Ambonem Templi Sanctissimæ & Magnæ Dei Ecclesiæ, quæ cognominatur Sophia.*

Octava Actio habita fuit in Palatio *Magnaura* dicto; *Quod & factum est in Palatio, quod Magnaura vocatur.* Octava hæc Actio non reperitur in Editione merè Latinâ, sed in Græco-Latina.

Extrà dubium est 8. Concilium Generale consedisse in Ecclesiâ Sanctæ Sophiæ Constantinopolitana; nam ex decem hujus Synodi Actionibus, 8. sunt, in quibus dicitur expresè, eas haberi in illâ Ecclesiâ, his verbis: *In dextris partibus Cathecumenionem nominatissimi Templi Sanctæ & magni nominis Sophiæ:* vel his; *in dexterâ parte magni nominis Templi magnæ Ecclesiæ.* Actiones 2. & 5. non indicant locum.

In historia duorum priorum Conciliorum Lateranensium refertur, ea fuisse habita in Æde Sacra *Lateranensi*, nulla probatione laudata. Fortè concluſum id fuit ex eo quòd, in principio Actorum *Tertii* Concilii Generalis ejus nominis, dicitur, illud celebratum fuisse, in Basilicâ *Constantiniana* dicta, quæ est ipsa Lateranensis. *In Basilicâ, quæ appellatur Constantiniana;* & ex eò quòd Abbas *Uspergensis*, idem dicit de *Quarto* Concilio Lateranensi. Testimonium ejus refertur in historia hujus Concilii, CONC. *Tom. XI. Part.* 1. *p.* 118.

In Epitome gestorum Concilii *Lugdunensis I.* legitur, illud habitum fuisse, *in majori Ecclesiâ.* Id etiam legitur in Epitome gestorum *Lugdunensis II.* cum hac adjectione, *Sancti Joannis Lugdunensis.*

Acta Concilii *Pisani* docent, illud habitum fuisse, in Ecclesia Cathedrali hisce verbis: *Sedit dictum Concilium in dictâ Ecclesiâ Cathedrali.* Hæc verba leguntur, in *Sess. I.* CONC. *Tom. XI. Part.* 2. *pag.* 2162.

Initio singularum sessionum Concilii *Constantiensis*, observatur, eas haberi in Ecclesiâ Cathedrali; & in quibusdam dicitur, locum specialem ad hoc destinatum fuisse.

Primum factum probatur per hæc verba, *in Ecclesiâ Cathedrali, in Ecclesiâ majori, in Ecclesiâ prædictâ;* quorum alterutra leguntur in singulis Sessionibus. Posterioris facti probatio existit, in SESS. XVII. *in majori Ecclesiâ, loco solito, ad hoc specialiter deputato.* Quod hic dicitur de quâdam parte Ecclesiæ, dicitur SESS. XXII. de totâ Ecclesia; *in majori Ecclesiâ Constantiensi ad hoc specialitèr deputatâ.* Porrò: utrumque verum est: nàm, sicut erat una Ecclesia Constantiæ specialitèr ad Concilii celebrationem destinata, ità, erat una pars ejusdem Ecclesiæ destinata ad Sessiones habendas.

In plerisque locis citatis, ubi dicitur, Sessionem habitam fuisse in Ecclesiâ Constantiensi, adjicitur *generalem.* Undè discimus, quasdam fuisse Sessiones particulares, quæ alibi, quàm in Ecclesia, habebantur. Verisimile est, has Sessiones eas fuisse, in quibus argumenta Sessionis Generalis discutiebantur.

In Actis Concilii *Basileensis* tria designantur loca, in quibus Patres convenerant. Primum, in Capitulo Ecclesiæ Cathedralis: *Qui quidem Præsidentes 23. Julii convocatis omnibus Ecclesiasticis personis, tàm extraneis, quàm intraneis, in Capitulo majoris Ecclesiæ Basileensis, inchoaverunt Concilium.* CONC. *Tom. XII. p.* 459. Secunda vice Patres convenerunt, in quadam Aulâ Domûs S. Leonardi. *Eisque unà cum Domino Legato Præsidente in certa aulâ domûs S. Leonardi Basileensis, in qua soliti sunt in unum convenire pro tenendis Conciliis ad hæc specialitèr congregatis.* Pro *Conciliis*, Legendum videtur *Consiliis*; quia unicum Concilium legitimum, id nempè de quo agitur, Basileæ congregatum est: nisi fortè nomen *Conciliorum* attributum sit Congregationibus particularibus habitis, ad præparanda Decreta in Sessionibus generalibus proponenda.

Tertia vice Patres Basileenses congregati fuerunt in Ecclesiâ Cathedrali, ut primam Sessionem publicam & generalem celebrarent, quæ indicta fuerat in Domo S. Leonardi: *Prima Sacri Concilii Basileensis sessio celebretur in Ecclesiâ Cathedrali Civitatis hujus Basileensis.* p. 461. Reliquæ sessiones habitæ paritèr fuerunt in eâdem Ecclesiâ, quod cognoscitur, ut plurimùm, ex data, quâ singulæ Actiones clauduntur, ubi expresè fertur, eas habitas fuisse in majori Ecclesia Basileensi. *Ut plurimùm*, inquam, ideò quòd in nonnullis id observetur initio Sessionis. Talis est, præ cæteris, XXVIII. ubi præterea dicitur, id fieri juxtà consuetudinem; *in majori Ecclesiâ Basileensi, in quâ sessiones præsentis Sacrosanctæ generalis Synodi Basileensis celebrari solent.* Talis est etiam *Sessio X.* nisi quod, in hâc, prædicta observatio reperitur in fine & in principio, cum hoc tamen discrimine, quòd initio dicatur, sessionem habitam fuisse in Navi Ecclesiæ, in fine autem simpliciter dicitur, in Ecclesia.

Extra dubium est, Concilium *Ferrariense* habitum fuisse in Ecclesiâ, ex quo Græci ad Synodum convenerunt: nam Author Actorum hujus Concilii in formam Dialogi redactorum, id disertè dicit; atque observat ordinem sessionis, nempè Latus dextrum, in quo Sedes Pontificalis collocata erat, assignatum fuisse Latinis, sinistrum verò Græcis: *Fuerant pro generali Concilio Sedilia in medio Ferrariensis Ecclesiæ primitùs ordinata; Dextera pars Ecclesiæ, ubi Summi Pontificis erat sedes, Latinis, sinistra Græcis, dispositæ sunt. Inter Papæ Tribunal & Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinales, sedes erat pro Romanorum Imperatore, etsi absente, præordinata,* CONCIL. *Tom. XIII. Collat.* 1. *p.* 905.

Idem observatum fuit in Concilio à Ferrariâ *Florentiam* translato, ut colligitur ex his verbis: *primò in Conventu Florentiæ convenientibus cunctis ordine & modo, quo Ferrariæ relatum est.*

Denique, ex Præfatione sessionum Concilii *Tridentini* facilè probatur, Concilium habitum fuisse, in Cathedrali Ecclesiâ Tridenti; nàm in 2. 4. 5. cernitur, Ecclesiam, in qua Missa celebrata fuerat, dici locum Sessionis; *Celebravit Missam de*

Spiritu Sancto in Ecclesia Cathedrali, & loco sessionis. In 6. leguntur hæc verba, *in Ecclesia Cathedrali, in loco eminentiori ipsius Ecclesiæ, ad Concilium celebrandum & sessiones habendas deputato.* Eadem verba leguntur in Præfatione *Sessionis* VII.

In Sessione XI. postquam dictum fuit, eam in Ecclesia Cathedrali fuisse habitam, adjicitur circumstantia in præcedentibus omissa; nempè, Ecclesiam hanc sub Titulo Sancti *Vigilii* dicatam esse. In Ecclesia Cathedrali *Sancti Vigilii Civitatis Tridentinæ, in qua celebrarunt primam sessionem.* Sessio XI. dicitur hic *prima*: quia prima est sub JULIO III. in sessionibus sequentibus omittitur locus immediatus celebrationis; nam illum indicare supervacaneum fuisset, postquàm sessionibus VII. & VIII. dictum fuerat, esse in Ecclesia Cathedrali Tridenti, locum eminentiorem Concilio deputatum.

SECTIO V.

Notæ Historicæ circa TEMPUS *celebrationis Conciliorum Generalium.*

PLura observanda essent circà Tempus celebrationis Conciliorum Generalium, quorum nonnulla jam delibata sunt; reliqua ita facilia inventu, ut indicare sufficiat loca unde illa petenda sint. Præcipua capita sunt: 1. Sub quibus Principibus & Imperatoribus, & Regibus. 2. Sub quibus Pontificibus. 3. Quo Sæculo, quo anno, quo Mense, quo Die. 4. Quando absoluta fuerint: 5. An interrupta fuerint, 6. Quanto intervallo.

Porrò: Saltem ex parte tractavimus primum & secundum caput in Notis circà convocationem; nam, observando quis Imperator, quis Pontifex, Concilium convocaverit, adverti potuit sub quo Imperatore, & Pontifice, illud fuerit celebratum. Quoad sæculum celebrationis illud observatum fuit ergà insigniora, in 3. numero *Observationum* Generalium, ubi diximus, quinque vel sex esse Sæcula, in quibus singulis plura extiterunt Concilia Generalia & Sæcula nec non Concilia indicavimus. Quoad Annum, Mensem, & Diem, dicimus, facillimum esse cognoscere Annum celebrationis singulorum Conciliorum, quia plura sunt genera Indicum Conciliorum, in quibus hæc circumstantia, nec non Principis & Pontificis, atque etiam loci indicatur, quæque vulgatissima sunt. Quantum ad Mensem & Diem, hi parvam attentionem merentur, quoad propositum nostrum, in quo intendimus observare discrima graviora Conciliorum Generalium.

Unicum est Concilium Generale cujus celebratio intermissa fuit, nempè Tridentinum; idque bis: *primò*, ab anno MDXLVII. 14. *Sept.* ad MDLV. 1. *Maii. secundò*, à MDLII. 27. *Aprilis*, ad MDLX. 24. *Februarii.*

SECTIO VI.

Notæ Historicæ circa PRÆSIDENTIAM.

HIc præsessionem sub verbo generali *præsidentiæ* complectimur, observabimusque, non solùm quis primam sedem in Conciliis Generalibus obtinuerit, sed etiam quis ordo servatus fuerit in consessu reliquarum personarum, quæ ibi convenerunt.

Quantum ad præsidentiam, specialiter sumptam, attinet, constat, Pontificem præsediisse in omnibus Conciliis Generalibus, quibus ipse interfuit; itaque, cum plerisque Conciliis Generalibus Occidentalibus interfuerit, certum est, eum plerisque Conciliorum Occidentalium præsediisse. Et quidem in Occidente XIII. ad summum, Concilia Generalia habita fuerunt. Scilicet, *quinque* in Ædibus Lateranensibus: *Duo* Lugduni: *Unum* Viennæ: *Unum* Pisis: *Unum* Constantiæ: *Unum* Basileæ: *Unum* Florentiæ: *Unum* Tridenti. Ipse autem Pontifex interfuit quinque Lateranensibus, Duplici Lugdunensi, unico Viennensi, & unico Florentino ac proindè, *novem.* Supersunt igitur *quatuor*, à quibus abfuit: à quibus tamen excipienda sunt, principium Concilii Constantiensis, cui JOANNES XXIII. adfuit, & finis ejusdem, cui MARTINUS V. interfuit.

Quoad reliqua Concilia, certum, est Pontificem nullo modo interfuisse Concilio Pisano, neque per se, neque per Legatos; adfuisse autem, & præsedisse, per Legatos, omnibus sessionibus Concilii Tridentini: quoad verò Concilium Basileense, Legatos Pontificis non adfuisse nisi quibusdam sessionibus, cum eos revocaverit, quoties dissolvit, aut transtulit Concilium, qua durante dissolutione, aut translatione, plures habitæ fuerunt sessiones, quibus antiquiorem Cardinalem præsediisse, (si tamen aliquis remansit) probabile est, vel eorum defectu antiquiorem Archiepiscopum, vel Episcopum, eorum qui aderant, juxta ordinationem factam à Concilio in sessione XVII. in qua videtur imitatum fuisse Concilium Pisanum, cui Cardinalis antiquior præsederat, ut colligi potest ex eo quod instrumentum convocationis à Cardinalibus confectum, Cardinalis antiquior subscripserit primus, idemque recenseatur primus eorum, qui Concilio interfuerunt, in Indice sub finem ejusdem Concilii confecto.

Prætermittimus hîc Concilium *Senense*, Cui Pontifex interfuit, per nuntios. Licèt enim Conciliis Generalibus annumeretur, tam pauca gessit, ut, circa illud immorari superfluum sit.

Et hæc dicenda erant, circà præsidentiam in Conciliis Generalibus Occidentis strictè sumptam. Omitto jura præsidentiæ in eo sita, quòd Præses sententiam aperiat primus, item subscribat; quia nihil circà hoc observatione dignum. Secus est de jure exclusivo proponendi res, & quæstiones discutiendas, Præsidibus Tridentinis attributo: ejus enim novitas illud notabile fecit; cum omninò inauditum fuisset ante *sess.* XVII. An. 1562. quæ prima habet clausulam, *proponentibus legatis.*

Quoad *ordinem* observatum in consessu Conciliorum Generalium, plura reperiuntur statuta, circa hunc confecta, in ejusmodi Conciliis, mox referenda, postquam observaverimus, Concilium Constantiense, in Decreto circa modum celebrandæ sessionis publicæ, velle, ut, per Missam, Prælati sedeant pro dignitatibus, & prærogativis suis. In actis Concilii Ferrariensis, unum est statutum ferens 1. Ut Patriarchæ gradum habeant, pro sedium suarum dignitate (hæc determinatur à Concilio Latranensi IV. in Canone *cap. 23. de Privilegiis* relato.) 2. Ut Archiepiscopi & Episcopi sedeant, pro tempore promotionis suæ, exceptis iis, qui Principum Legati sunt, eâque de causâ cæteros quoscunque præcedent, atque inter se gradum Principi, cujus personam gerunt, debitum obtinebunt.

3. Ut Episcopi electi & confirmati sequantur. Credibile est, eos inter se distinctos fuisse ex tempore confirmationis suæ. 4. Abbates Generales, vel qui plures Abbates jurisdictioni suæ subditos habent, ex ordine sedebunt, & ante alios omnes Abbates, quamvis eorum Benedictio recentior sit quàm Abbatum particularium, ad exemplum Archiepiscoporum, qui ante omnes Episcopos, licèt antiquiùs consecratos, sedent. 5. Abbates particulares sedebunt pro tempore Benedictionis suæ. 6. Legati, non Episcopi, & Laici cujuscumque ordinis aut dignitatis non sedebunt nisi in medio Navis, ante gradus Tribunalis, dextrorsùm, & sinistrorsùm, juxtà consuetum in aliis Conciliis ordinem. 7. Protonotarii, Auditor, seu Judex disceptationum, & Corrector, sedebunt, prout

prout in aliis Conciliis ; nempè , in gradibus Superioribus Tribunalis ; quod si intendant præcedere Episcopos , atque etiam Archiepiscopos , in Concilio , vel alibi , Pontifex auditis partibus jus dicet. 8. Generales Ordinum Mendicantium, Deputati Universitatum , Subdiaconi , Auditores Palatii , Auditor cameræ , Clerici cameræ Apostolicæ, Advocati Consistoriales, Procuratores, seu Deputati Episcoporum, & aliorum Prælatorum absentium, Deputati Capitulorum, Doctores, & Licentiati, sedem habebunt, quam in sessionibus Conciliorum Constantiensis & Basileensis obtinuerunt; & nihilominùs Pontifex, decernet, ut sedes, quàm quis in Concilio occupabit, nemini officiat, aut proficiat, CONC. *Tom.* XIII. *p.* 888.

In Concilio *Florentino*, Episcopi Legati Ducis Burgundiæ, & Brabantiæ, primum locum obtinuerunt inter meros Episcopos, post Patriarchas, Primates, & Metropolitanos; & Archidiaconus, Legatus ejusdem, sedem habuit, post plerosque Episcopos. Consule subscriptiones, CONC. *Tom.* XIII. *p.* 519.

Acta Conciliorum Constantiensis, & Basileensis, mentionem expressam non faciunt sessionis, circà quam Concilium Ferrariense remittit ad utrumque Concilium : nihilo magis continent opiniones, & subscriptiones Patrum, aut aliquem indicem eorum, qui interfuerunt, ex quibus colligi potuisset ordo sessionis.

Historia Concilii Basileensis à PATRICIO, Senensi, scripta, loquens de ordine in publicis sessionibus observato, dicit duntaxat, Generales Ordinum, Magistros, Doctores, alios Graduatos, & Presbyteros, sedisse post Legatos, singulos Ordine suo *cap.* 45. CONC. *Tom.* XIII. *p.* 615.

Undè fit, ut cognosci nequeat, quis fuerit ordo sessionis ejus generis Personarum, in Conciliis Constantiensi & Basileensi, nisi recurrendo ad Acta Concilii Pisani, immediatè antè Concilium Constantiense habiti, in quibus videtur Index, sive Series Personarum, quæ interfuerunt. Credibile autem est, in eo servatum fuisse ordinem sessionis præsertim, si attendatur locus datus Cardinalibus, qui antè reliquos ponuntur, pro ordine dignitatis Episcopalis, aut Sacerdotalis, aut Diaconalis. Post Cardinales, veniunt Legati Principum; tùm Patriarchæ, qui per se ipsos interfuêre; tùm Protonotarii; sequuntur Archiepiscopi, Episcopi, Abbates Generales Ordinum, Ministri Provinciales, Commendatarii Ordinum Militarium, Priores & Procuratores Generales Ordinum, Priores Conventuates & non Conventuales, Universitates, Procuratores Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Priorum, Monasteriorum, Ecclesiarum Angliæ, Capitulorum, Urbium, & Diœceseon, Provinciarum, Communitatum.

Aliud reperitur statututum circà sessionem in Actis Concilii *Tridentini*, propositumque in *Brevi* Pii IV. Pontificis occasione sumpta ex eo quòd Primates locum distinctum postulabant. Fert illud, posthabitâ hâc pretentione, triplicem duntaxat Prælatorum classem constituendam esse; nempè, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum : Prælatos autem uniuscujusque classis processuros, & sessuros, pro tempore Promotionis suæ, CONCIL. *Tom.* XIV. *p.* 839. 840.

Discutiendum superest, quis in Conciliis Generalibus Orientalibus præsederit, & quis ordo sessionis fuerit : circà quod observandum est, nihil circà hæc duo capita certi superesse, quoad Concilium *Nicænum* I. & Concilium *Constantinopolitanum* I. ideò, quòd Actis eorum Conciliorum careamus. Quoad Præsidentiam in Concilio Nicæno, vulgò hæc tribuitur OSIO, Cordubensi Episcopo sed ambigitur quem ob titulum, aliis dicentibus, illum hoc honore potitum fuisse, quatenùs Legatum sedis Apostolicæ ; sed nullum est istius legationis vestigium, Putant alii hoc factum fuisse, ob virtutem ejus, scientiam, & experientiam singulares, nec non grandævitatem, quæ ipsi magnam venerationem conciliabat. Si fides haberi posset subscriptionibus hujus Concilii, quæ leguntur CONCIL. *Tom.* II. *p.* 50. *ad* 54. & in *Bibliothecâ* JUSTELLI, *p.* 286. indè concluderetur, Episcopos in eo sedisse, secundùm Ordinem suæ Provinciæ. Idem inferre licet ex subscriptionibus *Constantinopolitani* I. quoad sessionem eorum, qui illi interfuerunt, modò tamen fide dignæ sint : Item *Nectarium* in eo, præsedisse, cùm primus omnium scribatur ; sed hoc Præsidentiæ caput subscriptiones suspectas facit ; quia certum est *sanctum Gregorium Nazianzenum* præsedisse, cùm Nectarius, non nisi post subscriptiones Patrum, electus fuerit. Idem est de subscriptionibus Episcoporum Egypti, qui ad Concilium non advenerunt, nisi perfectâ jam subscriptione. Factum utrumque discimus à *Gregorio* in ejus vitâ, ab ipso carmine scripta subscriptiones hujus Concilii in *Bibliothecâ* JUSTELLI *p.* 301. insignem gerunt falsitatis notam : nempè, iis, qui hoc Concilium subscripsêre, annumerantur tres Legati S. LEONIS, Pontificis, ad Concilium *Calcedonense* LXX. annis post celebratum, nempè, ann. 451. Constantinopolitanum an. 381. habitum fuit. Eædem subscriptiones referuntur *Tom.* II. CONCIL. *p.* 959. 957.

Quoad reliqua sex Concilia Generalia Orientalia, ex eorum Actis certò cognoscitur, quis illis præsederit, quisque sedendi ordo fuerit. Utque ab antiquissimo eorum, *Ephesino*, ordiar, in plerisque VII. Actionum ejus, cernitur, Sanctum *Cyrillum*, Patriarcham Alexandrinum, præsedisse; nàm, perpetuò primus eorum, qui interfuerunt, reperitur; item, primus subscripsit sententiam depositionis contra *Nestorium* à Concilio latam, & definitionem Concilii, *pag.* 445. 533. 610. 635. 646. 671. 689. Præterea, loca laudata docent, *Cyrillum* suo nomine præsedisse, nec non Pontificio : fidem faciunt hæc verba, quæ leguntur *p.* 445. 610. 635. *Qui & Cælestini quoque sanctissimi, sacratissimique Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat.*

Nec objiciendum est, *S. Cyrillum* nunquam assumere qualitatem Legati Pontificii, dùm alii, quos Pontifex eo nomine miserat, nunquàm prætermittunt illam qualitatem : item, *Cyrillum* suo tantùm nomine subscribere sententiam depositionis contra *Nestorium* latam, ipsamque definitionem Concilii; denique, *Cyrillum* se à Legatis Pontificis secernere *p.* 646. Act. V. Nam 1. sententia contra *Nestorium* lata fuit Actione 1. cujus initio legitur *S. Cyrillum* obtinuisse locum *Cælestini*, Pontificis 2. definitio prædicta condita fuit in Actione, cujus principio similis formula reperitur. 3. cum se *Cyrillus* ab aliis Legatis Pontificis distinguit, loquitur de iis, quos miserat Pontifex, è quorum numero non erat.

Eadem loca suprà laudata ostendunt quoque, Patres Concilii in eo sedisse ex ordine dignitatis suæ : nam, in Catalogo, qui primæ Actioni præfigitur, in sententiâ contrà *Nestorium* latâ, & in subscriptionibus definitionis fidei, Legati Pontificis sunt in principio, tùm Patriarchæ, deinceps Primates, deindè Archiepiscopi, posteà Episcopi, denique Sacerdotes & Diaconi : Et quidem Catalogus incipit à *Cyrillo* Alexandrino, qui primus, tunc erat Patriarcha, &, præterea, Legatus Pontificis ; hunc sequitur *Juvenalis*, Patriarcha Hierosolimitanus, cui succedit *Mennon*, Primas Ephesi, post quem veniunt plures Metropolitani. Denique, Catalogus clauditur per *Bessulam*, Diaconum Ecclesiæ Carthaginensis.

Omittendum non est, Legatorum sedis Apostolicæ à Româ missorum nomina non reperiri in prædicto Catalogo, neque in subscriptionibus sententiæ depositionis contrà *Nestorium*, quod profectò venit, ex eo quòd illi nondùm advenerant. Adjiciendum est, in subscriptionibus definitionis eos non subscripsisse consecutivè ; nam *Juvenalis*, Patriarcha Hierosol. subscribit inter Legatos Episcopos *Ariadium*

& *Projectum*, & *Flavianus*, Metropolitanus Philippensis, inter eundem *Projectum*, & Legatum Presbiterum, *Philippum* nomine.

Hæc ultima observatio eò majori attentione digna est, quòd deinceps patebit, omnes Legatos sedis Apostolicæ semper conjungi in enumeratione Patrum Concilii, & in subscriptionibus. Ejus facti probationes existunt in singulis Actionibus Concilii *Calcedonensis*; nam Catalogus assistentium, qui illic videtur, incipit ordinariè à tribus Legatis Sanctæ Sedis, duobus Episcopis, & uno Presbytero. Sunt autem Actiones *sexdecim*. In nonnullis Actionibus extant subscriptiones; omnes autem incipiunt à subscriptionibus Legatorum. Hi Catalogi & subscriptiones totidem suppeditant argumenta, quibus probetur, Legatos Pontificios huic Concilio præsedisse.

In utrisque, præterea, reperitur, undè inferatur, sessionem ordinatam fuisse juxtà dignitatem sedium; nam Patriarchæ nuncupantur, aut subscribunt, immediatè post Legatos: tres autem Primates Orientis, *Heraclea*, Macedoniæ, *Cæsarea* Cappadociæ, & *Ephesus*, nuncupantur deinceps & subscribunt; post quos sequuntur nomina, aut subscriptiones Prælatorum, qui tunc Metropolibus præcipuis præerant. Quod si objiciatur, in locis laudatis, infrà plures Metropolitanos, reperiri Prælatum nomine *Julianum*, Episcopum *Coæ*, qui se dicit Legatum Sanctæ Sedis veteris Romæ à *Leone* occupatæ: respondemus, credibile esse, hunc Prælatum fuisse Legatum *Honorarium* duntaxat; hunc autem honorem illi competivisse, ex eò quòd nonnulli Prædecessorum ejus Vicarii Apostolici fuerant. Quod si adjiciatur, in fine Actionis XV. reperiri Catalogum Prælatorum, qui Concilio interfuerunt, in quo disponuntur per Provincias: Respondemus, hunc Catalogum nobis videri opus ab aliquo privato, ob suam utilitatem compilatum, ex subscriptionibus Patrum Concilii, prout dispositæ videntur in aliis Actionibus; quin imò, compilatio non est accurata.: nam, quartus additur Legatus Apostolicæ Sedis, dictus *Leo*, Sacerdos Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, qui ab illis subscriptionibus abest, duo ponuntur Episcopi Africani, *Valerianus*, Bassianensis, *Valerianus*, Afrus, qui non sunt in iisdem subscriptionibus; duo nempè *Aurelius*, & *Rusticianus*, omittuntur, qui reperiuntur inter Subscriptores. Idem est de hoc Catalogo, ac de eo, qui legitur in *Bibliothecâ* JUSTELLI. *p.* 300. in quo multa deficiunt, &, præ cæteris, nomina Patriarcharum Alexandriæ, Antiochiæ, & Jerusalem, nec non Episcoporum Afrorum, quos modo retuli. Ordo subscriptionum in utroque mirè discrepat à dispositione, quæ in aliis Actionibus Concilii observatur. tur.

In Singulis Collationibus *Quinti* Concilii Generalis, sive *Constantinop.* II. cernitur, Patriarcham hujus Urbis ipsi præsedisse; nam primus omnium Patrum scribitur, in principio singularum. Idem videtur in fine 8. seu ultimæ, ubi subscriptiones referuntur, nam subscriptio Patriarchæ omnium prima est, *Conc. Tom.* V. hic autem Patriarcha præfuit huic Concilio, quia *Vigilius* Pontifex, neque ipse, neque per Legatos, interesse voluit. Quantùm ad ordinem sessionis aliorum Prælatorum attinet, ille idem videtur fuisse, ac in Conciliis præcedentibus; nam reliqui Patriarchæ nuncupantur, aut subscribunt, juxtà gradum Sedis suæ, etiam in persona Legatorum suorum. Ultima hæc circumstantia colligitur, ex eo quòd tres Episcopi ab *Eustochio*, Patriarcha Jerusalem, deputati nuncupantur, aut subscribunt, immediatè post Antiochenum Patriarcham.

Est aliquid singulare in *sexto* Concilio Generali, circà præsidentiam; nimirùm, in principio singularum XVIII. Actionum ejus, dicitur, Imperatorem *Constantinum Pogonatum* præfuisse; *præsidente Piissimo Imperatore*: at in enumeratione sequenti Episcoporum, qui conventuri erant, primi omnium referuntur tres Legati *Agathonis*, Pontificis, quorum duo Sacerdotes, alter Diaconus, erant. Idem in subscriptionibus videtur; imò, Imperator non subscripsit definitionem à Concilio factam; nisi rogatus, & post omnes Episcopos, etiam eos, qui ob perduellionem, cujus falsò postulabantur, à subscriptione excluſi fuerant, quibus tamen innocentiam eorum testatus, suum honorem restituit. Ad exponendam singularitatem hanc, observandum est, utramque potestatem spiritualem & temporalem concurrere debere in Conciliis, temporalem, ad ordinem conservandum, impediendum tumultum, continendos in officio hæreticos, similesve personas; &, quoad hos omnes effectus, Imperator semper Conciliis Orientalibus præfuit, aut ipse, aut per Magistratus à se missos; sed Concilium hoc *sextum* unicum est, quod hujus præsidentiæ meminerit. In aliis hoc significatur seu innuitur, in Actis referendo, vel ipsam Imperatoris Personam, vel Magistratus ab eo missos, Concilio interfuisse. Auctoritas Spiritualis necessaria est quoque in Conciliis, ad Definitiones, seu Decreta Spiritualia, &, quoad hos effectus, præsidentia in Conciliis Generalibus pertinet ad Caput Ecclesiæ, quam representant.

Si discutiatur ordo subscriptionum, indeque judicium feratur de sessionis ordine, idem hic reperietur, ac in Conciliis præcedentibus; nempè, hic servatur ordo dignitatis sedium; nam Patriarchæ eorumve Legati, gradum Patriarchatui debitum obtinent, Prælati, qui deinceps subscribunt, regebant Ecclesias præcipuas Patriarchatibus inferiores: Tales sunt Thessalonica, Vicariatus Apostolicus Cyprus, quæ se Sanctæ Sedi immediatè subditam esse contendebat. Prælati, qui sequuntur, sunt deputati Concilii Romani CXXV. Episcopis coalescentis, digni proindè, ut ejus Legati honorificè collocarentur.

Imperator *Justinianus Rhinoteros* subscribit primus in Concilio Constantinop. Quinisexto, *Trullano* dicto; sed cum verbis, quæ demonstrant, eum non præfuisse Synodo, ut cum illâ Canones ejus conderet, sed potiùs ut ordini provideret, ejusque Decreta executioni mandaret studio majori, cum sibi conscius foret, omnia ritè gesta fuisse. Et quidem Episcopi subscribunt declarando, se participes esse definitionum Concilii, Imperator subscribit declarando, se consentire Decretis eaque recipere.

Quoad sessionem, idem observatus fuit ordo ac in Conciliis præcedentibus. Prælati dispositi fuerunt pro dignitate sua. Id cernitur in enumeratione, quæ est sub finem *Moniti* Concilio præfixi, & in subscriptionibus. In utroque loco Patriarchæ nuncupantur & subscribunt pro gradu sedi suæ debito; Prælati autem deinceps nuncupati aut subscribentes, ex iis sunt, quorum sedes post Patriarchatus insigniores erant.

Singularitas supra observata in Concilio Generali *sexto* circà Præsidentiam, locum habet aliquatenùs in Concilio Generali VII. ibi enim in actione 8. dicitur, *Irenem* Imperatricem, cum filio suo Imperatore præfuisse. *Itaque propositis Sanctis Evangeliis, præsidente ipsa cum simùl regnante Synodo.* Sed huic soli Actioni præfuerunt, nulla enim præsidentiæ eorum mentio fit in septem Actionibus præcedentibus: imò in illa ipsa Actione, Imperatrix & Imperator post omnes Episcopos subscribunt; in 7. autem Actione Legati *Adriani* Pontificis definitionem Synodi subscribunt primi; & proinde, *Irene* filiusque ejus *Constantinus*, qui huic subscriptioni consenserunt, agnoverunt Pontificem habere jus præsidendi Concilio, tàm per Legatos, quàm per se ipsum.

Cæterum, quoad ordinem sessionis Prælatorum in Concilio, credibile est, eum dignitati respondisse; quia Patriarchæ subscribunt juxtà gradum Patriarchatûs sui, etiam per Legatos; Prælati autem sedium præcipuarum post Patriarchatus deinceps subscribunt. Tales sunt 1. Cæsarea Cappadociæ, 2. Ephesus, 3. Constantia Cypri, 4. Heraclea Thraciæ.

Eadem

Eadem ferè videntur in *Octavo* Concilio Generali circà præsidentiam ut in *Sexto*, & in *Septimo*; nata, in Actionibus 6. 7. 8. dicitur, Imperatorem BASILIUM præfuisse, *præsidente piissimo Imperatore*. Et nihilominùs in his Actionibus, sicut in præcedentibus, & in subsequentibus, Legati Pontificis primi referuntur omnium, qui ad Concilium convenerunt. *Conveniente Sancta Synodo, id est Donato Deo amicissimo Episcopo Ostiensi, & Stephano Deo amicissimo Episcopo, & Marino Reverendissimo Diacono Sanctæ Romanorum Ecclesiæ, locum tenentibus Adriani Sanctissimi Papæ Romani.* Indè enim cognoscitur, eos fuisse primos Concilii Patres, seu primos Prælatorum, qui illud faciebant. Adjice quòd, in subscriptionibus, quæ non minùs præsidentiam, quàm sessionis ordinem probant, hi tres Legati primi subscribunt; deindè Patriarchæ, pro dignitate Sedis suæ, quos sequuntur Imperatores: undè patet, eos non intendisse Concilio præesse, quod etiam patet ex modo, quo subscriptionem suam concipiunt; dicunt enim duntaxat, se Concilium recipere ejusque Definitionibus consentire: *Basilius Constantinop. & Leo perpetui Augusti, in Christo fideles Principes Romanorum, & magni Imperatores, sanctam hanc universalem Synodum suscipientes, & omnibus, quæ ab ipsa definita & scripta sunt, concordantes, subscripsi manu propriâ.* Prælati autem, qui anteà subscripserunt, declarant, se definitionis esse participes; his verbis; *definiens subscripsi.*

Prælati, qui post Imperatores subscribunt, dispositi videntur pro dignitate sedium suarum, sicut Prælati anteriores; nam Metropolitani subscribunt ex ordine, incipiendo ab insignioribus, & deinceps Episcopi: Undè manifestum est, Patres Concilii in eo sedisse secundùm Ordinem dignitatis suæ. Idem videtur in eorumdem Patrum enumeratione, quæ est in capite singularum Actionum; nam disponuntur juxtà dignitatem, Pontifex, Patriarchæ, Metropolitani, Episcopi, sicut in Conciliis præcedentibus, cum hoc unico discrimine, quòd Magistratus & Officiales Imperii collocantur inter Patriarchas & Metropolitanos, quod huic Concilio peculiare est.

Cæterùm, plura sunt Concilia Generalia, quæ, ut occurrerent, vel faciliùs sopirent controversias circà Sessionem, jusserunt, sicut *Ferrariense* suprà laudatum, ut locus ab aliquo occupatus in Concilio, neminis juri officeret. Vide Concilium *Constantiense* SESS. XXII. XXVI. *Basileense* SESS. XI. *Cap.* 16. Concilium *Trident.* SESS. XVI. in Declaratione super Brevi PII IV.

SECTIO VII.

Notæ circà ASSISTENTIAM PER LEGATOS in Conciliis Generalibus.

NUllum est Concilium Generale, cujus Definitiones supersint, in quo non videantur plures Prælati, qui per Procuratorem interfuerunt. Idem videtur in Catalogis personarum, quæ Concilio adfuerunt. Non solùm inferiores Procuratoris munere functi sunt pro Superiore suo; sed Superiores, pro inferioribus. Sæpè etiam Episcopi sibi æqualium Episcoporum Procuratores fuêre. Nec desunt exempla Procuratorum à Prælatis electorum, qui vices suas aliis delegavêre.

Sæpè factum est, ut eadem persona plurium aliorum fuerit Procurator, & vicissim, plures fuerint Legati unius personæ. Procuratoris officium exercuêre, Patriarchæ, Metropolitani, Episcopi, Chorepiscopi, Sacerdotes, & Diaconi. En! hæc sunt capita attentione digna, moxque probanda, circà assistentiam in Concilio, per Procuratorem.

Ex *Octo* Conciliis Generalibus, in Oriente habitis, *sex* sunt solùm, quorum existant subscriptiones authenticæ: nempè *sex* posteriora. His in Conciliis, per Legatos interfuit solùm Pontifex, vel non interfuit omninò. Utrumque indicatum fuit in *Notis* circà Præsidentiam; ibi enim dictum fuit, Pontificem nec per se ipsum, neque per alium adfuisse in Concilio Generali V. aliis autem Conciliis Generalibus præfuisse, per Legatos suos. Quoad alia duo Concilia Orientis, primum & secundum, quorum subscriptiones supposititiæ, aut saltem suspectæ sunt. Historici docent, Pontificem interfuisse Concilio *Nicæno*, per duos Legatos, *Vitum*, & *Vicentium*, qui Sacerdotes erant tantùm. In subscriptionibus Concilii *Constantinop. I.* videtur, plures Episcopos, ipsi, per procuratores Presbyteros interfuisse. Duo reperiuntur in Provinciâ Cælesiriæ, *Flavianus* & *Elpidius*, Presbyteri Antiochiæ: unus in Cilicia *Alipius*; unus in Isauriâ, *Paulus*. Duo in Pisidia *Simplicius* & *Bassus*: unus in Phrigia Pacatiana, *Theodorus*.

Subscriptiones Concilii *Ephesini* fidem faciunt, aliquot Episcopos illud subscripsisse, per Sacerdotes, *Berecianus Episcopus Pergæ Metropolis subscripsi, per Timotheum Presbyterum.* Alii, per alios Episcopos subscripsêre, *Olimpius Episcopus Claudiopolis subscripsi per Episcopum Epiphanium & Theosebium.* Alii, per suum Notarium, seu Amanuensem; *Venantius Episcopus Hierapolis per Notarium meum Theodorum.* Alii, per suum Archidiaconum; *Theodorus Episcopus Gaddatorum, manu Æterii, Archidiaconi.* Alii, per Diaconum: *Bessula, Diaconus Ecclesiæ Carthaginensis subscripsi.* Probabile est, hunc Diaconum fuisse Legatum Episcopi Carthaginensis. Eædem subscriptiones docent, Pontificem interfuisse Concilio per tres Legatos, duos Episcopos, & unum Presbyterum.

In sententiis Patrum, in prima Actione relatis, videtur, *Flavianum*, Episcopum Philipporum, loqui nomine Episcopi Thessalonicensis, & omnium Prælatorum Illyriæ. Episcopus Cerasumtes loquitur pro Metropolitano Cæsareæ, declarando, id sibi mandatum fuisse.

In subscriptionibus Concilii Calcedonensis, videtur, plures Episcopos ipsi adfuisse, per procurationem Metropolitano suo datam. Quatuor fuêre è Provincia Tyri, qui hoc modo adfuerunt: Sex ex Metropoli Cyzici; Quinque è Provinciâ Hierapoleos, & undecim ex Metropoli Laodicena. Ibi cernitur prætereà, quinque, sexve Episcopos huic Concilio adfuisse per alios Episcopos, aut saltem subscripsisse ejus definitiones, per eorum Ministerium. Tales sunt 1. Episcopus Apamiæ è Syria, 2. Episcopus Epiphaniæ; uterque per *Meletium*, Episcopum Larissæ, 3. Episcopus Rhodi, 4. Episcopus Aretusæ, 5. Episcopus Seleucobel. 6. Episcopus Mopsuestæ. Nonnulli adfuêre, seu subscripsêre per Presbyteros. Tales sunt 1. Metropolitanus Claudiopoleos. 2. Episcopus Halicarnassiæ, 3. Episcopus Thrænades, 4. Episcopus Pompeiopoleos. 5. Episcopus Amistrideæ. Reperiuntur qui, per Archidiaconum suum adfuerint, seu subscripserint. Talis est Episcopus Pisinuntes, per *Photinum* subscribens. Alii per Chorepiscopum suum. Talis est Episcopus Abilæ, qui per *Paternium* Chorepiscopum adfuit: Episcopus Lesbis, per *Evelpistum*, Chorepiscopum suum. CONC. *Tom. IV. p.* 797. Hos inter Subscriptores, Legati Pontificis non reperiuntur. Tres autem fuêre: duo Episcopi, unusque Presbyter. Subscriptiones eorum reperiuntur inter eas, quæ merè Latinæ sunt, & per Provincias dispositæ: quatuor autem hîc numerantur, adjecto Presbytero uno *p.* 786. In Suffragiis, seu sententiis Patrum, quædam sunt, per Sacerdotes Episcopi sui locum tenentes, data: unum extat, in Actione III. *pag.* 436.

In subscriptionibus *Quinti* Concilii Generalis multa occurrunt exempla Episcoporum, qui Concilio per alios Episcopos, Procuratores suos, interfuerunt, eosque inter plures sunt Metropolitani, qui per Suffraganeos suos adfuerunt. Tales sunt Thessalonicensis, Carthaginensis, Ancyranus, & Cyzicenus: unus Patriarcha; nempè Hierosolymitanus, per tres è Suffraganeis suis interfuit, Episcopus Tuneti Episcopi Carthaginensis nomine, nec non Concilii suæ Provinciæ, adfuit, ut expressè dicit.

Subscriptiones *Sexti* Concilii Generalis similia exempla suppeditant Episcoporum, qui Concilio, per alios Episcopos, interfuerunt: nam, præter quatuor, vel quinque Episcopos, qui Concilio huic adfuerunt, nomine CXXV. Prælatorum, è quibus Concilium *Romanum* constabat, Episcopus Buratensis adfuit, pro Metropolitano Iconensi. Verùm aliquid notabilius est in his subscriptionibus. 1. Pontifex *Agatho*, per duos Sacerdotes, & unum Diaconum interfuit. 2. Patriarcha Alexandrinus, per unum Presbyterum interfuit. 3. Similiter Hierosolymitanus Presbytero usus est: quo in Legato id singulare est, quòd à Vicario Patriarchæ missus fuerat. 4. Sacerdos unus locum tenet Archiepiscopi Ravennatis. 5. Diaconus Amastriensis Episcopi sui Legatus est.

Nec pauciora, in Concilii Generalis subscriptionibus, existunt exempla Episcoporum, qui Conciliis Generalibus, per Procuratores interfuêre: verùm discrepant à præcedentibus. Hîc enim videmus, quinque Diaconos Episcoporum suorum Legatos, & decem, duodecimve Presbyteros, ab aliis Episcopis, ad idem officium missos. Porrò, in Conciliis præcedentibus, pauci sunt Presbyteri delegati & pauciores Diaconi, plures autem Procuratores ex Episcoporum numero sumpti sunt. Præter has res, est aliquid notabile in subscriptionibus VII. Concilii Generalis: nam Pontifex mittit Abbatem cum Presbytero, Procuratorum nomine, quod hucusque non vidimus; tres Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus eosdem Legatos mittunt, qui sunt Presbyteri Monachi.

Si Concilium Generale VIII. conferatur cum præcedentibus, quorum subscriptiones authenticæ extant, nullum est, cui pauciores Prælati per Procuratores interfint: soli enim Pontifex & tres Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus hoc modo interfuerunt. Pontifex duos misit Episcopos, & unum Diaconum; Patriarcha Alexandrinus, unum Diaconum: Patriarcha Antiochenus Metropolitanum Tyri: Hierosolymitanus, Presbyterum.

Priusquàm ad Concilia Occidentis deveniam, observari necesse est, quòd in plerisque utriusque Regionis, existunt probationes assistentiæ Imperatorum & Principum per Procuratores: nam perrarò ipsi convenerunt, & multò rariùs per se ipsos omnibus Sessionibus interfuêre: undè factum est, ut, loquendo de præsidentia, notaverimus, tria solummodò esse Concilia, in quibus dicitur, Imperatorem præfuisse; id autem dicitur de aliquot Sessionibus duntaxat. Porrò, si omnibus Conciliis, omnibusque eorum Sessionibus adfuisset Imperator, præfuisset ipsis pariter, idque expressè commemoratum fuisset, ut major authoritas temporalis Concilio tribueretur. Quoad Concilia Generalia Occidentalia, duo sunt, quibus Imperatores per se ipsos adfuerunt, *Constantiense & Florentinum*; imò *Sigismundus* Imperator non adfuit hoc modo Constantiensi, per totum tempus celebrationis ejus; sed sæpiùs per Legatos suos, qualiter cæteri Principes huic Concilio, & aliis præcedentibus ejusdem Regionis interfuerunt.

Est etiam notabile quòd, cùm in Actis Conciliorum Orientalium aliquot existant exempla Conciliorum Particularium, quæ ad Concilia Generalia delegaverunt; similiter Acta Conciliorum Occidentalium, plures suppeditant probationes Legationum ad hæc Concilia missarum, per Capitula Ecclesiarum Cathedralium, aliave Collegia Ecclesiastica.

Præterea, observandum est, triplex esse Instrumentorum sive Actorum genus; ex quibus dignosci potest, an ii, qui Conciliis Generalibus interesse tenentur, id fecerint per Procuratorem. 1. Bullæ convocationis, quæ præcipiendo assistentiam, excipiunt eos, qui legitimo impedimento detinentur, quibus jubent, ut Legatum mittant. 2. Catalogi eorum, qui Concilio interfuerunt, in quibus distingui solent ii, qui per seipsos adfuerunt, ab iis, qui Procuratores misêre. 3. Subscriptiones, in quibus ii, qui alienam personam gerunt, id expressè significant. Hâc ultimâ ratione, patuit quòd in omnibus Conciliis Orientalibus exiterint Prælati, qui per Procuratores convenêre, & quinam sint hi Prælati, & quinam Procuratores; quia subscriptiones illorum Conciliorum sedulò conservatæ fuerunt: at, propter contrariam rationem, similia facta disci nequeunt ex subscriptionibus Conciliorum Occidentalium, quæ periêre excepto Concilio *Florentino*, si ex LABBÆI Collectione judicium feramus. Quantum ad Bullas Indictionis attinet, indè peti non possunt hæc facta quoad Concilia Orientalia; quia nullæ sunt, & quoad Concilia Occidentalia nihil suppeditare valent, nisi post Concil. *Lateranense IV.* nam primum illud est, cujus Epistolæ convocatoriæ mentionem faciunt assistentiæ per Procuratorem; *& tam illi quàm alii, qui canonicâ forte præpeditione detenti personaliter venire nequiverint, idoneos pro se dirigant responsales* CONCIL. *Tom. XI. p.* 124. Quod venit ex eo, quòd nullæ sunt Epistolæ convocatoriæ 1. nec 2. & convocatoriæ 3. ad solos Episcopos Etruriæ inscribuntur, qui ob propinquitatem facilè ad Concilium convenire poterant.

Sed, post Concilium *Lateran. IV.* pleraque Concilia Generalia per Bullas fuêre indicta, quæ mentionem facere solent potestatis assistendi per Procuratorem, in casu impedimenti; quæ autem illam omittunt, illud faciunt, quia ea juris est, quæ subauditur, etiamsi non exprimatur. Epistola convocationis *primi* Concilii Lugdunensis, Archiepiscopo Senonensi inscripta, & probabiliter ad alios Archiepiscopos transmissa, mentionem facit assistentiæ per Procuratorem, quoad Capitula; *Innocentius IV.* ejus est author. Idem, in Epistola ad Regem Galliæ, eâdem de causâ, illum rogat, ut aliquem suo nomine mittat ad Concilium. Credibile est, eandem Epistolam, ad alios Principes transmissam fuisse,

Similes existunt probationes, in Actis 2. Concilii *Lugdunensis*. De licentia assistendi per Procuratorem in casu impedimenti expressus fit sermo, in Epistola *Gregorii X.* ad Patriarcham Hierosolymitanum, omnesque Prælatos districtûs ejus, in quâ jubet, ut ii, qui remanebunt in Provinciâ, ad obeunda munera Episcopalia, pro se, atque aliis, delegent Procuratores: similiterque faciant ii, qui legitimo impedimento præpedientur, nec non & Capitula; quia non possunt venire ad Concilium.

Credibile est, similes Epistolas ad alios Prælatos, Prælatorum Superiores, transmissas fuisse. De assistentia per Procuratorem, par fit sermo, in Epistolâ ejusdem Pontificis ad Imperatorem MICHAELEM *Paleologum*, circà idem Concilium, in qua hunc rogat, ut mittat Legatos, nisi ipse conveniat.

Quod observatum fuit in Epistola *Gregorii X.* ad Patriarcham Hierosolymitanum, adverti quoque potest in Epistola CLEMENTIS V. ad PHILIPPUM *Pulchrum*, ad convocationem Concilii Viennensis; Pontifex expressè dicit, Episcopos, qui remanebunt, ut munera Episcopalia exerceant, & eos, qui legitimo obstaculo impedientur, mittere debere Legatos, sicut Capitula, CONCIL. *Tom. XI. part. 2. p.* 1543.

Cardinales scribendo ad BENEDICTUM XIII. eumque rogantes, ut in Concilio, quod convocabant, conveniret, excipiunt casum legitimi impedimenti, qui si acciderit, cupiunt, ut Procuratores mittat, CONC. *Tom. XI. part. 2. p.* 2116.

JOANNES XXIII. in Bulla convocationis Concilii Constantiensis, invitat omnes jus assistendi Concilio Generali habentes, ut Constantiam conveniant, sive per se ipsos, posito quòd valeant, sive per Procuratorem, in casu impedimenti, CONC. *Tom. XII. p.* 12.

IULIUS II. prorogando tempus 1. Sessionis *Quinti* Concilii Lateranensis, jubet, ut ii, qui tenentur interesse Concilio Generali, huic assistant seu per se ipsos, seu per Procuratorem, si legitimè impediantur, CONCIL. *Tom. XIV. p.* 43.

Eadem

Eadem res videtur in Bulla indictionis Concilii Tridentini à *Paulo III. p.* 731. & in Bullâ *Pii IV. Seſſ.* 16. *p.* 837. In his omnibus Bullis Convocationis, aliiſque ſuprà laudatis, Abbates annumerantur Prælatis, qui jus habent aſſiſtendi Concilio, etiam per Procuratorem.

Subſcriptiones junctæ Definitioni Concilii *Florentini* plura ſuppeditant exempla Prælatorum, qui per Procuratorem interfuerunt; tales ſunt 1. Patriarcha Alexandriæ, pro quo adfuerunt Metropolitanus Heracleæ, & Primas omnis Thraciæ ac Macedoniæ, & Abbas Protoſyncellus & Confeſſarius ipſius. 2. Patriarcha Antiochiæ, pro quo interfuit Primas Ruſſiæ, 3. Patriarcha Hieroſolymitanus, cujus nomine adfuit Metropolitanus Monembaſiæ. 4. Archiepiſcopus Ancyranus, pro quo adfuit Metropolitanus Cyzius. 5. Primas Cæſareæ, cujus Procurator fuit Metropolitanus Trapezuntis. 6. Metropolitanus Sardium, pro quo Archiepiſcopus Niceæ interfuit. 7. Metropolitanus Nicomediæ, cujus nomine adfuit Metropolitanus Tornobii. Duo ſunt, præterea, Metropolitani, qui pro aliis Prælatis interſunt. Deinceps videntur Duo Epiſcopi, unuſque Archidiaconus, quatenùs Legati Ducis Burgundiæ & Brabantiæ, CONC. *Tom. XIII. p.* 518. & 519. Quoad catalogos Perſonarum, quæ Conciliis Generalibus interfuerunt, duplicis illi ſunt generis: alii Generales, complectentes nomina Perſonarum, quæ Concilio aſtiterunt in qualibet Seſſione: alii Particulares, continentes nomina eorum, qui uni Seſſioni adfuerunt. Antiquiores generalium, ſunt Catalogi Concilii *Piſani*, in quibus multa ſunt notabilia circà aſſiſtentiam per Procuratorem. Diſtinguuntur 8. Claſſes Procuratorum: 1. Eſt Legatorum Principum immediatè poſt Cardinales locata. 2. Eſt Procuratorum Archiepiſcoporum, ſequens omnes continet Prælatos, qui perſonaliter adfuerunt. 3. Procuratorum Epiſcoporum continuò ſequitur. 4. Illi ſubjecta eſt Claſſis Procuratorum Abbatum. 5. Eſt Procuratorum Capitulorum. 6. Eſt Deputatorum Urbium & Diœceſeon. 7. Sequuntur Deputati Provinciarum. 8. Denique Deputati Communitatum. Poſt Indicem generalem prædictum, nullus eſt Catalogus, niſi is, qui legitur ad Calcem Concilii Tridentini, in quo plura ſunt notabilia circà aſſiſtentiam per Procuratorem. Nam 1. una eſt claſſis Cardinalium Legatorum. 2. Alia eſt Legatorum Principum, ſeu Miſſorum. 3. Alia eſt Claſſis Procuratorum Epiſcoporum abſentium. 4. Computando in fine numerum omnium Patrum, qui, tàm per ſe ipſos adfuêre, quàm per Procuratores, undecim Procuratores numerantur. Quoad Catalogos Particulares perſonarum, quæ ſingulis Seſſionibus adfuerunt, duo ſunt tantùm Concilia, in quibus ii videantur, Lateranenſe V. & Tridentinum, in ſingulis eorum una eſt Claſſis Procuratorum.

His probationibus aſſiſtentiæ in Conciliis Generalibus per Procuratorem undequàque petitis, ex ſubſcriptionibus, opinionibus, Bullis indictionis, Catalogis aſſiſtentium, aliud genus adjici poſſet, ſumptum è Conciliis, in quibus Patres Nationis ſuæ nomine egerunt tantùm, de quibus mox dicemus; illi enim reipſà Procuratores fuêre, Nationis ſuæ Corpus repreſentantes.

SECTIO VIII.

Notæ Hiſtoricæ circà MODUM SENTENTIAM DICENDI, *in Conciliis Generalibus.*

PAtres Conciliorum pluribus modis ſententiam ferre poſſunt, 1. per Nationes, 2. per Patriarchatus, 3. per Primatias, 4. per Provincias, 5. per Diœceſes. Si autem quatuor modis prioribus opinentur, id fit, vel per Capita, vel per Collegia. Per Capita, ſi unuſquiſque Prælatus Nationis, aut Patriarchatûs, aut Primatiæ, aut Provinciæ, ſuo nomine ſuffragium proponat in Seſſione publicâ: per Collegia, ſeu Corpora, cùm, poſt collecta in Congregatione particulari vota ſingulorum Patrum, ab unoquoque diſtrictu delegatorum, aliquot ex iis, ad Seſſionem publicam mittuntur, ut concluſionem totius diſtrictûs in eâ proponant.

Quærimus hîc, quis modus ſententiam dicendi obſervatus fuerit in Conciliis Generalibus? Circà quod, conſtat, 1. in *Octo* prioribus, ſuffragia Patrum per Capita data fuiſſe, quod evincitur per Acta: Nam ſinguli Patres ſuo nomine ſubſcribunt; & ſi quandòque pro aliis ſubſcribant, id fit, *ut plurimùm*, alicujus privati nomine, cujus mandatum ſe habere declarant. Dicimus, *ut plurimùm*; ideò quòd, prout obſervatum fuit Titulo præcedenti, quædam ſunt Concilia, in quibus tres quatuor-ve Metropolitani ſubſcribunt, pro pluribus Epiſcopis Provinciæ ſuæ, à quibus commiſſi fuerant. Idem colligitur ex ſuffragiis, ſeu opinionibus Patrum: nam ſinguli vulgò pro ſe loquuntur, & rarò pro aliis; hoc autem in caſu, pro uno aut altero tantùm, excepto caſu prædicto Metropolitanorum.

Utraque probatio ſumpta ex opinionibus & Subſcriptionibus locum habet ſolùm ergà ſex poſteriora Concilia namque, ut multoties obſervavimus, ea ſola ſunt, quorum ſinceræ ſuperſint ſubſcriptiones, nec non opiniones. Quoad duo priora, verum eſt iis adjectas fuiſſe aliquot ſubſcriptiones, in quibus Patres per Provincias diſponuntur; ſed nihilominùs verum eſt, has ſubſcriptiones ſuſpectas eſſe falſitatis, maximè quoad diſpoſitionem.

Quoad Concilia Occidentis, neque per ſubſcriptiones, neque per Opiniones, cognoſci poteſt, quis fuerit modus ſuffragiorum ferendorum, nullum eſt enim ex iis Conciliis, in cujus Actis Opiniones relatæ fuerint: unicum eſt *Florentinum*, cujus ſubſcriptiones exiſtant; hæ autem probant, ſuffragia per Capita data fuiſſe, ſicut in Conciliis Orientis, & credibile eſt, eumdem modum in Conciliis Occidentis obſervatum fuiſſe, niſi contrarium appareat. Cùm enim hic modus opinandi, à Jure Communi ſit conſtitutus, & in Conciliis Particularibus omnium Sæculorum obſervatus, perindè ac in Conciliis Generalibus novem priorum Sæculorum, magna eſt præſumptio, hunc morem in Conciliis Generalibus Occidentalibus, obſervatum fuiſſe; huic autem ſtandum, niſi contrariis probationibus deſtruatur. Sed quænam ſunt illæ probationes? Tales-ne exiſtunt in Actis aliquot Conciliorum? Reſpondemus 1. in Actis Concilii *Piſani* quædam eſſe loca, quæ ſuggerant, Patres Concilii per Nationes diſtinctos fuiſſe. CONCIL. TOM. XI. *part.* 2. Primus eſt in SESS. V. *p.* 2172. ubi fit ſermo de Electione Scrutatorum Teſtium, ex ſingulis Nationibus ſumendorum. Secundus, in SESS. VI. *p.* 2194. ubi dicitur, Nationem Anglicam, & Nationem Germanicam nondùm elegiſſe Scrutatores.

2. Alia ſunt Loca in iiſdem Actis, ex quibus inferri poteſt, ſuffragia provinciatim fuiſſe collecta: nam in SESS. V. ſuprà laudata, dicitur, Scrutatores Teſtium eligendos eſſe per Provincias, & in SESS XX. *p.* 2209. leguntur hæc verba, *Sumpta deliberatione per Provincias aliquot diebus.*

Contrà has conjecturas objici non debet, quòd in catalogo perſonarum, quæ huic Concilio adfuerunt, eæ neque per Nationes, neque per Provincias diſponuntur; id enim provenire poteſt ex eo quòd Author Catalogi nihil aliud ſtatuit, quàm referre Singulos in Claſſem dignitati eorum competentem, prout Cardinales erant, vel Legati vel Patriarchæ, vel Protonotarii, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates Generales Ordinum, Commendatorii, Priores, & Procuratores Generales, Priores Conventuales & non Conventuales, Graduati, miſſi ab Univerſitatibus, Procuratores Archiepiſcoporum, aut Epiſcoporum, aut Abbatum, aut Capitulorum, aut Diœceſeon, aut Provinciarum, aut Communitatum.

3. In Actis Concilii *Conſtantienſis*, plura videntur loca, quæ faciunt mentionem diſtinctionis Patrum Concilii in quatuor Nationes, Gallicanam, Italicam, Germanicam, Anglicam. Nam, circà medium SESS. I. electi fuerunt Protonotarii & Notarii uniuſcujuſque Nationis; & in principio SESS. IV. fit ſermo de Procuratoribus & Syndicis earumdem Nationum. In SESS. XXVI. fit mentio ordinis inter Nationes &

conservationis ejusdem Ordinis. SESSIO XIII. expressè loquitur de modo opinandi per Nationes, CONCIL. *Tom. XII. pag.* 1448. In *Appendice* observatur, propositam fuisse quæstionem, an per Capita suffragia ferrentur, an per Nationes: responsum autem fuisse, quòd jure communi suffragia ferrentur per Capita; sed, si id fieret, fore, ut Pontifex vinceret; quia multò plures erant Prælati ex Italia, Pontifici dediti, muneribus aut promissis illecti, vel minis coacti, quàm ex reliquis Nationibus; quæstionem autem indecisam mansisse, sed postèa Nationes eam suo facto diremisse, separatos Conventus faciendo.

In eadem *Appendice*, à *pag.* 1739. *ad* 1752. cernitur, Nationem Hispanam reliquisse Pontificem BENEDICTUM XIII. *Petrum* DE LUNA, Conciliumque adivisse; tunc autem Nationi Anglicanæ controversum fuisse jus unius vocis integræ, ideo quòd satis magna seu numerosa non esset, ut unam ex aliis æquaret; itaque sufficere, ut dimidium unius vocis haberet, quo frueretur in Natione Germanica. Illa autem prolixè ostendit, unum suffragium integrum sibi competere debere, idque respondendo sigillatim omnibus rationibus præferentiæ Nationis Gallicanæ, suprà Anglicam. Cùm autem, ad finiendam hanc Controversiam, aliasve similes, quæ ex quarumdam Nationum magnitudine, & quarumdam exiguitate nasci poterant, propositum fuisset, ut rediretur ad priscum morem opinandi, per Capita, jure constitutum; Natio Anglica respondit, quòd, in circumstantia præsenti, Jus commune servari non poterat, sine periculo operam amittendi, propter magnam copiam Episcoporum deditorum Pontifici, pluraque momenta adjecit, sumpta ex consuetudinibus Judæorum, apud quos, in multis casibus, suffragia per Tribus ferebantur; Universitatum, quæ per Facultates opinantur; Hæredum, Compatronorum, qui per stirpes, & non per Capita, vocem habent, Statuum, in quibus per Familias deliberatur. His exemplis, quæ satis plausibilia sunt, alia possent adjici, sumpta ex praxi Congregationum Regularium aut Sæcularium, in quarum Generalibus Conventibus sententiæ non feruntur per Capita, sed per Provincias, aut Districtus.

Aliud accedit momentum in gratiam modi opinandi per Nationes, nimirum, Nationes propiores loco, in quo Concilium celebratur, plures Episcopos ad illud mittunt, quàm remotiores; itaque multùm aliis prævalent, in negotiis pertinentibus ad generale commodum omnium Nationum, posito quòd Episcopi per Capita opinentur: nusquàm autem prævalent, sed perfecta æqualitas servatur, si per Nationes ferantur suffragia. Idem momentum inservire potest Nationibus, quæ, licèt vicinæ loci celebrationis, tot in Concilio Episcopos habere nequeunt, quot aliæ Nationes, ideo quòd perpauci sunt in illis Nationibus.

Rationes suprà expositæ rationem præbent distinguendi duplex rerum genus, quarum aliæ requirunt, ut suffragia per Capita ferantur, aliæ, ut per Collegia id fiat. Prioris generis sunt materiæ Fidei; quia omnium & singulorum Episcoporum specialiter in eis interest; idem foret de negotio prioritatis gradûs inter Episcopos, si illud in Conciliis tractaretur; idem etiam foret, si in Concilio deliberaretur de subsidio super unumquemque Episcopum imponendo, ad Cruciatam contrà Turcas.

Quæstiones prioritatis, inter Collegia, secundi generis sunt. Tales fuerunt eæ, quas Synodus *Constantinopol. I.* & Synodus *Calcedonensis*, Generales, discusserunt, circà prioritatem Patriarchæ Constantinopolitani super Patriarchas Alexandrinum, Antiochenum & Hierosolymitanum; multùm quippe horum trium Patriarcharum intererat, ut suffragia ferrentur per Collegia; quia Patriarcha Constantinopolitanus plures habebat Episcopos in suo districtu, quàm singuli, aut saltem nonnulli cæterorum.

Ad modum opinandi referri potest cura sententiam suam confirmandi à quolibet Patre adhibita, cùm de Fidei quæstionibus ageretur: puta aliquis dicebat, se talem Propositionem damnare, oppositamve adprobare, ideo quòd hæc consona foret Definitionibus jàm factis, Doctrinæ Sanctorum Patrum, traditionibus Ecclesiæ suæ, illa verò iis adversaretur. Totidem supersunt exempla hujusmodi opinandi, quot in iisdem Conciliis referuntur suffragia circà argumenta Fidei: vide Concilia *Ephesinum* & *Calcedonense*. Imo Patres, ut ostenderent hanc consonantiam, legi jubebant Definitiones Fidei, & loca Patrum argumento congrua, ut patebit evolventi Concilia Orientalia.

Istud notabile est circà hunc morem, quòd, is observatus fuerit in receptione Epistolarum Pontificum, qui Capita controversa, & in Conciliis discutienda, definiverant. Vide Action. IV. Concilii *Calcedonensis*.

Denique, modus subscribendi pertinet quoque ad formam opinandi: nam subscriptio nihil aliud est quàm testimonium opinionis. Porrò, ut infrà patebit, subscriptiones concipiuntur verbis indicantibus, Episcopos agere quatenùs Judices, etiam cum Pontifices Capita proposita definiverant, eorumque Definitio à Concilio recipiebatur. Hujus facti probationes existunt in Conciliis, quorum subscriptiones habemus. Earum insignior est in Actione VI. Concilii *Calcedonensis*. Nam, cùm Epistola S. LEONIS, quæ definiebat, duas esse in CHRISTO Naturas, sine confusione, & mutatione unitas, recepta fuisset in Actione IV. Definitio autem Concilii confecta in Actione V. Patres eam subscripsêre in Actione VI. his verbis, *ego definiens, aut statuens subscripsi.*

SECTIO IX.

Notæ Historicæ circà Definitiones factas à Conciliis Generalibus, in REBUS FIDEI *aut* MORUM.

PAuca sunt Concilia Generalia, quæ non fecerint aliquot Definitiones circà Fidem & Mores, sed illarum Forma sæpè multùm discrepat, sicut earum Materia. Denique, illud iis Definitionibus peculiare est, quòd nusquàm retractatæ, neque discussæ, neque in dubium revocatæ fuerint. Factum postremum in 2. *Observationum Generalium* probatum fuit. Primum ex parte expositum fuit, per *Notas*, circà *causas convocationis Conciliorum Generalium*; ibi enim vidimus, pleraque ex iis celebrata fuisse, ad faciendas Definitiones. Secundum itaque duntaxat probandum supereſt, sed priùs expedit aliquot novas Observationes proponere, circà duo alia.

Viginti aut viginti & unum Concilia numerantur Generalia, 4. Constantinopolitana. 2. Nicæna. 1. Ephesinum. 1. Calcedonense. 5. Lateranensia. 2. Lugdunensia. 1. Viennense. 1. Pisanum. 1. Constantiense. 1. Basileense. 1. Florentinum, & unum Tridentinum. Ex iis autem, septem sunt, quæ nullam Definitionem circà Fidem aut mores fecerunt. Scilicet, 2. & 4. Constantinopolitana: tria priora Lateranensia, primum Lugdunense, & Pisanum. Possent tamen attribui 2. & 4. Conciliis Constantinopolitanis Definitiones à Conciliis Generalibus præcedentibus factæ, quæ in illis innovatæ fuerunt; & in 2. novam receperunt formam Anathematismorum, qui sunt damnationes propositionum contrariarum, sub pœna anathematis ipso facto incurrendi, ab iis, qui illas tueri auderent. CONCIL. *Tom. V. p.* 567. *ad* 579. Præterea nonnullus est credendi locus, condemnationem errorum Origenis ad novem Anathematismos redactam, & relatam *ibidem p.* 635. *ad* 679. adprobatam fuisse à Concilio, illamque esse expositionem, de qua illud alloquitur Justinianus in Epistola sequenti, qua illud rogat, ut damnet atque anathematiset singula Capita errorum Origenis.

Quoad Concil. Constantinopolitanum IV. quod est Con-

Concilium Generale VIII. adeò verum est innovationem Definitionum à Conciliis præcedentibus conditarum, quam facit, Definitionem cognominari posse, ut illa sic appelletur in *Indice*, qui *Tomo VIII. Conciliorum* præfixus est; quod profectò venit ex eo, quod Concilium ipsum, loquendo de Capitibus, quorum Definitiones innovat, dicit se illa definivisse; *definivit subter annexa*, CONCIL. *Tom. VII. pag.* 1145.

Non hîc enumerabimus Definitiones ab unoquoque septem priorum Concil. Generalium factas, non solùm quia illæ jam indicatæ fuerunt in TITULO *de Causis convocationis*, sed etiam quia satis aliundè cognitæ sunt.

Ob rationem contrariam, contraria methodo utemur quoad Definitiones Conciliorum subsequentium, & exordiemur à Concilio *Lateranensi IV.* Observamus, duplex esse Caput ab illo procul dubio definitum. 1. Transsubstantiationem, seu conversionem totius substantiæ Panis & Vini, in substantiam Corporis & Sanguinis Jesu Christi. 2. Essentiam Divinam non esse rem à Personis realiter distinctam, ità, ut Trinitas in Deo sit, non Quaternitas; quod profectò & necessariò à tali distinctione sequeretur. Tertium est Caput, quod ab hoc Concilio definitum fuisse videtur; nempè, Spiritus non habere corpora; nam substantiam spiritualem opponit substantiæ corporeæ, mentem corpori, CONC. *Tom. XI. Part.* 1. *p.*142. *ad* 148.

Concilium *Lugdunense II.* contra Græcos definivit, Spiritum Sanctum ab æterno à Patre Filioque procedere, velut ab unico principio, & unicâ operatione, *ibid. pag* 975. Tres aut quatuor sunt novæ Definitiones in Concilio *Viennensi*: 1. est, S. JOANNEM, Evangelistam, dum refert, Militem lanceâ Christi latus aperuisse, undè exivit sanguis & aqua, secutum fuisse in hac narratione verum facti ordinem: 2. est, animam rationalem & intellectualem esse, per se ipsam, & essentialiter, formam corporis humani: 3. est, quod, cum unum sit Baptisma, sicut una est Fides, illud habere eandem efficaciam in parvulis & in adultis; &, cum sit perfectum remedium ad salutem, operari in illis gratiam sanctificantem & virtutes, sicut in aliis, CLEMENT. I. *de Summ. Trinit.* 4. est, hæreticum esse, pertinaciter, asserere, usuram non esse peccatum, CLEM. *de Usur.* §. 2.

Facilè foret ostendere, *Concilium Constantiense* multas Definitiones novas condidisse, quia damnavit errores *Joannis Vicleſi*, *Joannis Hus*, & *Hieronymi Pragensis*, qui non pauci sunt, & quorum plures procul dubio novi sunt. Verùm, qui fuerint illi errores, mihi non videtur necessarium observare; sufficiet indicare locum, in quo factum illud reperiri poterit, vid. *Tom. XII.* CONC. *p* 122. *ad* 144. Duas autem seligemus Definitiones particulares. Una respicit quæstionem, *an liceat occidere Principem, qui autoritate sua abutitur?* Et dicitur, id nunquam, & nemini licere. CONC. *Tom. XII. p.*144. Altera respicit *Communionem Laïcorum sub utraque specie;* & dicitur, eam non licere sine dispensatione Ecclesiæ; puniendos autem esse Sacerdotes, qui Communionem eo modo distribuunt, nisi resipiscant, CONC. *Tom. XII. p.*100. 101. Est alia Definitio ab eodem Concilio facta, quæ non minùs est notabilis; scilicet Concilium Generale Universalem Ecclesiam repræsentans esse suprà Pontificem, ita, ut hic teneatur, sicut alius quilibet filiorum ejus, illius Decretis obtemperare, in rebus, quæ mores aut reformationem spectant.

Definitio hæc multis in locis innovata fuit à Concilio *Basileensi*, sed specialiter SESS. XXIII. ubi tria addit: 1. eam pertinere ad fidem, 2. indè sequi, non licere Pontifici transferre Concilium, aut illud dissolvere, absque ejus consensu; hanc autem consequentiam pertinere quoque ad fidem. 3. Pro hæreticis habendos esse omnes, qui his veritatibus resistunt.

Idem Concilium innovavit quoque definitionem Concilii Constantiensis circà Communionem Laïcorum sub duplici specie, eamque extendit ad Clericos, qui non consecrant Eucharistiam, adjiciendo, quod, per sublationem Calicis, occurritur periculo irreverentiæ, nullumque communicantibus infertur præjudicium, quia sub unaquaque specie Christus totus continetur. Observat præterea, quod, cum Ecclesia teneatur curare, ut huic Sacramento debita reverentia exhibeatur, ad eam pertinet discutere quando & quomodo Communio sub duplici specie concedi potest, sine periculo profanationis; undè concludit, nullam personarum, quæ non consecrant Eucharistiam, posse recipere Communionem sub duplici specie, sine licentiâ Ecclesiæ.

Idem Concilium SESS. XXXVI. definivit præterea quodammodo Virginem sacram conceptam fuisse sine peccato, declarando, doctrinam hanc ab omnibus Catholicis, ob multas rationes, adprobandam & suscipiendam esse, & prohibendo contrarium doceri.

Decretum Unionis Ecclesiæ Græcæ cum Ecclesia Latina factum à Concilio *Florentino*, relatumque CONCIL. *Tom. XIII. p.* 510. fert 1. Spiritum Sanctum ab æterno procedere à Patre Filioque, velut ab unico principio, & unicâ spiratione, quod jam in Concilio Lugdunensi II. definitum fuerat: 2. Processione hac Spiritum Sanctum à Filio, sicut à Patre accipere essentiam & subsistentiam: 3. Filium à Patre in sua generatione accipere potestatem communicandi utramque Spiritui Sancto: 4. Clausulam *Filioque*, Symbolo additam fuisse tantùm ut exponeretur veritas contenta in verbis *ex Patre procedit*; nempè, Spiritum Sanctum procedere quoque à Filio, quia Filius Patri æqualis est in rebus omnibus, & proindè in potestate circà Processionem Spiritus Sancti. 5. Validè consecrari in Fermentato, sicut in Azymo, & utramque Ecclesiam, circà hoc caput, usibus suis stare debere. 6. Eos, qui moriuntur in gratia Dei, sed nondum absoluta sufficienti satisfactione pro peccatis suis, eam absolvere in Purgatorio, eorumque animam illic juvari per suffragia Fidelium viventium, nempè Missas, Orationes, eleemosynas, aliaque opera pia. 7. Animas eorum, qui post Baptismum non peccaverunt, & personarum, quæ plenè satisfecerunt dùm viverent, absque Purgatorio, recipi in Cœlo, ubi unum Deum vident in Tribus Personis; sed magis aut minùs perfectè, pro meritorum suorum ratione: animas verò eorum, qui moriuntur in peccato mortali actuali, aut in peccato originali, cadere in Infernum, ubi, pro iniquitatis suæ modulo, cruciantur. 8. Sanctam Sedem Apostolicam habere Primatum super omnem Terram, & Summum Pontificem esse Successorem Petri, verum Vicarium Christi, Caput omnis Ecclesiæ, Patrem & Doctorem omnium Christianorum; eum in Petri personâ accepisse plenam potestatem pascendi & regendi Ecclesiam Universam, prout continetur in Actis Conciliorum Oecumenicorum.

Et hæ sunt omnes Definitiones in prædicto Decreto contentæ. Quoad capita Decreto pro Armenis inserta, illa Definitionibus hujus Concilii annumerare nolumus, quia Decretum hoc à Pontifice factum fuit, post Patrum absessionem; & quidem Pontifex in eo non dicit, sicut in præcedenti, factum illud fuisse, Sacro Universali approbante Concilio Florentino. Præterea, Pontifex nullo in loco posterioris hujus Decreti dicit, se facere Definitiones, sed tantùm, se præscribere eas, quas Armenii debent accipere, circà fidem Mysteriorum Trinitatis & Incarnationis, idque, quod docere debent & in praxi servare, circa septem Sacramenta. In præcedenti verò Decreto, verbum *definimus* non semel adhibetur.

Unica est definitio in Concilio *Lateranensi*, sub JULIO III. inchoato, & à LEONE X. absoluto, nempè, Animam rationalem esse immortalem, & singulos Homines animam propriam habere. Cum duplex error definitione hac damnatus, proveniret ex Philosophia Paganorum aut aliorum Infidelium, Synodus præcipit Professo-

Professoribus, ut numquam Discipulos suos doceant opiniones contrarias doctrinæ Jesu Christi, nisi subjungendo contrariam fidei Catholicæ doctrinam; & ne studium nimium Litterarum aut Philosophiæ, sine studio Theologiæ, aut Juris Canonici noceat, vult Synodus, ut insumpto, circa Litteras & Philosophiam, quinquenio, transeatur ad studium Theologiæ aut Juris Canonici, CONCIL. TOM. XIV. SESS VIII. *p.* 187.

Novæ definitiones à Concilio *Tridentino* factæ, nimis numerosæ & notæ sunt, ut eas referamus. Sufficiet observare, eas versari circa Scripturam Sacram; circa Peccatum Originale; circa Gratiam & Justificationem; circa Sacramenta in genere, & singula in specie; circa Jejunium; circa Invocationem, & Reliquias Sanctorum; circa Purgatorium, & Indulgentias: uno verbo, circa omnes errores Religionis Reformatæ, ita ut, ad cognoscendum facile definitiones à Concilio Tridentino factas, noscendi sint errores illius Religionis. Constat enim, Concilium definire contra eorum Doctrinam, circa capita, in quibus errant.

Hîc desinunt Observationes supra primum caput discutiendum, circa definitiones Conciliorum Generalium. Quoad tertium; unica res notanda est nempè, Concilium Tridentinum videri ad examen vocavisse duo capita, circa Eucharistiam, jam definita à quarto Concilio Lateranensi; scilicet, Præsentiam Realem, & Transsubstantiationem: nam Concilium hoc Lateranense duo hæc capita refert in Titulo *de Summa Trinitate* CONCIL. TOM. XI. tanquam pertinentia ad fidem, quam profitetur; & Concilium Tridentinum, probata præsentia reali, in *Capite 2. sessione. XIII.* & Transsubstantiatione, in capite 4. definit primam *Canone.* 10. & secundam *Canone* 20. ejusdem sessionis. Sed dicendum est, vel Concilium Lateranense non discussisse hæc duo capita, quia tunc illa non controvertebantur, illa autem inseruisse suæ Confessioni Fidei, tanquam duos articulos ab omnibus creditos: vel Hereticos, qui Præsentiam Realem & Transsubstantiationem negabant, rejecisse autoritatem hujus Concilii Lateranensis, admittendo solùm Doctrinam quatuor priorum Conciliorum Generalium.

Jam ad secundum caput deveniendum est, nempe *Formam* definitionum à Conciliis Generalibus factarum, resque notabiliores colligendæ. Hîc aliquantulum immoramur quia nonnulla reperimus discrimina nondùm observata.

Primum & *secundum* Concilia Generalia suam definitionem fecerunt sub nomine *Symboli*, inquo fidem Ecclesiæ exponunt, circa Mysterium Trinitatis, & Mysterium Incarnationis, & speciatim, circa caput ab hæreticis controversum, inter utrumque Symbolum aliquot sunt differentiæ attentione dignæ. Prima est, Symbolum Nicænum, post expositam Ecclesiæ fidem, pronuntiare anathema in eos, qui definitioni suæ, circa caput controversum, contradicent; id autem omitti in Symbolo Constantinopolitano.

2. Posterius hoc Symbolum substantiæ Symboli Nicæni quædam verba adjicit, ut clariùs assereret Divinitatem Spiritûs sancti, &, præ cæteris, hunc ex Patre procedentem, aut Patre & Filio, adorandum & glorificandum. Unum præterea articulum inserit, circa Ecclesiam: Unum, quoad effectum Baptismi, nempe remissionem peccatorum: unum, pro Resurrectione: unum denique, pro vita Sæculi futuri.

3. Concilium Generale, scilicet Ephesinum, definitioni suæ nomen Decretum tribuit. Illud in duas patres dividitur. Prima, ne aliud Symbolum quam Nicænum conficiatur, quâcumque de causa, vetat, sub pœnâ depositionis contra Episcopos & Clericos, & Excomunicationis, contra Laïcos. Secunda pars easdem pœnas decernit in eos, qui cum *Charisio* & *Nestorio* dicent; duas esse in Jesu Christo Personas, & Virginem Sacram non esse Dei Matrem. CONCIL. TOM III. *p.* 690.

Definitio Concilii Calcedonensis definitionis nomen gerit. Ipsi inseruntur Symbolum Nicænum, Symbolum Constantinopolitanum, & Doctrina Concilii Ephesini; adjiciturque, duas esse in Jesus Christo Naturas, sine ulla confusione aut mutatione unitas inseparabiliter in una Persona, suasque Proprietates post unionem servantes.

Definitio Quinti Concilii Generalis nuncupata fuit *Sententia*: fertur ea adversus tres personas *Theoderetum* Mopsuestanum, *Theodoretum*, & *Ibam*, Episcopum Edessenum, & contra aliquot eorum scripta; ideò, quod hæc perversæ Nestorii Doctrinæ faverint. Id necessarium fuit, inquiunt, quia, cùm Synodus Calcedonensis hos tres viros ad communionem suam admisisset, metuendum erat, ne quis, indè trahens occasionem eorum scripta comprobandi, concluderet, Nestorium à Concilio Ephesino, injustè damnatùm fuisse.

Duæ sunt, præterea, res in hac sententia notabiles: prima est, quod dicitur de necessitate atque utilitate Conciliorum Generalium, ad sopiendas controversias circa doctrinam, sumptum ex duobus locis; nimirum ex Apostolorum exemplo, qui Concilium celebraverunt super quæstione, an observatio præceptorum Judaicorum ad salutem necessaria esset, in quo suam quisque sententiam per Scripturas comprobavit; ex quatuor priorum Conciliorum Generalium exemplo, quæ ad conficiendas ejusmodi lites congregata fuerunt, easque definiverunt, tenebras mendacii per mutuam lacrimis comunicationem dissipando;

Altera res attentione digna, est, quod, cum Pontifex multoties rogatus, ut conveniret ad Concilium isque tamen recusaret, Synodus nihilominus processit ad definiendas controversias, quarum occasione coacta fuerat; cujus actionis has rationes affert: quod unusquisque pro se rationem Deo sit redditurus: quod eos, qui minimum fidelium scandalisaverint magna supplicia maneant; erat autem periculum ne scandalisaretur Imperator, primus fidelium ex ordine Laïcorum: quod Deus S. Paulo præcepit, ut sine metu loqueretur ipsi pollicendo, se futurum cum eo, facturumque, ut nemo illi noceret.

Idem Concilium eandem definitionem in aliam formam convertit, eam dividendo in capita XIV. quæ singula clauduntur per anathema in eos, qui contrarium ipsius, circa idem argumentum, asserent. Doctrina Ecclesiæ circa Mysterium Incarnationis, hîc optimè exponitur.

Definitio Sexti Concilii Generalis, commune nomen, retinet, ipsi, perinde ac Calcedonensi inserta fuêre Symbola Nicænum & Constantinopolitanum, & quoad controversiam definitam in eo circa voluntatem Christi, dicitur, duas esse in eo Voluntates, Humanam & Divinam, sicut duæ sunt Naturæ, Humana & Divina; quia Scriptura, Concilia SS. Patres asserunt utramque Naturam esse perfectam; undè sequitur, unamquamque suam Voluntatem habere; & quia Pontifex *Agatho*, in sua ad Imperatorem Constant. Epistola, præcipua loca Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum collegerat, idemque fecerat Concilium 125. Episcoporum Romæ, eandem ob causam, habitum; Synodus utriusque Epistolæ mentionem expressam facit, nec non Scriptorum sancti Cyrilli contra Nestorium, & eorum, quæ ad Orientis Episcopos direxit. Quoad Concilia; nullum quinque præcedentium omittitur. Sanctus *Athanasius* & *Gregorius Nissenus* in hac definitione pariter laudantur.

Terminus vocatur definitio facta à septimo Concilio Generali, seu *Nicæno* II. contra hæresim Iconoclastarum congregato; quia terminavit Controversiam. Ipsi inseritur Symbolum Constantionopolitanum, cum clausula *Filio-que*, nec non epitome Definitionum Conciliorum præcedentium: tùm, deveniendo ap hæresim quæ dam-

damnanda erat, exponitur Ecclesiæ fides, pronunciantur que pœnæ in contradictores Fidei Ecclesiæ : fides est, quod honore digna sit figura Crucis ; item Imagines Salvatoris nostri Jesu Christi, Virginis, Apostolorum, Martyrum, sive pictæ, sive sculptæ, in domibus, perinde ac in Ecclesiis, in Vasis, Ornamentisque Sacris, sicut super muris, honore, inquam, simili, ei, qui rei, quam repræsentant, exhibetur, & in eo situs est, quòd cera, thus, similiave ipsis offerantur : quamvis hic honor vocari possit Adoratio, quatenùs eo verbo intelliguntur Salutatio, Veneratio, Cultus; plurimum tamen à vera Adoratione discrepat, in eo sita, quòd is, cui illa exhibetur, pro Supremo rerum omnium Domino agnoscatur. Pœnæ in contradictores latæ sunt; primò, depositio Episcoporum & Clericorum. 2. Excommunicatio Monachorum, & Laïcorum. Evangelium hîc annumeratur rebus, quibus debetur veneratio, perinde atque Imaginibus.

Terminus pariter vocatur definitio ab Octavo Concilio Generali facta, quamvis mores tantùm respiciat. Nihilominus hîc refertur substantia definitionum à Conciliis præcedentibus factarum, quæ, ut cum Decreto sequenti connectantur, observatur, violationem præceptorum Dei non minores turbas & divisiones gignere, quam controversias circa fidem : tum, insinuatur, præceptum inviolandum illud esse, quod prohibet ambitionem, quæ depositio innocenti novum substituit, ut factum fuerat in spoliatione *Ignatii* & electione iniqui, perversi, & impii *Photii*. Denique, ad medendum huic malo, Concilium confirmat sententiam *Nicolai*, Pontificis, circa restitutionem *Ignatii*, Patriarchæ, novumque anathema in *Photium* pronuntiat.

Generali nomine *Decreti* donantur definitiones à Quarto Concilio Lateranensi factæ : *Decreta Generalis Concilii Lateran.* 4. Disponunturque sub forma Symboli : *firmiter credimus. Cap. I.* Concilium profitetur plura capita, velut ad fidem pertinentia, quæ in nullâ definitione conspiciuntur. Primò, Mentes non habere corpora. 2. Panem & vinum transsubstantiari in Corpus & Sanguinem Jesu Christi, per vim consecrationis. 3. Sacerdotium ad minus requiri, in Ministro, ut hanc mutationem operetur. 4. Baptismum à quolibet collatum, secundùm Ecclesiæ morem, esse validum. 5. Nullum esse peccatum post Baptisma admissum, quod pœnitentia reparari non queat. 6. Conjugatos, qui Deo, per fidem atque opera, placent, mereri vitam æternam, perinde ac Virgines & continentes.

Reliquæ definitiones ejusdem Concilii *Censuræ* formam habent : nam, damnando opinionem Abbatis *Joachimi*, qui dicebat, Essentiam Divinam esse aliquid realiter à Personis distinctum, ejus absurditas, falsitasque demonstrantur pluribus ratiociniis, & variis Scripturæ locis, iis præsertim, quæ Trinitatem duntaxat in Deo esse probant, & quæ proindè huic opinioni diametraliter opponuntur, quæ Quaternitatem in Deo inducit, nempe tres Personas, quæ non sunt essentia, & Essentiam quæ, non est Trinitas.

Constitutio vocatur definitio Concilii Lugdunensis II. circa Processionem æternam Spiritûs Sancti à Filio, perindè atque à Patre, tanquàm ab unico principio, & unica spiratione : hæc præfigitur Decreto, quod dicitur *Constitutio* GREGORII X., & sub forma Symboli concipitur, *fideli & devotâ professione fatemur.*

Definitio Concilii Viennensis Corpori Juris inserta, sub generali nomine *Constitutionum* CLEMENTIS V. formam singularem habet. In prima Parte Concilium probat veritatem definitionis suæ : in 2. Concilium damnat unam propositionem, velut fidei adversam, vultque, ut, pro hæretico habeatur, quicumque illam tuebitur : in Tertia parte, Concilium inter duas opiniones eligit, declarando, quænam sibi probabilior videatur, & præcipiendo, ut illa recipiatur.

Ex tribus definitionibus particularibus Concilii Constantiensis, *una* censuræ, fundamentis conjunctæ suis, formam habet ; ea nempe, quæ versatur circa Communionem sub unica specie Panis quoad Laïcos, consuetudine institutam, & necessariam, ut auferretur periculum irreverentiæ : *altera*, censuræ simplicis formam habet, continens solummodò damnationem propositionis, de qua agitur, cum ejus qualificationibus ; nimirùm ea, quæ dicit, nunquam licere occidere Principem authoritate sua abutentem, hæreticos nuncupando eos, qui contrarium pertinaciter asseverarent : *Tertia* est mera declaratio veritatis, quam Concilium probatione non indigere credebat ; scilicet, Concilium Generale Universalem Ecclesiam repræsentans, autoritatem suam immediatè à Christo habere, neminemque esse cujuscumque eminentis dignitatis, qui non debeat obtemperare Decretis ejus circa fidem, reformationem morum, extirpationem schismatis.

Hæc ipsa definitio iisdem verbis iteratur in pluribus locis Concilii Basileensis, quod illi duas consequentias annectit, quas ad fidem, sicut earum principia, pertinere dicit. Ejusdem definitio circa Communionem sub unica specie, quoad eos, qui Corpus J. Christi non offerunt, sumitur quoque ex Concilio Constantiensi, iisdem fere verbis ; itaque, quoad utrumque caput, nihil est notabile in Concilio Basileensi, quoad formam ; & quoad tertiam, Decretum circa conceptionem immaculatam Virginis illud eamdem ferè formam habet, ac tertium Decretum Viennense, quod ex duabus opinionibus potiorem elegit, cùm hoc tamen discrimine quod hîc prohibetur, opinionem contrariam asseri ; Viennense autem liberum judicium relinquit.

Quod vocatur *Definitio Concilii Florentini*, CONC. *Tom. XIII. p.* 509. propriè loquendo species est *concordati*, inter Ecclesias Græcam & Latinam initi, circa aliquos fidei articulos, inter utramque controversos, & nonnulla capita disciplinæ, in quibus discrepant, in quo conveniunt de expositione controversiam tollente : id locum habet in doctrina circa Processionem Spiritus Sancti ; vel Ecclesia Græca disertè recipit aliquos Articulos, quos respuere videbatur : tales sunt validitas consecrationis in Azymo ; existentia Purgatorii ; glorificatio animarum, quæ nihil expiandum habent ; primatus Pontificis : vel utraque consentiunt, ut altera ritum suum retineat, ut fit quoad consecrationem in fermento & Azymo : vel denique, Ecclesia Latina confirmat Patriarchæ Constantinopolitano, secundum gradum inter omnes Patriarchas, quorum primus est Pontifex.

Definitio Concilii Lateranensis V. circà Immortalitatem Animæ rationalis, & multiplicationem Animarum, pro Corporum Humanorum numero, *Bullæ* nomen habet, estque censura suis fundamentis innixa. Vide *Tom. XIV.* CONCIL. Quædam insuper remedia proponit, ad præveniendos errores, quos damnat. Notandum est obiter, quòd cùm hæc Bulla lata fuisset in Sessione publica, duo Prælati ipsi contradixerunt, unus, dicendo, Philosophos non docere opinionem unitatis Animæ in omnibus Hominibus, sed hanc illis falsò à Theologis imputari ; alter, asserendo, non decere Philosophiæ Professores obligare ad docendum & probandum veritates fidei opinionibus erroneis Paganorum Philosophorum contrarias.

Peculiare Concilio Tridentino videtur, in *Canones* redegisse ferè omnes suas definitiones, cum Anathemate in contradictores, exposita, priùs in Decretis, Ecclesiæ doctrina, eaque validiùs testimoniis confirmata. Diximus ferè ; quia sunt Decreta, quibus nulli subjaceant Canones. Talia sunt Decreta circa Libros Sacros, Editionem vulgatam, Peccatum Originale, Purgatorium, Invocationem Sanctorum, Reliquiarum venerationem, Imaginum cultum, Indulgentias, Ciborum delectum, & pro Jejunio, Indice, Catechismo, Breviario, Missali.

Nonnulli

Nonnulli Canones non præceduntur per Decreta, tales sunt Canones circà Sacramenta in genere, Baptismum, & Confirmationem: tales etiam Canones circà Matrimonium, quibus mera præit Præfatio, sub Titulo, *Doctrina de Sacramento Matrimonii*, & in qua pars Argumenti Canonum exigua attingitur. Non ausi fuimus dicere, Concilium Tridentinum unicum esse Generalium, quod suas definitiones in *Canones* redegerit: nam simile quidpiam videtur in Concilio Generali V. quod eandem ferè rem fecit, & discrimen est, quod Concilium hoc, definita unica facti quæstione, Personæ Unitatem in Christo ejusque consequentias indirectè respiciente, redegerit in *Canones*, seu *Capitula*, fidem integram Ecclesiæ circà Unitatem, & Incarnationem, quæ in Conciliis præcedentibus exposita fuerat.

SECTIO X.

STATUTA DISCIPLINÆ à Conciliis Generalibus condita.

QUatuor sunt tantùm Concilia Generalia, quæ Statuta circà Disciplinam non fecerint, duo vetera, & duo recentiora: imò Concilium aliud deindè convocatum fuit, ut suppleret defectum duorum, Conciliorum veterum, quæ sunt *Quintum* & *Sextum* Istud autem est Concilium Constantinopolitanum in Trullo dictum, quod magna autoritate pollet apud Græcos, & vulgò receptum est à Latinis; quoad Capita, quæ Ritui Latino non repugnant. Cum illud Statuta fecerit pro duobus Conciliis, magnus eorum numerus est, nempè CI. qui cujuscumque alii Concilii Statuta excedit, excepto Concilio Tridentino.

Duo Concilia recentiora, quæ nullum fecerunt Statutum circà Disciplinam, sunt Pisanum Anno MCCCCIX. & Florentinum MCCCCXXXVIII. Et, quoad hoc, dici potest, ei sufficisse Statuta facta in Concilio Basileensi, cujus membrum erat, cum eodem tempore celebratum fuerit ac Basileense, nec non plures è Patribus Basileensibus ad illud convenerint.

Quod ad Concilium Pisanum, nullum Statutum faciendum habuit, quia coactum fuit solùm, ad dirimendam Litem inter *Benedictum XIII.* & *Gregorium XII.* de Pontificatu, quod præstitit. 1. Jubendo sub pœna depositionis; ut Pontificatum abdicarent. 2. Ferendo hanc pœnam in eos, ob illorum pertinaciam, 3. Eligendo *Alexandrum V.* in eorum locum.

Non semper idem Nomen adtributum fuit Statutis, quæ Concilia Generalia fecerunt; sed quædam vocantur *Canones*; qualia sunt omnia, quæ ab *Octo* Conciliis Orientalibus facta fuerunt, qualia etiam ea, quæ in *Primo* & *Secundo* Lateranensibus facta fuerè. Alia vocantur *Decreta*: qualia sunt Statuta *Tertii* & *Quarti* Conciliorum Lateranensium: talia etiam pleraque Conciliorum Constantiensis & Basileensis: talia etiam omnia Concilii Tridentini. Alia vocantur *Constitutiones*: qualia sunt Statuta *Secundi* Lugdunensis, & Concilii Viennensis. Denique, multa *Bullæ* Nomen acceperunt: qualia sunt nonnulla Concilii Constantiensis & Basileensis, & omnia *Quinti* Lateranensis.

Statuta facta à Conciliis Generalibus versantur maximè. 1. Circa Jura Honorifica Pontificis, Patriarcharum, Primatuum, Metropolitanorum, Episcoporum, & Prælatorum inferiorum. 2. Circa Officia, seu Obligationes Ecclesiasticorum Virorum.

3. Circa Electiones ad Dignitates Ecclesiasticas, aliosque modos ipsis providendi.

4. Circa Impedimenta Canonica, quoad Ordines, Dignitates, & alia Beneficia, seu Officia Ecclesiastica.

5. Circa modum administrandi Sacramenta, & Dispositiones quas requirunt, undè nascuntur Impedimenta Matrimonii.

6. Circa Judicia Causarum Ecclesiasticarum, tàm Civilium, quàm Criminalium, & specialiter, ordinem procedendi in Litibus, qui Judiciarius dicitur.

7. Circa Regimen & administrationem Bonorum Ecclesiasticorum.

8. Circa Privilegia, Exemptiones, Immunitates, tàm quoad Personas, quam quoad Bona.

9. Circa Officium Divinum, & Modum illud Celebrandi.

Nullum equidem est illorum Statutorum, quod ad aliquod ex illis Capitibus non pertineat, quod ut probetur, lustrandi sunt Canones Quatuor Priorum Conciliorum Generalium, quæ id continent, quod Ecclesia pulcherrimum utillimum & venerandissimum decrevit circa Diciplinam. Opera exigua, fructus erit magnus.

Et quidem, evidens est, *Canonem* I. Concilii Nicæni, loquentem de Ordinatione eorum, qui secti fuêre per vim, aut Medicorum præcepto vel propria voluntate, pertinere ad Impedimenta Ordinum. Idem est de *Canon.* 2. qui Neophitos ab Episcopatu Sacerdotioque excludit: de *Can.* 9. & 10. deponentibus eos, qui, post aliquod grave facinus admissum, speciatim Idololatriam, Ordines acceperunt. *Can.* 3. vetans, ne Clerici mulieres alienas apud se habeant, Clericorum Officia evidenter respicit: idem est de *Can.* 17. Qui Usuram sordidumve lucrum iis interdicit: nec minùs perspicuum est, *Can.* 4. pertinere ad Electiones, cum jubeat, ut Episcopus ab omnibus eligatur Provinciæ Episcopis, nisi legitimo detineantur impedimento, quo in casu, tres eorum saltem interesse, cæteri consensum mittere debent: adfinis est 2. Pars *Canonis* 6. quæ declarat, Episcopum sine Metropolitani participatione electum, non esse Episcopum; si verò ex consensu omnium Episcoporum Provinciæ, duobus aut tribus tantùm præ affectu repugnantibus, electus fuerit, judicium pluralitatis vincere debere. Adjice *Canones* 15. 16. prohibentes, ne Clerici ab una Ecclesia in aliam transmigrent: nam receptio in secunda Ecclesia quoddam genus est Electionis seu Provisionis Beneficii.

Can. 5. loquitur de Judiciis Ecclesiasticis Extraordinariis, & de Revisione horum Judiciorum ad cognoscendum, utrum affectus, an levitas in ea influxerint, & de Conciliis Provincialibus, quæ bis hunc in finem habenda erant.

Dubitari non potest, quin *Canones* 6. & 7. Jura Honorifica Prælatorum Superiorum respiciant; nam *Can.* 6. plenam Alexandrino Episcopo potestatem attribuit super Ægyptum, Libyam, Pentapolim, quia jam illius compos erat, & Romanus Episcopus parem habeat autoritatem in Provincias sibi subditas: item alias Ecclesias in suis Privilegiis, dignitatibus, & autoritatibus servat. *Can.* 7. definit, ut Episcopus Hierosolymitanus solitis honoribus fruatur, servando tamen Cæsaream Metropolim ejus in propria dignitate, id est Hierosolymitano attribuitur præsessio, Metropolitano autem servantur cætera Jura, v. g. præsidendi Electioni & Judiciis, convocandi Concilium Provinciæ, convocandi Suffraganeos. Adfinis est *Can.* 8. qui determinat Jura Clericis Novatianis post eorum abjurationem concedenda; scilicet omnia eademque, quibus fruntur Clerici Catholici, nisi fortè Ordines acceperit aliquis Novatianus sub eodem titulo ac aliquis Catholicus, quo in casu honores Catholico reservantur quamdiu vixerit, linquitur Episcopo facultas quem & quantumlibuerit honorem impertiendi.

Canones 11. 12. & 13. pœnitentiam Fidelium nec non Cathecumenorum, ob persecutionem lapsorum, ordinantes legi nequeunt, quin agnoscatur eos pertinere ad administrationem Sacramentorum. Ad eos accedunt *Canon.* 13. jubens dari Viaticum Pœnitentibus periculosè ægrotantibus ante completam pœnitentiam, & *Can.* 18. vetans, ne Diaconi Communionem Sacerdotibus distribuant, eamve antè Episcopos accipiant. Hic ultimus *Canon.* ad Jura Honorifica referri potest, maximè in eo, quod dicit circa finem, Diaconos in medio Presbiterorum sedere non debere. Manifestum est, ad Sacramentorum administrationem pertinere *Canonem* 19. jubentem, rebaptisari Paulianistas ad Ecclesiam revertentes, & post Baptismum reor-

reordinari, posito, quod in sua Hæresi Clerici fuissent, & digni reperiantur. *Canon* hic ad Diaconissas extenditur, ob similitudinem promotionis earum cum Ordinatione.

Canon 2. pertinet ad celebrationem Officii Divini, quippe qui jubet, ut Oratio fiat erecto corpore diebus Dominicis & Quinquagesima Paschali: nam situs corporis orantium ad cæremonias Officii Divini pertinet.

Nullus est ergò Concilii Nicæni Canon, qui ad aliquod ex observatis capitibus non reducatur. Idem faciliùs ostendi potest quoad Canones Concilii Constantinopolitani, qui *Septem* sunt dumtaxat. *Primus* ad fidem pertinet; quippe qui jubeat, ut executioni mandentur statuta contra Arianos & proindè contra omnes Hæreticos, qui eorum erroribus quomodolibet adhærent. Idem est de *Quinto*, qui recipit fidei Confessionem Antiochiæ deliberatam, & pactam, quique eamdem substantiam in tribus Personis agnoscit. Undè sequitur, Canonem utrumque, proposito nostro extraneum esse. Quantum ad reliquos *quinque*, tres sunt ad jura honorifica pertinentes, 2. 3. & 4. In 2. decernit Synodus, ut singulæ Ecclesiæ suis Privilegiis fruantur, ita, ut aliena non attentent tùm vetat, ne Episcopi munia Episcopalia obeant extrà districtum suum, nisi ab aliis vocati fuerint &, quoad Ecclesias apud Barbaros, aut Paganos sitas consuetudinem servari jubet. In 3. gradum secundum post Pontificem assignat Patriarchæ Constantinopoleos, ideò quod Vrbs hæc sit nova Roma. In 4. declarat *Maximum*, ut pote intrusum, frui nullo Episcopali honore debere, neque ordinatos ab eo suorum Ordinum honore, quia nullum est, tam quod ipse gessit, quàm quod circa ipsum gestum est.

Can. 6. judicia respicit, fertque in primis, unumquemque posse accusare Episcopos in negotiis, quæ se attingunt, secùs verò in alienis, in quibus quadruplex personarum genus ab accusatione excluditur, & Hæretici, Schismatici, Excommunicati, & rei, in jure nondum purgati.

Canon 7. respicit administrationem Sacramentorum, nam præscribit modum admittendi Hæreticos ad Pœnitentiam, jubendo, ut per abjurationem, manuum impositionem, & Chrismationem recipiantur ii, qui ritè baptizati fuerint; alii verò recipiantur ut Pagani; variis diebus peragendo Cæremonias Baptismi præparatorias, eosque deinceps baptizando.

Prætermittere possemus statuta in Concilio Ephesino facta, *Sex*que Canonibus comprehensa; quia ad negotia præterita pertinent: sed, cùm ad duas Regulas reduci possunt omnibus temporibus inservientes, eas observare operæ pretium est. Duo fiunt his in Canonibus. 1. Restituuntur ii, quos Nestorius deposuerat, quia suis erroribus repugnabant, nec non iis, qui ab Ecclesia depositi fuerunt, quia Nestorio consentiebant, posito quod ab eo discedant. 2. Deponuntur ii, quos Nestorius ordinaverat, quia sibi favebant; undè sequitur 1. Ignoscendum esse iis, qui hæresim sincerè deserunt, restituendosque in honore eos, qui ob veritatem ignominiam passi sunt. 2. Puniendos esse eos, qui hæresim amplectuntur, vel in ea post ejus damnationem perseverant, spoliandosque honoribus, quos per iniquitatem adepti sunt: porro, utraque regula locum habet in administratione Sacramentorum, & maximè Pœnitentiæ.

Cum ex præcedentibus notis circà statuta in Conciliis Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, condita, sequatur ea reduci ad aliquod ex Capitibus observatis, id quoque de Concilii Calcedonensis Decretis demonstrandum est, quod facile fiet: nam, *Primus* ad omnia collectivè pertinet, cùm doceat quibus legibus inniti debeant, dicendo, æquum esse observare omnes Canones in singulis Conciliis hactenùs conditos.

Secundus, ad 3. Caput evidenter referendus est: nam prohibet Ordines, Ecclesiastica-ve Officia ob mercedem conferri, hæc autem prohibitio respicit modum providendi Dignitatibus, quarum Ordines sunt præcipuæ. Idem est de *Quinto*, confirmante omnes, qui vetaverant, ne ab una, ad aliam Ecclesiam transiretur; quia receptio in secunda Ecclesia, est species provisionis beneficii. Affines sunt *Can.* 4. 10. 12. 13. 28. 29. 30. qui ad primum caput referri quoque possunt. In *Can.* 6. prohibentur Ordinationes sine titulo. In *Can.* 10. prohibetur, ne quis duabus Ecclesiis se addicat, & consequenter, ne duo Beneficia eidem personæ conferantur. *Can.* 12. prohibet, ne Metropoles ex authoritate Imperiali erigi procuretur, ad quas honores Metropolitanorum pertineant, quibus fruantur, qui erectionem promoverint; decernitque ut ejusmodi sedes solum nomen & Gradum Metropoleon habeant servatis juribus Metropoleos veteris. In fine *Can.* 17. constituitur, ut, pro Urbium dignitate, Politia Ecclesiastica civili Politiæ conformetur. *Can.* 13. vetat, ne ad Ministerii sacri honores admittantur Clerici peregrini, absque litteris sui Episcopi. *Can.* 28. confirmat Privilegium secundi Gradus sedi Constantinopolitanæ attributi in *Primo* Concilio ejusdem Urbis, insinuando, sedem Romanam à Conciliis habere honorem primi loci, ideò, quod Urbs illa foret Civitas Imperialis: quæ quidem ratio Jædit Pontifices, qui à *Christo* primatum se accepisse arbitrantur & meritò; item illi attribuit jus ordinandi omnes Metropolitanos Ponti, Asiæ, Thraciæ, & Episcopos Diœcesum inter Barbaros sitarum. *Can.* 29. vetat, ne Episcopi ad gradum Sacerdotum redigantur, quia si criminosi sunt, etiam honore Sacerdotali spoliandi sunt; si innocentes, juribus Episcopalibus frui debent. *Can.* 30. approbat jus, quo fruebatur Antistes Alexandrinus, ne aliquis Episcopus Ægyptius accipere posset definitiones fidei, absque ejus participatione, ita, ut si aliqua fieret definitio sede ejus vacante, ejus acceptio differenda erat, donec sedes occuparetur. Facilè percipitur Canones ad *Tertium*, *primumque* Caput reductos, ad alia, & præsertim ad *Secundum* reduci potuisse, quod de sequentibus faciam. *Can.* 3. prohibet Ecclesiasticis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, exercitium negotiorum sæcularium, puta conductiones, aut gestiones pro personis sæcularibus, excepta Tutelæ aut Curæ Pupillorum Minorumve inexcusabilis administratione & causarum piarum, quales sunt causæ Orphanorum, & Viduarum defensione. *Can.* 4. prohibet, ne Monachi ullum Cœnobium sine consensu Episcopi ædificent, præcipitque, ut iidem jejunio atque orationi vacent, maneant intra Monasteria, quibus addicti sunt, nec exeant nisi cum licentia Episcopi, abstineantque à negotiis sæcularibus; denique, ut Episcopus Monasteriorum curam singularem gerat. *Can.* 7. prohibet Ecclesiasticis Sæcularibus & Regularibus susceptionem cujusvis expeditionis militaris, dignitatisve sæcularis. *Can* 8. jubet, ut Clerici in Hospitalibus aut Monasteriis aut Oratoriis constituti Episcopo sedulo obtemperent. *Can.* 10 & 20. prohibent Beneficiorum pluralitatem. *Can. II.* vetat, ne hospitalitas exerceatur ergà pauperes, qui non habent litteras Pacificas, quæ differunt à Commendatoriis, in eo, quòd hæc egentibus, illæ suspectis darentur. *Can.* 12. monet Episcopos, ne honorem Archiepiscopalem ambiant. *Can.* 13. vetat, ne Clerici peregrini admittantur, ad exercitium Ministerii Sacri, nisi litteris Episcopi sui instructi fuerint. *Can.* 14. permittit conjugium Clericis Lectoribus, aut Cantoribus; modo uxores Catholicas ducant, vel, si alias jam duxerint, è quibus susceperint liberos nondum baptisatos, jubet, ut, eos ad Ecclesiam Catholicam baptisandos adducant, vel reducant, si baptisati ab Hæreticis fuerint. Denique, ut non nisi cum Catholicis eos conjugant. *Can.* 16. nuptias interdicit Religiosis utriusque sexûs. *Can.* 18. prohibet sub depositionis pœna, ne Ecclesiastici contra suum Episcopum conspirent.

Can. 19. jubet, ut bis in anno Concilia Provincialia habeantur, in loco, quem Metropolitanus assignabit, objurgentur-que ii, qui non convenient, si legitima excusatione careant. *Can.* 22. sub pœna depositionis prohibet, ne Clerici spolia defuncti Prælati capiant. *Can.* 23. prohibet, ne

Ecclesiastici Sæculares ac Regulares eant Constantinopolim sine licentia Episcopi sui; & jubet, ut si magnus Defensor Ecclesiæ Constantinopolitanæ tales peregrinos reperiat, moneat eos, ut abeant, nolentes autem ex Urbe ejiciat. *Can.* 24. Pœnas Canonicas comminatur in Episcopos, qui sinent Monasteria Deo dicata Laicis dari. *Can.* 25. & 26. Statutum, ut bona Ecclesiastica administrentur per Æconomos ab Episcopo electos, tàm sede vacante, quàm occupata.

Cæteri Canones ejusdem Concilii, vel Judicia Ecclesiastica, vel administrationem Sacramentorum, vel Irregularitates respiciunt. *Can.* 9. 17. & 21. ad primum Caput pertinent: nam 9. jubet, ut si Clericus cum alio Clerico litiget, ad Tribunal Episcopi recurrat, vel, si Lis fuerit contra Episcoptui, Metropolitanum adeat, vel denique Exarcham, aut Patriarcham Constantinopolitanum, si res cum Metropolitano fuerit. *Can.* 17. jubet, ut si de Parochiis ruralibus & Episcopatui vicinis quæstio mota fuerit, judex eas addicat ei, qui illas ab annis 3. possidet, & renovat quod dictum fuit de reversu ad Exarcham, vel Patriarcham Constantinopolitanum, cum Lis est adversus Metropolitanum. *Can.* 21. prohibet, ne accusatio contra Episcopos ab aliis Clericis, vel Laicis proposita, admittatur, priusquam fama accusatorum discutiatur, sub Canonicis pœnis.

Can. 25. & 27. pertinent ad Sacramentorum administrationem: nam 25. præcipit, ut Metropolitanus consecret Episcopos intra tres menses, nisi legitimo impedimento detineatur: 27. præcipit Episcopis, ut eos, qui, sub obtentu Matrimonii, mulieres rapiunt, afficiant pœnâ depositionis, si Ecclesiastici fuerint, Excommunicationis, si Laici. Ad idem Caput referri possunt *Can.* 14. & 15. in eo, quod jubent circà Matrimonium. *Can.* 15. pertinet ad Irregularitatem, in eo, quòd præscribit ætatem XL. Annorum ad promotionem Diaconissarum, & ad Sacramentorum administrationem: in eo, quòd dicit, de examine præmittendo huic Promotioni.

Jam absolvimus enumerationem Canonum Concilii Calcedonensis, ad Capita supra observata reductorum, &, tàm generatim, quàm sigillatim consideratorum. Facile foret idem ostendere quoad omnia Statuta Conciliorum Generalium posteriorum, nec mediocris foret ejus operis utilitas; nam sic conficeretur epitome Disciplinæ Ecclesiasticæ, ab ejus exordio. usque ad hoc tempus ex ejus monumentis autenticis eruta: verùm longiùs excurreret tractatus, limitesque propositi operis excederet, in quo intendimus dare solummodo aliquas observationes historicas circa Concilia Generalia.

SECTIO XI.

Notæ Historicæ circa ACTA *Conciliorum Generalium.*

MUlta sunt observanda circa ACTA Conciliorum Generalium. 1. Quænam sunt Concilia, quorum Acta habemus, & quorumnam Actis caremus. 2. Quænam sint divisiones Actorum superstitum 3. Ex quibus Instrumentis constant. 4. Quinam sint Caracteres eorum, Epochas, seu Datas distinguentes.

Ex *Octo* Prioribus Conciliis, seu Orientalibus, duo sunt, quorum Acta non existunt; scilicet Nicænum, & Constantinopolitanum I. nam propriè loquendo Acta Conciliorum nihil aliud sunt, quàm diaria, seu relationes rerum in iis gestarum autoritate Concilii confecta. Ex duobus autem prioribus, supersunt tantùm definitio in Symbolo comprehensa, & aliqui Canones: reliquorum *Sex* habemus Acta Græco-Latina; quod necessarium fuit, ut Communia fierent utriusque Linguæ Episcopis & præsertim Latinis, qui magnam in iis partem habuerunt.

Quoad XIII. Concilia Generalia Occidentalia Sex tantùm sunt, quorum Acta existant; nempe Pisanum, Constantiense, Basileense, Florentinum, Lateranense V. & Tridentinum: nam *Quatuor* priorum Lateranensium supersunt tantùm Canones, & aliquot Epistolæ Convocatoriæ. Hoc *Quarto* peculiare est, quod ejus Canones sint Latini & Græci, ex primitivo scilicet idiomate translati in Græcum statim post redactionem, ut à Græcis Patribus, qui Concilio adfuerant, in Græciam deferrentur. Quoad Concilium Viennense, supersunt tantum ejus Definitiones insertæ collectioni *Clementinarum*, & Sententia extinctionis Ordinis Templariorum, cum Epistola circulari convocationis, nec non Epistola Commissionis ad inquirendum adversus Templarios cum nominibus eorum ad quos, vel saltem dignitates, ad quas inscriptæ fuêre. Quoad duo Concilia Lugdunensia, solas habemus Constitutiones eorum, quarum pleræque relatæ sunt in collectione BONIFACII VIII. & Epistolas circulares convocationis, cum Epitome rerum illic gestarum, item Sententiam adversus FRIDERICUM, Imperatorem latam in *priori*, & aliquot Instrumenta, circa unionem Græcorum cum Latinis, tractatam in posteriori.

Cum res Concilium immediatè præcedentes & subsequentes, non sint partes Concilii, sed aliæ sint præludium, aliæ appendices, minùs accuratè dividerentur Acta Conciliorum in tres partes, quarum prima continet Instrumenta antè Concilium confecta. 2. Complecteretur Instrumenta facta in Concilio, aut relata in Concilio, prævia ad definitiones sanciendas aut ferenda in eo judicia; commoda tamen foret hæc Divisio, posito, quòd aliquis de omnibus omninò illis Actis disserere vellet. Sed cùm loquamur solùm de Instrumentis, quæ propriè dicuntur Acta Conciliorum, rejecta illa divisione, tres alias afferemus. *Primo* dividuntur ACTA in ACTIONES. 2. In COLLATIONES. 3. In SESSIONES. 1. Divisio reperitur solùm in Concilio Constantinopolitano II. sive V. Generali. 3. usurpata fuit in Conciliis Pisano, Constantiensi, Basileensi, Florentino, Lateranensi V. Tridentino. Horum factorum veritas cognosci potest ex inspectione Actorum prædictorum. Eamdem divisionem secuti sunt Historici, qui retulerunt gesta Conciliorum Lugdunensium & Viennensis, ut docent Notæ circà posterius & Epitome aliis duobus præfixa; ibi legitur, *tres* fuisse *Sessiones* in Lugdunensi I. *sex*, in II. & *tres*, in Concilio Viennensi.

Quadruplex est, ut plurimum, Instrumentorum genus inter Acta Conciliorum Orientalium, quod in Actis Occidentalium non reperias. 1. Enumeratio omnium Prælatorum, qui Actioni, per se ipsos, aut per Legatum adfuerunt: item Magistratuum præsentium. Ex hac observatione excipiendæ sunt aliquot Sessiones Concilii Lateranensis V. & Concilii Tridentini, quarum initio occurrit Index Prælatorum, Procuratorum, & Legatorum Principum, qui eis Sessionibus interfuerunt.

2. Genus Instrumentorum, quod in Conciliis Orientalibus, non verò in Occidentalibus occurrit, est collectio sententiarum omnium Patrum in propriis verbis. Hæc collectio collata cum enumeratione præcedenti, ostendit, omnes Prælatos, qui Concilio adfuerunt, ejus definitionem comprobasse.

3. Genus Instrumentorum est collectio testimoniorum Patrum & Conciliorum præcedentium, quæ versantur circa Caput definiendum. Hujus collectionis utilitas in eo sita est, quod definitionis Concilii conformitatem exhibeat, cum definitionibus præcedentibus ex Traditione.

Ultimum genus Instrumentorum sunt subscriptiones uniuscujusque Patris, quæ Notam paulò supra positam confirmant. Hæc collectio inservit, præterea; ad exhibendum ordinem Sessionis Patrum in Concilio. Concilium Florentinum ab hac observatio-

ne

ne excipiendum est, utpote cujus subscriptiones existant.

Quemadmodum in Actis Conciliorum Orientalium sunt Instrumenta, quæ in Conciliis Occidentalibus non existunt, ità quædam sunt genera Instrumentorum Conciliis Occidentalibus peculiaria. Tales sunt Epistolæ circulares attinentes ad convocationem, in XIII. & XIV. sæculo usurpatæ, ut videre est in Concilio Lateranensi IV. in Lugdunensibus duobus & in Viennensi: Tales sunt Bullæ Indictionis, quæ Epistolis successerunt.

Inter Instrumenta, quæ leguntur in Conciliis quorum Acta non habemus, quædam sunt, quæ reperiuntur, in pluribus, quorum Acta habemus. Talia sunt Symbola Nicænum & Constantinopolitanum, quæ seorsim, aut conjunctim videntur, in Concilio Ephesino *Act.6.* in Calcedonensi *Act.* 2. in III. Constantinopolitano, *Sexto* Generali *Act.* 18. in Nicæno II. *Act.*7. in Concilio Florentino *Sess.* 5. in Concilio Tridentino *Sess.* 3.

Præterea, in Conciliis, quorum Acta supersunt, quædam sunt Instrumenta, quæ in Actis plurium Conciliorum reperiuntur, v. g. Acta pseudo-Synodi Ephesinæ referuntur in Concilio Calcedonensi, sicut in Ephesino Concilio; sed cum hoc discrimine, quòd hîc simpliciter referuntur, illic refelluntur. Ex Instrumentis ad verum Concilium Ephesinum pertinentibus, quædam sunt in Actis Concilii Calcedonensis, & in Actis Concilii Constantinopolitani V. quod provenit ex eo, quod causa *Theodoreti*, Episcopi Cyrani, *Ibæ*, Episcopi Edesseni, *Theodori* Mopsuestani, cohæreat cum Nestorianâ, in Concilio Ephesino discussa, cumque Eutychiana, apud Calcedonens. ventilata, eaque ipsa causa in Concilio Generali V. consultò discussa fuerit.

Epocha, sive Data Conciliorum Generalium denotatur, modò per solùm Annum Consulatûs Imperatorum, ut in *Quatuor* prioribus; modò per eundem Consulatum, & per Annum Indictionis, ut in *Quatuor* sequentibus; modò per Indictionem, & per annum Incarnationis, ut in pleriſque reliquis, quorum data ex documento autentico cognoscitur, vid. *Lateran. III. Concil. Pisanum*, *Conc. Constantiense*, *Lateranense V. & Conc. Trident.* modò per solum Annum Incarnationis, ut in Concilio Basileensi; modò, per Annum Incarnationis & Annum Pontificatûs, sub quo habitum fuit, ut in Florentino CONC. *Tom. XIII. pag.* 1168.

SECTIO XII.

Notæ Historicæ circa SUBSCRIPTIONES *Conciliorum Generalium.*

SEptem duntaxat Generalia sunt Concilia, quorum autem has Subscriptiones habeamus: nempè, *Sex* Orientalia postrema, & *Unum* Occidentale, seu Florentinum.

Ex iis Subscriptionibus patet, 1. Prælatos, qui Concilio per Procuratorem interérant, per Procuratorem quoque subscripsisse. Probationes repete suprà, ubi de Assistentia per Procuratorem.

2. Nullus Abbas Concilia Orientalia suo nomine subscripsit; omnes autem, qui ad Florentinum convenerunt, quique non pauci sunt, suo nomine subscripsêre.

3. In iisdem Subscriptionibus Florentinis, duo tresve Monachi reperiuntur, qui Abbatum suorum loco subscripserunt.

4. Unus præterea Prior, unusque Abbas veterani atque honorarii subscripsêre Conciliis.

5. JOANNES PALEOLOGUS, Imperator, eidem subscripsit, primus Græcorum, sine ulla restrictione: ejus autem Prædecessores Imperatores Orientis non subscripsêre Conciliis, quibus adfuerunt, vel saltem post omnes Prælatos subscripserunt, ut CONSTANTINUS POGONATUS, in 6. Concilio. CONSTANTINUS & IRENE in Nicæno II. vel post Patriarchas; ut Imperatores BASILIUS, CONSTANTINUS, & LEO, in Concilio Generali VIII. vel ubi antè omnes subscripsêre, adjecêre clausulam, se subscribere recipiendo Definitiones, seu Constitutiones à Prælatis factas, ut JUSTINIANUS *Rhinotmetos*, in Concilio Trullano.

Fortè dicendum est, Decretum Florentiæ confectum esse quoddam veluti Concordatum inter duas Ecclesias, cujus autor fuit Imperator, cujusque executionem, quoad Ecclesiam Græcam, procurare debet idem Imperator, qua duplici de causà, primus inter Græcos subscripsit.

6. In Subscriptionibus Conciliorum Orientalium Episcopi non usurpant nomen in Baptismo sibi impositum, sed Pro-nomen suum, cum cognomine Dignitatis suæ; in Subscriptionibus Concilii Florentini adhibentur nomina è Baptismo & Dignitate petita.

7. Subscriptiones non omnes iisdem verbis concipiuntur non solùm in diversis Conciliis, sed etiam in eodem v. g. in Synodo Ephesina, tres hæ formulæ reperiuntur *cum Sancta Synodo pronuntians subscripsi*, & *Synodo consentiens subscripsi*, & *subscripsi*, simpliciter. In Concilio Calcedonensi duæ, *ego definiens subscripsi*, & *subscripsi* solitariè.

Priores ex Patribus Concilii Generalis V. suis Subscriptionibus definitionis summam inseruerunt, dicendo, *se recipere IV. Priora Concilia Generalia*, *se anathematisare præ omnibus Hæreticis & eorum Scriptis, impium Theodorum Mopsuestanum*, *ejusque Scripta impia*, *item impiam Ibæ Epistolam & Scripta impia Theodoreti*, *denique omnes illis consentientes*: reliqui declarant, *se suscipere & damnare ea*, *quæ præcedentes receperant & damnaverant.*

In Concilio Nicæno II. *Tarasius*, Patriarcha Constantinopolitanus his verbis subscribit . . . *Paterna dogmata sequens & traditionem Ecclesiæ Catholicæ*, *subscripsi.* Cæteri eadem formula utuntur vel hâc *subscripsi*, *similiter.*

In Concilio Generali VIII. Legati Pontificis subscribunt his verbis . . . . *Locum obtinens Domini mei Hadriani*, *Summi Pontificis*, *& Universalis Papæ*, *omnia quæ superius leguntur*, *huic Sanctæ Synodo præsidens*, *usque ad voluntatem ejusdem eximii Præsulis*, *promulgavi & propria manu subscripsi.* Patriarcha Constantinopolitanus subscribit hoc modo: *Sanctam hanc & Universalem Synodum suscipiens*, *& omnibus*, *quæ ab ea judicata & scripta sunt concordans & definiens subscripsi*, *propria manu:* Legati aliorum Patriarcharum idem faciunt. Imperator & Episcopi deinceps utuntur eâdem formulâ omisso *definiens.*

Inter Prælatos, qui Concilio Ephesino subscripsêre, multi dixerunt *minimus Episcopus*, quod exemplum imitati sunt plures in Conciliis subsequentibus. Nonnulli in 5. scripserunt *humilis* vel *humillimus.* In sequentibus multi scripsêre *indignus*, vel *peccator.* In Concilio Calcedonensi, & in sequentibus, plures Episcopi dicunt se Episcopos *gratia Dei*; alii *misericordia.* Præsules Florentini nullum ex his titulis usurpaverunt, nisi tres Archiepiscopi Græci, qui scripsêre *humilis Archiepiscopus*, & præter unum itidem Græcum Episcopum, qui dixit *gratia Dei*, vel *misericordia.*

Aliquid est singulare & notabile in Subscriptionibus Concilii Calcedonensis in fine earum, quæ Canonibus subjacent, sub finem *Actionis ib.* nempè, cùm Legati Sedis Apostolicæ questi essent, Patres Concilii Patriarchæ Constantinopolitano, Sessionem antè reliquos Patriarchas, post Romanum, concessisse, contra Canonum tenorem, suamque voluntatem, Magistratus jusserunt Canones circa hanc præsessionem referri: Lectis autem *Canone 6.* Nicæno, & *Quinque* Prioribus Canonibus Constantinopolitani I. Judices declaraverunt, Episcopos Asiæ & Ponti, qui Patriarchæ Constantinopolitano submitti se passi fuerant, id libera fecisse voluntate.

Plerique autem ex his reſponderunt, ſe in eo ſecutos fuiſſe, tàm uſum receptum, quàm propenſionem ſuam; cum non ſolùm ipſi, ſed etiam prædeceſſores ſui conſecrati fuiſſent à Patriarcha Conſtantinopolitano.

Alia circa ſubſcriptiones obſervanda forent; verùm id jam præſtitimus *Titulo VI.* ubi iis uſi ſumus, ad probandum ordinem Seſſionis, & Tit. præcedenti, ubi diximus ſubſcriptiones junctas Catalogo Prælatorum, qui Concilio adfuerunt, oſtendere definitiones è communi voto factas fuiſſe.

SECTIO XIII.

Notæ Hiſtoricæ circa CONFIRMATIONEM *Conciliorum Generalium.*

NOn hic agitur de quæſtione *Juris*, ſed de quæſtione *Facti*. Non quærimus, an ſit neceſſe confirmatas eſſe definitiones à Conciliis Generalibus profectas, ut illæ vim obligandi habeant: nam conſtare debet apud Eccleſias, quæ Concilia Conſtantienſe & Baſileenſe receperunt, quod ejuſmodi definitiones non egent Confirmatione Pontificia, ad obligandum, poſito, quòd Concilia legitimè coacta fuerint, vel per Pontificem, vel ejus defectu, per eos, qui autoritatem habent, illa convocandi; ratio eſt, quòd ambo hæc Concilia jure merito definierunt, Concilia Generalia legitimè congregata in Spiritu Sancto, ſuam à CHRISTO habere autoritatem, cui Pontifex ſubditus eſt, ſicut reliqui fideles; quia ejuſmodi Concilia Univerſalem Eccleſiam repræſentant, quam pro Matre agnoſcere debet, ſicut reliqui Chriſtiani Catholici. Porrò, ſi Pontifex ſubditus ſit Decretis Conciliorum Generalium, quonam modo trahent illa ſuam autoritatem ab ejus confirmatione? 1. Poteſt-ne Inferior Superiori ſuo autoritatem impertire? Nonne potiùs inferior Superioris autoriſatione indiget. 2. Superfluum, proinde eſſet, quoad Galliam diſcutere, an Decreta Conciliorum Generalium confirmari debeant à Pontifice, ut vim legis habeant: Cùm ea Concilia Conſtantienſe & Baſileenſe receperit, hancque doctrinam pro certa & conſtanti tueatur. Vide 2. *Propoſit. Declarationis Cleri Gallicani; anno* 1682.

Agimus ergò de quæſtione *facti*; nimirum, an probari poſſit, quòd alia Concilia Generalia quàm Tridentinum, Pontificem rogaverint, ut ſua Decreta confirmaret. Diſcuſſio hæc eò utilior erit, quòd multùm interſit ſcire, an doctrina Eccleſiæ Gallicanæ hac in parte conſentiat antiquitati, & praxi ſæculorum ſequentium. Verùm perſpicuitatis & ordinis gratia, triplex Conciliorum genus diſtinguendum eſt. Primum, eorum, quibus ipſe Pontifex interfuit: Secundum, eorum, quibus interfuit, per Legatos: ultimum, eorum, quibus neutro modo interfuit.

Quoad *primum* genus, credibile eſt, ea nunquàm rogaviſſe Pontificem, ut ſua Decreta confirmaret: nam conſtat, Pontificem in eis feciſſe quidquid libuit; imò Concilia nil aliud feciſſe, quàm adprobare, quod Pontifici placuerat: undè ejuſmodi Conciliorum Decreta, ſub Pontificis nomine concipiuntur, cum clauſula, *Sacro approbante Concilio.* Multæ hujus facti probationes exiſtunt in Lateranenſi IV. in *duobus* Lugdunenſibus; in Concilio Viennenſi, & in Lateranenſi V. Itaque, ſi hæc Concilia ſuorum Decretorum confirmationem à Pontifice petiiſſent, hoc ipſum fuiſſet rogare, ut Pontifex ſuum-met opus confirmaret, quod mera fuiſſet cærimonia, tàm inutilis, vel etiam abſurda, quàm ſi Titius poſtularet à Mævio confirmationem Inſtrumenti à Mævio confecti, & cui Titius ſolùm conſenſiſſet. Et quidem Concilia non poſſunt rogare Pontificem, ut ſua Decreta confirmet, niſi ob aliquam ex his cauſis; vel, ut his impertiatur autoritatem, qua indigent, ad obligandum; vel, ut declaret Decreta, per autoritatem legitimam, & modo legitimo, fuiſſe confecta: ſcilicet, Concilia ritè convocata fuiſſe, vocatis omnibus perſonis aſſiſtendi jus habentibus, & ritè habita fuiſſe, ſeu præſentes habuiſſe jus ſuffragii, illudque ſpontè & libertè tuliſſe. Porrò, cùm Pontifex adfuit Concilio, ejuſque Decreta confecit, is non poteſt eis novam autoritatem tribuere per confirmationem: nam Pontifex Confirmator non habet majorem autoritatem quàm Pontifex Autor. Quod ſi dicatur, Epiſcopum, qui ſtatuta fecit cum Capitulo, quatenùs Capituli Membrum, poſſe deinceps illa confirmare, quatenùs Epiſcopum, & proindè, Pontificem, qui fecit Decreta in Concilio, quatenùs Concilii Membrum, poſſe deindè illa confirmare, quatenùs Pontificem, vel Epiſcopum Univerſalem.

Reſpondemus, Epiſcopum non poſſe confirmare ſtatuta, quæ ipſe fecit cum Capitulo, niſi cum ea fecit, ut Canonicus, non verò cùm fecit, ut Epiſcopus. Diſcrimen in eo ſitum eſt, quod, ſi egerit ut Canonicus, habeat, quatenùs Epiſcopus, autoritatem ſuperiorem, quam eiſdem ſtatutis impertiri poteſt: ſi fecerit ut Epiſcopus, nullam ſuprà habet autoritatem, quam eis confirmatione dare poſſit. Itaque, paritas objecta non valet; quia nunquàm accidit, ut Pontifex aliter Concilio Generali interſit, quàm prout Caput Eccleſiæ Univerſalis, & conſequenter, is extrà Concilium habere nequit autoritatem ſuperiorem ei, quam in illo exerceret, & confirmatione communicabilem Decretis, quæ cum aliis Patribus fecit.

Quoad confirmationem, quæ conſiſtit in declaratione, quòd Decreta legitimè facta ſunt, præterquam, quòd non agitur hîc de tali confirmatione, dici poteſt, contumeliam factam iri Pontifici, ſi illa poſtularetur; ideó, quod ejuſmodi preces ſupponunt, in dubium vocari poſſe, an quod ipſe fecit, legitimo factum ſit modo. Præterea, quis eſſet fructus iſtius confirmationis? Nam Pontifex declararet id, quod ſatis aliundè præſumitur ex modo, quo Decreta concipiuntur; nempe, illum eſſe eorum autorem.

Sanè in Actis Conciliorum, quibus adfuit Pontifex, nullum eſt veſtigium, illa rogaviſſe Pontificem, ut ſua Decreta confirmaret, vel eum non rogatum ea confirmaviſſe. Concilia hæc ſunt Lateranenſia, Lugdunenſia, Viennenſe, & Florentinum.

Quod ad Concilia, quibus Pontifex adfuit per Legatos, defuiſſe ipſis non videtur ratio rogandi Pontificem, ut ſua confirmaret Decreta, ob geſtionem Legatorum ſuorum, ſicut à Mandante requiri poteſt ratihabitio negotii cum Procuratore geſti: Potuiſſent etiam petere confirmationem ſitam in declaratione, quod Decreta legitime facta fuerunt; quia viſis Concilii Inſtrumentis, Pontifex declarare potuiſſet, omnia ritè facta fuiſſe; nullum tamen exiſtit monumentum, quo probetur, Concilia alterutram confirmationem petiiſſe à Pontifice, quod patebit evolvendo Epiſtolas, quas Concilia ad Pontificem ſcripsêre, poſt condita Fidei aut Diſciplinæ Decreta, & in quibus geſta ſua exponunt, quæ videntur in Actis Conciliorum, ſub hoc nomine, *Ratio Synodi.*

Prima, quæ legitur in Collectione LABBÆI, eſt in Actis Concilii Epheſini. CONCIL. *Tom. III. p.* 659. Concilium ad CELESTINUM, Pontificem, ſcribit, ſuaque narrat geſta, circà quatuor facta, de quibus egit, per totum durationis tempus. Primum reſpicit JOANNEM, Patriarcham Antiochiæ, quo favebat Neſtorio, quia hic ſuæ Eccleſiæ Clericus fuerat: alterum reſpicit Synodum Epheſinam ab eodem Joanne habitam, & xxx. Epiſcopis conſtantem, in qua *Cyrillus*, Alexandrinus Patriarcha, & *Mennon* Epheſinus Epiſcopus, depoſiti fuerant, ſub obtentu, quòd eſſent Apollinariſtæ Eunomiani.

Tertium

Tertium respicit specialiter Nestorium multoties citatum & contumacem, demùm damnatum cum Joanne Antiocheno & aliis Episcopis falsi Concili, de quibus dicitur Pontifici, quòd, licèt meruerint depositionem, quam contra eos Concilium pronuntiavit, ipsi tamen sententiæ executio reservatur, illis interea interdicendo exercitium Ordinum, eosque à Communione excludendo.

Factum ultimum est damnatio *Pelagii*, *Cœlestii*, pluriumque ex eorum Asseclis, hic nuncupatis, à Concilio Ephesino accepta.

Absoluta hac narratione, Concilium dicit, se Acta adjecisse, ut Pontifex, ex ipsis, factorum veritatem cognosceret. Et hæc est summa Epistolæ, in qua nullum est verbum, quo probetur, Concilium à Pontifice suorum Decretorum confirmationem rogavisse.

Epistola præfata negativè tantùm probat, Concilium Ephesinum non rogavisse Pontificem, ut sua Decreta confirmaret: at Epistola Concilii Calcedonensis, ad LEONEM Pontificem, præter negativam probationem, aliam quodammodò positivam præbet; nempè, postquàm Synodus sua contra *Dioscorum* Alexandrinum, *Eutichis* fautorem, & contra ipsum *Eutichem*, eorumque hæresim, gesta retulit, non postulata à Pontifice confirmatione sententiarum, quas in personas, ob earum pertinaciam, & in hæreses, ob earum perversitatem, tulerat, ad aliud factum transit multò minùs grave, ejusque confirmationem petit, quia Legati Pontificis ei contradixerant: scilicet, secundum gradum adtribuerat Patriarchæ Constantinopolitano, nec non potestatem consecrandi Metropolitanos Asiæ, & Ponti, atque Episcopos Diœcesum inter Barbaros sitarum; Legati autem repugnaverant huic attributioni, utpote quæ adversaretur dispositionibus *Sexti* Canonis Nicæni, & *Primi* Concilii Constantinopolitani, &, præterèa, dignitati sedis Apostolicæ, cujus erat talem prærogativam concedere: Concilium itaque tollere cupiens hoc obstaculum, recurrit ad Pontificem, petitque ab eo, sub confimationis verbo, ratihabitionem eorum, quæ contra Legatorum voluntatem gesta erant. Diversa hæc agendi ratio, circà hæc duo Capita, docet, Concilium non putavisse, quòd sua Decreta annuentibus Legatis confecta, confirmatione Pontificis indigerent; sed eam necessariam esse Decreto iisdem repugnantibus facto, circa rem, quæ ad Pontificis dignitatem pertinebat.

Concilium 5. nullam scripsit Epistolam ad VIGILIUM Pontificem, ut eis gesta sua exponeret circà damnationem Trium Capitulorum, ob quam fuerat convocatum. Causa discitur ex ejus definitione; nam Pontifex multoties rogatus, multotiesque se adfuturum pollicitus, neque venerat ipse, neque ullum suo nomine miserat. Prætereà, ex Decreto ejusdem Pontificis ad Eutichium misso, aliquandiù post finem Concilii, apparet, Vigilium damnanda esse Tria Capitula non duxisse, ne Concilii Calcedonensis Decretis noceretur; nam sententiam hanc deponit, declaratque, se, perlectis Tribus Capitulis, multa in eis reperisse damnatione digna. Quamvis in Inscriptione hujus Decreti feratur, illud factum fuisse ad confirmationem S. Concilii, nullum tamen est verbum quo id probetur, nisi pro confirmatione Concilii, accipiatur damnatio trium Capitulorum, quæ ostendit, Pontificem consentire Decreto Concilii & equidem Pontifex non loquitur de Concilio, & multominus de damnatione, quam tulit.

Fatendum est Concilium VI. videri postulare ab AGATONE, Pontifice, suorum Decretorum confirmationem CONCIL. *Tom. VI. p.* 1073. nam posteaquàm dixit Pontifici, se damnavisse Theodorum, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pirrhum, & Petrum, seque deposuisse Macarium Patriarcham Antiochenum, propter ejus impœnitentiam; se autem adjutum luminibus tùm ipsius Pontificis & Concilii Romani, cùm Legatorum Pontificis, & Legatorum ejusdem Concilii, Sancti Spiritus auxilio suffultum, Doctrinam Scripturæ, Quinque Conciliorum præcedentium, & Sanctorum Patrum sequendo, definivisse, duas esse in Christo Voluntates, prout duæ sunt Naturæ, quæ singulæ suam habent voluntatem, jamverò discussis erroris tenebris, se splendidum Fidei Ortodoxæ, lumen proposuisse; adjiciunt Patres, *quam ut iterum per honorabilia Rescripta vestra confirmetis, vestram oramus Paternam Sanctitatem.* Sed multum abest, ut postulent confirmationem, de qua hic agitur, sine qua Decreta Conciliorum non habent vim obligandi; nam rogant duntaxat confirmationem, quæ sita est in nova adprobatione, quæ cum sit novum Testimonium Pontificem Concilio consentire, definitionem aliquatenùs corroborat. Nam 1. verbum *iterum* hunc sensum firmat, evincitque nihil aliud peti à Pontifice nisi, ut rursus faciat, quod jam fecit. 2. Prætensa hæc confirmatio complecti deberet quidquid fecit Concilium, posito quòd necessaria foret, & proindè, si talis visa fuisset, Concilium eam rogavisset, quoad damnationem Personarum, de quibus dictum fuit, depositionemque Macarii, & quoad Statuta Disciplinæ; non minus quam circa Definitiones suas, & nihilominus confirmatio, de qua Concilium hic loquitur, pertinet solùm ad Definitiones.

Epistola Tarasii ad Hadrianum Pontificem post celebrationem Concilii Nicæni II. annumerari potest Epistolis, de quibus loquimur, quæ *Synodi Relationes* apellantur: ille enim Concilii gesta narrat; nempè Legatis Pontificis & variis Patriarcharum Orientis Niceæ congressis, & congregari incipientibus, lectam fuisse primùm Epistolam Papæ, tùm Epistolas Patriarcharum Orientis, quibus junctis testimoniis Patrum, indè exorta est probatio perfecta traditionis circa Imaginum Cultum, juxta quam confecta est definitio, quæ ad Pontificem missa fuit. Porrò, in toto hoc contextu nihil est, quod probet, Concilium petiisse à Pontifice confirmationem Decretorum suorum. Nam 1. nihil dicitur de Canonibus factis à Concilio, &, circa Definitionem, nihil aliud dicitur Romæ favorabile, nisi illam fuisse Romam transmissam: undé concludi non potest, Concilium petiisse à Pontifice confirmationem Decretorum suorum; nam credibile est, Concilium similes Epistolas misisse ad sedes Insigniores. Una est hujus speciei dicta, ob id, Encyclica sivè Circularis, scripta à Concilio VIII. in qua, post deterrimam *Photii* picturam, per narrationem corruptionis morum, ejus effrenatæ ambitionis, viarum illicitarum, quibus utebatur, ut perveniret ad Dignitates, fraudium, quas adhibuerat, ad deponendum *Ignatium*, Patriarcham, & violentiæ, cum qua sedem ejus invaserat; adjicitur Imperatorem, juxta sedis Apostolicæ judicium, deposito Photio, & Ignatio restituto, Concilium convocavisse Generale, quod anathema contra Photium ejusque Asseclas dixerat, Ignatium in sua sede conservaverat, variaque fecerat Statuta circa Disciplinam CONCIL. *Tom VIII. pag.* 1379. Præter hanc Epistolam narratoriam gestorum hujus Concilii, & probabiliter missam ad omnes Episcopos, qui non adfuerunt Concilio, saltem ad præcipuos, alia est ejusdem Speciei, inscripta ad Pontificem HADRIANUM II. in qua Synodus aliquot factorum prædictorum mentione facta, & specialiter Celebrationis, & Conclusionis Concilii, desinit, per verba, quæ ostendunt, eam longè abfuisse à petenda confirmatione Decretorum suorum, ut ea vim obligandi haberent; *Vos autem conventum omnium nostrum & consonantiam hujus Synodi benevolè recipite, & precibus apud Deum vestris confirmate.*

Et hæc sunt omnia Concilia Orientis, quæ ad Pontificem misèrè gestorum suorum relationem; & quoniam in

in nulla earum repertum est aliquid, probans hæc Concilia petiisse à Pontifice confirmationem suorum Decretorum; valdè credibile est, nullum eorum eam petivisse; hîc enim erat locus ad eam petendam opportunus. Porrò: si Concilia, quæ ad Pontificem relationes miserunt, non rogaverunt eum, ut sua Decreta confirmaret, nonne dicendum est alia multo minus id fecisse? Undè meritò concluditur, nullum ex Orientalibus Conciliis postulavisse Confirmationem Pontificiam.

Quantùm ad Concilia Occidentis, quibus Pontifex solùm per Legatos interfuit, nullum est quod miserit ad Pontificem gestorum suorum relationes; unicum est Concilium Tridentinum, de quo aliundè constet illud illam confirmationem rogavisse. Is igitur, qui *Bullam* PII IV. Concilii Tridentini confirmatoriam confecit, parùm versatus erat in historia Conciliorum, vel ipsos fontes non consuluerat, cùm Pontifex dicat, Concilium, dùm petit confirmationem Decretorum suorum, veterum Conciliorum vestigia secutum esse.

Loquendum supereſt de Conciliis Generalibus, quibus neutro modo Pontifex interfuit: circà quod observandum est, quædam esse, quibus Pontifex legitimus non nisi sub finem adfuit: talia sunt Pisanum, anno 1409. & Concilium Constantiense. Quoad prius, constat illud non petiisse à Pontificibus ejus temporis confirmationem Decretorum suorum. Nam 1. invitis Pontificibus ejus temporis BENEDICTO XIII. & GREGORIO XII. congregatum fuit, & contra eos processit, eos multoties citando, & denique ob eorum contumaciam, deponendo: &, quoad ALEXANDRUM V. electum in Concilio, & duobus depositis substitutum, non apparet Concilium eum rogavisse, ut sua gesta confirmaret; sed apparet tantùm, Pontificem ea rata habuisse, CONC. *Tom. XI. part. 2. pag.* 2311. Hæc autem ratihabitio dicta fuit *Confirmatio*, quia tollebat prætextum dubitandi de validitate Actuum, qui potuisset nasci ex eo, quòd Ecclesiæ Caput, eorum particeps non fuerat, & nihilominùs Concilium se Generale esse contendebat: Præterea, non agitur hîc de confirmatione Decretorum prætensâ necessariâ, ut vim obligandi habeant; sed de confirmatione sententiæ latæ contra duos Pontifices, & processuum qui illam præcesserunt & secuti sunt. Hæc autem confirmatio fortè data est tantùm ad cautelam, ut tolleretur omnis Schismatis prætextus, incapacitatem Concilii, vel nullitatem processûs allegans. Deniquè, confirmatio hæc erat mera cœrimonia: nam, si sententia depositionis à Concilio lata valida non fuisset, *Alexander V.* non fuisset Pontifex legitimus, & proindè, dare non valuisset huic sententiæ autoritatem, qua caruisset.

Quoad Concilium Constantiense, neque etiam apparet illud rogavisse Decretorum suorum confirmationem ab ullo Pontifice, neque ab eo, sub quo inchoatum fuerat, neque ab eo, sub quo concluſum fuit. Quoad primum, qui erat JOANNES XXIII. Synodus eum deposuerat, ob ejus crimina, non ergò Decretorum suorum confirmationem ab eo poterat rogare, quem legitimè spoliatum putabat. Quoad alterum, qui est MARTINUS V. Synodus ab eo postulare confirmationem potuisset, quia eum legitimè electum credebat; & præsumendum est futurum fuisse, ut eam peteret, si eam necessariam duxisset. Ejus autem petitionis vestigium aliquod remansurum fuisse, si vera esset: Verum quidem est, Pontificem rata habere & approbare aliquot Decreta hujus Concilii; nempè ea, quæ fidem recipiunt, & conciliariter facta sunt; hanc autem ratihabitionem dici posse confirmationem: sed nihilominus verum est, hanc ratihabitionem petitam non fuisse à Concilio, sed Pontificem eam dedisse motu proprio, occasione rogationis Polonorum, petentium, ut damnatio quorumdam errorum facta à Deputatis Concilii, circà causas fidem respicientes, & approbata ab omnibus Nationibus, & concluſa in Collegio Cardinalium, promulgaretur in Sessione publica, ante finem Concilii, addito, quod si fieret secùs, protestabantur de gravaminibus futuris, & se appellaturos ad futurum Concilium. Circumstantia hæc notabilis est, ad expositionem verborum, *conciliariter facta*: ea enim ostendit *Martinum*, per eas voces, distinguere voluisse Decreta facta à solis Deputatis, & nondùm approbatis, à Collegio Cardinalium & ab omnibus Nationibus, quæ cum isto Concilio Concilium faciebant, distinguere, inquam, à Decretis, quæ ab omnibus Nationibus, & à Cardinalium Collegio adprobata fuerant. Quibus sic factis, *Sanctissimus Dominus noster Papa dixit respondendo ad prædicta, quod omnia & singula determinata concluſa & decreta per præsens Concilium in materiis fidei, conciliariter, tenere & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contraire quoquo modo, ipsaque sic facta conciliariter approbat, & ratificat, & non aliter & alio modo.* Expositio hæc confirmatur per silentium Polonorum, post responsionem Pontificis, quæ, si ipsis non placuisset, illi suam protestationem iteràssent; nam Pontifex dimiserat Patres Concilii, Patresque dimissionem hanc adprobaverant CONCIL. *Tom. XII. Sess. XLV. pag.* 258.

Quædam sunt Concilia, quibus Pontifex etiam per Legatos, non nisi in primis Sessionibus interfuit, iis deinceps revocatis. Tale est Concilium Basileense, quod constat non petivisse confirmationem Pontificiam; plura enim Decreta fecit, post depositionem Pontificis, non autem apparet eos invicem conciliatos fuisse, post depositionem & post discordias, circa tempus Sessionis XXVII. exortas. Constare etiam videtur, Concilium hoc non petivisse confirmationem hanc à Pontifice FELICE V. in EUGENII locum electo: nulla enim existit Bulla vel Decretum hujus Pontificis, ex quo id consequatur. Denique, Concilium non potuit à Pontifice NICOLAO V. confirmationem postulare: nam hic electus non fuit, nisi post annos plures à fine Concilii; Basileensis, nempè, anno 1447. Concilium anno 1442. absolutum fuerat.

Sed fortasse aliquis fatebitur, Concilium non postulavisse confirmationem Decretorum suorum à NICOLAO V., sed objiciet, eumdem Pontificem existimavisse Decreta hæc sine approbatione Sedis Apostolicæ esse invalida, ideoque ipsum illa confirmavisse Diplomate suo 18. Junii 1649. Verùm huic objectioni repugnat ipsum Diploma; nullum enim verbum continet circa Decreta facta à Concilio Basileensi, sed mentionem tantum facit quorumdam Actuum pro vel contra quosdam privatos factorum.

Sunt denique Concilia sine ullo Pontificis interventu habita. Tale est 1. Concilium Constantinopolitanum I. sub DAMASO Pontifice, cujus Acta & specialiter subscriptiones nullam mentionem habent Legatorum Pontificis. *Damasus* autem neque per se, neque per Legatos huic Concilio interfuit, ideò, quòd ipse eadem de causa Concilium haberet Romæ, in quo expectabat Episcopos, qui Constantinopoli coacti fuerunt. Factum hoc cernitur in Epistola eorumdem Episcoporum, ad hoc Concilium, CONCIL. *Tom. II.* in qua nullum est verbum, quo probetur, Concilium Constantinopolitanum Decretorum suorum confirmationem postulavisse, quod sanè fecisset, si putavisset, hanc confirmationem esse necessariam, quippe locus opportunus erat.

Idem est de Constantinopolitano II. *Quinto* Generali, cui Pontifex, neque per se ipsum, neque per Legatos interfuit, quia non probabat, moveri quæstiones de Tribus Capitulis, & quidem in Concilio; cum hæc circumstantia Concilium non lateret, satisque constaret, ex eo, quod convenire nolebat Pontifex, quamvis multoties rogatus & pollicitus se ad futurum; valde credibile est, Concilium non petiisse ab eo confirma-

confirmationem definitionis suæ, quod si postea eam adprobavit Pontifex, minæ fortasse ad ejus mutationem contulerunt. Hoc certum est in Decreto Pontificis, cujus inscriptio fert, illud fuisse factum ad confirmationem hujus Concilii, nullum esse verbum undè inferri possit, Concilium eam rogavisse, vel illud factum esse hujus definitionis confirmandæ causâ: itaque credibile est, verba hæc, *pro confirmatione Synodi*, quæ leguntur in Inscriptione, inserta fuisse ob effectum, quem produxit hoc Decretum, dando vim novam definitioni Concilii, per acceptationem & subscriptionem primæ Ecclesiæ.

Ex omnibus, quæ hactenus dicta sunt, circa confirmationem Conciliorum Generalium per Pontificem, indè non sequeretur illa credidisse, sua Decreta non habere vim obligandi, sine confirmatione Pontificiâ. Nam verbum *Confirmatio* variè acceptum fuit. Plura Concilia Particularia, & specialiter Hispanica, postulaverunt, à Principe confirmationem Canonum suorum; Leges autem ad hunc effectum conditæ, nuncupantur. *Leges confirmatoriæ*: Vide *Concilia Toletana* XII. XIII. & XVII. *Concil. Tom. VI.* extant Leges ad confirmationem singulorum, quarum titulus est, *Lex in confirmatione Concilii edita.* Concilium Constantinopolitanum in sua ad *Theodosium* Imperatorem Epistola, petit confirmationem gestorum suorum, his verbis, *rogamus igitur Clementiam tuam, ut per litteras pietatis tuæ ratum habeatur Concilii Decretum.* In fine Concilii Generalis VI. exstitit Lex Imperatoris *Constantini Pogonati* ad *Joannem* Pontificem inscripta, ad confirmationem hujus Concilii. *Exemplar Divinæ jussionis Justiniani Augusti directæ ad Joannem Papam Urbis Romæ, in confirmationem 6. Synodi Constantinopolitanæ.* Docet illa, Imperatorem, convocatis, cum Senatu, Patriarchis, Metropolitanis, Episcopis, qui erant Constantinopoli, & compluribus militaribus viris, afferri Acta Sexti Concilii, & coram omnibus legi fecisse, atque ab omnibus Auditoribus suscribi. Talis est Summa hujus Legis, undè discimus de quibusdam Actis ad executionem Conciliorum factis, dici, ea facta esse, ad eorum confirmationem: fieri ergo potuit, ut Concilia, petendo confirmationem Pontificiam, nil aliud intenderent, quàm impetrare ab eo aliquas litteras eorum executioni inservientes, per testimonium adprobationis Capitis Ecclesiæ.

SECTIO XIV.

Notæ Historicæ circa ACCEPTATIONEM *Conciliorum Generalium* AB EPISCOPIS, *qui eis non adfuerunt.*

QUæstio proposita non minus utilitatis habet, quàm ulla ex præcedentibus; quia nullum est Concilium quod perfectè Generale fuerit, aliter quàm per *acceptationem*: observatum autem fuit, solas definitiones Conciliorum Generalium esse Regulas infallibiles, sive quoad fidem, seu quoad mores. Porrò, novum factum hîc propositum facilè probatur, quoad Concilia, quorum subscriptiones habemus, vel Catalogos eorum, qui interfuerunt. Illi enim ostendunt, paucos fuisse Prælatos ex Occidente, in Conciliis Orientalibus, & paucos ex Oriente, in Conciliis Occidentalibus: undè sequitur, quòd, licèt omnes Prælati Orientales vocati fuissent ad Concilia Occidentalia, & vicissim; quod dubium est, tamen Concilia Generalia, in utraque regione habita, non essent verè Generalia, nisi per acceptationem: Namque, ut Concilium vere Generale sit, oportet ut Ecclesiam perfectè repræsentet; hæc autem non repræsentatur perfectè, nisi per Corpus integrum Pastorum, in eodem loco corporaliter, vel spiritualiter coadunatorum. Porro, hæc perfecta Pastorum consentio constare non potest, nisi per acceptationem definitionum factarum à Conciliis Generalibus. Semper enim multi sunt, qui legitimè impediuntur, quominus intersint Conciliis; vel propter ætatem vel propter valetudinem; alii remanent in Provincia, ad obeunda munera Episcopalia, dùm absunt eorum Collegæ. Itaque, nisi ii Pastores recipiant quod gestum fuit ab aliis, Corpus Pastorum non perfectè conspirabit circa caput definitum. Nec refert quod Prælati absentes Procuratores miserint ad Concilia Generalia: esto enim quod Legati ab omnibus missi sint, necesse adhuc est nihilominus, ut hi Pastores acceperint, ratam habendo Procuratoris sui gestionem; verùm accidit sæpiùs, ut plerique eorum, qui ad Synodum non vadunt, neminem suo nomine mittant.

Nec refert quòd Concilia Constantiense & Basileense de se ipsis dixerint, se repræsentare Ecclesiam Catholicam, quamvis multum abesset, ut omnes Episcopos Orbis Christiani complecterentur; nam duplex est repræsentatio, alia Virtualis, & imperfecta; alia Formalis, & perfecta. Ad primam, sufficit, ut convocato universo Corpore Pastorum, pars eorum insignis conveniat; quia absentes reputantur credidisse sua jura præsentibus, qui, ob hanc causam, *Virtualiter* repræsentant Corpus Pastorum. Ad aliam repræsentationem, requiritur, ut omnes Pastores simul Corpore, vel Spiritu conveniant. Porrò, hæc ultima repræsentatio necessaria videtur, ut definitiones Conciliorum Generalium sint infallibiles.

Quod si acceptatio Decretorum Conciliorum Generalium ab Episcopis, qui non adfuerunt; necessaria videtur, ubi de Fide & moribus agitur; multò magis necessaria erit, cùm de Decretis Disciplinæ agitur, vel de eo, in quo alia Decreta Disciplinam attingunt.

Ratio est, quod, cum hæc Decreta Universalia sunt pro omni loco, includant semper conditionem, si utilia erunt iis, pro quibus facta sunt; nam Leges ad publicam utilitatem tendere debent, hæc autem multum pendet à moribus populorum: nam si repugnant his moribus, pernicioſæ potiùs, quam utiles sunt.

Utraque veritas à Concilio Basileensi agnita fuit; plures enim misit viros ad CAROLUM VII. hunc rogaturos, ut ab Ecclesia Gallicana accipienda procuraret Decreta sua: Cum autem acceptatio hæc multùm conduceret ad Ecclesiæ Universæ commodum, eam Rex instanter pronovit. *Nos plurima cum Charitate & Prælatos cæteros-que viros Ecclesiasticos ipsam nostrorum Regni & Delphinatûs Ecclesiam repræsentantes, maxima cum instantia exhortando & obsecrando, ut Decreta statutaque & ordinationes ab ipsa Sancta Synodo condita recipere vellemus, etiam & acceptare.* Præfat. Pragm. 53.

Qua in re Doctrina Concilii eo majus habet pondus, quod illud unum sit eorum, quæ discusserunt quænam sit potestas Conciliorum Generalium, ejusque, utpotè Concilii Generalis, referebat asserere, Decreta sua obligare priusquam acceptarentur. Huic Concilii Basileensis instantiæ obsecuta Gallia, discussis ejus Decretis, judicavit, Decreta Doctrinæ, circa Superioritatem Concilii Generalis supra Pontificem, & obligationem illi parendi ex parte Pontificis, congruere traditioni Ecclesiæ suæ, tùm inter Decreta Disciplinæ, non nulla certò modo temperata Gallorum moribus non aliena esse; alia verò iis planè consentire, prout concipiuntur; & hæc Decreta merè ac simpliciter suscepit, perindè ac prædicta Doctrinæ Capita; alia verò cum modificationibus accepit.

Post hæc ratiocinia circa necessitatem acceptationis Decretorum Conciliorum Generalium ab Episcopis, qui ipsis non adfuerunt, manifesta est utilitas discutiendi qualis fuerit Ecclesiæ praxis circa hoc Caput, ab ejus initio, usque ad hanc ætatem. Monumenta ex Collectione Conciliorum petita subjicio.

Primum Monumentum est Epistola *Constantini* ad omnes Episcopos, qui Concilio Nicæno non adfuerant, circa celebrationem Paschæ in die Dominica

post quartam decimam diem Lunæ Martiæ, quâ etiam nunc hodie illud celebramus, non verò in ipsa decima quarta, more Judaico. Inter illa momenta quædam sunt peculiaria Decreta circa Pascha, quædam communia omnibus Decretis Concilii. Rationes prioris generis sunt, nihil nobis commune esse debere cum Judæis Religioni nostræ infensis, neque ipsis dari locum gloriandi, quòd eorum ritum sequamur in præcipua Festivitatum nostrarum.

2. Ante Decretum Concilii multas fuisse Ecclesias, quæ celebrabant Pascha, prout Concilium decrevit; hoc autem in capite multum referre, ut praxis sit ubique una: quia secùs, accidit, ut aliis jejunantibus ante Festum, alii jam transierant ad lætitiam, quæ Festum comitatur, aut sequitur. Aliæ rationes sunt: *Primò* voluntati Divinæ adscribendum esse quod decernitur à Conciliis, *Secundò*, hæc Decreta jam recepta esse Romæ, in Italia, in Africa, in Ægypto, in Hispania in Galliis, in Britannia, in Lybia, in omni Græcia, in Diœcesi Asiæ, in Diœcesi Ponti, denique, in Silicia. Epistola hæc refertur Libro secundo, Capite. 35. Historiæ Concilii Nicæni, per *Gelasium Cyzicenum*, CONCIL. TOM. II. *p.* 262. Eadem reperitur apud SOCRATEM & THEODORETUM.

Disertum est magis monumentum sequens & majorem autoritatem habet. Sumptum est ex Capite 2. Concilii Toletani XIV. anno 684. „Clara omnes notio populos Hispaniæ implet, quod de „currentis evoluti temporis serie, per Romani Præ„sulis bajulum gesta Synodalia Societati nostræ ad„vecta sunt, quibus, Constantinopolim, Constantino „pio & religioso Principe mediante, magna & su„blimi copia aggregata Pontificum, Appollinaris „dogma comperimus fuisse destructum, cum qui„bus etiam gestis, Leonis quoque antiquæ Romæ „Pontificis, invitatorio, epistolaris gratiæ consulta „suscepimus; per quæ omnis ordo gestorum gesta„que ordinum dilucidè, ut acta sunt, nostris sensi„bus patuerunt. In cujus etiam gratioso epistolæ „tractu, ad hoc omnes Præsules Hispaniæ invitati „sunt, ut prædicta Synodalia instituta, quæ miserat, „nostri etiam vigoris manerent autoritate suffulta, „omnibusque, per nos, sub Regno Hispaniæ consis„tentibus, patescerent divulganda.„

Canones sequentes docent hanc acceptationem factam esse, postquam definitio missa discussa fuisset juxtà Decreta Quatuor Conciliorum Generalium præcedentium, & repertum fuisset, eam receptione dignam esse, ob suam cum illis consonantiam. Hoc examen fieri debuisset in Concilio Nationali; sed cum multæ magnæque causæ non sinerent illud convocari, convenerat, ut discussio crederetur Conciliis Provincialibus, ad quæ pariter mitteretur judicium Episcoporum Provinciæ Cartaginensis, qui Toleti convenerant cum aliquot Episcopis Ecclesiarum insigniorum Hispaniæ, Tarraconis, Narbonæ Emeritæ, Bracharæ, & Hispalis.

Cum LEO nullam haberet causam, cur Hispaniæ Ecclesiæ consensum peteret, potiùs quam Gallicanæ, aut Germanicæ, aut Britannicæ, credibile est eum scripsisse quoque ad has Ecclesias eadem de causa.

Est in eodem Concilio Generali VI. locus, qui accomodari posset argumento Acceptationis Decretorum Conciliorum Generalium, per Episcopos, qui eis non adfuerunt, *Act. XVIII.* CONCIL. TOM. VI. *pag.* 1072. „Sancta Synodus dicit: peti„mus à Domini potestate instructa à Deo ad ma„jorem fidei orthodoxæ stabilitatem & confirmatio„nem; ut subscripta exempla definitionis relectæ, „præsente vestra Serenissima potestate, edantur quin„que Patriarchalibus sedibus, una cùm vestra pia „subsignatione. Constantinus piissimus Imperator „dicit; quod etiam nunc à sancto & universali pe„titum est pie conficimus. Exempla definitionis cum „subsignatione mansuetæ ejus Serenitatis præbuit „quinque Patriarchalibus sedibus. Sanè credibile est, hanc distributionem petitam & concessam fuisse, ut Patriarchæ secum ferentes hæc exempla, ea communicarent Episcopis districtûs sui, qui non adfuerant huic Concilio Generali VI., & ii Definitionem susciperent.

Acta Concilii Nicæni II. missa fuerunt ad Concilium Francofortense anno 794. ut illius definitionem acciperet circa Imaginum cultum, nec non Canones, circa Mores, & Disciplinam. Id infertur ex Inscriptione Concilii Francofortensis, in qua dicitur, illud confirmavisse Acta Concilii Nicæni II. præsentibus Legatis sedis Apostolicæ ab Hadriano missis.

Sunt qui asserant, Concilium Francofortense nedum accepisse Definitionem Nicænam, sed eam damnavisse per errorem facti; quia putabat illam ferre adorandas esse Imagines, sicut adoratur Sancta Trinitas. Allegant illi *Canonem* 2. Concilii Francofort. Verùm probabile est eos falli. Nam, 1. Canon. laudatus hunc errorem tribuit Concilio Constantinopoli habito. 2. cum Legati Pontificis hic adessent, quomodo accidere potuit, ut falleretur Synodus, attribuendo Concilio Nicæno errorem, à quo longissime abest.

In Actis *Octavi* Concilii Generalis, seu *Quarti* Constantinopolitani est Epistola circularis à Concilio scripta, ad omnes Episcopos, qui non adfuerant, in qua, relatis gestis contra *Photium*, & pro *Ignatio*, nec non Definitione & Canonibus in eo conditis, rogantur Præsules, ut utraque recipiant. Malè objiceretur, Concilium videri supponere, quòd Episcopi, ad quos scribit, Definitionem & Canones suos recipere tenentur, prohibendo, ne quis Christianus Prælatus, aut inferior, aliquid attentare contra suas Constitutiones audeat: *Neque audeat quisquam eorum, qui Christiano nomine censentur, sive præsint, sive subsint contra ea, quæ magna hæc & Oecumenica Synodus decrevit, aliquid efficere, vel conari; quicumque voluerit januam, quam sancta hæc & Oecumenica Synodus clausit, aperire, aut claudere tentaverit, quam illa aperuit, in Deum ipsum impius pugnabit:* Sic enim locus intelligi debet, qui sensum suum temerariè anteponerent limitibus tot Episcoporum; non verò de Ecclesiis integris, quæ ad supplendos, si qui sint, in Concilio, defectus, discuterent ejus Decreta, recepturæ Definitionem, si non sit contraria Scripturæ, neque Traditioni, nec non Canones, quos Nationis suæ moribus congruos existimabunt. Expositio hæc respondet quoque omnibus Canonibus Conciliorum Generalium, qui in contradictores anathema pronuntiant.

Canones ejusdem Concilii Generalis *Octavi*, novas suppeditant probationes necessitatis acceptationis per Episcopos absentes, ut Concilium habeat vim obligandi in eorum districtu: ut enim observatum fuit, plures sunt Canones, qui nunquam obligavêre Gallos, ideò, quod recepti nunquàm fuerint. Talis v. gr. 1. is, qui Principes excludit ab assistentia in Conciliis ditionis ipsorum: Talis 2. is qui vult Electiones ad Prælaturas Ecclesiasticas fieri sine Principum participatione: Talis 3. is, qui jubet, ut Episcopi ad Synodum Patriarchalem conveniant sine licentia Principis, etiam ubi è Regno egrediendum esset; Nàm Concilium loquitur sine restrictione.

Nec difficile foret similes probationes congerere; nàm sufficeret lustrare Canones aliorum Conciliorum Generalium, atque ostendere, eos nunquàm habuisse vim legis in Gallia, propter usum contrarium eorum dispositioni; hic autem usus probari posset per Canones Conciliorum Particularium in Gallia habi-

habitorum. Verùm hic labor inutilis videtur, quia probationes expressæ suprà relatæ plusquam sufficiunt; & præterea, novæ illæ probarent solùm per inductionem. Simili de causa prætermittemus quædam loca Tridentini, quæ argumento inservire possent. Primus est, in *Cap. I.* SESS. IV. *de Ref. Matrim. sub finem*, ubi declaratur, quod Decreta præcedentia non obligabunt, nisi post 30. dies à prima promulgatione; promulgatio autem supponit acceptationem. 2. Est *sub medium Cap. V. continuationis* SESS. XXV. Concilium monet Principes, ut autoritatem suam adhibeant, non solùm, ut impediant, ne ejus Decreta corrumpantur, aut violentur ab Hæreticis, sed etiam, ut ea devotè recipi, & ab omnibus suis subditis observari procurent.

Quod dictum fuit hactenùs de necessitate acceptationis Conciliorum Generalium per Episcopos absentes, ut illa sint verè Concilia Generalia, & agnita pro talibus, à pluribus Autoribus impugnatur; cùmque, inter rationes, quas ii afferunt, una sit, quæ valida possit videri; necessarium duxi ad eam respondere, duabus de causis. 1. Ne aliquem fulgore suo seduceret. 2. Ut ii, qui has Notas legent, scientes eas esse firmius opinionis contrariæ fundamentum, & tamen illud esse falsum, alias cognoscere non satagant.

Hæc ratio est, quòd, posita necessitate acceptationis prædictæ, nullum est discrimen inter Concilia Generalia, & Concilia Particularia, quoad autoritatem Decretorum eorum: nam, si Decreta Conciliorum Particularium à reliquis Episcopis accipiantur, autoritatem generalem acquirant; Decreta autem Conciliorum Generalium particularem tantùm autoritatem habent, donec recipiantur ab Episcopis absentibus: imò, inquiunt, juxtà hanc suppositionem, definitiones Synodorum Diœcesanarum & statuta Episcoporum facta extrà Synodum, eadem autoritate pollebunt, ac Decreta Conciliorum Generalium; nam, si recipiantur ab omnibus Episcopis, illa autoritatem universalem habebunt; sine hac autem acceptatione, decisiones Conciliorum Generalium non habent autoritatem universalem.

Sanè, hæc est speciosior objectio, quæ fiat, & fieri possit contra sententiam nostram, de necessitate acceptationis definitionum Conciliorum Generalium, ut hæ generalem autoritatem habeant; hanc sic solvimus. Concilia Generalia habent per se ipsa autoritatem obligandi Episcopos, ad recipiendas suas definitiones, nisi justæ adsint causæ, quæ id impediant: verùm definitiones Conciliorum Particularium, Synodorum, & Episcoporum, extrà Synodum, non obligant, nisi in districtu eorum Conciliorum, Synodorum & Episcoporum: quòd si alii Episcopi illas accipiant, id non faciunt propter illarum autoritatem suprà se, sed tantùm propter illarum bonitatem & utilitatem: cùm autem definitiones Conciliorum Generalium accipiuntur ab Episcopis absentibus, id fieri debet, non solùm propter utilitatem ipsarum, sed propter autoritatem eorum, qui illas fecerunt. Uno verbo, inter duas species definitionum, & inter duas species acceptationum, de quibus loquitur objectio, idem est discrimen, quod inter Leges Regis Hispaniæ, ab Hispanis receptas, & easdem Leges, à Gallis adoptatas, vel ab aliqua alia Natione non subdita Regi Hispaniæ: prima acceptatio necessaria est, posito quòd Leges sint justæ, utiles, possibiles; alia verò est merè voluntaria, & à solis bonitate & utilitate Legum producta.

SECTIO XV.

Notæ Historicæ circà SUMPTUS *necessarios ad celebrationem Conciliorum Generalium.*

IN argumento proposito distinguendi sunt Deputati, qui alieno tantùm nomine Concilio interfunt, ab iis, qui tenentur, & habent jus assistendi suo nomine. Quoad Deputatos, non potest dubitari, eos non assistere Concilio suis sumptibus, sed eorum, qui eos miserunt; quia nomine alieno agentes, magnisque impensis obnoxios, sive in itineribus, sive in mansione, iniquum esset eos ferre ex suo: hi Deputati sunt Procuratores; hi autem habent jus impensas suas repetendi à mandantibus *Cap. VI. de procurat.*

Quoad Prælatos, qui jus habent, & tenentur adesse Conciliis Generalibus, certum videtur, eos ire & manere suis sumptibus debere, ideò, quòd agant, non pro utilitate aliquot privatorum, qui sumptus iis præstare possint aut debeant, sed pro Ecclesia universa, quæ nullam habet pecuniam, ad ejusmodi impensas destinatam. Præterea, magnos illa reditus Prælatis assignavit, partim, ut illi suo sumptu subvenire possent necessitatibus spiritualibus, quæ Conciliorum Generalium celebrationem requirunt.

Quamvis sæpè acciderit, ut Prælati Conciliis Generalibus adfuerint pro aliis Episcopis Provinciæ suæ, vel etiam pro Metropolitano suo, sumptuum tamen restitutionem petere non potuerunt; quia, cùm proprio nomine adesse tenerentur, nihil impendebant in dando pro aliis suffragio. Quod de Episcopis diximus, valet ergà Metropolitanos, qui sæpè Conciliis interfuerunt pro Suffraganeis suis. Undè sequitur 1. Quod si quis Imperator, aut Pontifex, aliquid erogavit in sumptus Episcoporum, qui Conciliis Generalibus aderant; id ex mera liberalitate profectum est; 2. Credibile esse, Episcopos Conciliis Generalibus adfuisse suis impensis, nisi contrarium appareat. Porrò, unus est Imperator, qui ad sumptus Conciliorum Generalium contulerit: nempè, *Constantinus*, qui vehicula præstitit Episcopis Nicæam convenientibus. Duo Pontifices aliquam opem tulêre quibusdam Episcopis, ut possent adesse Conciliis Generalibus.

Prior est *Eugenius IV.* qui pepigit, se Imperatori, Patriarchæ, Episcoporum, & aliorum Græcorum, sumptus suppeditaturum, qui adfuturi erant Concilio Ferrariensi, aut Florentino, ad unionem Ecclesiæ Græcæ cum Latinâ, celebrando. Pactum fert 1. Quòd Pontifex certam summam Ducatorum mittet eis distribuendam, antequam proficiscerentur. 2. Certum Navium numerum cum armamentis suppeditabit; nec non pecuniam necessariam ad alimenta in itinere. 3. Post eorum adventum Ferrariam, vel in alium locum celebrationis Concilii, Pontifex erogabit pecunias, quibus se usque ad discessionem exhibeant honestè. 4. Eos Constantinopolim revehi curabit. 5. Ne Turca absentia Imperatoris abutatur ad capiendam Constantinopolim, vel alias Civitates, Pontifex pollicetur certam summam ad custodiam & securitatem illarum Urbium. Concilium Basileense eadem cum Græcis pepigerat. Sed, cùm una ex conditionibus concordati erat, quòd *Eugenius IV.* adesset Concilio, hic autem cum Synodo Basileensi, & vicissim Synodus cum eo reconciliari noluerat; Græci cum Pontifice egerunt, & tractatus effectum habuit, ideoque Decima super omnes Beneficiarios imposita fuit.

Alius Pontifex, qui ad impensas Conciliorum Generalium contulit, est *Pius IV.* qui pensionibus adjuvit quosdam Episcopos Concilii Tridentini, qui ibi vivere non poterant suo ære.

Facile foret afferre probationes è Conciliis Generalibus petitas, quòd Episcopi suo sumptu iis interfuerint; nam Concilium Ephesinum *Act. I.* relatione ad Imperatorem Theodosium circà depositionem Nestorii, unam suppeditat: quippe Concilium exponendo Imperatori, cur Nestorii causam discutere incœpisset, ante Joannis Antiocheni adventum, post-quam dixit, se illum expectavisse 16. diebus post Pentecosten, quæ dies ab Imperatore assignata fuerat, ad celebrationem; pluribus autem causis

se

se impeditum fuisse, quominus expectaret diutiùs, eas inter causas penuriam aliquot Episcoporum refert. *Quidam verò rerum penuria constricti nos adeuntes instanter urgebant, ut mox audientiam auspicaremur.* CONCIL. *Tom. III. p.* 570. Cum inopia aliquot Episcoporum Concilium haberi præmaturiùs cogerit; quæri potest, an utilius foret suppeditare sumptus Episcopis ad Concilium euntibus? Ratio est, quia, si pauperies aliquot Episcoporum cogit, ut Concilium citiùs, quàm par sit, inchoetur, eadem cogere potest, ut tempus brevius adhibeatur tractandis negotiis. Aliundè, avaritia eosdem effectus gignere potest, quos inopia. Huic quæstioni respondemus, quòd, si incommodum sit Episcopos assistere Conciliis Generalibus suo sumptu, periculosum quoque esset sumptus eis suppeditari. Vel enim divites & pauperes promiscuè exhiberentur; sed iniquum est divitibus erogari sumptum, quem ære suo facere tenentur, & cujus gratiâ partim suos reditus habent: Prætereà, metuendum esset, ne ipsi negotia prorogarent, ad prorogandam fruitionem honorum & facultatum, quibus in Conciliis potirentur: majorque esset metus ex parte Episcoporum egentium, maximè, si in majoribus abundantia & honore versarentur quàm in suis Diœcesibus. Vel soli pauperes hoc beneficio fuerentur, & tunc periculum esset, ne ii, qui sumptus largirentur, suffragio eorum ad arbitrium uterentur in negotiis ad se pertinentibus, ita ut, sivè Imperator aut Princeps, sivè Pontifex, tot votorum certi essent, quot stipendia solverent.

SECTIO XVI.

Notæ Historicæ circà Conciliorum Generalium NUMERUM, *quæ prout talia à* GALLIS *habentur.*

NUllum est Concilium inter Generalia collocatum, cujus Definitiones circà fidem in Gallia non sint receptæ, sicut alibi; sed indè concludi non potest, Galliam pro Generalibus habere omnia Concilia, quæ Generalia creduntur ab aliis Ecclesiis: nam possibile est illam accepisse Definitiones quorundam Conciliorum, ideò solùm, quòd Scripturæ & Traditioni consonæ essent, minimè verò propter autoritatem Conciliorum; idque eò magis possibile est, quòd etiam illud constet, ergà definitiones Concilii Lateranensis V. circà Animam rationalem, quia Gallia illam recepit; attamen nunquam illud pro Generali habuit.

Contra hanc observationem objici posset, Galliam accipere Concilium Constantiense, quod declaravit, se pro Generalibus recipere omnia Concilia, quæ, prout talia, usque ad ejusdem tempus habebantur. SESS. XXXIX. ubi componendo Professionem fidei à Pontifice post suam creationem faciendam, dicitur, profitentem agnoscere autoritatem Octo Conciliorum Generalium Orientis; nempè quatuor Constantinopolitanorum, *Secundi, Quinti, Sexti, & Octavi;* Duorum Nicænorum, *Primi & Secundi;* unius Ephesini, & unius Calcedonensis, & se idem facere quoad Concilia Generalia, Lateranensia, Lugdunensia, & Viennense. Ex hoc autem loco inferri posset, Galliam pro Generalibus recipere, non solùm Octo priora, sed etiam Quatuor Lateranensia, Duo Lugdunensia, nec non Viennense: nàm, licèt Synodus in illis designandis utatur singulari numero, *Lateranensis, Lugdunensis*; certum videtur, eam illis verbis complecti omnia Concilia Lateranensia, tunc temporis inter Generalia numerata; talia autem sunt Quatuor habita à CALIXTO II. usque ad INNOCENTIUM III. inclusivè, & omnia Concilia Lugdunensia, tunc pro Generalibus habita; hæc autem sunt Duo, habita Lugduni Sæculo XIII. nulla est enim ratio, cur verbo *Lateranensis*, unum è Quatuor potius quàm aliud, aut alia, designetur, & verbo *Lugdunensis*, Primum potius quàm secundum, & vicissim.

Huic Objectioni responsio multiplex occurrit, 1. Ex eo, quòd Gallia Conciliis Generalibus annumeret Constantiense, ejusque autoritatem agnoscat, non sequitur, eam approbare & recipere quodcumque illud fecit. Sanè, *recipere Concilium*, non est approbare quidquid gessit: sed recipere ejus definitiones; exceptis tamen iis Decretis, quæ doctrinæ vigenti sunt contraria: necessaria est hæc modificatio; nàm supponendum est, Ecclesiam illam agere rationabiliter, & proindè nihil recipere sententiæ suæ contrarium.

Et quidem falso atque injuriâ putaretur, Ecclesiam Gallicanam approbare Decreta ejus Concilii, quæ Potestati Spirituali videntur attribuere Jura Potestatis Temporalis, sivè comminando pœnas temporales in contradictores, sivè Salvum-conductum Imperialem infringendo, per licentiam Judici Ecclesiastico datam, procedendi capitaliter in eos, quibus securitas atque impunitas promissæ fuerant. Factum posterius est in SESS. XVII. CONCIL. *Tom. XII. p.* 170. Prioris generis factum reperitur in *Sess. XV. p.* 144. & 147. adversùs eos, qui grassabuntur in Personas ad Concilia Generalia commeantes. 2. Concilium Constantiense prædicta Concilia non approbat, nisi quoad fidem, astringendo solùm Pontificem ad declarandum, se credere, quod illa definiverunt; suprà autem ostendi, concludi non posse, quod Gallia Concilium pro Generali habeat, ex eo, quòd ejus Definitiones susceperit.

Quod si acceptatio Definitionum fidei ab aliquo Concilio factarum, non probat, Galliam illud pro Generali habere, id multo minùs efficiet acceptatio Decretorum, circà Disciplinam, ab eodem Concilio factorum. Nàm plura sunt Concilia Particularia, quorum Canones in Gallia recepti sunt: tales sunt Canones non solùm Conciliorum Gallicanorum, sed etiam plerique ex Conciliis Africanis, & longè plures è Conciliis Particularibus Orientalibus Sæculi IV. approbati à pluribus Conciliis Generalibus, & inserti Codici Ecclesiæ Universalis. Prætereà, multi sunt Canones priorum Conciliorum Generalium, quos Gallia non recepit, quia suis moribus alieni visi sunt, quamvis illa pro Generalibus agnoscat. Itaque, sicut, ex non receptione Canonum, inferri non debet, Galliam non habere pro Generalibus Concilia, à quibus ipsi facti sunt; ità, ex acceptatione quorumdam Canonum ab aliis Conciliis conditorum, concludi non potest illa pro Generalibus haberi in Gallia: à Particulari ad Universale non valet consecutio.

Scitu ergò difficile est, quæ, & quot sint Concilia pro Generalibus habita, apud Gallos: nàm medium prædictum, quod insufficiens esse evicimus, omnium aptissimum videtur: non igitur nos circà hoc caput immorari diutiùs expedit, præsertim, si difficultati inquisitionis, adjiciatur consideratio spei quàm modicæ fructum aliquem indè percipiendi. Sanè, reperiatur quot Concilia Generalia à Gallis agnoscuntur; quid indè emolumenti capiemus? Major-ne veneratio Decretis illorum accederet? Meliùsne observarentur? Certè, ad conciliandam reverentiam Decretis ad fidem pertinentibus, sufficit, ut illa recepta esse cognoscatur: cætera, vel repudiata fuêre; hæc autem observari non debent, etiamsi Concilia, à quibus condita fuerunt, pro Generalibus haberentur in Gallia: vel recepta fuêre; horum autem utilitas sufficit, ut accuratè custodiantur.

SECTIO

SECTIO XVII.

Accommodatio Notarum Superiorum ad SENTENTIAS *atque* USUS GALLICANOS.

ETsi facillimum sit *Notas* præcedentes circà Concilia Generalia, applicare Sententiis atque Usibus Gallicanis; tamen operæ pretium erit aliquot afferre exempla hujus applicationis in certis capitibus, quibus illa facilior evadet in reliquis: iis verò, qui parùm cognoscunt eos Usus, ad eos pleniùs discendos invitabuntur. En igitur exempla per modum Observationis.

Eadem loca, quæ docent, Imperatores, per *Novem* Sæcula, convocasse Concilia Generalia, probant, Principes non injuria sibi vindicare facultatem; 1. Convocandi Concilia Particularia ditionis suæ, 2. Impediendi, ne Episcopi ejusdem ditionis ullum, sinè licentia sua, Conventum habeant: 3. Impediendi, ne iidem Episcopi è finibus suis egrediantur, ad commeandum ad Concilia, extrà eosdem fines convocata, sine sua participatione; nam rationes, quæ militant pro Imperatoribus, Principibusque favent. Hæ sunt 1. Quòd ii, quos convocabant, subditi ipsorum erant. 2. Quòd ipsorum referret, ut Ecclesia pacaretur; quia turbæ circà Religionem, sæpè discordias gignunt, circà Imperium. 3. Quòd erant Protectores Religionis, quibus incumbebat circà eam in statu optimo conservare; quod fit per Concilia. Porrò, manifestum est has valere ergà Principes, quoad tria jura prædicta, ideò, quòd Concilia Particularia, quæ in illorum ditionibus habentur, ex eorum subditis componuntur: quòd controversiæ circà Religionem non minùs Regnum, quàm Ecclesiam labefactent; &, quòd Dignitas Principum non minùs eos faciat Tutores Ecclesiæ, quàm olim erant Imperatores.

Jus assignandi Locum celebrationis Conciliorum, & Tempus præfiniendi, accessorium est juris ea convocandi: undè sequitur, testimonia, quæ probant Imperatores Orientis assignavisse Locum, & Tempus celebrationis Conciliorum Generalium, ostendere quoque, Principes idem posse ergà Concilia Particularia Nationis suæ. Porrò, in Conciliis in Gallia habitis, maximè sub *secunda* Regum progenie, cernitur, eos quintuplici hoc jure potitos esse ergà Concilia Particularia, sicut Imperatores olim ergà Concilia Generalia. Probationes referuntur in nostris Quæstionibus Historicis, circà Concilia Nationalia. Plures earum retulit D. DE MARCA in suis Libris *de Concordiâ*.

Quemadmodùm Imperatores, utendo jure determinandi Locum celebrationis Conciliorum, quædam habuêre in Palatio suo; qualia sunt *Quintum*, *Sextum*, & quod dicitur *Quini-Sextum*, ità plures Galliæ Reges Concilia Particularia Regni sui habuêre in Palatio suo; talia sunt *Vernense*, *Verberiense*, *Compendiense*, *Aquisgranense*. Multæ rationes suadent Præsidentiam Concilii Niceni, quam habuit OSIUS Cordubensis, ipsi delatam fuisse per electionem Concilii cum beneplacito Imperatoris; neque enim credimus eum fuisse Legatum Pontificis. 2. Non habuit Præsidentiam ratione sedis suæ; cùm Episcopus foret tantùm, & Concilium non haberetur in ejus Diœcesi. Porrò, exemplum hoc favere videtur Gallicano usui, circà Præsidentiam electivam Conciliorum Cleri.

Quot probationes attulimus assistentiæ per Procuratorem in Conciliis Generalibus, tot habemus fundamenta moris Cleri Callicani assistendi Comitiis per Procuratorem: nàm Deputati, tàm primi, quàm secundi Ordinis, nihil aliud sunt, quàm Procuratores Provinciæ suæ. Quod relatum fuit de modo opinandi per Nationes, in quibusdam Conciliis Generalibus usurpato, simile est usui eorumdem Comitiorum, opinandi per Provincias. Circà *Opiniones*, & *Subscriptiones* Conciliorum Generalium, notavimus, quod, ex earum dispositione, noscatur Ordo Sessionis Patrum, quem Dignitati respondere probavimus. Porrò, hunc Ordinem partim sequuntur subscriptiones Comitiorum; nàm Archiepiscopi semper & ubique præcedunt Episcopos. Loquendo de *Actis* Conciliorum, multa observavimus, quæ perfectè congruunt Relationibus Comitiorum Cleri, ità, ut hæ videantur dispositæ juxtà methodum Actorum Conciliorum Orientalium, quæ divisa erant in *Actiones* aut *Collationes*, in quibus ea reperiuntur, quæ in eis gesta, aut dicta fuêre, Instrumenta, quæ fuerunt lecta, Orationes, quæ habitæ fuerunt, denique Opiniones Patrum: Relationes autem Comitiorum in Sessiones distribuuntur, quæ nonnisi nomine differunt ab Actionibus aut Collationibus. In singula *Sessione* cernuntur ipsius gesta, cum Orationibus, Concionibus &c. habitis, Instrumentis, quæ lecta, Quæstionibus, quæ propositæ fuêre, deniquè Opinionibus Deputatorum.

Quod observatum fuit circà Confirmationem Decretorum Conciliorum Generalium à Pontifice petitam, applicare sententiis Gallicanis supersedemus; quia id jam eo loco præstitimus, dicendo, Ecclesias, quæ arbitrantur Concilium Generale esse suprà Pontificem, debere consequenter tenere, quòd Decreta Conciliorum Generalium non indigent confirmatione Pontificia; Ecclesiam, porrò, Gallicanam, ex earum numero esse. Adjecimus, earum sententiam confirmari per praxim omnium Conciliorum Generalium, excepto *Tridentino*, quod unicum petiit à Pontifice confirmationem definitionum & Decretorum suorum. Verùm hanc applicationem, ejusque fundamentum hìc refricuisse haud erit inutile. Observabimus præterea, quòd, Patres Tridentini qui petierunt confirmationem Pontificiam, id fecerunt ex mero obsequio; nàm historia hujus Concilii docet eosdem Episcopos Hispanos, sedi Apostolicæ devotissimos, putavisse, Concilium esse suprà Pontificem, ità, ut quidam eorum id à Concilio declarari statuerint. *Petri* SUAVIS *Hist. lib. 5. pag.* 403. Vel, si alia fuerit causa istius rogationis, quòd ea facta sit postquàm plures ex Doctissimis & veritatis studiosissimis discessissent.

Quoad *Acceptationem*, jàm notavimus *Tit. IV.* Concilium *Basileense* agnovisse justitiam & veritatem Sententiarum & Usuum Galliæ, juxtà quos nulla datur autoritas Decretis Conciliorum Generalium, priusquàm illa recepta ac promulgata fuerint; hoc unum adjicimus, testimonia suprà relata de praxi Sæculorum priorum circà hanc rem, easdem Sententias confirmare.

APPENDIX *circà præcedentes Notas.*

SECTIO I.

Confirmatio sententiarum D. DE MARCA *circà Libertates Ecclesiæ Gallicanæ iniquè impugnatarum.*

CUm, in susceptо Opere, de propugnandis Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus unicè agatur, inutile est respondere cavillationibus Criticorum, circà originem Librorum de *Concordia Sacerdotii & Imperii*, methodumve eorum artificiosam. Etsi enim hæc falsa esse ostenderent, nihil præsidii Libertatibus accederet, sicut ab earum firmitate nihil detractum ibit, quamvis ea extrinseca vera esse confiteri cogerer. Satis superque autoritatis habent à se ipsis Libertates, nec ab eorum, qui eas defen-

defenderunt, qualitate, mutuari pondus indigent. Idcircò, sufficiet mihi sententias Autoris malè impugnatas tueri; ac moneo intereà, me, ad evitandas repetitiones, consultò prætermissurum omnia loca vexata inter probationes Libertatum, quæ superiùs confirmata fuêre.

An jus faciendi Leges Ecclesiasticas inutile evadat, posito, quòd illæ, non nisi post acceptationem, obligent?

Critici præfati, volendo probare, D. *De Marca* stabilitam in quodam loco Pontificis autoritatem, circà aliquot capita, alio in loco convellere, circà eadem capita, in exemplum afferunt, quòd, postquàm demonstravit Pontifici competere jus condendi Leges Ecclesiasticas, suam ipse doctrinam disturbet, dicendo deinceps, Leges Pontificias non obligare, nisi acceptatæ fuerint, easque repudiari posse, si minùs commodæ videantur; quippe contendunt illi, jus ferendi Leges esse inutile, si Leges non habent vim obligandi, nisi receptæ fuerint, ità, ut liberum sit eas respuere, quæ minùs commodæ erunt.

Ad diluendam criminationem hanc, sufficeret remittere ad ipsum Auctorem *Libr.* III. *Cap.* XVI. ibi enim tàm validè astruit necessitatem Acceptationis, ut Lex obligare possit, ut indè sequatur, potestatem condendi Leges non esse inutilem; tùm enim, si talis potestas sic evaderet inutilis, manifestè absurdum esset contendere, Legem non obligare, nisi post acceptationem; aliundè verò impossibile est solidè probare veritatem opinionis evidenter absurdæ. Sed, ne quis me studio captum, vel ex anticipato judicio loqui ducat, satiùs est Autorem purgare rationibus sequentibus.

1. Legislator eas faciat leges, quæ evidentem utilitatem habeant, & tunc eas sponte receptum iri experietur; namque oporteret, ut corpus subditorum, à quo pendet Acceptatio, omninò à ratione alienum, suoque bono inimicum esset, ut tales Leges respueret. Quod si Legislator faciat Leges manifestè perniciosas subditis suis, tùm sibi arrogat jus, quo caret; namque nullam accepit, nisi pro bono publico, potestatem. Quod si leges videantur utiles, sed usus contrarium doceat; credibile est, intentionem ejus non esse, ut illæ observentur.

2. Plures sunt Actus, qui effectu carent, nisi accipiantur ab iis, in quorum favorem facti sunt; tales sunt v. gr Donatio, Promissio, Testamentum, vota solemnia Religionis, collatio Beneficiorum, Præsentatio, Electio, Resignatio, mandatum, seu Delegatio, & plures similes, qui prorsùs effectu carent, nisi acceptentur ab iis, quos respiciunt; & nihilominus nemo dicit potestatem faciendi tales actus esse inutilem; illud enim provenit ex eorum naturâ, quippe cùm imponant aliquam obligationem iis, in quorum favorem facti sunt: v: g: si quis adipiscatur Beneficium, per aliquam prædictarum viam, tenetur ejus Officia obire, & onera ferre. Donatarius tenetur solvere censum, quo fundus ei datus oneratus est, solvere pecuniam mutuam in cujus hypothecam assignatus est. Hæres tenetur debitis hæreditatis &c; Aequum est, ut obligatio hæc sit voluntaria; talis autem fit per Acceptationem actuum. Porrò, actus, per quem Legislator Leges fert subditis suis, communem habet naturam cum prædictis; quia subditis imponit obligationem eas observandi: æquum est igitur, ut Leges non habeant vim obligandi, nisi post acceptationem, quæ obligationem voluntariam facit. Sanè, Legislator contrahit cum subditis suis per Leges suas, seque astringit non solùm ad eos adjuvandos in executione Legum suarum, sed etiam ad eos conservandos in eorum juribus: subditi autem se adstringunt ad observationem Legum. Indè fit, ut Dominus benignè atque humanè agere volens cum Hominibus, fœdus & Testamentum vocavit Legem, quam Judæis, & Legem, quam Christianis dedit.

3. Quid sentires de Legislatore, qui quereretur jus suum esse inutile, ideò, quòd subditi sui habeant jus respuendi eas Legem, quas contra Legem Divinam ferret, vel quarum exequutio impossibilis foret; hunc sanè reprehenderes; quia Leges, quarum ferendarum jus habet, justæ ac possibiles esse debent, jusque illud, ea tantùm conditione, ipsi datum fuit: illi ergò reprehendendi sunt, qui dicunt, jus Pontificium ferendi Leges Ecclesiasticas, esse inutile, si subditi habeant jus respuendi Leges *minùs commodas*: quo verbo Autor intelligit Leges bono publico contrarias; nàm, si Leges justæ atque possibiles esse debent, debent quoque utiles esse, & vergere ad bonum commune, *Cap.* 2. DIST. IV.

SECTIO II.

Discussio & Refutatio autoritatum & Rationum à FAGNANO *adductarum, quibus probare nititur,* LEGES ECCLESIASTICAS ligare antè illarum acceptationem, *in* 2. *part. lib.* 1. *Decretal. p.* 524. *&* 634. Edit. *Colon.* 1704.

INter sententias Ecclesiæ Gallicanæ non infimum tenet locum, illa, quæ tuetur Decreta à Conciliis, vel à Pontificibus edita non obligari, nisi post debitam acceptationem: hæc autem duplici modo propugnari potest. Nempè 1. Relatione momentorum, quibus fulcitur. 2. Refutatione illorum, quibus impugnatur. Posteriorem viam hic sequemur; atque, ut labor utilior sit, elegimus Autorem insigniorem, qui validiora contra Gallicanam sententiam argumenta collegit: undè fiet, ut, si monstraverimus illa infirma esse, firmior manebit ista sententia.

Sed priùs observandum 1. Quòd in locis, ubi Decreta Pontificia non publicantur, nisi post acceptationem debitam, receptio, quæ illorum fit, per usum, nihil aliud est, quàm executio, quæ supponit illa esse acceptata; ideòque, autoritates & Rationes, quæ loquuntur de hujusmodi receptione per usum, non probant Leges obligare antequàm acceptentur: & tales sunt pleræque illarum, quæ afferuntur à FAGNANO. 2. Idem dicendum de illis, quæ loquuntur de Legibus Ecclesiasticis conditis in executionem Juris Naturalis aut Divini. Quoad illa, sic sumpta, non egent Acceptatione, ut ligent; cùm in hoc, quòd executioni mandant, ejusdem sint conditionis, ac jus Naturale & jus Divinum: secus quoad pœnas, quæ adjiciuntur, ut serventur.

3. Inter autoritates, quæ adducuntur contra prædictam sententiam, nonnullæ videntur esse supposititicæ. Talis est, quæ desumitur ex Epistola GREGORII IV. omnibus Episcopis quippe quæ insignis suppositionis notas habeat, ut inferiùs ostendetur.

4. Distinctio excogitata *Legis Præceptivæ*, vel *Præceptoriæ*, & *simplicis Legis* caret solido fundamento. Imò repugnat ideæ Legis, cujus est præcipere, & obligationem imponere, sive vetando, sive jubendo. Si hortatur tantùm, aut consulit, desinit esse Lex: nec refert quòd Lex CHRISTI habeat sua Consilia, ut & præcepta sua; hoc enim intelligendum ex de illius Religione aut Doctrina, quæ nomine Legis illius donatur: Itaque, dicere Leges præceptivas ligare antè acceptationem per usum, alias verò non ligare, nisi post hanc receptionem; idem est ac dicere, omnem veram Legem ligare ante receptionem, per usum. Illas verò, quæ nomen Legis duntaxat habent, non ligare, nisi post receptionem:

undè

undè extrà Quæstionem excurritur. 5. Sententiam à *Fagnano* impugnatam esse valdè communem, tàm apud Theologos, quàm apud Philosophos, ut monet SANBOVIUS *Tom. II. resolut. p.* 182. *n.* 6. 6. Autoritates ex texibus Juris petuntur; rationes verò, ut plurimùm, ex incommodis. His ita observatis, tales autoritates, rationesque confutandæ.

Prima est *can.* 2. DIST. XII. desumitur ex *Epist.* GREG. IV. omnibus Episcopis: hæc ad rem habet. *Præceptis Apostolicis non durâ superbiâ resistatur, sed per obedientiam, quæ à Sancta Romana Ecclesia & Apostolicâ autoritate jussa sunt, salutiferè impleantur.* Hæc autem supposititia est, quia ex fragmentis falsarum Decretalium, aliorumque Autorum confecta est, ut patet ex *Nota* Correctorum Romanorum, quæ indicat fontem initii illius, ex Nota PITHÆI, quæ observat locum desumptum ex Codice Theodosiano. BALUSIUS & VAN-ESPEN alia falsitatis indicia colligunt. Prætereà Canon, intelligi potest de Decretis jàm acceptatis, quibus solis durâ superbiâ resisti potest, id est per superbam & obstinatam inobedientiam, & non de illis, quæ non recipiuntur ex eo solùm, quòd non conveniunt moribus Nationis, quod sine superbiâ & obstinatione fieri potest.

Secunda est in *Can. Proposuisti*, quem *Fagnanus* locat hîc in DIST. XXVII. & *pag.* 527. *n.* 53. in DIST. LXXII. & neutro in loco est; sed occurrit in DIST. LXXXII. sed ad rem non facit: nam 1. *Innocentius I.* ibi loquitur de continentiâ Presbyterorum & Diaconorum, quam *Siricius* declaraverat esse de Jure Divino, innixus nonnullis Scripturæ locis, quæ id non probant, & sequitur Prædecessoris sui sententiam. 2. Non agitur de Ecclesia Celebri, qualis Nationalis, quæ acceptare recuset Decretum Siricianum; sed de personis privatis, quæ illud transgressi fuerant. Vide *Can.* citatum, & interpretationi subscribes.

3. Eruitur è *Can.* 3. CAUS. XIV. QU. 1. hic autem *Can.* non magis congruit quæstioni: siquidem loquitur de præcepto in se spectato, prout comprehendit præceptum Naturale, vel Divinum. vel Humanum, vel Particulare, vel Generale, & illud à Consilio secernit in eo, quòd imponit necessitatem faciendi quod jubet; Consilium autem libertatem relinquit faciendi, vel non faciendi. Porrò, quæstio proposita non respicit præceptum in se spectatum, sed præceptum Humanum datum alicui Nationi, vel Ecclesiæ Celebri, aut Magnæ; non autem privatis personis. Et posito, quòd loqueretur de præcepto generali, quod Lex nuncupatur, & ad præceptum Humanum restringeretur, intelligi posset de Præcepto, vel Lege acceptata. Idem dicendum de *cap.* 2. *de majorit. & obed.* complectitur enim Præceptum, tàm particulare, quàm generale in se & intellectum de præcepto generali restringendum veniret ad Præceptum acceptatum.

Si quis quærat obiter, undè fit, ut Præceptum Generale, sive Lex egeat acceptatione, ut ligare possit; Præceptum verò particulare liget independenter ab acceptatione? Respondeo, illud discrimen ex eo nasci, quod hujusmodi Præceptum fit cuidam Privato, qui notus est ipsi præcipienti; Lex verò detur cuidam Nationi vel Ecclesiæ Magnæ, cujus mores, vel usus à Condente plerumque non noscuntur. Prætereà, aliter agitur & agendum est erga Corpus morale, quàm erga Privatum; consequentiæ Legis Populo, vel Genti non convenientis terribiles sunt; exiguum verò malum aliquid præcipere privato, ipsi non conveniens.

Quod ex citatis & refutatis *Textibus* FAGNANUS concludit, nempè, generalem inobservationem Legum præceptoriarum non excusare; locum non habet nisi in duobus Casibus, 1. Quando Lex acceptata fuit. 2. Quando Legislator non consentit, ut Lex non ampliùs servetur eo in sensu accipiendi sunt *Canones*, qui dicunt, consuetudinem non esse legitimam, quoties adversatur Canonibus; sunt enim innumeri Canones abrogati, aut per non usum, aut per usum contrarium, probatum silentio Superioris. Undè colligitur, Canones inabrogabiles utravis via, non alios esse, quàm illos, contra quorum inobservationem Superior reclamat. Hinc fit, ut, inter Canones merè positivos, seu Ecclesiasticos, quidam sint præscriptibiles, quidam verò sint impræscriptibiles: atque, ex istis, quidam manent impræscriptibiles, alii autem efficiuntur præscriptibiles. Impræscriptibilitas in his, provenit ex reclamatione continuâ Canonum posteriorum, quæ impedit, ne sit bona fides & possessio quieta; exemplum Canonum aliàs impræscriptibilium, nunc autem præscriptibilium est in illis Canonibus, qui aliàs declarant Procurationem Visitatori debitam impræscriptibilem, & in *c.* 3. SESS. XXIV. *de Ref.* præscriptionem contra illam permittente; eorum verò, qui manserunt impræscriptibiles numero recensentur. *c.* 12. *&* 16. *de præscript.* docentes, inferiorem non posse obedientiam contrà Superiorem præscribere, ideoque nec correctionem, nec visitationem. Præscriptio contra illa jura quotidie interrumpitur innovatione frequenti Canonum illa statuentium, vel statuta confirmantium.

Verùm, quæcumque hîc dicit FAGNANUS, circà abrogationem Legum per desuetudinem, vel consuetudinem contrariam, ad quæstionem propositam non pertinent. Abrogatio locum non habet nisi in Lege recepta: hîc autem agitur de Lege non acceptata, quæ propriè abrogari nequit, cum abrogatio Legi tollat vim suam, & non acceptatio novæ Legis impediat, ne Lex nova vim Legis acquirat. Est aliud discrimen inter utramque, in eo positum, quòd abrogatio incipiat à peccato, cùm primi transgressores Legis receptæ, qui abrogationi ansam præbent, delinquunt, peccatumque durat in successoribus, donec per usûs continuationem libertas legitimè præscripta fuerit, vel saltem quousque isti bona fide credant, legem abrogatam esse, nec amplius obligare: non acceptatio sine peccato fit, si cum justa causa Lex non recipiatur.

Fagnanus sibi objiciens celebrem locum GRATIANI: *Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur cum moribus utentium approbantur*, plura responsa affert, quæ facillimè refelli possunt. Primum quod habetur *n.* 49. est, quòd Gratianus loquatur de firmitate stabilitatis, quæ fit per usum, & non de firmitate autoritatis: Quod non cohæret cum loco *S. Augustini*, quem Gratianus hîc exponit. Nempè, Homines judicare de Legibus cum instituuntur, posteà verò cum institutæ & firmatæ sunt, secundùm illas judicare debere; Augustinus enim evidenter loquitur de firmitate, quæ institutionem comitatur, quæ alia non esse videtur, quàm quæ fit per acceptationem; cùm Judices secundùm Leges judicare teneantur, etiam antequam per usum firmatæ sint; quod non accidit, nisi per multos annos à promulgatione numerandos.

Alterum *Fagnani* responsum, quod est in *n.* 56. non differt à primo nisi in verbis; ait enim Gratianum loqui de firmitate *Facti*, quæ oritur ex observatione Legis, non de firmitate *Juris*, quæ præcedit usum, sicuti causa præcedit effectum suum. Porrò, quid aliud est firmitas *facti*, quam firmitas stabilitatis, proveniens ex perseverantiâ in observatione Legis.

In tertio responso dicit, Gratianum loqui de Legibus Simplicibus, non autem de Legib. Præceptoriis; quod nullatenùs admitti potest, cùm 1. Gratianus loquatur de Legibus, juxtà quas judicandum est, quæ certissimè præceptoriæ sunt, cùm præscribant Judici quid agendum, quid vitandum, nec non quomodo debeat contra transgressores procedere. 2. Nulla Lex est, quæ non sit præceptoria: in hoc enim differt Lex ab Exhortatione, Monito, Cnosilio; ideoque, divisio Legum in Simplices & Præceptorias solido fundamento caret. Non obstant exempla allata à *Fagnano*, & desumpta ex *Can.* 5. *&* 6. DIST. III. nam Canones, qui volebant, ut Clerici

Quadrageſimale Jejunium à Quinquageſimâ inciperent, præceptorii erant: verba ipſa id demonſtrant, & Gratianus ipſe agnoſcit, dicens, *unde illud Teleſphori, qui decrevit, ut generaliter Clerici à Quinquageſimâ à Carnibus abſtinerent.* Adde, quòd verbum *decernere*, ſit verbum imperativum. Præterea, poſito, quòd hi Canones non forent Leges præceptoriæ, ſed continerent exempla Legis Simplicis: hæc exigui momenti eſſent, cum Canones iſti ſint ſuppoſititii. Prior deſumptus à falſâ Epiſtolâ *Teleſphori*; poſterior è Sermone *S. Ambroſio* falsò adſcripto, ut firmaretur falſa Teleſphori Epiſtola.

Nec magis probat exemplum Legis ſimplicis deſumptum ex *cap.* 15. *de major. & obed.* Ibi enim *Gregorius IX.* expreſsè præcipit, ut Clerici in Ordine Superiores, aliis præeant, majoremque portionem habeant, quamvis poſteriùs recepti fuerint. Itaque, patet illud continere Legem præceptoriam.

Sunt adhuc duo alii *Textus*, quos *Fagnanus* allegat, ut ſibi faventes, qui tamen ſententiæ ſuæ non ſuffragantur. Prior eſt *Can. I.* DIST. XX. Poſterior eſt *cap.* 35. *de Elect. in 6.* Uterque loquitur de privatis perſonis, conſideratis ut privatis, quæ haud dubiò ſeſe ſubjicere tenentur Legibus ſtabilitis; non autem de Corpore Prælatorum, cujus eſt examinare, an Decreta Pontificia, aliave Legum Conſilia conveniant moribus Nationis, an circumſtantiæ temporum, atque locorum promittant ex illis Legibus magnum Publico commodum proventurum.

Jam ad rationes *Fagnani* veniamus, quibus contendit probare, Leges obligare independenter ab Acceptatione: hinc naſcetur occaſio diſcutiendi alios *Textus*, quibus idem oſtendere nititur ſuaque momenta confirmare.

Primam petit ex eo, quòd poteſtas ferendi Leges inutilis foret, ſi illæ vim ſuam non haberent ante Acceptationem illorum, pro quibus fiunt, cum populi adeò perverſi eſſe poſſent, ut Leges etiam utiliſſimas rejicerent. Id ſpecioſum quidem, & nil ampliùs: Populi nimiùm amant utilitatem propriam; ut non acceptent Leges utiles, atque, ſi Acceptatio neceſſaria non eſſet, periculum immineret Populis, qui ab uno ſolo homine reguntur, ne quærens quæ ſua ſunt, Leges Subditis daret illorum utilitati adverſantes, proindeque non recipiendas, quod facile probari poſſet: ſed fruſtrà fieret, cùm agatur hîc de Bullis Pontificiis, quarum acceptatio pendet à Clero, cujus refert Leges verè opportunas non reſpuere, ne ſuæ identidem rejiciantur.

Secunda ſic ſe habet: ſi Lex non ligaret, niſi poſt acceptationem, Populus Conlegiſlator eſſet, cum Principe poteſtatem Leges ferendi cum illo compartiens; ſed hæc ratio ad propoſitum non facit; non enim agitur hic de acceptatione, quæ fit per Populum, cui non convenit Leges ferre, ſed de illâ, quæ fit per Epiſcopos, qui ferendi Leges jure fruuntur in Eccleſiis ſuis, ut Papa in Eccleſia Univerſa. Undè naſcitur jus examinandi, an Decreta Pontificia conveniant moribus ſubditorum ſuorum, eaque acceptandi, vel reſpuendi, pro horum Decretorum qualitate, quoad hanc circumſtantiam, ne ullum promulgetur, quod obeſſe poſſet animabus, quarum cura ipſis concredita eſt.

Tertiò dicit, omnes Legiſlatores habere poteſtatem conſtringendi Subditos ſuos ad recipiendas Leges ſuas. Hæc autem ratio mera eſt petitio principii. *vid. n.* 48. In principio ponit quod eſt in quæſtione. Diſputatur ſiquidem, an Lex obliget antè acceptationem, utque probetur affirmativa, affertur ut principium, quòd, qui Leges condit, cogere poſſit ad illas acceptandum, nihilque adducitur ad hoc ſtabiliendum, quàm quod ſuprà refutatum eſt; ſcilicet, alioquin poteſtas ferendi Leges inutilis foret.

Verum quidem eſt quod *n.* 53. laudatur *Can. non fruſtra* 18. CAUS. XXIII. QU. V. & *cap. ut Clericorum.* 13. *de vita & honeſt.* ad oſtendendum, Legiſlatorem conſtringere poſſe pœnis latis ad executionem Legis ſuæ. Porrò, executio Legis multùm differt ab illius acceptatione; ſupponit enim Legem jàm obligare, cùm nullus teneri poſſet Legem ſervare, quæ non ligat; acceptatio verò concurrit ad faciendam Legem obligatoriam, proindeque obligatio Legis ſupponit acceptationem, & iſta illam præcedit. Præterea, *Textus* citati loquuntur de punitione Criminum vetitorum Lege Naturali & Divinâ. *Cap.* 13. loquitur de Incontinentiâ Clericorum, & ſpeciatim de eâ, quæ eſt contra naturam. *Et Can.* 18. CAUS. XXIII. QU. V. nihil aliud dicit niſi, quòd autoritas puniendi, quæ eſt in Principe, & in Magiſtratu, & poteſtas corrigendi, quæ eſt in Patrefamilias, inutiles non ſint: utraque autem præcipuè conceſſa eſt ad obſervationem Legis Naturalis & Divinæ.

Quartò ait, ut Subditi Legiſlatoris obligentur ad recipiendam Legem, ſufficit ex parte ipſius poteſtas & voluntas: at ſubdit, qui condit Legem poteſt & vult obligare Subditos ad illam recipiendam; *vult*, verba imperativa id demonſtrant; *poteſt* quoque, cùm poſſit Legem facere ſine illorum conſenſu, proindeque illos obligare ad illam recipiendam, illis invitis.

Huic rationi plura reſpondere eſt, ſed præſertim, quòd nimiùm probat: nam hinc inferre liceret, quòd Legiſlator poſſet obligare Subditos ad obediendum Legibus injuſtis, ſi ejuſmodi conderet, cùm ferre Leges poſſit ſine illis, & condendo Leges injuſtas manifeſtaret voluntatem illas ferendi: ſi dicatur, quòd poteſtas legiſlativa reſtringenda eſt ad Leges juſtas, quia data eſt ad ædificationem, non ad deſtructionem; dici quoque poteſt, quòd poteſtas Legiſlatoris limitata ſit ad Leges utiles, quia utilitas publica finis eſt præcipuus Legum *C.* 2. DIST. IV. Lex autem non acceptata utilis eſſe nequiret; cùm non ſervaretur, & ſola obſervatione Lex prodeſſe poteſt. Itaque, ut Legiſlator poſſit obligare Subditos ſuos ad recipiendam Legem, non ſufficit quòd Poteſtatem & voluntatem Leges condendi habeat, ſed neceſſe, ut utramque intrà limites juſtos contineat, ferendo Leges juſtas & utiles.

Diſtinguenda eſt ergò poteſtas Legem condendi in ſe conſiderata, ab eadem poteſtate ſpectatâ quoad finem, quæ eſt ædificandi, non deſtruendi, bonum procurandi, non verò malum. Poſterior ſufficit ad obligandum ad Leges recipiendas, ſed includit conſiderationem, ſi tales ſint, quæ dignæ ſint, ut recipiantur; quod non convenit illis, quibus alterutrum deeſt, aut Juſtitia, aut Utilitas. Cùm ergo, ut oſtenſum eſt, Lex non acceptata utilis eſſe non poſſit, conſequens eſt, ut in omni nova Lege, quæ proponitur, ſubintelligenda ſit conditio, ſi acceptetur.

Præfata diſtinctio poteſtatem Legiſlativam reſpiciens producenda eſt ad verba Legum, quæ conſiderari poſſunt, vel in ſe, vel quoad finem illarum, ſi hoc modo conſiderentur, oſtendunt, quòd Legiſlator Subditos obligare nolit ad executionem Legis, niſi poſito quòd acceptata fuerit; præſumendum enim eſt Legiſlatorem officium ſuum implere velle, quod eſt ad illam non obligare, extrà hunc caſum. Regula: *Nemo præſumitur malus, niſi probetur malus*; hanc interpretationem poſtulat. Quidquid ſit de his reflexionibus, aliiſque præcedentibus, circa Leges conſideratas in genere, certæ cenſendæ ſunt quoad Decreta Pontificia, ad illas Regiones miſſa, ubi examinari ſolent ante acceptationem, nec publicantur priùſquàm Litteris Principis confirmata ſunt; hîc enim jure exiſtimatur Pontificem nec poſſe, nec debere ibidem condere Leges, niſi ſub conditione Acceptationis.

Quinta Ratio, quæ habetur *n.* 53. hæc eſt: ſi Lex vim Legis non habet, niſi poſt acceptationem, Lex non aliud eſt, quàm Conſilium; cùm nullam imponat neceſſitatem faciendi, ſed libertatem relinquat faciendi, vel non; eo planè modo, quo Conſilium. Sed hæc ratio falſa minùs non eſt, quàm præcedentes:

nam

nam Lex consilium esse nequit ante acceptationem; cum Corpus, cui datur, teneatur illam acceptare, si suis moribus congruat, & utilis futura judicetur: è contrà consilium numquàm ligat, nisi vertatur in præceptum vocatione particulari. Itaque, Lex nova Præceptum est conditionatum, quod necessitatem illud servandi non imponit, nisi posità acceptatione, vel, si mavis, est propositum Legis faciendæ, datum, ut examinetur, an conveniat moribus Patriæ, quod Lex vel Præceptum non fit, nisi postquàm probatum est, seu acceptatum. *Postremò* dicitur, quod Sancta Sedes sit regula & norma cujusque rei probandæ aut respuendæ, & probatur, per *Can.* 1. *Dist.* XIX. unde concluditur, quod, si mittantur Decreta Pontificia, examinanda non sunt, sed obediendum illis; additurque, quod, si quæ Ecclesiæ sint, quæ Ritus Legesque Ecclesiæ Romanæ non sequantur, ut Ecclesia Græca, ergà Continentiam Clericorum in Ordinibus Sacris constitutorum, id proveniat ex permissione Papæ. Hæc autem ratio refellitur per *Canonem* 4. *Dist.* XXXI. ubi STEPHANUS IV. contrarium docet, agnoscens, quod si Ecclesia Orientalis, cum Ecclesiâ Occidentali non consentiat, circa Continentiam Ministrorum Sacrorum id nascatur ex diversitate Traditionum illarum Ecclesiarum; ait enim, *aliter se Orientalium Traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus Romanæ Ecclesiæ*: quod confirmatur per *cap.* 6. *de Cler. conjug.* ubi INNOCENT. III. æquè instructus & studiosus Jurium Sanctæ Sedis, ac quilibet alius, prædictum discrimen petit, ex eo, quòd Ecclesia Græca non receperit Legem Continentiæ: *Nos igitur attendentes, quod Ecclesia Orientalis votum continentiæ non admisit, quoniam Orientales in Minoribus contrahunt, & in Superioribus utuntur matrimonio jam contracto.* Confirmatur etiam per *cap.* 4. *de Consuet.* ubi idem Pontifex damnans consuetudinem Græcorum, quâ Presbyteri conferunt Sacramentum Confirmationis, condemnationem non fundat in eo, quod Ecclesia Romana illam non probet, sed in eâ *unicè*, quod adversetur Traditioni; hæc enim habet *ab Apostolorum tempore solis Episcopis sunt reservata, ut est Sacramentum Confirmationis, quod soli Episcopi, per impositionem manûs debent conferre.*

Eadem ratio refelli etiam potest hac consideratione: non est causa potior, quod præfatus usus Græcorum vim suam hauriat ex approbatione Sedis Apostolicæ, quàm cæteri ejusdem peculiares usus, & de istis nulla extat probatio quod egerint autoritate ejusdem Sedis, ut statuerentur: è contrà Sancti Patres, Concilia, supponunt illos esse legitimos independenter ab illa autoritate. v. g. CÆLESTINUS III. loquens de usu Græcorum conferendi Ordines extrà tempora, illum agnoscit legitimum, approbatque, modò hac licentia non utantur, nisi ergà Græcos subditos, qui in possessione sunt illos sic recipiendi, eamque non extendant ad Latinos, qui eadem possessione carent. *Vid. c.* 9. *de temporib. Ordin.* Hoc exemplum eo magis notandum, quòd S. LEO credat, Canones, quos sequitur Ecclesia Romana, in collatione Ordinum diebus jejunii, esse Traditionis Apostolicæ *Epist.* 11. *c.* 1. *Epist.* 84. *c.* 2.

Ejusdem rei simile exemplum habes in Concilio Florentino *Conc. Tom.* XXIII. *p.* 1167. ubi probans Ecclesiæ Græcæ & Latinæ modum conficiendi, consecrandique Eucharistiam, nimirùm illius in fermentato pane, istius verò in pane azymo; nequicquam plus autoritatis in hoc tribuit Ecclesiæ Romanæ, quàm Ecclesiæ Græcæ, quod facere non debuisset, si existimasset Ritum Græcum vim suam haurire ab Apostolicâ Sede residente in Summo Pontifice, ut Græci intelligerent, se in hoc Latinis obnoxios devinctosque esse.

Quod mox dictum est de potestate Ecclesiæ Græcæ habendi ritus peculiares independenter ab Ecclesiâ Romana, applicationem suam habet in aliis Ecclesiis Nationalibus. Eadem utrimque ratio. Non subjacent Legibus Romanis, quas non acceperunt, & ad illas non recipiendas, non egent consensu Sedis Apostolicæ, sed sufficit quod sibi videantur repugnare moribus Nationum suarum.

Frustrà objiceretur *cap.* 11. *de tempor. Ordin.* ubi INNOCENTIUS III. loquens de consuetudine Græcorum conferendi unà simul omnes Ordines, & extrà quatuor Tempora, Græcis etiam subditis Episcoporum Latinorum, ait, quod, quandiù tolerabitur ab Ecclesiâ, non privandi sint executione Ordinum sic receptorum: *Si verò de mandato, seu licentia sui Pontificis, secundùm morem Græcorum fuerit ordinatus, licèt culpandus sit Episcopus Latinus, qui Clericos suos à Græco Antistite fecit ordinari, quamdiu tamen talis mos ab Ecclesia toleratur impediri non debet ab executione Ordinum taliter susceptorum*; & prætenderetur, quod Ecclesia, de quâ hic, est Ecclesia Romana, prout est Ecclesia particularis, ut hinc concluderetur, usus Græcorum vim suam accipere ab Ecclesiâ Romanâ, in Papâ potissimùm residente, sicut Corpus particulare viget imprimis in ipsius Capite particulari.

Hujusmodi objectio pessimo niteretur fundamento, cum hâc voce *Ecclesia*, sine ulla additione, vel restrictione intelligi soleat Ecclesia Universalis, quæ est, per excellentiam, Ecclesia, & Ecclesia sumpta & spectata eo modo absoluto.

In vanum adjiceretur, quod in Statibus Monarchicis nulla Lex est, nulla consuetudo, quæ suam vim, autoritatemque non teneat à Principe, quodque Ecclesia sit Monarchia, cujus Papa Caput; & in probationem adducerentur varia Scripturæ loca, ac inter alia 1. hæc verba J. Christi, spectantia Ecclesiæ institutionem: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum*: quæ ostendere videntur, quod Christus uni soli totam suam autoritatem communicaverit. 2. Sequentia ejusdem Christi verba Petro directa, quoad regimen Ecclesiæ, *pasce oves meas, pasce agnos meos*, quæ explicationem præcitatorum confirmant, quia probare videntur, Christum Petro commisisse totum gregem suum, consistentem in ovibus, quibus intelligendi veniunt Episcopi, qui Fideles in Christo pariunt, ut oves agnos, & in agnis, quibus intelligendi Fideles, qui pariuntur in Christo ab Episcopis, ut agni ab ovibus. 3. Hoc Christi dictum, *unus pastor, unum ovile*, quod ad credendum inducit, quòd, sicut unicus est Pastor invisibilis, ad quem totus grex pertinet; ita unicus est Pastor visibilis, præpositus regimini totius gregis, ut justa sit similitudo inter regimen visibile, & regimen invisibile.

Vanus, inquam, esset hujusmodi sermo; nam 1. Scriptura Sacra sibi ipsi non adversatur, hæc autem docet, Christum dedisse omnibus Apostolis potestatem Clavium, cujus pars est potestas condendi Leges, quibus Fideles ligantur, & potestas dispensandi, quibus iidem solvuntur; dedisse quoque iisdem Apostolis potestatem remittendi peccata, illave retinendi, post insufflationem super ipsos, sicut super Petrum, ut acciperent Spiritum Sanctum; Christum misisse Apostolos, ut fundarent Ecclesias prædicatione suâ, postquàm illis dixisset, se accepisse à Patre omnem potestatem, illamque illis communicare, illos mittendo sicut Pater ipsum miserat. Porrò, certum est Episcopos successisse Apostolis, sicut Papa Sancto Petro; ideòque, si Papa, ut Successor Petri, jus habet regendi Ecclesiam, ità Episcopi, ut Successores Apostolorum, idem jus habere debent.

2. Natura Regiminis Ecclesiæ meliùs cognosci, non potest, quàm observando, considerandoque modum,

dum, quo gubernata est per Apostolos, illorum Discipulos, & Successores istorum, usque ad Concilia Generalia, & per novem priora sæcula, in quibus celebrata sunt octo priora hujus generis. Porrò, quandiu Apostoli vixerunt, Ecclesia gubernata non est à Petro, ut à Monarcha, sed ab Apostolis conjunctim cum illo, ut status partim Aristocraticus, partim Monarchicus. Actus Apostolorum id testantur, Discipuli Apostolorum illorum exemplum secuti sunt : quod patet possimùm per Concilia, quæ celebrarunt, ad imitationem illorum, quæ ab Apostolis convocata sunt, & in quibus videre est Episcopos Provinciarum suas rexisse Ecclesias, inconsulto Pontifice. Inter ea, legantur Concilia *Africana*, nec non quinque priora Orientalia, Particularia, quorum illa in codice Ecclesiæ Africanæ continentur; ista verò in codice Ecclesiæ Universæ primòque *Dyonisii exigui*. Notabiliores hanc circa rem Canones sunt *l.* 4. *Conc. Nicæni. c.* 13. 14. *Conc. Antiocheni. c.* 3. *&* 7. *Conc. Sardicensis*, qui introduxerunt Recursum ad Pontificem in judiciis Episcoporum. Sed de his fusiùs in *Notis circa Concilia*, & in *Tractatu de Ecclesiâ*.

TITULUS XVI.

PECULIARIA *Notanda in* CONCILIIS AFRICANIS *Circa* CONVOCATIONEM, LOCUM, TEMPUS CELEBRATIONIS, QUALITATEM, NUMERUM, PRÆSIDENTIAM, FORMAM CANONUM, SUMPTUS ITINERIS ET MANSIONIS, PÆNAS ABSENTIUM, AUTORITATEM SECUNDI ORDINIS.

PECULIARIA, Quæ colligimus, totidem administrant probationes libertatis Ecclesiarum, quoad Disciplinam : pleraque ostendunt Ecclesiam AFRICANAM ab aliis discrepare circà Concilia. Ea igitur colligimus ob hanc causam : uno autem sub *Titulo* eas collocamus, ideò, quòd pauca de singulis dicenda sint.

CONVOCATIO.

Ex omnibus Conciliis Africanis, quorum Acta habemus, quæque nomen CONCILII gerunt, nullum est in quo nominatim dicatur à qua Persona fuerit convocatum; an ab Imperatore; an à Proconsule; an ex eorum consensu, vel licentiâ; an à Capite Ecclesiæ Africanæ, nempè Carthaginensi Episcopo; an à Capite uniuscujusque Provinciæ, nempè Primate aut Metropolitano. Itaque, ex illis Actis nulla potest erui decisio circà quæstionem, ad quam ex duabus Potestatibus Spirituali & Temporali, pertineat Convocatio Conciliorum; nam silentium utrimque æquale est, quoad jus utriusque Potestatis, nec major locus est Argumento negativo contra Temporalem, quàm contra Spiritualem Potestatem. Enimverò, quidam Canones *Codicis Ecclesiæ Africanæ* probant, Episcopum Carthaginensem convocavisse Concilium universale hujus Ecclesiæ : talis est *Canon* 95. alii ostendunt, Concilium Provinciale convocatum fuisse à Primate; talis est *Can.* 73. ejusdem *Codicis*. Sed nihil est in his Canonibus, quod excludat authoritatem temporalem à Convocatione horum Conciliorum. Adjice plures, in eodem *Codice*, Canones reperiri, ex quibus concludi potest aliquatenùs, Ecclesiam Africanam agnovisse, quòd Principum authoritas necessaria sit ad Convocationem Conciliorum, quia multæ sunt res ad Religionis bonum conducentes, quas statuere non possunt, sine hac autoritate : tales sunt omnes Canones, quibus ostensum fuit Concilia Africana sæpè Imperatori supplicavisse, ut ab eo impetrarent Leges circà res temporales, quarum Religio indigebat;

Primam hanc observationem restringimus ad Conventus, qui Concilia dicuntur, nam *Cap.* 5. *cognitionis* 1. *Collationis Carthaginensis* expressè dicitur, Conventum hunc, sive Collationem, convocatum fuisse ab HONORIO, Imperatore, qui congregavit omnes Episcopos Catholicos & Donatistas, ut, selectis ex utraque parte peritissimis, discuterent, &, juxtà Scripturam ac Traditionem, dissolverent difficultates, quæ separationem pepererant. Conventus hic est anni 411.

TEMPUS CELEBRATIONIS,

Inter Concilia Africana, quorum Acta habemus, pauca sunt, quorum tempus non designetur, per *Consulatus*. Id perspicuum est, quoad Concilia, quorum Canones inserti sunt *Codici Ecclesiæ Africanæ*, &, quoad illa, de quorum celebratione mentio expressa fit, in eodem *Codice*, licèt eorum Canones non referantur. Aliquot Concilia excipimus ab observatione hâc; quoniam Acta Concilii XIX. *Carthaginense* non docent quo anno illud habitum fuerit. vid. *Tom. I. Biblioth.* JUSTELLI, *pag.* 388. *&* 396.

Aliud observandum est circà tempus Celebrationis Conciliorum *African.* Nempè Synodum Hipponensem an. 393., assignavisse 10. *Septembris* uniuscujusque anni, celebrationi Concilii Universalis. *Canon.* 73. Codicis hujus Ecclesiæ sumptus è Concilio *Cartagin. an.* 401. id expressè dicit. Hæc circumstantia omissa fuit in *Epitome Canonum* quæ Concilium Carthaginense III. sequitur; dicitur solùm quòd Concilium Universale quotannis celebrabitur, Eadem quoque omittitur in *Can.* 2. hujus Concilii *Carthagin. III.* Ex omnibus Conciliis Africanis huic Hipponensi posterioribus, nullum est, quod habitum fuerit 10. Septembris, dùm Concilia Africana fuêre annua, quod duravit solùm ab anno 393. ad ann. 407. In quibusdam annis duo habita fuêre : tales sunt anni 397. & 408. *Canon.* 18. Codicis laudati docet, Decretum Nicæni, circà binam celebrationem Conciliorum Provincialium, productum fuisse ad Concilium Universale Africæ.

LOCUS CELEBRATIONIS.

Quoad Hocce Caput, duplex Conciliorum genus distinguendum est : alia gerunt nomen alicujus Urbis, putà Carthaginis, Milevi, Hipponis, hæc autem habita fuerunt in loco, cujus nomen ferunt. Ex his Conciliis componitur *Codex Ecclesiæ Africanæ*, & pleraque eorum habita fuêre Carthagine in variis Basilicis, quarum aliquot expressè nuncupantur in *Codice* 1. Basilica *Reædificata. Tom. I. Bibliothecæ* JUSTELLI *pag.* 149. 2. Basilica 2. *Regionis pag.* 160. 3. Basilica *Fausti pag.* 141. Basilica *Pacis. pag.* 149.

Alia Concilia nomen Regionis sumpserunt, & dicuntur AFRICANA, fortè quia componuntur ex Episcopis universæ Nationis. *Tria* ex illis habita sunt sub ANASTASIO Pontifice, & octo sub INNOCENTIO I. Omnia *Undecim* extant in Codice Ecclesiæ Africanæ, sub nomine *Concil. Carthaginensium.* Primum est an. 399. 2. & 3. anni 402. reliqua habita sunt annis 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410.

Præter hæc *Undecim* Concilia, *Africana* dicta, quæ sunt vera Concilia, est unum Concilium Africanum, quod nihil est aliud, quàm Collectio Canonum à Conciliis Africanis factorum; in eo discrepans solùm à codice Ecclesiæ Universalis, quòd in ea omittantur Acta Concilii *Carthaginensis* anno 419.

Fortè, juxtà exemplum Conciliorum, quæ *Africana* dicta fuerunt, quædam Concilia Germaniæ, vel Galliæ, vel

vel Hiberniæ, nuncupata fuerunt *Germanica*, *Gallicana*, vel *Hibernica*. Concilia Universalia primùm habita fuêre in variis Provinciis juxtà illarum ordinem initio ducto à Proconsulari. Deinceps, decretum fuit, ut celebrarentur in loco, qui commodior videretur pro negotiorum occurrentiâ *Can. 95. Cod. Eccleſiæ Africanæ.*

QUALITAS CONCIL. AFRICANORUM.

Sub hoc *Titulo* complectimur varias ſpecies Conciliorum Africanorum: nempe, 1. merè Provincialia, quæ componuntur ex Epiſcopis unius Provinciæ; tale fuit Concilium *Carthagin.* an. 409. 2. Pluſquàm Provincialia vel Semi-nationalia, qualia ſunt ea, quæ componuntur è pluribus Provinciis, non verò ex omnibus, tale fuit *Carthaginenſe I.* ann. 348. ut dicit Juſtellus; & *Carthaginenſe II.* an. 397. Menſe Maio, quod infertur ex his verbis præfationis *Coepiſcopis ſuis diverſarum Provinciarum.*

3. Perfectè Nationalia, quæ coaleſcebant ex Epiſcopis Univerſæ Nationis; tale fuit *Carthagin. III.* an. 397. menſe Septembris: Generale illud fuiſſe infertur ex Statutis generalibus, quæ condidit, pro Univerſâ Africâ *Can. 1. & 2.* Illud perfectè Nationale fuiſſe concludi poteſt, ex eo, quòd inſtituit ultimam ſpeciem Conciliorum Africanorum, quæ ſunt Nationalia, per repræſentationem, ea nempè, ad quæ conveniunt Deputati ſingularum Provinciarum. *Canon. 2.* fert, quòd deinceps Provinciæ tres tantùm Deputatos mittent & Provincia Tripolitana unicum.

Comitia Generalia, CLERI GALLICANI ſimilia ſunt his Conciliis Nationalibus per repræſentationem, in eo, quòd Provinciæ per Legatos ſolùm interſunt.

Diviſio obſervata non eſt peculiaris Conciliis Africanis, nam ea videtur in *Conciliis* GALLIÆ, nec non *Hiſpaniæ*; ſed peculiare eſt Africæ, quòd pleraque ex ejus Conciliis, quorum numerus parvus non eſt, ſint Nationalia: nam pauciora ſunt illa in Galliâ, Hiſpaniâ, Britanniâ, reſpectu Conciliorum Provincialium.

Ad diſtinguenda Concilia Nationalia Eccleſiæ Africanæ, ab iis, quæ Provincialia fuêre tantùm, habemus viam facilem ac brevem: nempè, habenda ſunt pro *Nationalibus* omnia, quorum Canones inſerti fuêre Codici hujus Eccleſiæ. Id infertur ex eo, quòd Compilator horum Canonum, loquens de Concilio Carthaginenſi an. 409. dicat, ſe hujus Acta omiſiſſe, quia non erat Generale; *geſta hujus Concilii ideò non deſcripſi, quoniam Provinciale, non generale celebratum eſt.* Undè credibile fit, omnia Concila, quorum Actus inſerti fuêre huic *Codici*, eſſe generalia, ſive Nationalia. Fortè ob eandem cauſam, ab eodem *Codice* abeſt Concilium *Carthaginenſe*, habitum ſub GRATO an. 348. quod ſuprà diximus eſſe plus quàm Provinciale, vel Semi-nationale, quamvis aliundè notabile ſit, propter Statutorum ſuorum qualitatem.

Concilia Nationalia diſtinguuntur præterea per generalitatem Statutorum ipſorum. Igitur, cum Statuta Concilii *Carthagin. III.* ann. 397. *Can. 1. 2.* ſint generalia, pro Univerſâ Africâ, credibile eſt illud eſſe generale.

Cum Concilia Nationalia Africæ ſint vetuſtiſſima Conciliorum Nationalium, in aliis Regionibus habitorum; ea quoque ſunt ſola, quorum exiſtat corpus ſeparatum, abſque ullo alieno, & confirmatum à Concilio ejuſdem generis. Denique, eadem fuêre exemplaria Conciliorum Generalium alibi habitorum, ut probavimus in noſtris Quæſtionibus Hiſtoricis circà Concilia Nationalia.

NUMERUS CONCILIORUM AFRICANORUM.

Pauciora ſunt Concilia Africæ quam ſtatim apparet: nam 1. ut ſuprà diximus, *undecim*, quæ dicuntur *Africana*, nomine tenùs differunt à Carthaginenſibus, quorum annus ibidem notatus eſt. 2. Concilium *Carthaginenſe II.* & *Milevitanum II.* ſuppoſititia ſunt; quod colligitur ex Canonibus, qui illis attribuuntur, quia ſumpti ſunt ex Conciliis anterioribus, aut poſterioribus tempori, in quo utrumque collocatur.

Denique, Concilium *Carthaginenſe IV.* ſuſpectum eſt falſitatis apud multos Eruditos, ſivè ob formam Canonum, ſeu ob magnam eorum copiam, ſeu propter ſilentium Veterum circà hoc Concilium, ſeu quòd non fuerit inſertum *Codici*, quamvis Concilia ipſi anteriora, & poſteriora, inſerta fuerint. *Quatuordecim* proindè Concilia eximenda ſunt à vulgari numero, quibus ſubductis, remanent ſolùm XVIII. quæ inſerta ſunt *Codici*, quorum XVI. habita ſunt *Carthagine*, unum *Hippone*, & alterum *Milevi*, nec non *duo* alia *Carthaginenſia*, quorum unum habitum fuit ann. 348. ſub *Grato*, & aliud ſub *Bonifacio*, Epiſcopo Carthagin. ann. 525. Concilium Carthaginenſe ann. 419. bis ponitur in Indice Conciliorum inſertorum *Codici Eccleſiæ Africanæ*, in fronte & in fine, in fronte, propter primam ſeſſionem 23. *Maii*, in qua facti fuêre Canones 33. & lecti Canones in *Codice* comprehenſi, in fine, propter ſecundam ſeſſionem 27. *Maii*, in qua *ſex* Canones facti fuêre.

PRÆSIDENTIA.

Triplex eſt probationis genus, quòd Præſul Carthaginenſis præfuerit Conciliis Univerſalibus Africæ; 1. ſemper nuncupatur in Præfatione primus inter eos, qui adfuiſſe dicuntur: totidem ſunt exempla quot præfationes.

2. A quocunque fiat propoſitio in Concilio, ſemper eam concludit Epiſcopus Carthaginenſis, ut videre eſt in omnibus Canonibus ſuper propoſitione alterius factis. 3. Semper ſubſcribit primus: nulla referimus exempla, ſed monemus, tot illa eſſe, quot exiſtunt ſubſcriptiones illorum Conciliorum earum pars major continetur in *Codice Eccleſiæ Afric.* nonnullæ ſunt in Concilio *Carthagin.* ann. 525.

Eædem ſuppetunt probationes Præſidentiæ Primatuum ſeu Metropolitanorum in Conciliis Provincialibus, excepto argumento ſubſcriptionum, quorum nullæ ſuperſunt, poſito tamen quòd Concilium ſub *Grato* habitum an. 348. ſit Provinciale.

Inter ſubſcriptiones *Aurelii*, Epiſcopi Carthaginenſis, quædam habent verbum *Carthaginenſis*; quædam non. Quoad priores, vide Concil. Carthag. an. 407. *Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis* &c. Quoad poſteriores, vide Concil. Carthag. an. 419. *Aurelius Epiſcopus his &c.*

BONIFACIUS Epiſcopus ejuſdem Urbis, ſubſcribendo Concilio Carthag. ann. 525. ſcribit *Epiſcopus Plebis Carthaginenſis.* Cum Præſidentia nihil aliud ſit quàm prima ſeſſio, ſub hoc verbo contineri poteſt ordo ſeſſionis Epiſcoporum in Conciliis; circà quem obſervamus hìc, quod is in Africâ diſponeretur ex tempore Ordinationis, exceptis Primate Numidiæ, & Primate Mauritaniæ. *Can. 86. Cod. Eccl. Afric.*

FORMA CANONUM.

Hoc peculiare eſt circa formam Canonum Conciliorum Africæ cujuſcumque ſpeciei, quod aliquando contineant propoſitionem ab alio factam, quàm à Præſidente, concluſionem ſive ſententiam Præſidentis, & conſenſum unanimem reliquorum. Patrum, qui adhæſerunt. Priores Canones, in quibus hæc tria obſervantur, ſunt Canones Concilii ſub GRATO, an. 348. hæc forma Canonis ſumpta videtur partim ex Concilio Sardicenſi an. 347. cui GRATUS interfuerat, ut videtur in Can. 5. ejuſdem Concilii Carthaginenſis. Dicimus *partim*, quia non apparet quòd, ubi propoſitio facta eſt ab alio Epiſcopo, quàm OSIO, qui

creditur præfuisse Concilio Sardicensi, idem Osius concluserit, seu sententiam seorsum dixerit, cui cæteri adhæserint; sed hoc in casu comprehenditur in verbo Generali *Universi.* Magna pars Canonum reliquorum incipit à verbo *Placuit.* Hæc forma introducta fuit à Conciliis *Eliberitano* an. 305. & *Carthagin.* ann. 397. & adfinis est formæ Apostolicæ, *visum est.* in Concilio *Hierosolimit.* ACT. APOST. *Cap. XV.*

SUMPTUS ITINERIS ET MANSIONIS QUOAD CONCILIA AFRICANA.

Unicus est Conciliorum Africanorum Canon, qui doceat undè sumerentur sumptus ad Conciliorum celebrationem necessarii, nempè 2. Concil. Carthag. III. an. 397. in quo cernitur, pecuniam Ecclesiæ destinatam hospitalitati, huic impensæ inserviisse; nam, reducendo numerum Patrum Concilii Universalis, ad tres ex unâquaque Provinciâ, Synodus dicit, se id facere, ut *minusque hospitibus sumptuosi Conventus evadant.*

POENÆ CONTRA EPISCOPOS, QUI NEGLIGEBANT ADESSE CONCILIO.

Concilium Carthaginense ann. 401. decernit, ut omnes Episcopi Provinciæ, Concilio Provinciali intersint, nisi legitimo impedimento detineantur, sive senectutis, seu valetudinis, seu alterius necessitatis, item, ut unusquisque Primas dividat omnes Prælatos Congregatos in duas tresve Classes, è quarum singulis unus assumatur, qui ad Concilium Universale die præstituta conveniat, nisi legitimè impediatur; quo in casu, impedimentum exponet in Responsione ad Epistolam Convocationis: quod si impedimentum deinceps accidat, illud intimabit Primati, aliàs privabitur Communione cum aliis Ecclesiis, & redigetur ad Communionem Ecclesiæ suæ: *Can. 76. C. d. Eccles. African.*

Hic plura sunt singularia 1. Dispensatio conveniendi ad Concilium Universale, concessa omnibus Episcopis Provinciæ, qui non erunt Deputati. 2. Modus eligendi hos Deputatos, per divisionem Episcoporum in duas tresve Classes, è quarum singulis unus Deputatus sumebatur. 3. Paucitas Deputatorum, respective ad quantitatem Episcoporum uniuscujusque Provinciæ, exceptâ Tripolitanâ. 4. Excommunicatio partialis, quæ redigebat Episcopum ad Communionem solius Ecclesiæ suæ.

AUTHORITAS SECUNDI ORDINIS IN CONCILIIS AFRICÆ.

Ex Instrumentis insertis Codici Ecclesiæ Africanæ non apparet Sacerdotes interfuisse Conciliis istius Regionis, ubi enim de personis, quæ adfuerunt, fit sermo, commemorantur solùm Episcopi, de quibus dicitur, eos sedere cum Præsidente, & Diaconi, qui stare dicuntur, *adstantibus Diaconis.*

Enimverò, Concilium Carthaginense ann. 419. loquitur de duobus Presbyteris, qui cum Episcopis adfuerunt & consederunt; sed illi erant Deputati Sedis Apostolicæ, sive Pontificis; unus vocabatur *Philippus*, alter *Asellius.*

Extrà hunc Codicem, est Concilium Africæ habitum sub S. CYPRIANO, circa Baptismum collatum ab Hæreticis, vel Schismaticis, in cujus præfatione fit mentio Sacerdotum, *cum Presbyteris & Diaconibus*; Sed non apparet, quòd hi Sacerdotes aliquam autoritatem exercuerint: imò inferri potest contrarium, ex eo quod Epistola *S. Cypriani*, quæ servavit hoc Concilium, referendo Suffragia eorum, qui ad fuerunt, nullum, quod à Presbytero prolatum fuerit, proponit.

TITULUS XVII.

RATIONES *pro & contrà, circà* SUPPOSITIONEM CONCILII CARTHAGINENSIS IV. *celebrati an.* 398.

ANtequàm deducam rationes in quibus posset fundari suppositio *Quarti* Concilii *Carthaginensis*, operæ pretium est ut moneam, nihil hac de re posse afferri, quod videatur firmissimum, & quod posset dici fortius, accedit magis ad simplicem suspicionem, & meram conjecturam quàm ad probationem; quapropter Pater LABBÆUS, qui solet nota facere Concilia supposita, de hoc nullum verbum profert. Hanc eamdem ob causam Dominus DE LAUBEPINE, Episcopus Aurelianensis, istud Concilium tuens tanquàm certum & constans, totum se dedit intelligentiæ multorum ejus Canonum. In eadem opinione eruditus Pater MORIN excepit ex eodem Concilio, Ordinem, aut Pontificale, quod habetur ab illo, ut antiquissimus Ordo, aut Pontificale Occidentis de Ordinatione: itaque Cardinalis BONA non debuisset id Concilium collocare cum Concilio Romano sub SILVESTRO, cujus suppositio ut indubitata habetur. Id incumbit mihi adhuc monendum, idem Concilium continere præscriptiones seu præceptiones maximi momenti, non solùm de Ordinibus ab Episcopatu ad Cantoratum, & de omnibus Officiis Ecclesiasticorum, sed etiam de Sacramentis Matrimonii, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, & de aliis gravibus Moralis aut *Disciplinæ* capitibus. Quamobrem maximi interest, perpendere quâ valeat authoritate, & præcipuè, an locus sit reputandi illud suppositi tium.

Tandem par est mihi admonere, quòd, ut detur aliquis ordo rationibus, quæ possent afferri, ad ostendendum Concilium Carthaginense IV. videri suppositi tium, teneor illas in quinque Classes diversas dividere; quia quinque variis Locis potest considerari; nempè, Materiâ, Formâ, Numero, subscriptionibus, Testimoniis temporis, & colligi potest aliqua ratio suppositionis, ex unoquôque illorum Locorum.

Rationes 1. Classis accipiuntur è *primo*, & *ultimo* CANONE. *Primus* videtur esse factus post Concilium Ephesinum celebratum an. 431. nam inducit Episcopum ad confitendum, se credere duas Naturas, & Unam in JESU CHRISTO Personam, quod definitum est solùm à Concilio Ephesino, aut potius primùm ab isto Concilio est definitum. Igitur, iste *Canon* excerptus videtur ex aliquo Concilio posteriori Concilio Ephesino, quod exegerit ab Episcopo recèns promoto, fidem decisionis à Concilio Ephesino latæ contra *Nestorium*: & aliquis credendi Locus est, hæresim *Nestorii*, ejusque condemnationem huicce Concilio occasionem dedisse. Aliud est, in eodem *Canone*, quo suspicari possit, non celebratum esse nisi post annum 415. ex eo quod statuat, exigi ab Episcopo novo confessionem expressam Peccati Originalis. Et primùm necessaria fuit, post condemnationem hæresis Pelagianæ factam primùm à Concilio *Diospolitano*, an. 415. *C.* 2. 3. 4. 5. professionis ab isto Heresiarcha in eo Concilio factæ, in retractationem suorum Errorum. Adjici posset, valdè verisimile esse quòd Ecclesia Africana non exegerit talem fidei confessionem à novis Episcopis, nisi postquàm definitio facta à Concilio *Diospolitano* acceptata fuerit ab eâdem Ecclesiâ; quod videtur solummodò factum in Concilio *Carthaginensi*, habito an. 418. in quo definitur peccatum Adami ad posteros transiatum fuisse, & eâ de causâ Infantes baptisari, *in remissionem peccatorum.* In eodem *Canone* Caput cujusque Provinciæ Ecclesiasticæ appellatur *Metropolitanus*, contra usum Ecclesiæ Africanæ in quâ vocabatur *Primas.*

In *Ultimo Canone*, Concilium habet, ut adulteras mulieres viduas, quæ post votam Continentiam, iterum

copu-

copulantur, in eodem comparantur iis, qui verè admittunt crimen adulterii, & propterea privantur omni Communione, tàm Civili, quàm Sacra; quod adversatur Doctrinæ *Sancti Augustini*, qui fuit unus è Patribus hujusce Concilii: nam in ejus Libro *de bono viduitatis*, expressè condemnat hanc comparationem, & multis exemplis ostendit, illam non esse convenientem. *Si Vidua*, inquit, *quæ copulatur iterum, post continentiæ votum adultera sit, quia duxit Jesum Christum suo voto, & si vivente sponso alium duxerit, omnis fidelis, qui copulatur, patrat adulterium, nam Jesus Christus est sponsus omnis hominis, in illum credentis, & consequenter fidelis, qui uxorem ducit, ad aliud connubium convolat per vitam Jesu Christi, ejusdem criminis reus est*; plura addit: *Si uxor nupta voveat continentiam, cum sui mariti potestate, reddit Jesum Christum adulterum, cùm efficiat illum sponsum mulieris jam nuptæ*: Denique, *mulier vidua, quæ voveret continentiam, Jesu Christo injuriam inferret, cùm duceret illum sponsum in secundis nuptiis, & potuerit illum primum sponsum habere.*

Hæ sunt suspiciones suppositionis collectæ è *Materiâ* Canonum. Istæ autem colliguntur è *formâ* eorumdem Canonum. Varia est, inquiunt, tribus in rebus, 1. in Canonibus aliorum Conciliorum Africanorum, est plerumque aliquis Episcopus, qui proponat, quod est determinandum, & petat ab aliis Concilii Patribus, an velint hâc de re statuere, hoc aut isto modo. 2. Canon, qui habetur posteà, incipit per hoc verbum *Placuit*.

3. Alii Canones plerumque sunt satis lati, & rationibus firmati; at verò ii, de quibus agitur, brevissimi sunt; his non confirmatur, quod deciditur; non incipiunt per verbum *Placuit*; & in his non fit mentio Episcopi, qui proposuerit præscriptum, quod actum est.

Ex *Numero* Canonum CIV. huicce Concilio attributorum, locus est timendi, ne sit suppositium: nam alia Concilia Africana perpaucos edidêre Canones. Hoc facilè videtur hac consideratione; Codex Ecclesiæ Africanæ constat ex Canonibus *Octodecim* Conciliorum hujusce Ecclesiæ, & sunt ad majus Canones CXXXIII. Undè sequeretur solum Concilium Carthaginense IV. tot ferè Canones, quot alia omnia Africana Concilia simul juncta, edidisse; quod non videtur verisimile, cum nulla ratione potuerit induci, ad aberrandum ab usu aliorum Conciliorum. Adde quod, usque ad finem Sæculi VII. non sit exemplum Concilii, quod tot Canones sanciverit.

Si *Præfatio* jungatur subscriptionibus, in ea reperitur aliqua suppositionis conjectura: nam, in *Præfatione* legitur, *quartum* Concilium Carthaginense fuisse *Nationale*, compositum ex omnibus Episcopis, aut majori ex parte Episcoporum Ecclesiæ Africanæ. In eadem vocatur Concilium *Universale*, & in *subscriptionibus* videtur *S. Augustinus* à brevi tempore Episcopus, subscribere tertio loco: quod non apparet verisimile, quia ex *Cap.* 86. *&* 89. Codicis Ecclesiæ Africanæ, cognoscitur, Episcopos sedere juxtà ordinem temporis suæ Ordinationis, & non est verisimile *S. Augustinum* tunc fuisse Episcoporum Africanorum Prodecanum. Præterea, idem *Canon* 86. dat Primatibus Numidiæ, & Mauritaniæ primum locum, ante alios omnes Episcopos, post Carthaginensem Primatem.

Ultimæ suppositionis conjecturæ, quoad Concilium Carthaginense IV. accipiuntur è profundo silentio Scriptorum aut Monumentorum ejusdem ævi, qui de eodem mentionem facere debuissent. 1. In nullo Concilio Africano post an. 398. celebrato, ubi collocatur, ipsum citatur, & inter hujus Regionis Concilia, aliquando citantur anteriora à posterioribus. 2. Quamvis constet CIV. Canonibus, nullus ex illis refertur in Codice Ecclesiæ Africanæ compositum 419. Canonibus omnium Conciliorum præcedentium Ecclesiæ Africanæ. 3. FERRANDUS Ecclesiæ Carthaginensis Diaconus, qui fecit summarium Canonum, Conciliorum veterum, & seorsum Africanorum, nullum profert ex illo, quod vocant, Concilio Carthaginensi IV. 4. Idem dicendum est de CRESCONIO, qui duas fecit collectiones Canonum, in quarum una substantiam eorumdem tantùm refert, & in altera, illos refert propriis terminis, nullâ factâ mentione *Quarti* Concilii Carthaginensis, quamvis sæpiùs proferat Canones aliorum Conciliorum Africanorum. 5. Quod dixi de Codice Ecclesiæ Africanæ, debet applicari collectioni Canonum hujus Ecclesiæ, vulgò vocatæ *Concilii Africani* nomine, quæ nihil aliud ferè est, quàm Codex Ecclesiæ Africanæ, cujus initium resectum est & imminutum usque ad Caput XXXIV. & finem, incipiendo Capiti 134. quod non est Canon, sicut nec alia Capita sequentia. Quemadmodum omne quod non reperitur in collectione vocatâ *Concilium Africanum*, pertinet ad Concilium Carthaginense celebratum an. 419. locus est credendi, eandem collectionem factam esse ante Concilium; & cum in eodem Concilio probata fuerit, insertam in eo fuisse, post Canones ab ipso editos, & antè aliqua fragmenta, quæ respiciunt quæstionem, quæ agitata in eo fuit ab initio de Decretis Concilii Nicæni. 6. *Primus* hujusce Concilii Canon erat exquisitus, ad refutandum *Nestorii* errorem, qui constituebat duas in Jesu Christo Personas, & errorem *Pelagii*, qui negabat peccatum Originale, & non videtur fuisse prolatus, neque contra unum ex illis, neque contra alterum.

Hactenùs relatum, quod fortius proferri posse videtur, ut statuatur suppositio Concilii Carthaginensis IV. superest referendum, quod potest afferri, ut contrarium demonstretur.

Istud Concilium est quasi puer, qui potens est haberi legitimus, & cui opponuntur aliquæ conjecturæ contra ortûs sui legitimitatem; itaque, quemadmodùm hic puer debet haberi legitimus, nisi probetur argumento firmissimo, non esse, eadem huic Concilio justitia tribuenda est, in eâdem circumstantiâ, & sicut iste puer non tenetur probare sui ortûs legitimitatem, sed sufficit ut respondeat allegatis ad eam impugnandam, ità, & ii, qui intendunt tueri Concilium Carthaginense IV. non astringuntur, ut ostendant, illud esse legitimum, sed sufficit, ut respondeant conjecturis suppositionis, quæ explicatæ sunt.

Dicent igitur de 1. & 2. collectis è Canone *primo*, quod si, cùm aliquis error oritur, non essent ad eum refutandum testimonia, quæ manifestè illis essent contraria, non possent condemnari. Itaque, non rectè ratiocinatur qui dicit, istum Canonem clarè locutum esse contrà errorem *Nestorii* de Personâ Jesu Christi, & contra errorem *Pelagii* de peccato Originali: Igitur editus est tantùm post Concilium *Diospolitanum* & *Carthaginense*, quæ definierunt esse peccatum Originale, & post Concilium *Ephesinum*, quod, definiit unicam esse in Jesu Christo Personam.

Exponetur de tertiâ conjecturâ excerptâ ex eodem *primo* Canone, Primatem, de quo locutus est in eo, vocari *Metropolitanum*, in Inscriptione Capitis 18. Codicis Ecclesiæ Africanæ, sicut in primo Canone Concilii Carthaginensis IV.

Licebit respondere conjecturæ, collectæ ex *ultimo* Canone, *S. Augustinum* improbasse, quod ad litteram acciperetur expressio, de qua agitur, ità, ut concluderetur, Matrimonium contractum à Personâ, quæ vovisset continentiam, nullum esse, quemadmodum habetur meritò nullum connubium adulterinum; sed approbasse, quod talis adhiberetur expressio, ut suggereretur horror, pro Matrimonio post Votum continentiæ contracto, nec non ut ab hoc delicto pœnæ, sicut & ab adulterio pœnæ repeterentur.

Respondebitur conjecturis è *Formâ* acceptis, multos esse Canones in Codice Ecclesiæ Africanæ, qui sunt brevissimi, tales sunt Canones Concilii *Hipponensis*, & quidam alii: multos etiam non incipere per verbum *Placuit*, & quos nulla præcedit propositio facta ab aliquo è Patribus Concilii.

Conjecturæ petitæ è magno Canonum numero, attributo huicce Carthaginensi Concilio, refutari possunt

hâc consideratione: scilicèt, Concilium *Trullanum*, tot ferè Canones edidisse, qui potuissent multiplicari ad triplum, si voluisset eos breviare, sicut Canones Concilii Carthagin. IV. & unum integrum componere, ex unaquaque parte eorum, qui in eo facti sunt.

Adde, Concilium *Laodicenum* in Sæculo *Quarto*, LX. Canones edidisse, si comprehendas Canonem Librorum Canonicorum, inter quos multi potuissent plures in partes dividi, & Canonem integrum facere ex unaquaque illarum partium. Potest objici contra conjecturam petitam ex *Subscriptionibus*, 1. Quod, cum non relatæ sint illæ, quæ spectabant Episcopos, qui subscripserunt post *S. Augustinum*, potuissent quoque facilè omitti aliquæ ex illis, quæ præcesserunt *S. Augustini* Subscriptionem, 2. Quod *S. Augustinus* erat Numidiæ Episcopus, quæ præerat aliis Provinciis *C.* 86. Codicis Ecclesiæ Africanæ; undè fit, ut in Concilio Carthaginensi ann. 419. Episcopi Numidiæ, & inter alios S. Augustinus subscribant ante Episcopos aliarum Provinciarum.

Quod pertinet ad conjecturam captam è defectu testimoniorum Authorum, aut Monumentorum hujus ætatis, multa sunt objicienda contrà.

1. Si Labor aliquis impendatur, ut secum invicem conferantur Concilia Carthaginensia, multa reperientur, quæ à posterioribus non fuerunt citata.

2. Qui Codicem Ecclesiæ Africanæ ediderunt, in eo meritò non inseruerunt Canones Concilii Carthaginensis IV. & imprimis, quia ipsum poterat respici tanquam *Codex*, & non esse locum timendi, ne hi Canones perirent.

3. FERRANDUS potuit non proferre Canones Concilii Africani, quia eos ignoravit, aut credidit suæ non convenire materiæ.

4. Idem dici potest DE CRESCONIO, & addi, quòd, in Capite Secundæ Collectionis hujus Authoris, extet Canon Concilii, de quo agitur, hic *Primus* hujus Concilii, & omnium præstantissimus.

5. Quemadmodum Collectio vocata, *Concilium Africanum* idem est ac Codex Ecclesiæ Africanæ, quod repositum est silentio hujus Codicis, de Canonibus Concilii Carthaginensis IV. potest applicari silentio hujusce Collectionis, de eâdem re.

6. Non habemus Acta, eorum, quæ laudata vel exposita sunt in Conciliis Diospolitano & Carthaginensi anno 1418. celebratis; itaque, notum nobis non est, an adhibita sit authoritas Canonis *Primi* Concilii Carthaginensis IV. contra errorem *Pelagii* de Peccato Originali.

Quod verò objicitur, eumdem Canonem non esse adactum contra *Nestorium*, contra quem erat invincibilis, opponi potest, quòd in Actis Concilii *Ephesini*, quibus notum fit, quæ prolata fuerint testimonia contra errorem *Nestorii*, nulla colliguntur ex aliis Conciliis, quam ex Nicæno.

Conjecturis petitis è silentio Authorum hujus ætatis, qui debuissent loqui de Concilio Carthaginensi IV. nec tamen de illo mentionem fecerunt, opponi potest 1. hujus Concilii Canones, quoad Ordinationem, reperiri in vetustioribus Pontificalibus Ecclesiæ Occidentis, ex quibus cognoscitur, eos ibi fuisse generaliter & inviolatè observatos.

2. *Martinus* Episcopus Bracharensis Collectionem faciens Canonum pro Ecclesia Hispanicâ, in iis inseruit multos Canones Concilii Carthaginensis IV. Id colligitur ex *Cap.* 14. *Primæ Partis*, in quo sensus hujus *Canonis* 32. refertur, & ex *Canone* 66. ejusdem Partis, constante *Canonibus* 44. 45. ejusdem Concilii. Hæc collectio facta est versùs finem sæculi VI. 3. Falsus *Isidorus* inseruit aliquos è Canonibus ejusdem Concilii, in suâ ad *Evaristum* Epistolâ. Talis est 13. qui loquitur de Benedictione Nuptiali, & hic impostor vixit sæculo VIII. aut IX. REGINO ineunte sæculo X. inseruit suâ in Collectione, *Primum Canonem* ejusdem Concilii Carthaginensis IV. scilicet in *Libro I. C.* 443. Burth. IVO *Carnotensis*, & GRATIANUS idem fecerunt, in locis citatis ad marginem hujus Capitis 443.

TITULUS XVIII.

DE SECUNDI ORDINIS IN SYNODO DIOECESANA AUTORITATE, Brevis Dissertatio: *Ubi cætera, quæ illam spectant, scilicet Originem, Antiquitatem, Jus convocandi, Tempus, & Locum Convocationis, Durationem, Obligationem assistendi, Materiam, Formam & commoda, adductis à* CHRISTO *ad nos usque testimoniis, explicantur.* Firmum Decretum non potest esse, quod non plurimorum videbitur habuisse consensum: *Ex Epistola Cleri Romani S.* CYPRIANO, *trigesima inter illius Patris Opera.*

PRÆFATIO.

EX omnibus Ecclesiasticis Conventibus, qui SYNODI nomine gaudent, unus duntaxat viget, qui SYNODI DIOECESANI nomine donatur: quid autem sit Diœcesana Synodus, eò lubentiùs scire quisque debet, quòd Secundo Ordine & Episcopo constet; alii verò Synodi sint Episcoporum Conventus. His verò temporibus Ecclesiæ, necessarium maximè videtur expendere quæ & qualis sit Secundi Ordinis, in Diœcesana Synodo autoritas, quod hic facturi sumus, nihil eorum, quæ hanc Synodum spectant, prætermissuri, modò aliquam cum re tractanda affinitatem habeant.

Verùm, cùm nulli fucum facere velimus hoc in opere, quod eo duntaxat fine aggredimur, ut omnium occulis subjiciantur quæ hac in materia veriora sunt, monitùm volumus Lectorem, nullam reperiri Legem, quæ clarè determinaverit, quæ esse debeat Secundi Ordinis in Synodo Diœcesana authoritas: nullæ igitur sunt hac de materia regulæ quam illæ. 1. Frequens Usus in majori Ecclesiarum parte. 2. Canones Conciliorum, & Statuta Synodorum Synodum Diœcesanam spectantia. 3. Testimonia aliundè desumpta. 4 Denique communis hâc de re idæa. Ut autem incumbamus in inquirendis hisce regulis, in memoriam revocet Lector necesse est, contra Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo authoritatem, *negativa* testimonia posse proferri, quæ testimoniis *positivis* explicanda sunt. Primis testimoniis, negativis scilicet, ea intelliguntur, quæ quamvis mentionem fecerint de his, quæ in Synodis Diœcesanis agitantur, nihil in Secundi Ordinis gratiam protulerint: positivis verò testimoniis, ea intelligenda sunt, quæ disertè asserunt, aut saltem insinuare videntur, Secundum Ordinem, hanc vel illam authoritatem exercuisse. His autem testimoniis per se claris, obscura exponi debent, & justam credendi causam præbent, eo præcisè fine mentionem non factam fuisse de Secundi Ordinis authoritate, quòd de ea loquendi minimè locus esset. Extant, verbi gratiâ, Canones, qui ad Synodum accedere cogunt Pastores, ut sui Ministerii rationem reddant. Hi, ut exhibeant vasa & ornamenta, quibus in Officii celebratione utuntur: illi, ut Episcopo, vel alicui ab ipso, ad hunc finem præposito, ostendant, se habere Statutorum Synodalium exemplar,

plar, illudque legi. Extant adhuc Canones, qui, quamvis convocari Synodum prospiciant, finemque, ob quem habenda est, exponant; de solis tamen documentis, convocatis ab Episcopo dandis, loquuntur hi omnes Canones, & his similes continent testimonia *negativa* contrà Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo autoritatem, & de solo fine, propter quem habita fuit Synodus, agunt.

Hæc omnia testimonia nihil contra authoritatem de qua agitur concludunt, & sunt, ut ita dicam, imperfecta, cum mentionem duntaxat, faciant de una parte rerum quæ fiunt, aut in eâ fieri debent.

Quantùm verò ad *Positiva* testimonia, duplicis sunt generis. Alia clarè innuunt talem & talem exercuisse potestatem, in Diœcesana Synodo, Secundum Ordinem. Istius generis, inter alia, ea sunt, quæ pronuntiant, Statuta Secundi Ordinis consensu, aut de consilio facta fuisse. Alia duntaxat insinuant, Secundum Ordinem participem fuisse eorum, quæ à Synodo facta sunt. Talia sunt ea; quæ ostendunt Synodos Diœcesanas habitas fuisse veluti Concilia; sivè illis tribuendo Concilii nomen, aut præcipuam Conciliorum prærogativam, nempè Spiritûs Sancti opem; sivè statuendo eas bis per annum celebrandas forè secundùm Canones, qui id de Conciliis Provincialibus definierant; sivè statuendo unumquemque per Procuratorem adesse teneri, quando ipse adesse non poterat; sivè pœnas infligendo iis, qui adesse negligerent; sivè mentionem faciendo de Appellationibus, quæ ad ipsam Synodum deferrentur, sivè nos certos faciendo in eâ reos judicari, omnesque delatas controversias dirimi; sivè prohibendo, ne quis antè finem Synodorum, sine licentia discederet; sivè insinuando à Synodis Statuta fieri; denique, sivè præcipiendo, Synodum per plures dies duraturam, vel fidem faciendo, quasdam Synodos per plures dies continuatas fuisse. Inter secundi hujus generis positiva testimonia, nonnulla sunt, de quibus forsan aliqua proponi posset difficultas; scilicet, an de Synodo Diœcesana, an de Concilio Provinciali, agant hæc testimonia.

Quod modò dictum est, hoc in Monito, est veluti ordo, quem sequi statuimus in iis, quæ dicturi sumus, de Secundi Ordinis autoritate in Diœcesana Synodo agentes. A præjudicio ordiemur, de quo sermo habitus fuit, utpotè maximè apto ad ea, quæ hanc materiam spectant, in certum ordinem dirigenda.

De Secundi Ordinis in Dioecesana Synodo Authoritate, Dissertatio.

Caput Primum.

Præjudicium Generale in gratiam Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo Authoritatis.

Multa sunt facta indubitata ex quibus Generale præjudicium deduci potest, in gratiam authoritatis Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo.

Primum repetitur ex eo, quòd, in omnibus Conventibus, in quibus tractari solent ea, quæ congregatos Homines spectant, ut abusuum emendatio, vitiorum correctio, quæ Corpori dedecus afferunt, Statuta necessaria huic fini dirimendæ Controversiæ ad Synodum delatæ, fieri solent, & hi homines aliquo modo sunt participes eorum, quæ fiunt in iis, quæ has res spectant: quod potest reduci vel ad vocem *Decretoriam*, vel ad vocem *Consultativam*. Hujus rei tot extant testimonia, quot sunt ejusmodi Conventus, Tales sunt 1. Conciliorum Convocationes. 2. Capitulorum Regularium, sive Generalium, sive Provincialium, sive Conventualium. 3. Capitulorum Sæcularium Canonicorum, & aliarum Ecclesiasticarum Societatum. 4. Universitatum. 5. Facultatum Universitatum. Porrò: Synodus Diœcesana est totius Cleri Diœcesani Congregatio, quæ semper habita est ad corrigendos mores, emendandos abusus, in quâ vulgò facta sunt Statuta, in quâ sæpè de litibus Civilibus judicatum est, vel Capitalibus, in quâ demùm frequenter actum est de rebus Communibus toti Clero Diœcesano, ut de Episcopi in Clerum Juribus, & vicissim De Cleri in Episcopum prærogativis honorificis, vel præeminentiis.

Sic, vel hi qui Synodo Diœcesanæ interfuerunt, jure, & ut membra, aliqua voce aut Decretoria, aut Consultativa, gavisi erunt; aut dicendum est, eos pejoris fuisse conditionis, quàm eos, qui tenentur interesse vel minimis Conventibus suprà recensitis.

Non minus constat Synodum Diœcesanam bis per annum habitam fuisse: elapsis sæculis eandem Synodum tunc tribus vel quatuor Diebus continuari: Diœceses tantæ fuisse longitudinis, ut ad eam convenire non possent Parochi sine longâ absentiâ, sivè ratio haberetur dierum adventui & reditui necessariorum, sivè dierum, per quos habebatur Synodus. Denique non minùs liquet huic itineri maximas impensas necessarias fuisse, multùmque nocere non solùm longo itinere defatigatis Pastoribus, sed & Fidelibus, qui absentibus Parochis per multos dies absque Sacramentis è vivis discedere poterant.

His observatis, vix credi potest hocce tempore Synodum Diœcesanam unicè convocari propter res, quæ agi possent sine ulla authoritate, ex eorum parte, qui ad eam convocabantur; quod tamen evenisset, si in Synodo data duntaxat fuissent Concilia, datæ, vel generales vel speciales Monitiones, lecta Statuta jam facta, de Ministerio Sacro ratio reddita. Hæc enim, & alia similia, absque Synodo peragi potuissent, Litteris ab Episcopo ad Rectores missis, aut Epistolis uniuscujusque Episcopi, Parochis scriptis; & quandò id agi debuisset modo minùs congruo sine Synodo, quàm in Synodo, utilitas, quæ ex Synodi celebratione percipi poterat, tanta non fuisset, ut ipsi cedere debuissent & defatigatio & impensa & mala, quæ ex Pastoris absentia Fidelibus evenire poterant.

Caput II.

Alia Generalis probatio Secundi Ordinis, in Diœcesana Synodo, authoritatis, deducta ex plerorumque Ecclesiæ Sæculorum praxi universâ.

Mens hic non est invictè statuere, ferè semper, & ubique habitas fuisse Synodos Diœcesanas; sed indicare loca ea, quibus hujus facti probationes depromi possunt, & indè inferre, Secundum Ordinem in Diœcesana Synodo authoritate gaudere debere. Hæ autem probationes leguntur, in Conciliorum Canonibus, in Synodorum Statutis, & Authoritatibus aliundè desumptis: quæ omnia in decursu operis tractabuntur. Hæc autem testimonia evidenter astruent, Secundum Ordinem aliquam, in Diœcesana Synodo;

nodo, authoritatem exercuisse, omnibus ferè temporibus, & in plerisque Ecclesiis; undè sequitur, Secundum Ordinem, in Synodo, sinè injustitia authoritate privari non posse.

Etenim, apud omnes constat, non levis esse authoritatis consuetudinem, usumque longævum, novitatesque plerumque discordiam parere: quid igitur censendum de tot sæculorum praxi, & tàm universali? Quæ ipsi non debetur reverentia? Nonne haberi potest, aut, ut veriùs loquamur, nonne habenda est, veluti una ex priscis Institutionibus, quæ intactæ remanere debent, ut verbis GELASII Papæ utamur, qui expressis verbis definiit, *contra Statuta Patrum condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem Sedis potest authoritas: apud nos enim inconvulsis radicibus, viget antiquitas, Cui Decreta Patrum sanxêre reverentiam.* Nonne jurè ac meritò Episcopo dici posset, qui hanc praxim mutarè vellet, *ne transgrediaris terminos, quos posuerunt Patres tui*, nec aliam tibi tribuas authoritatem; an iis sapientior es? Nonne, quæ tunc viguerant, rationes, vigent? Nonne verisimile videtur, esse has rationes?

Primo promissione CHRISTI, in gratiam Conventuum in ipsius nomine agendorum, facta universo Conventui, non verò soli Præsidi hujus Conventus. Sicque talem promissionem Episcopo prodesse non posse, nisi in Diœcesana Synodo congregatos homines consuleret.

Secundò, multis in occasionibus Apostoli Septuaginta Discipulos congregaverunt, quibus successerunt Sacerdotes, & uno animo Successorem Judæ elegerunt. Diaconos denique, uno consensu quæstionem de Circumcisione, & aliis Mosaicam Legem spectantibus, diremerunt. Decebat ergò secundùm hoc exemplum, ab Episcopis primorum sæculorum eundem honorem deferri Presbyteris, præsertim Parochis, eos congregando ob quædam Diœcesis negotia, eos consulendo, aut consensum eorum hunc ob finem postulando.

Tertiò, Hierarchia Dei nomine instituta in Ecclesiâ Catholica, non Episcopis solis constat, sed Presbyteris, & Diaconis; &, inter functiones Hierarchicas, quæ administrationem & Statutorum faciendorum potestatem tribuit, collocatur. Undè accidit, Presbyteros Rectorum personâ, & Ecclesiasticarum Societatum Præsidum, portionem Christi gregis gubernandam habere, ipsosque Diaconos Romæ & Hispaniæ, eo jure gavisos fuisse, & etiamnùm nomine Cardinalium Diaconorum, & Archidiaconorum gaudere. Ut ergò Diœcesana Synodus semper eo fine coacta est, ut gregis commodo in Diœcesis regimine consuleret, æquum erat eos, qui aliquam partem in hoc regimine habebant, cum eo congregatos aliqua gaudere authoritate, circà ea, quæ ad conservationem boni Ordinis agebantur.

Hæc tria Momenta omnibus viguerunt temporibus, de qua enim habitus est sermo, tandiù duratura est promissio, quandiù duratura est Ecclesia. Vices Apostolorum tenent Episcopi, istique illos imitari tenentur, tanquàm suorum munerum exemplar, & iisdem nunc constat personis Hierarchia, quibus præteritis sæculis constabat.

CAPUT III.

ALIA PROBATIO in gratiam authoritatis SECUNDI ORDINIS, in Diœcesana Synodo, ex hujusce Synodi origine deprompta.

QUandò hìc aggrediar authoritatem Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo hujusce Synodi origine stabilire, is non sum, qui credam à me proferri posse clara testimonia, quæ claram faciant mentionem Temporum & Locorum, quibus origo Synodi debetur; dudùm enim omnibus notum est desiisse Synodos: verum non minus constat, conjecturas, quæ habentur, causas, propter quas habita est, sufficienter indicare, Secundum Ordinem, in ea, authoritate gaudere debere.

Prima conjectura desumitur ex conformitate Synodorum Diœcesanorum cum Conciliis Provincialibus, quæ, ut infrà ostendetur, tanta est, ut manifestè pateat, eas ad instar horum Conciliorum directas fuisse. Porrò, liquet eos, qui tenentur Conciliis Provincialibus interesse, ut Conventûs Membra, in iis semper authoritatem exercuisse, ut etiamnùm exercent; cum semper Voce Decretoria gavisi fuerint, & etiamnùm gaudeant. Credendum igitur est, Diœcesanas Synodos directas secundùm Concilia Provincialia, in iis servatam fuisse aliquam authoritatem iis, qui adessent.

Hæc conjectura sequente confirmatur; ista autem nititur iis, quæ prima in Synodo Diœcesana, cujus Acta supersunt, gesta sunt. In ea enim accipimus, ab Abbatibus & Parochis, simul cum Episcopis, factum fuisse quod ab Episcopis in Conciliis Provincialibus agebatur. Synodus autem, de qua mentionem hìc facimus, *Altissiodorensis* vocatur, celebrata Anno Quingentesimo Septuagesimo Octavo. In ea verò apertè demonstratur, has Personas, Abbates, scilicet, & Parochos, diremisse multas quæstiones, quæ Dogma spectabant, vel Mores, Canonibus *Tertio, Octavo, Nono, Vigesimo Secundo*, & ab iis, multa de Disciplina Statuta facta fuisse.

Alii *Quadraginta* Canones id non minùs luculenter probant. Hæc inter Statuta, pauca sunt, quæ ex præcedentibus Conciliis depromantur: quantùm verò ad Decisiones, non immeritò credi posset, eas ex his Conciliis depromptas fuisse; quamvis proferantur absque ullius Canonis anterioris citatione, quasi omnes novæ forent.

In Canonum *ultimo* legitur, eos communi consensu factos fuisse, & uno animo, eodem modo, quo Episcopus, subsignant Abbates & Parochi; &, ut hic, in chirographo, nomini suo proprio Dignitatis suæ nomen adjungit, idem præstant & Abbates & Parochi, ut videre est in Subscriptionibus subsequentibus, *Annacharias Episcopus subscripsi. Vinaubodis Abbas subscripsi.* Alii ferè eodem modo subscribunt, *Vigilius Presbyter subscripsi.* Alii Triginta & unus Parochi idem præstant. Idem fit à Diaconis: hi autem, nempè Diaconi, adjungunt, se *Nomine Rectorum* subscribere.

Denique, Canonum antiquissimi, qui Conciliorum Provincialium congregationem jubent, nos docent, ea haberi ad tractanda Provinciæ negotia, & ad terminandas Controversias natas; & indè inferri potest, Synodos Diœcesanas habitas fuisse ob res Diœcesi Universæ communes, & imprimis, ad terminandas Controversias, quæ ibi ortæ essent. Porrò: si talis sit Diœcesanarum Synodorum origo, ut credendi locus est, manifestè liquet eâ probari, à Secundo Ordine, in ea, aliquam authoritatem exerceri debere; Cùm horum Negotiorum & Controversiarum cognitio unicè spectaret vel judicia, vel Statuta, quæ ex his Synodis emanabant, in quibus Secundus Ordo, numero saltem, dominatus est.

Ut novum robur accedat his conjecturis, prætermittere non debeo, *Sanctum* CAROLUM, qui tàm sedulò investigavit originem gravissimorum Ecclesiæ usuum, asseruisse, originem Diœcesanarum Synodorum, ad tempora Apostolorum referendam esse, eamque S. Spiritûs afflatu directam fuisse. Hæc autem leguntur *initio primi sermonis in undecima Synodo Diœcesana*: Verùm ipsum audire juvat: *Sancta profectò & laudabilis consuetudo, hoc est, ab Apostolorum primordiis ad hæc usque tempora, Spiritu Sancto dictante, & promovente deducta.* Hæc autem leguntur in *Actis Ecclesiæ Mediolanensis, pag.* 1220.

Enimverò, si hæ Synodi suam temporibus Apostolo-

rum

rum originem debent, justa est credendi causa, secundum Ordinem voce gavisum fuisse, quia hisce temporibus Presbyteri Ecclesiam, una cum Episcopis regebant: id probant Apostolorum Acta: & probabile videtur *Sanctum Carolum*, de Synodorum Diœcesanarum origine loquentem, hæc Capita in mente habuisse. Hâc quoque regulâ nixus fuit à *Vincentio* introductâ, *Quod ab omnibus ubique & semper observatum est, nec ullam aliam agnoscit originem, id potest & debet Apostolorum temporibus referri.*

Caput IV.

Probationes authoritatis secundi Ordinis, in Diœcesanis Synodis depromptæ, ex convenientia Synodorum Diœcesanarum cum Conciliis Provincialibus, sigillatim expensæ. Canones Conciliorum aut Statutorum Synodorum, qui Synodo Diœcesanæ nomen tribuunt Concilii. Quid indè inferri potest?

Quamvis hæ voces Synodus & Concilium, synonimæ sint, & utrumque significent Conventum Ecclesiasticum, omnium Jurisdictionis finium vulgò maximorum; usus tamen determinavit vocabulum *Synodi*, ad exprimendum Conventum totius Cleri Diœcesani; *Concilii* verò vocabulum, ad denotandam Congregationem Episcoporum Provincialium, aut Primatûs, aut Patriarchatûs, aut Jurisdictionis Papatûs, quæ omnem Ecclesiam attingit. Verùm, contra hunc usum Canones & Statuta reperiuntur, quibus Synodo Diœcesanæ nomen *Concilii* tribuitur, ut quidam reperiuntur, qui veris Conciliis *Synodi* nomen tribuunt, quin etiam Concilia Generalia id nomen sibi tribuerunt, ut videre est in Constantiensi, Basileensi & Tridentino. Hic autem error vel usus varius multum inservit ad probandam mutuam convenientiam, & minimè obstat, saltem cuilibet attendenti, distinctioni, quæ *Concilium* à *Synodo* designat, ut infrà quibusdam exemplis probabitur.

Horum exemplorum primum depromitur ex Synodo *Altissiodorensi* anni Quingentesimi Septuagesimi quinti, quæ certè antiquior est Synodorum Diœcesanarum, quorum Acta nobis supersint. Canon *Septimus*, qui jubet duas Synodos per annum haberi, unam scilicet Parochorum, alteram Abbatum, primæ, quam assignat medio Maïo, nomen *Synodi* tribuit, alteri autem, quam ad Calendas Novembris remittit, nomen *Concilii* dat, ut videre est verbis, quæ adhibet, *ut medio Maïo omnes Presbyteri ad Synodum in Civitatem veniant, & Kalendis Novembris omnes Abbates ad Concilium conveniant.* Nusquam habita sunt *Concilia*, pro certis personis Secundi Ordinis; necessarium ergo est ibi mentionem fieri Synodi Diœcesanæ, ad quam convocare posset Episcopus quosdam, cæteris posthabitis: aliundè Episcopi non est verum Concilium cogere, nisi fortè fuerit antiquior Suffraganeus, aut hoc jus suprà alios suæ Provinciæ Episcopos præscripserit, aut nisi hæc prærogativa suæ Sedi annexa sit. Porrò, nihil horum Episcopo Altissiodorensi debebatur, qui solus huic Conventui interfuit, qui Synodus Generalis habitus fuit, cùm & Abbates & Parochi subscripserint, cùm quas in posterum habendas jussi fuerint speciales Synodi, constare duntaxat deberent una parte Cleri Diœcesani, uni ex illis Synodis intererat Clerus Sæcularis, alteri Clerus Regularis.

Nomen *Concilii* Diœcesanæ Synodo adhuc tribuitur à Concilio *Toletano IV.*, habito Anno Sexcentesimo trigesimo tertio. Postquàm enim statuit à Parochis recipi tempore Ordinationis libellum Officialem Diœcesanum, Rituale, quo discant modum Sacramentorum administrandorum, Sacri faciendi, Officiorum celebrandorum; adjungit, se hoc Rituali instructos facilè posse rationem reddere Episcopo Ministerii, cùm ad Litanias, aut *ad Concilium venerint*, Canonem sumus integrum relaturi. *Quando Presbyteri in Parochiis ordinantur Libellum Officialem à Sacerdote suo accipiant, ut ad Ecclesias sibi deputatas instructi accedant, aut succedant, ne per ignorantiam Divinis Sacramentis offendant, ita ut, quando ad Litanias vel ad Concilium venerint, rationem suo Episcopo reddant, qualiter susceptum Officium celebrant, aut baptizant.* Integrum retulimus Canonem, quia in eo multæ videntur circumstantiæ, quæ determinant ad credendum, nomine *Concilii* Synodum Diœcesanam intelligi, cum jungat Litaniis, quæ in Diœcesi fiebant, & velit in utroque casu Parochos sui Ministerii rationem reddere, ut judicet Episcopus, num exerceant secundùm Rituale acceptum in Ordinatione.

Simile exemplum habetur in Canone *Sexagesimo octavo* ejusdem Concilii. In eo statuitur, quòd, si voluerit Episcopus aliquem servum manumittere ad Ecclesiam pertinentem, nec velit jus Patronatûs retinere, teneatur offerre pro commutatione, duos ejusdem pretii è suo patrimonio desumptos, coram Concilio Ecclesiæ, cui præest, & huic actui subscribant Parochi: hæc sunt verba Canonis; *Episcopus qui mancipium juris Ecclesiæ, non retento patrocinio manumitti desiderat, duo meriti ejusdem & peculii, coram Concilio Ecclesiæ, cui præeminet, per commutationem, subscribentibus Sacerdotibus, offerat, ut rata & justa habeatur definitio Commutantis.* Ut partitio bonorum ad Universam Diœcesim Toletanam pertinentium nondùm facta erat, æquum erat nullam posse ab Episcopo fieri alienationem, absque omnium Parochorum consensu, probato eorum subscriptionibus.

Eodem sensu nomen *Concilii* sumitur Concilio *Vernonio* in Diœcesi Ebroicensi habito; Anno septingentesimo quinquagesimo quinto. In eo enim jubentur ad Concilium accedere, nisi velint pœnas dare secundùm Canones ob absentiam. Porrò: nemo dixerit coactos aliquando fuisse Parochos Concilio interesse, sub pœnis Canonicis, nisi *Concilii* nomine hic intelligatur Synodus Diœcesana: aliunde Conventus, de quo sermo habetur, Concilii Episcopi nomine donatur, quod nomen soli Synodo convenit Diœcesanæ. Hæc sunt verba Concilii Canone octavo; *omnes Presbyteri ad Concilium Episcopi sui conveniant, & si hoc facere contempserint, secundùm Canonicam Institutionem judicentur.*

Atto, Episcopus Vercellensis, in suo *Capitulari*, Capite vigesimo septimo, adhibet quoque nomen *Concilii*, ad significandam Synodum Diœcesanam, ipsi tribuendo quod ab antiquis Conciliis statutum, nempe, de Congregatione plurium Conciliorum per annum.

Quod relatum est supra de Concilio *Toletano IV.* Canone vigesimo sexto, partim transcriptum est à Concilio *Arelatensi*, celebrato Anno octingentesimo decimo tertio, Canone quarto: sequens enim, quod à Sanctis Patribus institutum fuit, statuit, Parochos ad Concilium convenientes reddere rationem Episcopo qualiter Officium vel Baptismum celebrent. Porrò: hic Canon non potest intelligi, nisi de Synodo Diœcesana; quia nunquam à Patribus sancitum fuit, Parochos ad Concilium Provinciale conventuros, aut ad aliud, ut Ministerii redderent rationem, & jusserunt Parochos ad Synodum Diœcesanam conventuros ob hunc finem. Idem adhuc terminus pro Synodo Diœcesana sumi potest in Canone nonagesimo primo Collectionis Herardi, Archiepiscopi Turonensis; ibi duo Concilia per annum haberi jubet, & eorum spatium, sive tempus, præfigit: utrumque præstat, in sua Diœcesanâ Synodo Anni Octingentesimi quinquagesimi septimi. Porrò: hîc locus non erat mentionem faciendi Conciliorum Provincialium, & eorum spatium determinandi. Intelligat ergò necesse est *Concilii* vocabulo, Diœcesanam Synodum. Tres antè annos

Leo

LEO IV. Synodum Diœcesanam, *Concilium Diœcesis Episcopi* vocaverat, decernendo, Parochos inexcusabiliter ad id Concilium convenire.

Ut exempla sunt, quæ nomen *Concilii* Synodis Diœcesanis *Novem* primis Ecclesiæ Sæculis dant, non desunt quoque in *quarto-decimo* & *quinto-decimo* Sæculis; nam Concilium *Vaurense* Anno millesimo trecentesimo sexagesimo octavo, imperat omnibus Episcopis Suffraganeis Provinciarum Narbonensis & Tolosanæ, & Aussitanæ, quibus constabat, singulis annis Synodalia Concilia celebrare, per se ipsos, aut per alios ad id idoneos, si propter necessariam causam fuerint impediti. Quod hîc Concilium vocat *Concilia Synodalia*; SYNODUM simpliciter, Capitibus *septimo*, *octavo* & *nono* vocat. Eadem expressio *Synodalium Conciliorum* adhibetur in Concilio *Basileensi Sess.* XV. in Inscriptione Sessionis *de Conciliis Provincialibus & Synodalibus*, quod deinde multoties explicatur in *prima parte Sessionis* his verbis *Synodos Episcopales*.

Synodus *Frisingensis*, habita Anno millesimo quadringentesimo quadragesimo, nomen *Concilii* habet, in *Inscriptione*; attamen patet initio & fine, veram fuisse *Synodum*; nam enumeratione, quæ in illa fit in Præfatione, eorum qui interfuerunt, mentio fit dumtaxat Episcopi, primarum Dignitatum Capituli, & aliorum ejusdem Capituli, Abbatum, Archidiaconorum, Decanorum, & aliarum Dignitatum Ecclesiasticarum Sæcularium Diœcesis, aliquorum beneficio Ecclesiastico præditorum; & sub finem, Episcopus id Concilium *Episcopalem Synodum* appellat. Nobis adhuc suppeditat exemplum magis recens nominis *Concilii*, dati Synodo Diœcesanæ, Concilium *Colonense* Anno millesimo quingentesimo nono, Articulo *de Synodorum celebratione n.* 2. in quo decernitur, Capitulorum Decanos teneri ad Synodum convenire pro Capitulis, & Decanos Rurales pro Parochis: decernit, ut subsidia conferantur in sumptus, quos necessariò facere debent, pro numero dierum, quibus durabit Concilium.

Si ergò his testimoniis superiùs relatis, & aliis, quæ, ut superflua, omittuntur, constat, multos Canones & nonnulla Synodalia statuta, dedisse Synodo Diœcesanæ Concilii nomen; apertè liquet, eam eo nomine donatam, non solùm quia Conventus Ecclesiasticus est, ut vera Concilia, in illo dirimebantur Controversiæ, rei judicabantur, sicut in veris Conciliis; sed etiam quia, qui adesse tenebantur, aliqua gaudebant autoritate, non secus ac illi, qui ad vera Concilia convenire tenebantur, aliquam exercebant autoritatem, aliter eam non habuisset convenientiam cum Provincialibus Conciliis, quæ ipsi Concilii nomen fuisset merita.

CAPUT V.

Probationes authoritatis Secundi Ordinis in Synodo Diœcesana, desumptæ ex eo, quod prærogativa Conciliorum, quæ consistit in Spiritûs Sancti, aut Jesu-Christi auxilio, Diœcesanæ Synodo tribuatur.

SEmper Creditum est Concilia, etiam Particularia, Spiritu Sancto dirigi; quia Christus expressis verbis promisit, *quòd si duo inter se consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cælis est.* 2. *Quod quando duo aut tres congregati erunt in nomine suo futurus sit in medio eorum.* Porrò: creditum jure ac meritò, auxilium promissum tàm parvo hominum numero, etiam Laicorum, non denegandum esse multis Episcopis, congregatis de Ecclesiæ negotiis, quæ Christum habet Ducem. Hæc autem applicatio eo justior visa est, quòd non solum Spiritus Sanctus super Apostolos in Christi nomine descenderit; sed quòd Concilium Hierosolymitanum congregatum de observatione Legis Mosaicæ, adhibeat verba, quæ speciale Spiritûs Sancti auxilium denotant: hæc sunt verba, *visum est Spiritui Sancto & nobis.* Si quis horum factorum probationes desideret, ad *Epitome* recurrat *Veteris juris Canonici*, *Libro quinto Titulo primo.* Non minus creditum est, duplex esse Spiritûs Sancti auxilium, unum infallibile, quod soli Concilio Generali competit, quia solum est, quod propriè repræsentet Ecclesiam Universalem; alterum, quod veritati inquirendæ multum inservit, quamvis errori obnoxium esse possit: hoc autem auxilium tribuitur omnibus Conciliis Particularibus, majus aut minus, secundùm quod gaudent majori vel minori authoritate. Hoc adhuc patet loco citato & *Titulo undecimo* ejusdem *quinti Libri.* Ut Synodi Diœcesanæ Conventus sunt facti in Jesu-Christi Nomine, de rebus Religionis, sicut Concilia, iis meritò, Conciliis promissio facta, data fuit. Hujusce extensionis in *Præfatione* Statutorum Synodi Diœcesanæ *Trevirensis* Anno millesimo quingentesimo quadragesimo octavo habitæ exemplum habemus. Verba Synodi sumus relaturi: *ut cuique pateat, nemini nos velle fucum facere, cum olim Christum in carne ambulantem & verbum Dei seminantem se veritatem appellasse non ignoremus. Certè, persuadendum nobis erit per ipsissimam veritatem illam, nos falli minimè posse, cum ejus præsentia nos quotquot in hoc Cœtu Sacro ad Evangelisandum bona & exterminandum mala compererit, Spiritûs sui chrismate illuminatura sit, ait namque, ubi duo vel tres in nomine meo congregati sunt in medio eorum sum.* Præterea, voces, quæ versùs finem Synodi leguntur, *Spiritu dei Duce & Spiritu Sancto cooperante*, ex eâdem fluunt origine. Hoc nixus principio, ut infrà observabitur, Cardinalis OTTO, Episcopus Augustatius, suæ Synodo Diœcesanæ indixit, habitæ anno millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, paratum se esse ad obtemperandum Monitis Salutaribus Sanctæ hujus Synodi in Spiritu Sancto congregatæ, si quid in eo deprehenderetur reprehensione dignum.

Quod si Synodus Diœcesana fulcitur Spiritûs Sancti auxilio, Christi meritis qui intereat, vix credi potest, hæc omnia commoda uni inservire præparationi, qua idonei redderentur Congregati ad recipiendas Instructiones, quæ Episcopo placerent, cum & Instructiones & Decreta fieri possent absque Congregatione, quæ & magnas impensas & alia multa incommoda secum importat.

CAPUT VI.

Probationes authoritatis Secundi Ordinis in Synodo Diœcesana, depromptæ ex Canonibus, Statutis & aliis Testimoniis, quæ ostendunt olim duas Synodos quot-annis habitas fuisse.

INter Canones, qui spectant Conciliorum Provincialium Celebrationem, multi sunt, qui ea bis per annum cogenda esse pronuntiant, ut Canon *quintus* Nicænus, Canon *vigesimus* Antiochenus, Canon *decimus Nonus* Calcedonensis: Hæc autem Concilia unicè habebantur, ut Controversiis finis imponeretur in Provincia ortis, &, ut aliis necessitatibus consuleretur.

Quantùm conjicere licet, hujusce Disciplinæ imitationi de Conciliis Provincialibus, in multis Diœcesibus decretum, duas Synodos quot-annis Diœcesanas habendas esse; & credi potest, eas ob easdem rationes habitas fuisse: unde inferri potest Secundum Ordinem, qui solus cum Episcopo Synodo aderat, in ea aliquam exercuisse autoritatem. Hæ observationes confirmabuntur testimoniis, quæ de his duabus Synodis loquentur.

Nihil

Nihil hac de re antiquius est, quàm quod superiùs relatum est de Synodo *Altissiodorensi*, habita circà finem *sexti* Sæculi. In ea jàm observatum est, duas Synodos quotannis habendas esse: unam nempè medio Maïo; alteram, initio Novembris. Verum quidem, hunc Canonem de solis Synodis Diœcesanis particularibus mentionem facere, non de Diœcesana Synodo, de qua hîc agitur: sed non minus constat, duas esse Synodos Diœcesanas, quibus aderat Episcopus, & quæ separatim habebantur diversis temporibus, in gratiam cujuslibet Ordinis hominum convocatorum & congregatorum, in qualibet Synodo, cum & opportunius & convenientius Parochis solis Negotiis vacare, quæ functiones Rectorias spectabant, & Abbatibus, iis invigilare, quæ statum Religiosum spectabant; credendi locus est, has duas Synodos convocandas fuisse sine Generalis Synodi detrimento.

Bochellus agens de Synodo Diœcesana, *Libro quinto Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ, Titulo decimo nono, Capite quadragesimo primo*, Canonem laudat desumptum è *Capitularibus*, in quo decernitur, bis per singulos annos, Synodos fieri. Verùm videtur Canone *quarto* Concilii *Vernonienſis*, habiti Anno septingentesimo quinquagesimo quinto, ex quo depromitur hic Canon, hîc de Concilis Nationalibus agi; cum ibi decernatur, primum congregari debere, ubi voluerit Rex & eo præsente, & secundum, vel Suessionibus, aut alibi, uti in primo convenerint Episcopi. Porrò: inauditum prorsùs est, à Rege aliquid unquàm factum fuisse de convocatione Synodi Diœcesanæ, ad determinandum locum, & ut ipse adsit. Semper penès Episcopum fuit determinatio diei, & loci, in quo congreganda erat Synodus. *Secundò* Canon de Synodo Episcoporum loquitur: statuit locum proximæ Synodi ab Episcopis determinari ubi prima convocatio sit. Secunda est ejusdem naturæ ac prima; Episcopi enim congregati minimè attendunt ad locum communem Synodo proximæ Diœcesanæ.

Non idem ferendum est judicium de Canone modò referendo, quod latum est de Canone modò explanato, cum certissimè loquatur de Synodo Diœcesana, quæ præcipuè Parochis constat: hoc autem videtur nono Capite *Capitularis Tolosani*, in quo duas tantum habendas esse Sacerdotales Synodos decernitur; quod supponit usum duarum Synodorum, eò magis, quòd hujusce Capitularis scopus sit sublevare Parochos ab Episcopo oppressos. Idem dicendum de Canone sequenti, quamvis duos Conventus assignando singulis annis, *Concilii* nomen iis tribuat. Hic Canon est *Caput nonagesimum primum* Collectionis Herardi, Archiepiscopi Turonensis, datum in Synodo Anno octogentesimo quinquagesimo septimo, decimo septimo Kalendarum Junii, vel aliter, decimo sexto die Maii. In eo statuitur, duo celebranda esse, per annum, Concilia, neminemque posse in unoquoque plus quàm quindecim diebus remorari. Discriminis ratio, quod intercedit hos inter duos Canones, repeti debet ex eo, quòd ultimus Canonum conditus, aut saltem fuerit promulgatus in Synodo Diœcesana, Synodo verò non competat Canones condere de veris Conciliis, cum determinatione temporis, per quod duratura sunt, cum utrumque spectet hæc Concilia; nec magis expediret promulgatio ut necessaria Parochis, & *Herardus* generatim loquendo de Canonibus, quos coram ipsis legi jussit in sua Synodo, eos, ut maximè necessarios, appellat.

Ad id jungendum, nullibi legi verorum Conciliorum durationi limites circumscriptos fuisse; multa verò sunt testimonia Synodo Diœcesanæ fines positos fuisse. Denique, Otto, Episcopus Vercellensis, has observationes confirmat: tribuendo enim *Concilii* nomen Synodo Diœcesanæ, eas bis per annum celebrandas esse fatetur, & tamen eas ad unam redigit, propter calamitates publicas, quæ bis eas celebrari non sinunt.

Occasione eorum quæ de Yvone *Carnutensi* referuntur, de usu suæ Ecclesiæ, in qua celebrabatur Synodus septimo Calendarum Novembris, aut potiùs, die vigesimo sexto Octobris, Souchet, hujus Ecclesiæ Professor Theologus observat, etiam ætate hujus Episcopi, duas Synodos celebrari, quamvis Octavum Concilium abrogasset Canones, qui duo Concilia per singulos annos convocanda esse decernebant. Hæc leguntur in sua *Observatione* de *Epistola sexagesima prima*, in qua post citatos aliquos ex his Canonibus, & *Distinctionem decimam Octavam*, quæ præcipuos continet. Sic loquitur, *in Ecclesia Carnotensi servatus est mos bis in anno Synodos celebrandi, Martis, Mercurii & Jovis diebus intrà Octavam Pentecostes, ab Archidiaconis & Capitulo Carnotensi, & Mercurii, post Festum S. Lucæ Evangelistæ. Undè hanc Epistolam* 1099. *scriptam colligo, quod eodem anno septimus Calend. Octobris* (legendum *Novembris*) *in diem Mercurii inciderit, cum Littera Dominicalis illius anni fuerit* B. Nisi certus fuisset ille Theologus Professor, usum congregandi duas Synodos jàm vigere in Diœcesi Carnotensi tempore *Yvonis* Epistolæ citatæ, indè Epocham non petiisset.

Necessarium non erit ad tales probationes recurrere, ad ostendendum tempore *Eudis* de Sulli, Episcopi creati Parisiensis, Anno undecimo nonagesimo sexto, hacce in Diœcesi, duas celebrari Synodos initio suorum Statutorum: clarè id exprimit duobus his versibus, qui determinant dies, quibus Synodi celebrandæ erant, nempè, Jovem proximiorem Festi S. Lucæ, & tertium Jovem post Pascha. Versus refero, ut id clariùs pateat:

Fit Jovis in Luce Synodus, quæ proxima Lucæ
Lux Jovis, hanc replicat tertia, Pascha sequens.

De his duobus Synodis adhuc sermo habetur *Capite secundo, n.* 4. in quo tenentur Parochi ad Synodum post Pascha convenire albâ & stolâ induti, & Synodo Septembris interesse superliceo & stola induti.

Usus duarum Synodorum congregandarum, per annum, in Diœcesi Parisiensi, probatur Concilio *Parisiensi*, habito à *Roberto* de Corcon, Cardinali Legato Sanctæ Sedis. *Capite* enim *decimo septimo quartæ partis*, jubet saltem per annum Synodum celebrari in singulis Episcopatibus. Hâc voce utitur, *saltem*, ut indicet gratum sibi fore, si duæ Synodi celebrarentur: verùm, id fieri, corruptionem non sinere. Id autem ex *Præfatione* ejusdem Concilii Anno millesimo ducentesimo duodecimo sequitur.

Synodus *Nemausana*, Anno millesimo ducentesimo octogesimo quarto, duas Synodos per annum, hac in Diœcesi, celebrari certos nos facit; unam Paschali tempore; alteram, circà Festum Sancti Lucæ. Initio *ultimi Capitis*, præcipit Parochis ad utramque convenire, ultimæ interesse, cum Cappis Rotundis, & primæ cum superliceo. Synodi habitæ tempore Guillelmi *Andegavensis* Anno 1261. usque ad annum 1314. docent, duas Synodos celebrari per annum; unam, Festo Sancti Lucæ; alteram, Festo Pentecostes.

Videtur ultimo articulo eorum, quæ decreta sunt Concilio *Coppenhaguen*, Principe Daniæ (*Danemark*) Urbe, statutum antiquitùs fuisse hoc in Regno, duas Synodos per annum Diœcesanas celebrari. Hoc autem Concilium celebratum est anno 1425.

Paulò pòst, Concilium *Basileense*, celebratum 1433. Sess. xv. supponit aliquas esse Provincias, in quibus vigebat usus celebrandi duas Synodos per annum, nam præcipit, saltem semel per annum, unam Synodum celebrari, exceptis locis, in quibus usus erat duas celebrari.

Collectio Conciliorum *Nicoseos*, quæ complectitur omnia Concilia habita in hac Provincia, in Tertiodecimo, & Quarto-decimo sæculis, & in Quinquaginta quinque primis annis sæculi Decimi-quinti, suppeditat testimonium clarum duarum Synodorum annuarum

hac in regione usitatarum. Hujusce collectionis *primus* Canon præcipit omnibus Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis Latinis in Nicosiensi Civitate, vel Diœcesi, commorantibus, ad Synodum accedere, quæ celebrabitur die Veneris post Octavam Epiphaniæ, & die Mercurii post Pentecostes Octavam.

Antequam ad alias probationes progrediamur, observare necesse est, Statuta esse Tertii-decimi sæculi variarum Diœcesum, quorum inscriptio locum dat credendi, his in Diœcesibus duas celebrari, per annum, Synodos; quædam enim advertuntur, quæ habitæ dicuntur Hyemali Synodo; quod supponit aliam æstate haberi.

De Synodo Hyemali sermo adhuc habetur in Inscriptione Statutorum GUIDY Episcopi Santonensis CONCILIOR. TOM. XI. *Part. II. pag.* 1425.

Idem dicendum de iis, quæ dicuntur facta, aut promulgata, in Synodo Paschali; hoc enim credendi locum dat, aliam alio tempore celebrari. Statuta quoque reperiuntur, quæ dicuntur facta, aut promulgata, in Synodo Sancti Lucæ. Hic usus non desiit sæculo Decimo-quinto; cum multa extent testimonia hunc usum viguisse Decimo-sexto sæculo. Hæc autem testimonia vel Germaniam spectant, & leguntur in *primo* & *secundo* Conciliis *Colonienſibus;* vel Galliam, & leguntur in Conciliis *Rothomagenſi, Rhemenſi* & *Aquenſi.*

Primum Concilium *Colonienſe*, celebratum anno 1536. parte decima quarta, numero decimo septimo, & decimo octavo, supponit usum Duarum Synodorum per annum, huic rei applicando veteres Canones bina Concilia quotannis celebrari præcipientes: undè intelligendi locum dat, has Synodos subrogatas fuisse Conciliis Provincialibus, quæ antiqui Canones celebrari præceperant: unam, scilicet, Quadragesimali tempore, ut ad Pascha celebrandum præpararentur fine discordiarum, quæ huic Festo dignè celebrando obstabant; alteram, Autumnali tempore, ad dirimendas quasvis controversias vocum majori numero. Usus hujus hanc affert rationem celebratione Synodorum magnas impensas vitari generalium singularum Parochiarum inspectionum, seu visitationum.

Secundum Concilium *Colonienſe*, Anno 1549. mentem clariùs aperit de hoc usu, postquàm enim dixit, Synodos in Ecclesia esse ad instar in corpore humano nervorum, adjungit, bis per annum celebrandam esse Synodum secundùm antiquum Morem, excepta Diœcesi Leodiensi, in qua una duntaxat, propter ejus Latitudinem, celebrabitur. Verba Concilii laudare juvat, ut, quæ fuerit ipsius mens, quisque judicet. *Neglectis enim Synodis non aliter Eccleſiaſticus Ordo diffluit, quàm ſi corpus humanum ſolvatur nervis, idcircò ſtatuimus, ut Synodus Diœceſana quotannis bis pro veteri quidem more. Sed juxtà reformationis regulam, religioſiùs, & meliori cum fructu celebretur; ſuffecèrit tamen in Diœceſi Leodienſi proptèr ejus Latitudinem, & multitudinem Prælatorum, ſemel quotannis rectè & ſtudio ferventi celebrare.*

Concilium *Rothomagenſe* 1581. Titulo *de Epiſcopo* numero trigesimo primo, postquàm præcepit duarum Synodorum Celebrationem, permittit Episcopi judicio aliam remittere ad sublevandum Clerum, si id expedire judicaverit, dummodò alia diligentiùs convocetur. En verba Concilii; *Synodi Diœceſanæ quotannis ſuis temporibus celebrentur. Liceat tamen Epiſcopis; ad levamen ſui Cleri, ſi ità expedire videbitur, de Duabus in anno unam remittere, & alteram diligentius convocare.*

Illud autem Concilium primum est Galliæ, quod, de reductione duarum Synodorum ad unam, loquitur, eamque ad Cleri levamen permittit. *Secundum* Concilium *Colonienſe*, jàm unam ex duabus his Synodis remiserat; verùm, illa reductio solam Diœcesim Leodiensem spectabat, eamque permiserat, propter ejus Latitudinem, & multitudinem Prælatorum convocandorum. Hæc reductio absoluta erat; Concilii verò *Rothomagenſis*, conditionalis, ità, ut Episcoporum arbitrio relinqueretur. Alia Concilia Galliæ, quæ de eâdem reductione mentionem fecerunt, nullam apponunt conditionem, & absolutè præcipiunt. Concilium *Rhemenſe*, Anno 1583. Titulo 27. *de Synodo Diœceſana*, Numero primo, his verbis loquitur: *Synodi Diœceſanæ ſingulis annis ſemel duntaxat ad Cleri levamen tempore commodiori celebrentur.* Quod Spectat Concilium *Aquenſe*, celebratum anno 1585. quamvis ex Concilio Rothomagensi desumpserit quod dicit de duarum Synodorum reductione ad unam, tamen modo absoluto loquitur.

Post tot Canones & alia testimonia, quæ invictè probant, in magno Ecclesiarum numero & plerisquæ sæculis à Jesu Christo ad nos usque, duas per annum Diœcesanas Synodos convocari debuisse, nullus dubitandi locus est, quin maximè necessariæ visæ fuerint; præcipuè, si attendatur, *primo* majorem partem eorum, qui ad eam convocabantur, animarum Curam habere, Abbates, Archidiaconos, Archipresbyteros, Decanos rurales vel Parochos; *ſecundò*, eosdem strictè teneri residere; *Tertiò*, has Synodos per plures dies continuari, ut infrà demonstrabitur. *Quartò*, præter commorationis tempus plures sæpè requiri dies ad eundum & redeundum. *Quintò*, nullas unquam causas justas admissas fuisse, quæ à residentiâ dispensarent, præter eas, quæ ex urgente necessitate, aut evidente Ecclesiæ utilitate nascebantur. *Sextò*, inter Parochos, ex quibus maxima pars Synodorum constabat, multos fuisse, qui Vicarios non habebant, & ex quorum absentia malum oriri poterat,

Ex his circumstantiis simul junctis sequitur, eos, qui tulêre hos Canones, & alias Leges, de quibus mentionem fecimus, credidisse, magnæ fuisse necessitatis Diœcesanas Synodos, aut saltem evidentis utilitatis. His ergò in occasionibus, minimè agebatur de dandis præcisè aliquibus consiliis, & de legendis aliquibus Decretis, quod fieri potuisset facilè absque Synodo, & absque à residentia dispensatione; ergò consequens est, Secundum Ordinem aliquam exercuisse, in Synodis Diœcesanis, autoritatem.

CAPUT VII.

Authoritatis Secundi Ordinis, in Diœceſana Synodo, Probationes, deſumptæ ex Teſtimoniis, quæ ſignificant eos, qui tenebantur convenire ad Synodum Diœceſanam per Procuratorem, quandò legitimè impediebantur, intereſſe debere.

NUllus est, qui ignoret, Episcopos legitimè retentos teneri ad Concilium Provinciale mittere suo loco aliquem virum conspicuum, non ad excusationes simpliciter ferendas, id enim Litèris facile fieri poterat, sed ad jus exercendum, quod ipsi, si adfuissent, exercuissent. His de causis, coacti sunt Parochi, & alii legitime impediti; aliquem Clericum ad Synodum Diœcesanam mittere, ut vices absentis gereret; &, ut vulgò Episcoporum Procurator mittebatur vocem daturus, idem dici debet de Parochis. Hac in opinione, necessarium duximus Statuta aliqua colligere, quæ de hujus Deputationis necessitate agant; præsertim ea, quæ dotibus, quas exigunt, in eo, qui eligitur, ad Procuratoris vices obeundas, talem conjecturam probant. Præcipua testimonia depromuntur ex Canonibus Conciliorum tùm *Vavrenſis* tum *Mechlinienſis*, Gallicè *Lavaur*, & *Malines.*

Nihil adhuc antiquius inventum est de Deputatione, de qua agitur, quàm quod legitur numero *Sexto ſecundi capitis* Constitutionum *Eudis* DE SULLY, Episcopi Parisiensis, anno 1196. Post quàm præcepit omnes

omnes Presbyteros ad Synodum convenire, præcipuè verò eos, quibus animarum cura commissa est, adjungit, *si aliqua inevitabilis necessitas eos venire non sinat, suum Capellanum mittant, aut Clericum loco suo.*

Sæculorum præcedentium silentium de necessitate deputandi ad Synodum Diæcesanam modò adesset legitimum impedimentum, non invictè probat, antea ad eam convenire non coactos fuisse Parochos; nam fieri potuisset hoc silentium ortum fuisse: ex eo, quòd nullus adesse neglexisset, aut parùm; aut, si sæpè adesse neglexisset, huic malo provisum fuisse, absque lege propter hunc finem lata; aut Leges factas amissas fuisse: fieri etiam potest aliquas etiamnum esse, quæ ad meam non venerint cognitionem.

Quod de Synodo Parisiensi relatum est, iisdem terminis in Synodo *Bajocensi* legitur, Anno 1300. *Capite Secundo.*

Constitutiones Synodales Aimerici, Episcopi Pictavienſis, anno 1367. nec non Constitutiones Synodales Simonis Episcopi ejusdem Urbis: anno 1387. alium addunt Casum Deputationis ad Synodum à Parochis casui impedimenti ex necessitate inevitabili orti, nempè, specialis dispensationis concessæ; & volunt hoc in Casu, sicut in primo, si non possint suos Capellanos mittere, Clericos idoneos mittant. Quod hi asserunt Episcopi, de juramento, quod præstabant Parochi, ad Synodum convenire, probat fuisse judicatam hanc præsentiam tàm necessariam, & tàm gravem, ut juramento, Synodo interesse, astringerentur Parochi; circumstantia prorsùs inutilis, nisi ad Synodum vocarentur Parochi, ut in ea aliquam exercerent authoritatem.

Quantùm ad speciales dotes, quas necessarias esse, in Deputatis ad Synodum, denotant hæ Constitutiones, quædam sunt à Concilio *Vaurensi*, Gallicè de *Lavaur*, constante Episcopis Provinciarum Narbonensis, Tolosanæ & Auscitanæ, cum suæ necessitatis ratione. Hæ autem dotes sunt experientia, prudentia & capacitas; quæ judicantur necessariæ, quia in Synodis tractantur negotia alicujus momenti, & quæ sæpè non levem patiuntur difficultatem. Porrò: harum dotum necessitas, & hujus necessitatis ratio, manifestè probant, Secundum Ordinem, in Diœcesana Synodo, aliquam authoritatem exercere.

Statuta Synodalia Lingonensis Ecclesiæ anno 1404. loquuntur de necessitate aliquem ad Synodum mittendi, qui cùm interesse tenetur, legitimo laborat impedimento; verùm cùm nihil speciale contineant, inutile videtur referre, quod ab ipsis præcipitur.

Non idem dicendum est de Canone Concili *Burdigalensis*, anno 1583. *Capite* 33. qui à Synodo arcet quemcumque ab alio deputatum, nisi speciale habeat mandatum, de quo fidem faciet. Hæc eo majori digna est attentione circumstantia: quòd evidenter astruat, quod in Diœcesana Synodo à Secundo Ordine fit, magni esse momenti; cum solæ res graves speciale exigant mandatum. Idem denotat verbum *idoneum* cum hac de causa dotes exiguntur, de quibus antea sermo habitus est, quæ omnes denotantur hac voce *idoneum.*

Verùm nihil luculentius afferri hac de causa potest, quàm quod Concilium *Mechlinienſe*, Gallicè *Malines*, refert, clarè namque probat, quod ut conjecturam proposuimus, nempè Procuratorem ad Synodum Diœcesanam missum, ad eam convenire; ut exerceat jura illius à quo deputatur; & idem de eo ferendum esse judicium, quod fertur de Procuratore ad Concilium Provinciale missо. His enim verbis loquitur Titulo Vigesimo Sexto, Capite primo, *Concilio Provinciali vel Diœcesano debitè convocato, omnes, qui de jure, vel de consuetudine illi interesse debent, die & loco præfixis personaliter comparebunt, nisi legitimè impediti fuerint. Quo casu tempestivè de causa impedimenti fidem facient, & nihilominus Procuratorem Virum Ecclesiasticum mittent, non tantùm ad audiendum & referendum, sed etiam ad deliberandum & agendum quæ Principalis faceret, si personaliter interesset, nec non ad simpliciter acceptandum & recipiendum quæcumque in ipsa Synodo statuta & decreta fuerint.*

Hujus Concilii verbis apparet, quod, si Secundus Ordo in Synodo per Procuratorem, cum abest, deliberat, evidens sit, aliquam in ea ab eo exerceri authoritatem, & quod hic expresè asseritur à Concilio, potest & debet intelligi de testimoniis suprà relatis. Neque enim cum fundamento objici potest, hanc Disciplinam in sola Provincia Mechlinienſi, (Gallicè *Malines*) viguisse, ut in Diœcesana Synodo à Secundo Ordine aliqua authoritas exerceretur, nisi anteà probasset, nullâ aliis in Provinciis, in Synodis authoritate gaudere.

Huic Canoni tàm efficaci ad Secundi Ordinis in Synodis authoritatem probandam, aliqua verba attentione digna addenda sunt, quæ leguntur Capite Vigesimo Octavo Concilii *Narbonensis* anno 1609, de Deputato vel Procuratore. Decernit in Procuratione, eum, qui mittit, teneri observare, *quæcumque in dicta Synodo constituentur, & ordinabuntur, & ipsa satis sufficienter intimata declaraturum.*

Caput. VIII.

Probationes authoritatis Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo, deprompta ex Canonibus, vel Statutis fidem facientibus de pœnis inflictis, iis, qui Synodo interesse negligunt, absque legitimo impedimento.

Tam severæ infligebantur pœnæ, iis, qui Synodis interesse negligebant, ut justus concludendi locus sit, aliqua in iis Secundum Ordinem authoritate gavisum fuisse, aliter pœna culpæ non respondisset. Idem quoque inferri potest ex convenientiâ, quæ in hoc reperitur inter pœnas à Conciliis inflictas iis, qui iisdem Conciliis interesse negligebant, quamvis interesse tenerentur, & eas, quæ decretæ sunt contra negligentiam eorum, qui Synodo non intererant. Hæc consequentia probabitur reflexione, observationi jungenda.

Antonius Augustinus sua in *Epitome Veteris Juris Canonici* Libro quarto, titulo sexagesimo quinto, Canones duodecim primorum Sæculorum collegit, qui pœnas infligunt Episcopis, qui Conciliis interesse negligunt, ad quæ vocantur à Superioribus, & magna convenientia reperitur has inter pœnas, & pœnas à Canonibus & Statutis Synodalibus inflictas iis, qui Synodis, quibus interesse tenentur, interesse negligunt. Idem facilè & prima fronte videbitur, si ex una parte hoc caput legatur, ex altera legantur authoritates, quas modò sum relaturus; nam indè infertur: ut his in Canonibus duplicis generis pœnas legi; alias indeterminatas, & generales sua in specie, ut eas, quæ decernuntur sub nomine correctionis fraternæ, aut Canonicæ correctionis, quæ omnes sunt sententiæ ferendæ; alias fixas, & determinatas, quæ sunt, aut suspensiones totales, aut partiales, vel excommunicationes minores, aut majores ad certum tempus, vel ad tempus non fixum: sic pariter duplicis generis esse pœnas in eos decretas, qui Synodo Diœcesanæ interesse negligunt; alias generales, contentas sub nomine Judicii Canonici; alias speciales, ut suspensio, aut major excommunicatio sententiæ ferendæ, aut latæ, aut mulcta, aut pœna pecuniaria.

Si ad hanc relationem paulisper attendatur, facilè patebit, Synodum Diœcesanam non minùs gravem habitam fuisse quàm Concilium Provinciale ob maturitatem, quæ in eâ observatur, 1. ad nova Decreta condenda, vel ad antiqua confirmanda, 2. ad judicandas controversias, 3. ad conciliandos divisos, 4. ad conservandam

pacem: quod minimè fieri potuit, si in his Synodis, nullam exercuerit authoritatem Secundus Ordo.

Expedit ergò colligere Canones & Statuta Synodalia, quæ pœnas infligunt iis, qui Synodis non intererant, ad eas comparandas cum illis, quas Canones decreverunt in Episcopos, qui Conciliis interesse negligebant. His ordiemur, qui pœnas generatim decernunt; deindè, ad eos Canones progrediemur, qui determinatas pœnas infligunt: sicque hos Canones colligendo, in tot Classes redigentur, quot sunt ejusmodi pœnæ.

POENÆ GENERALES & INDETERMINATÆ.

Concilium *Vernense*, celebratum anno 755. eorum est antiquius, in quibus inventæ sunt pœnæ generales contra eos, de quibus agitur. In *octavo* enim *Canone* decernitur Presbyteros, qui sine justa causa ad Concilium Episcopi sui venire contempserint, secundùm Canonicam institutionem judicandos esse. *Capitulare Metense anno 753. num 3.* & Concilium *Compendiense An. 757. Cap. 21.* aliis terminis idem statuunt; volunt enim secundùm Canonicam authoritatem puniri eos, qui Synodo interesse neglexerint. Ferè idem legitur in Capitulari *octogentesimo quarto* ad *Salz.* num. 12. Capitum, quæ spectant Presbyteros, quod in Concilio *Vernensi*, in eo enim præcipitur, ut nullus Presbyter ad Synodum contemnat venire, quòd si aliter facere præsumpserit, coactus veniat, & secundùm Canones judicetur. Ad hanc culpam puniendam Brachium Sæculare adhibebatur, ut infrà videbitur. *Synodo*, sine additione, jàm, ut hodiè, Synodus Diœcesana intelligebatur.

LEO Papa *Quartus*, in suo Concilio *Romano*, celebrato anno 853. *Canone* 40. de eâdem culpâ mentionem faciens, præcipit eam subjici Canonicis correctionibus.

Fuêre Presbyteri, qui possidentes terras quæ eos subjiciebant alterius potentiæ, sub hoc pretextu ad Episcopi Concilium venire nolebant, & hâc de causâ Canon sequens conditus est, qui recusantes ad Concilium Episcopi venire Canonicos, correptionibus subjacere decernit, his verbis: *hi autem, qui colonatas possessiones retinent, nihilominus volumus ad Episcopi venire Concilium: nam, si per contumaciam se quasi in alterius potestate subtraxerint & proprio non subjiciuntur Episcopo, Canonicis correptionibus subjaceant.* Hi tres Canones & alii similes intelligendi sunt de Censuris, quæ sunt pœnæ à Canonibus in Ecclesiasticos latæ.

His Canonibus jungi potest *Caput 9. de Majoritate & obedientiâ*, in quo INNOCENTIUS III. ab Episcopo interrogatus, quid sibi faciendum esset contra Abbates & Parochos sibi subjectos Lege Diœcesana, qui sine justâ causâ Synodo interesse negligebant, respondet cogendos esse Censuris Ecclesiasticis, modò ab eo nihil contra Canones statuatur; enimvero pœna, quam infligit, sua in specie est indeterminata. Canon *octavus* Concilii *Vaurensis* celebrati anno 1368. ejusdem est adhuc generis, præcipit enim Parochos, qui sine causa legitima ad Synodum non venerint, puniendos esse pœna debita, non obstante contraria consuetudine.

POENÆ PARTICULARES SUSPENSIO.

Concilium *Senonense*, Præside GAUTIER, mortuo anno 923. à Capite primo statuit, *ut Abbates & Priores Conventuales qui nec venerint ad Synodum, nec se excusaverint, prætendendo Canonicum impedimentum, per octo dies ab ingressu Ecclesiæ suspendantur; & pœna, quæ quantum ad hoc, Conciliis statuta est, sub comminatione majoris pœnæ, si aliis annis supra his culpabiles inveniantur, mulctentur.* Concilium supponit jam certam pœnam fuisse statutam Canonibus in eos, qui Synodo Diœcesanæ interesse negligebant hæc autem pœna: alia esse non potest præter Excommunicationem saltem Minorem, latam in Episcopos, qui sine legitimâ causa Concilio non aderant: eo enim antiquiores non videntur Canones, qui aliquam statuerint pœnam determinatam contra eos, qui Synodo Diœcesanæ interesse recusabant. Docent nos Synodalia Statuta Andegavensia *Guillelmum* MAJOREM suspensionem ipso facto tulisse contra Abbates, qui tranquilli remanebant quindecim diebus à Synodi celebratione, cui adesse non potuissent, non probatis apud Episcopum aut Officialem absentiæ causis, eamque ab ipso fuisse revocatam, quia saluti noxia visa fuit hæc pœna. Hæc autem leguntur apud BOCHEL, *Decretor. Eccles. Gallic. Lib. V. Tit. XIX. Cap. 79.*

Concilium *Burdigalense* anno MDLXXXIII. celebratum *Cap. XXXIII.* suis Beneficiis suspendi, qui fuerint denuntiati, excommunicati præcipit, quia præscripto tempore non adfuerant ut suæ absentiæ rationem redderent, supposito quod Excommunicationem contemnentes, absolvi ab eâ non curent, & iterùm moniti, ut se purgent, per Mensem adesse negligant.

Major severitas reperitur in Decretis à Concilio *Narbonensi* factis anno 1609. *Cap. XXVIII.* similibus in circumstantiis, contra secundam contumaciam: nam, loco suspensionis à Beneficiis, quam decernit Concilium Burdigalense contra hanc culpam, Concilium Narbonense totalem suspensionem, *nisi comparaverint per alium mensem, iterum vocati suspendantur*; hæc sunt Concilii verba. Porrò, totalis suspensio addit suspensioni à Beneficiis, suspensionem ab Ordine & Officio.

Non potest dicit hanc suspensionem fuisse pœnam inutilem, quia nihil addit Excommunicationi jam latæ; hæc privans omnibus bonis, quibus totalis suspensio excludit. Enimverò hæc suspensio novum est vinculum remanens post Absolutionem ab Excommunicatione, & quæ specialem requirit absolutionem, quæ differri potest quamvis, Reus satisfacere offerat, cum ab Excommunicatione absolutio statim danda sit, post oblatam satisfactionem.

EXCOMMUNICATIO.

Statuta Synodalia Ecclesiæ Rhemensis collecta labore & curis Cardinalis *Guillelmi* DE TRIA, avunculi PHILIPPI DE VALOIS, anno 1334. solo facto Excommunicabant eos, qui sine legitimâ causâ negligerent ad Synodum venire Diœcesanam.

Eadem pœna lata fuit anno 1367. AIMERICO Pictavensi Episcopo, & anno 1387. SIMONE ejusdem Urbis Episcopo ob eandem culpam, ut videre est his verbis: *Nos omnes & singulos Ecclesiarum Rectores, & quosvis alios; qui ad Synodum venire tenentur, & non veniunt Excommunicamus, & Excommunicari declaramus.*

Eadem res est in Statutis Synodalibus Lingonensis Diœcesis anno 1404. *Qui ad Synodum venire debet, si non veniat, veramque proponi non faciat excusationem, authoritate hujus Synodi, eo ipso incurrat Excommunicationem.*

Statuta Parisiensia anno 1557. præcipiunt Excommunicatos declarare eos, qui ad Synodum venire neglexerint, si per mensem à Synodo se purgare negligant; hæc sunt verba, *in absentes verò contumaciam ferimus, quam intra mensem purgare tenebantur, aliàs mense elapso Excommunicatos palam proferri, præsenti decernimus Instituto.*

BENEFICIORUM PRIVATIO.

Intolerandus in Provinciam Narbonensem abusus irrepserat, nec Parochi, nec alii animarum curam habentes, nusquam ad Synodum veniebant, sed duntaxa

taxat suos Vicarios mittebant. Hic abusus impulit ad sæviendum in eos, & ad decernendas pœnas contumaciæ proportionatas, imò ad eripienda Beneficia iis, qui pertinaces in culpâ remanerent. Audiamus ipsum Narbonense Concilium anno 1551. celebratum, *Canone* 42. *Statuit Concilium, ut Parochi, aliique omnes, qui in Synodis adesse debent, absentes & contumaces puniantur, geminatis etiam pœnis, præsertim si in nulla totius anni Synodo adfuerint. Et quantò sæpius abesse non dubitaverint, tanto graviores illis pœnæ infligantur: ità, ut, ipsò Sacerdotio privari possint, ingravescente contumacia, nisi justissimas excusationes proferant.*

Concilium Burdigalense anni 1583. *cap.* 33. cum diversas pœnas decrevisset proportionatas contumaciæ incremento, eorum, qui nec in Synodis adesse volebant, nec absentiæ causas reddere, postquàm in earum pœnarum numero posuisset à Beneficiis suspensionem, his verbis sermonem absolvit, *tandem iisdem priventur.*

Hanc Concilii Burdigalensis severitatem secutum est Concilium Narbonense, anni 1609. *cap.* 28. præcipit enim post suspensionem totalem, de quâ actum est, Reos perseverantes & tertiò citatos Beneficiis privandos esse.

Poena pecuniaria. *Quibus hujus pœnæ tribuenda sit pecunia?*

Quantùm ad pœnas pecuniarias decretas in eos qui negligunt, nihil inventum est antiquius, quàm quod legitur *numero* 36. Capitularis Metensis anni 753. Statuit *de Presbyteris & Clericis, ut Archidiaconus Episcopi eos ad Synodum commoneat una cum Comite: & si quis contempserit, Comes eum distringere faciat, ut ipse Presbyter, aut Defensor suus, sexaginta solidos componat, & ad Synodum eat. Solidi verò sexaginta de ipsa causa in Sacellum Regis veniant.* Idem Canon pariter legitur in Concilio *Compendiensi* anni 757. *Capitularium Carol. Mag. Tom. I. pag.* 184. & in *Canone XI. Lib. V. Capitular. ibid. pag.* 828. cum hoc tamen discrimine, quod hoc in ultimo Canone solus Archidiaconus faciat monitiones, & Comes jussione Episcopi monitus, distringere faciat eum, qui ire contempserit.

Synodus *Andegavensis* anni 1298. utitur pariter pecuniaria pœna, ad Parochos ad Synodum cogendos; verùm multò minor est, quàm illa, de qua modò mentionem fecimus: cum quinque Asses duntaxat ab absentibus exigat, altera sexaginta. Præterea, observandum est, hanc pœnam impositam fuisse, quia veniæ facilitate confisi Parochi, ad Synodum venire contemnebant.

Verisimile est ab Episcopo piis operibus collocari hanc pecuniam, ut facere tenebatur. Hanc propter obligationem, in posterum, quoties Canones decreverunt, vel permiserunt pœnas pecuniarias in eos, de quibus agimus, semper eas piis in operibus collocavêre. Multa sunt exempla.

Primum legitur in Concilio Burdigalensi anni 1583. *cap.* 33. Cum primò significasset hoc Concilium, satius fore aliquam pœnitentiam imponere iis, qui sine justâ causâ ad Synodum venire contempserunt, verùm, qui comparuerunt ad probandam contumaciam; tamen permittit in eos decernere pecuniariam pœnam, modo id expedire judicet Episcopus, eâ tamen Lege, ut pecuniæ summa in pia opera duorum Canonicorum consilio sit convertenda.

Secundum exemplum destinationis pœnæ pecuniariæ piis operibus in eos latæ, qui ad Synodum Diœcesanam venire neglexerint, reperitur in Concilio Aquensi 1585. sub finem Tituli *de Synodo Diœcesana.* Postquàm enim statuit, eos, qui in Sessione Synodali defuerint, sex aureis nummis esse mulctandos, eos esse destinandos, subjungit, Seminario, vel alteri pio loco.

Tertium Exemplum extat in Concilio Narbonensi anno 1609. *cap.* 28. Omnes Episcopos Provinciæ hortatur, ut agant mitius cum eis, qui à Synodo abfuerint, si infra mensem, post eandem, comparuerint, absentiæ causam justam allaturi; & ut mulctam pecuniariam in pios usus convertant.

Hi sunt Canones, hæc sunt Statuta præcipua, quæ absentiam à Synodo severiùs puniant, & quò magis ad pœnas ab ipsis latas in absentes à Synodis, eò magis concludo, Secundum Ordinem, ea in Synodo, aliqua gavisum fuisse authoritate; in nullius enim mentem venerit, si celebrata duntaxat fuisset ad monita accipienda, aut rationem Ministerii reddendam, aut ad audiendam Novorum Lectionem Statutorum, in eos tam severè fuisse animadversum, qui abfuissent, cum à Sodalibus suis generalia monita accipere poterant, lecta Statuta, & literis Ministerii sui rationem reddere poterant eamdem, quam in Synodo viva voce reddidissent. Ut igitur malum, quod hâc culpâ admisissent, his tribus capitibus observatis facilè potuisset reparari, non tàm severè punienda fuisset: econtrà, si Secundus Ordo Synodo interfuisset, ut cum Episcopo de rebus Diœcesis gravibus deliberaret, de urgentibus necessitatibus, de modo abusuum corrigendorum, vel de modo iisdem occurrendi; tunc, qui interesse negligebant, magnum commitebant malum, quod in posterum vix reparari poterat: nam, quo major est numerus hominum in difficibus rebus versatorum, eò certius est ab ipsis latum judicium, certiùs detegitur veritas, & quæ sunt agenda securiùs inveniuntur; cum, si duobus vel tribus in suo nomine congregatis, se in medio eorum futurum promiserit Christus, tantò magis eum tunc interfuturum credendum est, quando in unum magna convenerit turba Sacerdotum. *Spiritûs Sancti testatur præsentiam congregatio Sacerdotum: verum est enim quod legimus, quia non potest veritas mentiri, cujus in Evangelio ista sententia, ubi duo vel tres congregati fuerint in meo nomine, ibi & ego sum in medio eorum: quod cum ita sit, si nec huic tam brevi numero Spiritus Sanctus deest, quantò magis tunc interesse credimus, quando in unum convenit tanta turba Sacerdotum.* Cælest. I.

Caput IX.

Probationes authoritatis Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo, desumptæ ex Provocationibus ad Synodos Diœcesanas delatis.

Olim sæpè ad Concilia provocabatur, multique sunt Canones, qui de hac provocatione loquuntur, *Antonius* Augustinus *Epitome veteris Juris Canonici Lib. V. Tit. XXXIX.* hos in unum redegit ad Duodecimum usque Sæculum inclusivè.

Harum provocationum exemplo, aliquæ ad Synodum Diœcesanam delatæ sunt, ità saltem sentire videtur Bochellus, qui agens de Synodo Diœcesana, *Ecclesiæ Gallicanæ Decretor. Lib. V. Tit. XIX. Cap. LV. & LIX.* profert duos Canones, qui de iis Provocationibus mentionem faciunt: unus antiquus est, recens alter. Primus est *Canon quintus* Concilii Vasensis, Gallicè *Vaison*, congregati anno 442. Hic Author hoc Concilium anno 444. collocat: verùm errat. Hæc sunt Concilii verba attentione digna ex merito Collectoris, illa, ut consilio suo congrua, referentis *cap. LIX. si quis Episcopi sui sententiæ non acquieścit, recurrat ad Synodum.* Sed non dissimulandum, non constare hunc Canonem de Synodo Diœcesana esse intelligendum. *Primò* enim, antiqui Canones, *Synodo,* sine additione, non intelligebant *Synodum Diœcesanam,* ut in posterum factum est; sed *Concilium,* aut Episcoporum conventum. *Secundò,* non omninò patet, medio Sæculo Quinto Episcopos jàm Synodos congregasse Diœcesanas, ad quas totus Clerus convenire deberet, ut cum eo de rebus Diœcesis tractaret, ut probatum testimoniis de Origine Synodorum suprà relatis. Tertiò Concilium loquitur de Synodo authoritate superiori Episcopo; nec verisimile

videtur Synodos, quæ tunc congregatæ fuissent, authoritate Episcopi superiores futuras fuisse. *Quartò*, Synodus illa poterat latum ab Episcopo judicium corrigere. Denique Conciliium alludere videtur ad *Sextum* Canonem Concilii *Antiocheni*, habiti anno CCCXLI. qui innuit Clericos ab Episcopo damnatos, posse provocare ad Concilium Provinciale, idque sic fieri.

Idem dicendum est de *Canone* LXVI. Concilii *Carthaginensis* IV. habiti anno CCCXCVIII. & de *Canone* XX. Concilii *Aurelianensis* III. habiti anno DXXXVIII. qui statuunt, Clericos læsos ab Episcopo posse ad Synodum recurrere: Ut ut sit de accommodatione Canonis *Vasensis* Synodo Diœcesanæ à *Bochello* facta, posterior certò multoque felicior est.

Alter Canon de provocatione ad Synodum Diœcesanam à *Bochello* allatus *Cap. LV.* legitur in *Can.* XXXIII. Concilii *Burdigalensis*, habiti anno MDLXXXIII. In eo refertur, hac in Synodo audiendas fore expostulationes eorum, qui ad Synodum provocaverint, nec non absentium desideria, aut gravamina, sivè per Epistolas, sivè per Libellos supplices fiant. Hæ provocationes aliæ esse non possunt ab iis, quæ fiebant à Judiciis latis ab Archidiaconis, aut Archipresbyteris, vel ab Officiali, posito quod judiciario ordine data forent; quo in casu, alia in præjudicium Officialis fiebant, ad quæ pertinebat cognitio expostulationum factarum contra Judicia lata à Prælatis Episcopo inferioribus: alia nocebant Officiali Metropolitano, qui poterat judicare de expostulationibus delatis adversùs Judicia ab Officiali Diœcesano lata. Neutri præjudicio attendendum dùxit Concilium, ob accuratiorem æquioremque, in Synodo faciendam discussionem.

Quod si hæc Judicia minimè judiciaria essent, poterat provocatio fieri à quocumque Capitulari actu, vel alio simili facto à Societatibus Ecclesiasticis, ut, de Electione, Postulatione, Collatione, Contractu, Præsentatione, Transactione. Hinc damnum simile Judici ordinario inferebatur bono publico haud dubiè compensandum. Porrò: credendum est has & illas Provocationes fieri ad vitandas lites: quia sperabatur Synodum modis pacificis finem imposituram causæ expostulationis, vel ipsimet expostulationi, convincendo utrumque, sive læsum, sive eum qui læserat, benè aut malè ab iis actum fuisse.

Hic Canon desumptus videtur ex Synodo *Augustanâ*, Gallicè *Augsbourg*, habita 1548. *Tit. XXXIII.* in ea enim idem, & iisdem verbis legitur.

De cæterò tàm apertè liquet ad Synodum Diœcesanam provocationes indicare aliquam in ea, à Secundo Ordine, authoritatem exerceri, ut illud probare vanum omninò sit. Quorsùm enim ad Synodum fuissent delatæ hæ provocationes, nisi ab ipsa judicatæ fuissent. Porrò, de illis minimè statuere poterat Synodus, nisi in ferendis judiciis aliquam partem habuisset Secundus Ordo, cùm Secundo Ordine, excepto Episcopo duntaxat, constaret Synodus.

CAPUT X.

Probationes authoritatis Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo, deprompta ex Canonibus, qui astruunt, in Synodo Diœcesana de Litibus, tum Capitalibus, tum Civilibus, ad eam delatis judicari.

IN *Epitome veteris juris Canonici Libro V. Tit. XXXV. & XXXVI.* videri potest versari Concilia Provincialia circà judicia Litium intentarum contra Episcopum, à Clericis, & ab Episcopis contrà alios Episcopos, vel à Laïcis contra utrosque, quando gravia erant negotia. *Antonius* AUGUSTINUS plerosque Canones collegit Duodecim primorum sæculorum, qui hoc astruunt factum, non omisit eos qui Apostolis tribuuntur, nec eos qui ex Conciliis tum Nicæno, tum Antiocheno desumuntur, qui demonstrant duorum Conciliorum Annuorum celebrationem præcisè præceptam fuisse, ut absolutè ortæ in Provincia controversiæ dirimerentur.

Ut Synodus Diœcesana id præstat respectu Diœcesis, quod respectu Provinciæ facit Concilium Provinciale, verisimile est, in ea, natas in Diœcesi controversias diremptas fuisse, nisi tales fuissent ut à solis Episcopis fuissent judicandæ: quin etiam credendum est hanc præcipuam fuisse Canonum aut Statutorum rationem, ut demonstratum est, quæ duas Synodos per annum in unaquaque Diœcesi celebrari præceperunt.

Undè P. THOMASSINUS de his Synodis agens, non semel asseruit, eas veluti justitiæ Cubicula haberi posse, ... facillimè ergo multi proferrentur Canones, qui innuunt de litibus in ea motis à Synodo Diœcesana judicium ferri, sed clarioribus verbis enunciatos referre sufficiet.

Hujus generis primus habetur *Capitularium* Regum Franciæ *lib. VI. Capite CXIII. Quæcumque sunt ad Religionis observantiam pertinentia, locis suis, & à suæ Diœceseos Synodis audiantur.* Undè liquet, Controversias à Synodis dirimi, nisi, ut jam monuimus, ad Concilia Provincialia statuere pertinuisset. Undè depromptus sit ille Canon, in margine non videtur; quamvis undè desumantur alii, demonstretur, quod accidit, quia, undè præcisè desumptus sit, planè ignoratum fuit, quia non videtur hic Canon minus vetus nono sæculo, cum Collectio Librorum Capitularium hoc sæculo facta fuerit.

Habemus alium Canonem, qui clarius hanc rem exponit: eum refert REGINO *De Ecclesiasticis disciplinis lib. II. Cap. XXXIV.* Præcipit, *ut, si non priùs per potentiam Sæcularem, dignè vindicatum fuerit in eos, qui in Clericos, vel in Ecclesias perpetraverint, id est, si quis Clericum expoliaverit aut vulneraverit, aut aliquam injuriam fecerit, decimas Ecclesiæ tulerit, vel retinuerit, Episcopus ad suam Synodum, illos malefactores vocet, & dignè emendet, si contempserint venire, Excommunicentur.*

Hic Canon ab hoc Authore tribuitur Concilio *Triburiensi* Gallicè *Tribur*, habito circà finem Noni sæculi; verùm desideratur. Si litteraliter hic Canon intelligatur, credi potest, Judici Ecclesiastico competere Judicis Sæcularis defectum supplere, vel ipsum prævenire, cum talium malefactorum animadversio, maximè si Laïci essent, ad Judicem Sæcularem pertineret.

Credendum igitur est, hoc privilegium Ecclesiastico Judici non competere; nisi à Principe illud obtinuisset; sed judicium à Synodo latum, ultra correctionis pœnitentialis terminos non extendi, hancque minimè necessariam fuisse, cum à Judice Sæculari vindicatum fuerat in reum, secundùm criminis malitiam.

Duo Canones relati Galliam & Germaniam spectant; quæ addenda sunt testimonia, spectant alias Occidentis Ecclesias, desumpta enim sunt ex formula Synodorum Diœcesanarum, quam omnes Occidentis Ecclesiæ sequutæ sunt. Legitur in fine *Decreti* BURCHARDI *Wormatcensis* Episcopi post Concilium Gallicè *Salegunstad*, quod huic additum est, quia illi hic interfuit Episcopus; habitum fuit anno 1023. ut videtur *Præfatione*, prout hoc in loco refertur, vel anno 1022. secundùm tempus quod obtinet hæc *Præfatio* in P. LABBÆO, qui hoc quoque Formulare tanquàm hujus Concilii appendicem refert, & id à se fieri pronuntiat, quia id in *Burchardo* invenit. Multa videntur testimonia ab hominibus in Diœcesana Synodo congregatis, controversias ad eam delatas judicari.

Primò docet, in eâ legi Canonem Concilii *Toletani*, de modo convocandorum Conciliorum, in quo mentio fit de his, quæ sunt agenda ad conservandam animi libertatem necessariam, ut quisque sanè judicare possit: deindè, legebatur ad hæc exhortatio, in qua Concilii Patres enixè rogantur, ut suis in judiciis acceptionem personarum vitent, & à veritate non aberrent sive favore, sive utilitate, sed ita res ad judicium Conventûs delatas

latas perpendant, ut justitiam unicuique, quidquid in contrarium possit evenire, reddant: posteà omnibus Clericis præcipiebatur, qui querelas deferre debebant, ut accederent. Hæc autem Synodus de his querelis judicabat, & ut judicia proferenda erant antè comestionem, qui ad Synodum accessuri erant, monebantur, ut jejuni adessent. Quæ modò de hoc monito facta est reflexio confirmatur Canone, qui legebatur secundo die, de jejunio requisito in Synodi Patribus, ut pote Judicibus: in eo refertur, à Judicibus nisi jejunis Leges & Judicia decerni non posse. Hic Canon Concilio Nicæno tribuitur, quamvis in *primo* & *secundo* desideretur.

Antequam hujus Canonis lectio fiat, defectu Clericorum, qui querelam conferant, intromittendos esse Laicos, qui querelam proferant, additur, & secundi diei Synodus absolvitur judicio harum querelarum, ut Synodus primi diei simili judicio absoluta fuerat.

Post preces Synodi tertiæ diei, monentur ii, qui habent querelas deferendas, eas hoc tempore deferant & sic Synodus tertiæ diei solvitur.

Ex hoc Formulari desumptæ probationes adeo claræ sunt & tantæ authoritatis, ut ad probandam secundi Ordinis authoritatem in Diœcesana Synodo sufficerent: verùm, quod omninò necessarium non est, inutile non erit; quapropter quædam adjicientur desumptæ vel ex Yvone Carnutensi, vel ex *Eudes* de Sully Parisiensi Episcopo, vel ex Concilio Burdigalensi Anni 1583. Primò, postquam Yvo Carnutensis, *Epistola 61.* dixit, suæ Ecclesiæ usum esse Synodum congregandi septimo Calendas Novembres, id est, die vigesimo sexto Octobris, his verbis quid in ea agatur, exprimit: *In Synodo de negotiis Ecclesiasticis & pace totius Patriæ multa nobis sunt tractanda, quæ sine præsentia nostra, vel non tractarentur vel tractata non terminarentur.* Hæ voces, *& pace totius Patriæ*, sunt attentione dignæ; ostendunt enim Synodum agere partim de modo terminandarum controversiarum, quæ pacem Regni turbabant.

Eudes de Sully suorum Statutorum *Cap. II. num.* 4. prohibendo Parochis, ne causas adducant ad Synodum, aut aliqua negotia, quæ ad quosdam non pertinent, innuit partim occupatas esse in judiciis ferendis.

Quod spectat Concilium Burdigalense, satis innuit unam è Synodi functionibus positam esse in litium judicio, cùm loquitur de provocationibus ad Synodum delatis; cùm provocationes Judicis spectent tribunal de litibus judicandis. Hæc verba præcedenti Capite relata sunt. Hocce in Concilio aliud extat testimonium non minus grave; in eo enim legitur, Laicis permitti scripto, vel verbo, querelas suas Synodo proponere, modò earum querelarum judicium ad Synodum pertineat. Utrumque testimonium desumptum videtur è Synodo Augustana *D'Augsbourg*, anno 1548. Tit. xxxiii. cum idem & iisdem terminis hac in Synodo exprimatur.

Absolvetur hoc Caput aliquibus elocutionibus, quæ in Occidente, universali gaudent authoritate, cùm desumantur è *Pontificali Romano* generaliter recepto. Leguntur *pag.* 513. in Oratione, quam habet ad congregatos Episcopus: indicant autem, in Synodo congregatos, veluti Judices haberi: tanti sunt ponderis in gratiam Secundi Ordinis in Synodo Diœcesana authoritatis ut ipsa referre mihi visum fuerit: *Ita ut nec discordans contentio ad subversionem justitiæ locum inveniat, neque iterum in perquirenda veritate vigor nostri Ordinis vel sollicitudo tepescat.* Idem ferè est hic sermo, ac ille, qui supra relatus est, sub nomine Concilii *de Salegunstat.*

Post tot probationes & tàm claras, Synodum partim versari circa judicia litium capitalium & civilium, nullum suboriri potest dubium, quin Secundus Ordo in ea aliquam exerceret autoritatem: Cùm, ex una parte, vanum sit judicium sine autoritate latum; & ex alia parte, Synodus sit Conventus Hominum Secundi Ordinis.

Caput XI.

Probationes authoritatis Secundi Ordinis in Diœcesanâ Synodo, desumptæ ex Canonibus, vel Statutis Synodalibus, quæ prohibent, ne quis è Synodo discedat sine licentiâ.

Hic adhuc reperitur convenientia Diœcesanæ Synodi cum Conciliis Provincialibus: ut enim probavi penultimâ.... incidentium Quæstionum *de convocatione Nationalium Conciliorum*, Canones prohibuerunt Patribus Conciliorum Provincialium, ne sine justâ causâ, & sine licentiâ, è Concilio discederent, imò in eos severè animadvertit, qui hanc admittebant culpam: nunc sum probaturus, reperiri Canones & Statuta Synodalia, quæ prohibent, ne quis è Synodo sine licentia discedat. Verùm anteà observandum est, duplicis esse generis: alii enim claram faciunt mentionem de exceptione casûs, in quo à Superiore licentia obtinetur: alii eam silentio prætermittunt. In illis, subintelligitur *cum juris sit*: ad hæc observandum est, formulam ad celebranda Concilia adhibitam, suprà relatam, posse & debere collocari inter Canones vel Statuta Synodalia; quia credendum est ab aliquo Concilio, aut Synodo fuisse præscriptam.

Hoc suppositò, à verbis hujus Formulæ incipio, cum nihil antiquius proferendum habeamus. Leguntur in Monitis quæ dantur Patribus Synodi, sine Conventûs primi diei: *Admonendi sunt Patres Synodi, ut nullus à Cœtu communi secedat, antequam generalis secessio adveniat.*

Synodus *Lingonensis* 1404. claris verbis de necessitate hujus licentiæ loquitur, ut quis possit ante Synodi finem recedere. Hæc sunt Synodi verba. *Nullus de Viris Synodalibus recedat à Synodo, quousque fuerit data licentia recedendi, nisi ex causa necessitatis petita ab Episcopo, & obtenta recedendi licentia.* Eadem prohibitio videtur in Synodis *Senonensi* 1524. & *Carnutensi* 1526. *A Synodo citrà urgentem necessitatem, neminem recedere volumus, priùsquam è Choro, in quo celebratur Synodus, egressi fuerimus.*

Sanctus Carolus, in suâ Quarta Synodo, habitâ anno 1574. excipit etiam nominatim casum licentiæ, à prohibitione quam facit discedendi ante Synodi finem: *Quo tempore habetur Synodus, ne cuiquam Sacerdoti, Clericove Mediolano discedere liceat, nisi missione à nobis impetrata*: Quod jam fecerat *Tertiæ* Synodi indictione.

Culpa, quam admittit, qui è Synodo discedit sine causa, aut sine licentia, tanta visa est Patribus Concilii *Aquensis* anni 1585. Tit. *de Synodis Diœcesanis*, ut excommunicationis pœna proponatur iis, qui illam admittunt; *à Synodo pœnâ excommunicationis propositâ, nullus discedat, nisi eâ finitâ, & de more benedictione ab Episcopo datâ.* Nullum est dubium, quin una ex causis hujus severitatis oriatur ex eo, quod, in Synodo, mores, vestes, vita eorum, qui aderant, examinaretur. Sic uniuscujusque præsentia necessaria erat usque ad finem, tum ad dandum suum consilium in judicio, quod de aliis ferebatur, & in eis, quæ pro eorum correctione præscribebantur, tum ut responderet iis, quæ ipsi objiciebantur, denique ad recipienda Monita quibus indigebat. Re ipsa hoc examen præcipitur, illudque non sine animadversione fieri debere addit; *Censura ibi fiat de singulorum moribus, vestitu, vita, ac infligatur potiùs pœna personalis, etiam carceris, ubi opus fuerit, quàm pecuniaria.* Hæc consideratio posset extendi ad simplicem prohibitionem factam à Synodis suprà relatis, credendi enim locus est, eodem niti fundamento. Sic concludi potest Secundum Ordinem, aliquâ in Diœcesana Synodo authoritate gavisum fuisse.

CAPUT XII.

PROBATIONES AUTORITATIS SECUNDI ORDINIS in Diœcesana Synodo, depromptæ ex Canonibus & Statutis Synodalibus, quæ astruunt, Diœcesanam Synodum aliquam partem habuisse in Statutis, Præscriptionibus, Decretis, quæ Synodalia vocata sunt.

NOn difficile probaretur solidis conjecturis, Secundi Ordinis Homines, in Synodo Diœcesana congregatos, modò *Patres Synodi*, modò, *Viros Synodales* appellatos, participes fuisse, aut debuisse esse participes eorum, quæ *Statutorum Synodalium* nomine donantur. *Primò*, enim, non levis elicitur conjectura ex relationibus huc usque observatis inter Synodos Diœcesanas & Concilia Provincialia; quia constat horum Conciliorum Patres participes fuisse Decretorum, quæ in iis facta sunt: sic justa est credendi causa, Synodorum Diœcesanarum Patribus eundem honorem fuisse delatum, quoad Statuta, quæ in iis facta sunt. *Secundo*: Nomen quod semper datum est Statutis, idem factum confirmat: nisi enim aliquo modo fuisset particeps Synodus, & Lectioni duntaxat interfuisset, tàm absurdo nomine *Statutorum Synodalium* donata fuissent, quàm absurdè nomen daretur Provincialium Decretorum iis, quæ facta in Concilio Generali, lecta fuissent in Provincialibus Conciliis; aut Titulus Synodalium Statutorum Decretis Conciliorum Provincialium, quæ lecta fuissent in Synodis Diœcesanis; vel Titulus Parochialium, omnibus Decretis in Parochiis lectis, quacumque authoritate factis. Verùm ad conjecturas recurrere non expedit, cum clara suppetunt testimonia, quæ luculenter probant, Secundum Ordinem participem fuisse Statutorum Synodalium datorum, vel saltem concurrere debuisse suo suffragio, sive deliberativo, sive consultativo. Proferentur postquam observatum fuerit, testimonia, quæ fidem faciunt Secundum Ordinem participem fuisse aliquorum Statutorum hujus generis, locum credendi dare, participem quoque fuisse illorum, quorum nullum est testimonium, quod expressè illud enuntiet. Ratio est, quòd, quando non apparet rem factam fuisse privilegio, aut speciali usu, Juris Communis censenda sit. Porrò: in testimoniis indubitatis, de quibus loquor, ne ullum quidem verbum extat, quod probet, Secundum Ordinem privilegio aut usu speciali Statutorum Synodalium fuisse participem: quare jure ac meritò credi potest, hunc honorem ipsi fuisse delatum propter Jus Commune. Antiquius simul, & clarius testimonium depromitur è Synodo *Altissiodorensi*, habita Anno 578. *Canone* 45. asseritur, conceptis verbis, omnes Canones præcedentes, sicut illum, conditos fuisse de consensu communi eorum, qui Synodo aderant. Eo nomine donant omnia ab ipsis, Decreta quadraginta quatuor Canonibus præcedentibus. Hi omnes Canones conscripti sunt ob omnibus Synodi Patribus, scilicet, ab Episcopo, à septem Abbatibus, Presbyteris Triginta quatuor, & à Tribus Diaconis vice Presbyterorum, qui ad Synodum eos deputaverant. Hæc observatio non solùm nititur chirographis, verùm concepto testimonio illius, qui illius Synodi Acta direxit, aut ea transcripsit.

Si aliarum Synodorum nunc superessent Acta, multa nobis suppeditarent testimonia huic modò allato similia: verùm quamvis hoc nobis desit subsidium, nobis tamen non desunt aliæ probationes invictæ Secundi Ordinis authoritatis, quoad Statuta, quæ nomine aliarum Synodorum donantur.

Primò annumerari potest *Formula* de modo convocandæ Synodi Diœcesanæ, quæ ad minimùm est initii undecimi Sæculi, cum jungatur Concilio hujusce temporis, & quod continetur in hoc opere Rituali, vulgò vigeat diù antequàm scribatur. Videtur in exhortatione, quam legebat Episcopus, aut ipsius jussu à Diacono legebatur, Secundum Ordinem statuere de rebus etiam, quæ doctrinam spectabant: dicitur enim, si hac in Materia Secundus Ordo sententiæ Episcopi adversetur, ipsi licere quid sentiret exponere, & tantàm rationem haberi objectionum, ut, quàm amplexus fuerat opinionem Secundus Ordo, huic deferret Synodus, si Patrum Statutis conformior videretur, neglectâ Episcopi sententiâ. Vox *conferat*, quæ reperitur, certè speciali digna est attentione: demonstrat enim dubia à Secundo Ordine proposita, à Synodo perpendi, &, ut particeps fuerat propositionis, participem pariter esse resolutionis.

Secundò, idèm dicendum est de Canonibus, vel Statutis, quæ asserunt Statuta Synodalia in Synodo fieri: verisimilè enim non videtur dictum fuisse, Statutum factum fuisse in Synodo, nisi illius aliquo modo fuerit particeps Synodus, saltem suo consilio. Unum retulisse sufficerit, quod sua authoritate multis simul junctis non cedit. Legitur *Capite nono de Majorit. & Obed.* INNOCENTIUS III. in eo asserit, eos, qui tenentur Synodo interesse, posse non solùm obsistere iis, quæ in ea decernere vult Episcopus contraria Canonicis Constitutionibus: verùm etiam abesse, cum quid facturus sit noverint. Hæc est conditio, quam Papa imponit necessitati ad Synodum accedendi: quod intelligendum est de Constitutionibus pro executione Legis Naturalis vel Divinæ, vel earum, quæ spectant statum generalem Ecclesiæ, ad quas Episcopi se conformare debent. Cujus Anni sit iste Canon ignoratur, verùm conditus esse non potuit antè Annum 1198. qui primus Annus est promotionis hujus Papæ; neque post Ann. 1216. qui suæ vitæ ultimus est.

Tertio WALTERUS, Episcopus de Norwik, sua in Synodo Sancti Mi haëlis 1255. Statutum faciens, declarat id facere de consensu Capituli Cathedralis, de Synodi authoritate, & approbatione omnium in Sancta Synodo existentium. Agebatur de restituendo in statum pristinum veteri usu, qui solos Parochos spectabat, & in eo versabatur, si moreretur Parochus inter Paschæ Festum & Sancti Michaëlis, posse disponere de fructibus, qui advenerant, & per id tempus advenire poterant.

Aliquid pariter secundum Ordini Secundo reperitur in Præfatione Synodi, *d'Excester* Anni 1287. Cujus hæc sunt verba; *Pauli Doctoris Gentium sequentes vestigia, qui apud Miletum Synodum convocavit, vos Fratres nostros & Filios in Christo, dignum duximus convocandos ad hanc Sanctam Synodum in Ecclesia nostra Exoniæ celebrandam, ut aquam sapientiæ hauriamus cum gaudio, de fontibus Salvatoris.* Inscriptio Synodi *Colonienſis* Anni 1280. nos docet, Secundum Ordinem participem fuisse Statutorum, quæ in ea facta sunt. Legitur enim ab Archiepiscopo facta fuisse *ex Consilio Prælatorum suorum.* Idem in *Præfatione* videtur, & Capitulum Prælatis jungitur. Verum quidem est hìc de indictione Synodi loqui Episcopum, quam à se factam dicit de consilio suorum Prælatorum & sui Capituli: verùm præsumptio certa videtur eos, quos consuluit Episcopus indicendo Synodum, consilium quoque dedisse de Statutis, quæ in ea facta sunt. Hæc autem præsumptio Inscriptione roboratur: comprehendi enim debet Capitulum his verbis, & cætera, quæ leguntur, post hæc verba, *Prælatorum suorum.*

Quarto: legitur in *Præfatione* Synodi *Nemausenſis*, Gallicè, *Nimes*, habitæ Anno 1284. Statuta, quæ hoc, nomine donantur, facta fuisse *cum consilio & assensu venerabilium Fratrum nostrorum Præpositi & Capituli Nemausensis.*

Quintò: BOCHEL, in Tabula Decretorum, quæ suo in Opere adhibuit, refert aliqua excerpta Præfationum, Synodorum aut collectionum Statutorum Decimi tertii, & Decimi quarti Sæculorum, quæ nos certos reddunt, Secundum Ordinem participem esse Statutorum Synodalium.

Primum spectat Synodum *Andegavensem*, habitam Ann. 1282. hæc Synodus habita est Die Sabbati post Pentecosten, in Camera Episcopi Andegavensis, *Consentientibus*

tientibus Oliverio *Archidiacono Andegavensi septem Archipresbyteris, & quinque Decanis*, nominatim designatis.

Porrò, nullus dubitandi locus est, quin Episcopus consensum petens horum Hominum ad Synodi indictionem, eum peteret ad facienda Statuta: quia regimen Diœcesanum, quod eo Præside exercebant, majoris erat ponderis, quàm Synodi indictio.

Aliud Excerptum *Bochelli*, quod astruit Secundi Ordinis authoritatem quoad Statuta Synodalia, legitur in Præfatione Collectionis Statutorum Andegavensium à *Guillelmo* Le Maire, continentis sui Prædecessoris suaque: asserit, à se dari plura Statuta successivè facta à Synodis. Hæc Collectio Statuta continet facta ab anno 1291. usque ad annum 1514.

Archiepiscopus *Cantuarienſis*, Gallicè *Cantorbery*, in suæ Synodi *Præfatione* anni 1295 Statuta faciens ad reformandam Curiam Ecclesiasticam, ait, *propter hanc rem se debitè consuluisse*. Quod videtur potiùs intelligendum de Consilio adhibito antè Synodum, quàm de Consilio post Synodum.

Sextò: Basileense Concilium, Gallicè *de Bale*, Sessione XV. habitum anno 1433. insinuat à Synodo Statuta Synodalia fieri, eumque ob finem illorum participem esse Secundum Ordinem: Statuta enim sunt veluti remedia, quæ adhibentur ad corrigendos abusus, & Concilium præcipit, ut, si inter eos, quos Synodales Testes ad Episcopos detulerint, ad quos pertinebat reformatio, aliqui reperirentur nondum correcti, ad Synodum subsequentem deferrentur, ut debitis remediis occurreretur.

Septimo: pariter reperitur in præfatione Synodi Gallicè *Frisinghen*, habitæ anno 1440. testimonium luculentum in gratiam Secundi Ordinis authoritatis, quoad Statuta Synodalia; postquàm enim appellavit varios homines, quibus constabat Synodus, affirmavitque suos esse Assessores, ad excessus puniendos & corrigendos mores, addit, se *unà cum illis*, & *post maturam deliberationem* sequentes Constitutiones edidisse. His in verbis multa sunt observatione digna. 1. Episcopus enumerans eos, quibus constabat Synodus, primum ordinem defert suo Capitulo, quia Corpus à Capite non est separandum; secundum, Abbatibus; tertium, Præpositis, Archidiaconis & Decanis; ultimum, reliquo Clero. 2. Fratres suos appellat sui Capituli membra, Abbatibus nomen Patris tribuit: & quamvis hic titulus magis sit honorificus Fratrum titulo; tamen Capitulum Episcopo junctum Abbates præcedit, quia unum & idem cum Episcopo Corpus efficit, qui jus ante alios Prælatos non Episcopos sedendi habet, modò tamen non sint Cardinales. 3. Hoc discrimen ponit, inter Statuta condere, & illa promulgare, ut pronuntiet ab eo *condita* fuisse, cum auxilio Secundi Ordinis, & eo præsente *promulgata*.

Quòd si hujus Synodi Præfatio tantùm favet Secundo Ordini, non minùs ipsi quoque favet Conclusio; nos enim docet, Statuta facta fuisse, absoluta, decreta, & à Synodo approbata, personaliter præsidente Episcopo

Videtur quoque Constitutione *Ratisbonensi* anni 1524. Capite 35. tantam partem habuisse Secundum Ordinem in Statutis condendis Synodalibus, ut ea Synodo tribuat, in qua certè dominabatur numero; nam, cum præcepisset Synodum singulis annis haberi, addit, Judices in ea esse eligendos, qui invigilent observationi Statutorum à Synodis conditorum cognitorumque ab Episcopo.

Octavo: Carnutensis Synodus anni 1526. Secundo quoque Ordini favet, cum asserat, à Synodis Statuta fieri. Hoc testimonium reddit occasione abusuum, qui irrepserant, eos, nempè, qui testimoniales litteras habebant, tum morum, tum sanæ agendi rationis, minimè comparere in Synodo, credentes se excusatos esse, quia Episcopi Scribæ eas demonstrabant, & actum præsentiæ obtinebant; *porrò, ad destruendum hunc abusum, vult & ordinat hæc Synodus, quòd omnes & singuli Rectores, Curati, & Beneficiati, qui in nostra sancta Synodo comparere, tam de jure quam de Consuetudine tenentur, non obstantibus prædictis litteris testimonialibus, compareant auditi quod ordinaverit ipsa Synodus.*

Duæ sunt Synodi anni 1548. in Germania celebratæ, quæ tribuunt Synodo jus condendorum Statutorum. Prima *Augustana* Gallicè, *Augsbourg*; Secunda *Trevirensis*, Gallicè *Treves*, dicitur, quarum Capite sequenti testimonia referentur.

Nonò: Cum locuti fuimus de necessitate ad Synodum veniendi per Procuratorem, quandò personaliter adesse non poterat, qui ad eam accedere jure tenebatur, Canonem attulimus depromptum è Concilio *Mechlinienſi*, Gallicè, *Malines*, anni 1607. non minùs Secundo Ordini favorabilem, vult enim, Procuratorem mitti ad deliberandum & agendum, ut faceret is, qui eum mittit. Quod certè supponit, in Synodo voce gaudere Secundum Ordinem.

Decimò: difficile non esset reperiri in Statutis Synodalibus sæculi Decimi septimi, ea saltem facta fuisse de consilio Capituli: id enim claris terminis enuntiant Statuta *Trecorensia*, Gallicè, *Treguier*, anni 1626.

Verùm proferre possumus testimonia majoris ponderis, desumpta ex *Pontificali* Clementis VIII. recognito ab Urbano VIII. Titulo, *Ordo ad Synodum*. In utroque supponitur, Synodo jus esse examinandarum Synodalium Constitutionum, ut eas probare possit: dicitur enim, sub finem rerum agendarum secundo die, Constitutiones à Synodo approbandas legendas fore, & post Examen à Patribus, res fore confirmandas, quæ ipsis placuerint. Ferè eadem res legitur versùs finem rerum agendarum tertia die. In eodem Capite aliquid adhuc legitur, quod astruit potestatem Secundi Ordinis in Synodo; nempè, cessare Synodum secundo vel primo die, si negotia, quæ tractanda erant, sunt absoluta primo vel secundo die: sed tunc, ut in Casu, in quo diutiùs perseverat, absolvi tantùm debere, cum omnia in eâ gesta approbata sunt ab omni Cœtu. Cardinalium Congregatio Concilii Tridentini Interpretum, agnovit *Pontificale* favere authoritati Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo, in sua die 27. Aprilis anni 1592. responsione ad Patriarcham *Venetum*, Gallicè *Venise*, qui interrogaverat, an posset facere in Diœcesana Synodo Constitutiones absque assensu & Clerici approbatione, cùm enim respondisset Sacra Cardinalium Congregatio, id illum posse, verba hæc addit, *non obstante, quod ex forma Romani Pontificalis, in celebranda Synodo Diœcesana ac Provinciali expresè habeatur ut Constitutiones in Synodo publicandæ à Patribus per verbum* Placet *confirmentur*, eoque modo juri communi derogat.

Verum hæc derogatio non obest, Gallis, cum harum Congregationum Decreta nullam in Regno vim habeant, Canones hoc in Capite collecti non solùm probant Secundum Ordinem participem esse debere Statutorum, quæ in Synodo fiunt; sed ipsius authoritatem extendendam esse ad ea omnia, quæ Synodaliter fiunt, ut Decisiones, Judicia, Monitiones, Correctiones, Animadversiones, cum nihil, siquidem in Synodo Statutis gravius fieri potest, cum sæpissimè Statutis decernantur ea, quæ in Synodo aguntur, vel quoad fundum vel, quoad modum ea faciendi; aliundè apud omnes constat, in rebus ejusdem speciei, plus continere minus.

Caput XIII.

Probationes authoritatis secundi Ordinis in Diœcesana Synodo, desumptæ ex Testimoniis, quæ ostendunt, Synodum Diœcesanam per plures dies continuari non secus ac Concilia Provincialia.

CUm perpendimus suprà relationes, quæ reperiuntur, inter Synodum Diœcesanam & Concilia Provincialia, occasione data, laudata sunt loca, quæ rem, quam hic tractamus,

tractamus, probant: tale est Caput XCI. Collectionis HERARDI Archiepiscopi Turonensis, qui Spatium Synodi ad Quindecim dies determinat. Idem legitur in Formula ad Synodum convocandam superiùs relata: in ea enim observatum fuit, eam durare Quatuor diebus, &, si necesse foret id clarius probare, sufficeret referre verba, quæ versùs finem leguntur post hæc *in quarto die*, *&c.*

Talia sunt denique, excerpta è *Pontificali*, in præcedenti Capite relata, quibus quid per Tres Dies sit agendum præscribitur. Cum factum, de quo hic agitur, non magni sit momenti, quas modo indicavimus probationes, sufficerent, aliæ tamen proferentur postquam observaverimus, in Ecclesiis, in quibus viguerant Testes Synodales, & in quibus amplissimæ erant Diœceses, difficile congregari Synodos, quæ possent occurrere abusibus ab his Testibus delatis, nisi per plures dies durarent Synodi. Hanc fortè ob causam præcepit *Basileense* Concilium, Synodum duraturam esse saltem biduo, vel triduo; usum enim Testium Synodalium districtè præcipit.

Actis Synodi *Augustanæ*, Gallicè *Augsbourg* Anni 1548. infertur, eam triduò durasse; in ea separatim refertur, quid singulis diebus Actum fuerit: idem in Inscriptione videtur, *Continuo triduo.* Acta Synodi *Trevirensis* Gallicè *Treves* ejusdem Anni 1549. certos nos faciunt eam durasse per decem dies.

Secundum Colonienſe Concilium Anni 1549. *de Synodorum celebratione*, *num.* 2. innuit Diœcesanam Synodum per plures dies durare, & Capitula & Parochos teneri Decanis subsidia in sumptus, quos necessariò facere debent, conferre, secundùm numerum dierum.

Ecclesiæ Mediolanensis Acta probant Synodum Diœcesanam tribus diebus durare, secundùm quod præscribitur à *Pontificali Romano*, *pag.* 228. & in ea mentio fit de tribus Sessionibus habitis tribus diversis diebus; & in eâ præcipitur, ut promulgetur die tertia Decretum, quod diem determinabat, quo futura Synodus inceptura esset. Hoc confirmatur Actibus *primæ* Synodi, distinctis in Tribus Sessionibus, quarum singula unum diem consumpsit. Secundò, relatione rerum gestarum in septima Synodo hujus Diœcesis: in ea legitur, tres dies durationis Synodi pœnè consumptos fuisse lectione Decretorum duorum Conciliorum Provincialium, nempè Quarti & Quinti, in ea quoque legitur causa meditationis primæ, secundæ & tertiæ Sessionum; denique, expressè in ea asseritur *pag.* 228. Synodum vulgò durare tribus diebus, sed Episcopum posse vel breviori, vel longiori tempore, Synodum agere, pro rerum, quæ gerenda sunt, ratione.

CAPUT XIV.

PROBATIONES AUTHORITATIS SECUNDI ORDINIS in Diœcesanis Synodis aliundè desumptæ, quàm ex Convenientia harum Synodorum cum Conciliis Provincialibus; aut potiùs Canones & Statuta Synodalia, quæ clarè sivè generatim, sivè sigillatim, de illâ authoritate loquuntur.

IN comparatione, quæ facta est, Diœcesanarum Synodorum, cum Conciliis Provincialibus, multi citati sunt Canones, qui clarè Secundi Ordinis authoritatem astruunt, his in Synodis, de Capitibus specialibus. Id facere coacti sumus, ut relationes mutuas astrueremus. Præcipuè Statuta desumuntur, vel ex Conciliis Basileensi Anno 1433. Colonienſi 1536. & 1549. Burdigalensi 1583. Mechlinienſi Gallicè, *Malines*, An. 1607. Narbonensi 1609. Frisingensi Gallicè *Frisingen*, Anno 1440. Carnutensi 1526. Augustano Gallice, *d'Augsbourg*, & Trevirensi Gallicè *de Treves* 1548. vel ex Constitutione pro reformatione Cleri Germanici An. 1524. vel ex Formula ad celebrandas Synodos Sæculi undecimi, vel ex Pontificali Decimi septimi Sæculi.

Superest, ut colligamus alia testimonia, quæ non minùs clarè loquuntur de eadem authoritate, spectata sive generatim, sive spectata, prout attingit multa Capita observata simul juncta: his addenda erunt illa, quæ spectantia aliquod ex his Capitibus, omissa fuerunt vel ex inadvertentia vel de industria, ut in unum redigerentur omnia testimonia suppeditata à Synodis. Verùm, antèa observandum est, Canones vel Statuta Synodalia, quæ tribuunt Synodo Actus Jurisdictionis, qui in iis fiunt, clarè probare, Secundum Ordinem in eo aliquam habuisse authoritatem; quia omnes, quibus constat, Secundi sunt Ordinis, Duce excepto, cum personaliter adest Episcopus. His observatis, de testimoniis, quæ referenda supersunt, asseritur, ex omnibus Conciliis & Synodis, in Collectione Conciliorum P. LABBÆI, nullum esse sive Concilium, sive Synodum, quæ suppeditent tot, tamque graves probationes authoritatis Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo, quàm eas, quæ leguntur in Synodo Augustana.

Primò: in Inscriptione Statuta Synodo tribuuntur. Secundò: in Præfatione præcipitur, ut Capitula, quæ ad Synodum deputabant, mittant Procuratores, qui potestatem habeant nomine absentium, & Synodi, probandorum Statutorum, quæ in ea fient.

Tertiò: iterùm legitur in eadem Præfatione, Constitutionem factam *Ratisbonæ*, pro reformatione Cleri Germanici, missam fuisse, *omnibus qui Synodo interesse debebant, ut eam diligenter expenderent, atque si quid ex temporum, locorum, aut personarum occasione, usu vel necessitate, addendum moderandumve ipsi judicassent, ad Synodum referrent, & cum suas tum Collegiorum, tum Capitulorum suorum, sententias, inter consultandum explicarent.*

Hæc verba *inter consultandum*, & vox illa *Consultatione*; quæ in excerpto legitur, credendi locum præbent, Secundum Ordinem vocem duntaxat consultativam habere.

Quartò: fine relationis rerum gestarum primo die ante Lectionem Statutorum, Cancellarius Episcopi suo nomine eos alloquens, quibus constabat Synodus, ait, se petiisse ab unoquoque quid sentiret de singulo formulæ Capite reformationis, quam ad ipsos miserat, ut Statuta sententiis eorum accommodaret; quia ipsi persuasum erat, unumquemque maturè res propositas perpendisse; verùm ipsi convenientius visum fuisse, ipsis offerre primò Statuta facta secundùm hanc formulam, & secundùm aliqua præcedentia, & redacta in Ordinem conformem huic aliorum Statutorum Ecclesiæ *Augustanæ*, de quibus judicium ferent, cum approbatio petetur.

Quintò: in Statuto facto *Titulo III.* clara fit mentio de approbatione Ecclesiæ Cathedralis: *statuitur & ordinatur, ut posthac ad Episcopatum Ecclesiæ Augustensis nullus, nisi Presbyteratûs Ordine insignis, aut qui se gradus, quos nondum habet, omnes statutis Ordinationum temporibus, nulla interdicta mora, aut tergiversatione, adepturum promiserit, eligatur aut assumatur.*

Sextò: *Titulus XXXIII.* suppeditat sex aut septem testimonia Secundi Ordinis in Synodo authoritatis. *Primum* eruitur ex eo, quòd præcipit à Synodi Patribus cum juramento detegi detrimenta, vitia, defectus Prælatorum, Ecclesiæ, Episcopi, Ministrorum, Populi, Laicorum in Ecclesiam Tyrannidem, ut iis malis à Synodo occurratur. *Secundum* depromitur ex eo, quòd præcipit audiri & recipi in Synodo Provocationes, querelas, quæ ad eam deferuntur sive libello supplici, sive litteris.

Tertium ex eo, quòd Laïcorum querelæ à Synodo admittuntur, modò Ecclesiam & Synodi jura spectent; & ex

& ex eo, quòd Episcopus promittat à se dandos fore Procuratores & Patronos Synodales ad eas dirimendas.

Quartum desumitur ex eo, quod, ad faciles reddendas denuntiationes, quæ faciendæ sunt, & quæ non fierent metu alicujus mali inferendi ex parte Potentium, quibus dedecus afferunt, si eæ faciendæ fuissent coram omni Synodo, præcipitur, ut duo vel tres eligantur ad eas secretò recipiendas cum promisso secreti nunquam violandi.

Quintum eruitur ex eo, quod Episcopus dicit, nolle se aut ipsius Officiales ex eorum numero, quorum vita, mores, & actiones corrigi debeant, exemptos esse, & à se mandandum fore à tota Synodo Testes Synodales, qui suæ, suorumque Officialium, reformationi intendant, deputari; quia, etsi multa sibi deesse cognoscit, multa tamen ipsum fugere non ignorat.

Sextum desumitur ex eo, quod promittitur, Synodum non fore dimittendam, donec de omnibus causis, omnium gravaminibus, fuerit sufficienter informata.

Septimum denique, colligitur ex verbis Cancellarii Episcopi nomine, quæ sumus relaturi, ut potè, quæ in Diœcesana Synodo Secundi Ordinis non levem fuisse authoritatem probent. *Quomodo reformationis formulæ odio publicatæ, Statutorum ratio conveniat, ex lectione hac perspectum planè omnibus* esse; restare illud solùm *ut universa Synodus de his omnibus suffragia ferat: ut igitur cogitandi deliberandique de singulis spatium habeant ad Synodum vocati, sequenti die primum*, quæ decima tertia Novembris futura erat, *post rem Sacram peractam, de his omnibus ineunda suffragia* esse. Similia Argumenta adhuc autoritatis Secundi Ordinis leguntur in Actis secundæ diei ejusdem Synodi Augustensis. Cùm enim Episcopus præcepisset, Laïcos mitti foras, obtestatur Synodi Patres, ut in memoriam suam revocent à se non esse convocatos, ut suis commodis inserviret, sed unicè propter Jesu Christi gloriam, de cujus causa modò judicandum erat; deindè eos enixè rogat, ut, inter deliberandum, ab omni cupiditate sint liberi, id intendentes, ut antiqua disciplina observaretur, addens, se auxilio Dei *adjutum, conaturum omnia sua Episcopalia munia adimplere*; quapropter postulare se ab universa Synodo *ut ex Prælatorum, Canonicorum, & Decanorum ruralium triplici ordine, singulos binos, ternos, aut plures, si ita videretur, eligerent seu testes Synodales, ut de his, quæ emendanda in se essent, inquirerent, seque Synodi nomine monerent, paratum enim se esse promptumque & ad audiendum tranquillo animo singula, & ad obtemperandum monitis salutaribus Sanctæ hujus Synodi in Spiritu Sancto congregatæ.*

Hic sermo ore prolatus Summi Cardinalis, ad eos directus, quos Cardinales ut maximè inferiores respicere solent, cùm magnum silentium imposuisset, à Cardinali raptum fuit, ut ad Statutorum Examen procederetur. Cùm hoc jussum à Cancellario fuisset promulgatum, jussit ad se deferri Promotor procurationes, easque Deputatis Notariis remisit, & Deputati suam protulerunt sententiam de Statutis, ordine sequenti. *Quorum primus Reverendus Dominus Marcus Avunculus Episcopus Nazianzenus & Suffraganeus Augustensis; hunc secuti sunt reliqui Prælati, Abbates, Præpositi & Decani, tam Collegiorum quàm Regiunculorum ruralium: nemoque in tanta multitudine extitit, qui voce sua Statuta hæc saluberrima non collaudaret, atque se unà cum his, quorum nomine huic Synodo interesset, illis pro viribus pariturum profiteretur.*

Cum gratias Deo egisset pro bono exitu Cardinalis, suo nomine Synodo annuntiat Cancellarius, negotium dedisse Reverendissimis Dominis.... ut horis pomeridianis causas, gravamina & defectus, tam Ecclesiasticorum, quam Laïcorum, ad Synodi cognitionem pertinentes audiant, expediant, aut si res ita postulet, ad dominationem suam, vel Synodum ipsam referant decidenda; à prandio Synodalium causarum Auditores, munus ipsis commissum impleverunt, & negotia ipsis sive scripto, sive viva voce proposita absolverunt, iis exceptis, quæ non satis discussa fuerant, quæ in aliud tempus remiserunt.

Tertiæ diei Acta nos docent, Cancellarium Synodum nomine Cardinalis alloquentem, dixisse, probatis unanimi consensu Statutis lectis, unum restare, ut observarentur, cavendum esse omnibus, ne à Legibus ipsis Auctorum suorum culpa coarguatur.

Cardinalis ardenter desiderans corrigere, quidquid in eo dignum reprehensione erat, denuò rogavit Synodum, ut viros eligeret, qui de suis defectibus ipsum monerent, cui postulationi respondit Synodus, nihil aliud ab ipso desiderari à Synodo, nisi ut suo exemplo & Ministrorum, Statutorum Synodalium observationi consuleret.

Denique, in Synodo habita oratio certos nos facit hoc tempore indubitatum esse, Secundum Ordinem participem esse debere eorum, quæ in Synodo aguntur circà Diœcesis Regimen: in ea enim asseritur, eos, quibus constabat speciem gerere eorum veterum Conventuum, ad quos Doctor Gentium hæc verba direxit, *'Attendite vobis & universo gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo*, addit, ideò hæc à Sancto Paulo fuisse prolata verba, ut Pastorum cura augeretur, quia ipsi perspectum erat Lupos rapaces aliquando venturos, qui gregi non parcerent, contra quos pugnandum foret. Pastorum Corpus universæ Diœcesis comparatur exercitui, cujus Episcopus, ut Dux, & alii Centuriones & Tribuni sunt, ex quibus inferri potest, Diœcesanam Synodum haberi posse, ut Consilium militare, & ut qui ad hoc admittuntur consilium, voce gaudent, ita pariter membra Synodi in ea vocem habent.

Synodus Treverensis.

Eodem anno Augustæ Trevirorum habita fuit Synodus die 25. Novembris, decem diebus post celebratam Augustensem Synodum, de qua modò mentionem fecimus, quæ non minus favet Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo authoritati, ut observationibus sequentibus patebit. *Primò*: in Inscriptione Synodi, Statuta Synodo tribuuntur, ut his verbis patet, *Decreta Synodi Diœcesanæ Trevirensis.*

Secundò: in propositione summaria rerum in Synodo tractandarum, Vicarius Generalis, nomine Episcopi, quærit à Patribus Synodi, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Rectoribus, & aliis, nùm patienter ferent ab Archiepiscopo in eis corrigi, quod eorum statui adversum reperiet, & an ipsis sit persuasum agi de necessitate communi, cùm unusquisque se ut reum respicere debeat, & vasa iræ Dei, quæ correctione egent: his auditis: hilari & læto vultu Patres responderunt, sibi nihil esse priùs aut magis in votis quàm ista omnia, quæ in reformatione continentur, tum ea quæ per Synodum omnium suffragiis forent decernenda, verbo & opere exequi, atque, etiamsi vel vitæ periculum obstet, etiam præstare. Idem Vicarius Generalis absolutis iis, quæ approbationem Decretorum Patrum suffragiis spectabant, eos monet, velle Episcopum, ut post prandium relegerentur Decreta de publicis criminibus, ut ea denuò perpensa ad Sessionem Generalem Synodi referrentur, ut Patrum suffragiis approbarentur, & deindè actibus Synodi insererentur.

Sciens Archiepiscopus se ut hominem humanis esse obnoxium defectibus, fierique facilè posse, ut sui defectus

fectus ipsum laterent, debereque non minùs suæ correctioni, quam aliorum invigilare, quia sano Capite facilè membra curantur, reformationemque in Præside ad emendationem efficaciter inferiores impellere, rogavit Synodum, ut eum moneret de iis, quæ reprehensione digna judicaret, sive in illo, sive in Ministris, promittens se quamprimùm consilia data secuturum.

Cum Abbates & Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ respondissent nihil ab ipsis ardentius desiderari, quàm ut Archiepiscopus cursum inceptum gloriosè adimpleret, Ecclesiæ Collegiatæ expostulaverunt se nimiis pecuniarum subsidiis premi, quia, quamvis minores fructus perciperent quam Ecclesiæ Cathedrales, tantùm ab iis exigebatur, quantùm à Metropolitanis Ecclesiis, promisitque Archiepiscopus se eorum supplicationis rationem habiturum.

Suffraganeus Archiepiscopi sequens exemplum, rogavit pariter Synodum, ut eum moneret, de his quæ videret sua in agendi ratione reprehensione digna, se monitis obsecuturum promittens: respondit Synodus ab eo minimè peccatum fuisse nisi in eo quod non sequeretur ordinem præscriptum jure pro Ordinationibus, modò eas anticipando, & aliis in occasionibus eas retardando. Cui querelæ cum respondisset, id à se necessitate factum, sufficienter excusatus habitus est.

Tertiò: Statutorum Inscriptio innuit ea facta fuisse à Synodo.

Quartò: Archiepiscopus, in præfatione Statutorum, declarat, se ea cum Synodo fecisse, quia credidit unumquemque Patrum à Spiritu Sancto fore illuminandum, secundùm promissum Jesu-Christi, *Ubi duo vel tres in nomine meo congregati sunt, in medio eorum sum.* Si posteà promittit pertinaces præsentes seu futuros Canonum censuris, & reformationis pœna puniendos esse, id se facturum Synodi authoritate fretum, adjungit.

Denique, si graviter insurgit in ingluviem, tunc in Clericis & in Laïcis communem, id à se agi addit, quia sibi & Sanctæ Synodo visum fuit huic turpitudini ante omnia, utpote multorum malorum fonti medelam adhibere.

Denique quod attinet ad ultimum hujus Synodi Decretum, tria favent Secundo Ordini: 1. quia illud Decretum non fuit latum, nisi postquam à Patribus fuit receptum. 2. Omnia gesta ab Archiepiscopo per *decem* dies, quibus duravit Synodus, facta sunt consilio & favore Patrum Synodi 3. Observatione Decretorum reformationis ab Imperatore factorum & hujus Synodi Statutorum, additur, reformationem Diœcesis Treverensis posse ad perfectionem pervenire, quod & ab Archiepiscopo & à Synodi Patribus fuit confirmatum.

Post tot tamque gravia monumenta in Synodo Diœcesana Secundi Ordinis authoritatis, possemus alia omittere; tamen tàm grave hujusce authoritatis nobis suppeditat testimonium sanctus CAROLUS, in Oratione, quam habuit in prima Synodo, ut id silentio prætermittere non possim. Hic Eximius Cardinalis singulatim utilitates Synodorum Diœcesanarum exponens, inter alias observat, ab Episcopo res decerni, quæ regimen spirituale spectant, de consilio eorum, qui illius regiminis sunt participes. *Hic, inquit, deliberatur de modis Legum similiter observandarum, hic abusus, qui vigent in populo, disquiruntur, & opportuna eis adhibenda remedia statuuntur: hìc demùm præterita tempora cum futuris conferentes, & utrìsque Decreta ac Constitutiones jam editas applicantes, culpas quidem deflemus præteritas, emendare verò in posterùm deliberamus.*

CAPUT XV.

Nova monumenta authoritatis Secundi Ordinis in Synodo Diœcesana desumpta ex actibus Jurisdictionis, qui fieri debent cum sua approbatione.

TRiplicis generis homines à Synodo eligi debent, & à Synodo approbari. Porrò: Electio est Jurisdictionis actus; consequenter, tres sunt actus Jurisdictionis, qui in Synodo fieri non possunt sine Synodi approbatione, & ut Clericis Secundi Ordinis constat; quia solus Episcopus Primi Ordinis censendus est, inde oritur, à Secundo Ordine, in Synodo Diœcesana, aliquam exerceri authoritatem. Porrò, ratio quæ impulit ad dandam Synodo authoritatem in ejusmodi actus; exigit quoque eam non privari authoritate in iis, qui graviores sunt. Hæc consequentia probabitur, postquam statuerimus principium, ex quo naturaliter fluere videtur.

Triplicis generis eligendi homines in Synodo, & cum Synodi approbatione, sunt, *primò* Examinatores pro Ordinibus, pro Functionum Sacrarum exercitio, Prædicatione, Confessione, Sacramentorum administratione, pro Beneficiis.

Secundò, Testes Synodales necessarii ad detegendos abusus, excessus & vitia, & alia quæque corrigenda, ad hæc omnia Synodo denuntianda, dùm celebratur, vel Prælatis, qui his possunt mederi, antè Synodi celebrationem.

Tertiò, Judices, qui dignè possint adimplere Sanctæ Sedis mandata in litium judiciis, quique mereantur aliis anteponi.

CAPUT XVI.

Monumenta authoritatis Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo, ex Canonibus aut Statutis Synodalibus deprompta, spectantibus Examinatores eligendos in Diœcesana Synodo, & à Synodo approbandos.

NIhil antiquius habemus circa Examinatores, de quibus agitur, quam quod legitur in Capite XVIII. sessionis XXIV. Concilii *Tridentini*; cum enim præcepisset Concilium Parœcias conferri concursu, quod minimè potest fieri sine Examine eorum, qui offerentur, tanquàm idonei ad eas gubernandas, providit, ut digni eligerentur Examinatores; & ob hunc finem voluit, ut Episcopus vel Vicarius Generalis singulis annis proponat sex Synodo, ab ipsa Synodo instituendos & approbandos, eosque eligi jussit inter Doctores aut Licentiatos in Theologia aut Jure Canonico, vel alios Cleri Viros seu Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam Sæculares, qui ad id videbantur magis idonei, jurentque omnes ad Sancta Dei Evangelia, se quacunque humana affectione postposita, fideliter munus executuros.

Ut pecuniæ cupiditas multum hac in occasione nocere potest, prohibet Concilium, ne aliquid accipiant Examinatores ab Examinandis, sub pœna simoniæ incurrendæ, à qua non poterunt absolvi, nisi Beneficia, quæ jam possidebant, deserant, & inhabiles ad alia acquirenda habebuntur.

Concilium *Burdigalense* anni 1583. Capite 33. hujusce Decreti executionem præcipit. Concilium *Aquense* anni 1585. de Synodis Diœcesanis, integrum refert, excepta simoniæ pœna, quæ hac occasione admittitur, & addit, hos Examinatores adhiberi ad ordinandos examinandos.

Concilium *Avenionense* anni 1594. Capite 3. idem præcipit,

præcipit, quod à Concilio Tridentino fuerat præceptum, quoad Examinatorum electionem in Synodo, & eorum à Synodo approbationem: & Capite 5. vult Examinatores adhiberi ad examinandos eos, qui se offerunt ad Beneficia curata petenda, seu Parœchias, ad excipiendas Confessiones, ad annuntiandum Dei verbum, ad Ordinum promotionem.

In Actibus Ecclesiæ Mediolanensis legitur quomodo procederetur ad approbationem Examinatorum à Synodo, postquam nominati fuerant ab Episcopo, vel à Vicario Generali. Synodus ad multos suum jus compromisso transmittebat: hi sua suffragia dabant calculis secretis coràm Præfecto Scrutinii, qui Prælatus erat à Synodi Præside electus, ut Scrutinio præesset: Calculi erant impressi, Littera A. Approbationem, Littera R. Reprobationem designabat: media pars suffragiorum sufficiebat: deindè, approbationis promulgatio fiebat. Examinatorum nominatio, & quidquid eam sequebatur ad hanc usque promulgationem, Promotorum postulatione fiebat. *pagina* 313. *Decret. 6. paginis* 1291. 1292.

Caput XVII.

Monumenta Authoritatis Secundi Ordinis in Synodis Diœcesanis, desumpta ex Canonibus, qui Synodo tribuunt Synodalium Testium Electionem.

COncilia habita post Concilium Tridentinum antiquos Canones renovant de Testibus Synodalibus. Plerique, qui de iis loquuntur, asserunt eorum electionem fieri debere in Synodo, nec istud jus Episcopo competere, nec ipsi positivè reservari: ex quo concludi potest, istud jus datum fuisse Synodo cum Episcopo, aut illi, qui ipsius vices gerit.

Istius facti probationes desumuntur ex Canonibus sequentibus. Concilium *Rothomagense*, habitum anno 1581. *de Episcoporum Officiis num.* 32. agens de Synodo Diœcesana, jubet in ea eligi Synodales Testes, vel Decanalibus, vel aliter, prout videbitur Episcopo; Virosque eligi vita commendabiles, qui conentur cognoscere non solùm Parœchianorum actiones & Parochorum, sed & Archidiaconorum & Decanorum, de quibus in proxima Synodo Episcopo renuntient. Legitur quoque in Concilio *Aquensi* anni 1585. *de Synodo Diœcesana*, Synodalium Testium electionem in Synodo fieri: id enim collocatur inter ea, quæ in ea peragi debent. *Probati Viri*, inquit Concilium, *deligantur qui Testium Synodalium officium præstent, & in ipsa Synodo se fideliter suum munus obituros sanctè jurent, nulloque aut odio vel amore cujuspiam, pœnæve metu, aut mercedis spe, aut quovis alio humano affectu adducendos, quominùs omnia, quæ cognitione digna cognoverint, aliquot ante Diœcesanam Synodum diebus Episcopo significent.*

Adhuc clariùs mentem suam aperit Concilium *Avenionense* anni 1594. Titulo IV. circà circumstantiam præsentem, *in Synodo Diœcesana, è Diœcesi sua, duo itidem Testes Synodales deligantur.* Ex quo patet, hanc electionem Synodo competere, quod sequentibus verbis confirmatur; nam cum mentio fit de illa electione, eam fieri in Synodo asseritur, è contrà cùm de juramento mentio fit, quod hi Testes debent præstare, in manibus Episcopi præstari debere asseritur.

Si quis penitùs perspectum habere desiderat quod spectat Testes Synodales, legat quod de illis asseritur in Actibus Mediolanensibus *paginis* 147. & 148. ipsi constabit, duplicis, in singulis Diœcesibus, fuisse generis: Alii enim attendere debebant ad id, quod à Concilio Provinciali erat reformandum: alii curabant quod reformationem spectabat à Synodo Diœcesana faciendam. A primis juramentum præstari Metropolitano, in Concilio Provinciali, in quo eligebantur: ab aliis Episcopo, in Synodo Diœcesana, in qua eligebantur, præstari: juramenti eandem esse formam: ipsis invigilandum esse omnibus abusibus, qui spectabant vel Ecclesiasticos, vel Laïcos, vel Ecclesiæ Bona, vel Sancta loca, præsertim verò Decretorum Provincialium, aut Synodalium neglectioni. Denique, ipsi constabit, aliquo tempore ante Concilium aut Synodum, ab ipsis scribendum esse Metropolitano, aut Episcopo ea, quæ ipsis reformatione digna videbantur. Pridiè Concilii Testes Synodales singulæ Diœceseis unum deligebant, & ipsi suppeditabantur à Clero Diœcesano omnia itineri necessaria; illi verò, qui ad Synodum veniebant, impensæ non suppeditabantur pro itinere, nisi quando è numero illorum erant, qui ad illam convenire non tenentur.

Si utrique aliquod iter susципere cogebantur pro functione officii, qui huic itineri occasionem dabant, ipsis & alimoniæ & itineris impensas dabant.

Quædam adhuc formula respectu Synodalium Testium reperitur *pagina* 1291. eorumdem Actorum. Juramenti formula, de qua superius egimus, antiquissima est. Burchardus *Lib. I. Capite XCII.* eam ut desumptam ex falsa Epistola tributa Euthiciano refert. Reperitur quoque in Reginone, qui ineunte sæculo decimo scripsit. *Cap. 25. de Accusationibus*, desumptum è quarto Concilio Lateranensi, multa præscribit de Testibus Synodalibus pro Provinciali Concilio.

Caput XVIII.

Testimonia in gratiam authoritatis Secundi Ordinis in Synodis Diœcesanis, desumpta è Canonibus, qui spectant Judices à Synodo electos, ut legentur à Sancta Sede

NOn immeritò Canonibus statutum fuit in Synodo, eligi viros à Sancta Sede legandos. Provinciæ sive commissiones, quæ ex ea emanant, frequentes sunt, & sæpè locorum distantia impedit, quominùs cognoscantur, illi quibus committi debeant. Undè fit, ut sæpè cogatur Sancta Sedes adversariis dare recuperatores, quos postulant, quod potest bono tùm publico, tùm particulari, adversari. Bono publico, quia multi interest à Sancta Sede non committi nisi viros sapientes, peritos, & famâ commendabiles: Porrò: sine electione, de qua agitur, potest recuperatores designare, qui his dotibus careant. Bono privato; quia adversarius, qui Judices postulat, eos petit, apud quos gratiam se inventurum esse credit, sive amicitiâ sive aliis rationibus, quod in alterius vergit incommodum.

Canon antiquior hac de re, desumitur è Capite X. Sessionis XXV. *de reformatione* Concilii *Tridentini*. His impulsus rationibus ille Conventus, providet observatis incommodis, præcipiendo, ut in Concilio Provinciali & Synodo Diœcesana, aliqui designentur, qui dotibus sint instructi requisitis. *Cap. Statutum, de Rescriptis in 6.* ut sint Sanctæ Sedis Delegati, ut eorum nomina & electio ad Papam mittantur, & aliis delegationes factæ irritæ & nullæ habeantur, pœna nullitatis (ut aiunt) seu substantialis mandatorum aliis datorum infrà referetur.

Ut inter causas, quæ à Sancta Sede committi possunt, quædam sunt, quæ spectant vel totam Provinciam, vel homines diversarum Diœcesum in Provinciâ, & aliæ, quæ spectant vel totam Diœcesim, vel quosdam Diœceseis privatos, decebat à Concilio præcipi, ut Concilium Provinciale Judices eligeret à Sede Sancta delegandos, & ob eundem finem quidam à Synodo eligerentur.

De cæterò, ita certum videtur Concilii mentem fuisse à Synodo hanc electionem fieri, ut summarii Author his verbis mentem aperuerit, *Judices à Synodo designandi, qui delegentur.*

Aliunde Sanctus CAROLUS, qui certò censendus est meliùs quam quilibet alius Concilii Tridentini de hac electione noviſſe voluntatem, ut de aliis rebus, quas præcepit, ſupponit hanc electionem ad Synodum pertinere; modum enim præſcripſit eam requirendi à Promotore, eamque faciendi coram Scrutinii Præfecto, eam denique promulgandi, poſtquàm facta eſt, ut patet ex Actibus Eccleſiæ Mediolanenſis *pagina* 1291. In eo Concilio videtur requiſitione Promotorum ab Archiepiſcopo nominari quemdam hominum numerum, & poſt tranſmiſſionem ſui juris à Synodo factam aliquibus Patribus, à Compromiſſariis ad Electionem procedi calculis ſecretis, quos in capſulas demittebant, quibus inſcriptum erat nomen unius ex perſonis nominatis: & inter ſe diſtinctis littera A, quæ approbationem deſignabat, & littera R, quæ reprobationem; demùm in eo videtur requiſitionem Promotorum pro promulgatione, inſinuare hos Judices approbatos fuiſſe ſuffragiis omnium, quorum interat, actumque promulgationis Judicum electorum, forte à majori parte Compromiſſariorum approbatos fuiſſe.

Quamvis hîc de ſolo jure agatur eligendorum Judicum à Sancta Sede delegandorum, Synodum Diœceſanam ſpectante, non ſuperfluum erit obſervare, quod, ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci, cum conſilio Capituli, alium in ejus locum uſque ad futuram Provincialem, aut Diœceſanam Synodum. Undè inferri poteſt, mentem Concilii fuiſſe, ut alii non eligerentur inconſulto Secundo Ordine, vel in Synodo congregato, vel Capitulo Metropolitanæ Eccleſiæ repræſentato, modò relatum Decretum integrum de verbo ad verbum legitur in Concilio *Aquenſi* anni 1585. Titulo *de Synodis Diœceſanis.*

Quoad dotes à BONIFACIO VIII. requiſitas *Capite citato*, ut aliquis à Sancta Sede poſſit delegari, ad judicandum de litibus, una duntaxat exigitur; ſcilicet, vult ille Summus Pontifex, ut delegatus habeat Dignitatem, aut Canonicatum in Eccleſia Cathedrali, quamvis ad judicium procedi non poſſit, niſi in Urbibus, aut locis conſideratione dignis, in quibus reperiantur Docti, quos conſulere liceat. Concilia citata iſtius conditionis mentionem non faciunt, ſed ſolius neceſſitatis has dotes poſſidendi, & Nuntio jus delegandi tribuunt, quod ipſi à *citato Capite* non tribuitur, ſed ſoli Papæ aut Legato: in quo admittitur in Gallia non verò Concilia laudata.

CAPUT XIX.

Canones qui tribuunt Synodo Diœceſanæ electionem Examinatorum, Teſtium Synodalium, Judicum à Sancta Sede delegandorum, ſtatuunt aliis rationibus gravioribus hac in Synodo Secundi Ordinis authoritatem.

RElatis, tribus præcedentibus Capitibus, Canonibus, qui probant Synodum Diœceſanam debere participem eſſe electionis Examinatorum, Teſtium Synodalium, & Judicum à Sancta Sede delegandorum, nunc mihi probandum incumbit, quid ex his inferri poſſit in gratiam authoritatis Secundi Ordinis, quoad alia Capita.

Primò: meritò inferri poteſt, quòd, ſi ſecundùm hos Canones, Secundus Ordo in Synodo authoritate gaudere debeat, quoad hanc electionem, quia ex una parte, cum Synodus ſit Secundi Ordinis Conventus, cui præeſt primi Ordinis dux, &, alia ex parte, cum electio, de qua agitur, ſit voluntariæ Juriſdictionis actus, cui munia diſtribuere competat, neceſſe quoque eſſet, ſi alii Miniſtri eligerentur, ut inter alios punctuatores, in Synodo voce ſaltem Conſultativâ gaudere Secundum Ordinem.

Secundò: ex his Canonibus colligitur, Secundum Ordinem authoritatem habere debere in aliis rebus gravioribus, quæ in Synodo fiunt, aut quæ fieri deberent. Si enim Secundo Ordini hi Canones tribuunt authoritatem in eligendis Miniſtris, de quibus ſuperiùs egimus, id alterutro fundamento niti debet, vel materiæ gravitate, vel quia Secundi Ordinis intereſt.

Primo loco gravitas materiæ id exigere videtur. 1. Quia examen maximè neceſſarium Ordinum promotioni, Beneficiorum proviſionibus, Prædicationis approbationi, Sacramentorum adminiſtrationi, præſertim Pœnitentiæ Sacramenti, cum Ordinibus, Beneficiis, Functionum exercitio Sacrarum, nihil in Religione ſit auguſtius.

2. Cauſæ Eccleſiaſticæ ſæpiſſimè ſacras functiones ſpectant, Sacramenta, Beneficiorum jura, Verbum Dei annuntiandum, vel aliam inſtructionem factam, vel in Eccleſiâ, vel extra Eccleſiam.

3. Teſtibus Synodalibus incumbit requirere & detegere abuſus, qui ſpectant & homines, & res ſacras.

Quod autem multi referat Secundi Ordinis, Examinatores ipſo non conſulto eligi, Teſtes Synodales, Judices a Sancta Sede delegandos, id ex eo maximè patet, quod his Miniſtris competat eum examinare, ipſi invigilare, denique in eum Sententiam ferre. Si autem tales Miniſtri eo inconſulto deligerentur, defectu dotum his in Miniſtris requiſitarum ſæpiſſimè læderetur Secundus Ordo.

Porrò: ſi materiæ gravitas, ſi Secundi Ordinis commodum Concilia impulêre ad præcipiendum, ut horum Miniſtrorum electio non fieret, niſi ab illo probaretur; credendi locus eſt, eorum mentem fuiſſe, alia gravioris momenti non fieri ipſo non conſulto. Præterea, cum creatio Miniſtrorum, de quibus agitur, in Synodo novæ diſciplinæ ſit effectus; veriſimile omninò eſt eam factam fuiſſe ad inſtar earum rerum, quæ in hâc Synodo fiebant, ex quo concludi poteſt, uſum jàm vigere nihil in Synodo fieri, inconſulto Secundo Ordine; quod invictè probat, illorum Miniſtrorum electionem, ipſo approbante, faciendam fore.

Ut ergò tunc Statuta Synodalia jam fiebant in Synodo, & aliundè majoris ſint ponderis pro Eccleſiæ bono, & majoris conſequentiæ pro Secundi Ordinis commodo, Miniſtrorum, de quibus mentio facta eſt, creatione probari poteſt, Canonibus prolatis, Secundum Ordinem participem eſſe debere Statutorum Synodalium.

Quod autem tunc fierent in Synodo Statuta Synodalia, id conſtat, non ſolùm nomine *Synodalium*, quod ipſis ab origine datum fuit, quodque ſupponit ea facta fuiſſe aut approbata in Synodo; verùm etiam numero teſtimoniorum anteà prolatorum.

Quod verò eadem Statuta pro Eccleſiâ majoris ſint momenti, majoriſque conſequentiæ pro Secundo Ordine, id ſola ratione probatur: quod enim attinet Examinatores, Teſtes Synodales, & Judices deſignatos, a Sanctâ Sede delegandos, materiam præbet Statutis Synodalibus; idque colligitur Statutis *Sextæ* Synodi Diœceſis Mediolanenſis, Decretis VI. VII. & VIII. & Statutis *Undecimæ* Synodi, monita circa Sacramentalia, poſſunt, prout Diœceſis neceſſitates exigunt, addere vel detrahere his, quæ à Conciliis Decreta ſunt, quoad tria capita & aliam quamcumque mutationem, quæ expedire viſa fuerit, facere.

Præterea, hæc eadem Statuta ſpectare poſſunt Capita graviora, quam tria de quibus mentio facta fuit. Talia forent Doctrinæ puncta, quæ Dogmata aut Mores ſpecta-

spectarent : talia forent Disciplinæ puncta, præcepta sub pœnis gravibus, verbi gratia, sub pœna Excommunicationis majoris, aut suspensionis totalis solo facto : talis adhuc esset impositio quarumdam obligationum novarum & extraordinariarum ; aliundè materia admittit ratiocinium à minori ad majus ; ex una, de potestate, agitur ; & ex alia, de Bono publico : utrumque Secundo Ordini favorabile est.

Caput XX.

Monumenta authoritatis Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo, desumpta ex Canonibus, qui præscribunt ea quæ non potest Episcopus statuere sine consensu aut consilio sui Capituli.

Satis omnibus notum est, Ecclesiæ Cathedralis Clero aliquo modo Clerum Diœcesanum repræsentari, perfectè adumbratum Synodo Diœcesana ; quod Viros Celebres ad dicendum impulit, non semel in suo Capitulo, Episcopo Synodum perpetuam esse, quæ Diœcesanæ Synodi defectui supplet, cum non congregetur : ut ergò Diœcesana Synodus pejoris conditionis esse non debet, quàm Synodus perpetua, quæ ad summum est Synodi Diœcesanæ adumbratio, oportet ut, si secundus Ordo in perpetua Synodo authoritate gaudeat, eadem, potiori jure polleat authoritate in Diœcesana Synodo : non immeritò ergò hujusce authoritatis testimonia petuntur, ex Canonibus, qui Capitulorum spectant authoritatem.

Hos inter Canones, triplicis sunt generis. Alii designant res, quas non potest statuere Episcopus sine Capituli consensu, alii res, quas sine suo consilio, alii denique, qui verbis utuntur, quæ possunt intelligi vel de consensu, vel de consilio.

Præcipui Canones primi generis hi sunt, qui prohibent, ne ab Episcopis fiant magnæ alienationes, sine Capitulorum consensu. Talia sunt *Capita* 1. 2. 3. 7. 8. 9. *de his quæ fiunt à Prælato* Cap. 3. *de Emptione. Cap.* 2. *&* 7. *de Donationib. Cap.* 6. *de Institutionibus.*

Caput 2. *de his quæ fiunt à Prælato*, certos nos facit, hunc consensum, sive tacitum, in eo, scilicèt, situm, quòd Capitulum noscens alienationem ab Episcopo factam, silentium servat. *Caput.* 3. ejusdem Tituli, & *Caput* 7. *de donationibus*, alienationi posteriorem consensum sufficere asserunt.

De magnis alienationibus mentio duntaxat facta fuit, quia *Canon Terrulas* permittit Episcopo parvas facere alienationes, licèt non petierit sui Cleri consensum.

In aliis rebus, quas potest Capitulum facere unà cum Episcopo, hìc nempè Episcopus nihil potest sine Capituli consensu. Hinc *Caput* 13. *de Rescriptis in* 6. statuit quod, ubi receptio Canonicorum ad Capitulum pertinet, & ad Episcopum, consensum ipsius esse necessarium pro gratiis Expectativis, non minus ac Episcopi consensum. Hinc quoque, cum Episcopus legitimè impeditus ad suas functiones obeundas, Coadjutores sumere volebat, Capituli consensu indigebat, talis est depositio *capitis unici de Clerico ægrotante in* 6. quæ eo præcisè fundatur, quod multæ ex his functionibus sint, quas aliquo modo exercet Capitulum unà cum Episcopo ; quia ipsi præbet è suo Corpore, quibus indiget, Ministros.

Ut Capitulum Jurisdictionem sui Prælati exercet sede vacante, illiusque particeps est dùm non vacat, *Caput* 17. *de Majoritate & obedientia* statuit, Prælatum, qui turbatur in possessione juris Primatûs, sine sui Capituli consensu, nullum pactum facere posse. Quod hic Textus de jure Primatûs astruit, debet extendi ad omne jus, quod spectat Capitulum.

Ob eandem rationem desumptam ex Capituli commodo, Episcopus sine Capituli consensu non potest Laïcis subjicere, nec bona non moventia, nec jura suæ Ecclesiæ : minùs adhuc ipsam Ecclesiam. *Capite* 2. *de rebus Ecclesiasticis non alienandis in* 6. Caput autem illud depromitur ex Concilio Lugdunensi II. anni 1273.

Quædam erant Beneficiorum collationes, quas non poterat Episcopus facere sine sui Capituli consensu, quamvis solus conferret. *Cap. unic. ne sede vacante in* 6. Episcopus non potest procedere ad Canonicorum correctionem, nisi conjunctim cum duobus, ad hunc finem electis, *Capite* 6. *sessione XXV. de Reformatione* Concilii Tridentini.

Maximè notabilis Canonum, qui loquuntur de necessitate quam habet Episcopus, sui Capituli consilium adhibendi, desumitur è *Capite* 3. *de Consuetudine in* 6. quod declarat, olim Episcopum non potuisse procedere ad inquisitionem, animadversionem, correctionem culparum hominum suæ jurisdictionis, sine hoc consilio, nec potuisse ab hac lege legitimè lata recedere.

Quædam erant Capitula, quorum consilium sequi tenebatur Episcopus, in conferendis Beneficiis ; &, si in eo casu decedebat Episcopus, aut suspensionem incurrebat, collatio non spectabat Capitulum, nisi fortè absolvi negligeret Episcopus, *ne sede vacante in* 6.

Concilium Tridentinum cogit multis in casibus Episcopum, consilium Capituli petere. 1. pro Electione Magistri, qui pauperes docere debet Grammaticam *Capite* 1. *sessione V. de Reformatione*, 2. Ut consulat victui Theologi Professoris, *eodem cap.* 3. 3. Pro Conversione legatorum piorum, quæ executioni mandari non possunt justis de causis, in alia opera pia. Capite 4. sessione XXV.

4. Pro examine Indulgentiarum, quæ promulgandæ erant à Mendicantibus *Capite* 9. *sessione XXI.* 5. pro erectione, Fundatione, Dotatione Seminariorum *Capite* 18. *sessione, XXIII.* 6. pro substitutione Judicum electorum à Concilio Provinciali, vel à Synodo Diœcesana, pro causis commissis in partibus à Sancta Sede. *Capite* 10. *sessione XXV. de Reformatione.*

Nec dicendum est his in Casibus Episcopum teneri duorum duntaxat Canonicorum adhibere Consilium, cum hi duo totum Capitulum non repræsentent. Concilia Provincialia post Concilium Tridentinum habita, mentionem quoque faciunt de aliis casibus, in quibus Episcopus debet Capituli Consilium adhibere 1. pro Statutorum reformatione, 2. pro determinatione functionum, quæ sunt tribuendæ Dignitatibus & Officiis, quibus nullæ sunt annexæ functiones. 3. ad adjungendum cuique Præbendæ aliquem Ordinem Sacrum.

Quoad Canones, qui vetantes ab Episcopo quasdam res fieri inconsulto Capitulo, utuntur terminis, qui possunt significare consensum, aut consilium. Unus est in Titulo *de Excessibus Prælatorum Capite*, scilicèt, *primo*, docemur, ab Episcopo non posse suspendi Presbyteros, nec in Ecclesias interdictum pronuntiare, sine judicio Capituli. Reipsa verbum, *judicium*, potest approbationem, ut consilium, significare.

Quod si relati Canones tantam authoritatem tribuunt Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, quæ solummodo Synodum Diœcesanam repræsentat, ut cogant Episcopum ad petendum consensum suum in sex Casibus, & suum consilium in decem vel duodecim, nonne credendi locus est, mentem Ecclesiæ & suarum legum animum de Synodo Diœcesana esse Secundum Ordinem, quo constat, in ea ad minimùm tantùm exercere authoritatis, quantùm huic Capitulo tribuit.

CAPUT XXI.

Tot sunt adhuc testimonia authoritatis Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo, quot sunt celebrationis monumenta Synodorum Diœcesanarum ad materiam Conciliorum Provincialium præparandam.

NOn immeritò creditur in Diœcesanis Synodis, quæ immediatè Concilia Provincialia ordinaria præcedebant, quæ celebrandæ erant bis per annum, vel semel singulis annis, vel alternis annis, vel denique tertio quoque anno, materiam proximi Concilii præparari, & quæstiones Doctrinæ hoc in Concilio examinandas agitari in Synodis Diœcesanis, ut ad Concilium Provinciale opiniones eorum deferrentur, qui Synodo interfuerant. Hæ Synodi, respectu Conciliorum Provincialium statim habendorum, id præstabant, quod Concilia Provincialia, aut alia Particularia, immediatè habita ante Concilia Generalia, jam convocata, aut statim convocanda, præstabant. Non enim reipsa minùs necessarium erat, in Synodis Diœcesanis materiam præparare tractandam in Conciliis Provincialibus, quàm necessarium erat præparare Conciliorum Generalium materiam, in Conciliis Provincialibus; vel saltem id æquè conveniens videbatur: hâc enim præparatione facilis reddebatur resolutio quæstionum in proximo Conventu tractandarum, prævidebantur probationes & objectiones, & consequenter opiniones tenendæ. Porrò, cùm Synodus Diœcesana præcipuè constaret Secundi Ordinis hominibus, nullum esse potest dubium, quin Secundus Ordo voce gauderet in Synodis habitis, in quibus præparabatur materia Conciliorum Provincialium, sive fuissent congregata hunc ob finem, sive ut Synodi Ordinariæ immediata haberentur Conciliis proximè futuris.

Verùm facta prolata non sola præsumptione nituntur. Hujus rei testimonium clarum habemus in actu convocationis Concilii *Bituricensis* anni 1584. In eo enim narrans Archiepiscopus quod egerat pro felici exitu Concilii, quod convocabat, ait quòd sicut Suffraganei eum ob finem suam Synodum Diœcesanam congregarant, perpenderantque omnia eo in Concilio tractanda, sive quoad Doctrinam, sive quoad Disciplinam, ut parati advenirent, ab eo statutum fuisset idem præstare, eumque ob finem, suam Synodum indicere, illosque à se rogari, quos congregat, ut eligant, qui nomine totius Cleri Concilio interfint, Viros doctos, qui dignè tanto muneri possint facere satis. Quod Archiepiscopus præsupponit debere fieri à Suffraganeis, invictè probat, usum vigere, Synodos Diœcesanas celebrare antè Concilia Provincialia, ut præparentur, quæ Deputati Diœcesis in eis facienda, aut dicenda haberent; suam enim ut certam tenet suppositionem, eamque, ut imitatione dignam, sequitur, convocando suæ Diœcesis Synodum, ad imitandum suorum Confratrum exemplum, qui Synodum Diœcesanam convocaturi erant.

CAPUT XXII.

OBJECTIONES *contra Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo authoritatem.*

PArùm prodesset retulisse tot Canones, tot Statuta Synodalia, in gratiam Secundi Ordinis, in Diœcesana Synodo authoritatis, nisi solverentur Objectiones contra hanc authoritatem propositæ, quæ ad triplicis generis testimonia reducuntur. Quæ innuere videntur 1. quòd ea, quæ principaliter fieri debent in Synodo Diœcesana, scilicet Statuta Synodalia, unicè ab Episcopo fierent, 2. Quod natura rerum, quæ tractabantur, ut pote ad Disciplinam pertinentium, obnoxia esset mutationi, quæ fit vel per abrogationem, vel per præscriptionem; undè eruitur divisio naturalis Objectionum, quam majoris claritatis causa sequemur.

OBJECTIO I.

Desumitur ex testimoniis, quæ, cùm indicant à quo facta sint Statuta Synodalia, solius Episcopi mentionem faciunt.

QUi contenderent Secundum Ordinem in Synodo Diœcesana omni authoritate debere spoliari quoad Statuta Synodalia, multa ex his Statutis possent objicere, quæ dicunt ea facta fuisse ab Episcopo, nulla facta mentione Secundi Ordinis; ex quo concludere possent, saltem in Ecclesiis, propter quas facta sunt, Statutorum Synodalium nullo modo participem fuisse Secundum Ordinem. Hoc factum prolatum probari posset in Inscriptione *Statutorum Rhemensium*, quæ facta dicuntur, anno 630. quæque tribuuntur Archiepiscopo *Sonnatio*. 2. Inscriptione Capitulorum attributorum Synodo Rhemensi anno 852. & Synodo anni 874. ab *Hincmaro*: tribuuntur enim ita Archiepiscopo, ut data Parochis dicantur: deinde, mentio fit Synodi, in qua data sunt. 3. Prima & Secunda Inscriptionibus Constitutionum Synodalium de SULLY Episcopi Parisiensis creati anno 1196. unicè huic Episcopo attributarum, ODONIS, Episcopi Parisiensis Constitutiones Synodicæ. En prima Inscriptio. Secunda his verbis concipitur, *In nomine Sanctæ Trinitatis incipiunt prohibitiones & præcepta observanda ab omnibus Sacerdotibus, data à Venerabili Odone Parisiensi Episcopo.* Episcopus Wigonienſis Gallicè *de Wincestre* in præfatione suarum Constitutionum Synodalium anni 1240. eas sibi soli tribuit, ut his verbis patet, quæ subscripta sunt, *duximus statuenda.*

4. Inscriptione Synodalium Constitutionum Episcopi Dunelmensis, Gallicè *Durham*, anno 1276.

5. Eadem res confirmatur Inscriptione Constitutionum Synodalium Ecclesiæ Santonensis, Gallicè *Saintes*, anno 1280. Inscriptione Constitutionum Synodalium ejusdem anni, Episcopi Pictavienſis. Denique, & Statuta Synodalia Ecclesiæ Exonienſis, Gallicè *Excester*, anni 1277. unicè huic Episcopo tribuuntur: & Statuta Synodalia Cantuarienſis Ecclesiæ anni 1295. unicè Archiepiscopo Cantuarienſi tribuuntur. Multa alia similia exempla extant in Tabula operum adhibitorum à *Bochel* ad absolvendum suum Librum nuncupatum, *Decreta Ecclesiæ Gallicanæ.* Collocans enim sæpè Statuta Synodalia inter hæc opera, de plurimis pronuntiat, ea facta fuisse ab Episcopis, quorum nomen præ se ferunt.

Facillimè reperirentur alia exempla, aliis in operibus, quæ prætermitto, ut pote inutilia; cum, quæ prolata fuerunt, sufficiant ad probandum, quod contra Secundi Ordinis authoritatem in Synodo Diœcesana objicitur.

Primò, respondeo Objectionibus propositis, soli Episcopo in Synodo competere Statuta facere, quæ universam Diœcesim spectent, eumque præcipuam partem habere in eis, quæ in ea fiunt; & consequenter, ob has duas rationes, debuisse tribui Episcopo Statuta Synodalia facta in Synodis; nec tamen inferri posse, Secundum Ordinem omni prorsus authoritate fuisse spoliatum: quia, quando unus effectus à duabus causis producitur, quarum una est alterâ nobilior, nobiliori semper tribuitur, quamvis ignobilior non privetur honore concurrisse ad eum effectum. Hac ratione, quamvis Constitutiones Conciliorum Provincialium à Suffraganeis fiant; perindè ac à Metropolitanis, quædam tamen sunt Constitutiones Provinciales Metropolitano attributæ, ut nobiliori causæ, ut patet verbis sequentibus. *Constitutiones Dom. Petri Burdiga-*

Burdigalensis Archiepiscopi factæ apud Copriniacum anno 1260. Labbæus putat *Copriniacum* significare *Cognac*. Eodem modo illam vocem interpretatur *Bochel* in Tabula rerum, quæ suum opus continet anno 1262.

Secundò: inter Constitutiones prolatas in Objectione, ut, unicè Episcopis attributas, quædam sunt, quæ continent verba, quæ ostendunt Secundum Ordinem illarum Constitutionum fuisse participem. Tales sunt 1. Statuta *Odonis* de Sully. Numeris enim *primo* & *secundo* Capitis II. legitur, finitâ Lectione præceptorum Synodalium, deliberandum fore, quæ sint addenda Capitula; quæ verba duas res continent, quæ multùm Secundo Ordini favent. Primò, quia Statuta attributa unicè Episcopo, in inscriptione, Præcepta Synodi vocantur. Secundò, quia Synodus debet examinare quænam additiones sint faciendæ rebus lectis. Tales adhuc sunt Constitutiones Archiepiscopi Cantuarienses, in Inscriptione, unicè huic Archiepiscopo attributæ; præfatio enim innuit eas factas fuisse *deliberato consilio*; porrò, consilium illud aliud non videtur, quàm illud Secundi Ordinis, quo constabat Synodus.

Tertiò: hæ Constitutiones nomine donantur Constitutionum Synodi Cantuarienses, quod potest dici de Constitutionibus Wigornienſibus Gallicè *Wicester* Santonensibus, Gallicè, *de Saintes*, Pictavienſibus, Exonienſibus, Gallicè, *Excester*, Dunelmenſibus, Gallicè, *Durham*, prolatis, quod nomen ipsis minimè convenit, si nullo modo earum particeps fuerit Secundus Ordo.

Quartò: Constitutiones Concilii Lateranensis IV. Conciliorum Lugdunensium I. & II. Viennensis, tribuuntur Papæ, qui iis præfuit. Undè oriuntur hæ Inscriptiones tam frequentes Capitum Corporis juris, Innocentius III. *in Concilio Lateranensi Generali*: Innocentius IV. *in Concilio Generali Lugdunensi*: Gregorius X. *in Concilio Generali Lugdunensi*; Clemens V. *in Concilio Viennensi*. Porrò; nemo, saltem sanæ mentis, dixerit istorum Conciliorum Patres, nullo modo participes fuisse rerum his in Conciliis gestarum.

Objectio II.

Eruitur è Statutis Synodalibus, quæ videntur innuere, ea jam facta, ad Synodum lata fuisse; eaque duntaxat in Synodo fuisse lecta, & promulgata.

Apud omnes constat, inquiunt, ut Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo minuatur authoritas, multa esse Statuta, quæ cum mentionem faciunt de rebus in Synodo gestis, solummodò dicunt, ea in Synodo lata fuisse, vel promulgata. Talia sunt, inter alia 1. Statuta Wigornienſis Episcopi, in Synodo sua, in Cathedrali Ecclesiâ promulgata anno 1240.

2. Constitutiones *Santonenses* anno 1282. promulgatæ in Synodo Paschali. 3. Constitutiones Synodales *D.* Gilberti, Episcopi *Ciceſtrenſis*, Gallicè, *Ciceſtre*, lectæ & publicatæ in Concilio Synodali. Idem dici potest de Statutis ejusdem Diœcesis anni 1292. *Statuta & adjectiones Ciceſtrenſis Episcopi, publicata in majori Ecclesiâ in Synodo ibidem celebrata.* 4. Constitutiones Episcopi *Santonenſis* 1298. promulgatæ in Synodo hyemali. 5. Constitutiones *Pictavienses* 1367. promulgatæ & lectæ in Synodo, celebrata per Aimericum.

Idem dici debet de Constitutionibus factis anno 1377. per Reverendissimum in Christo Patrem ac Dominum Bertrandum, Episcopum Pictavienſem, & publicatæ in Synodo. Idem pariter asseri potest de Statutis ab Iterio editis anno 1396. vox enim *Editus* hîc usurpata, significat sæpè *Promulgatus*.

Hæc tria ultima exempla desumuntur è Tabula rerum à *Bochel* adhibitarum suis in *Decretis Ecclesiæ Gallicanæ*. Facilè foret proferre multa alia exempla, quia Inscriptio majoris partis Synodalium Statutorum recentiorum nihil aliud continet præter has voces *Lectorum* & *Promulgatorum in Synodo*. Verùm facta objecta sufficienter probantur. Huic objectioni tribus modis respondetur. Primo: eadem Statuta potuerunt facta fuisse, & promulgata, in Synodo; hæc enim duo minimè videntur insociabilia, idque adeò verum est, ut Inscriptio Statutorum Santonensium anni 1280. asserat, ea facta fuisse, & promulgata, in Synodo; sicut non potest concludi, ea non promulgata fuisse in Synodo, ex eo, quòd Inscriptio innuat solummodo ea in illa facta fuisse. Multa adhuc ejusdem rei in prima Objectione extant exempla. Ita, pariter, minimè inferri potest, Statuta non facta fuisse in Synodo, ex eo, quod Inscriptio duntaxat ferat, illa Statuta in Synodo fuisse promulgata.

Secundò: inter Statuta Synodalia ejusdem Diœcesis, quædam extant, quorum Inscriptio fert, ea facta & promulgata fuisse in Synodo. Talia sunt Statuta *Santonenſia* anni 1280. & alia, quorum Inscriptio duntaxat dicit, ea fuisse in Synodo promulgata. Statuta Santonensia anni 1284. & ejusdem Diœcesis Statuta anni 1298.

Tertiò: extant Statuta Synodalia omninò deprompta ex Concilis præcedentibus: Talia sunt Statuta Herardi, Archiepiscopi Turonensis, deprompta ex *Capitularibus* Regum Franciæ, &, quoad illa Statuta, sufficit ea promulgari in Synodo, eam ob causam contentus fuit ea legi in Synodo anni 858.

Objectio III.

Desumpta ex eo, quòd Canones, qui mentionem faciunt de fine Convocationis Synodorum pronuntient eam fieri debere ad instruendos eos, qui Synodo intersunt, eosque ad pietatem informandos.

Constat certè apud omnes, inquiunt aliqui, à Secundo Ordine, in Diœcesana Synodo, nullam exerceri autoritatem, si dumtaxat convocatur, ut instruatur & ad virtutem exerceatur. Porrò Canones extant, qui nullum alium finem tribuunt Diœcesanæ Synodo, quàm instructionem eorum, qui ad eam convocantur. Tale est Primum Concilium *Oscense*, habitum anno 598. Regnante Recaredo, Hispaniæ Rege. Verba Concilii sum relaturus, ut unicuique constet Objectionis propositæ vis: *In Nomine Domini nostri Jesu Christi convenientes in unum, Concilio Oscensi hoc Synodus Sancta fieri elegit, ut annuis vicibus unusquisque nostrum omnes Abbates Monasteriorum vel Presbyteros, & Diaconos suæ Diœceſis, ad locum, ubi Episcopus elegerit, congregare præcipiat, & omnibus regulam demonstret ducendi vitas, cunctosque sub Ecclesiasticis Regulis adesse præmoneat, quousque etiam parcimoniæ & sobrietatis, atque veridicæ castimoniæ honestorum Virorum testimonium fama commendet.*

Ad hujus Objectionis solutionem, suam in mentem revocare sufficit Canones, qui Synodos, multos ob alios fines, congregari nos docent: quàm propter Instructionem eorum, qui aderant; præcipuumque Synodorum finem alium non esse, quàm Statuta condere, quibus abusus emendarentur, & mores corrigerentur, & controversiæ dirimerentur spectantes materias Ecclesiasticas, sive

inter Societates, sive inter privatos. Porrò: cum res propter plures fines diversos fieri potest, extantque Canones, qui de uno duntaxat illorum finium mentionem faciunt, nempè instructione, non potest concludi, eos, qui Statuta condiderunt propter solam instructionem, ea condidisse, quia de industriâ, alias rationes silentio prætermiserunt peculiari de causâ nobis ignotâ. *Oscensis* autem, Gallicè, *Avesca*, est Episcopatus Suffraganeus {Archiepiscopatus *Cæsar-Augustani*, Gallicè, *de Sarragoce*.

OBJECTIO IV. & V.

Desumptæ ex non usu, aut abrogatione Canonum, qui asserunt authoritatem Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo, & ex præscriptione Episcoporum adversùs secundum Ordinem.

OBjectiones proponendæ majoris sunt ponderis, quàm præcedentes; impugnant enim Testimonia positiva superiùs relata; &, si aliquo nituntur fundamento, prorsùs ruent omnia, quæ in gratiam Secundi Ordinis authoritatis dicta sunt; sin autem, Testimonia allata pro Secundi Ordinis authoritate, inconcussa manent, nullius erunt ponderis Objectiones modò proponendæ. Porrò observandum, eas niti Argumento negativo, quod positivis Argumentis cedere debet. Junguntur simul hæ duæ Objectiones, quia objectum factum in Quarta, Quintæ Objectioni fundamentum præbet; Præscriptio enim supponit non-usum Canonum contrariorum Juribus, quæ præscripta aliquis contendit.

Necessarium ergò est his duabus Objectionibus minimè sejunctis, quidquid roboris habent, dare.

Non usus, aut abrogatio Canonum, aut Statutorum Synodalium, in gratiam authoritatis Secundi Ordinis, probari potest usu contrario per Quadraginta annos minimè interrupto, actibus conformibus his Canonibus, nec turbato reclamatione eorum, quorum intererat. Porrò, audactèr affirmari potest à Quadraginta annis & amplius nullam in Synodo Diœcesana authoritatem exerceri, sivè pro solutione difficultatum exortarum per annum de Doctrina, Morali, Disciplina; sivè pro judicio Litium, sivè denique pro Conclusione Decretorum aut Statutorum faciendorum: Episcopi enim sibi reservarunt jus solvendarum difficultatum: soli Statuta condunt, & Officialibus Lites committuntur. Et quamvis sæpè inter se non conveniant Episcopi, hoc in puncto unanimes & firmi sunt. Sic hæc praxis actibus contrariis non turbatur, quia nulla reclamationis, ex parte Secundi Ordinis sunt monumenta.

Ex hac praxi naturaliter sequitur Episcoporum præscriptio contra Secundi Ordinis in Diœcesena Synodo authoritatem: ad eam enim astruendam, sufficit possessio Quadraginta annorum nec interrupta, nec turbata. Hæc sunt, quæ contra Secundi Ordinis autoritatem proponi solent, quæ ut solvantur facilius, multa sunt observanda.

Primò: certum est nullum esse Canonem, qui formaliter deroget Statutis, quæ clarè Secundo Ordini tribuunt authoritatem in Synodo Diœcesana, vel iis, quæ supponentia Secundum Ordinem in Synodo Diœcesana authoritate gaudere, illius possessionem approbant: in quo Episcopos superat Ordo Secundus, cujus authoritas legibus positivis roboretur, nullamque Legem proferre possint Episcopi, quæ Secundi Ordinis in Synodo Diœcesana autoritatem destruat.

Non potest objici, Cardinalium declarationes extare, quæ positivè affirment, posse ab Episcopo Statuta condi sine sui Cleri consensu: hæ enim declarationes nullibi admittuntur, &, quoad Galliam, parvi sunt ponderis; quia plerumque nituntur sententiis contrariis Regni Gallicani effatis. Verùm, quando hæ declarationes alicujus essent apud nos momenti, non omninò destruerent Secundi Ordinis in Synodo Diœcesana autoritatem; cum ipsi relinquerent jus sententiæ & consilii, diversum à jure consensus, ex eo, quod quisque teneatur eos sequi, qui consensûs jure gaudent; quod dici non potest de iis, qui gaudent voce duntaxat consilii. Præterea, declaratio prolata data fuit die 27. Aprilis anni 1592. ante Editionem *Pontificalis Romani* à CLEMENTE VIII. facti anno 1596. & ante Editionem factam jussu URBANI VIII. anno 1644. in quibus supponitur Secundum Ordinem jus habere approbandarum Constitutionum Synodalium, ut probatum fuit *Capite XII.*

Undè sequitur, quod, si aliqui Doctores Ultramontani docent ab Episcopo fieri posse Statuta Synodalia, absque consensu & Cleri approbatione, parum habeat sententia hæc autoritatis; quia credendum est hanc opinionem his declarationibus niti.

Secundò: Pontificale modo prolatum, & quod tantoperè Secundi Ordinis authoritati favet, in Diœcesana Synodo generaliter in Occidente admittitur, quin etiam in Galliâ, exceptis his, quæ Usibus & Libertatibus Gallicanis adversantur. Porrò, factum, de quo hîc agitur, nec usum nec Libertates Gallicanas lædit.

Tertio: ut non usus, qui supponitur durasse per Quadraginta annos & ultrà, potuisset abrogare Canones, qui Secundi Ordinis authoritati favent, oporteret, ut potuisset Secundus Ordo publicè reclamare; quod facilè non potest probari: una enim ex parte, major numerus hominum Secundi Ordinis, quibus constat Synodus Diœcesana, resultat ex Parochis, vel Vicariis; ex altera parte, longum effluxit tempus, per quod multi vixerunt Vicarii, qui poterant amoveri, qui magna ex parte indiguissent, nisi Beneficia possedissent, hi autem, cum possint revocari ad nutum Episcopi, aut aliorum, qui ab Episcopo dependebant, non ausi fuissent querelas deferre, quòd multa illis inconsultis acta fuissent. Quoad Parochos, qui amoveri non poterant, alii coacti fuissent silentium servare; quia ab Episcopo Beneficium, quod possidebant, accepissent. Hi quia Beneficium aliud majoris reditûs sperabant. Aliundè, ferè omnes Parochi, & bonis & authoritate sunt destituti. Episcopi verò divites, potentes, & hoc modo metus Parochis silentium imponere poterat; &, si aliqui loqui voluissent, eos sibi adjunxissent Episcopi, vel suis viribus diffidentes se silentium servare teneri credidissent. Posset quoque venisse per spatium Quadraginta annorum, multis in Diœcesibus, vixisse Prælatos luminibus, prudentia, & pietate tam conspicuos, ut credidisset Secundus Ordo nihil à se prudentiùs agi posse, quàm in omnibus eorum Decreta sequi; quæ agendi ratio fuisset quasi cessio jurium ad tempus, quod tempus deberet deduci è quadraginta annis. Quin etiam, è spatio Quadraginta annorum deduci debet tempus, quo Prælati supremæ authoritatis Diœceses suas rexissent.

Quartò: non constat apud omnes, Episcopos posse præscribere jus regendarum suarum Diœcesum, nec teneri petere consensum vel consilium Secundi Ordinis. Ex una enim parte, à CHRISTO duos Ordines fuisse institutos in Ecclesiâ, nempè duodecim Apostolorum Ordinem, & Ordinem Septuaginta duorum Discipulorum. Nec minùs certum est, Discipulis successisse Presbyteros, quàm Apostolis Episcopos; justaque est credendi causa, utrumque Ordinem institutum fuisse ad regendam Ecclesiam: Primus cum authoritate, Secundus cum dependentia. Videtur enim, Ecclesiam fuisse gubernatam ab Apostolis conjunctim cum Discipulis. Cum illis Judæ Successorem elegerunt: cum

cum illis Diaconos elegerunt: denique, cum illis in Concilio Hierosolymitano Quæstionem tractaverunt, num cogendi essent Gentiles ad fidem Jesu Christi conversi, ad Moysis Legem observandam, & Epistolam scripserunt, quæ resolutionem continebat. Hacque de causa credi debet, secundùm Apostolorum exemplum, Ephesinam Ecclesiam fuisse à Presbyteris gubernatam, Paulumque illis congregatis hæc verba dixisse, *attendite vobis & universo gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Episcopi enim verbum minimè intelligi debet hìc de *Episcopis*, sed de *Presbyteris*, cum hi, ad quos sermonem dirigit Sanctus Paulus vocantur *Majores natu*, quod nomen propriè Presbyteris convenit. Aliundè multos alloquitur. Porrò, nullibi constat ab Apostolis in eâdem Ecclesiâ plures fuisse institutos Episcopos. Denique, hic Scripturæ Textus ità communiter de Presbyteris intelligitur, ut, in summario Capitis, nomen *Presbyterorum* tribuatur illis, ad quos S. Paulus hunc sermonem direxit; ut patet his verbis, *advocatos ex Epheso Presbyteros exhortatur, ut vigilantes sint in regendâ Ecclesiâ.*

Porrò: si Jesus Christus Presbyteros instituit ad regendam Ecclesiam conjunctim cum Episcopis, quamvis cum dependentia, vix concipi potest, quomodo possent Episcopi usu capere jus regendarum suarum Diœcesum, nec tamen teneri consensum aut consilium Secundi Ordinis petere: hoc enim si usu jus caperent, nullo modò participes forent Ecclesiæ Regiminis Presbyteri, cum solo jure consensûs, aut consilii illius participes esse possint.

Non poslet dici, ut Presbyteri Ecclesiæ regiminis sint participes, sufficere ab ipsis Christi gregis portionem regi, ut faciunt Parochi in Parochiis, Decani in Capitulis, Abbates, aut Priores, Abbatissæ, aut Priorissæ in Monasteriis. Hoc enim admisso Presbyteri, & alii Secundi Ordinis, nullo modo participes sunt Ecclesiæ generalis regiminis. Et cum dicitur Presbyteros ad regimen Ecclesiæ vocari, de generali regimine sermo habetur; quod consistit in occurrendo abusibus generalibus, qui possunt & debent à Synodis cognosci, & collationibus cum Prælatis Inferioribus, vel iis medendo Statutis prudentibus, & invigilando eorum observationi, in distribuendis muniis secundùm Ecclesiæ necessitates; in Officiis Divinis dirigendis, secundùm Missale, Breviarium, & Rituale, Statuta secundùm institutionem aut diminutionem Festorum; Denique, in dirimendis modis congruis controversiis, quæ Ecclesiam turbant: & quia hæc omnia ad generale Ecclesiæ regimen pertinebant, olim in Synodo Diœcesana tractabantur, partim convocata ad illud componendum, & constanti ferè omninò Presbyteris. Et quia partitio Officiorum, sive revocabilium, sive non revocabilium, regimen generale spectat, Prælati inferiores, sæpissimè Presbyteri, distribuunt horum Officiorum partem, Beneficiorum collatione, aut Electione facta cum Capitulo, cujus sunt duces. Undè verisimilitèr accidit non posse ab Episcopis, sine Secundi Ordinis consensu, nova Tributa imponi Beneficiis, nec antiquorum repartitionem fieri, nec Ecclesiæ bonorum magnam partem alienari, nec laudabiles usus aboleri de rebus dandis, pro functionibus sacris. Hi enim Actus, ex una parte spectare videntur generale Regimen: &, ex alia, si ad eos actus concurrit Secundus Ordo, id probat, eum olim participem fuisse hujus regiminis.

Posset adhuc haberi ut continuatio associationis Secundi Ordinis Regimini Ecclesiæ, cum Primo, jus quod Clerus Ecclesiæ Cathedralis semper habuit, sede vacante Diœcesim regere, hæcque conjectura confirmari posset *Capite unico, ne sede vacante* in 6. Affirmat utique eos, qui Societatem habent cum Episcopo, pro Beneficiorum collatione, ea conferentes, conjunctim cum illo, dùm sedem occupat, solos ea conferre, sede vacante: hoc enim non oritur nisi ex eo, quod jus socii mortui transit ad socium viventem: undè concludi potest, si regimen Diœcesis transierit ex integro ad Clerum Ecclesiæ Cathedralis, id ortum fuisse ex eo præcisè, quod antè vacationem conjunctim cum Episcopo Diœcesim regeret.

Quidquid sit de hac observatione, & de aliis superiùs factis, de Divinâ origine authoritatis Secundi Ordinis in regimine, ad probandam eam authoritatem, quâ gaudere debet in Diœcesana Synodo; apparet, si non omninò certæ sunt, eas saltem justam dubitandi causam præbere, num Episcopi possent usu capere omnem regiminis authoritatem excluso Secundo Ordine: nam, quandò hoc contrarium non esset Divino juri, contra quod nulla admitti potest præscriptio, adversaretur usui perpetuo à Jesu Christo ad nos usque, & confirmato multis Canonibus in gratiam Secundi Ordinis, & omnibus monumentis hac in Dissertatione collectis; qui usus minimè obnoxius est præscriptioni. *c. 11. de consuet.* Tota difficultas est, si inter Capita particularia, quæ spectant hanc authoritatem, aliqua reperiantur, quæ non possint usu capi; ita, ut Secundus Ordo semper admitti debeat ad dandum vel consensum, vel consilium, quamvis longa sit possessio in contrarium. Porrò, generatim afferri potest, plurima esse Capita authoritatis regendi, quæ videntur non posse usu capi modo, de quo agitur, & talia esse ea omnia, quæ Secundum Ordinem proximè spectant, & pro quibus Canones suum consensum requisiverunt, quique relati fuerunt *Capite XIX.* Talia adhuc sunt ea, in quibus agitur de rebus adeò difficilibus, ut ferè impossibile sit ea ab Episcopo solo fieri, ut oportet, sine Secundi Ordinis consilio: & ea collecta sunt eodem in Capite. Ad hunc Ordinem referri possunt insolitæ Dispensationes, Casuum Extraordinariorum solutio, novorum Errorum Condemnatio, non manifestè adversantium Scripturæ aut Traditioni; Denique, Constitutiones, quarum exitus dubius videtur.

Verùm Secundi Ordinis in Synodo authoritas debetne reponi inter Capita, quæ usu capi non possunt, modo superiùs observato? Vel enim in Synodo agetur de aliquo Capitum, quæ dicta fuerunt non posse usu capi; & tunc necesse erit suam Secundo Ordini authoritatem servari, invitâ quâlibet possessione contrariâ: quia jus authoritatis in Synodo, jus est puræ facultatis, quo quisque potest non uti absque sui ipsius detrimento. Aliundè, si consensus aut consilium Secundi Ordinis, talibus in casibus requiruntur, id oritur à bono publico. Porrò, contrà bonum publicum non admittitur præscriptio. Vel Synodus convocabitur unicè ad danda consilia convocatis, eosque ad munia implenda impellendos; vel simpliciter ad sui Ministerii rationem reddendam: & his in circumstantiis, nihil decernetur, in quo suam Secundus Ordo possit exercere authoritatem.

Objectio VI.

Contrà authoritatem Secundi Ordinis in Synodo Diœcesana, quoad Statuta, quæ in ea fiunt.

Qui authoritatem Secundi Ordinis in Diœcesana Synodo impugnant, contendunt, eum omni prorsùs authoritate privari debere quoad Statuta, quæ in ea fiunt; quia, inquiunt, suspectus est, Judex esse non potest, ut pote adversarius. Statuta conduntur ad eum corrigendum & emendandum, vel ad componenda jura, vel contra aliquos ejusdem Ordinis, vel contra Laïcos: Sic, qui vellet, teneri Episcopum consensum petere, vel consilium Secundi Ordinis, quoad

Statuta ab ipso facienda, vellet teneri Judicem à Reo petere, quomodo sit puniendus, quomodo iterato lapsui occurrere debeat, vel ab adversario Civili, quid ipsi debeat adjudicare.

Profectò, qui sic ratiocinatur, minimè attendit ad ea, quæ naturaliter sequuntur ex hoc ratiocinio; tam latè enim procedit istud ratiocinium, ut, illo semel admisso, excludendi forent Episcopi, quin etiam Papa, voce, quam habent in Conciliis, sive Generalibus, sive Particularibus, quoad Statuta, quæ in eis fiunt; quia multa sunt, quæ eorum mores spectant, vel emendationem abusuum, quos committunt in suæ potestatis exercitio. Ordines, sive Societates, non ampliùs possent Statuta emendationis facere; quia, qui sunt emendandi abusus, commissi sunt vel committi possunt ab illis, qui Statutorum sunt participes. Sic, in Capitulis Regularibus, vel Generalibus, vel Provincialibus, vel Conventualibus, nihil posset statui, quod aliquo modo tangeret eos, qui vocem haberent. Idem foret dicendum de Capitulis Ecclesiarum Cathedralium aut Collegiatarum, de Universitatibus, de Facultatibus, de Collegiis, de Supremis Curiis; de Curiis Præsidialibus, de Ballivi Jurisdictione. Non ampliùs liceret iis, quorum aliquid interesset, suffragium ferre. Hoc admisso ratiocinio superiùs relato, cum Comitia Generalia habentur, ad aliquid decernendum de rebus, quæ Regiam Familiam vel Regni Primates spectant, nullo modo consulendi essent, neque Principes, neque Optimates; cum, hac in parte, essent adversarii, & propter hoc suspecti, incapaces judicii ferendi. Porrò, nemo non videt hoc ratiocinium rectà conducere ad ruinam Disciplinæ tàm Civilis, quàm Sacræ generaliter constitutæ à tempore infinito. Percurrantur enim Canones Conciliorum Generalium, vel Particularium, Constitutiones Regulares in Capitulis Generalibus, vel Particularibus factæ; Statuta Capitulariter facta, Decreta ab aliis Ordinibus facta in Ordinis commodum; denique, Constitutiones editæ in Regnis: multa certè reperientur, quæ tangebant eos, qui illarum fuerunt participes.

Quod, si ratiocinium modo allatum his consequentiis laborat, addi potest, illud adhuc niti suppositione omninò Secundo Ordini injuriosa; nempè, in omnibus Diœcesibus eum esse ità moribus depravatum, ut sanè judicare non posset de emendatione abusuum, qui eum spectant; nolletque consensum præbere Decretis, ad eum emendandum, necessariis.

Quæ suprà dicta sunt de autoritate Secundi Ordinis in Synodo Diœcesana, confirmabuntur per ea, quæ dicenda sunt in *Titulo sequenti*, circa Formam administrationis cujusque Diœceseos: ostendent siquidem, quæ sit vera causa hujus autoritatis; nempè administratio, sive gubernatio illius, in communi in omnibus, quæ bonum commune totius Diœceseos, quæ à Christo instituta videtur, spectant. Cum autem hujusmodi gubernationis optimum habeatur exemplum in præfata Synodo, unum ex præcipuis hujus institutionis argumentum petetur ex collectis testimoniis circa possessionem hujusce autoritatis in illo Conventu. Itaque utrumque Opusculum sese invicem confirmant & illustrant.

TITULUS XIX.

FORMA ADMINISTRATIONIS DIOECESANÆ seu Modus in eis Jurisdictionem exercendi; & quænam sunt facultates, quas Ecclesia Episcopis tribuit.

I.

An ex institutione Christi Diœceseum administratio sit merè Monarchica, ità, ut in iis, quæ Diœcesis bonum publicum spectant, sine Secundi Ordinis Pastorum participatione, à solis Episcopis gubernentur?

DIvinam Christi voluntatem nonnisi revelationibus verbo Dei scripto vel tradito contentis cognoscimus: his duobus Capitibus quæstioni fit satis; & quidem verbo Dei scripto in novo Testamento, quod Evangelia, Apostolorum Actus, & Epistolas complectitur.

Constat Christum Dominum duos Pastorum Ordines instituisse, APOSTOLOS nimirum, & DISCIPULOS, quibus facultates ferè omnes, quas tribuit Apostolis, pariter communicavit. Luc. *Cap. X.* & Math. *Cap. X.* Si simul conferas, quæ inter eos posuit, discrimina facilè videbis: Hæc nimirùm sunt: 1. Judææ loca, ad quæ mittit Discipulos, designat; ad ea nempè, quò erat ipse venturus: quamvis eum ad omnes Judææ Civitates, Castella, Vicos venisse non constet. 2. Hac designatione intelligere fas est, Discipulos, sicut *Joannem Baptistam* missos fuisse, ut ad Christi receptionem Populos præpararent. 3. Quam dat Apostolis, Mortuos suscitandi potestatem, Discipulis non confert. 4. LXXII. Discipulis nomen *Apostoli* non tribuit. 5. Iis per seipsum claves dedisse non constat nec Sacerdotes eos effecisse, his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem:* Nec super eos insufflasse, & potestatem ligandi & solvendi cum Spiritu Sancto tradidisse: nec eos per universum Orbem prædicaturos misisse, sicut misit Apostolos. 6. Duo ex Discipulis electi sunt, ut alter in locum *Judæ* succederet.

His verò discriminibus locus dubitandi non relinquitur, quin Discipulorum Ordo fuerit Apostolorum Ordini inferior, sicut Presbyteri sunt Episcopis inferiores. Verùm quod est Discipulis cum Apostolis commune, eos sicut & Apostolos fuisse Pastores demonstrat: id autem de Presbyteris Discipulorum Successoribus sicut de Episcopis Apostolorum Successoribus pariter intelligendum venit. In hâc ergò XII. Apostolorum & LXXII. Discipulorum institutione, duo reperiuntur Pastorum Ordines, quorum hi illis subjiciuntur, qui tamen pariter ac illi Sacerdotes sunt, & quibus omnibus gregis cura est commissa.

LXXII. Discipulorum Successores Presbyteros esse, sicut & Apostolorum Episcopos supponimus: utrumque Traditio docet, quod si quis inficiatur, tùm Presbyteros, tùm Episcopos, fuisse à CHRISTO immediatè institutos haud facilè demonstrabit. Nam præterquàm quòd quoties in Apostolorum Actibus & eorum Epistolis de Presbyteris vel de Episcopis sermo habetur, eorum institutio supponitur, cum è contra Diaconorum institutio priùs referatur, quàm de iis sermo protrahatur. Itaque, nisi Episcopi & Presbyteri in Apostolorum, & LXXII. Discipulorum persona instituti fuissent, eorum institutio penitùs ignoraretur.

Nec dicas *v.* 22. *Cap. XIV.* Actuum Apostolorum, Presbyterorum institutionem referre; quippe qui de Ordinatione Presbyterorum in Ecclesiis Antiochiæ, Iconii, & Lystræ constitutis, quò Paulus & Barnabas fuerant reversi, ut Fratres visitarent, confirmarent in fide, omnibusque eorum animæ necessitatibus providerent, quod qui hunc & duos præmissos versiculos legerit, intelliget. Porrò, aliud est Institutio, aliud Ordinatio: hâc, Ordo jàm institutus confertur: illâ verò Ordo instituitur.

Cùm LXII. Discipuli sub Apostolis præcipui essent, qui CHRISTUM sequebantur, plurimi erant ex CXX. Fratribus, in quorum conventu successor *Judæ* electus fuit; imò ex Discipulis fuisse duos, quos ad hujus locum implendum statuerunt, constat ex *vers.* 21. *Cap.* I. ACT. ubi dicitur: *oportet ergò ex his viris*, qui nobiscum congregati in omni tempore, quo intravit

travit & exivit *inter nos Dominus, incipiens à Baptismate Joannis &c.* Ex quibus colligere est LXXII. Discipulos huic electioni partem habuisse, eosque in primâ alicujus momenti re post Christi in Cælum Ascensum, vocem cum Apostolis dedisse; & consequenter, primum Ecclesiæ nascentis actum communiter ab Episcopis & Sacerdotibus in persona Apostolorum & LXXII. Discipulorum gestum fuisse.

Idem colligendum de *Diaconatûs* institutione, & VII. Diaconorum electione, de quibus *Cap. VI.* Act. Apostoli Discipulos convocaverunt, quibuscum concluserunt, *ut ministri eligerentur, qui ministrarent mensis, ut ipsi orationi & ministerio verbi instantes essent*, atque ex iis eligerentur, qui Conventum facerent: factâ autem à Conventu electione, electos antè Apostolos constituerunt, qui eis manus imponerent, & sic ordinarentur, hac autem bonorum temporalium Ecclesiæ administratione Diaconi in ejus gubernationem introierunt.

Porrò: hanc duorum Capitum de administratione in communi interpretationem confirmat eorumdem Act. *Cap. XV.* qui enim cum Apostolis convenerant, Presbyteri, ut quæstionem de Circumcisionis necessitate ad salutem terminarent, ex iis certissimè erant Discipulis, qui sicut Jacobus Apostolus Ecclesiæ Hierosolymitanæ ministrarent. Porrò: hos Presbyteros quæstionis decisioni partem habuisse, demonstrat *v. 6. Convenerunt que Apostoli & Seniores videre de verbo hoc.* Vox illa *videre*, quod ergà Apostolos idem ac ergà Presbyteros significat: Constat autem hanc ergà ipsos idem significare quod *examinare & judicare*: imò & *vers.* 23. Presbyteris sicut & Apostolis Decretum tribuit, quippè qui eos expresè nominat in Epistolæ ad Antiochiæ, Syriæ & Ciliciæ Fratres, pro quibus actum fuit, inscriptione: *scribentes per manus eorum Apostoli & Seniores his, qui sunt Antiochiæ, Syriæ & Ciliciæ Fratribus & Gentibus salutem:* verba sunt Inscriptionis, ubi nil de cæteris, quibus in Conventu placuit, ut Decretum mitteretur *v. 22. placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesiâ.* Non ideò autem ibi Presbyteri nominantur, quòd in hac deliberatione vocem dederunt; benè tamen quia Decretum simul cum Apostolis fecissent. Nec obstat quòd eorum judicium non referatur; quippè duorum tantùm *Petri*, nimirùm, & *Jacobi* judicia referuntur, quamvis alios in hoc Conventu fuisse Apostolos verosimile sit, *Joannem* præsertim, quem *Paulus* dixit vidisse cum *Jacobo* & *Petro*, quem *Cepham* appellat *Cap. II. ad Galat.* Ex quo liquet, hunc Conventum habitum fuisse anno *Pauli* ad fidem conversi; idcircò *Caput* istud citari solet ad clariorem Capitis XV. *Actuum* notitiam; ubi hujus Concilii historia describitur. Conc. *Tom. I. p. 20.*

Adde quòd ejusdem *Cap. XV. vers.* 41. Presbyteris sicut & Apostolis prædictum Decretum tribuit: Docet enim, *Paulum* Fratres Syriæ & Ciliciæ visitantem, in fide eos confirmare, & præcipere custodire præcepta Apostolorum & Seniorum; quæ præcepta sunt ipsummet Decretum.

Tandem in *Cap. XXI. vers.* 25. hoc sibi arrogant Decretum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Presbyteri in Conventu habito aliquo cum *S. Jacobo*, occasione data aliûs *S. Pauli* in hanc Civitatem itineris; *De his autem, qui crediderant ex Gentibus nos scripsimus, judicantes, ut abstineant se ab Idolis, immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*: Terminus ille, *judicantes*, Presbyteros, ut Judices in dicto Concilio sedisse demonstrat.

Hoc doctrinæ Decretum ab Apostolis & Ecclesiæ Hierosolymitanæ Presbyteris initum, ut non interrumperemus, locum non minimi momenti de Presbyterorum administrationi Ecclesiæ participatione omisimus, *Actuum Cap.* 20. relatum, in quo dicitur, *Paulum*, cùm Miletum venisset, nec ei propter temporis angustias liceret Ephesum adire, ut diem Pentecostem faceret Hierosolymis, Ephesum misisse, & Majores natu vocasse, quibus, cùm ad eum venissent, & nunciassent quod in Asiâ gesserat, inter cætera illis præcipit, ut sibi & gregi à Spiritu Sancto credito advigilarent: *attendite vobis*, inquit, *v. 28. & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Qui locus, (vox enim *Episcopi* superioritatem significat) non minùs de Presbyteris, quàm de Primis Ecclesiæ Pastoribus intelligendum venit; verosimile enim non est plures tunc fuisse Ephesi Episcopos, nec Apostolum, cùm per tempus non liceret, aliarum Civitatum Epheso subordinatarum Episcopos, si qui in iis essent, convocasse: benè tamen plures esse in Civitate tàm copiosâ Presbyteros Ecclesiæ Episcopali adscriptos, vel in diversis Civitatis locis positos, qui gregem Dominicum cum Episcopo gubernarent.

Plurima, si necesse esset; Novi Testamenti Loca afferri possunt, in quibus *Episcopi* nomen Presbyteris datur; & quidem *Cap. I. ad Philipp. vers.* 1. ubi Paulus in Episcopis Presbyteros complectitur, cùm illis Diaconos adjungat. Item I. *ad Timoth. Cap.* 3. ubi cum Apostolus dotes Episcopis necessarias retulerit, statim ad dotes Diaconis requisitas transit. Item *ad Titum, Cap. I.* in quo, cùm ei præcepit constituere Presbyteros per Insulæ Candiæ Civitates, dotes ipsis requisitas assignans, eos *Episcopos* appellat. *v.* 7. his verbis, *oportet Episcopum sine crimine esse.*

Si ergò supponamus, ut verè supponendum est, *Actuum Cap. XX.* de Presbyteris esse intelligendum, luce clarius videtur, Presbyteros sicut & Episcopos ad gubernandam Ecclesiam esse constitutos.

Alia, quæ probant Presbyteros tempore Apostolorum in partem administrationis Ecclesiæ vocatos fuisse, testimonia, priusquàm referamus, notandum obiter, loca, quæ Apostolos, in rebus cujusdam ponderis, Fideles convocasse dicunt, eis proposuisse, & cum ipsis, quid agendum, deliberasse, exponenda fore, sicut *Act. Cap. V.* exposuimus; & consequenter diversos, in hisce Conventibus distinguendos Hominum Ordines, quorum alii, ut Presbyteri, voce activâ semper, alii verò quandoque tantùm, & pro quibusdam rebus, potiebantur: quod constat 1. Quia tres diversi Hominum Ordines in his distinguendis veniunt, *Fideles* nempè, *Episcopi*, & *Presbyteri*, ut videre est *vers.* 24. *Cùm autem venissent, Paulus & Barnabas Hierosolymam, susceptisunt ab Ecclesiâ, & ab Apostolis & à Senioribus.* In qua per *Ecclesiam* intelligendi sunt *simplices Fideles*, qui ab Apostolis, & Presbyteris discernuntur, sicut oves à Pastoribus.

2. E *vers.* 22. colligere est, Fideles vocem dedisse, cùm placuit eligere quosdam, qui ad Ecclesiam Antiochenam & ad alias mitterentur, & Synodi Decretum ferrent: item, cum *Juda*, qui cognominabatur *Barnabas*, & *Silas* electi sunt, ut *Paulo & Barnabæ*, qui de Antiochiâ venissent, adhærerent; cùm tamen verficuli suprà dicti ab Apostolis & Presbyteris dumtaxat factum fuisse hoc Decretum demonstrant.

Hoc pacto intelliges loca, quæ dicunt, Apostolos, & ad instar ipsorum, Episcopos, quædam in Fidelium Conventu agere, posteaquam ipsis de his communicaverit; & sic solvitur objectio, quæ est ea, & similia testimonia, nimis probare; nempè, Ecclesiæ gubernationem, partim esse Democraticam, vel Popularem: cui satisfit respondendo, communicationem Fidelibus de agendis factam, diversam esse quoad finem, à communicatione Presbyteris factâ: illa enim, ut populus quid de quibusdam, an benè, an malè, sentiret; utrum ipsi grati futuri essent declararet, vel aliis similibus rationibus, sæpè fiebat: cùm, è contra, de negotiis, communicandum erat Presbyteris, ut cum ipsis concluderentur.

Idem ultimum probant 1. *ad* Corinth. *Cap.* V. *v.* 3. *&* 4. qui docent Apostolorum, cum præsen

esset

esset, in rebus magni momenti, Fideles convocare, nec ipsis insciis concludere; agitur enim de quodam Corinthio, incestûs ad primum gradum ad Lineam directam reo, ejusque pœnâ: de quo sic Corinthios alloquitur. *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini Jesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu cum virtute Domini Jesu tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* Quibus verbis ostendit Apostolus se, si præsens fuisset, Fideles cum Senioribus convocaturum fuisse, & cum ipsis de hac re deliberaturum fuisse distinctione prædictâ observatâ.

Item 1. *ad* TIM. *Cap.* 4. *v.* 2. 7. *&* 14. duo dicit Apostolus, quæ denotant Ordinationes ab Episcopis Fidelibus esse communicandas, ut monerentur, an Ordinandi *bonæ famæ & sine crimine essent*: quippe inter dotes in Ordinandis requisitas recensent eos esse debere inconfusibiles & bonæ famæ. Eadem comunicatio facienda erat speciatim quidem Presbyteris, cum de ad Presbyteratum Ordinandis agitur, nam plurium Presbyterorum manuum impositio, sicut & Episcoporum, in hac Ordinatione necessaria erat. *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii: eos autem, quorum Ordinationi partem habebant, nosse Presbyteros necesse erat.*

Prædictam de Ephesinis Presbyteris annotationem, nempè, quosdam esse, qui nonnullas Civitatis partes gubernarent, ejusdem Epistolæ *Cap. V. versic.* 17. confirmat, his verbis: *qui benè præsunt Presbyteri dupli i honore digni habeantur.* Qui versiculus de Episcopis non est intelligendus, quamvis quandoque Apostoli Episcopos *Presbyteros* vocaverint, vel ipsi hoc sibi nomen arrogarint. *Seniores ergò, qui in vobis, obsecro ego consenior, pascite gregem Dei*, inquit PETRUS *Cap. V. v.* 1. Ubi vox *Seniores*, tum de Episcopis, quibus gregis cura præcipué commissa est, tum de Presbyteris Simplicibus, qui etiam de eo curam habent, dependenter ab Episcopis, intelligi potest. Pariter *D.* JOANNES in II. & III. Epistola *Presbyteri* nomen sibi adscribit. Episcopis nomen Presbyteri convenire, quia Presbyteri sunt, fatentur; non tamen ad illos esse restringendum, in *vers.* prædicto: res enim de quâ loquitur, inter eas non est, quæ Episcopis tempore Apostolorum propriæ essent, cùm Presbyteros, cum Episcopis, Ecclesiam gubernare suprà ostensum fuit; præterquam quod utrum *Timothæus* super quosdam Episcopos Jurisdictionem haberet planè incertum est; nihil enim probat evidenter, eum esse Metropolitanum; at, è contra, quosdam esse Presbyteros *Timothæi* Jurisdictioni subditos, qui eum adjuvarent certissimum: id probat evidenter; tùm Civitatis magnitudo, tùm Christianorum in eâ commorantium numerus.

Huc facit *ejusd. Cap. vers.* 19. in quo Paulus Timothæum monet, ne adversùs Presbyterum accusationem recipiat, nisi sub duobus vel tribus testibus; si enim is, qui Presbyteris debetur honos, postulet, ut accusatio probationibus destituta rejiciatur, quantò magis ut à solo Episcopo non judicetur, sed cum pluribus Presbyteris. Hanc propter fortasse rationem *Codicis Ecclesiæ Africanæ Caput XII.* præcipit Presbyteros à sex Episcopis esse judicandos: ex qua patet hanc Ecclesiam nullatenùs sentire hæc & cætera ejusdem momenti negotia à solis Episcopis fore terminanda.

Hæc ipsa sunt Novi Testamenti momenta, quæ docent Diœcesum administrationem ex CHRISTI institutione non esse merè Monarchicam, ita, ut Episcopus absque Cleri, præcipuorum nempè Presbyterorum participatione, omnia, etiam quod commune Cleri bonum spectat, præstaret: ideo autem plura non sunt, quia Scriptores Sacri de formâ Ecclesiæ administrationis sermonem habendi sæpiùs locum non habuerunt, quod concludere fas est, ut ex his quæ allata sunt contra gubernationem merè Monarchicam.

Jàm ad ea, quæ docet *Traditio*, veniamus, per quæ eorum, quæ dicta sunt, habebitur confirmatio, & illustratio. Sed priùs notandum MATTH *cap.* XVIII. *v.* 2. ad probandam Conventuum Ecclesiasticorum necessitatem, vel utilitatem sæpè adduci, ut alicujus ponderis res majori cum prudentiâ, æquitate, examinentur & decidantur: hæc sunt verba; *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Ibi CHRISTUS in medio eorum, qui in ejus nomine congregabuntur, assistere promittit eòque magis, quò major erit Conventus. Porrò si duo vel tres sic congregati hoc jure potiantur, quantò magis si plures: indè fit versiculum sæpiùs ad Concilia & quidem numerosissima applicari, quàm ad Synodum Diœcesanam, in quâ etiam locum habet; quod agnovit in Synodo anni 1548. Archiepiscopus Treverensis.

TRADITIO

Quæ Diœceseon administrationem nec esse, nec futurum fuisse merè Monarchicam demonstrat.

TRaditionem integram, ad quam longo opus esset volumine, hìc non suscipimus. Infinita propemodum essent in quolibet sæculo colligenda testimonia, in quibus necesse esset, quod est obscurum elucidare, quod contrarium videtur, concordare, nec non an legitima, an supposititia sint, examinare, quàm plurima invenies in Synodis à *Christo* ad nostram usque ætatem coactis; in SS. Patribus, tùm Græcis, tùm Latinis; in Novi Testamenti Interpretibus, cum loca citata exponunt; in Historicis Ecclesiasticis, aliisque, qui suæ ætatis usus obiter, vel consultò, observaverunt, Scriptoribus.

Satis erit libros, in quibus multa referuntur, indicare, & quædam præjudicia, ex quibus id evidenter infertur, colligere. Libri isti inscribuntur 1. *De Antiquo jure Presbyterorum in regimine Ecclesiastico* in 12. Typis mandato *Taurini* an. 1678. 2. *Ecclesiæ administratio in communi*: duo Tom. in 12. typis mandati circa annum 1709. Gallico idiomate 3. *Dissertatio* itidem Gallica. *de autoritate Secundi Ordinis in Synodo Diœcesanâ*, in lucem editâ an. 1720. nunc autem recudenda latinè. 4. THOMASSINUS in suâ *Disciplinâ* cujusque *Partis Lib.* 1. *in Cap.* ubi de *Capitulis* & *Cardinalibus.* 5. Corpus Juris Canonici *caus. XII.* in quâ Canones de Bonorum in communi possessione, & de fructuum distributione colliguntur caus. V. & VI. & aliis, quæ de *Judiciis* agunt. TIT. *de Elect. de Suppl. neglig. Prælat: de Præbend: de concessa Præb. de his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli: ut sede vacante, nil innovetur: de reb. Ecclesiæ alienandis, vel non: de excessib. Prælat 6.* Horum Titulorum Juris Interpretes, & inter alios GONZALES, qui omnia loca, ad quem spectant, Titulum, sive ad probandum, sive ad objiciendum, adducit. Præjudicia autem hæc sunt.

PRÆIUDICIUM I.

Episcopos, sicut Prædecessores Apostolos, greges suos gubernasse quâlibet ætate, & in quibuslibet locis, ubi Pietas & Spiritus Apostolicus infusus fuit, existimandum videtur; horum exemplum apud Successores habitum fuisse præceptum, quod, eò lubentiùs observaverint, quòd Apostolos CHRISTI, quocum conversati sunt, voluntatem & cognovisse & adimplevisse non dubitaverint. Suprà autem merè Monarchicam non fuisse Apostolorum administrationem, imò nec ipsos absque Seniorum, seu Presbyteronem participatione aliquid cujusdam momenti egisse, probatum remanet: his ergò felicibus temporibus Provinciæ

Metro-

Metropolitani, Primatiæ *Primates*, Patriarchatûs *Patriarchæ*, Ecclesiæ Universalis *Papa*, in iis administrationis formam secuti sunt. Quod itaque de Provinciarum Ecclesiasticarum administratione sanxerunt Canones Apostolici, Nicæni, & Antiochiæ, id Diœceseon administrationem spectat: atqui Canones hi prohibent, ne in his, quæ ad bonum *Provinciæ* commune pertinent, Episcopi sinè Metropolitano, nec Metropolitanus sinè Episcopis aliquid præstent: pariter igitur existimandum sanxisse, ne de his, quæ ad bonum *Diœcesis* commune attinent, Episcopi sinè Presbyteris, nec Presbyteri sinè Episcopo aliquid præstarent.

Canone 33. inter Canones LXXV. Apostolorum collectos juxta *Gentiani*, *Herveti* & *Haloandri* Versionem, in fine Decreti *Gratiani*, qui est 35. in Versione *Dionysii exigui* Cnncil. Tom. 1. habetur, *à cujusque Nationis, vel Populi Episcopis sciendum, quisnam inter Episcopos primus sit, eumque tamquam caput habendum, nec in his, quæ bonum commune spectant sine ejusdem sententia & consilio, uti nec à Metropolitano, sine eorum consensu, aliquid alicujus momenti agendum, & indè salvabitur concordia, & Deus per Christum Dominum glorificabitur.*

Qui Canon, ut faciliùs exequeretur, 35. qui apud *Dionysium Exiguum* 38. reperitur, præcipit, ut duæ, quolibet anno, cogantur Episcoporum Synodi, quæ Decreta aut Dogmata ad fidem vel ad pietatem pertinentia examinarent, & controversias Ecclesiasticas terminarent, &, quo utrumque sit cogendum, tempus designat.

Canones Apostolorum communiter habentur, ut compendium regularum in Sæculis Apostolicis observatarum.

Idem ferè sanciunt *Nicæni Can.* 4. & 5. Nam 4. in fine, habetur, omnia, quæ in Provinciâ fiunt, (quod ad ea, quæ bonum Provinciæ commune est restringendum) à Metropolitano esse confirmanda: & 5. à mediâ parte usque ad finem, præcipit, ut duæ Provinciales cogantur Synodi, quibus Episcoporum, cum Diœcesanis, controversiæ terminarentur, & indè, pro cunctis ejusdem momenti causis, Synodos esse celebrandas, insinuat.

Hanc etiam duarum, quolibet anno, Synodorum celebrationem sancit Concilii *Antiocheni*, an. 341. coacti *Can.* 20.: Tempus designat, easque necessarias declarat, ut magnæ finiantur controversiæ, & necessitatibus Provinciæ provideatur; additque, *in ipsis autem Conciliis adsint Presbyteri & Diaconi*: Quod hujus Synodi, *Can.* 19. & *Nicenæ* 6. sanciunt, quod, cùm diversæ sunt sententiæ, major numerus Legem statuat.

Eò autem congruentiùs ad Diœceseon administrationem hi Canones referuntur, quòd, 1. *Can.* 28. apud *Hervetum* & *Haloandrum* & apud *Dionysium* 40. vetans, ne sine Episcopi, cui gregis cura commissa est, quique de animabus rationem est redditurus, participatione, Presbyteri & Diaconi quidquam agant, intelligendum dat, eos quâ potiebantur administrationis parte abusos fuisse.

2. Cùm hæc prohibitio similis sit huic: quam facit *Can.* 33. Episcopis, ne quid absque Metropolitani consensu suscipiant; eo planè modo est intelligenda; &, ut hæc, ad res quæ bonum Diœcesis, vel Provinciæ commune spectant, limitanda.

3. E 38. Apost. Canone depromuntur Canones, qui duas quolibet anno celebrandas esse Diœcesanas Synodos, in *Dissertatione* citata colliguntur. Porrò: quæ Canones hos condiderunt Concilia, Synodos Diœcesanas ad commune bonum Diœcesis, cujus cunctis, tùm Primi, tùm Secundi Ordinis Pastoribus Cura commissa est, existimarunt.

4. *Can.* Apostolicus juxtà quosdam 40. juxtà alios 41. socios facit Episcopo Presbyteros & Diaconos pro Ecclesiæ fructuum distributione, secundùm uniuscujusque necessitatem; per quod in horum bonorum administrationem veniebant, ut videre est *Canon. Concil. Antiocheni* 25. Episcopum pœna plectente, qui sine illorum participatione ea distribuit, quique consentientibus Presbyteris coadministratoribus, vel in sui, vel in illorum usum ea confert.

6. *Can.* Apost. 57. Presbyterum Episcopo, ad Clerum & Populum gubernandum, adjungit, eosque pari pœna plectit, si sint negligentes, & in socordiâ perseverent, *Episcopus vel Presbyter*: ait Can. *qui Cleri vel Populi curam non gerit, & eos pietatem non docet, segregetur, & si in socordiâ perseveret, deponatur.*

Ex quibus omnibus Canonibus, nedum Diœcesum administrationis formam, Provinciæ formæ similem fuisse concluditur: verum & ipsi per semetipsos probant Episcopum non solum, sed & Presbyteros cum ipso, in quodam sensu gubernasse: consequentia in eo posita est, quòd, sicut res Provinciæ communes Episcopis & Metropolitanis simul agentibus, sine quo nil grave fiebat, in communi tractabantur. Pariter, res Diœcesis communes Episcopo & Presbyteris simul agentibus faciendæ erant; & sicut Metropolitani & Episcoporum concursus in his, quæ Provinciæ bonum commune spectabant, nedùm utilis, sed & necessarius erat, ità Episcopi & Presbyterorum concursus, in his, quæ ad bonum Diœcesis pertinebant paris utilitatis & necessitatis habebatur.

His Apostolorum Canonibus exponenda veniunt primorum Sæculorum Episcoporum testimonia, de modo, quo suam gubernarunt Diœcesim. De negotiis cum Clero deliberabant, non solum quia decebat, verùm quia, ut ita agerent, necessarium fore ducebant; qui Canones condebant, quod antè factum fuerat, scribebant, & sic Leges non scriptas scribebant; Itaque, illorum Canonum collectio est veluti consuetudinarium Ecclesiasticum, sive quoddam Corpus diversarum Ecclesiarum Consuetudinum, vel institutionum Ecclesiasticarum.

Præjudicium II.

Autor *de jure antiquo Presbyterorum* jàm citatus *Cap. V. VI. VII. VIII.* Duodecim priorum sæculorum testimonia in gratiam administrationis in communi colligit, præcipua extrahuntur ex *S. Clemente. Romano S. Ignatio, S. Ireneo, S. Clemente Alexandrino, Tertulliano, Origene, S. Cypriano, Firmiliano, Hylario Diacono, S. Gregorio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, Theodoreto, Isidoro Hispalensi*, Venerabili *Beda.*

Inter illa, quæ à *S. Cypriano* depromuntur, sunt notabiliora; nemo enim Patrum ità sæpè & tàm clare de parte, quàm cum Episcopo habet Secundi Ordinis Clerus in Diœcesis administratione, sermonem habuit; & idèo, per eum, quod in aliis obscurum videtur, est exponendum. Idcircò Autor laudatus, postquàm asseruit hunc Patrem nil novum stabilisse, sed viam tritam secutum esse, addit, Patres antiquos eo ipso posteriores, sicut ille sentit, & ità sensisse: nempè, res maximas ab Episcopo, cum Clero, esse agendas; in iis consilium, nec non deliberationem communem esse necessariam, & satius esse quòd differat, ut eis provideat, quàm, si sine Presbyteris illas terminet. Postèa, iis, quæ ex hujus Patris Operibus objiciuntur, respondet Autor, & ex ipsis locis objectis, vel saltem ex Epistolis, ex quibus depromuntur, responsa adducit. Hîc autem advertas, velim, quòd, quando de quodam capite ad praxim pertinente unanimes sentiunt, signum sit illud esse Traditionis Apostolicæ. Vide Dist. XII. *Cap.* 11. ex *S. Augustino* extractum: *illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto Terrarum orbe observantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis vel à plenariis Conciliis, quorum in Ecclesiâ saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri; sicut quod Passio Domini, Resurrectio, Ascensio in Cœlum, & Adventus Spiritûs Sancti, anniversariâ solemnitate observantur; & si quid aliud tale occurrit, quod ab Universâ servetur, quacumque se diffundat, Ecclesiâ.* Quia ergò generalem in communi Ecclesiam gubernandi usum Concilia plenaria præcepisse vidimus, consequens est, eum usum ab Apostolis ortum habere, qui juxta Christi voluntatem eum instituerunt.

Præ-

PRÆJUDITIUM III.

Positionem nostram probat adhuc usus antiquus & continuus Synodos Diœcesanas celebrandi; ut enim notat citatæ Autor *Dissertationis*; nedùm Decretorum publicandorum causâ, &, ut de animarum cura, & de propriis eorum, qui vocabantur, moribus ratio redderetur, convocabantur; sed præsertim, ut lita dijudicarentur, difficultates natæ terminarentur, & abusibus, postquàm cum Clero deliberatum fuit, provideretur. Quod probant 1. Analogia harum Synodorum cum Conciliis Provincialibus, ad instar quorum institutæ videntur, & in quibus vocati ut Judices sedent, & corrigunt, & Decreta habent. 2. Sententiæ, vel saltem consilium Secundi Ordinis, quorum loca expressa afferuntur. 3. Secundi Ordinis Clericorum Subscriptiones Synodi Decretis vel Institutionibus. 4. Quorumdam Officialium, quæ fit in communi, electio.

Cujus usus antiquitatem probat, ex eo, quòd illius origo sive initium planè ignoretur, & sic ab Apostolis esse dicit *S. Carolus*, existimans, Episcopos Apostolorum exemplum secutos fuisse, dùm Presbyteros, qui cum ipsis de rebus magni momenti deliberarentur, convocarent; continuitatem verò & perpetuitatem probat, tùm omnium Sæculorum Canonibus, qui harum Synodorum celebrationem præcipiunt, tùm institutionibus in ipsis habitis, quæ in Conciliorum collectione à P. LABBÆO referuntur; tùm Ecclesiæ Gallicanæ Decretis à BOCHELLO collectis, tùm Actuum & Monumentorum Ecclesiasticorum à P. MARTENE; tùm denique plurium Diœceseum, Parisiensis nempè, Duschianensis, Rothomagensis, & omnium hujus Provinciæ Libris Synodicis.

PRÆJUDICIUM IV.

Ecclesiæ Cathedralis Capituli successio ad Diœcesis administrationem sede vacante, Clerum hujus administrationis, dùm sedes occupatur, participem esse demonstrat: alioquin, quo titulo eam administraret, non pateret. Jus illud ad eum non transmittit Episcopus defunctus, qui ad vitam tantùm administratione fruens, nemini, qui suo nomine, post ejus mortem, possideat, exerceatque potest illam transmittere. Præterquam quòd invito, vel consentiente Episcopo defuncto, illud jus possidet, nec etiam per commissionem habet, quippe statim ac è vita functus est Episcopus eo potitur, secundùm axioma, *mortuus vivum invertit.* Ergò jus illud habet jure Societatis, quæ potestatem, quam Socius non potest exercere, socio transmittit, & indè, quæ olim erat in usu devolutio Collationum Episcopi negligentiæ alius-ve culpæ conscii, ad Capitulum, de quâ, ut infrà. Quæ quidem Cleri successio ad Ecclesiæ vacantis administrationem alii non debet suam originem, quàm Ecclesiæ Universali, alius enim præter Clerum Sede vacante eam non administravit: quod si quandoque fuerint Visitatores & Administratores ad regimen deputati, exceptio fuit, quæ firmat regulam: indè fit, quòd ex Juris Textibus, qui de hac sermonem habet, nec unus, qui eam non supponat, & è contra plurimi sunt, qui eam dirigunt. Vid. TIT. *Ne sede vacante*, qui in pluribus collectionibus, ex quibus *altera Pars* Juris in *Pithœana* editione constat, reperitur, LIB. III. vide etiam TIT. *de supplend. negligent.* quem in iisdem invenies. LIB. I.

PRÆJUDICIUM V.

Pauca sunt Concilia, sivè Generalia, sivè Particularia, in quibus quosdam non reperias Presbyteros, vel Diaconos ab Episcopis, seu Metropolitanis, vel Primatibus, aut Patriarchis, aut Summis Pontificibus deputatos, eosque in locum eorum, qui eos deputaverant, sententiæ jure gaudere constat; & consequenter Institutionibus ad Ecclesiæ Universalis vel particularis regimen initis & fidei morumque Decisionibus concurrebant. Porrò: hujus momenti negotia Secundi Ordinis Clericis, nisi quemdam horum usum in Diœceseſi obtinuissent credita fuisse, non est verosimile, aliter, imprudens esset talis deputatio, nec non horum Deputatorum electio. Existimandum ergò Secundi Ordinis Clerum conjunctim cum Episcopo Diœcesim gubernasse, & indè usum, ut suo in his occasionibus fungantur officio, obtinuisse: hoc autem in *Dissertatione* quâdam, *de horum Deputatorum authoritate*, probatur, subscriptionibus in Conciliis, & aliis Actis, quæ videre est in collectione LABBÆI: quod probationem facit non mediocrem Diœcesum regiminis in communi ab Episcopo & Clero. Similem habes in clausulâ sæpè in Summorum Pontificum Decretalibus, quando de rebus magni momenti agitur, insertâ, his verbis, *de Consilio Fratrum nostrorum, vel habito tractatu cum Fratribus*, aut aliis æquivalentibus, quorum exempla reperies *c. 5. de Conſ. c. 1. 2. de Poſtul. c. 55. de Elect. c. 5. de Off. Legat. c. 10. de his, quæ fiunt*, & aliis quàm plurimis; ità, ut locus sit illam subintelligendi, in his, in quibus Summi Pontifices in rebus cujusdam momenti vel decidunt, vel sententiam ferunt, posito quòd illam omiserint.

PRÆJUDICIUM VI.

Episcoporum, Summorum Pontificum, aliorumque Primi Ordinis Præsulum multò majorem in sæculis XII. XIII. XIV. quam in prioribus autoritatem fuisse certum est: & ideò, si ex his temporibus in Secundi Ordinis gratiam afferantur testimonia, quæ Ecclesiæ administrationem in communi probant, quantò magis pro Prioribus Sæculis id probabunt: atqui *Tomi II.* CORPORIS JURIS Collectiones, qui horum trium Sæculorum Textus complectuntur, in gratiam regiminis in communi multos continent, quorum præcipuos in TIT. *de his, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu Capituli* videbis; ubi quædam, quæ eunctis temporibus in usu fuerunt, principia inseruntur. Hos sedulò colligemus, cæteros tantummodò indicaturi.

Caput I. de antiquo *Valentiæ* Concilio depromptum nullam pronuntiat Ecclesiæ bonorum ab Episcopis, sine Clericorum consensu & subscriptione, donationem, venditionem, aut permutationem: quia hæc bona in communi possidentur. Hoc autem communem faciebat inter utrosque in his bonis Jurisdictionem: & indè oriuntur regulæ sequentes; *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet: In re communi potior eſt conditio prohibentis.* Hinc fit quoque, ut, qui in communi Feudum possident, pariter in communi possideant provenientem ex eo Jurisdictionem. *Alexander III.* in suo ejusdem *Tit. c.* 3. responso, hujus Textus dispositionem imitatur. Hi duo Textus de administratione in communi bonorum Ecclesiasticorum sermonem habent: sed quartus qui est ejusdem, ad Patriarcham Hierosolymitanum, Pontificis ad eum casum, non limitatur. Is in Diœcesis administratione Capituli sui consilium negligebat, aliorum consilium requirens, cujus improbitatem Papa insimulans, ne in futurum id præstet, præcipit: cujus rationem hanc affert, quia unum cum Canonicis, cujus Caput est, & illi membra, efficit corpus, & indecorum est, imò & Sanctorum Patrum institutioni contrarium, membrorum consilio aliorum consilium anteponere. *Novit plenius, ſicut credimus, diſcretionis veſtræ prudentia qualiter tu & Fratres tui unum Corpus ſitis, quòd tu caput, & fratres membra eſſe probantur; undè non decet te, omiſſis membris, aliorum conſilio in Eccleſiæ tuæ negotiis uti, cum id non ſit dubium, & honeſtati tuæ, & Sanctorum Patrum inſtitutionibus contraire.* De Abbatum & Abbatissarum institutionibus & destitutionibus, quas sine Capituli consilio faciebat Patriarcha, agebatur. Casus ille particularis locum præbuit Papæ principium generale ob oculos ponere, quod est administrationis in communi fundamentum: Episcopus & Clerus, cui Fratrum nomen adscribit, corpus sunt, cujus Episcopus caput est, & illi membra. Dedecet autem & SS. Patrum institutionibus contrarium, caput sine membrorum partici-

ticipatione agere; ad hæc suo ut fungeretur officio Patriarcha, omnes ejus actus irritat Papa, quos in suæ prohibitionis contemptum facturus est: hæc autem nullitatis pœna docet, administrationem in communi, nedùm congruam esse, sed & necessariam.

Cap. V. ex eadem Epistola depromptum est: cunctis Diœcesis negotiis Beneficiorum Collationibus, Electionum confirmationibus, abusuum correctionibus, novis institutionibus principium allatum applicat; *quia igitur non decet prudentiam tuam in negotiis tibi commissæ Ecclesiæ consilium fratrum tuorum postponere, cum quibus unum Corpus existere comprobaris, fraternitatem tuam per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenùs in correctionibus, confirmationibus, & aliis ejusdem Ecclesiæ negotiis, fratres tuos requiras, & cum eorum consilio, vel sanioris partis, negotia eadem peragas, & pertractes, & quæ statuenda fuerint, statuas, & errata corrigas, & evellenda dissipes, & evellas.* Hæc autem, de quibus Papa sermonem habet, capita sunt administrationis Ecclesiasticæ præcipua. Ibi *consilium*, pro *consensu* poni, nullitatis pœna indicat; & præterea, ex sequentibus patet, necessarium sibi esse ad Privilegia concedenda, & ab ipsis esse signanda, Canonicorum consensum, Patriarcham fateri; quippè qui, cùm quædam concederet, Canonicorum, ipsis insciis, signaturam supponebat, propter quod Papa & sic concessa & sic concedenda, irritavit.

C. 2. 3. 6. ejusd. Tit. quæ Abbates, Abbatissas, aliosque Communitatum Superiores docent ad Beneficiorum collationem, sicut ad bonorum ad Communitatem pertinentium, Conventualium consensu indigere, Episcopum Cleri consensu pariter egere probant: ratio similis est; agitur utrobique de Corpore, cujus qui præest, est Caput & alii Membra sunt; hi sine ipsis nil agere possunt: hæc est eorum *Capitum* dispositio.

Cæteri *ejusd. Tit.* Textus alienationes irritant, si fiant à Præsule, Corpore non consentiente. Hæc autem pœna nullitatis in possessione in communi fundatur, quæ pars est reliqua Episcopi cum Clero Societatis, quæ Socios in negotiis communibus communiter agere, obligabat.

Duplici modo nostram positionem probat *ejusd. Tit. Cap.* 20. ultimum. Apud *Honorium III.* conquesta erant Provinciæ Senonensis Capitula, Metropolitanum & Suffraganeos ad Conciliorum Provinciæ deliberationes, in rebus etiam, in quibus illorum intererat, ea non admittere; respondet Summus Pontifex, se id Fratribus suis communicasse, & cum iis sensisse, ad Provinciæ Concilia Capitula esse vocanda, eorumque Deputatos ad deliberationes, præsertim in rebus, in quibus illorum evidenter interest, admittendos: *Tractatu cum Fratribus nostris habito, diligenter, & utique nobis, & eisdem Fratribus nostris concorditer visum fuit, ut ipsa Capitula ad hujusmodi Concilia invitari debeant, & eorum Nuntii ad tractatus admitti, maximè super illis quæ ipsa contingere Capitula dignoscuntur.* Vocem hanc, *maximè*, advertas, velim; significat enim, nedum quando illorum interest, Conciliorum Decretis Capitula sententiæ jus habere; verùm etiam, quia Socii sunt cum Episcopo in Diœcesis administratione. Quæ Textûs decisio tàm æqua visa fuit, ut communiter admissa fuerit, & admittatur; Capitula enim semper vocata sunt, & adhuc vocantur ad Concilia Provincialia, quandò quædam celebrantur.

Ex aliis, qui Clerum, in Diœcesis regimine, partem habere probant, Textibus, præcipui 1. Ii sunt, qui Capituli consilium Episcopo esse necessarium docent, ut in Diœcesanos informent, corrigant, puniantque: *C. 3. de consuet. in 6.* Bonifacius VIII. in fine sæculi XIII. illius Juris communis necessitatem supponit; quippe, qui ad hoc posse Episcopum eximi officio, consuetudine legitimè præscriptâ, supponit.

2. Qui de Capituli, Sede vacante, ad Episcopi Jurisdictionem successione agunt, de eâ loquuntur quasi de re communiter stabilitâ, vide *Cap. 2. ne Sede vacante*, in quo Honorius III. hoc jus supponens liberam ad Episcopum pertinentem Beneficiorum collationem excipit; *Cap. 11. de major. & obed.* quo dicitur hoc jus à Præsulibus Jurisdictionem quasi Episcopalem ad Ecclesias transiisse. *C. 1. ne Sede vacante in 6.* quo Beneficia, quæ Episcopus conjunctim cum Capitulo conferebat, ab iis quæ separatim, vel cum Capituli consilio largiebatur, decernit, hæc successori reservanda, illa à Capitulo posse conferri declarat, & ad Episcopum. Suspensum extendit, quod jus de Episcopo mortuo dicebat. *Cap. 3.* quo dicitur Capitulum Episcopo captivo Jurisdictionem debere exercere & 4. *de suplend. neglig. in 6.* quod docet, Papam Capitulo abutente vel hoc jure uti negligente, debere Visitatorem dare.

3. Qui jus Beneficia conferendi ab Episcopo ad Capitulum transire docent, cùm Episcopus eo abutitur, vel uti negligit. *C. 3. de suplend. neglig. C. 5. de concess. Præb.*

4. Qui quædam esse Beneficia supponunt, quæ Capitulum cum Episcopo habito ut Episcopo confert. *C. 13. de conc. Præb. C. 31. de elect.* Illud ultimum supponit jure communi Præbendarum collationem ad Episcopum & Capitulum pertinere.

5. Qui Episcopum non posse sine Capituli judicio Presbyteros suspendere dicunt.

6. Qui iis, quæ Episcopi Jurisdictioni nocere possunt Capituli consensum esse necessarium supponunt. vide *Cap. 17. de Major. & Obed.* in quo *Honorius III.* prohibet, ne latum judicium de jure Primatiæ Bituricensem inter & Burdigalensem Archiepiscopos, Deputati publicent, quin priùs de Capitulorum consensu certi fiant.

7. Qui quædam esse declarant Capitula, quæ in sua Membra Jurisdictionem haberent, quæ pars esse videtur illius, quam cum Episcopo in communi exercebant, quamque consuetudine, vel aliter acquisiverant *Cap. 13. de Off. Judicis Ordinarii. c. 13. de foro competenti*: horum prior de alio Jurisdictionis jure ab Ecclesiarum Cathedralium Capitulis acquisito agit; nempè, quòd potest divini Officii cessationem præcipere, ad quam, si justa sit prohibitio, Episcopus teneatur. Idem dic de potestate Statutorum faciendorum, vel antiquorum mutandorum, modò Episcopo non sint nociva. *C. 9. de consuetud.*

Ex quibus omnibus colligere est juxta Christi & Apostolorum institutionem, quæ verbo scripto & tradito declaratur, purè Monarchicam non esse Diœceseon administrationem, uti nec Provinciarum, Primatiarum, Patriarchatuum, & Ecclesiæ Universæ: Presbyteros, saltem in his, quæ ad bonum commune spectant, partem habere debere, sicuti Suffraganeos Provinciarum administrationi, in his, quæ ad Provinciæ bonum pertinent, & sic gradatim: gubernandi formam huic institutioni congruentiorem esse, ut ii, quorum interest, congregentur, & Statuta fiant, quæ ab omnibus, vel saltem à majori parte necessaria dijudicantur, idemque in Decisionibus servetur, quando sunt cujusdam momenti.

Colliges iterùm Jurisdictionis in communi ab Episcopo & Capitulo possessionem, rem esse favorabilem, præsertim apud Gallos, quorum in eo positæ sunt libertates, quòd Jus commune antiquum præ cæteris conservarunt, & adhæserunt, in eo quippe usu, illius à Christo instituti juris, cujus voluntatis, Apostolorum & usque ad Sæculum XIII. Successorum praxi, monumentum continuum habetur. Hic autem, velim, secernas jus cunctis Ecclesiis commune aliquid peragendi à privatis quarundam Ecclesiarum Titulis, quæ hanc tàm sanctam institutionem fideliter servaverunt; si enim in his Titulis quædam occurrant vitia, contemnenda veniunt. *Rem debemus formæ præferre.* Quandò de usurpatione meritò præsumitur, ad rigorem agatur, nihil æquiùs; verùm, si contraria sit præsumptio, quod fit quando quod in Titulorum dispositione continetur, praxi primævæ congruit, quæ est

æquè antiqua ac Ecclesia toto orbe diffusa, & per omnes ætates transmissa, usque ad litterarum datam, hinc favorabiliter & benignè Tituli videntur esse interpretandi; & vitia, si quæ suspicantur, contemnenda, præsertim si quâ factus fuit Titulus primordialis, ætate, hâc pro vitiis non haberentur: de cæteris subsequentibus juxtà primævum judicandum est.

TITULUS XX.

VARIA OPUSCULA Concilii TRIDENTINI *Executionem, Publicationem, Apologiam, Interpretationem, Modum tractandi Doctrinam, Decretorum conciliationem, pluriumque de illis Dubiorum resolutionem contingentia.*

PRÆFATIO.

IN *Notis Historicis circa Concilia Generalia*, de TRIDENTINO non pauca observavimus, utpote necessaria, ad susceptam illorum inter se comparationem absolvendam. Multó plura seorsim tractanda supersunt, quæ ad *Capita*, in TITULO comprehensa, reducuntur: hæc autem singula peculiari notatione dignissima illius Decreta Jus novissimum continent, quo non cognito, Jus anterius, vix explicari potest. Hinc enim discitur quod illi additum est; quæ in illo mutationes factæ sunt. Multa, præterèa, contra Concilium Tridentinum dicta sunt, quæ, pro posse, diluere oportet. Extant nonnulla, quæ videntur contraria, vel obscura sunt; quæ, proindè, conciliatione, vel expositione indigent; non ubique recepta, quæ statuit circà Disciplinam: circà quod notandæ NATIONES, quæ receperint, quæve non receperint; quomodò, & quandò receptæ fuerint, singulares Regulæ circà illius Interpretationem statutæ, innumeræque hinc ortæ *Declarationes*, circà quas plura discutienda fuerunt, propter Regiones in quibus illæ authoritatem habent. Extant apud FAGNANUM plurima notanda circà has Declarationes, nec non quædam Axiomata Generalia circà idem Concilium, quæ seorsim colligere ac explicare necesse fuit. His de causis facta sunt, quæ eduntur, Opuscula.

SECTIO I.

CAPUT PRIMUM.

EXCERPTA è CONCILIIS GALLIÆ Concilio TRIDENTINO posterioribus, circà *Executionem Decretorum illius.*

POst finem Concilii *Tridentini*, decem Concilia in Galliis habita fuêre. *Primum*, RHEMENSE, ann. 1564. *Secundum*, ROTHOMAGENSE, an. 1587. *Tertium*, RHEMENSE, an. 1583. *Quartum* BURDIGALENSE, eodem anno. *Quintum*, TURONENSE eodem anno. *Sextum*. BITURICENSE an. 1584. *Septimum*. AQUISEXTIENSE, an. 1585. *Octavum*, TOLOSANUM, an. 1590. *Nonum* NARBONENSE 1609. *Decimum* BURDIGALENSE an. 1624.

Dùmque *Tridentinum* durabat, unum habitum fuit *Narbone*, an. 1551. 10. Decemb. post *Sessionem XIV.* Tridentini, quæ est 1551. 25. Novemb. & 4. sub JULIO III. cœpit enim *Narbonense* hoc Concilium 10. Decemb. ejus Anni, & absolutum est die 20. ejusdem Mensis, CONCIL. *Tom. XV. p. 3.* Porrò: notabile est, quod, licèt Concilium hoc *Narbonense* de multis egerit rebus, quæ discussæ fuerunt in his XIV. *Sessionibus* ipsi anterioribus; nihil tamen dicat, undè inferri possit, quòd harum Sessionum Decreta viderit, vel se ipsis conformare studuerit: quod ut comprobetur, Decreta *de Fide Catholicâ, de Tonsurâ & Habitu Clericali, de Prædicatione Verbi Dei, de Prædicantibus adversis, & de Præbendâ Theologali, de Dimissoriis, de Sacramentis Pœnitentiæ & Eucharistiæ* legantur. Patet ex citatis hujus Concilii *Narbon.* Canonibus, collatis cum Decretis correspondentibus laudatarum *Sessionum*; quòd non præceperit Parochis, ut Gregi suo doctrinam illarum *Sessionum* exponant; sed jubet, ut eum erudiant juxtà Articulos à Facultate Parisinâ, procurante FRANCISCO I. confectos, ut essent regula doctrinæ, donec Concilium Generale controversiam ejus temporis diremisset. Quamvis igitur Concilium hoc *Narbonense* magnæ parti *Tridentini* posterius sit, haud tamen ex illis est Conciliis, quorum *Excerpta* daturi sumus, circa *Executionem* Decretorum Concilii Tridentini.

De cæteris dicendum in genere, quòd conveniunt in duplici capite valdè notabili. 1. Singula promiscuè receperunt omnia Decreta Tridentini *circa Fidem*; receperunt, inquam, sine examine, seu discussione: ideò quòd ipsis visa sint evidenter consona Traditioni Ecclesiarum suarum, à quâ recesserant Hæretici his Decretis damnati. Factum hoc probatur per Professionem fidei à quâ incipiunt, quæ est illa à PIO IV. proposita, Articulum expressum ad receptionem eorumdem Decretorum continens. Excipiendum tamen est primum Concilium Rhemense, quod inchoatum est tùm, cùm hæc Professio fidei nondùm in Gallias pervenerat, quippe quæ data sit Idibus Novembris 1564. CONC. *Tom. XIV. p. 946.* ac Concilium hoc auspicatum est 25. ejusdem Mensis 1564. CONC. *Tom. 15. pag. 53.*

Receptio Generalis Decretorum circa Fidem.

Excepto Concilio Rhem.

Sed quantùm Concilia hæc unius labii sunt in receptione Decretorum circa Fidem, tantumdem, circa acceptationem, modumque acceptandi Decreta Disciplinæ, discrepant; nullum est enim, quod hæc universa receperit, eorumque Executionem jusserit: quod, profectò, oritur ex eo, quòd illa omnibus Provinciis ex æquo non convenirent, vel, quæ necessaria, vel utilia erant alicui Provinciæ; alii inutilia erant.

Decretorum Disciplinæ receptio.

Præterea, plura ex iis ità sunt recepta, ut nulla Concilii Tridentini mentio facta fuerit. Nonnulla recepta, quatenùs ab hoc Concilio confecta, ipsiusque sub nomine: quâ in formâ aliud est discrimen inter Concilia Galliæ, nimirùm, quòd alia recipiant multa Decreta hoc modo, alia verò, pauciora. Ratio est, quòd Concilium Tridentinum in Regno publicatum non fuisset; imò Rex huic promulgationi intercederet: utendum erat temperamento pro variâ locorum, temporum & personarum qualitate; ideoque, alia plus, alia minùs adhibuerunt, ut mox patebit.

CAPUT II.

Concilium RHEMENSE.

COncilium 1. Rhemense habitum fuit annis 14. priusquàm Decretum contra Matrimonia Clandestina conversum fuisset in Legem Civilem, per *Constitutionem Blesensem*; ideoque, ab eo publicando abstinuit; sed Decretum fecit consimile, opportuno tempore promulgandum. Eodem modo se gessit quoad Decretum circà Nuptias coactas; quapropter, utrumque Decretum seponit cum hac Inscriptione; *Decreta à Synodo quidem probata, sed nondum publicata.* Eamdem ob causam, nec non ob offensam à Tridentinis Patribus Galliæ illatam, Synodus Rhemensis neque in his duobus Decretis, neque in cæteris ab eodem Concilio excerptis, facit mentionem Loci, in quo illa

Matrimonia Clandest.

illa desumpsit. Tot sunt ferè hujus rei exempla, quot Statuta hujus Synodi; nam pleraque è Concilio Tridentino derivata sunt, iisdemque, ut plurimùm, verbis concepta; nec tamen illud laudatur. Hoc specialiter videtur in 4. ubi recipitur mutatio, quam fecit, quoad Impedimentum Cognationis Spiritualis; in 5. pertinente ad tempus, quo Nuptiæ interdicuntur, atque ad earum præparationes; in 7. quod concursum quemdam introducit in promotione ad Bene-
Ordines. ficia Curata; in 9. pertinente ad qualitates primæ Tonsuræ requisitas, & Privilegia Tonsuratorum; in 10. restitui jubente munera Ordinum Minorum; in 11. approbante illos seorsim conferri cum aliquo interstitio; in 12, 13. 14. quæ jubent, ut Ordinandi alicui Ecclesiæ addicantur, vel determinant Ætatem requisitam ad Sacros Ordines, vel statuunt Examen, sive Scrutinium, ad Ordines, Candidatis subeundum; in 15. & 16. jubentibus, ut Clerici promoti ad Ordines, eos exerceant antequàm ad Superiores ascendant, utque Ordines gratis conferantur; in 17. docente, quemadmodum Clerici vivere, atque in omnibus se gerere debeant. Observatio circa curam, quâ Concilium 1. Rhemense à laudando Concilio Tri-
Fides. dentino abstinuit, dùm ejus Decreta Disciplinæ describeret, confirmatur per Statutum 2. ubi de Fide, sanâque Doctrinâ agendo, jubet, eam in hujus Conciliis Definitionibus hauriri, plurimamque ejus mentionem facit, quia, hoc in Capite, nullo temperamento opus erat, cum Gallia, quoad hoc, nihil in Concilio desiderare posset.

CAPUT III.

Concilium ROTHOMAGENSE.

CONcilium hoc an. 1581. habitum, sæpè Tridentinum laudat, sæpiùsque ejus non laudati Decreta describit, recipiendo Professionem Fidei PII IV. *Tit. de Fide*, unà recipit Decreta Concilii Tridentini circa Dogma, in Professione hac enumerata: vel indicata, cum expressâ Concilii ejus mentione.

Breviarium. TIT. *de Cultu Divino*, laudat Decretum Concilii Tridentini *de Reformatione Breviarii*, jubetque, ut juxta hoc Decretum, & Constitutionem PII V. fiat.

Agendo *de Sacramentis*, præcipit Parochis, ut eorum effectus plebi exponant, juxtà Doctrinam *Catechismi Romani*, qui ex Tridentini præcepto factus
Sacramenta. fuit. Eodem *Titulo*, loquendo de *Baptismo*, describit Statutum Tridentini *Cap.* 2. SESS. XXIV. *de Reform. Matrim.* circà Patrinos, eorum qualitatem, numerum, Tabulas Baptismorum, & Cognationem provenientem ex Officio Patrini in hoc Sacramento.

Missa. TIT. *de Sacrificio Missæ*, describit id, quod Concilium Sacerdotibus præcipit; nimirùm, ut confiteantur ante Missam, si possint. Describit pariter interdictum ejusdem Concilii, ne Presbyter scandalosus sinatur celebrare, neve in Domibus privatis, & extra loca benedicta celebretur.

Pauca sunt in Decretis Concilii Tridentini circa Ma-
Matrim. trimonium, quæ Synodus Rothomagensis non adoptaverit, sive illud laudando, sivè non. Nam, postquàm declaravit se optavisse, ut Decretum Concilii Tridentini circa Reformationem Matrimonii, promulgatum fuisset in Gallia, ut posset declarare nullum Matrimonium extra præsentiam Parochi, duorumque, aut trium Testium contractum, & sic perniciosis effectibus Matrimoniorum Clandestinorum obviare; jubet, ut Plebs de hujus peccati atrocitate moneatur, deque Decreto, quod Concilium Tridentinum illi opposuit, & de pœna excommunicationis in fontes latâ; denique suspendit ipso facto Sacerdotem huic Matrimonio assistentem, in hoc imitando Tridentinum. Deindè, describit Statuta Concilii circa Banna, tempus prohibitum, celebrationem ab alio, quàm à proprio Parocho, libertatem Matrimonii, Matrimonium Gyrovagorum, Concubinatum extra vel intra Matrimonium.

Decreta Concilii Tridentini circa qualitates Episcopatui requisitas, informationem de vitâ & mori-
Officia Ecclesiastica. bus promovendorum, tempus ac locum consecrationis eorum, Residentiam, obligationem annuntiandi Verbi Divini leguntur quoque ibidem TIT. *de Episcop. & Capitul.* Idem est de Statutis Tridentini circa Dignitarios & Canonicos, eorum Ætatem, Gradus, Promotionem ad Ordines, Residentiam, & similia.

Summa Decretorum Concilii Tridentini circà Ordinationem, Visitationem, Celebrationem Synodi Diœcesanæ, Electionem in ea faciendam Scrutatorum, sive quoad Ordines, sive quoad Beneficia, inseritur TIT. *de Episcopi Officio.*

Varia Decreta Concilii Tridentini congesta sunt sub TITULO *de Officio Curator.* aliorum *Presbyteror. ac Paræcianor. Offic.* Talia sunt 1. Decreta circa Residentiam Parochorum, eorum obligationem ad eruditendum Gregem suum, modum augendi reditum Paræciarum, quæ victum honestum præstare nequeunt: Concilium Tridentinum laudatur quoad Residentiam. 2. Decreta circa Tabulas Baptismi, & Matrimonii. 3. Decreta, quæ loquuntur de approbatione ad Prædicandum, & Confessiones audiendas, iis necessariâ, qui non obeunt illa munera ratione Beneficii sui, deque punitione Concionatorum, qui docent errores, vel scandalum sermonibus suis movent. 4. Decreta circa reductionem Missarum aliarumve fundationum. 5. Decreta circa obligationem audiendi Sacrum & Prædicationes, sive Instructiones, in Paroeciâ.

Pleraque Decreta *de Regular.* SESS. XXV. collocata sunt in TIT. *de Monaster.* Talia sunt ea, quæ respiciunt obligationem servandi Vota Religionis, maximè votum paupertatis; Noviciatum, seu Probationem, & Professionem; libertatem quoad utramque; clausuram, visitationem, translationem Monasteriorum fœminarum, quæ ruri sita sunt: hìc pluries laudatur Concilium Tridentinum. Sub TIT. *de Jurisdictione Eccles.* reperitur substantia *Cap.* 3. *Sess. XXV.* versantis circa usum Excommunicationis, & Monitoriorum. Ibi quoque decernitur Executio Decreti circà Seminaria, quæ fit deindè sub TIT. *de Scholar. & Seminar. fundatione &c.* nec semel Concilium Tridentinum laudatur.

CAPUT IV.

Concilium 2. RHEMENSE.

IN Epistolis Indictionis 2. Concilii Rhemensis an. 1583. legitur eam fieri consequenter ad Decretum Concilii Tridentini, circa celebrationem Conciliorum Provincialium.

In *Præfatione* Cardinalis GUISIACUS innuit, Statuta hujus 2. Synodi facta fuisse ad procurandam executionem Decretorum Tridentini necessariorum ad reformationem abusuum urgentium; dicendo, se, dùm sperat quotidie, expectatque ampliorem publi-
Executio Concilii. cationem Concilii Tridentini, providere interea restitutioni Disciplinæ, & ponendæ regulæ morum tàm Cleri, quàm populi: nàm verba hæc *amplior publicatio*, significant eum habuisse in animo aliquam, sed minùs amplam facere. Hoc confirmatur per subsequentia excerpta ejusdem Synodi, in quibus Decreta Concilii Tridentini laudantur, vel describuntur.

Capite 1. Synodus omnia Decreta Concilii Tridentini circà Dogma, recipit unà cum Professione Fidei
Dogma. PII IV. quæ illa numerat inter Ecclesiæ Definitiones credendas & profitendas. *Cap.* 2. de Cultu Divino, juxtà Decretum *de Invocat.* SESS. XXV. dicitur, nullam Imaginem novam venerationi Fidelium exponendam esse, sine approbatione Episcopi, vel ejus Vicarii.

TIT. *de Ordine*, non semel laudatur Concilium Tri-
Ordines. dentinum 1. Jubendo, ut Ordines conferantur juxtà præscriptum ejus. 2. Vetando, ne Beneficium, quod Titulo Clericali deputatur, resignetur, sine hujus circumstantiæ mentione, sub pœna nullitatis. 3. Monendo, ut, in Promotione ad Beneficia, observetur Statutum Tridentinum *Cap.* 18. SESS. XXIV. circà

concursum ad Beneficia Curata. In *eod. Titulo* describitur aliquid è Tridentino, quod non laudatur.

Matrimonium. Hoc peculiare est TITULO *de Matrim.* quòd Synodus ad verbum referat Decretum Concilii Tridentini circa Matrimonia Clandestina, quod Synodus præcedens adoptare timuerat, ejusque executionem decernere. Eidem Decreto jungit plura loca Capitum sequentium ejusdem Sessionis; specialiter circà Tempus prohibitum, & limitationem Impedimentorum, tùm Cognationis spiritualis, tum Affinitatis per viam illicitam, necnon honestatis publicæ ex Sponsalibus provenientis.

TITULUS *de Seminario* evidenter tendit ad executionem *Cap.* 18. SESS. XXIII. *de Reform.* nam, præter quam quod laudatur Tridentinum, plura Capita ex eo sumpta sunt.

TIT. *de Clericis* in genere laudatur Decretum Concilii Tridentini contra Clericos concubinarios, caveturque, ut contra eos, ratione in eo præscriptâ, procedatur.

TIT. *de Monast.* inserta fuêre quædam Decreta Concilii Tridentini SESS. XXV. *de Regular.* Primum respicit Confessionem & Communionem Monialium semel in Mense, & extraordinarios Confessarios bis, terve in anno concedendos.

Concilium Tridentinum ter laudatur TIT. *de Curat.* 1. Cavetur, ut juxtà dispositionem Concilii Tridentini, sententiæ circa Portiones congruas executionem, non obstante Appellatione, sortiantur. 2. Dicitur, intentionem Concilii esse, ut Parochi non residentes dictâ Portione congruâ non fruantur. 3. Præcipitur iisdem Parochis, ut commissum sibi Gregem erudiant juxta Doctrinam contentam in Catechismo ex jussu Tridentini confecto.

Statuta Tridentini circa Canonicos, eorum Residentiam, vel Absentiam, distributiones, honores, quos debent Episcopo, inseruntur TIT. *de Capite & Canon.* Decretum Tridentinum contra Clericos concubinarios nominatim applicatur Canonicis eidem vitio obnoxiis.

TIT. *de Episcopis*, visuntur quædam Decreta Concilii Tridentini circà officia Episcoporum: putà, residendi, vitandi luxum, frugalitatem servandi, impediendi alienationes vetitas, & invigilandi, ut licitæ fiant juxtà Legem. Sunt quoque nonnulla circà eorum jura; putà, ne quis sine eorum licentiâ concionetur.

Cùm Tridentinum pluribus in locis de simoniâ egerit, pluries quoque laudatur à Rhemensi Synodo TIT. *de Simon.* 1. Hæc prohibet, ne quidvis pro Ordinibus exigatur, excepto jure Secretarii seu Notarii, ad decimam unius Aurei partem restricto. 2. Ne quid à Canonicis exigatur pro jure ingressûs. 3. Ad obviandum simoniæ in receptione Monachorum & Monialium, vetat, ne Monasteria plures admittant personas, quàm alere possint.

Cap. 3. SESS. XXV. *de Reform.* describitur TIT. *de Jurisdict.* ubi prohibetur, ne ii, qui non habent talem potestatem, Monitoria concedant, vel excommunicent, neve ea concedantur aliàs, quàm ex causis gravibus, decerniturque, ut excommunicati, qui annum transigunt non petendo absolutionem, suspecti sint hæreseos.

CAPUT V.

Concilium BURDIGALENSE.

CONcilium hoc habitum an. 1583. Concilium Tridentinum expressè laudat *Cap.* 5. decernitque executionem Decreti vetantis, ne Missa celebretur in locis ab Episcopo non approbatis. Ejusdem mentionem facit *Cap.* 8. præcipiendo Parochis, ut ejusdem Concilii Tridentini Catechismum assiduè tractent; item sequitur Decretum circa numerum Patrinorum, & restrictionem Cognationis spiritualis, *Cap. de Baptismo.* Loquendo de Pœnitentiâ laudat Decretum Tridentinum, vetans cuicumque Presbytero, ne Confessiones audiat, nisi Parochus sit, vel ab Episcopo approbatus. Ibidem plura alia Decreta Tridentini non laudati refert. Primum versatur circa institutionem Pœnitentiarii in singulis Ecclesiis Cathedralibus: aliud circa pœnitentiam publicam peccatorum publicorum: tertium respicit casus reservatos.

Ordines. Agendo de Sacramento Ordinis, jubet observari Decretum, quod præscribit Ætatem Ordinibus Majoribus competentem, illudque nominatim laudat. Tum plura alia Decreta ejusdem Concilii non laudati refert. Tale est Decretum circa qualitates ad Tonsuram requisitas: tale etiam Decretum circa Titulum Clericalem: tale est, denique, Decretum prohibens, ne quid pro Ordinibus exigatur, exceptâ aurei parte decimâ Notario concessâ.

Matrim. Loquens de Matrimonio, decernit executionem Decreti 1. *de Ref. Matr.* illudque è verbo ad verbum refert, & dicit, se id facere, quia medetur abusibus circà Matrimonium. Ibidem plura alia Decreta Concilii non laudati adoptat circà Cognationem spiritualem, & Affinitatem ex illicitâ copulâ provenientem. Quoad Decretum circà Impedimentum publicæ honestatis, res aliter se habet: nam Concilium laudat illud nominatim.

Episcopi. TIT. *de Episcopis*, cui plura Decreta Tridentini circà Episcopos inserit, quædam laudat, quædam non. Laudat Decretum circa Episcoporum frugalitatem & modestiam, quoad vestitum, & supellectilem: laudat quoque Decretum circa Episcoporum Consecrationem: refert Decretum vetans, ne Episcopi cognatos suos è reditibus Ecclesiasticis ditent, non laudato Concilio Tridentino.

Canonici. Loquendo de Canonicis, jubet observari quædam Decreta Tridentina circa Ætatem ad Dignitates requisitam; Ordinem requisitum ad suffragium in Capitulo; ordinem unicuique Præbendæ assignandum; tempus Servitii; causas excusationis ab assistentiâ ad Officium; distributiones ob id debitas, laudatque Concilium his verbis, *proindè Sacri Tridentini Concilii Decreta recolentes statuimus* &c. Ibidem refert Decretum Tridentinum vetans, ne spurii Clericorum filii Beneficium, vel Officium aut Pensionem habeant in Ecclesiis Patrum suorum, non laudato Concilio.

Parochi. Ejusdem Tridentini meminit in duobus locis, TIT. *de Paroch.* 1. Præcipiendo Parochis, ut Dominicis ac Festis diebus aliquid è Catechismo Concilii exponant. 2. Jubendo, ut conficerentur Tabulæ Matrimoniorum contractorum circa formam Tridentini. Idem Concilium, loquendo de Residentiâ Pastorum, decernit executionem Concilii Tridentini circà Residentiam Episcoporum, & Curatorum; illudque laudat ac refert: *Merito itaque, Sancta Tridentina Synodus veterum Patrum Decreta innovans, sancit....* &c. *Nos cùm tàm salutare & necessarium Decretum, aliaque generis ejusdem velimus in nostrâ Provinciâ diligentissimè observari, statuimus.*

Agendo de Prædicatione, Decretum Tridentinum laudat circà obligationem prædicandi in Episcopis & Parochis; *autoritatem Concilii Tridentini... secuti.* Cùm loquitur de vitâ ac moribus Clericorum, & statuit observanda circa Clericos impudicos, Tridentini autoritate utitur, in eo quod dicit, cognitionem & punitionem incontinentiæ Clericorum pertinere ad Episcopum: *Ad quos prædictorum omnium cognitio ex Sancti Concilii Tridentini autoritate tantùm pertinet, feriantur.*

TIT. *de Examine, sive Scrutinio*, quoad promotionem ad Beneficia, sub pœnâ nullitatis, observari jubet formam à Concilio Tridentino præscriptam, & Decretum ejusdem circà collationem Parœciarum per concursum, è verbo ad verbum refert.

TIT. *de Seminariis* factus est ad executionem Decreti Tridentini circà Seminaria, ut apparet, non solùm ex similitudine, sed etiam ex eo, quod expressè dicat; *Itaque, ex ipsius Sacri Concilii Tridentini autoritate, Seminarium* &c. & infrà, *Nos ex ejusdem Concilii Tridentini autoritate, ipsis Seminarium* &c.

Regulares. TIT. *de Monasteriis*, Synodus non solùm decernit observationem aliquot Decretorum Concilii Tridentini circà

circà Regulares, eaque refert, laudato nominatim Concilio, ut videtur *§. quicumque* & *§. hortamur*; sed etiam dicit, *Omnia ejusdem Sanctæ Synodi Tridentinæ Decreta de Regularibus & Monialibus, non minùs accuratè in omnibus Monasteriis observentur, ac si in his Constitutionibus nostris essent inserta.*

Libri. Eadem Synodus TIT. *de Scholis*, præcipit executionem Decreti Tridentini vetantis, ne imprimantur Libri sine Autoris nomine, & approbatione; & Decreti circa Editionem, atque usum Librorum Sacrorum. Suprà monuerat Magistros, ut Scholaribus suis exponerent Catechismum Concilii Tridentini diebus Festis.

TIT. *de Jurisdictione*, referuntur Decreta Tridentina circà rectum usum Monitoriorum & Excommunicationis: item, circà reservationem concessionis illorum ad Episcopum.

TIT. *de Synodis Diœcesanis*, Concilium Tridentinum laudatum videtur, inter Concilia, quæ Synodum Diœcesanam præcipiunt: namque unum ex illis est, quæ eam statuerunt; & præterea, ut omnes Beneficiati, & maximè Curati, ad eam convenirent. Ibidem laudat expresè Concilium Tridentinum circà Electionem Scrutatorum, quæ singulis annis in Diœcesanâ Synodo fieri debet: *In singulis Synodis anniversariis sex Examinatores, sive Sæculares, sive Regulares, juxtà Sacri Concilii Tridentini Decreta instituantur.*

Archiepiscopus Burdigalensis, in Epistolâ hujus Synodi promulgatoriâ, significat, eam habitam fuisse, ad procurandam in Provincia executionem Decretorum reformationis Tridentinæ; *Ut Ecclesiasticæ remissio Disciplinæ, dissolutioque salutaribus tandem Provincialis Concilii Decretis, ex ejusdem potissimùm Concilii Tridentini præscripto reformaretur.*

CAPUT VI.

Concilium TURONENSE.

CONcilium hoc an. 1583. habitum, TIT. *de Baptism.* executionem Decreti Tridentini numerum Patrinorum, necnon Cognationem spiritualem restringentis decernit, non laudato Concilio. Eadem Synodus Tridentinum sequitur in eo, quòd jubet, circà Matrimonium Clandestinum, illudque laudat sub nomine Conciliorum, quæ hoc damnarunt; *Idcircò dic-*

Matrim *torum Conciliorum vestigiis inhærentes, & infra districtè præcipiences omnibus Ordinariis*, ut cùm primùm poterunt, curent Decreta Sanctorum Conciliorum de Clandestinis matrimoniis populo publicari & explicari, in singulis suarum Diœceseon Parœcialibus Ecclesiis. Cùm aliud non sit Concilium præter Tridentinum, quod sua Decreta contra matrimonia clandestina in Parœciis publicari jusserit, & de quodam novo & speciali Decreto agatur, cujus publicatio non erat libera; valdè credibile est, hunc Synodi Turonensis locum de Tridentino intelligendum esse, eo magis, quòd adjiciat, se velle, ut 30. diebus post publicationem, matrimonium extrà præsentiam Parochi duorumque aut trium testium celebratum, sit nullum, quod à solo Tridentino cautum fuit. Eodem Titulo refertur aliud Tridentini non laudati Decretum, quo nuptias benedici certis temporibus prohibetur.

E Tridentino sumptum videtur ejusdem Synodi Statutum *Tit. de Sacram. Ord.* circà publicationem promotionis futuræ ad Ordines. Equidem nonnulla Concilia Provincialia Concilio Tridentino anteriora eamdem publicationem instituerunt; verùm ea forsitan nota non fuêre Synodo Turonensi; namque illa sunt Germanica; non autem potuit ignorare Decreta Concilii Tridentini. Ut ut sit, neque Tridentinum, neque alius fons, in quo Turonensis haurire potuit hîc designantur.

Synodus loquendo de Canonicis, multa decernit, quæ ex Tridentino videntur accersita, nec tamen hoc laudatur. Talia sunt 1. Statutum circà ætatem Dignitariorum, Curatorum, nec non Canonicorum Ecclesiarum Cathedralium; 2. Statutum ut tertia pars reditûs Præbendarum convertatur in distributiones. 3. Statutum circa institutionem Pœnitentiarii, siquidem in eo requirit easdem qualitates ipsique idem privilegium indulget. 4. Statutum circà munera Theologorum Tridentino conforme.

Titulo *de Paræcis* plurima fit atque expressa Tridentini mentio, ubi agitur de obligatione recitandi Breviarium omnibus Beneficiatis impositâ, necnon iis, qui in Sacris Ordinibus constituti sunt; nam dicitur, eos debere illud recitare juxtà usum Breviarii jussu Tridentini confecti. 2. Ubi prohibetur, ne peccatores publici Sacrum celebrare sinantur, neve quis ipsi intersit: *secundùm Concilii Tridentini Decreta*; 3. Cùm novis Sacerdotibus præcipitur, ut primam Missam celebrent intrà sex priores Menses promotionis suæ, sub pœnâ privationis fructuum sui Beneficii, *Concilii Tridentini Decreta insequentes.*

Referuntur quoque aliquot Decreta Tridentini non laudati: illud, puta, quo cavetur, ut certus Examinatorum numerus in singulis Synodis Diœcesanis eligatur, qui discutiant aspirantes ad Beneficia Curata, & aliud circa Residentiam Curatorum.

Eadem Synodus, agendo de Regularibus & Monasteriis eandem præfinit ætatem Professioni Religiosæ, quam Tridentina & requirit similiter unum probationis annum, nullâ Concilii factâ mentione.

Loquendo de Monialibus *Tit. XVII.* plura alia ejusdem Tridentini non laudati Decreta refert. Talia sunt illud, quo 40. anni requiruntur in Abbatissâ, & 8. saltem anni professionis: Illud, quo excommunicantur ipso facto, qui coëgerint fœminas ad profitendam Religionem, vel impedierint, quominus profiterentur, necnon eorum coadjutores. Item Decretum circà reclamationem contra Vota, & illud, quo statuitur, ut Episcopus ante habitûs susceptionem, iterumque antè Professionem puellas exploret.

Eadem Synodus, loquendo de Seminariis, expresè laudat Decretum Tridentinum circà hanc rem; nam jubet, ut illa in singulis Diœcesibus instituantur juxtà præscriptum Tridentini.

Denique, scribendo ad GREGORIUM XIII. suaque gesta exponendo, & eorum confirmationem petendo, dicit, *habebit ergo Sanctitas tua tuorum humillimorum servorum Turonensis Provinciæ Patrum Decreta è Concilio Tridentino Oecumenico excerpta, pro temporis instantis usu, conditione, & necessitate adeò accuratè & exquisitè per nos excerpta, ut nec majore studio, nec magis in omnium Provinciarum utilitatem fieri potuerint.*

CAPUT VII.

Concilium Bituricense 1584.

EPistola convocationis hujus Concilii docet ejus propositum fuisse, non solùm exequi Decretum Tridentini jubens, ut Concilia Provincialia celebrentur, sed multò magis amplecti firmiter ejus Decreta &c. *Piè & prudenter universalis Tridentina Synodus... statuit, ut Synodi Provinciales celebrentur... ut eodem spiritu Pastores simul congregati amplectantur, observent, explicent, suisque observanda proponant.*

Sed, licèt hæc Synodus non monuisset sibi propositum fuisse, procurare executionem Decretorum Tridentini, id satis ex ejus Canonibus noscetur; nam plures ex illo desumpti sunt, quod indicat illud frequenter laudando. Quatuor sunt exempla in *Tit. III.* Primum, in *Cap. 3.* ubi datur summa Decretorum, quæ vetant prædicare sine licentiâ Episcopi, vel quæ correctioni subjiciunt eos, qui prædicant errores aut res scandalosas. Alterum *Cap.* 5. ubi refertur Decretum prohibens, ne Presbyteri, vel Monachi errantes prædicare sinantur, nisi ab Ordinario approbati fuerint. Tertium in *Capite 6.* ubi cùm Tridentino prohibetur, ne Quæstores ulli collectas

faciant, nisi ab Episcopo causâ cognitâ consentiatur. Quartum legitur *Cap.* 9. cum eod. Concilio præcipitur Abbatibus & Prioribus Regularibus, vel Commendatariis, ut Professores in Theologiâ vel Scripturâ Sacrâ instituant in singulis Monasteriis, quæ huic impensæ sufficiunt.

Præter Decreta Tridentina hîc nominatim laudata, aliud ejusmodi non non laudati refertur; illud nempè, quod vetat Regularibus, ne concionentur in suâ Ecclesiâ sine benedictione Episcopi; ejusque licentiâ. Posterior clausula non existit in Tridentino sed est aliquid æquipollens: Nàm vetat Regularibus, ne prædicent, *contradicente Episcopo*; porrò non contradicere cum licet, est permittere.

Titulus IV. alia exempla suppeditat; nam *Cap.* 1. videtur Decretum prohibens, ne Libri Theologici vendantur, nisi ab Ordinario fuerint approbati; & *Cap.* 3. Decretum contra pravum usum & profanationem verborum Scripturæ Sacræ.

Cap. 1. *Tituli X.* cum Tridentino præcipit, ut Episcopi curent plebem erudiri circà honorem Sacris Reliquiis debitum; nec tamen Concilii meminit. *Cap.* 4. *ejusd. Tit.* cum eodem prohibet, ne cultui Fidelium exponantur Reliquiæ, nisi ab Ordinario priùs exploratæ & approbatæ fuerint, illudque nominatim laudat. *Præfatio* & Canones *de quotidianis distributionibus* totidem sunt probationes, quòd hæc Synodus voluerit exequi Decreta Tridentinæ. Dicitur in Præfatione, eum qui non ministrat Ecclesiæ, non debere ali ab Ecclesiâ. *Cap.* 1. dicitur, distributiones non debere dari iis, qui non intersunt Officio Divino, excepto casu valetudinis, vel evidentis Ecclesiæ utilitatis. Legitur in 2. quòd Canonici studentes Præbendarum suarum reditus percipere debeant: In 3. Quod Canonicus non Subdiaconus vocem non habeat in Capitulo: In 4. nihil exigendum esse pro promotione ad Beneficia, apprehensione possessionis & ingressu in Præbendam, nisi id quod exigitur in opera pia convertatur in favorem Ecclesiæ. Porrò, omnia hæc statuta vel dicta fuêre à Tridentino. *Cap.* 5. *Tit. XXI.* Laudat Concilii Tridentini Decretum prohibens cuicumque Presbytero, sive Sæculari, sive Regulari, ne Confessiones audiat, nisi ab Ordinario approbatus sit. *Cap.* 2. *ejusd. Tituli* refert Decretum Concilii jubens, ut pœnitentiæ publicæ peccator publicus subjiciatur, nisi Episcopus necessarium ducat publicam in secretam convertere, nec illud laudat. *Cap.* 6. cum Tridentino præcipit ut Pœnitentiarius in singulis Ecclesiis Cathedralibus instituatur. *Titulo XXIV. de Ordine.* Synodus præcipit observationem plurium Decretorum Concilii Tridentini, quod tamen semel tantum laudat; scilicet *Cap.* 6. ubi permittit Episcopum conferre Ordines ratione triennalis commensalitatis. *Cap.* 1. cum Concilio jubet, ut Ordines publicè, & coràm omnibus conferantur &c. *Cap.* 3. cum eodem Tridentino vetat, ne quis, nisi exploratus admittatur ad Ordines. *Cap.* 4. jubet servari Decreta Conciliorum circà ætatem & qualitates Ordinandorum; in his autem tribus Canonibus non meminit Tridentini: credibile est tamen illud esse unum ex iis, quorum Decreta commendantur.

Cap. 1. *Tit. XXVI.* cum Tridentino prohibens, ne Ordines conferantur iis, qui non habent Titulum Clericalem, Concilium nominatim laudat.

Cap. 3. *Tit. XXVII.* jubet in omnibus Provinciæ Parœciis publicari Decretum Tridentini contra Matrimonia Clandestina, dicitque, se id facere juxtà præceptum ejusdem Concilii. *Cap.* 5. præcipit exequi Decretum jubens, ut Nuptiæ benedicantur à Parocho, duobus tribusve testibus præsentibus. *Cap.* 7. cum eodem Concilio præcipit, ut qui conjugari volunt, confiteantur & Communionem Sacram accipiant tribus diebus antea. *Cap.* 11. eos ipso facto excommunicat, qui Matrimonii libertatem, impediunt. *Cap.* 12. cum eodem Concilio vetat, ne peregrini ignoti ad Matrimonium admittantur, donec appareat de eorum statu. *Cap.* 14. cum eodem Concilio interdicit nuptias ab Adventu usque ad Epiphaniam; & à die Cinerum usque ad Dominicam *Quasimodo*. Ex his omnibus Canonibus *Tertius* solùm expresè Tridentinum laudat.

Cap. 1. *Tit. XXXI.* in quo agitur de recto & libero Excommunicationis usu, sumptum est à *Cap.* 3. SESS. XXIV. *de Reform.* neque illud laudat. Item *Can.* 1. *Tituli XXXII.* jubens, ut in Ecclesiis vacantibus Supplicationes fiant, pro obtinendo bono Episcopo, non laudat. *Cap.* 1. SESS. XXIV. *de Reform.* A quo sumptus est *Can.* 1. *Titul. XXXIII.* Cum Tridentino præcipit, ut Episcopus omnes Ecclesias quotannis visitet, quas visitandi jus habet, si fieri potest, nec illud laudat.

Titulus XXXIV. de Canonicis, plures habet Canones è Tridentino non laudato accersitos. Tales sunt, *Primus*, in quo prohibetur, ne Capitula conferant Beneficia personis, quæ qualitatibus requisitis careant. *Quartus*, loquens de ratione augendi reditus Præbendarum tenuiorum. *Quintus*, jubens, ut Dignitates conferantur viris probitate ac Scientia conspicuis, necnon Graduatis in Theologia, vel Jure Canonico. *Septimus* supponit Decretum Tridentini jubens institui Theologiæ Magistros, etiam in Ecclesiis Collegialibus Locorum ubi plebs abundat, observari; nàm decernit munera horum Magistrorum perinde atque aliorum.

Plures extant Canones similes in *Titulo XXXV.* in aliquot Concilium laudatur. *Primus* est *Secundi* generis, & vult Parœcias conferri juxtà formam à Tridentino præscriptam; scilicet per concursum. *Canones* 3. 5. 6. 7. 12. Sunt primi generis: 3. & 7. jubent, ut Parochus cogatur tot Vicarios habere, quot Parœcianis opus est. 5. Parochum residere præcipit, ut munera sua per seipsum obire possit. 6. Injungit Episcopis ut Vicarios substituant Parochis, qui munera sua obire nequeunt. 12. Aperit vias providendi alimentis Parochorum, quorum reditus sunt tenuiores.

Tit. 36. tres videntur Canones Tridentini Decreta nominatim laudantes nempe 2. 3. 7. *Can.* 2. prohibet ne quis plura beneficia Curata habeat, decernitque, ut si qui plura possident, unum non elegerint intra sex menses, omnia ipso jure vacent; 3. præcipit, ut Parœciæ abusivè unitæ dividantur, & revocentur ad priorem statum ab Ordinario. 7. Vetat usurpari jus Patronatûs, neve quis utatur eo quod sibi vindicat, nisi illud comprobaverit juxtà formam à Concilio Trident. præscriptam. *Can.* 4. vetat ne beneficia Curata in simplicia convertantur, nec laudat Trident. à quo sumptus est.

Canones 3. 4. 6. *Tit.* 37. Idem præcipiunt quod Trident. circa ætatem requisitam, ad Professionem Religiosam, libertatem ejusdem Professionis, annum Novitiatûs, seu Probationis, observationem accuratam Votorum, maximè paupertatis, nec tamen illud laudant.

Cap. 5. *Tit. XLV.* Duellum sub pœnâ excommunicationis prohibet cum Trident. quod non laudat.

CAPUT VIII.

CONCILIUM AQUENSE.

CConcilium hoc Rothomagense imitando principio, declarat se proposuisse, ut supplicaretur Rex, ut Concilii Trident. publicationem juberet, atque interea Episcopi singuli Decretorum ejus executionem procurarent pro virili, ad Conscientiæ suæ liberationem idcirco singulis dimittendo curam observandi quod ipsorum Diœcesibus congruum videretur, aliquorum duntaxat executionem præcipit, quæ toti Provinciæ necessaria duxit, de quibus solis loquimur.

Tit. de Matrimonio Synodus initio prohibet nediscedatur à Statutis Tridentini circa Matrimonium, tum specialiter præcipit, ut Matrimoniorum tabulæ seu regesta fiant juxta præscriptum Tridentini; jubet præterea, ut Decreta Tridentina circa Matrimonium in vulgare idioma transferantur, distribuanturque Parochis, ut ea tertio quoque mense publicent; præcipit Parochis ut sedulo observent Constitutionem Concilii circa Matrimonium girovagorum; prohibet, ne personæ alterius

terius Diœceſeos conjugentur niſi habeant litteras teſtimoniales publicationum factarum vel omiſſarum juxta Decretum Concilii Tridentini. Uno verbo pauca ſunt in Decretis Tridentini circa Matrimonium, quorum executionem non jubeat nominatim Synodus Aquenſis; ſed illud non niſi in relatis locis laudatur.

Eadem Synodus initio *Tit. de Ordine*, indicando fontes, è quibus Statuta ſua hauſit, Tridentinum commemorat; tùm, laudatis hujus Concilii Decretis, quæ jubent, ut Ordines in Eccleſiâ Principali coràm omni Clero conferantur, utque Ordinati alicui Eccleſiæ addicantur, & pluribus aliis relatis, nec laudatis; denique, præcipit, ut ſtudiosè obſerventur aliæ res à Tridentino conſtitutæ circà adminiſtrationem ejuſdem Sacramenti. Quo laudationis genere inſinuat quæ priùs de Ordine dicta ſunt, ex Concilio Tridentino deſumpta eſſe.

Eadem Synodus cupiens, ut Epiſcopi ſervent Decreta, in quibus aliquid faciendum eis mandatur quatenùs Delegatis Sedis Apoſtolicæ, univerſa hæc Decreta colligit ſub Titulo: *De his in quibus Epiſc. ex Sacro Conc. Trident. etiam tamquam ab Apoſt. Sede Deleg. procedere debet & poteſt.* Hæc collectio refertur in nova Editione *Actorum Cleri Gall.* Tom. II. p. 298. Refertur cum omiſſa ab hoc Concilio citatione locorum, è quibus hi caſus deſumpti ſunt. Quæ autem loca ibidem recenſentur juxtà ordinem Seſſionum & Capitulorum, quem ordinem Concilium *Aquenſe* neglexit.

Tit. de Viſitatione, Synodus præcipit, ut Epiſcopi Diœceſes ſuas viſitent, juxta Decretum Tridentinum circà Viſitationes Epiſcoporum; tùm relatis variis Concilii Statutis circà hanc rem, injungit Epiſcopis, ut explorent ſingula, quæ juſſit Tridentinum, monetque eos, ut ſedulò obſervent omnia præſcripta Concilii circa jura temporalia, quæ ratione Viſitationis exiguntur.

Tria ſunt Decreta Tridentina quorum executio decernitur *Tit. de Canonicis; Primum* reſpicit unionem Beneficiorum, quæ nullum Officium habent. *Alterum* prohibet ne diſtributiones aliis dentur, quàm iis, qui Officio Divino aſſiſtunt, excepto caſu valetudinis, aut evidentis Eccleſiæ utilitatis: *Tertium* jubet ut Pœnitentiarius in unaquaque Eccleſia Cathedrali inſtituatur. *Tit de Capitul.* Synodus præcipit executionem Decretorum Trident. circa alienationes, & circa inſtitutionem Theologorum in Eccleſiis Collegialibus.

Cap. I. de Beneficiatis cavet, ut Beneficiati, qui Officio intereſſe negligunt, & in culpâ perſeverant, juxtà Decreta Tridentina puniantur; id eſt, proportione habita ad eorum pertinaciam. *Titulus de Reſidentiâ* confectus eſt ad procurandam executionem Decretorum Trident. circà Reſidentiam, ut patet ex §. 1. qui jubet, ut omnia Tridentini Statuta circà Reſidentiam Epiſcoporum, Parochorum & aliorum Beneficiatorum ſimilium, obſerventur.

Titulo de Eccleſiis jubet obſervari Statuta Tridentini, circà reparationem Eccleſiarum & Capellarum ruinoſarum, & tranſlationem Servitii in alium locum. Agendo de Reliquiis præcipit executionem Decretorum Concilii Tridentini circa Reliquias, Imagines & Miracula.

Circa Excommunicationem, è verbo ad verbum refert *Cap.* 3. SESS. XXV. nec illud. laudat.

Titulus de collatione Beneficiorum incipit, jubendo, ut ſingulæ Tridentini Conſtitutiones circà proviſionem Beneficiorum, maximè Curatorum, obſerventur.

Tit. de Seminario, præcipit executionem Decreti Tridentini, & *Titulo de Syn. Diœceſanâ* ſimiliter ſtatuit circà Decretum ferens, quòd annuatim Synodus habenda ſit, & circà Decretum jubens, ut in ſingulis Synodis eligantur perſonæ, quibus Pontifex deleget cauſas ad ſe devolutas, ut obſerventur.

Initio *Tit. de Monaſt.* præcipit Abbatibus, tàm Commendatariis, quam Regularibus, ut ſe promoveri intra annum curent, poſito quòd ætatem habeant; tùm vetat cum Tridentino, ne Facultates de non promovendo ultra annum valeant.

§. 3. De Monialib. monentur Epiſcopi, ut clauſuræ Monialium ita invigilent, ut nullatenùs culpari queant, ſi, quod abſit, caſtitas Monialium violetur; aliàs timere debent comminationes Sacri Concilii Tridentini. *§. 8. Libertati*, cum eodem Concilio decernit, ut nulla puella admittatur, niſi priùs ab Epiſcopo exploratus ſit ejus animus.

CAPUT IX.

CONCILIUM TOLOSANUM.

COncilium hoc an. 1590. Sub Cardinali *de Joyeuſe* habitum, non minùs è Concilio Tridentino ſumpſit, quàm Concilia præcedentia, quod quidem oſtenſu facile foret, ſed cùm Synodos præcedentes deſcripſerit, quemadmodum Concilium *Aquenſe* fecit reſpectivè, ſatis erit indicare loca ubi Tridentinum expreſsè laudatur.

Num. 20. *Cap.* 1. *Partis.* 1. jubet ut Epiſcopi, menſæ accumbendo, legere ſibi faciant. *Cap.* 1. SESS. XXV. quo docentur qualis eſſe debeat eorum victus. *Num.* 10. *Cap.* 1. cum eodem Concilio jubet Pœnitentiarium in ſingulis Eccleſiis Catehedralibus inſtitui.

Num. 8. *Cap.* 3. decernit, ut Parochus jurejurando ſe aſtringat ad Reſidentiam à Tridentino præſcriptam. *Num.* 11. *ibid.* præcipit Epiſcopo, ut cogat Parochum ad aſſumendos tot Vicarios, quot exigunt Parœciæ neceſſitates, juxta Statutum Tridentini.

Num. 6. Cap. 5. Catechiſmum Concilii Tridentini numerat in Libros, quos Parochus plebi legere & exponere debet.

Num. 1. *Cap.* 7. pœnas à Tridentino latas comminatur Epiſcopis ſi negligant invigilare Monialium domibus, ne ab Officio recedant.

Num. 1. *Cap.* 1. *part.* 2. Synodus præcipit Epiſcopis, & Parochis, ut nullum Sacramentum adminiſtrent, quin ejus virtutem & effectus explanaverint, juxtà Doctrinam Catechiſmi Tridentini.

Num. 4. *ibid.* cum Tridentino præcipit, ut novæ Parœciæ inſtituantur in Suburbiis Locorum clauſorum, ut Sacramenta noctu adminiſtrari queant.

Num 9. Cap. 2. Synodus cavet, ut Patrinus aut Matrina tantùm admittatur, vel ad ſummum uterque, & laudat Tridentinum.

Num. 3. *Cap.* 4. prohibet, ne quis Presbyter Sæcularis, aut Regularis, Confeſſiones audiat, niſi habuerit approbationem à Concilio Tridentino requiſitam.

Num. 7. *Cap.* 9. præcipit Epiſcopis, ut obſervent Decretum Tridentinum vetans, ne Ordines alicui conferantur, niſi addicatur Eccleſiæ, in quâ munera ſibi injuncta obeat; & *Num.* 11. ſancit, ut in Litteris dictis, *Exeat*, fiat mentio Eccleſiæ, cui perſona addicta fuit, juxta Decretum Concilii Tridentini.

Initio *Cap.* 5. *Part.* 3. Synodus executionem Decreti Tridentini circà Seminaria jubet, ut, inquit, huic Decreto obtemperet, ut provideat reformationi Diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

Initio *Cap.* 6. Synodus injungit Epiſcopis, ut viſitent Hoſpitalia, quæ Regis immediatæ protectioni non ſubjacent, idque faciant tamquàm Delegati Sedis Apoſtolicæ juxta facultatem ipſis à Concilio Tridentino conceſſam. *Num*, 3. *ejuſd. Cap.* cavet, ut juxtà Decretum Tridentini, Epiſcopi exigant rationes adminiſtrationis temporalis Hoſpitalium. Quod ſi fundatio ferat, rationes alteri cuivis exhibendas eſſe, ut Epiſcopi vocentur ad eas audiendas.

Num. 10. *Cap.* 7. præcipit, ut Epiſcopus tanquàm Sedis Apoſtolicæ Delegatus, viſitet Confraternitates Pœnitentium, juxtà Decreta Tridentina. Et *Num. 6.* jubet, ut juxtà eadem Decreta, Oeconomi Confraternitatum rationem adminiſtrationis ſuæ reddant Epiſcopo.

Num 2. *Cap.* 1. *part.* 4. Synodus cavet, ut uſus poteſtatis excommunicandi dirigatur juxta regulas à Tridentino præſcriptas. *Num* 7. prohibet, ne Cenſuræ adhibeantur, cum media alia ſuppetunt. *Num.* 9. præcipit Magiſtratibus, ut non impediant, quominùs Eccleſiaſticus Judex Cenſuris utatur, utque eum non cogant

ad absolvendum ab iis, quas tulit, idque præcipit, quia tale est Decretum Tridentini, & quia non licet falcem mittere in messem alienam. *Num.* 13. præcipit, ut Episcopi, in eos, qui anno & die sub Censuris jacent, velut in personas suspectas hæreseos, procedant, tamquàm Delegati Sedis Apostolicæ, juxta Decretum Tridentinum.

Idem Concilium, agendo *de Jurisdictione cap.* 2. multam facit mentionem Tridentini, & expressè præcipit executionem Decretorum ipsius, ut videre est, *Num.* 1. 8. 10. 18. 22. *Num.* 1. pronuntiat & publicat omnes pœnas à Concilio Tridentino latas in eos, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam usurpant. *Num.* 8. irritos facit contractus & actus à Concilio Tridentino damnatos. *Num.* 10. vult, ut pro infectis habeantur omnes actus judiciarii coram Judice Laïco facti, in rebus, quæ juxta Concilium Tridentinum ad Jurisdictionem Ecclesiasticam pertinent. *Num.* 18. constituit, ut sententiæ correctionis executioni mandentur, non obstante appellatione, ut interlocutoria Judicia appellationi non sint obnoxia, nisi aliquod gravamen contineant in definitivo non reparabile, vel à definitivo appellari non possit; qualis est sententia 3. conformis circa eamdem causam. Denique *num.* 22. vult, ut in singulis Synodis Diœcesanis quatuor Canonici Ecclesiæ Cathedralis, vel Viri in dignitate constituti eligantur, quorum nomina Romam mittantur, ut Pontifex ipsis delegare possit causas ad se devolutas.

Cap. 3. Synodus præcipit observationem Decretorum Concilii Tridentini circà alienationes bonorum Ecclesiæ. *Num.* 16. hortatur, & rogat Episcopos Provinciæ, ut saltem unoquoque anno semel publicari curent *Cap.* 11. SESS. XXII. quod ipso facto excommunicat usurpatores bonorum Ecclesiæ, sivè ipsi invaserint, sivè alios invasores immiserint.

Cap. 4. Jubet observari Decretum Tridentinum circà Decimas, & vult ut Parochi & Prædicatores illud idiomate vulgari, certis diebus legant, atque exponant.

Initio *Cap.* 6. Præcipit executionem *Concilii Tridentini* decernentis, ut si quis duo Beneficia incompatibilia possidens, unum ex iis non dimittat intrà sex menses, utrumque ipso facto amittat; & *num.* 9. decernit, ut circa Beneficia Curata observentur omnia Statuta Tridentina circà Examen, Approbationem, Collationem & Provisionem Parochorum.

Cap. 7. Exorditur præcipiendo executionem, Statutorum Tridentini circa Episcoporum Residentiam. *Num.* 2. vult, ut fructus, quos Parochi amittunt, violando Decretum Tridentinum circà Residentiam, adhibeantur ad decorationem, vel reparationem Ecclesiarum ipsarum, vel ad alimenta pauperum loci. Denique *num.* 4. jubet, ut Episcopi exequantur pœnas à Concilio Tridentino latas in eos, qui residere negligunt tempore sibi præstituto.

Cap. 8. *n.* 13. Jubet, ut Episcopus Visitationem faciens Constitutiones Tridentinas circà ipsam observet; *num.* 16. vult, ut ex vigore autoritatis ab eodem Concilio ipsi attributæ, quatenùs Delegatus Sedis Apostolicæ, faciat quodcumque non poterit, prout Ordinarius.

Eadem Synodus, agendo de jure Patronatûs, præcipit Episcopis: 1. Ut ex vigore Decretorum Tridentinorum rescindant Uniones Beneficiorum liberorum, cum Beneficiis juri Patronatûs obnoxiis, si effectum non habuerint. 2. Ut ex ejusmodi Concilii autoritate jure Patronatûs privatos declarent omnes Patronos, qui Ecclesiarum sibi subjectarum bona usurpaverint, vel impedierint, quominùs justi possessores iis fruantur, atque illos invasores excommunicent donec integram restitutionem fecerint.

Cap. 11. Incipit jubendo observari Decreta Tridentina circà Libros prohibitos; & *Num.* 2. vult, ut pariter observentur regulæ Indicis ex Tridentini præceptofacti.

Cap. 16. Synodus, colligendo ea, quæ pertinent ad Clericos & Regulares Exemptos, præcipit executionem quatuor Decretorum Tridentini. Nam, cum eo præcipit. 1. Ut Clerici & Regulares, etiam exempti, servent Censuras ab Episcopo latas. 2. Ut celebrent Festivitates ab eodem Episcopo institutas; 3. Ut Supplicationibus assistant, nisi strictam Clausuram profiteantur. 4. Ut Abbas benedictus, & Presbyter non conferat Tonsuram & quatuor Ordines Minores, nisi Regularibus sibi subditis.

CAPUT X.

Concilium Narbonense 1609.

QUamvis numerus Decretorum, quæ Concilium Narbonense ex Tridentino non laudato sumpsit, longè major sit, quàm Decretorum, circà quæ illud laudatur; hæc tamen non ità pauca sunt, quin ostendant, Narbonensi propositam fuisse, partim executionem Decretorum Tridentini; ideoque omissis Decretis prioris generis, alia notabimus.

Duo existunt in *Cap.* 4. Primum respicit eos, qui prædicant hæreses. Synodus Narbonensis vult, ut Episcopus contra eos juxtà Decreta Tridentinæ procedat. Aliud respicit institutionem Cathedrarum Theologalium, & vult, ut eæ, juxta dispositionem Tridentini conserventur in Ecclesiis Cathedralibus ubi jàm institutæ sunt, & instituantur ubi non erant, utque Theologus singulis Dominicis concionetur, duasque Lectiones Casuum Conscientiæ hebdomadatim faciat.

Cap. 14. Loquendo de Baptismo, præcipit executionem Concilii Tridentini, circà numerum Patrinorum illiusque expressam mentionem facit.

Cap. 19. Agendo de Sacrificio Missæ, statuit, ut Episcopi uniant fundationes modicas, earumque onera diminuant, prout expedire duxerint; & laudat Concilium Tridentinum SESS. XXV. non indicato capite. Hoc fortè est 4. loquens de reductione Missarùm. Agendo de Sacramento Ordinis *Cap.* 21. jubet, ut omnia Decreta Tridentini circà illius administrationem observentur.

Cap. 22. Dicit, cùm primum Decretum Concilii Tridentini circa Matrimonium valdè idoneum sit ad tollendos abusus, qui vigebant, se proposuisse, ut illud in totâ Provinciâ observaretur, ideoque jussisse, ut huic Capiti è verbo ad verbum insereretur. Tùm relato Decreto circà Matrimonium vagantium, nec laudato Concilio adjicit, se recipere impedimenta Cognationis, Affinitatis spiritualis, Affinitatis per copulam illicitam, Honestatis publicæ, prout à Concilio Tridentino decernuntur, seque eosdem Gradus iis assignare ac Concilium.

§. 2. *Cap.* 27. Jubet omnia Decreta Tridentini circa Visitationem Episcopalem observari. *Cap.* 30. jubet, ut juxtà dispositionem Tridentini, Episcopus visitet Capitula Ecclesiarum sive Sæcularium, sive Regularium, non obstante quavis exemptione; & §. *in Ecclesiis* præcipit observari Decretum Tridentini circà Theologos Collegialium.

§. *omnes Cap.* 32. Statuit, ut Parochi non residentes pœnas à Concilio Tridentino latas luant.

Cap. 33. Synodus loquens de Regularibus sancit executionem plurium Decretorum Tridentini, & nominatim laudat illud, quod fert, ut Episcopus coërcere possit Regulares extra claustrum delinquentes, & illud, quod vult, Episcopos diligenter invigilare clausuræ Monialium.

§. *per Judices*, *Cap.* 42. Præcipit observari *cap.* 1. SESS. XIII. in Appellationibus Causarum Criminalium, vultque, ut locum habeat, nisi appelletur ab incompetentiâ, Judicis vel ratione hujus incompetentiæ.

§. 2. *Cap.* 44. Cum Tridentino præcipit, ut solus Episcopus decernere possit Excommunicationem post Monitorii publicationem.

Denique, Archiepiscopus, qui hanc Synodum celebravit, (*Ludovicus* DE VERVINS) ob suas infirmitates & occupationes excusat se, quòd nondùm executus fuisset Decretum Concilii Tridentini, jubens, ut Concilia Provincialia tertio quoque anno celebrentur.

CAPUT

CAPUT XI.

Concilium BURDIGALENSE 1624.

EDictum convocationis Concilii Burdigalensis an. 1624. habiti, docet id factum fuisse ad obtemperandum Decreto Tridentino. *Concilia Provincialia per Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Tridentinum singulo triennio in Provinciis habenda . . . cum enim is optimus conservandæ Disciplinæ Ecclesiasticæ à Patribus Divino numine afflatis introductus sit modus, ità sollicitè ac fructuosè olim servatus; & pro corrigendis excessibus, reformandis moribus, & controversiis componendis, à Concilio Tridentino salubriter demùm innovatus.*

Apparet etiam ex *Epistolâ* Cardinalis DE SOURDIS, qui Concilium hoc convocavit, ejus finem fuisse reformationem morum juxta Decreta Concilii Tridentini & posterioris Synodi Burdigalensis, quæ, ut vidimus, descripsit Tridentinum. *Ut ad moderandos mores . . . . ad præscriptum Sancti Oecumenici Concilii Tridentini, & nuperi Provinciæ Burdigalensis.*

Sed, licèt is fuerit finis Synodi hujus, crebram Tridentini mentionem facere non potuit, quia Synodus præcedens statuerat circa executionem plurium Decretorum Tridentinorum. Itaque mirum esse non debet, Tridentinum hic paucis vicibus laudari.

Num. 9. & 12. Cap. 1. Concilium laudat indirectè Decreta Concilii Tridentini, laudando Indicem Librorum ex illius jussu confectum. *Num. 9.* præcipit, ut Libri, qui Fidei moribus-ve nocere possint, non exponantur Scholaribus, priusquam emendati fuerint, prout sunt in Indice facto ex jussu Tridentini: & *Num. 12.* sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ prohibet, ne legantur Libri damnati in Indice Concilii Tridentini.

Cap. 6. num. 10. Tridentini Decretum laudat suspendens in annum à Collatione Ordinum Episcopum, qui eos alterius Episcopi Diœcesano conferat dimissorium non habenti, & Ordinatum ab exercitio Ordinum receptorum, quamdiù placebit Episcopo contempto.

Cap. 12. Concilium Tridentinum pluries laudatur. Dicitur in Præfatione; *Ac licèt multa sint ab ultimo Provinciali ex Concilio Tridentino decreta, quæ, si exactè servarentur ab omnibus, aliundè sufficere possent.*

Num. 1. Cavetur, ut Prædicatores explorentur circà plura Decreta, in quibus non pauca sunt circà Disciplinam; Synodus igitur voluit, ut illi scirent Disciplinam à Tridentino quoad illas res institutam.

Num. 4. Præcipitur executio Decreti Tridentini adversùs Quæstores.

Num. 5. Synodus Catechismum Concilii Tridentini annumerat inter fontes, in quibus Parochi haurire debent Doctrinam, in quâ plebs erudiri debet.

Num. 7. Significat, plebi exponenda esse quædam Mysteria Missæ, juxta præscriptum Tridentini, dicendo, utilissimum esse, ut hæc expositio hat.

Num. 1. Cap. 22. Decernit executionem omnium Statutorum superioris Synodi Burdigalensis 1583. & consequenter Concilii Tridentini; nàm suprà ostendimus, illam Synodum magnoperè incubuisse ad procurandam observationem Decretorum Tridentini, cum horum ferè omnium substantiam, aut ipsa verba retulerit.

CAPUT XII.

Animadversiones circa Excerpta collecta.

EXcerptis superioribus miscuimus Notas, circà res, quæ sunt illis peculiares, jàm ad communes deveniendum est.

1. Ex Excerptis collectis sequitur, nullam esse Synodum Gallicanam post Concilium Tridentinum habitam, quæ illud non acceperit, quantùm potuit; adeò enim acriter student, ut illius Decreta observentur, ut credibile esset, eas convocatas fuisse ad eorum executionem procurandam, etiamsi id ipsum eæ non testarentur.

2. Indè etiam apparet, Synodos ipsas, quæ asserunt se optavisse, ut Rex publicationem Tridentini permisisset, nihilominùs præcepisse executionem plerorumque Decretorum ejus; Undè sequitur, eas vel credidisse illam publicationem necessariam non esse, quoad omnes effectus horum Decretorum, sed quosdam effectus esse spirituales, ab Ecclesiâ solâ dependentes, quorum gratiâ observandum erat Tridentinum; vel eas existimavisse, Episcopos, quibus licet dare suis Diœcesibus Statuta earum necessitatibus congrua, debere in Tridentino seligere Decreta, quæ ipsis talia viderentur, modò Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ non adversarentur. Præfatio *Actorum* Cœtûs *Melodunensis* hanc conjecturam confirmat.

3. Indè etiam apparet, Synodum *Rhemensem* an. 1583. primam esse, quæ Decretum de *Reformatione Matrimonii* promulgaverit; quâ in re audacior fuit Synodo Rhemensi an. 1564. quæ partem ejus duntaxat excerpserat, posueratque inter Decreta approbata, sed nondum promulganda. Discrimen oritur fortè ex eo, quòd quadriennio ante Secundam Synodum Rhemensem, scilicet an. 1579. Constitutio *Blesensis* in legem converterat hoc primum Decretum reformationis. Credibile est etiam, quod eadem ratio induxerit Synodos Gallicanas subsequentes ad imitandam Rhemensem, non verò solum ejus exemplum eas ad id movisse.

4. Ex iisdem Excerptis apparet, præcipua Decreta Concilii Tridentini communiter recepta fuisse à nostris Synodis Galliæ. Talia sunt Decreta circa Libros prohibitos, Prædicationem, Residentiam Episcoporum, & Parochorum, collationem Beneficiorum, demissionem Beneficiorum incompatibilium, Ordinationem, Matrimonium, administrationem Sacramentorum, restitutionem autoritatis Episcopalis, per abrogationem, aut restrictionem Exemptionum, sive Capitulorum, sive Regularium; reformationem Clericorum, Regularium & Monialium; rectum usum Censurarum, institutionem Seminariorum & Theologorum.

5. Indè etiam apparet, quasdam Synodos sanxisse executionem aliquot Decretorum sententiis, sive regulis Galliæ adversantium. Tale est illud, quod rescindit contractus Civiles à Tridentino prohibitos, cujus observatio decernitur à Synodo *Tolosanâ*; forsan hæc sperabat, fore, ut Rex hoc Decretum autoritate suâ communiret.

His animadversionibus, quæ sunt meræ consequentiæ excerptorum, una est adjicienda, sumpta ex eo, quod gestum est, circà confirmationem Synodorum, è quibus illa petita sunt; cùm factum hoc commune sit omnibus Synodis, quæ hanc confirmationem postulaverunt, ejus consequentiam huc transferendam seu differendam esse duximus. Factum in hoc versatur, quod omnium Synodorum Statuta, quæ Romam missa fuerunt, ut confirmarentur à Sede Apostolica, subjecta fuêre examini Congregationis Cardinalium ad interpretationem Tridentini institutæ; quòd Episcopi Galliæ id sciverunt, atque consenserunt; quòd Cardinales emendaverunt Decreta harum Synodorum juxta Decreta Tridentini, quòdque hæ Synodi receperunt eas emendationes, suaque Statuta non nisi cum iis promulgaverunt.

Indè sequitur, quòd, non solùm Roma spectaverit Synodos Gallicanas velut consequentias Tridentini, sed etiam, quòd Episcopi Gallicani eas eodem modo spectaverint; quod profectò oritur ex eo, quòd Romani putaverunt, eas Synodos habitas fuisse tantùm ad executionem Tridentini, & quòd Ecclesiæ Gallicanæ ipsas eodem animo celebraverint.

Narrando factum superius, consultò significavimus, quasdam Synodos Gallicanas Tridentino posteriores, non postulavisse confirmationem Pontificiam;

ciam; quia non apparet Concilium 1. Rhemense an. 1564. Concilium Tolosanum an. 1590. & 2. Burdigalense an. 1624. Decreta sua Romam misisse, ad impetrandam confirmationem Romanam. Concilia hæc secuta sunt morem Concilio Tridentino anteriorem; priùs inauditum erat, Concilia Decretorum suorum confirmationem à Sede Apostolica postulare. Equidem, Cardinalis DE JOYEUSE, in Instrumento publicationis Synodi Tolosanæ, dicit, Pontificem eam approbavisse; sed nihilominùs verum est, nullum referri Actum confirmationis: Pontifex autem illud approbare potuit sine ullo ejus examine, sed solâ Cardinalis famâ motus. Quoad Concilia, quæ confirmationem Pontificiam postulaverunt, quædam decreverunt executionem Statutorum suorum, priusquàm confirmata forent. Talis est præ cæteris Synodus *Aquensis*, cujus publicatio facta fuit an. 1585. circà Mensem Septembrem, & confirmatio est an. 1586. 5. Maii. Non refert, Litteras circà confirmationem innuere Synodi Decreta nondum edita esse, *ita ut sunt emendata, nec aliter edantur*; hoc enim intelligi potest de publicatione per impressionem. Talis etiam videtur Synodus *Burdigalensis*, cujus publicatio confirmationem præcedit; si autem supponatur, nondùm editam fuisse tempore confirmationis, illud restringi potest, ac debet, ad editionem per impressionem. Adjiciendum est, quòd, si Officiales Pontificii loquuntur de prima publicatione, in eo sequantur pretentionem suam de necessitate confirmationis Conciliorum per Sedem Apostolicam, ut publicari possint. Synodus Rhemensis an. 1587. promulgata fuit 18. Maii 1583. CONC. *Tom. XV. pag.* 914. & confirmata 20. Julii 1584. *ibid. pag.* 915. De hacce confirmatione loquitur VAN-ESPEN in *suplemento Cap.* 3. Ejus originem petit ex falsis Decretalibus ejusque probationes adducit, atque circà finem Synodos Mechlinienses an. 1570. & 1607. petiisse confirmationem suorum Decretorum eaque emendata fuisse, sed executioni mandata fuisse, prout facta erant à Conciliis, non autem prout emendata fuerant.

CAPUT XIII.

Solutio difficultatis cujusdam gravioris petitæ ex Synodi Aquensis Excerpto, circa obligationem servandi Decreta Conciliorum Generalium nondum juridicè in Partibus promulgatorum.

IN Excerpto Synodi Aquensis diximus, eam testari, se optavisse, ut Concilium Tridentinum in Regno publicatum fuisset, ac deliberavisse, ut enixè supplicaretur Rex, ut illud publicandi licentiam concederet; tùm adjurare, quòd interèà singuli Episcopi omnia ordinare in suâ Diœcesi, juxtà illius Decreta, deberent ad conscientiæ suæ exonerationem: *Tùm quod ipsi Episcopi, in suâ quisque Diœcesi, pro suæ conscientiæ exoneratione, omnia, quoad ejus fieri potest, ad ipsius Concilii Decretorum Præscriptum, dirigant & moderentur.* Synodus igitur supponere videtur, Episcoporum conscientiam astringi ad procurandam observationem Decretorum Conciliorum Generalium, priusquàm juridicè promulgata fuerint cum licentiâ Regis datâ per Litteras Patentes debito modo inscriptas in Rationariis Curiæ. Hæc autem suppositio adversari videtur Regulis & Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, juxta quas, Decreta Conciliorum Generalium vim Legis habere nequeunt in Regno, sicut hæc Diplomata Pontificia, nisi debito modo promulgata fuerint; undè sequitur, illa non obligare nisi post hanc publicationem. Ergò, aut erravit Synodus Aquensis, vel alius est ejus sensus, quàm qui primo intuitu apparet.

Hæc est difficultas solvenda.

Quod ut fiat, Dico Principium esse, quòd ab omnibus agnosci debet, scilicet Leges non obligare, nisi post sufficientem promulgationem, *Cap.* 25. *de accusat. Cap.* 1. SESS. XXIV. *de Reform. Matrim. Cap.* 17. DIST. XVIII. Aliud Principium non minus certum est, quòd Superiores Inferiores, aut Subalterni publicationem hanc facere nequeant sinè assensu Superiorum majorum; cùm Leges conditæ sunt pro omni districtu Superiorum majorum. v. g. Si agatur de Constitutionibus à Concilio Generali, vel à Pontifice pro omni Ecclesiâ factis, deque illarum publicatione in ditione Principum Catholicorum, Episcopi eam facere nequeunt sine licentiâ Principis; quia illæ sæpè habent effectus temporales, quos à Principe accipere debent. Quoad autem spirituales effectus, eos sortiri nequeunt, nisi Princeps earum publicationi consentiat; hæc enim reverentia ipsi debetur, quatenùs Tutori & Protectori Ecclesiarum ditionis ipsius. Crebrò etiam accidit, ut spirituale adeò cum temporali adhæreat, ut Constitutiones factæ, quoad spirituale, temporali nocere possint; itaque, Principis interest, ut Constitutiones etiam quoad spirituale, non publicentur sinè ipsius beneplacito: Ergò Episcopi non possunt obligari ad procurandam observationem Decretorum Conciliorum Generalium, antequàm Princeps eorum publicationem permiserit. Nisi hoc factum fuerit, illa vim Legis non habent. Itaque, illa non magis ligant Pastores antè publicationem, quàm greges. Unum hoc, cùm Princeps differt, aut denegat licentiam publicandi, faciendum Episcopis superest, Regi supplices monitiones facere, atque interim enixè & indesinenter deprecari Regem Regum, ut illis inspiret consilium, quod gloriæ suæ & saluti animarum conducat. Hæc veritas nimis nota est, quàm quæ ignorata fuerit à Synodo Aquensi. Laudatus autem locus ipsi non repugnat; nàm sensus est, Episcopos, qui propter conscientiam tenentur facere Statuta necessaria bono regimini Diœceseon suarum, necessitatibus earum accommodare debere Decreta Conciliorum Generalium, priusquàm illa publicare liceat, horum expressam mentionem non faciendo, tamquam in Regno vigentium. Debent iis uti, quemadmodùm uterentur Decretis in Concilio alieno factis, ea, pro ratione, non verò pro Lege spectando.

CAPUT XIV.

Peculiaria notabilia circà Publicationem Concilii Tridentini in Galliâ, excerpta è Conciliis ibi, ad procurandam Decretorum ejus executionem, habitis.

CONCILIUM NARBONENSE, *an.* 1551.

ANno 1551. quo Synodus hæc Narbonensis habita est, jàm 14. Sessiones Tridentini habitæ fuerant; nam *Decima quarta* celebrata fuit 25. Novemb. ejusd. anni; at Synodus Narbonensis auspicata est 10. Decemb. Sexdecim pòst diebus, ac tamen hæc nullo modo utitur neque Definitionibus, neque Statutis, quæ fecit Tridentinum, quamvis iisdem agat argumentis, de Prædicatione Parochorum, de Theologis, de Residentia Pastorum, de Sacramentis in genere, de dimissoriis, de Pœnitentiâ, de Eucharistiâ.

Porrò, silentium hoc provenire, saltem, quoad partem, videtur, ex eo, quòd illarum Sessionum Decreta nondùm promulgata erant, atque etiam, quòd tempus promulgationis nondùm venerat. Nam dici nequit, istud provenire ex eo, quòd illa Decreta in Galliâ non essent nota; quandoquidem Quinque Episcopi Galli adfuerint Sessionibus habitis sub *Paulo III.* usque ad an. 1550. nempè Andegavensis, Sagiensis, Verodunensis, Parisiensis, Santonensis. Ex iis autem Sessionibus tres, scilicet 5. 6. 7. de pluribus rebus loquuntur, quas Synodus Narbonensis denuò tractavit. Diximus, quoad partem, quia silentium illud provenire etiam potest, ex eo, quòd in illis Sessionibus neque Legati, sive Oratores Regis Galliarum, neque Theologi ejusdem Nationis interfuerint. Itaque, non deerant rationes habendi pro infectis Decreta quotquot confecta fuerant. Crassè falleretur quisquis silentii, de quo agitur

agitur, causam putaret fuisse, quòd illa Decreta non poterant infallibilia esse ideo, quod ab omnibus Ecclesiis nondùm acceptata fuerant; nam Synodus de quâ loquimur, *Tit. & Can.* 1. præcipit, ut custodiantur Articuli circa Doctrinam à Facultate Theologorum Parisiensium confecti, quos pro infallibilibus habere non poterat.

CAPUT XV.

CONCILIUM RHEMENSE. *ann.* 1564.

CArdinalis *à Lotharingia*, qui Sessionibus Tridentini sub PIO IV. tantam dedit operam, ex illo Concilio redux statim incubuit, ut illud observari procuraret, ideoque Synodum Provincialem habuit, juxta Decretum Tridentinum SESS. XXIV. *Cap.* 2. quod eorum Celebrationem jubet. Hanc auspicatus est 24. Novemb. an. 1564. anno circiter post exactum Tridentinum. An. 1563. 4. Decembris absolutum. Magnum discrimen ponit inter Decreta circà Disciplinam & Decreta circà Doctrinam; nam, supponendo hæc ab Ecclesiâ Gallicanâ recepta esse, sicut ab aliis Ecclesiis Nationalibus, eadem habet pro Regulâ Fidei. *Jubemus nostrarum Ecclesiarum Rectores infra Natalem Domini, Tridentinam Synodum sive Latinè, sive Gallicè comparare, in eâque, tamquàm in speculo inspicere omnium contentionum, quæ Christianos divexarant, veritatem, ac ipsam sincerè & pacificè suis gregibus commendare, contrarias verò opiniones, ut hæreses detestari ac fugere. Stat. 2. de officio Curati in deligenda sanâ doctrinâ & prædicandâ.*

Ex adverso, idem Cardinalis gnarus, Regem ejusque Consistorium nolle recipere Decreta Disciplinæ facta à Tridentino, ideoque eorum promulgationem impedire, nusquàm ea nominatim laudat, quamvis sæpè iis utatur, atque eorum verba ipsa usurpet; in Capitibus scilicet, quæ contraria non sunt Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, Juribus Regiis, & Usibus Nationis. Quoad alia Capita, quædam Statuta fecit in tempus, quo eorum publicatio permitteretur, sperans, fore, ut dispositionis eorum utilitas id faciendum esse aliquando suaderet. Hæc Statuta Matrimonium spectant. *Primum* irritat Matrimonium Clandestinum. *Secundum* irritat quoque Matrimonium vi coactum, & omnes raptus participes excommunicat. His Titulus est, *Decreta à Synodo probata, sed nondùm publicata.* Hujus Synodi Decreta Tridentini dispositionibus congrua referre supersedemus; quippe, qui id jam præstiterimus in Excerptis Conciliorum Galliæ, quæ Decretorum Tridentini executionem jusserunt. Synodus hæc cæteris præfixa est, utpote vetustissima omnium, quæ eâdem de causâ, tàm intrà, quàm extrà Gallias habitæ fuerunt. Hæc autem mentionem Professionis Fidei à PIO IV. concinnatæ, & reliquis Synodis Gallicanis insertæ, facere non potuit, quia nondum illa in Gallias pervenerat, cùm facta fuerit Idib. seu 13. Novembris an. 1564. Synodus autem Rhemensis auspicata est 24. Novemb. eod. anno.

CAPUT XVI.

CONCILIUM ROTHOMAGENSE *an.* 1581.

NOn loquimur hic de Concilio *Cameracensi* an. 1565. quia tunc Cameracum sub *Philippi II.* Hispaniæ Regis, ditione erat, ut discimus ex medio & ex fine Instrumenti publicationis. Ex fine, nam Archiepiscopus jubet, ut speciales fiant deprecationes pro illo Rege: ex medio, nàm idem Prælatus verbis conceptis dicit, se Catholici Regis pietate excitatum fuisse ad celebrationem Synodi.

Instrumentum convocationis Synodi *Rothomagensis* 1581. quod est in fine Synodi, expressè dicit, eam convocatam fuisse, ut satisfieret desiderio Concilii Tridentini, nec non voluntati Regis & Statuum Blesensium, & TIT. 1. Synodus adoptat Professionem PII IV. in quâ Definitiones Tridentinæ comprehenduntur inter fidei articulos, &, non obstante hoc duplici signo receptionis Tridentini, testantur Patres in Præfatione, atque in *Tit. de Matrimonio*, se non audere illius executionem decernere, sed cupere, ut promulgaretur in Regno, ut executionem fortiri posset. Hic autem nulla est reipsa contrarietas; nam si Cardinalis BORBONIUS, qui Concilium convocat, se id facere dicit, ut exequeretur Decretum Tridentinum, jubens Concilia Provincialia celebrari, & sic exequatur unum è Decretis, quæ nondum promulgata fuisse agnoscit; id factum est: quia Rex & Status illud approbaverant. Porrò, idem Cardinalis, adoptando Professionem *Pii IV.* licèt exequi videatur *Cap.* 4. *continuationis sess. XXV.* quod receptionem & observationem omnium Decretorum Concilii præcipit, id solùm facit, quoad Decreta circa Fidem, quæ recepta esse in Gallia sicut alibi supponit ex assensu Regis & omnis Ecclesiæ Gallicanæ. Ubi autem testatur: se optare, ut Concilium Tridentinum publicetur in Galliâ, loquitur solùm de Decretis circà Disciplinam, quorum receptioni Rex repugnabat. Hæc sunt Cardinalis verba in Instrumento convocationis. *Nihil omnibus potius fuit, quàm cum summo affectu ut Sancti Concilii Tridentini Decreta hoc in Regno promulgata essent, exoptare, cujus rei causa nostra hæc Synodus unanimi consensu ipsum Christianissimum Regem nostrum, ut pro sua singulari pietate illud Concilium Tridentinum, quo labenti Christianæ Reipublicæ accurratissimè subvenitur, sicut non ita pridem hujus Regni Ordines, sive Status, & Clerus nuper Melodunum congregatus factis factitarunt, promulgari juberet humillimis precibus sollicitari decrevit.* Sane, supplicatio conventus Melodunensis respiciebat solùm Decreta Disciplinæ. Id infertur ex Statutis, quæ subrogata fuerant in utroque Cœtu Decretis Concilii, cujus publicatio non impetrata fuit; nam illa respiciunt solùm Disciplinam. Id etiam infertur ex eo, quòd supplicatio Comitiorum Melodunensium nec non & Synodi Rothomagensis intendat solùm remedia labenti Reipublicæ Christianæ necessaria, cujus lapsu intelligitur corruptio morum Christianorum. Alius locus non minus perspicuè ostendit publicationem optatam respicere Decreta Disciplinæ; namque agebatur de Matrimoniis Clandestinis, quæ ad Disciplinam pertinent. *Optaremus sanè publicatum esse in hoc Regno primum Decretum Concilii Tridentini de reform. matrim. ut nobis liceret ex eodem, matrimonia irrita & nulla declarare & decernere, quæcumque contrahuntur sine Paræci* &c.

Est verbum initio *n.* 2. quod notâ dignum est; quia pertinet ad circumstantiam, in quâ rationes politicæ Civilis impediunt publicationem alicujus Legis Ecclesiasticæ, quæ necessaria videtur ad tollendum aliquem abusum. *Attamen ne omninò officio nostro hac in re deesse videamur, moneri in Concionibus Fideles jubemus de hoc peccato & Decreto Concilii Tridentini.*

Quòd si lectis his duobus locis, nec non nostris animadversionibus reperiatur aliquis, qui putet, promulgationem à Synodo Rothomagensi optatam respicere Decreta Fidei, sicut Decreta Disciplinæ, hunc rogamus, ut attendat, quòd si res ità se haberet, Synodus non debuisset præcipere, ut Decreta Fidei crederentur, adoptando Professionem *Pii IV.* quæ ad illa credenda astringit; quandoquidem hinc solemniter publicata non fuerant; indè verò Synodus non audet præcipere observationem Decreti circà Matrimonium Clandestinum, quia solemniter publicatum non fuerat. Cùm attendimus Constitutionem Blesensem an. 1579. *art.* 40. in Legem Civilem convertisse, Decretum Concilii Tridentini contra Matrimonia Clandestina, præcipiendo, tu

Matrimonia

Matrimonia triplici vice denuntiarentur, & palàm contraherentur testibus quatuor præsentibus, sub pœnis indictis à Conciliis. Miramur quamobrem Synodus Rothomagensis executionem hujus Decreti præcipere non ausa sit, quòd Concilium Tridentinum nondùm esset publicatum; quid enim metuere poterat, cum Decretum illud sic receptum solemniter fuisset. Fortè cum Matrimonia Clandestina nominatim non irritaverit Constitutio; existimavit, rem fore Regi ingratam, præcipere observationem Decreti, quod expressè illa irritat. Ut ut sit, de verâ hujus temperamenti causâ, hinc liquet quænam fuerit hujus Synodi idea, circà necessitatem publicationis solemnis Tridentini in Galliâ, ut liceret observationem Decretorum ejus exigere.

Sed inquies, si publicatio hæc tàm necessaria visa sit, ut Episcopi haberent jus observationem illorum Decretorum exigendi, cur pleraque ex illis Decretis adoptavit, ea suis inserendo, atque etiam Tridentinum aliquoties laudando.

Responsio est, Decretum circà Matrimonium Clandestinum, cujus observationem exigere non ausa est Synodus Rothomagensis, magnam connexionem habere cum administratione Civili: quapropter non licebat id præcipere sine consensu expresso Regis: Decreta autem, quæ Synodus adoptavit, non respiciunt regimen politicum, vel saltem remotè illud respiciunt, undè credibile erat, Regem consentire, ut illa observarentur. Id inferri potest ex temperamento, seu cautelâ, quam adhibuit Synodus, cùm voluit præcipere executionem Decretorum, quæ Statum respiciebant; nàm tunc Regem deprecatur, ut consentiat; sic enim loquitur. *Cap. de Episc. Officio num. 30. Quoniam verò in aliquibus Hospitalibus aut Leprosariis, sunt viri & mulieres regulari observantiæ addicti, sed, ut plurimùm, valdè corrupti, ad eorum reformationem saltem autoritate Apostolica sibi in visitatione etiam contra Exemptos concessâ, procedat Episcopus, ex Decreto Concilii Tridentini, quem ad hoc etiam committi supplicandum Domino Regi.*

CAPUT XVII.

Concilium Rhemense an. 1583.

STatim ab exordio hujus Synodi, Cardinalis GUISIACUS, qui eam convocaverat, eique præfuit, significat aliquo modo vocari posse publicationem Concilii Tridentini id quod fecerunt Synodi Provinciales præcipuæ, Decreta illius Statutis suis inserendo; quia illa Decreta unà promulgata fuerunt cum Statutis quibus inserta erant. Significat præterea ejusmodi publicationem valdè inferiorem esse illi, quàm Ecclesia Romana & Clerus Gallicanus cupiebant, tàm autoritate & amplitudine, quàm solemnitate: Autoritate, quia Regius consensus deerat: Amplitudine, quia pertingebat solùm ad Provincias, quæ Synodos habuerant, & ad sola Decreta, quæ ab iis adoptabantur, & eadem ubique non erant, ità, ut supererent Decreta non publicata, & Provinciæ, in quibus nullum Decretum publicatum erat: Denique, solemnitate, quia hæc publicatio tacita erat tantùm & per occasionem; publicatio autem exoptata fieri debebat omnium Decretorum in omnibus Provinciis Regni, ex jussu Regio, & juxta Litteras Patentes debito modo in Curiæ Tabulis regestas. Denique, significat, in publicatione exoptatâ non agi solùm de Fidei Decretis, sed etiam de Statutis circà Disciplinam. *Interim dùm ampliorem Sacrosancti OEcumenici Concilii Tridentini promulgationem quotidiè speramus pro Ecclesiastici æ Disciplinæ restitutione, Christianorumque morum compositione, quibus Clerum, populumque fidei nostræ concreditum prælucere tòtis viscèribus in Christo expetimus, de assensu Reverendissimorum Fratrum nostrorum Coepiscoporum & consilio plurimorum gravium virorum, ex omnibus Provinciæ partibus in primâ nostra Provinciali Synodo Rhemensi congregatorum, quæ sequuntur statuenda esse duximus.*

Locus modò relatus circà publicationem Concilii Tridentini observatione dignus erat; verùm sequens majorem attentionem meretur; nam videbimus quòd, postquam an. 1581. Cardinalis BORBONIUS, in Concilio Rothomagensi declaravit, se non audere præcipere executionem, prioris Decreti de Matrimonio, quia illud Concilium nondùm fuerat in Regno publicatum, biennio post, anno 1583. Cardinalis GUISIACUS illud observari inviolabiliter præcipit. *Quoniam agitur de Clandestinis Matrimoniis, atque adeò de totâ ineundorum Conjugiorum ratione, multa utiliter, & ad hæc tempora accommodatè statuit Sacro Sancta Synodus, ideò, ut, quæ ab ipsâ sanctè decreta sunt, ab omnibus planè intelligi, & inviolabiliter observari possint; hìc ad verbum inseri voluimus.*

Actio hæc eo magis mira est, quòd Cardinalis BORBONIUS erat Legatus *à latere*, atque è domo nobiliori oriundus, quàm Cardinalis GUISIACUS; & tamen hic, sine ullo temperamento ab illius exemplo recedit. Si conjectari circà hanc difficultatem liceat, dici potest Cardinalem Guisiacum exploratâ mente Consistorii Regii circà timidam moderationem Cardinalis Borbonii, deprehendisse, se absque illius offensâ, posse Decretum, de quo agitur, edere, & Status Blesenses huic publicationi viam aperuisse *art.* 40. Hæc conjectura eò magis est probabilis, quòd Concilia subsequentia ad hujus exemplum præceperunt executionem ejusdem Decreti, sine ullâ Principis querimonia.

CAPUT XVIII.

Concilium Turonense an. 1583.

SYnodus Turonensis non postulavit à Rege publicationem Tridentini sed de illa locuta est, tamquàm de re necessaria ad conservationem Fidei Catholicæ, quod benignè accipiendum est, ità, ut sensus sit, istam publicationem posse ad reformationem morum contribuere & per eam ad conservationem Fidei Catholicæ, quæ morum depravatione labefactatur. *Cùm Trid. OEcum. Conc. ad Fidei Catholicæ conservationem .... perneccessariæ sint, suam Majestatem impensè rogat Synodus, ut dignetur jubere Concilium Tridentinum publicari.*

Si hæc Synodus Decreta sua conficiendo intendebat eorum confirmationem à Rege postulare, quod quidem factum est post ejus finem; hoc in Concilio reperimus rationem specialem, cur plura Tridentina Decreta Statutis sui inseruerit, priusquam ejusdem Tridentini publicationem impetravisset: scilicet, confidebat, si aliquod Decretum Regiâ autoritate indigeret, fore, ut illam in confirmatione adipisceretur. Factum, de quo loquimur, relatum in Epistola *Simonis* DE MAILLE', Archiepiscopi Turonensis, ad HENRICUM III. Concilii nomine scriptâ, quæ extat ad calcem Actorum. Idem factum notari meretur ob suam singularitatem, cùm nulla sit Synodus ejusdem Sæculi XVI. neque sex præcedentium, quæ Statutorum suorum Confirmationem à Rege petierit. Et quidem Synodus, allegando exempla Conciliorum, quæ in hoc Capite imitatur, duo tantùm Noni Sæculi commemorat. „ Hunc igitur Christia-
„ nissimè Rex, à Turonensis Concilii Patribus exara-
„ tum libellum, Tuæ excellentissimæ Majestati sup-
„ plices offerimus, gratumque habere suppliciter de-
„ precamur, de quorum vitæ integritate, ingenii
„ dotibus, Religione, Doctrinâ, suique muneris ac-
„ curatâ sollicitudine, cùm non sit hìc testificandi
„ locus, obiter tamen id dixerint, nec si non his
„ parem, saltem eorum esse assecla vehementer
„ cupere, offerimus, inquam, tibi libellum exem-
„ plo Patrum Concilii Cabillonensis secundi, qui Im-
„ peratori Carolo Magno sua Decreta duxerunt offe-
„ renda, ut sacratissimo ipsius Judicio, quæ ab eis
„ rectè sancita erant, confirmarentur, & sic ubi forsan
„ omissum

omissum quidquam, ejus sapientiâ suppleretur; quod quidem & ità fecisse Concilii Turonensis Tertii Patres, ex ipsius fine haud dubiè colligitur.

Notandum est præterèa, id quod Concilium adjicit, ad insinuandam Regi moderationem quacum Statuta Episcopalia immutare debeat. *Neque enim dùm offerimus, ignoramus, quantùm Ecclesiæ Ministris tribuas, quàm Religiosus sis in tractandis Ecclesiæ Decretis, quàm diligenter in mentem tuam introspicias, & perconteris te ipsum, antequàm de Ministrorum Dei Statutis aliquid existimes immutandum.*

Redeamus ad promulgationem Tridentini à Synodo Turonensi exoptatam, perindè atque à pluribus præcedentibus laudatis. De eo fit etiam sermo in Instrumento convocationis, his verbis. *Opportunè admodùm Tridentina Synodus prævio Spiritûs Sancti instinctu, & ductu, labescenti propemodùm Ecclesiasticæ Disciplinæ occurrerat, manumque porrexerat auxiliarem, si Sacrosanctis illius Decretis, hanc retineri & fulciri, ut spes erat, licuisset. Quandoquidem verò nunc is est rerum Gallicanarum status, ut cæteris de causis nobis incognitis hoc tam præstandi Concilii remedio, nos liberè perfrui nondum permittat &c.*

CAPUT XIX.

CONCILIUM AQUENSE 1585.

JUxtà exemplum Concilii suprà laudatum Synodus Aquensis testata est, se exoptare, ut Tridentinum in Regno promulgatum fuisset, atque unanimi voto statuit, Regi supplicatum iri, ut hanc publicationem permitteret &c.

Illud imprimis ab hac Synodo unanimi consensu decretum fuit, ut à Christianissimo Rege nostro humillimis precibus efflagitaremus, ut, pro sua singulari pietate, Tridentinum Concilium, quo labenti Reipublicæ Christianæ accuratissimè subvenitur, promulgari juberet; interim verò dùm hujusmodi promulgationem speramus & expectamus, de Fratrum nostrorum Coepiscoporum consensu, eorumque, qui huic Synodo interfuerunt consilio; tùm quod Episcopi ipsi in sua quisque Diœcesi pro suæ conscientiæ exoneratione, omnia, quoad ejus fieri potest, ad ipsius Concilii Decretorum præscriptum dirigant, & moderentur, tùm hæc quæ sequuntur, pro temporum necessitate & nostræ Provinciæ statu . . . . statuere duximus.

Verba hæc partim ex Synodis Rhotomagensi & Rhemensi sumpta sunt; ut facilè patebit ei, cui illas conferre vacabit. Quod Aquensi peculiare est, incipit ab his verbis. *Tùm quod Episcopi &c.* Circà quem locum notandum est, quod ibi dicitur, nempè Episcoporum conscientiam astringi, ut Diœceses suas regant juxtà Decreta Tridentini, restringendum esse ad Decreta, quæ Rex observari sinit, qualia præsumebantur esse ea, quarum Executionem Synodi præceperant, Rege nullatenùs intercedente, & ea, quæ Constitutio Blesensis adoptarat.

CAPUT XX.

Cur Concilia RHEMENSE *an.* 1564. BURDIGALENSIA 1583 & 1624. TOLOSANUM 1590. & NARBONENSE 1609. *nihil dicant de solemni publicatione Tridentini in Galliâ Universâ?*

CUm non habeamus Instrumentum convocationis neque Instrumentum publicationis, neque omnia Statuta Synodi Rhemensis an. 1564. liquidò affirmare non possumus, hanc Synodum stluisse circa publicationem Tridentini, quia illius mentio forsitan facta est in Actis, quæ interciderunt.

Quoad reliquas, credibile est, eorum silentium provenire, vel ex eo, quòd ratæ sint, inutiliter eam postulatum iri; quia nulla erat ejus impetrandæ spes: vel ex eo, quòd existimaverunt conversis per Constitutionem Blesensem an. 1579. & Edictum Melodunense 1580. in Leges Regias, præcipuis Tridentini Decretis, illam publicationem omitti posse, maximè, cùm Rex sineret Episcopos procurare in suis Diœcesibus Executionem aliorum Decretorum Regulis Regni non repugnantium.

SECTIO II.

PROPOSITIONES QUINQUE

Discutiendæ circà Criminationes contra Concilium Tridentinum factas.

PROPOSITIO I.

An Clausulâ, *salvâ semper in omnibus Sedis Apostolicæ authoritate*, quæ legitur in fine Præfationis. SESS. VII. *de Reform.* & Clausulâ, *salva semper Sedis Apostolicæ authoritas sit, & esse intelligatur*; quæ legitur *Cap.* 21. SESS. XXI. *de Reform.* Concilium omnia Decreta sua circà Disciplinam mero Pontificis arbitrio submiserit & dimiserit.

VArium genus est personarum, quæ contendant, Concilium his Clausulis universa Decreta sua circà Disciplinam, arbitrio mero Pontificis subjecisse, ità, ut hic adjicere, diminuere, immutare quidvis pro lubitu possit, atque in omnibus agere, tanquàm illa Decreta non existerent. Eæ omnes innituntur sensui apparenti verborum, quæ Pontificiam autoritatem super illa Decreta extollere videntur; sed, quamvis illarum communis sit sermo, earum tamen momenta valdè discrepant. Aliæ sic loquuntur, ut criminentur, & elevent Tridentinum; quales sunt Hæretici, qui præfatis Clausulis utuntur in memorato sensu, ut probent Concilium nihil fecisse, nisi quod Pontifici placeret: undè concludunt, illius Decreta non habere aliam autoritatem, quàm Pontificis, à quo profecta sunt.

Inter cæteros, qui Clausulis eumdem sensum tribuunt, alii ad assentationem loquuntur, alii ob quæstum, plurimi ex utrâque causâ, quos inter forsitan reponendi sunt Officiales Romanæ Curiæ, qui spes eò majores concipiunt, quo magis autoritatem Domini sui extollunt; eorum præterea Officium honorabilius evadit: ii verò, qui ad gratiarum distributionem proposîti sunt, vel ad earum expeditiones, indè occasionem amplificandæ potestatis suæ arripiunt. Alii denique in hanc interpretationem labuntur, ob desiderium Dispensationum, quarum indigent, vel indigere possunt, sivè pro seipsis, sive pro aliis personis sibi caris.

Magni igitur interest hanc Clausulam exponere, quod pluribus modis fieri potest, 1. Cùm eo conferendo alia Decreta Concilii. 2. Per verba Clausulæ. 3. Per circumstantias celebrationis, aut durationis Concilii. 4. Per Textus Juris, quod antea obtinebat, atque observabatur.

Duo sunt in Concilio Decreta, quæ maximè idonea videntur ad exponendam Clausulam. Primum est in SESS. VII. *de Reform. Cap.* 6. Concilium decernit, ut deinceps nullæ uniones fiant, nisi ex legitimis aut rationabilibus causis, coram loci Ordinario, vocatis, quorum interest, verificandis, nisi verò sic factum fuisse constiterit, ut uniones *per subreptionem obtentæ præsumantur; ac præterea viribus omninò careant*: adjicit tamen, *nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit.* Porrò, Clausula hæc multùm accedit ad propositam, nec ab eâ nisi verbis discrepat. Verus itaque sensus Clausulæ, *salva sit Sedis Apostolicæ au-*

toritas, alius non videtur, quam si Pontifex validis ex rationibus expedire ducat, ut ab observatione Decretorum Concilii cesset in quibusdam circumstantiis, Concilium tunc libenter consentire, ut Pontifex illa non observet, in iis circumstantiis, quia Pontifex magis quàm alius Episcopus habet jus dispensandi à Decretis Conciliorum Generalium, cùm sit Caput Universalis Ecclesiæ, quam illa repræsentant.

Aliud Decretum Tridentini, cujus ope Clausula illustrari potest, est in SESS. XXV. *de Reform.* sicut illa ipsa Clausula, respicitque observationem Canonum, & modum ab iis dispensandi. Primò dicitur existere Casus legitimæ dispensationis, quorum unus est utilitatis communis circumstantia; sed magnopere cavendum esse, ne frequentiores sint dispensationes, neve potiùs ad exemplum quàm ex electione fiant: quia sic introducitur contemptus Legum: tùm adjicitur, *sciant universi sacratissimos Canones ab omnibus exactè, & quoad fieri potest, indistinctè observandos. Quod si urgens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postularent, cum aliquibus dispensandum esse, id causâ cognitâ, ac summâ maturitate, idque gratis à quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.* Verba hæc, *ab omnibus indistinctè*, *à quibuscumque*, singularem attentionem requirunt; nam hæ locutiones generales junctæ rationibus è Jure Naturali petitis & relatis in Præfatione Decreti, respiciunt Pontificem, perinde atque alios Episcopos, oftenduntque, Concilium non potuisse velle subjicere Decreta sua mero Pontificis arbitrio; sed voluisse tantùm declarare, quòd Pontificis potiùs quàm alterius cujusvis munus esset, interpretari & dispensare Decreta ab ipso condita, quia hic primum gradum obtinet in Ecclesia Universali, quam Concilium Decretorum Auctor repræsentat.

Ergò, si de Clausulâ judicium feratur ex laudatis Decretis, valdè credibile est, eam nihil aliud esse quàm testimonium reverentiæ Sedis Apostolicæ debitæ, quæ Sedes cùm sit omnium prima, æquum est, ut majorem præ cæteris potestatem habeat in Leges Ecclesiæ Universalis.

Nec dispar erit judicium, si attendamus ad verba Clausulæ; neque enim dicitur, *salva sit Sedis Apostolicæ voluntas*, sed *salva sit Sedis Apostolicæ autoritas*. Enimverò Concilium Generale, cui aderat Spiritus Sanctus non minùs justitiæ, quàm veritatis Spiritus & Regula, tàm immodicè assentari Pontifici non poterat; quippe sic illi tribueretur dominatio Principum Gentium, quam Christus Ministris suis expressè interdixit, quæque in eo sita est quòd juxtà merum arbitrium suum regant, jubendo, non quod æquum est, sed quod sibi placet. *Quod libet, licet*, aiebat unus ex illis amplioribus Principibus: eo pacto Pontifex in Deum muratus esset; soli enim Deo competit, ut omnia juxtà voluntatem suam ordinare possit, qui nihil velle potest nisi quod justum est, nec recedere potest à Lege æternâ, primâ omnis justitiæ Regulâ.

Quoad circumstantias celebrationis Concilii, è quibus inferri potest quòd sua Decreta mero Pontificis arbitrio subjicere non intenderit, plures sunt, quæ mereantur, ut paululùm consistamus. 1. Est, quòd partim convocatum fuerit ad reducendos Hæreticos, & in gremium Ecclesiæ revocandos, idcircò multoties invitati fuêre ad conveniendum, imò enixè rogati; quod, ut illis suaderetur, polliciti sunt iis Patres fore, ut benignè audirentur, iisque omnem securitatem obtulerunt. Porrò, Concilium ignorare non poterat, quod attribuendo Pontifici imperium absolutum, ejusque mero arbitrio temperatum, removerentur Hæretici à reditu ad Ecclesiam, quia questi erant, quòd Pontifices Ecclesiam regerent despoticè, & declaraverant hoc unam esse è separationis suæ causis. Proindè, vel Concilium non egisset consequenter ad propositum suum, vel nulla est probabilitas, quòd mero Pontificis arbitrio Decreta sua subjicere voluerit. Eamdem ob causam dici nequit, Concilium locutum fuisse tamquàm id reipsa id voluisset; nàm quoad hoc, agere & loqui non multùm discrepant. Sanè, longum est discrimen inter exceptionem autoritatis Pontificiæ, quam fecit Concilium, & exceptionem voluntatis, quam Concilium non fecit; quia nedùm voluntas sit regula authoritatis, voluntas juxta autoritatem ordinare debet, hæc autem secundùm Canonum rationem temperanda est, cùm nihil Pontifici liceat, nisi quod rationabile est. Aliæ circumstantiæ, è quibus inferri potest Concilium Decreta sua mero Pontificis arbitrio dimittere noluisse, sunt, quòd multos labores magno personarum numero importaverit, in itineribus, sive ad Tridentum, sive ad Bononiam, sumptusque immensos, tàm in itinere, quàm in mansione: quòd plurima opera adhibita fuerit ad discutiendos abusus, qui reformandi erant, majorque ad invenienda remedia congrua: quòd multæ magnæque difficultates superandæ fuerint, sive quoad convocationem, sivè quoad translationem, vel continuationem, sive circà conclusionem, ita, ut octodecim anni in his gerendis insumpti fuerint. Porrò, quænam veri species esse potest, quòd Concilium uno momento tot annorum opus destruere voluerit, prorsùs inutiles reddere tot labores, sumptus, operasque; hoc tamen verum esset, si de subjiciendis arbitrio Pontificio Decretis suis cogitasset.

Nam, si, post hæc Decreta, Pontifex agere possit quasi facta non forent, quis esset fructus tantarum operarum, atque impensarum ad ea conficienda adhibitarum; jamverò pravæ huic interpretationi non solùm resistunt alia Concilii Decreta, adversaturque vis ipsa verborum, non solùm excluditur per circumstantias celebrationis & durationis ejus, & quia irritum evaderet Concilium, sed etiam destruitur per Juris anteà vigentis Textus.

Constat, quòd Concilium Tridentinum hâc Clausulâ noluerit augere Pontificiam autoritatem; nàm Sedis Apostolicæ autoritatem excipit tantùm; &, præterea, ex compluribus ejus Decretis apparet, quòd illam notabiliter diminuat; qualia sunt omnia, in quibus derogat Exemptionibus, & Privilegiis, quæ Clericos aut Regulares ab Episcopali Jurisdictione subtractos, immediatè subjecerat Pontifici, talia sunt omnia, quæ partim abrogant Reservationes Casuum Absolutionis aut Dispensationis ad Pontificem & Reservationes Beneficiorum ad eumdem.

Ex hoc Principio sequitur, Concilium Decreta sua mero Pontificis arbitrio submittere noluisse; hoc enim fieri non poterat, nisi tribuendo illi novam potestatem omnes ejus prætentiones excedentem. Quod facilè probatur per varios Canones Corpori Juris insertos.

Priores sunt ii, qui docent, Canones debere confici ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, & consequenter debere conservari & observari, quamdiù alterutra requirit; hinc enim sequitur, Concilium Tridentinum, quod Decreta sua ob Ecclesiæ necessitatem utilitatemque condidit, velle non potuisse illa mero Pontificis arbitrio submittere, sed solùm consentire, ut illa commutaret, vel ab iis dispensaret, cum utilitas, vel necessitas id postularent. *Can.* 2. DIST. IV. *Cap.* 1. SESS. XXIV. *de Matrim.*

Idem discitur ex Canonibus, qui dispensare prohibent extrà Casum urgentis necessitatis, aut evidentis utilitatis Ecclesiæ, circa Leges, quæ ad ejus regimen spectant, & bonum commune. Hoc autem notabile est in his Canonibus, quòd plerique excerpti sint ex Epistolis Pontificum, qui ex animo suo loquentes, dicunt, se dispensare non posse extrà illos casus *Cap.* 20. 23. *de Elect.* Ipsi ergò agnoverunt, Canones arbitrio suo mero non subjacere. Quis autem post Confessionem publicam adeò expressam, suspicetur, Concilium voluisse mero illorum arbitrio Decreta sua committere.

Quando Concilia quosdam Canones præcedentes abro-

abrogaverunt, declaraverunt, id se facere, quia pernicioſi illi evaſerant, atque ità ſignificaverunt, futurum fuiſſe, ut illos conſervaſſent; poſito quòd neceſſitas vel utilitas duraviſſet. Ex eorum numero eſt Tridentinum SESS. XXIV. *Cap.* 2. *de Matrim.* ubi quosdam gradus ſpiritualis Cognationis, Honeſtatis publicæ, & Affinitatis, per viam illicitam abrogat, & declarat, eos ſubſiſtere diutiùs non potuiſſe, quin ſalus animarum periclitaretur. Concilium *Lateranenſe* ſimiliter locutum eſt, reducendo ad *Quartum Gradum* impedimenta Conſanguinitatis & Affinitatis; quæ anteà ad *Septimum* porrigebantur. *Cap.* 8. *non debet de Conſanguin.* Valdè igitur abfuit, ut Concilia hæc arbitrarentur, Canones ſubjici debere mero cujuscumque hominis arbitrio. GRATIANUS *Cap.* 25. *Quæſt.* 1. agendo de poteſtate concedendi Privilegia contra Jus Commune, multa refert teſtimonia Pontificum declarantium, ſe teneri ad obſervandas Leges, à ſuis Prædeceſſoribus factas, ſibique non licere eis derogare: illa autem multipliciter exponens, affert. 1. Interpretationem docentium, Pontificem Dominum eſſe Canonum, ſicut Chriſtus fuit Dominus Legis Moſaicæ: & cum illis dicit, Pontificem non magis ſubjacere Canonibus, quàm Chriſtus Legi Moſaicæ obnoxius erat; Cùm tamen Chriſtus illi Legi paruerit ad præbendum Exemplum, ſimiliter Pontifices Canonibus obtemperare eodem animo.

2. Ad eorum Officium pertinere, ut illos interpretentur, quemadmodum pertinet, ut eos conficiant. Proindèque in omnibus Canonibus unam horumce trium clauſulam ſubintelligi. 1. Niſi contrarium præcipiat aut permittat Eccleſia Romana. 2. Salvo tamen in omnibus Eccleſiæ Romanæ jure. 3. Salvâ tamen in omnibus autoritate Sedis Apoſtolicæ: Hanc interpretationem ſequens concludit, Eccleſiam Romanam poſſe Privilegia contra Canonum tenorem concedere, ità tamen, ut æquitati ſemper conſulat. *Valet ergò, ut ex præmiſſis colligitur, Eccleſia Romana ſuis Privilegiis quoslibet munire, & contra Generalia Decreta, quodam ſpeciali beneficio indulgere: conſideratâ tamen æquitatis ratione, ut, quæ Mater eſt juſtitiæ, in nullo ab ea diſſentire videatur.* Itaque, quamvis ergà Sedem Romanam nimium ſtudioſus longè abfuit, ut putaret, Canones mero Pontificis arbitrio ſubjici, ſed è contra Pontificem ipſum illorum Canonum rationi obnoxium eſſe exiſtimavit.

Cùm igitur *Decreti, Decretaliumque* Doctrina ſit, Pontificem non eſſe Dominum Canonum, quibus pro arbitrio abutatur, nulla eſt veri ſpecies, quòd Synodus Tridentina eorum Librorum tam perita, Decreta ſua mero Pontificis arbitrio ſubmittere voluerit. Itaque, firmum ac certum ſtat multùm abeſſe, ut Tridentinum Decreta ſua Pontificis voluntati committere intenderit per Clauſulam, *Salvâ autoritate Sedis Apoſtolicæ.* Hanc illi mentem tribuendo, accuſaretur illud. 1. Sibi contradicere. 2. Clauſulæ verba malè intelleXiſſe. 3. Contra finem præcipuum convocationis ſuæ egiſſe. 4. Octodecim annorum laborem peſſumdare. 5. Evertere jus antiquum quod reſtaurare ſtudebat. Undè ſequitur, impoſſibile fuiſſe, ut talem voluntatem habuerit, quia conciliari nequit cum ſpeciali Spiritûs Sancti auxilio Conciliis Generalibus promiſſo, quod ab his omnem erroris labem necnon injuſtitiam ab errore provenientem avertit. Immò videtur, quod hac Clauſula, *Salva ſit & eſſe intelligatur Sedis Apoſtolicæ autoritas.* Concilium declaravit ſolùm poteſtatem Pontificis ergà Concilia Generalia: ſcilicet eum, qui his Conventibus præeſt, maximam habere poteſtatem debere in Executione Decretorum ipſorum; ideòque horum eſſe primum interpretem, primum diſpenſatorem & primum Judicem diſceptationum, quæ eorum occaſione naſcuntur.

Obiter quæri poſſet, quænam ſit origo Clauſulæ prædictæ; anque illa ſubintelligi debeat in Canonibus Conciliorum vetuſtiorum? Quoad priorem quæſtionis partem, dicimus, Pontifices hujus Clauſulæ Autores eſſe; nam monumentum vetuſtius, in quo reperiatur, ſaltem verbis æquipollentibus, eſt Epiſtola *Innocentii I.* ad *Victricium Archiep. Rothomag. Cap.* 10. *Decret. ejus.* 2. Codice Dionyſii Exigui. *Si quæ autem cauſæ vel contentiones inter Clericos tam Superioris Ordinis, quàm inferioris fuerint exortæ, ut ſecundùm Nicænam Synodum congregatis ejusdem Provinciæ Epiſcopis, negotium terminetur, nec alicui liceat ſine præjudicio tamen Romanæ Eccleſiæ, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Provincia Dei Eccleſiam nutu divino gubernant ad alias convolare Provicias.* Hæc Clauſula, *ſine præjudicio tamen Romanæ Eccleſiæ*, idem prorſùs ſapit quod hæc, *Salvâ Sedis Apoſtolicæ autoritate*; nam, in re, de quâ agitur, præjudicium Eccleſiæ Romanæ inferre, & Sedis Apoſtolicæ autoritatem lædere, unum atque idem eſt.

Cùm unusquisque in ſua cauſa ſuſpectus ſit, quia nullus amore ſui ipſius caret, hujus origo Clauſulæ minimè ipſi favorabilis eſt, quia metuendum eſt, ne Pontifex autoritatis ſuæ nimis ſtudioſus ſibi jùs ad ſe non pertinens attribuerit.

Quoad alteram Quæſtionis partem, ea definita videtur per Epiſtolam Concilii *Carthaginenſis* ad CÆLESTINUM Pontificem circa an. 423. ibi enim Nicæni Concilii Canone ab *Innocentio* commemorato utitur, ut probet, non licere Epiſcopis à Judicio Epiſcoporum Africæ provocare ad Pontificem, & ſic ſignificat, ſe putaviſſe Clauſulam, *Salvâ Sedis Apoſtolicæ autoritate*, non ſubintelligi in Canonibus Concilii Nicæni, qui jubent, ut negotia in Provinciis conficiantur. Idem colligitur ex *Can.* 28. & 125. Eccleſiæ Africanæ, quorum ultimus è Concilio *Carthag. ann.* 419. ſumptus eſt. Uterque appellationes transmarinas prohibet, quo nomine intelligit eas, quæ ab Africâ Romam deferebantur, conſtat enim à Conciliis Africæ nusquam aliò fuiſſe provocatum, quàm Romam, & credibile eſt, hos Canones factos fuiſſe ad abolendas appellationes, quæ extra Africam deferri cœperant, quoniam Leges, ut plurimùm, fiunt, ut malis præſentibus medeatur.

PROPOSITIO II.

Circa Criminationes contra Concilium Tridentinum factas.

An Clauſula, *Proponentibus Legatis*, diminuat autoritatem Decretorum Concilii Tridentini?

FAtendum eſt ultrò, nonnihil invidiæ præ ſe fert Clauſula hæc, quia oſtendit, Legatos reſervaviſſe ſibi jus proponendi argumenta, quæ in Synodo diſcutienda erant; hæc autem reſervatio pluribus nominibus odioſa eſt. Ea enim auferebat Epiſcopis jus, quo in Conciliis præcedentibus fruiti erant, ut agnoſcit Concilium SESS. XXIV. *de Reform. Cap.* 21. declarando, *mentis ſuæ non fuiſſe, ut ex prædictis verbis ſolita ratio tractandi negotia in Generalibus Conciliis ullâ ex parte immutaretur*; ne cujusvis juri in poſterum detraheretur.

Præterea, Clauſula hæc peſſimos habere effectus poterat, quia Epiſcopis eripiebat libertatem conficiendi Definitiones, ſeu Decreta, quæ utilia, vel etiam neceſſaria duxiſſent.

Verùm, licèt Clauſula hæc & reſervatio magis odioſæ eſſent, nusquam tamen indè ſequeretur, eas aliquid ab autoritate Decretorum Tridentini detractum ire.

Nam 1. Clauſula hæc uſurpata fuit ſolùm *Seſſione XVII.* quæ ſub PIO IV. prima eſt. Itaque, Seſſionum præcedentium Decretis, quæ majorem atque inſigniorem Definitionum Tridentini partem continent,

nocere nequit. 2. Quoad Decreta subsequentia, Clausula, de quâ agitur, eorum autoritatem diminuere non potuit; quia mansit libertas discutiendi argumenta à Legatis proposita, nec non opinandi. Patrum numerus indè minor factus non est.

Quod si dicatur, futurum fuisse, ut duo inter alia Decreta condita non fuissent, si Episcopi habuissent jus proponendi. 1. Id, quod Sedis Apostolicæ autoritatem in omnibus Decretis Disciplinæ excipit. 2. Id, quo statuitur, ut à Pontifice postuletur confirmatio gestorum omnium, tam circà Dogma, quàm circà Disciplinam; quia de his cogitatum non fuisset, si quæstiones de Superioritate Concilii supra Pontificem, deque hujus fallibilitate motæ fuissent; ut accidisset, nisi reservatio prædicta obstitisset: facilis est responsio, nempè, quòd nunquàm eventurum fuisset, ut Legati sinerent ejusmodi quæstiones agitari, sed potius Concilium devolvissent, quàm iis consensissent, ac, licèt agitatæ fuissent, definiri non potuissent, quia omnes Episcopi Italici Pontificis partes amplexi fuissent; cæteri verò adversas; itaque nedum Concilii sententia concordis vel unanimis fuisset, magna extitisset discordia.

PROPOSITIO III.

Discutienda circà Criminationes contra Concilium Tridentinum factas.

An qualitas Delegati Sedis Apostolicæ, quam Concilium toties Episcopis attribuit, ipsis injuriosa sit?

AD cognoscendum, an qualitas hæc Episcopis injuriosa sit, duo sunt attendenda; 1. An titulus Delegati Episcopos honore afficiat. 2. An idem titulus ignominiosus fiat Episcopis, in iis Casibus, quos Concilium indicat; nam qualitas Delegati Sedis Apostolicæ injuriosa esse nequit, nisi ratione tituli ipsius, vel ratione negotii, circà quod illa Episcopis attribuitur.

Superioritas Pontificis in Episcopos nimis nota est, ut dubium esse possit, quòd Episcopis honorabilis sit qualitas Delegati Sedis Apostolicæ; hâc de causâ Episcopi semper hunc titulum similesve ambierunt; eum læti receperunt, vel Pontifex indulsit, ut benevolentiæ suæ notam insignem. Scimus quanti facti fuerint Metropolitani Thessalonicæ & Arelates, idcircò solùm, quòd Vicarii Apostolici essent. Scimus quantoperè Archiepiscopi Canturiacenses laboraverint, ut qualitatem Legatorum natorum Sedis Apostolicæ adipiscerentur & conservarent; nec minùs notum est in quanta existimatione versati fuerint Archiepiscopus Rhemensis & Abbas Vindocinensis ob ejusdem tituli possessionem. Eâdem de causâ etiamnum in Causis Majoribus commissiones Sedis Apostolicæ gratulabundi Episcopi accipiunt; quales sunt Commissiones faciendi inquisitionem necessariam ad Canonisationem Sanctorum, vel ad erectionem Episcopatuum, Metopolium, Primatiarum. Cæterùm, quo pacto qualitas Delegati Sedis Apostolicæ Episcopis injuriosa esse possit? An ignominiosum est membris Caput suum repræsentare, vel Fratribus primogeniti sui vice fungi, & jura primogenituræ possidere? Porrò, Episcopi Delegati Sedis Apostolicæ membra sunt, quæ Caput, Fratres sunt, qui primogenitum valdè præcellentem repræsentant, Supereſt igitur, ut qualitas Delegati in seipsâ spectata Episcopis injuriosa non sit.

Sed fortè ignominiosa esset ob negotium. Duplex potestas Pontifici competit; duplex quoque negotiorum genus delegare potest. Sanè, Pontifex est Episcopus, est Episcoporum Caput. Quatenùs Episcopus, habet potestatem cum aliis Episcopis communem; quatenus Caput Episcoporum, is habet potestatem propriam. Utrique potestati suum respondet negotium, vel materia. Potestati communi, Materia communis; Potestati propriæ, Materia propria. Materia propria *in causis majoribus* sita est; ex majoribus autem aliæ sunt tales Jure Divino; aliæ tales sunt Jure Humano tantùm, scripto, aut non scripto.

Pontifex Episcopis superior esse nequit Jure Divino atque Humano, nisi habeat potestatem propriam & suæ Superioritati congruam. Porrò, si delegando committat res ad potestatem propriam pertinentes, oportet, ut delegatio sit honorifica ergà Delegatum, cùm fiat particeps potestatis sui Superioris.

Enimverò, inquiet aliquis, Delegatus particeps sit potestatis delegantis, & delegatio à Pontifice facta transmittit potestatem Episcopali superiorem; sed, esto quòd magnum sit jus transmissum, modus, quo illud transmittitur, quoque executionem sortiri debet, ignobilior est; nam delegatio speciem habet præcepti, & licèt præcipienti honorificum sit præceptum, eum, cui præcipitur, deprimit. Præterea potestas, quam delegatio impertitur, est solùm potestas executionis, quæ quodammodò servilis est.

Qui sic loquuntur id ignorant, de quo agitur; nam delegatio non ligat; hæc acceptari, vel repudiari potest: aliundè verò omnis Delegatus non est merus executor; nam quibusdam committitur cognitio & judicium negotii; & quamvis in casu proposito Delegatus esset merus executor, nihilominùs delegatio honorifica esset etiam Episcopis; namque, inter res ad potestatem propriam Pontificis pertinentes, & de quarum executione agitur, nullæ sunt, quæ delegentur Episcopis, ideò quòd Pontifice dignæ non sint, sed quia meliùs geruntur ab Ordinariis, qui in loco sint. Quod si agatur de rebus, quas Episcopi æque ac Pontifex facere possunt, sed quæ Sedi Apostolicæ reservatæ fuerunt propter necessitatem vel utilitatem, itemque ob reverentiam illi debitam hoc in casu dubitari potest, an delegatio sit honorifica Episcopis, & in hoc solo casu difficultas sita est. Omnibus tamen ritè discussis ac perpensis, videtur nobis, quòd etiam illis in rebus qualitas Delegati Sedis Apostolicæ non sit ignominiosa Episcopis; nihil enim ad Pontificem reservatur, quod à Pontifice fieri indignum sit: quod autem Pontifice dignum videtur, dedecere non potest, eos, per quos Pontifex, tanquàm per Delegatos, id fieri procurat; quod deleganti est honorificum, turpe Delegato non erit.

Sed urgent. Fatendum est, quòd in illis rebus delegatio non potest esse ignominiosa ob qualitatem rerum delegatarum, non solùm quia dignæ Pontifice judicantur, sed etiam quia ad Episcopalem potestatem pertinent; sed negari non potest, quin modus illas res faciendi ignominiosus sit Episcopis; ubi enim conficiunt quatenùs Delegati, id quod valent tanquàm Ordinarii, faciunt, ut Servi id quod valent, ut Domini: à Pontifice habere se fatentur id, quod à JESU CHRISTO acceperunt; sui ipsorum Patrimonii donatarii fiunt: denique similes fiunt Dominis, qui Feudum liberum in Feudum serviens commutarent.

Huic objectioni facilis est responsio; nam 1. In delegatione Pontificiâ, nihil tam vile est, ut Delegati munus officio servi simile evadat; imò cuncta sunt nobilia, modus agendi, & actio ipsa. Equidem Delegatus alieno nomine agit; sed hoc est nomen Superioris, quem repræsentare gloriosum sit. Hac in re omnis potestas à Pontifice profecta, aliquid à gloriâ ejus, à quo manavit, participat. In Ecclesia alius non est Dominus, quam DEUS Pater, JESUS CHRISTUS Filius ejus, & SPIRITUS SANCTUS utriusque vinculum. Ministri Sacri sunt meri Dispensatores, tàm primus, quàm novissimus.

Cùm igitur Episcopus agit quatenùs Ordinarius, non agit, ut Dominus; sed tanquàm unus ex præcipuis Dispensatoribus, qui suo nomine agit; cum verò facit, ut Delegatus, id quod potest quatenùs Ordinarius; tunc honori unius præcipui dispensatoris accedit honor repræsentandi primum Dispensatorem.

Hoc

Hoc in casu potestas delegata non deprimit potestatem ordinariam; sed eam extollit, si non auget ipsam, saltem eam spectabiliorem facit. Actio Episcopi, qui facit tanquàm Delegatus Sedis Apostolicæ, id quod jam poterat quatenùs Ordinarius, duplici autoritate pollere videtur, Pontificia & Episcopali, quamvis sola potestas Episcopalis agat. Malè interpretatur Titulum Delegati Sedis Apostolicæ Episcopis attributum, quisquis putat illum destruere propriam illorum potestatem; nisi hæc subsisteret, an ad Metropolitanum appellaretur ab Episcopo, qui judicat tanquàm Delegatus Sedis Apostolicæ? An Congregatio Cardinalium declaravisset autoritatem Episcoporum, qui agunt, ut Delegati Sedis Apostolicæ, non idcircò minùs ordinariam esse? Quis jam audeat dicere, Episcopum, qui facit ut Delegatus id, quod valet tanquàm Ordinarius, agnoscere, se tenere à Pontifice id, quod à Christo accepit; hoc enim supponit, Prælatum, qui agit ut Delegatus, desinere agere prout Ordinarium, & potestatem delegatam succedere ordinariæ. Sed quamdiù delegata hujus erit accessoria, jure affirmamus, Episcopum, in casibus, ubi utraque locum habet, honorare, & Christum, qui fons est potestatis suæ, & Pontificem, à quo partem ipsius recuperavit: Jam verò ad illud veniamus, quòd Episcopus, qui facit tanquam Delegatus id, quod potest tanquàm Ordinarius, dicitur fieri Donatarius patrimonii sui: Esto hoc verum esset, quid indè mali exurgit? An minus possidet potestatem cujus est opus? An minùs est efficax medium, quod ille suppetit ad tollendos abusus à Diœcesi suâ? Quænam esse debet cura Episcopi, nisi salus animarum ipsi creditarum? Nonne præstat, ut eas animas sanctificet tanquàm Delegatus & Ordinarius, quàm, illam qualitatem respuendo, omni facultate excludatur: potestatem suam possideat, tanquam patrimonium suum, vel tanquàm alterius donum; prorsùs utrumque æquè conducit ad finem, quem intendere debet. An metuendi locus est, ne Titulus Delegati incommodum aliquod Episcopo importet, vel, ne idem titulus prætextum suppeditet Pontifici, quo utatur, ad eripiendum id, quod restituit? Talibusne prætextibus indiguit olim, ut omnem illam potestatem ad se traheret? Cur illi necessarii fierent, ad illam retrahendam? An modus eam possidendi Episcopos in illius possessione magis confirmavit?

Adjicimus, non solùm omne incommodum præsens ac futurum abesse; sed etiam hîc aliquid boni inesse; nam potestas exercita sub titulo Delegati Sedis Apostolicæ magis honorifica evasit, quàm quod anteà exercebatur à Pontifice tanquàm potestas ipsi propria: Cùm autem titulus Delegati in memoriam reducat eam dignam visam fuisse, quæ Pontificis propria fieret, oportet, ut eo sensu delegatio honorifica sit. Supereſt ex objectione, quòd Episcopus faciens ut delegatus id, quod potest tanquàm Ordinarius, similem se faciat Domino, qui Feudum liberum in serviens mutaret; sed claudicat comparatio, quippe, ut illa valeret, requireretur; ut pro titulo Delegati aliquid præstaretur Pontifici, sed cùm ille *gratis* detur, dici nequit Episcopum, qui illum accipit, servitio subjicere id quod accipit, nisi contendatur ultrà quòd potestas accepta sub hoc titulo, servitio subjiciatur, agnoscendo in ejus receptione, eam à Pontifice ad Episcopum transire, sed in hoc nihil ignominiosum, cùm illam accipiat, ut eam exerceat, tamquàm propriam utpote restitutam, & tamquàm Delegatam, eo fine, ut utilius sit exercitium.

His, quæ hucusque dicta sunt circà titulum *Delegati* Sedis Apostolicæ, quem Concilium toties tribuit Episcopis, ut faciant res, quas possunt tamquàm Ordinarii, adjice, quòd in praxi nulla fiat mentio hujus tituli; nusquam enim videtur, quòd Episcopus visitando Clausuram Monialium Exemptarum, assumat qualitatem Delegati Sedis Apostolicæ, quamvis hæc visitatio una sit ex rebus, quas Episcopus facere debet, ut Sedis Apostolicæ Delegatus; exempli causâ visitationem nominavimus, quapropter idem producendum est ad omnia Capita, in queis Episcopus agere debet tanquàm Sedis Apostolicæ delegatus, & tamquàm Ordinarius.

PROPOSITIO IV.

Discutienda circà Criminationes &c.

An verum sit quod antè Concilium Tridentinum nullum Concilium, nullus Pontifex, Episcopis mandaverit exercitium propriæ ipsorum autoritatis, tamquàm à Sede Apostolicâ manaret.

TRidentini Patres accusati fuerunt reperisse hunc agendi modum ex mero ergà Pontificem obsequio. Hujus refellendæ accusationis causâ, quæ tam falsa est, quàm Concilio contumeliosa, facti veritatem discutiemus, quod, ut perspicuè & cum ordine fiat, duas facti propositi partes seorsim considerabimus.

Ex commissionibus Vicariis Apostolicis concessis, facilè foret ostendere, quòd à *Quarto* etiam *Sæculo*, Pontifices Episcopis tanquàm Sedis Apostolicæ Delegatis mandaverint ea, quæ poterant tamquàm Ordinarii. Hoc facilè patebit ei, qui illas lustrare cupiet atque evolvere. Adeantur *Baronius*, *De Marca*, *Thomassinus*, qui non pauca locuti sunt de potestate Vicariorum Apostolicorum, & de potestate Primatum. Præterea, tam similis est respectivè utraque potestas, ut indè sequatur quòd, cùm Primas erat Vicarius Apostolicus, ut sæpè fiebat, ille quatenùs Vicarius Apostolicus exercebat partem eorum, quæ tanquàm Primas poterat. Nobis sufficiet colligere probationes, quas Corpus Juris & Concilium Tridentinum suppeditant; ubi tamen prænotavimus quòd, juxta D. *De Marca*, Episcopus Thessalonicensis Primas fuit antequàm Vicarius Apostolicus fieret, quòdque Ordinationis omnium Episcoporum districtûs sui particeps erat, quatenùs Primas; illud autem jus Vicario quoque Apostolico competit.

1. PROBATIO è Corpore Juris petita, est in *Cap. 9. de hæret.* à LUCIO III. circà an. 1181. scripto, ubi sit sermo de coërcitione Hæreticorum, etiam Exemptorum, qui Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato subjiciuntur. Verba ipsa referre juvat. *Si qui fuerint, qui à lege Jurisdictionis Diœcesanæ exempti, soli subjaceant Sedis Apostolicæ potestati, nihilominùs in his, quæ sunt contra Hæreticos instituta, Episcoporum subeant judicium, & eis in hac parte tanquam à Sede Apostolicâ Delegatis, non obstantibus libertatis suæ privilegiis, obsequantur.*

Nequaquam diceretur, hîc de Causâ Majore agi, quia hæresis pertinendo ad Fidem, pertinet quoque ad Causas Majores, quæ Jure Divino Pontifici reservatæ sunt; nam, quoad hæresim, quæstio *Facti* à quæstione *Juris* distingui debet ac potest. Hæc in eo sita est, an talis opinio sit contra fidem? Illa in hoc versatur, an hi aut illi talem opinionem habeant, ipsi adhæreant, eam prædicaverint, docuerint, defenderint? De quæstione Juris dicitur, eam esse Causam Majorem in quibusdam casibus, qui exponuntur in Regulis nostris à Jure exceptis, circa Causas Majores; sive quia nulla est in Religione Causa gravioris momenti, seu quia credibile est, Spiritum Sanctum, qui Ecclesiam regit, auxilium suum pro dignitate personarum erogando, plus impertiri primæ Sedi, quam cæteris. Quæstio Facti secreta à quæstione Juris, nihil habet quod mereatur, ut alius quàm Judex Ordinarius de illâ statuat. Imò *Caput* laudatum ostendit, ibidem non agi de Causa Majore, quia autoritas Apostolica non communicatur Episcopis nisi ratione Exemptorum; Itaque supponitur Episcopos satis habere autoritatis ad alios judicandos.

2. PROBATIO sumpta è Corpore Juris est in *Cap. 1. de Stat. Regular. in 6.* BONIFACII VIII. circà an. 1298.

1298. Ibi agitur de clausurâ Monialium & præcipitur, ut Episcopi sedulò invigilent, ut ea accuratè conservetur; *in Monasteriis sibi subjectis suâ, in aliis verò, quæ ad Romanam immediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ autoritate.*

Concilium Tridentinum, renovando hanc Constitutionem, verba jam laudata refert. *Præcipit Sancta Synodus, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis Ordinariâ, in aliis verò Sedis Apostolicæ autoritate. &c.* Undé sequitur, in Concilio Tridentino reperiri undè ostendatur, illud non fabricavisse rationem, quâ Episcopis mandaretur, tanquàm Sedis Apostolicæ Delegatis faciendum id, quod possunt, tamquam Ordinarii; sed, inquiunt, laudata loca ad rem non faciunt; nam per exemptionem, id, quod Jurisdictioni Ordinariæ subjacebat, transit sub Pontificalem; itaque, cùm Pontifex Exemptos subjicit Episcopos in quibusdam casibus, jurisdictionem Apostolicam Ordinario exercendam mandat, non verò Ordinariam.

Respondemus, quòd circa Capita in quibus derogatum est exemptioni, res ad pristinum statum reverturtur, id est, quòd Exempti his in Capitibus sub Ordinarii jurisdictione reponuntur.

Quod si urgeatur hanc derogationem, si abesset clausula delegationis Apostolicæ, res in pristinum statum restituere, verùm hujus clausulæ adjectionem significare, mentem fuisse conservare Jurisdictionem Pontifici, ejusque exercitium Episcopis tribuere. Respondemus, clausulam hanc appositam solùm fuisse, ut indicaretur, illud exercitium pertinuisse ad Pontificem, utque commendabilior fieret actio, quam facit, Episcopus ex vi hujus clausulæ. Hujus explicationis ratio est, quòd, propriè loquendo, exemptio, non spoliat Episcopum jurisdictione ipsius; sed ejus exercitium impedit solùm. Nam v. gr. Diœcesanus exemptus, est semper subjectus sicut & Membrum Diœceseos; si autem subjectus non appareat, id non fit quòd Episcopus amiserit jus suum, sed potiùs, quòd ipsi non liceat illud exercere, perindè ferè ac Episcopus, Parochus, interdicti amittunt solùm exercitium, non verò proprietatem Jurisdictionis suæ.

Quoad Concilia, quæ Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, quædam mandaverunt facienda ex iis, quæ potest tanquam Ordinarius, duo habemus; primum jam laudatum fuit sub titulo Constitutionis LUCII III. vel *cap. 9. de hæreticis.* Hujus Inscriptio capitis illud tantùm attribuit LUCIO, sed in parte recisâ, quæ apud *Antonium* AUGUSTINUM existit, & in Editione *Pythoei*, apparet, Constitutionem illam factam fuisse in Conventu, cui non solùm Pontifex & Cardinales aderant, sed etiam Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & plures Principes.

Aliud Concilium est *Viennense* ann. 1311, Locus ad rem faciens est in *Cap. 2. de Statu Regularium in Clem.* cujus hæc sunt verba; ut *singulæ Monialium Monasteria per Ordinarios exempta, Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, autoritate Apostolicâ, non exempta, autoritate Ordinariâ, annis singulis visitari debeant.*

PROPOSITIO V.

Circà criminationes &c. An Concilium hoc ex merâ politicâ abstinuerit à definiendis quæstionibus. *Utrùm Episcopi ex Divinâ institutione sint? An ex eâdem institutione Presbyteris Superiores sint? An Lege Divinâ teneantur ad Residentiam?*

UT sanum de hac accusatione judicium feratur, necessarium est attendere 1. An Concilium Generale ex merâ politicâ agere possit? 2. An, posito quòd talis agendi ratio in illud cadere posset, reperiretur in rebus ad Fidem pertinentibus? 3. Etiam hoc concesso, quænam conditiones necessariæ essent, ut accusatio tàm gravis proponi queat? 4. An quæstiones prædictæ decidi potuerunt, ac debuerunt? 5. An Concilium ipsum suppeditet undè ab hac criminatione purgetur?

Politica mera, politica humana, prudentia carnis, & similes locutiones unum atque idem significant, nempè, vitium, quod media ad finem malum assequendum idonea elegit. Itaque Concilium Generale ex merâ politicâ ageret, si Decreta faceret, vel à faciendis abstineret, eo proposito, ut servaretur immodica potestas Pontificis aut Episcoporum, quamvis eam saluti animarum nocere cognosceret.

Ut ergò Concilium possit agere ex obsequio, oportet, ut propter malum finem agere possit, suasque actiones ad illum finem referre; & proindè, ut à Justitiâ recedere possit, tam intentione, quàm opere. Porrò, credibile non est, Concilium Generale posse velle injustitiam, eamque operari; nam Spiritus qui illi præest, non minùs est Spiritus Sanctitatis, quàm Veritatis; itaque cùm Concilium Generale non possit recedere à veritate; quia Spiritus veritatis illi præest, sequitur etiam, ut à Justitiâ non possit amoveri, quia per Spiritum Sanctitatis adjuvatur.

Certum est sciri non posse, nisi ex principiis revelatis in Scripturâ, aut Traditione contentis, an res aliqua ex jure Divino sit; id autem quod nisi ex principiis revelatis sciri nequit, est argumentum Fidei, necesse igitur est, ut tres quæstiones præfatæ ad Fidem pertineant: nam quæritur, an Episcopi ex jure divino sint? An ex eodem jure Presbyteris sint Superiores? An idem jus illos ad Residentiam astringat? Perindè oportet, si Concilium Tridentinum ex politicâ abstinuit à definiendis his tribus Capitibus, oportet, inquam, ut Concilium Generale ex politicâ agere possit in rebus Fidei. Meritò igitur factum illud exploramus, amplectimur autem negativam, rationem affero: Concilium Generale ex politicâ, vel definiet aliquid, vel à definiendo abstinebit: definitiones ex politicâ facere non potest, Spiritus Sanctus à quo dirigitur, id non sineret; nam oporteret hunc consentire, ut Concilium ad pravum finem referret id quod ipsi infallibile cognoscendum facit ope singulari; imò oporteret illum impertiri opem singularem ad agendum cum perversâ intentione. Concilium Generale nihilo-magis abstinere valet ex politicâ à definiendo, cùm re discussa, cognoscit, eam definiri posse; nam præterquam quòd peccaret hac occasione iniquâ, induceret homines in errorem, præbendo occasionem inferendi, rem satis perspicuè non reperiri, neque in Scripturâ, neque in Traditione, ut definiri queat; id autem meritò inferretur, hinc, quòd Concilium Generale non suscipit sine necessitate discussionem rei ad Fidem pertinentis, indè, quòd præsumendum est illud non omittere præ studio definitionem, quam significavit necessariam esse.

Quot sunt Leges quæ judicia temeraria interdicunt, totidem damnant accusationem, quam nos discutimus; hæc enim prorsùs temeraria est. Sanè de re ignotâ agitur, cujus cognitio ad Deum solum pertinet: res hæc est intentio non manifestata, non declarata, non explicata.

Hoc in morali disciplinâ obtinet, quòd si actio per se ipsam inexcusabilis sit, eam, si fieri possit, excusare nitendum est ope intentionis; qui igitur fieri possit, ut liceat vituperare, & rem quæ per se bona esse potest damnare, eam fini pravo attribuendo. Etiamsi rationes, aut potiùs conjecturæ, quæ contra Tridentinum faciunt, tantùm validitatis haberent, quantùm illæ, quæ Concilio favent, in hujus favorem flectenda esset sententia, quia res dubia esset; porrò, in dubio benignior pars est eligenda.

Quantò major debetur personis reverentia, tantò majori moderatione opus est ad cogitandum de iis malum, quia talis cogitatio reverentiæ interiori est contraria; illius autem manifestatio, quæ cogitationem celeriter sequitur, reverentiæ exteriori adversatur: quo major autem personarum virtus est, aut dignitas, tantò major reverentia illis debetur; nam sublimitas est vera reverentiæ mensura: itaque cùm excellentiores dignitates Spirituales componant Concilia, nullæ personæ magis venerabiles sunt, quàm Patres Concilii, quod

si

si verum sit, etiamsi seorsim sumantur, quantùm accedit dignitatis ac venerationis, si collectivè considerentur. Ex hoc principio facilè concluditur quid de accusatione sentiendum sit.

Juris Naturalis, necnon Jurium Ecclesiastici ac civilis regula est; oportere credere virum quemlibet esse virum probum, nisi contrariæ probationes adsint; nec minùs certum est, eas probationes gravitati materiæ respondere debere, id est, validiores esse debere, prout materia gravior est. Validissimæ igitur probationes adversùs Concilium requirerentur, ut politicæ insimulari posset hoc in negotio; nam materia gravior esse nequit.

Alia circumstantia discutienda est, quæ petit, ut Concilium Generale non accusetur absque validissimis probationibus, scilicet, periculum destruendæ autoritatis ejus, non solùm in Constitutionibus Disciplinæ, sed etiam in Definitionibus Fidei; plerique enim ignorant pietatem haud necessariam esse ad faciendas bonas Definitiones, quia sufficit, ut caput de quo agitur, perspicuè reperiatur in Scripturâ aut Traditione, ope luminis, sivè humani à studio provenientis, sivè divini à Spiritûs ope profecti: porrò, lumen utrumque à pietate independens est, & peccato amitti nequit, quia gratuitum donum est ad alienam utilitatem concessum.

Ut certò cognoscatur, an Collegium aliquam rem approbet, oportet, ut de illâ deliberetur, deindèque concludatur juxtà pluralitatem suffragiorum; aliàs periculosum valdè est, ne Corpori attribuatur id, quod de aliquot Membris solùm verum est. Porrò, dici nequit Concilio Tridentino propositum fuisse, ut capita præfata non definiret, ne Sedis Apostolicæ immediatam potestatem diminueret; multò minùs de eo deliberatum ac concluſum fuisse. Equidem possibile est quosdam Patres hanc intentionem habuisse, atque etiam machinatos esse, ut consilium suum exequerentur: sed, etiamsi constaret nonnullos ejusmodi intentionem habuisse, atque etiam propter eam laboravisse, indè non sequitur, Concilium jure insimulari posse politicæ; si autem accusaretur ob delicta privatorum, eo injustior esset accusatio, quòd illi exprobaretur vitium, quod in illud cadere nequit.

Polliciti sumus, fore, ut discuteremus, an Concilium potuerit, ac debuerit capita præfata definire? Duplici autem viâ præstari id potest. Unâ prolixissimâ colligendo loca Scripturæ & testimonia Auctorum usque ad Sæculum x. circà hæc capita, & videndo, utrum simul juncta perspicuam discussionem contineant, an non; quod quidem opus eos tantùm respicit, qui de illis quæstionibus consultò agunt: cùm igitur de iis obiter tantùm loquamur, illam discussionem missam facimus.

Alia via brevior est. Considerandum est, quænam fuerint sententiæ Theologorum circà eadem puncta, quæ si discordes reperiantur, securè concludere possumus, Concilium nec potuisse, nec debuisse illa definire; nàm solebat argumenta Theologis discutienda dare, & abstinere à dicendo quæstiones in quibus non consentiebant; quod faciebat (ut referunt *Fra* PAOLO & PALAVICINUS) ne pax Catholicorum turbaretur. Porrò, facile est ostendere, Theologos non concordavisse in tribus capitibus de quibus agitur; sufficietque adire utrumque Historicum mox laudatum, & præsertim *Fra* PAOLO, qui suspectus esse nequit, cùm unus sit ex iis, qui Concilium arguunt politicæ in negotio præsenti.

Quod explorandum supereſt, illustrabit, confirmabitque ea, quæ diximus, discutiendo quatuor capita præcedentia. Quæritur, an Concilium Tridentinum in Decretis suis suppeditet, undè purgari queat ab hac criminatione. Quod autem cupimus scire, reperitur *Cap.* 1. SESS. XXIII. *de reform.*; nam ibi statuitur principium, quod ostendit, Concilium non ex obsequio erga Pontificem, abstinuisse à definiendo Residentiam Episcoporum Jure Divino præscribi; ibi adeò restringitur facultas dispensandi Episcopos à residentiâ, ut satis appareat, Patres morem gerere noluisse Pontifici.

Principium est, quemcumque, cui animarum cura incumbit, teneri ad cognoscendum oves suas, eas erudiendum, iis administrandum Sacramenta, eas pascendum exemplo bonorum quorumvis operum: ad providendum pauperibus aliisque personis miseris, aliaque Pastoralia munia obeundum: omnia autem officia hæc non posse ritè perfici ab iis, qui non invigilant gregi suo, nec propter eum residunt, sed eum mercenariorum more deserunt.

Porrò: ex hoc principio sequitur, eamdem Legem, quæ astringit Episcopos ad officia prædicta, eos quoque obligare ad residendum, cùm, juxtà applicationem principii factam à Concilio, ritè obiri nequeant illa nisi ab iis, qui residunt; cùm expressè dicatur in principio, jus divinum illa officia Episcopis imposuisse; significatur pariter, idem jus ipsis residentiæ necessitatem imposuisse; ergò credibile est, Concilium non abstinuisse à definitione quæstionis, an residentia Episcoporum jure Divino sit constituta, non, inquam, abstinuisse præ obsequio ergà Pontificem, cùm rem æquipollentem dicat ità, ut, hi qui hanc sententiam tuentur, hoc Decreto uti possint ad eam corroborandam, illudque opponere Pontifici si fortè aliter sentiret. Hoc ratiocinium eò validius est, quòd ii, qui contendebant Episcopos jure Divino ad residentiam obligari argumento & principio relatis uterentur.

Quòd si quæratur, cur Concilium non dixerit expressè, residentiam jure Divino esse constitutam, aliud non suppetit responsum, nisi 1. Coactum illud fuisse ob stupium pacis, quæ procul dubio turbata fuisset, cùm plures Episcopi ex Italiâ enixè contrariam opinionem tuerentur. 2. Coactum illud fuisse ob impotentiam aliter agendi, cùm proposuisset nihil definire, nisi ex unanimi Patrum consensu.

Idem Decretum novam probationem suppeditat per restrictionem potestatis dispensandi ad quatuor Casus, qui tales sunt, ut excipiendi etiam forent, licèt definitum fuisset, residentiam Episcoporum esse juris divini: hi Casus sunt 1. Charitas Christiana, quæ in eo sita est, ut auxilium feratur Episcopo, qui ipsius indiget, nec munera Episcopalia obire potest. 2. Obedientia legitima, quâ itur quò vocat Superior. 3. Urgens necessitas, quæ locum habet, cùm diutiùs vacat aliqua Sedes, ità, ut plures in Diœcesi consecrandæ sint Ecclesiæ, pluribus personis Confirmatio danda sit, quarum multæ nequeunt in alium locum se transferre, ubi hoc Sacramentum recipere possint: Ministrorum Sacrorum penuria sit, nullusque alius Episcopus præsto sit, qui hæc omnia facere valeat. 4. Evidens utilitas Ecclesiæ, aut Statûs; Ecclesiæ putà, cùm ad Generale, vel Nationale Concilium conveniendum est, vel si Pontifex aut alius aliquis insignis Prælatus indigeat ministerii Episcopi sedis tenuioris ad regimen Ecclesiæ suæ; Statûs, si servitium Episcopi necessarium sit Principi, sive quoad Legationes, sive quoad Consilium, sive quoad Ministerium. Illi autem Casus excipi debuissent à Concilio, posito quòd definivisset Episcopos jure Divino ad residentiam astringi; jus enim Divinum vult, ut officia charitatis obeantur, ut pareatur Superiori, qui justam rem præcipit, ut cæteræ Leges cedant legi urgentis necessitatis; cùm non agitur de rebus contrariis perfectionibus Divinis; utque utilitas totius utilitati partis anteponatur.

Notandum est Primam & Secundam è causis dispensationis à residentiâ Episcopali, de quibus loquimur, reduci ad Tertiam & Quartam: nam hæ sunt conditiones necessariæ, ut illæ justæ sint. Et quidem charitas non potest compellere Episcopum, ut exeat è Diœcesi, nisi necessitas urgeat, quia non suus est Episcopus, sed gregis sui, cujus necessitatibus

invigilare ac subvenire debet; ut ergò in alium locum migrare cogatur à charitate, oportet, ut istius loci necessitates superent necessitatem Gregis ipsius; secùs charitas inordinata foret: idem est de obedientiâ, quæ legitima esse nequit, nisi Ecclesiæ utilitas, aut necessitas illi patrocinentur. Ratio est, quòd Superior dispensare nequeat ab ullâ lege ob bonum publicum directâ conditâ, nisi utilitas aut necessitas publica id requirant; qui autem præcipit Episcopo, ut exeat è suâ Diœcesi, illum dispensat à lege residentiæ factâ ob utilitatem & necessitatem Ecclesiæ.

Observatio hæc eò magis necessaria videtur, quòd per eam diluatur objectio, quæ peti potest ex eo, quòd Concilium obedientiam scripserit inter causas dispensationis à residentiâ Episcopali, quæque his verbis proponi potest. Causa dispensationis sumpta ex obedientiâ, quæ Superiori debetur, adeò generalis est, ut videatur Concilium eam reposuisse inter alias causas dispensationis à residentiâ Episcopali, ut residentiam omninò subjiceret arbitrio Pontificis; nam, si hic Episcopum Romam vocaverit, sive motu proprio, sive ob suggestionem cognatorum, & amicorum Episcopi, Episcopus vocatus non audebit postulare rationes, ob quas vocatur; & licèt auderet, non volet, ne fortunæ suæ obstet, quòd si agatur de Episcopo ex Italiâ, de petendis rationibus nullatenùs cogitabit: cùm se obedientiam cæcam Apostolicæ Sedi debere opinetur. Igitur, si Pontifex quemlibet ad se evocare possit, quemlibet etiam à residentiâ dispensare poterit; qui autem vocabuntur securi esse poterunt, cùm habeant undè sibi persuasum sit, se legitimè dispensatos esse per obedientiam Superiori debitam. Hæc est objectio, cui jam respondimus, per observationem præcedentem: Responsio autem talis est, ut sufficere possit, pluribusque ut verbis super sederemus, nisi argumenti gravitas majorem illustrationem mereretur, quapropter novas responsiones subjiciemus.

Episcopi non debent solùm obedientiam Pontifici, sed etiam omni Superiori, sive Temporali, sive Spirituali; igitur, dici non debet, Concilium excepisse casum obedientiæ Superiori debitæ, ut residentiam Episcopalem arbitrio Pontificio submitteret; cur enim restringitur ad Pontificem id, quod omnibus Superioribus commune est? Quænam æquitas suadet Concilium de Pontifice solùm cogitasse, dùm obedientiæ casum excuperet, & ejus solummodò gratiâ exceptionem hanc fecisse. Frustrà dicitur, Legatos fuisse omnipotentes, atque omnia celsitudini Pontificiæ posthabuisse; nam, licèt hoc verum esset, sequitur-ne Concilium exceptionem, de quâ agitur, faciendo; eamdem cum Legatis intentionem habuisse? & quo jure hæc illi intentio imputatur, cùm utitur verbis quæ tam Principes & cæteros Episcoporum Superiores complectitur quàm Pontificem. Sanè, ejusmodi imputatio contra apparentias fieret.

Fatemur quòd si Concilium loqueretur solùm de obedientiâ, quam Episcopi debent Pontifici, atque illi cæcam deberent obedientiam, dici posset illud Episcopalem residentiam arbitrio Pontificio dimisisse, reponendo obedientiam inter causas, quæ à residentiâ excusant; sed nobis etiam concedi debet, locum objectum nimis Generalem esse, ut restringatur ad solum Pontificem, & verbo *debitâ obedientiâ*, intelligi, obedientiam justam, rationabilem & legitimam, quemadmodum ubi dicitur, Actum aliquem in *debitâ* formâ esse, intelligitur, in *formâ legitimâ*.

Vindiciam hanc Concilii, quæ prorsùs necessaria videbatur, absolvimus per observationem, quæ non minus est necessaria: nempè, quosdam eorum, quos refellimus, dicere, Concilium noluisse definire Episcoporum institutionem divinam esse, quia ex ejusmodi Definitione sequebatur, residentiam Episcopalem jure divino constitutam esse; quod si dictum fuisset, elevebatur amplitudo Pontificia, quæ in eo sita est, ut Romanus Episcopus de suis Consacerdotibus disponere ad libitum possit. Aliundè mox demonstravimus, Concilium non obsequutum fuisse Pontifici, loquendo de residentiâ Episcoporum, quippe quòd statuerit principium unè sequitur, eam divini juris esse, & restrinxerit dispensandi facultatem ad casus, qui exciperentur etiamsi definitum fuisset, eam divini juris esse. Sic ostendimus, Concilium ipsum istius Criminationis fundamentum destruere. Adjice, quòd Patribus Concilii malum ratiocinium attribuatur; nam obligationem aliquam juris esse divini non sequitur, ex eo, quòd annexa sit dignitati institutionis divinæ; sicut non sequitur, obligationem esse juris humani, ex eo, quòd annexa sit dignitati institutionis humanæ. Exemplum præbent Parochi, qui vulgò creduntur institutionis humanæ, quibus tamen competunt officia ratione quorum jure divino obligantur ad residentiam; illa enim sunt eadem ac munera, quæ Episcopos ad residentiam astringunt ex vigore legis Divinæ.

SECTIO III.

Solutio aliquot Difficultatum CAP. I. *Sess. XXII.* de Reform. *circà Vitam & Mores Clericorum*

CApitis, cujus expositionem suscipimus, argumentum amplissimum est. Magna ex industria oritur, observando, nihil esse, quod alios magis ad pietatem & DEI cultum assiduè instruat, quàm Clericorum Vitam & Exemplum, in quos, tanquàm in Speculum, reliqui intueantur, ut ex iis, quod imitentur, sumant; quapropter, sic decet Clericos Vitam Moresque suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, cæterisque omnibus, Religionis, cujus Ministri sunt, amorem plebi insinuent: tùm statuit, renovando omnes Canones à Pontificibus & Conciliis factos, circà Officia Clericorum, quorum alia in faciendo res præceptas, alia in evitando res prohibitas, sita sunt, nec non jubendo, ut illi, sub iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, observentur. Porrò, inter Canones circà Officia Clericorum, quidam jàm abrogati erant. Conciliorum, quæ Canones hujusmodi sanciverunt, duplex genus est, generalia & particularia. Una ex rebus præceptis est retentio Doctrinæ, cujus momentum tantum est, ut ejus specialis mentio facta, sit enumeratio rerum vetitarum. Desinit per hæc Verba, *quibuscumque criminibus*: res autem inter vetitas, negotiorum sæcularium administratio numeratur, nec non aliæ res, quæ non sunt crimina. Denique, inter pœnas Canonibus innovatis latas, aliæ aliis contrariæ sunt, Canonesque ipsi alii aliis dissentiunt in quibusdam aliis Capitibus: indè plures emergunt Difficultates, quas enodare operæ pretium fuerit.

DIFFICULTAS I.

An Concilium renovaverit Canones non solùm malè observatos, sed etiam abrogatos.

CAnones malè observati ab abrogatis differunt, in eo, quòd illi vim legis retinent, quia Superior semper reclamavit contrà non observationem, quæ nunquam fuit generalis: abrogati autem Canones vim Legis amiserunt, quia Superior consensit ipsorum non observationi, quæ plus quàm annos 40. duravit, sine perturbatione atque Interruptione. Ergò quæritur, an renovatio tàm Canones abrogatos, quàm malè observatos complectatur? Dubium oritur ex eo, quòd propriè loquendo, legem renovare, sit eam ad vigorem pristinum restituere, quod supponit eam subsistere, sed vigoris aliquam partem amisisse, ægram fuisse, ut ità dicam,

sed

sed non planè extinctam esse. Ex adversò, Lex abrogata non renovatur, sed restauratur, velut mortua erat & exsuscitatur, cum ejus observatio sancitur. Fortasse, ut omnis dubitationis ansam præcideret Concilium, ubi jussit omnes Canones circà Officia Clericorum observari, adjicit: *Si quæ ex his in desuetudinem abiisse compererint*, ea quamprimùm *in usum revocari & ab omnibus accuratè custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne* subditorum *neglectæ emendationis, ipsi* (Ordinarii) *condignas Deo vindice pœnas persolvant.* Dixi, fortasse, quia verba hæc, *neglectæ emendationis pœnas*, innuunt Concilium loqui de Canonibus non observatis, sed qui tamen aliquatenùs vigebant atque obligabant. Aliàs enim ii, qui non eos observavissent, culpâ vacavissent, nec emendationi obnoxii fuissent; Episcopi autem, qui ab ejusmodi Clericorum emendatione cessavissent, vindictam Divinam haud meriti fuissent.

DIFFICULTAS II.

An inter Concilia, quorum Canones innovat Tridentinum complectatur Concilia particularia, perindè ac Generalia? Quidnam intelligat per Canones de Cultu, *& Canones* de retinendâ Doctrinâ.

NOn deest ratio, cur credatur Concilia Particularia, perindè ac Generalia, comprehendi hîc sub verbo *Concilium*: nam, verbum hoc absolutum ac generale est, omnibus Synodis ex æquo conveniens, &, præterea, Synodi Particulares omnia sciverunt, circà vitam & mores Clericorum. Porrò, argumentum hoc non ex iis est, in quibus strictè verba accipi debeant ob adjunctum odium.

Aliundè, plurimæ rationes suadent, locum hunc restringi debere ad Canones Conciliorum Generalium 1. Concilium hoc, quod Canones Synodorum præcedentium renovavit, Generale est. Porrò, Generalia Concilia non nisi Universales Leges faciunt. Nam Synodi Particulares Leges itidem particulares ferunt; ergo Concilium Generale Leges Universales ferre meditatur per hanc innovationem. Sed cùm renovatio Legum non tribuat ipsis authoritatem ampliorem, seu latiorem, eâ, quam habuerant priùs, necesse est, ut Concilium Generale noluerit innovare Leges Conciliorum Particularium, cum ipsæ non potuerint vigere, nisi quoad Provinciam à quâ factæ erant.

2. Difficile non foret in Canonibus Synodorum Particularium, circà vitam & mores Clericorum, antinomias ex locorum diversitate provenientes, reperire; quia v. gr. Vestes, quæ Clericos decent, in quibusdam locis, eis, in alia regione, possunt non congruere, sive ratione panni, sive ratione formæ, vel coloris. Porrò, verisimile non est, Concilium voluisse renovare Leges contrarias, earumque observationem, non obstante contrarietate, Ecclesiæ injungere.

Ad solutionem hujus difficultatis, distinguere oportet inter Concilia Particularia, à Conciliis Generalibus adprobata, vel usu recepta in Universâ Ecclesiâ, qualia sunt pleraque ex iis, quorum Canones corpori Juris inserti sunt, atque alia Concilia Particularia, quæ hanc dignitatem adepta non sunt. Cùm priora universali authoritate polleant, à Concilio Tridentino comprehensa illa fuerunt cum Conciliis, quorum Canones innovat; secus est de reliquis.

Per Canones *de Cultu*, Concilium intelligit eos, qui de cultu corporis loquuntur, & Clericis munditiam absque luxu, aut nimiâ curâ, præcipiunt; non verò eos, qui ad Cultum Divinum pertinent.

Per Canones *de retinendâ Doctrinâ*, forsitan intelligendi sunt ii, qui Clericis præcipiunt, ut scientiam ad munerum suorum functionem necessariam excolant, & quorum multi collecti sunt à *Gratiano* DIST. XXXVI. verbum *retinendâ* appositum videtur, quia sæpè fit, ut Clerici promoti ad Ordines, aut Beneficia, tunc negligant scientiam cujus indigebant ad illa adipiscenda; cùm è contra proficere debuissent.

Per Canones *de retinendâ doctrinâ*, possunt quoque intelligi, qui jubent Clericos Sanæ Doctrinæ adhærere, Patrum suorum Doctrinam retinere.

DIFFICULTAS III.

An his verbis, quibuscumque criminibus, *his connexis*, Choreis, Lusibus, *Concilium annumeraverit choreas, & Lusum, criminibus, quæ Ecclesiasticis Personis interdicta sunt?*

NOn multùm immorabimur circà difficultatem hanc, sanè eam non proposuimus ideò, quòd nobis visa sit gravis; sed, quia talis Authoribus famosis visa sit. Eorum opinio orta est ex eo, quòd Concilium præceptum vitandi criminis cujuscumque, jungat præcepto abstinendi à Lusu, Cauponâ, Choreis. Junctio hæc eos movit, ut crederent oblectamenta, quatenùs Clerici iis operam dant, pro criminibus habita fuisse à Patribus Concilii. Verùm si hoc ratiocinium vim aliquam haberet, indè sequeretur, Ecclesiasticis Personis Sæcularium negotiorum gestionem crimen fore; nam Concilium, quod Clericis crimen quodcumque interdixit, eos statim vetat, ne talia negotia suscipiant, & utraque prohibitio tam arctè conjuncta est, quàm præceptum fugiendi crimen quodcumque & prædictas oblectationes.

Præterea, ut conjunctio significet res conjunctas ejusdem generis esse, necesse est, ut eas inter sit adfinitas: at delictum Clericorum, qui comessantur, vel Choreis aut Lusibus intersunt, adfinitatem non habet cum facinoribus, quæ crimina vocantur; hoc enim vocabulum inditum est factis quibusdam atrocibus. Porrò, oblectationes, quantumvis Ecclesiasticas Personas dedeceant; crimina dici nequeunt sine exaggeratione. Adjice quòd, si Concilium oblectamenta prædicta criminibus annumerare voluisset, ubi Clerici iis indulgent, id indicavisset verbum *aliis* jungendo hisce, *quibuscumque criminibus*, quæ sequuntur *Choreis, Lusibus.* Denique, *Cap.* 12. SESS. IV. Venatio, Choreæ, Comessationes, & Lusus interdicuntur Canonicis; sed nullum est verbum quod transgressiones circà eas obligationes crimina esse significet.

Cæterùm, multum abest, ut nobis persuasum sit, quin ejusmodi voluptatibus, tales circumstantiæ misceri possint, ut crimina fiant quoad Ecclesiasticos, & quin harum circumstantiarum ratione, opinio, cui repugnamus, defendi possit; sed nihilominùs verùm erit, intentionem Concilii non fuisse, ut hæc oblectamenta pro criminibus haberentur, cùm nullam faciat mentionem ejusmodi circumstantiarum.

DIFFICULTAS IV.

Quanam sint Negotia Secularia Clericis interdicta per Canones in laudato Capite *innovatos.*

PRocul dubio est plures esse Canones, qui Clericos ab exercitio Magistratûs arceant, nam 1. quidam vetant illos studio Legum Civilium operam dare, sine quibus tamen negotia sæcularia vulgò definiri nequeunt, sive, quia per illas diriguntur, sive, quia necessariæ sunt illæ ad intellectum aliarum Legum, quibus illa negotia diriguntur. Caput 10. *ne Clerici vel Monachi*, disertum est quoad hanc rem. Ibi HONORIUS III. ad Clericos extendit prohibitionem incumbendi studio Legum, quam

Concilium

Concilium Lateranense tulerat in Monachos, & cujus mentio fit *Cap. 3. eodem tit.* eamque extendit sub eadem pœna excommunicationis *ipso facto* incurrendæ.

2. Sunt Canones, qui vetent, ne Clerici postulent in Jure, *ne in plateis Sæcularibus disputent*, nisi pro causis Orphanorum aut viduarum &c. *Cap. 1. ne Clerici vel Monachi.*

3. Sunt alii Canones, qui nominatim interdicant Ecclesiasticis exercere Officium Judicis. Tale est *Cap. 4. ejusd. tit.* quod vetat, ne Clerici exerceant Jurisdictionem Principum Sæcularium, ità, ut fiant eorum Ministri.

His Canonibus adjicere possemus eos, qui non sinunt Clericos exercere Officium Notarii: nam Instrumenta, quæ ab Notariis conficiuntur, sunt materia ordinaria litium, quas Magistratus cognoscunt.

Certum est, præterea, Magistratum non interdici Clericis, nisi quia eos negotiis Sæcularibus addicat, à quibus PAULUS eos abstinere jussit, dicendo, *nemo militans Deo implicat se negotiis Sæcularibus*, nam, præterquam quòd *Caput 4. ne Cler. vel Mon.* id expresse dicit, *Titulus*, sub quo hoc *Caput*, & alia mox laudata, collocantur, id satis ostendit.

Certum est, præterea, Concilium Tridentinum, innovando Canones, qui prohibent ne Clerici negotiis Sæcularibus se immisceant, voluisse restituere eos, qui subjacent TITULO *ne Clerici, vel Monachi*, quippe qui omnium sint præcipui.

Sed nihilominus constat, administrationem negotiorum Sæcularium non interdici Clericis, velut rem ex se malam; sed potiùs tanquàm rem, quæ cum illorum professione pugnat, nisi charitas eos ad eam compellat. Nam *Cap. 1. ne Cler. vel Mon.* non exciperet Actum charitatis, si administratio hæc mala esset ex se ipsa.

2. Nihilominùs certum est, Concilium Basileense derogavisse Canonibus, qui Studium Legum Clericis interdicunt, derogavisse, inquam, per Privilegium, quod Clericis in Jure Civili Graduatis indulsit, requirendi Beneficia ex Graduum suorum vigore; Decretum autem, cui talis facultas cohœret, unum esse ex iis, quæ Gallia excepit; & licèt Concilium Tridentinum *Cap. 9.* SESS. XXIV. privilegia Graduatorum revocaverit, per abrogationem Gratiarum Expectativarum, inter quas nominationes Universitatum comprehendit, hunc tamen morem perseveravisse in Galliâ, quippe quæ nullum Tridentini Decretum huic mori contrarium receperit, & quia consuetudo, juxtà quam Graduati Beneficia possunt requirere Graduum suorum ratione, plusquam à Sæculo invaluerat.

3. Non minùs constat, Concilium *Cap. 1.* SESS. VI. conqueri, quòd reperirentur Pastores, qui res terrenas humanasque Cœlestibus ac Divinis anteponentes, Gregem suum negligebant, ob administrationem negotiorum sæcularium, illudque, ad tollendum hunc abusum, renovare Canones & pœnas in non residentes; unde sequitur, secundùm Concilium, Pastorem non posse exercere Magistratum, quo avertatur à curâ Gregis sui.

4. Denique, certum est, idem Concilium *Cap. 1.* SESS. XXIII. evidentem Reipublicæ utilitatem numerare inter causas, quæ à residentia Clericos immunes faciant, eamque jungi evidenti utilitati Ecclesiæ, velut ejusdem momenti; &, proindè, si è bono Publico sit, Ecclesiasticos viros obire Magistratum; non solùm simplices Clerici, sed etiam ii, qui alicujus Ecclesiæ servitio addicti sunt, tale Officium exercere licitè poterunt.

His positis, & probatis, difficultatem propositam solvere facile est. Nam, si hinc, evidens sit Magistratum esse ex numero negotiorum Clericis interdictorum, per Canones, quos Concilium Tridentinum innovat, in *Capite*, quod exposuimus, aliundè non minùs est manifestum, 1. Quòd si existant Officia Sæcularia Clericis deputata, qui invigilant conservationi Juris Ecclesiæ, non solùm, ipsi possint ejusmodi officia exercere, sed etiam ad illa exercenda obligentur. 2. Si accedit, ut bonum Imperii, vel Religionis requirat, ut alia Officia Laïcis deputata exerceantur ab Ecclesiasticis viris, hi possunt, ac debent, illa exercere; verùm si debitores servitii alicujus Ecclesiæ talia Officia ambiant, licèt minimè compellantur à necessitate boni publici, tunc è numero Pastorum sunt, qui Officium suum ergà Gregem suum deserunt, terram Cœlo, Deoque hominem anteponendo.

DIFFICULTAS V.

Quomodo Intelligenda sunt hæc verba. Eadem iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur.

DIfficultas hæc in eo sita est, an Concilium pœnas à Canonibus latas renovaverit, ita, ut ex ipso facto incurrantur, cùm eæ sententiæ ita latæ sunt, vel delinquentes iis pœnis obnoxii fiant, cùm ferendæ sententiæ sunt; an verò Concilium arbitrio, prudentiæque Episcopi dimiserit impositionem pœnarum, ità, ut pœnas Canonibus latas, vel etiam majores, infligere possit.

Circà hanc difficultatem sic expositam, videtur, Concilium non potuisse velle pœnas, à Canonibus renovatis latas innovare, sive considerentur in se ipsis; sive ratione modi, quo incurri debent; nam circà utrumque Caput exstitit contrarietas inter Canones. v. gr. *Can. 44. Apost.* jubet, ut Clerici, qui fœnus exercent, deponantur, nisi se ipsos emendaverint; at *Canon. 17. Concili Nicæni* sine ulla conditione sancit, ut Clerici usurarii deponantur. Ergò Canon hujus Concilii deponit propter prima delicta; Canon verò *Apost.* deponit solùm ob perseverantiam Criminis; itaque cum ambo Canones observari nequeant, necesse est, ut Concilium non intenderit eos renovare quoad pœnam. *Cap. 1. de usuris* depositionem comminatur in Clericos, qui usuram deinceps exercebunt: *at Caput 7. ejusd. tit.* præcipit solùm, ut, si Clerici, qui crimen hoc admittunt, non desierint, suspendantur ab Officio & Beneficio, sed qua ratione fieri possit, ut Clericus monitus deponatur ob primum delictum, & suspendatur ob perseverantiam in delicto? An suspendi potest Clericus jàm depositus?

Canones 42. 43. Apostol. ebrietatis consuetudinem solam puniunt in Clericis. Nam 42. vult, ut si Episcopus, Sacerdos, Diaconus, ebrietati indulgent, moniti vel desinant, vel deponantur; 43. jubet, ut Subdiaconus, Lector, aut Cantor, qui consimilia faciunt, moniti desinant, vel à Communione segregentur. Contra *Canon. 41. Concilii Agathens.* sine ullâ distinctione Ordinis, vult, ut omnis Clericus, qui ebrietatis convincetur, triginta dies à Communione separetur. Quî fieri possit, ut hic Canon & Superiores executionem sortiantur? Fieri-ne potest, ut, juxtà Canones *Apostol.* nullâ pœnâ puniantur prima Ebrietatis delicta, &, juxtà Concilium *Agathense*, puniantur. Æquum-ne esset puniendo etiam consuetudinem, deponere Episcopum, Presbyterum & Diaconum ex vigore Canonum *Apostol.* & eosdem Excommunicare juxtà Concilium *Agath.*? Ebrietatis tanta-ne est atocitas, ut duabus magnis pœnis simul puniri mereatur?

Eadem contrarietas reperitur etiam in Canonibus circà Simoniam; sunt enim, qui deponant Clericos Simoniacos; sunt, qui suspendant solùm; sunt, qui excommunicent absque depositione; sunt, qui unà deponant atque excommunicent.

Itaque, si Concilium renovare voluisset omnes pœnas contra Simoniacos, oporteret illud voluisse, ut

ut eadem persona excommunicaretur sine depositione, atque eodem tempore deponeretur, unàque excommunicaretur; ut eadem persona depositionem & suspensionem simul incurreret, ità, ut eodem tempore suspenderetur, juxtà nonnullos Canones, &, juxtà alios, deponeretur.

Circà eamdem Simoniam existit alia contrarietas; sunt enim Canones, qui Simoniacum damnent ad restitutionem Dupli, alii ad restitutionem Quadrupli; &, aliundè, quamvis exigendo pœnam quadrupli, pœna dupli exigi videatur, quippe, quæ in alia contineatur, certum est tamen pœnam quadrupli destruere pœnam dupli, quia duplo major est.

Similis contrarietas reperitur in pœnis, quas ferunt Canones in Clericos, qui alios Clericos percutiunt; sunt enim, qui eos excommunicatione minori feriant; alii excommunicatione majore. Sed utraque excommunicatio simùl consistere nequit in eâdem personâ: nam, quamvis Excommunicatio Major contineat Minorem, illa tamen hujus finem atque effectum destruit, quæ adhibetur solùm ad sistendum cursum parvorum morborum, atque ad impediendum, ne minores illi tam magni evadant, ut remediis validioribus opus sit, quorum necessitas præveniri potest, per Minorem.

Sed, inquies, contrarietas inter pœnas Canonum innovatorum sufficere non videtur, ut credamus, Concilium eas minimè innovasse. Nam, si omnes simul exigi nequeant, successivè tamen imponi possunt, incipiendo à minoribus, & indè ad mediocres, & deinceps ad majores progrediendo; & dici potest, hanc fuisse intentionem Concilii, dùm illas innovaret, ut successivè adhiberentur, quia Juris communis regula est, gradatim procedendum esse in impositione pœnarum.

Respondemus, quòd, si Concilium pœnas prædictas revovàverit solùm præcipiendo, ut successivè, prout opus fuerit, imponantur, nulla manet difficultas. Nam Concilium nihil jussisset, quod non sit è Jure communi; sed longè diversa est quæstio proposita: nam quæritur, an Concilium unumquemque Canonem innovando, pœnam in ipso latam, ejusque ferendæ modum renovaverit; sed juxtà objectionem, difficultas in hoc solùm versatur, utrum Concilium voluerit, ut pœnæ Canonum renovatorum cumulentur? An verò intenderit, ut successivè exigantur? Circà quod omnia plana sunt: Nam pœnas exigendo successivè, nulla erit inter eas contrarietas, eas verò cumulando maxima erit oppositio.

Sed, præter quàm quod inter pœnas Canonum innovatorum aliæ ab aliis discrepant, ita, ut cumulari nequeant, sunt aliæ, quæ reipsà conjungi possunt; verùm si cumulentur, punitio nimia erit: v. gr. quinque aut sex pœnæ latæ sunt in Simoniam, 1. est Depositio, 2. Infamia, 3. Detrusio in Monasterum, 4. Restitutio dupli vel quadrupli, 5. Excommunicatio major. Si omnes hæ pœnæ cumulatè imponantur ob unicum Simoniæ dilectum, quantalibet sit hujus peccati malitia, nimia erit punitionis severitas.

Idem de peccato dicendum est, quod admittit Clericus alius Clerici percussor. Nam plures in hoc peccatum latæ sunt pœnæ, quæ si cumulentur, ejus malitiam excedunt. Hæ pœnæ sunt 1. Multa 30. Librarum auri, 2. Excommunicatio Minor, 3. Excommunicatio Major, 4. Depositio. CAUS. XVII. QUÆST. IV.

Ex iisdem pœnis quædam frustrà innovatæ fuissent à Concilio sine consensu Principum, ex quorum autoritate solùm pendent; tales sunt omnes pœnæ pecuniariæ. Sed maximè Dupli & Quadrupli; talis etiam Infamia, quoad effectus civiles.

Denique, eadem ratio, quæ Concilium induxit, ut Episcoporum prudentiæ dimitteret electionem aliarum pœnarum, quarum usum ipsis concedit, ad procurandam Executionem Canonum circà mores Clericorum, illud movere etiam potuit, ut arbitrio Episcoporum committeret impositionem pœnarum à Canonibus latarum, vel aliarum. Porrò; ratio hæc est, quòd res, quæ pendent à circumstantiis locorum, temporum, personarum, meliùs temperantur ab Ordinariis, quia meliùs eas circumstantias cognoscunt; ex iis autem rebus, quæ prohibentur, aut præcipiuntur à Canonibus, circà mores Clericorum, à Concilio innovatis, multæ sunt, quæ ab ejusmodi circumstantiis pendeant, ita, ut oporteat, ut pœnæ in Canonum transgressores latæ temperentur ab Episcopo, juxta illas circumstantias, ut proportionem cum delicto habeant.

Sed, inquiet aliquis, si determinatio pœnarum meliùs fit ab Ordinariis, cur Concilia illas determinant? Facilis est responsio: nempè, quædam delicta esse, quæ malitiam suam ex natura sua habeant, eorum autem pœnæ meliùs determinantur à Synodis, quæ meliùs judicare possunt de proportione pœnarum cum ejusmodi delictis, aliundè, sunt delicta, quorum malitia præcipuè pendet à qualitate locorum, temporum & personarum; satius est autem, ut horum facinorum pœnæ ab Ordinariis temperentur.

Discrimen modò notatum inter delicta, aliud discrimen gignit inter pœnas; nempè, cum pauciora sint delicta prioris generis, paucæ sunt pœnæ, quæ ipso facto incurrantur; numerus autem pœnarum sententiæ ferendæ, quæ arbitrariæ sunt, penè infinitus est. Denique, rationes per quas ostendimus, Concilium Tridentinum nec potuisse, nec debuisse innovare pœnas latas à Canonibus circà mores Clericorum, ita, ut illa cumularentur, confirmari possunt per aliam rationem, quæ alicujus momenti esse videtur; scilicèt, quia sunt pœnæ latæ à Canonibus circà mores Clericorum, quæ non congruunt sæculo Concilii, neque sæculis subsequentibus. Inter quas reponi potest pœna lata à GREGORIO II. contra Clericos, qui comam suam alunt; quæ est ipsum anathema, cujus nomine Gregorii ætate, nempè Sæculo VIII. intelligebant excommunicationem solemnem: Nam, quoad Sæculum nostrum, gravior illa pœna videtur, contra hujusmodi culpam.

SECTIO IV.

Novitates à Concilio Tridentino, circà Conciliorum Generalium Celebrationem, introductæ, atque earumdem causæ.

DUo præstanda sunt 1. Singulæ Novitates à *Tridentino* circà Concilia Generalia introductæ ex ordine atque serie continua referendæ sunt, ut faciliùs cognoscatur quænam sunt graviores.

2. Causas earumdem, quantùm ex apparentiis licebit, explorabimus atque exponemus; qua in expositione mentem Concilii sedulò distinguemus à proposito eorum, qui istas novitates invexerunt, cùm nobis altè persuasum sit, Concilium non nisi rectam intentionem habuisse, at Promotores Innovationum pravo studio obnoxios esse potuisse.

Sunt, qui inter novitates à Concilio Tridentino introductas, reponant, Episcopos mutavisse in Sedis Apostolicæ Delegatos, quoad res, quæ ab ordinaria ipsorum potestate pendent. Sed, præterquam quòd hoc Statutorum genus non pertinet ad Conciliorum Generalium Celebrationem, circà quam solam nostra inquisitio versatur, suprà ostensum fuit, Concilium *Viennense* constituisse, ut Episcopus, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, in Visitatione Monialium Exemptarum procederet. Majori cum fundamento inter novitates, quas colligimus, reponeretur ea, cujus meminit *Fra* PAOLO *p.* 107. *Editionis Latinæ ann.* 1658. nempè, Tridentinum Procuratoribus Episcoporum ademisse

ademiſſe jus Suffragii, poſito quòd *Breve* PAULI III. diſpoſitionem hanc continens effectum habuerit, ipſiuſque executioni conſenſum à Patribus fuerit, quod infrà diſcutiemus; nam conſtat, Procuratores Epiſcoporum, in Conciliis, quorum ſuperſunt Acta, & præcipuè opiniones & ſubſcriptiones Patrum, eos, inquam, Procuratores vocem deciſivam habuiſſe.

Prima è Novitatibus, quæ extrà dubium ſunt, ſita eſt in eo, quòd authoritas Pontificia expreſsè excipiatur in principio SESS. VII. ubi graviora Diſciplinæ Decreta incipiunt, *Salvâ in omnibus Sedis Apoſtolicæ authoritate*, & *cap.* 2. *Seſſ.* 25. ubi illa deſinunt, *ſalva ſemper Sedis Apoſtolicæ authoritas ſit, & eſſe intelligatur.*

Harum Diſpoſitionum novitatem certam eſſe aſſerimus, quia, cùm Generalia Concilia conſultò luſtraverimus, ut res notaremus inſigniores, maximè quoad uſus Gallicanos, clauſulas prædictas neque ullam æquivalentem in nullo alio Concilio reperimus.

Fruſtrà objiceretur *Cap.* 15. *Secundi Lateranenſis* an. 1139. quo ad Pontificem reſervatur excommunicatio, quam fert in violentos Eccleſiaſticorum percuſſores, & Caput 29. *Quarti Lateranenſis*, quo declaratur, Pontificem poſſe diſpenſare cum perſonis ſcientiâ, aut familiâ conſpicuis, à prohibitione, quam emittit, ne plura Beneficia incompatibilia teneantur: inanis, inquam, eſt objectio illa. Nam 1. ibi agitur de unico Decreto uniuſcujuſque Concilii; hîc autem de univerſitate Decretorum Concilii Tridentini. 2. Per reſervationem abſolutionis ad Pontificem, ejus authoritas non excipitur, ſed poteſtas Prælatorum inferiorum, qui à cenſurâ abſolvere poterant, ligatur.

3. Quemadmodum *Lateranenſe II.* prædictam excommunicationem reſervavit ad Pontificem, ita *Lateranenſe IV. Can.* 30. ad Patriarchas ſuſpenſionem, quam ſancit adversùs eos, qui conferendi jure abutuntur. Denique *Caput* 29. ejuſdem Concilii non minus aſſignat caſus, in quibus Pontifex diſpenſare poterit, quàm ejus authoritatem, quoad diſpenſationem, excipit. Alio in loco procul dubio innovavit Concilium: nempè, cum Legatis Pontificis attribuit jus excluſivum proponendi quæſtiones diſcutiendas SESS. XVII. quod à Concilio ipſo agnoſcitur *Cap. ultimo* SESS. XXIV. Nam volens occurrere pravis conſequentiis, quas ſua agendi ratio trahere poterat, declarat è mente ſua non fuiſſe, ut eâ clauſulâ modus ordinarius procedendi in Conciliis Generalibus mutaretur, utque innovaretur in præjudicium juris à Sacris Canonibus conſtituti, & formæ Conciliorum Generalium. Si quis, præter hoc teſtimonium, alias probationes requirat, adjicimus, nihil in Conciliis Generalibus, quorum Acta habemus, reperiri, quod tali reſervationi patrocinetur. Imò, non ſolùm è Canonibus Synodi *Sardicenſis*, verùm etiam ex Actis aliarum Synodorum diſcimus, unumquemque Epiſcopum propoſuiſſe id, quod neceſſarium duxiſſet.

Alia Novitas eſt, quòd in Inſcriptione XXII. priorum Seſſionum, expreſſa fit mentio Legatorum Pontificis; *Præſidentibus in ea Legatis Apoſtolicæ Sedis.* Quod ſi Clauſula hæc in tribus reliquis omiſſa fuit, nec non hæc, *in Spiritu Sancto legitimè congregata*, fortè, quia præſumptum eſt, fore, ut illa, quæ toties adhibita fuerat à Lectore ſuppleretur. Hæc novitas, quoad Inſcriptionem Decretorum, comprobatur per Decreta aliorum Conciliorum Generalium, quorum nullum talem gerit Inſcriptionem. Cæterùm, Clauſula hæc non ſolùm differt à præcedente in eo, quòd ſæpiùs iterata fuit, clauſula autem, *proponentibus*, ſemel adhibita fuit SESS. XVII. ſed etiam, quòd hæc longè minoris momenti ſit, quàm illa præcedens.

Reliquæ Novitates non minorem attentionem merentur, quàm ſuperiores, 1. Tridentini mos fuit, ut nihil definiret ſtatueret-ve niſi conſulto Pontifice. Factum hoc teſtantur ii, qui Tridentini hiſtoriam ſcripſerunt, vel partim & ex occaſione, ut SLEIDANUS, vel integram & conſultò, ut *fra* PAOLO. Præterea, Ultramontani conſentiunt, ut patet quoad BELLARMINUM & DUVALLIUM, qui Concilii morem adprobant, & vindicant. Probationes à RICHERIO referuntur, in ejus Obſervationibus Hiſtoricis circà hoc Concilium.

Porrò, facti hujus novitatem arguunt Concilia, quotquot ſunt Generalia, Pontifex ſolùm per Legatos interfuit, nullum eſt enim, quod Definitiones, aut Decreta ſua ſuſpenderit, quoad uſque conſultus Pontifex reſpondiſſet. Nec diffitentur Authores laudati, ut patet ex ratione, qua utuntur, ad hoc eluendum, quamque infrà referemus.

Denique, Concilium Tridentinum circà celebrationem Conciliorum Generalium innovavit in eo, quòd Decretorum ſuorum confirmationem à Pontifice poſcerit, aut ſiverit, ut Legati eam Concilii nomine peterent. Hæc novitas gravior eſt, difficiliùſque purgatur, quàm ſuperiores. Sic enim Concilium videtur agnoſcere Pontificem Concilio Generali eſſe ſuperiorem, agnoſcere, inquam, in ſuæ præjudicium dignitatis, quæ Scripturis & Traditione fulcitur, & contra declarationem expreſſam Conciliorum *Conſtantienſis & Baſileenſis.*

Et hæ ſunt omnes Novitates, de quibus agitur, quæ conveniunt in eo, quòd invectæ videantur ad exaltationem Sedis Romanæ, validaſque adminiſtrent præſumptiones, quòd Pontificis Fautores in Tridentino prævaluerint.

Hoc conſtare debet, mirabilem eſſe Divinam Providentiam, quæ procuravit, ut Sancta Sedes honoraretut à Concilio adversùs Hæreticos illius contemptores immodicos, odiique ſui diſſeminatores coacto.

Superfluum foret hanc Novitatum prædictarum cauſam diutiùs tractare, ea communis eſt omnibus, ad ſpeciales ſingularum tranſeundum eſt.

Quamvis nondùm perſuaſum nobis ſit, Tridentinum conſenſiſſe, ut Procuratoribus Epiſcoporum adimeretur jus vocis deliberativæ, id tamen ſupponemus ob relationem D. DU PIN *p.* 12. *Tom. Hiſtoriæ 16. Sæculi* XVI. Nimirùm, Legatos non ſiviſſe, ut ullus Procuratorum vocem deliberativam in Concilio haberet. Suppoſitio hæc neceſſaria eſt ad enucleanda momenta *Brevis* PAULI III. quod Procuratoribus Epiſcoporum Suffragii jus adimebat. Ejus meminit *Fra* PAOLO *p.* 107. Editionis ſupra laudatæ. Hic autem Pontificia mens ab intentione Curiæ Romanæ diſtinguenda eſt.

Quoad Pontificem, præſumendum eſt, eum voluiſſe inducere & excitare Epiſcopos, ut ipſi convenirent ad Concilium, & ſic majorem vim Concilii Decreta ex autorum ſuorum dignitate conſequerentur.

Curiæ Romanæ Officiales intendebant fortè magnam removere Suffragiorum copiam, quæ ſuis prætentionibus contraria futura eſſe prævidebant: credibile erat, fore, ut magnæ Poteſtates Germaniæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, quibus natalium ſplendor, ſediſve dignitas majorem animum conſtantiamque ad propugnanda Epiſcopalia jura inſpirabat, non poſſent, vel nollent Concilio intereſſe; non poſſent, negotiorum preſentiam ſuam exigentium gravitate, ac multitudine, detenti; nollent, ſive ad vitandos labores, atque impenſas itineris ac manſionis, ſivè ad declinandam moleſtiam aut dedecus ſedendi infrà perſonas, quarum Familia longè à ſuâ diſtabat.

Ut ut ſit de cauſa hujus Novitatis, aliquid hîc valdè mirabile eſt; nam Legati Pontificis nihil aliud ſunt quàm Procuratores primi Epiſcoporum: hi autem plenè fruebantur jure Suffragii, quod Pontifex aliorum Epiſcoporum Procuratoribus eripere tentabat.

Si Clauſula, *ſalvâ Pontificis authoritate*, Ultramontanorum ſenſu accipiatur, procul dubio erit, Concilium voluiſſe inclinare ad opinionem, quæ Concilio Generali Pontificem anteponit; namque, Ultramontani contendunt, Pontificem, juxta hanc Clauſulam, Decretorum Tridentini Dominum ſive arbitrum eſſe, ita, ut non ſolum ab iis diſpenſare poſſit, cùm

cùm libuerit, verùm etiam illa immutare & pro arbitrio abrogare. Sed multùm abeſt ut genuinus iſte ſit clauſulæ ſenſus, cùm ea non Pontificis arbitrium, ſed authoritatem Sedis Romanæ excipiat. Hæc autem exceptio ſignificat, Concilium tribuiſſe tantùm Pontifici, quod juris eſt, ſeu declaraviſſe, Decreta ſua obnoxia eſſe diſpenſationi Pontificiæ, cùm neceſſitas urgens Eccleſiæ, vel evidens utilitas eam requirunt.

Itaque, Concilium expreſſit ſolùm exceptionem, quæ ſubintelligi debuerat, eamque expreſſit, ut Pontificis aſſeclas molliret, facilioreſque efficeret ad conſentiendum diminutioni Pontificiæ poteſtatis per abrogationem, 1. Magnæ partis Exemptionum, 2. Reſervationis Cenſurarum, quoad forum interius, & Diſpenſationum ab Irregularitate, quoad idem forum, 3. Reſervationum Mentalium, 4. Expectativarum, per reſtrictionem facultatum de promovendo à quocumque, & de non promovendo, intrà annum; poteſtatis Conſervatorum Apoſtolicorum, & juris Quæſtorum, per prohibitionem Commendarum, & Diſpenſationum circà matrimonium, quæ à ſolo Pontifice concedebantur. Hæc igitur clauſula convenit cum qualificatione Delegati Sedis Apoſtolicæ, in eo, quòd uſurpatæ fuerint, ut, ſub ſpecie honoris Pontificis, rectus ordo ex ejus conſenſu reſtitueretur.

Quoad clauſulam *Proponentibus Legatis*, qua Legatis reſervatum fuit jus quæſtiones proponendi, non videtur eos, qui primi illius authores fuerunt, aliud momentum rationabile obtendere potuiſſe, quàm ſtudium impediendi diviſionem inter Patres, & diſſolutionem aut prorogationem Concilii ex ea conſequentes. Jam tale acciderat Schiſma ſub PAULO III. an. 1547. inchoatum & ſub PIO IV. perſeverans an. 1563. in quo facta eſt reſervatio, de qua agitur. Id manifeſtum eſt conferendo prius Decretum circà reſidentiam *Cap.* 1. SESS. VI. cum poſteriori, *Cap.* 1. SESS. XXIII. in quibus, ad componendas periculoſas factiones, adhibita ſunt verba ſignificantia reſidentiam, à jure divo proficiſci, nec tamen illud diſertè exprimentia. Eadem res refertur apud SOAVEM *p.* 193. Editionis ſuprà laudatæ. Itaque nonnullus erat timendi locus, ne ſimilis diviſio ſequeretur propoſitionem quæſtionum, quæ magnum Epiſcopis Italianis aliiſque Pontificiis Fautoribus damnum inferre poterant; putà an Concilium Generale ſit ſuprà Pontificem? An Præventio, an reſervationes Beneficiorum ſint Canonicæ? An ſint tolerandæ? An Commendæ perpetuæ diſſimulari poſſint? An omninò prohibendæ reſignationes *in favorem*, & Penſiones &c? Longum eſt perſequi reliquas, quæ reperiuntur in Articulis quos Oratores CAROLI IX. proponere in Concilio juſſi fuerant.

Quoad perverſas intentiones, quas introductores clauſulæ *proponentibus &c.* fortaſſe habuerunt, earum præcipua eſt, impedire ſinceram Romanæ Curiæ Reformationem, ſive quoad commercium Beneficiorum, Diſpenſationum, abſolutionis Caſuum reſervatorum; ſive quoad uſurpationem juris Epiſcoporum, qui pro meris Vicariis à Pontifice habebantur; ſive quoad luxum, mollitiem, earumque turpes effectus; quippe illi haud ignorabant quantoperè reformatio exoptaretur à Principibus, qui Legatis ſuis præceperant, ut acriter in eam inſtarent, & à plurimis Sanctioribus Prælatis, qui ſtudia ſua dudùm teſtati erant. Noſcebant, præterea, ejuſmodi emendationem aptiſſimam æſtimari ad procurandam Eccleſiæ reliquæ reformationem, ideò quòd Pontifex aliis Prælatis exemplum & formam præbeat, ita, ut ſi abuſus atroces Curiam Romanam infeſtent, cæterorum locorum corruptelis accedat authoritas. Iadè formido erat, ne, ſi alii quàm Legati facultatem habuiſſent proponendi Capita diſcutienda, aliqui exiſterent Epiſcopi, qui ultrò vel ſuggerentibus Principum Legatis, quæſtiones moverent circà abuſus in Romana Curia vigentes, & multò magis, ne inſinuata aliis Epiſcopis neceſſitate ejuſmodi quæſtiones tractandi, neceſſaria quoque tandem fieret eorumdem abuſuum emendatio. Itaque, ad occurrendum huic ſuo incommodo, cauſa ipſius amputanda erat, per reſervationem de quâ loquimur; nec circumſtantiæ patiebantur, ut alia adhiberetur cautio.

Si à Doctoribus Ultramontanis cauſam exquiramus, propter quam Synodus Tridentina nullum fecit Decretum, quin priùs conſultus Pontifex fuiſſet, hanc nobis ii reponent, neceſſarium fuiſſe cognoſcere quid Pontifex circà quæſtionem definiendam ſentiret, quia, cum is ſit Eccleſiæ Caput, primariam vocem habet in Concilio; eſſe autem impoſſibile eum ſenſum aliâ viâ communicari; nam Pontifex, inquiunt, Legatos ſuos ſpecialibus documentis inſtruere ob negotiorum multitutidem non potuerat. Vid. BELLARMINUM & DUVALLIUM laudatos à RICHERIO in *Hiſtoria Concilii Tridentini p.* 90.

Supponunt hi Doctores, Pontificis munus proprium eſſe confectionem Canonum in Concilio Generali; reliquis autem Patribus competere ſolùm jus conſilii & adprobationis; unde concluſunt, Legatos Pontificis, cùm hic ſolùm per eos Concilio intereſt, Legatos, inquam, in ſcriptis habere debere ſententiam ejus circà argumentum propoſitum, nec non Definitionem, quam fieri cupit. Verùm hæc ſuppoſitio Conciliis Generalibus perniciosa eſt, eaque prorsùs labefactat. Nam, ſi Pontifex Definitionum & Decretorum author eſt, quorsùm attinet omnes Orbis Epiſcopos cogere, eorum pleroſque è longinquis regionibus evocare, qui ſæpè in itinere periclitentur, omnibus inferre neceſſitatem ſumptuum ingentium in præjudicium pauperum & Eccleſiarum, Gregibus Prælatorum fidei, curæque commiſſis auxilia ſpiritualia à Paſtoribus provenientia longo tempore intercludere? Imò vix liciti eſſent tales Conventus; mala, quæ ab iis provenirent, poſſent-ne bonis penſari? Nonne bona hæc alia ratione omnibus incommodis carente comparari poſſent? Epiſtolæ circulares ſufficerent, via hæc facilis eſſet, certa, & compendioſa; anne alia ſubeſſet cauſa illarum litterarum uſum rejiciendi præter defectum neceſſitatis; & ſanè infallibilis conſilio non indiget; quis ejus judicium improbare abſque temeritate audeat vel poſſit; niſi forte ii, qui Pontifici infallibilitatem largiuntur, eam naſci dicant ſolùm poſt Epiſcoporum adprobationem, quo in caſu neceſſe erit, eos præterea confiteri, Pontificem ejuſmodi prærogativam à Concilio habere; verùm ſi hæc nobis concedant, tollunt ſimùl neceſſitatem explorandæ mentis Pontificiæ circà uniuſcujuſque Decreti argumentum ubi Legatos habet in Concilio; nihil quippe foret in ſuffragio Pontificis, quo tanquam certa regula Patres aſtringerentur; verùm ſufficeret Legatos audire, quemadmodùm aliorum Epiſcoporum Procuratores audiuntur, qui, cùm ſpeciali documento ſeu inſtructione non egeant circà ſingula Capita ſpecialia, quæ Synodus diſcutit, ſed generale mandatum pro omnibus in Concilio gerendis afferant (vid. Concil. *Mechlinienſe* anni 1607. Tit. XXVI. Cap. 1.) nihilo-magis neceſſarium eſt, ut Legati Pontificii ſpeciales habeant Inſtructiones circà ſingulas quæſtiones in Synodo diſcutiendas. Adjice, id ſæpè impoſſibile eſſe, cum multæ quæſtiones incidant, quæ prævideri nequeunt, ſufficiet autem eos generalem facultatem habere ad tractanda omnia, quæ in Concilio proponentur.

Jamverò, ſi nos ad Fautores Conciliorum Generalium convertamur, aiunt illi, Synodum Tridentinam adeò redactam fuiſſe ad nihil definiendum ſeu ſtatuendum niſi conſulto Pontifice, ut hic fieret Dominus Arbiterque omnium Decretorum; hoc autem certum fuiſſe, tùm quia Epiſcopi Italici, qui Pontifici devoti erant, numero vincebant omnes Epiſcopos aliarum Nationum ſimul ſumptos (Synodus è 265. Epiſcopis coaleſcebat, quorum 187. ex Italiâ erant) tùm, quòd Legati, qui Pontificem conſule-

bant, curabant, ut Episcopis Italicis innotesceret voluntas Pontificis circà unumquodque Decretorum propositorum. Adjiciunt illi, ad purgationem Concilii, non apparere quòd illud huic novitati expresè consenserit, imò ex Epistola, quam D. DE LISLE Legatus apud Romam 22. Maii 1562. ad CAROLUM IX. scripsit, disci, Episcopos Hispanos graviter conquestos, quòd Pontifex consuleretur circà negotia in Concilio tractata, dixisse, eo libertatem Concilii violari. Præterea Epistola, quam Dominus DE LANSAC, Regius apud Tridentum Orator, ad supradictum D. DE LISLE scripsit, docet, sæpè rogavisse Pontificem, ut meminisset pollicitationis suæ, nempè, futurum, ut libera esse sineret propositiones, vota & deliberationes Concilii, neque ex ullo limite cohiberet, neque Spiritum Sanctum Româ Tridentum mitteret, in vidulo inclusum; ipsa verba referam. *Il avoit promis de laisser les Propositions, Vœux, Deliberations du Concile libres, sans y prescrire aucune limite, n'envoyer le Saint Esprit en valise de Rome à Trente.*

Sed, etiamsi ex mera prudentiæ humanæ suggestione consultus fuisset Pontifex antè Decreta, nihilòminorem venerationem iis debemus; nam mirabiles sunt eorum Dispositiones, ita, ut major sit locus benedicendi Providentiæ Divinæ, quòd magnam abusuum copiam tolli procuraverit, nonobstantibus callidis consiliis, & conspiratione Fautorum Curiæ Romanæ ad impediendam reformationem.

Denique, ultimæ Novitatis Causæ facilè detegi possunt, modò attendatur, verbum hoc *Confirmare*, triplicem duntaxat sensum habere posse. 1. Authoritatem impertiri, 2. Ratum habere, 3. Declarare, solemnitates requisitas observatas fuisse. Si prior sensus valeat, profectò ii, qui Concilium Tridentinum induxerunt ad Decretorum suorum confirmationem postulandam, opinionem, quæ Pontificem suprà Concilium Generale collocat, voluerunt corroborare, nec aberraverunt à scopo. Nam, ad impertiendam Instrumentis sive Actis authoritatem, necessaria est jurisdictio in eos, à quibus illa condita sunt. Indè fit ut authorisatio Statutorum alicujus Conventûs, nonnisi ab ejus Superiore postuletur. Verùm, ut planè succederet eorum propositum, curare debuissent, ut Synodus declararet, se verbum *confirmandi* accipere, prout significat *authoritatem impertiri*, suamque mentem esse, ut Decreta à se condita confirmatione Pontificis authorisarentur. Omissio hujus cautionis extinguit omnem fructum rei gestæ à Concilio; nam Patres, qui aliter sentiebant, poterant jure contendere, Concilium, dùm peteret à Pontifice Decretorum suorum confirmationem, non voluisse eum rogare, ut illis authoritatem daret, verùm ut res ab ejus Legatis, ipsius nomine gestas, ratas haberet, declararetque, Decreta Conciliariter facta fuisse, & solemnitates omnes ad validitatem necessarias impletas fuisse. Jamverò, ut omnia hæc comprobarent, potuissent adjicere, verba esse accipienda in sensu magis congruo: priorem significationem vocis *confirmare*, non congruere casui de quo agitur, quia Pontifex in Concilium Generale ingreditur, quatenùs Episcopus, perindè ac cæteri Patres; undè unicam vocem habet, quæ inutilis evadit, ubi cæteræ, vel pleræque è cæteris, ei adversantur; quamobrem Concilii membrum est, nec aliis Prælatis antecellit, nisi quòd omnium sit primus. Porrò, nullum Corpus est, quod Decreta sua ab aliquo è Membris suis authoritatem accipere patiatur, maximè, quando membrum illud eorum particeps est. Si Pontificia dignitas ab officio primi Episcopi distingueretur in Pontifice, ita, ut is intraret in Concilium quatenùs Episcopus solùm, possibile esset, ut Concilium Decreta sua confirmari curaret à Pontifice, etiamsi hic per se ipsum, aut per Legatos ei interfuisset; quia tunc ei duplex authoritas competeret, quarum una alteri superior esset, ut in Concilio Generali solam inferiorem exerceret. Itaque, authoritas superior, quæ caruisset exercitio, adhiberi posset ad confirmanda Decreta, quorum particeps fuisset propter authoritatem inferiorem, similis quoad hoc Episcopo, qui, si Canonicus sit, potest authorisare quatenùs Episcopus, statuta Capituli, in quo suffragium tulit quatenùs Canonicus.

Fieri igitur potuit, ut Patres Tridentini, petendo à Pontifice confirmationem Decretorum suorum, vel consentiendo, ut eam Legati nomine Concilii postcerent, variis impulsi momentis fuerint, pro varietate opinionum suarum circà superioritatem Concilii Generalis in Pontificem, vel Pontificis in Concilium: alii, ut invalescerent opinio, quæ Pontificem suprà Concilium locat: alii duntaxat, ut concorditer absolveretur Concilium, quod 20. annos ferè duraverat, vel ut Concilii unitas declararetur per unitatem confirmationis omnium illius Decretorum sub tribus Pontificibus factorum PAULO III. JULIO III. & PIO IV.

Cùm Legati & plerique Italici Præsules imbuti fuissent opinionibus Ultramontanis, quarum præcipua est Pontifici favere in præjudicium Concilii Generalis, verisimile est Legatos partim, ut illam opinionem tuerentur, egisse, ut Concilii nomine confirmatio Decretorum ipsius à Pontifice postularetur. Gallicani autem & Germanici Prælati, apud quos Concilium Basileense receptum fuit, nec non Episcopi Hispani, qui conati erant, ut declararetur Concilium Generale esse suprà Pontificem, non consenserunt illi Decreto nisi ob secundam tertiamve ex rationibus memoratis.

SECTIO V.

Quæstiones discutiendæ circà Concilia, Decreta & Constitutiones Canonicas in CONSTITUTIONIBUS REGIIS *laudatas.*

1. AN *Constitutiones Regiæ* laudent Concilia, Decreta & Constitutiones Canonicas, circà res, quæ non nisi in Tridentino reperiuntur?

2. Quid indè inferendum sit, posito quòd factum verum sit?

3. An harum quæstionum decisio possit aliquid commodi quoad praxim conferre?

QUÆSTIO I.

QUæstio hæc tam latè patet, ut nobis opportunum videatur eam restringere ad aliquod insigne argumentum praxeos. Cùm autem nihil in eâ Matrimonio utilius sit, loquemur hic duntaxàt de Constitutionibus ad illud pertinentibus & de iis solùm, quæ continentur in Collectione anni 1699. quæ, cùm vulgatissima sit, pluribus opera nostra prodesse poterit.

CONSTITUTIO BLESENSIS *Art.* 40. præcipit executionem Canonum circà defectum formalitatum quæ nominatim à solo Concilio Tridentino institutæ sunt. Talis est præsentia testium ad probationem matrimonii sufficientium, prætèr denuntiationem Bannorum. Talis est nullitas matrimonii ob defectum istius solemnitatis. Equidem Constitutio non laudat nominatim Concilium circà nullitatem, sed nihilominùs verum est, nullum esse aliud Concilium, quod ejusmodi pœnam sanciat præter Tridentinum, & Constitutionem decernere pœnas à Concilio latas.

Constitutio HENRICI IV. an. 1606. confirmat interpretationem præcedentem Articuli laudati *Constitut. Blesensis*, & locum novum suppeditat, in quo Constitutiones laudant Canones circà Capita nullibi nisi in Tridentino reperienda:

da: nam præcipit Judici Eccleſiaſtico, ut Conſtitutionibus circà matrimonia, & nominatim *Bleſenſi* obtemperet Articulo 40. & juxtà illas reſcindat matrimonia, quæ in Eccleſia facta aut celebrata non erunt, cum forma & ſolemnitate ab eodem articulo requiſitis, eaque declaret invalidè contracta; tunc adjicit, cùm hæc pœna à Conciliis indicta ſit. *Comme étant cette peine indicte par les Conciles.* At conſtat nullum aliud eſſe Concilium, quàm Tridentinum, quod propter hanc rationem reſcindat matrimonium. Non diſſiteor plura tunc fuiſſe Concilia Gallicana, quæ matrimonium eodem caſu reſcindunt, ſed hæc Concilia vel Tridentinum nominatim laudant, vel ſignificant, ſe illius executionem decernere. *Concilium Burdig.* an. 1583. *Concil. Bituricenſe* an. 1584. illud expreſsè laudant, *Concil. Turonenſe* an. 1583. ſignificat, ſe illius executionem decernere; nam ejus, non tamen nominatim, promulgationem in omnibus Parœciis præcipit & ſancit, ut elapſo poſt eam promulgationem menſe, matrimonium, quod extra præſentiam Parochi & duorum teſtium contrahetur, ſit nullum.

Prætereà, haud veriſimile eſt Regem loqui de Conciliis Provincialibus; nam verba ſuprà relata, *comme étant cette peine indicte par les Conciles*, apponit Rex, ut oſtendat Judicem Eccleſiaſticum aſtrictum eſſe ad reſcindendum matrimonium iſta ſolemnitate carens, vel ſaltem congruum eſſe, ut ad id cogatur. Porrò, ratio hæc infirma eſſet, ſi Rex de Conciliis Provincialibus loqueretur; cùm pauciſſima eſſent, quæ hanc tuliſſent pœnam, neque ea authoritatem ultrà ſuam Provinciam haberent: ſed valet ratio, ſi de Concilio Generali intelligatur; namque ejus authoritas eſt univerſalis, & omnes Judices Eccleſiaſticos reſpicit. Denique, cauſa hæc, *cùm à Conciliis pœna hæc indicta ſit*, adjecta etiam videtur ad ſuadendum, ſanctionem Articuli Conſtitutionis Bleſenſis eſſe juſtam; nec immeritò; nam, ſi Concilium Generale eamdem pœnam tulit, nulla dubitatio ſupereſſe poteſt, quin illa ſit juſta.

In *Præfatione Conſtit.* an. 1639. locus eſt, in quo Tridentinum laudatum videtur. Dicitur, eſſe quaſdam ceremonias à Conciliis, tanquàm eſſentiales, præſcriptas, ab iiſque declaratas eſſe, non ſolùm de neceſſitate præcepti, ſed etiam de neceſſitate Sacramenti. Nobis videtur eas ceremonias alias non eſſe quàm præſentiam Parochi & teſtium; nullæ enim aliæ ſunt, quæ eſſentiales dici poſſint, & quæ tales à Conciliis declaratæ ſint. Solum autem Concilium Tridentinum declaravit præſentiam Parochi eſſe quaſi eſſentialem matrimonio, idque declaravit, reſcindendo matrimonium aliter, quàm præſente Parocho factum.

Eſt & alter locus argumento noſtro affinis, nempè Articulus 3. ejuſdem Conſtitutionis, ferens, quòd, juxtà SS. Decreta & Conſtitutiones Canonicas, matrimonia inter raptores & viduas, filios & filias cujuſcumque ætatis & conditionis ab iis raptas, contracta, invalidè contracta ſunt, ita, ut neque per temporis lapſum, neque per conſenſum perſonæ raptæ, patris, matris tutoris & Curatoris ejus confirmari unquam poſſint; adjicitur, *quandiu rapta in poteſtate raptoris manſerit.* Porrò, reſtrictio hæc reperitur ſolùm in Concilio Tridentino SESS. XXIV. *Cap.* 6.

Ad Argumentum revocari poteſt ultima Clauſula Declarationis an. 1686. circa Minores, quorum Patres Religionem prætenſam Reform. profitentes, abſentes ſunt. *Volumus, prætereà, ut omnes ſolemnitates à Canonibus & dictis Conſtitutionibus præſtitutæ accuratè obſerventur ſub pœnis ibi contentis.* Nam procul dubio eſt, præſentiam Parochi & teſtium eſſe ex iis Solemnitatibus, quæ à ſolo Tridentino præceptæ ſunt, ſub pœnis, quas Conſtitutiones authoriſant.

EDICTUM anni 1697. locum notabilem ſuppeditat. *Diſpoſitiones SS. Decretorum & Conſtitutiones Regum Deceſſorum noſtrorum circà celebrationem matrimoniorum, & ſpecialiter eæ, quæ reſpiciunt præſentiam proprii contrahentium Parochi, diligenter obſerventur.* Quantùm certum eſt, ſolum Tridentinum inſtituiſſe praxim circà neceſſitatem præſentiæ proprii Parochi, tantundem conſtat, Regem ibi præcipere executionem Decreti Tridentini circà eamdem præſentiam.

Veriſimile eſt eum quoque complecti Decreta Concilii, in eo, quòd jubet, ut Eccleſiaſtici Judices pœnas Canonicas pronuntient in Sacerdotes Sæculares, qui abſque legitimâ in ſcriptis licentiâ, aliis perſonis, quàm Parochianis, benedictionem nuptialem dabunt. Nulli enim alii ſunt Canones, qui pœnas tulerint in Sæculares id facientes, quàm Tridentini, SESS. XXIV. *de reform. matrim, Cap.* 1. Adde, quòd permittat ſicuti Conſilium, ut alius Sacerdos nuptias benedicat de licentia Parochi, vel Epiſcopi ſcripto data.

Denique, in *Declaratione* 11. *Junii* 1697. ſub finem, Rex Magiſtratui præcipit, ut iis perſonis, abſque requiſitis ſolemnitatibus conjugatis, injungat, ut matrimonium rurſùs ineant juxtà formam à SS. Canonibus præſcriptam: at procul dubio eſt neceſſitatem præſentiæ Parochi & teſtium ſufficientium ad matrimonii probationem, quæ à ſolo Tridentino inſtituta eſt, ad illam formam pertinere.

QUÆSTIO II.

DUo conſideranda ſunt in locis Conſtitutionum mox collectis. 1. Nulla in iis fit mentio Concilii Tridentini, quamvis executio Decretorum ejus ſanciatur. Affectata hæc omiſſio oſtendit, quantùm Legiſlatores Gallici abſint à voluntate authoriſandi Tridentinum per executionem Decretorum ipſius: Hæc non exigitur, niſi quia illa utilia videntur. Perindè de iis Decretis eſt, ac de Conſtitutionibus BONIFACII VIII. quæ, neglecta ipſarum origine, & tacito authore, uſurpantur, non quatenùs authoritates, ſed quatenùs rationes.

2. Obſervandum eſt, Decreta Concili Tridentini in locis allatis laudari ſub nomine Conciliorum SS. Decretorum, Canonum, Conſtitutionum Canonicarum unde ſequitur, Legiſlatores agnoſcere Concilium illud, ejuſque Decreta mereri nomina, quæ aliis Conciliis eorumque Decretis dantur; & quædam eſſe capita circà quæ illius præcepta ſervanda ſunt; ea nempè, quæ noſtris libertatibus ac moribus non repugnant, quales ſunt res in laudatis locis contentæ.

QUÆSTIO III.

QUamvis in obſervationibus præcedentibus aliquatenùs Quæſtioni Tertiæ ſatis fecerimus, tamen, circà hanc Quæſtionem, non nihil adjiciemus; nempè, ex dictis ſequi & conſtare, Decretum Concilii Tridentini *de reform. Matr.* obſervari in Galliâ authoritate civili, nec non authoritate Eccleſiaſtica in Capitibus ſequentibus.

1. Neceſſitas præſentiæ proprii Parochi, 2. Præſentia teſtium ſufficientium ad probationem matrimonii. 3. Nullitas matrimonii ob defectum alterutrius ſolemnitatis. 4. Pœnæ adverſus eos, qui ſine legitima permiſſione, alios quàm ſuos Parochianos matrimonio conjungunt.

Cæterùm, notandum eſt circà prædictas Quæſtione, Conſtitutiones nonnihil adjeciſſe citatis Tridentinis de matrimonio tamquam ipſi eſſentiale; nempe, quòd adſit conſenſus parentum in matrimoniis Minorum XXV. annis: Quòd non diſpenſetur à tribus annis: quòd domicilium non acquiratur niſi per menſes ſex in eâdem Diœceſi, & per annum in aliâ: quòd 4. teſtes aſſiſtant.

Notandum quoque, quòd aliæ Constitutiones Regiæ, quæ alia Decreta Concilii Tridentini in Leges civiles verterunt, similes adjectiones fecerint, ut ostensum in Collatione illarum cum istis ad id facta, quam hìc subjicere non vacat, quòd utræque factæ fuerint, ut Decreta moribus Gallorum accommodarentur.

SECTIO VI.

Quare Episcopi Italici impedierint, ne Concilium Tridentinum definiret Residentiam Episcoporum esse Juris Divini.

FActi de quo agitur veritatem supponimus, quia Historici Concilii Tridentini circà illud consentiunt; illud etiam videtur in Epistola *Gentiani* HERVETI qui Theologus erat Cardinalis à Lotharingia ad *P.* SALMERONEM, Jesuitam. Illius autem facti causam investigamus: circà quod sciendum est, in Ultramontanis, quorum præcipui sunt Itali, duo ingentia esse plerumque obstacula, quæ eos impediunt, quominus credant Residentiam Episcoporum esse juris Divini. Primum obstaculum menti insidet, & provenit ex eo, quòd putent Episcopatum non esse ex institutione divinâ, sed Pontificem esse Episcoporum institutorem, eum omnia ipsorum munera, seu officia assignavisse, atque præscripsisse, pariterque ipsis residentiæ ad ea obeunda necessariæ obligationem imposuisse. Aliud obstaculum cordi inhæret; cupiunt illi ambiuntque officia Curiæ Romanæ, perinde ac Episcopatus, voluntque illa cumulatim possidere. Volunt quoque Cardinalatum, Legationes, Nunciaturas conjungere cum Episcopatibus. Porrò, exoptata adipisci nequeunt, nisi Pontifex eos pro beneplacito suo dispensare possit à residentiâ: secus conscientiæ stimulis urgerentur, quia sibi conscii non sunt aliquam necessitatem, aut evidentem Ecclesiæ utilitatem semper requirere ejusmodi dispensationes; & quantumvis exiguam habeant cognitionem dignitatis Juris Divini, nequeunt ignorare non licere Pontifici ab eo dispensare pro arbitrio suo: credentes autem Pontificem esse Juris Ecclesiastici positivi Dominum, parùm curant secum dispensari absque ullâ Canonicâ causâ; sed ipsis ad securitatem conscientiæ sufficit, ut Pontifex eos dispensare velit, sivè ex merâ indulgentiâ, sive ex alio humano quovis motivo.

Præmissâ hac observatione, facilè percipimus Episcopos Italos, qui impedierunt quominus Concilium Tridentinum definiret Residentiam Episcoporum jure divino præceptam esse, ad id impulsos fuisse ab ipsorum peculiari commodo, nec non à Pontifice cujus valdè studiosi erant, ob multas rationes, sed præsertim quia à suo secerni non poterat. Profectò eorum referebat hoc caput indecisum manere, quia tunc licebat credere, obligationem residentiæ, quoad Episcopos à Jure positivo solùm proficisci; hanc autem juxtà opinionem, facilè exonerari poterant ab illâ obligatione; 1. Per consuetudinem legitimè præscriptam, ad quam sufficiunt 40. anni non residentiæ, sine ullâ Superioris, quamvis scientis, querela, 2. Per dispensationem Pontificiam expressam, aut tacitam: expressam, qualis est ea, quæ per Litteras ad hunc effectum conceptas conceditur: tacitam, qualis est ea, quam impetrat Episcopus, qui conscio Pontifice officium aliquod in Romanâ Curiâ adipiscitur; vel qui ad illud ab ipso Pontifice promovetur; vel qui ab eodem accipit aliquam Commissionem incompatibilem cum residentiâ in Diœcesi.

E Pontificio quoque commodo erat, ut non definiretur, Residentiam Episcoporum esse Juris Divini. Nam, quamdiù licebit credere eam Juris esse Humani tantùm, tamdiù in Curiâ suâ magnum habebit numerum Episcoporum suum favorem & gratiam venantium, poteritque inter famulos habere Episcopos, etiam magnarum Sedium, ipsis dare, aut vendere Officia Curiæ suæ, eosdem absque necessitate Nuntios aut Legatos mittere, Cognatis aut Familiaribus suis plures Episcopatus conferre, nec tamen eos conspectu suo privare; deniquè illi, qui Diœceses suas deserere audebunt, ut Curiam sequantur, omnem scrupulum excutere poterunt, credendo, opinionem à Pontifice toleratam à peccato excusare.

Cùm Itali sint primi, quibus prosit extraordinaria potestas, quam Ultramontani Pontifici attribuunt, quia plerique ex illis hujus subditi aut Curiales sunt, Episcopis illius Nationis haud fit injuria, dùm creditur, eos opiniones Sedis Apostolicæ magnitudini faventes amplecti, ob sui emolumenti amorem; jure igitur præsumimus illorum ambitionem, non minùs quàm immodicum gloriæ Pontificis studium, valdè influxisse in machinationes, quibus illi, ad avertendam definitionem, de quâ agitur, usi sunt.

Sed, inquies, quî fieri potest, ut nequitia aliquot Patrum Concilii Generalis impediat, quominùs fiant definitiones Ecclesiæ tàm necessariæ, quàm decisio institutionis divinæ Episcoporum, nec non obligationis ad residentiam è Jure Divino; non autem efficere possit, ut decisiones falsæ fiant. Huic difficultati sic occurrimus; Concilium Generale non potest facere definitiones circà Fidem veritati contrarias, quin destruatur Ecclesia, quam illud repræsentat: hæc enim corrueret, si portæ Inferi adversùs eam prævalerent; hoc autem fieret, si Concilium Generale à quo repræsentatur definitiones erroneas conficeret; quia tunc ea fidem amitteret super quam ædificata fuit. Aliundè, Ecclesia consistere posset sine definitionibus, de quibus agitur; quandoquidem tot sæculis floruit antequàm eas faciendi rationes nascerentur: uno verbo, Christus Ecclesiæ infallibilitatem promisit; hæc autem promissio illam præservavit, quominùs faceret definitiones erroneas in Concilio Generali: non verò promisit, fore, ut omnes veritates revelatas simul ipsi detegeret, sed successivè, prout ipse volet: nos Ecclesiæ historia compellit, ut sic exponamus hunc locum; *Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæ dixero vobis.* Illa enim docet præcipuas definitiones circà fidem, per quas veritates revelatæ certò cognoscuntur, factas fuisse successive, ità, ut ab aliâ ad aliam non mediocre tempus effluerit.

SECTIO VII.

An æquale sit, seu indifferens Decreta Conciliorum concipi eorum nomine, vel nomine Præsidentis expressam mentionem faciendo consensûs Episcoporum, qui cum Præsidente congregati sunt.

PRincipio videtur id promisuum esse; quia, hinc, Decreta quocumque modo concipiantur, nec majorem, nec minorem autoritatem habent, nec magis nec minùs perspicua sunt; aliunde verò id, quod Legum autoritatem & perspicuitatem nec auget, nec minuit merum accidens videtur nullius momenti. Quoad perspicuitatem, vel obscuritatem, manifestum est neutram nasci posse ex eo, quòd Præsidens loquatur in Decretis, vel ex eo, quòd Synodus ipsa loquatur. Quoad autoritatem, hæc servatur per expressionem consensûs aliorum Episcoporum, hæc enim ostendit, Decreta facta fuisse ab Episcopis, perindè atque à Præsidente, & proinde esse opus Corporis congregati, non verò unius Capitis.

Ubi tamen altiùs penetramus, reperimus nonnihil referre ut Decreta nomine Synodi concipiantur potiùs, quàm nomine Præsidentis, quamvis hic expresse dicat, Collegas suos consensisse. Sanè hæc forma concipiendi Decreta prorsùs convenit formæ regiminis Ecclesiæ, quod est Aristocratico-Monarchicum; at in regimine Aristocratico, Leges concipiuntur nomine Senatûs, qui illas conficit, non verò nomine Præsidentis, cui unicum suffragium cum aliis Sena-

Senatoribus competit: quod profectò æquissimum est, quia Leges gerere debent nomen eorum, in quibus fita est potestas illas conficiendi. Porrò, in regimine Aristocratico, autoritas residet in Senatu, qui est Collegium Primatum; Caput verò est solùm Minister Collegii, sive Corporis, & electum est solùm ad illius jussa exequenda. Indè est procul dubio, quòd Apostoli Decretum suum circà observationes legales ascripserunt Concilio, non verò S. Petro. *Visum est Spiritui Sancto & nobis*, Act. Apost. *Cap. XV.* Verisimile est autem, quòd si haberemus Acta aliorum Conciliorum, in quibus Decreta scripta fecerunt iidem Apostoli, vel potiùs, si talia Decreta in aliis Conciliis fecissent, communis esset omnium eorum forma. Indè est etiam, quòd omnes Synodi Generales in Oriente habitæ, novem prioribus Sæculis, Decreta & Canones suos nomine suo conceperint; inter Occidentales verò præcipuarum pleræque idem fecerunt, ut videre est in 1. Concilio *Pisano* in *Constantiensi*, in *Basileensi*, in *Tridentino*. Concilia hæc aliis multis Generalibus anteponimus, ideo, quòd habibita fuerint ad restaurandam autoritatem Conciliorum Generalium à Pontificibus usurpatam, sive quoad Fidei Definitiones sive quoad Canones reformationis generalis, à quâ immunes se esse hi contendebant.

Quòd si natura regiminis Ecclesiastici poscat, ut Decreta Conciliorum horum nomini ascribantur, indè sequitur, illa nomine Præsidentis concipiendo, recedi ab illius regiminis formâ, quamvis expressa mentio fiat consensus aliorum Episcoporum; hæc enim expressio non impedit, quominus Decreta, in quibus solus Præsidens loquitur, regimen Monarchicum sapiant, & significent ad ejus solius officium pertinere, ut condat Leges, & reliquos, qui earum participes dicuntur esse meros Consiliarios, quorum consensum adhibet Præsidens, ut majus Constitutionis suæ pondus adhibeat.

Imò, cùm clausula *de consilio & assensu Fratrum nostrorum* in Decretis Pontificis apponatur solùm ob consuetudinem styli, metuendi locus est, ne clausula, *de consilio & assensu Coepiscoporum nostrorum*, vel *approbante Concilio*, quæ leguntur in Conciliorum Constitutionibus Præsidentis nomine conceptis, eodem vitio laborent.

Adjice, quòd Decreta Conciliorum Præsidenti non sine aliquâ injustitiâ adscribantur, quia Præsidenti attribuitur id, quod magis ad reliquam Synodum, quàm ad ipsum pertinet: nam Decreta fiunt juxta pluralitatem suffragiorum; porrò, votum Præsidentis unici suffragii vim habet; itaque cæteri Patres Concilii simul juncti majorem habent partem in ejus Decretis, quàm solus Præsidens, præsertim ubi numerus Patrum magnus est. Cùm, v. g. si centum Patres Decreto consenserint, Præsidens, si ex illis est, centesimam duntaxat partem habet, sive non influit nisi ex centesimâ parte.

Dicimus, *si ex illis est*, quia nonnunquam accidit, ut Decreta fiant contra votum Præsidentis, quando Corpus, aut major ipsius pars sententiam tenet contrariam opinioni Capitis seu Præsidentis, quo in casu contra suam sententiam concludere debet, nec non pronunciare sive edere Corporis nomine Decreta, quæ ipse non probat. Undè nova nascitur ratio non concipiendi Decreta nomine Præsidentis; nam in casu, quo sententia Corporis vincit opinionem Præsidentis, decet-ne, ut hic loquatur in Decretis & dicat, se prohibere id, quod volebat, & fortè etiam vellet præcipere aut permittere, vel se præcipere id, quod vetare voluisset, atque etiamnum cuperet, si res à suo arbitrio penderet.

Cùm igitur forma concipiendi Decreta nomine Præsidentis multis incommodis obnoxia sit, quorum plura ordinaria sunt, nullum autem sequatur ex eo, quòd illa Concilio adscribantur, imò hoc bonum sit; constare debet indifferens seu promiscuum non esse alterutram formam usurpari, sed è contra valdè referre, ut posterior priori anteponatur.

SECTIO VIII.

An post Concilium Tridentinum reperiantur Concilia particularia, quorum Decreta confecta sint sub Archiepiscopi nomine, cum Suffraganeorum consilio & consensu; & quænam illa sint.

Synodos Particulares, quoad formam Decretorum suorum, Conciliis Generalibus immediatè præcedentibus conformare se solere constat & ex observationibus sequentibus patebit.

1. Ante Concilia *Lateranensia*, quæ Generalibus annumerantur, & quorum primum an. 1122. sub Paschali II. habitum fuit, nullum est Concilium Generale, cujus Decreta sub nomine Pontificis, tanquàm Præsidentis Concilii, concepta fuerint. Anteà loquebatur ipsa Synodus. Inde est, quòd Synodi particulares ante Sæculum XI. habitæ nunquam Decreta sua conceperint sub nomine Præsidentis, sed suo. Credebatur, & meritò, quòd, cùm illa ex communi Episcoporum Congregatorum autoritate, non verò solius Prælati Præsidentis fierent, deceret, ut illa omnibus ascriberentur, & proindè loqueretur Synodus.

Post Concilia Lateranensia, & alia Concilia; quæ eorum exemplum secuta sunt, qualia sunt utrumque *Lugdunense*, nec non *Viennense*, multas reperimus Synodos Particulares, in quarum Decretis loquitur Præsidens, tanquam à sui unius autoritate ea profecta essent & aliis Episcopis usus esset tanquam Consiliariis, quorum consensum requisiverat. Multa sunt exempla in *Tomo XI.* Conc. *Part.* 1. & 2. & præ cæteris, Concilium *Canturiasense* 1200. *Narbonensia* 1227. & 1258. *Burdigalensia* 1237. & 1258. Quatuor Concilia *Ravennensia* 1286. 1311. 1314. 1317. Multas prætermitto Synodos itidem Particulares, quibus Legati Pontificii præsederunt, ideòque Decretis earum nomen suum præfixerunt præcipuæ sunt *Parisiensis* 1212. *Londinensis* 1268. *Dudensis* 1279.

2. Post Concilia *Pisanum* 1408. *Constantiense* 1414. *Basileense* 1431. quæ Decreta sua nomine suo conceperunt, extant Sydodi Particulares, quæ illa imitatæ sunt: talis est *Rothomagensis* an. 1445. in cujus *quadraginta* Canonibus verba hæc *Sancta Synodus* exprimuntur, aut subaudiuntur.

Cùm igitur certum sit Concilia Particularia in Decretorum suorum formâ sequi formam Conciliorum Generalium immediatè præcedentium, credibile esset Concilia Provincialia post Tridentinum celebrata, suo ipsorum nomine Decreta sua concepisse; tamen multum abest quominus id verum sit; nam plusquam sunt *duodecim* ex illis, in quibus Archiepiscopus loquitur, & dicit, se statuere *ex consilio & consensu Suffraganeorum suorum.* Talia sunt *sex* Concilia *Mediolanensia*, Concilium *Rothomagense* 1581. *Rhemense* 1583. *Aquense* 1585. *Tolosanum* 1590. *Avenionense* 1594. *Aquileense* 1596. *Narbonense* 1609. ut patet ex initio uniuscujusque Concilii.

In plerisque aliarum Synodorum post Tridentinum habitarum, ipsa Synodus loquitur. Tales sunt *Rhemensis* an. 1564. *Cameracensis* 1565. *Toletana* 1566. *Mechlinienſis* 1570. *Turonensis* 1583. *Bituricensis* 1584. *Mexicana* 1585. *Mechlinienſis* 1607. Quoad Synodos *Burdigalenses* 1583. & 1624. quarum forma diversa est, Archiepiscopus loquitur unà cum Suffraganeis, ut videtur in fine 4. Decreti Prioris Synodi, *nos & Coepiscopi nostri*; & in Præfatione cap. 1. posterioris. *quod non modò nos, sed & Reverendissimi Coepiscopi.*

SECTIO IX.

Utilitas, quam Gallia, respective ad Curiam Romanam, traxit nolendo publicare Concilium Tridentinum.

QUò magis attendimus ad ea, quæ gesta sunt propter denegationem publicationis Concilii Tridentini in Galliâ, eò magis agnoscimus, eam denegationem Galliæ utilem fuisse. 1. Quidem omnes molitiones Curiæ Romanæ, sive mittendo Nuntios & Legatos, sive urgendo Regios apud Pontificem Oratores, tum machinationes, quas à factione Hispana Catholica, nec non ab aliquot Episcopis Sedi Apostolicæ devotis fieri procuravit, adeò, ut illud publicaretur sine consensu Regio, ostendunt, illam Curiam credidisse, publicationem esse necessariam, ut Concilium haberet vim Gallos obligandi. Porrò, opinio illa tàm sæpè manifestata notabiliter confirmat regulam Gallicanam circà necessitatem publicationis Legum in locis ipsis, ut eorum incolas obligare valeant. Hinc eo majus in Galliam commodum oritur, quòd illi ipsi, qui hanc regulam criminantur, multoties eam solemniter approbaverunt.

2. Jus Galliæ competens modificandi Decreta Pontificum, & Conciliorum Generalium, validam confirmationem accepit ex deliberationibus vario tempore factis publicandi Tridentinum cum aliquot ex his clausulis, *sublato eo quod tranquillitati nationis officere posset*: *salvis exemptionibus Capitulorum*: *salvo jure Regio*: *salvis Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, aliisve similibus à Curiâ Ronanâ approbatis. Nam, præterquam hoc hæ clausulæ insertæ fuerant Edicto, quod HENRICUS IV. meditabatur, & CLEMENS VIII. approbaverat: credibile est, Cardinalem d'OSSAT qui pluries scripsit, omnia obstacula vinci posse unius *Salvo* ope, id non facturum fuisse, nisi certus fuisset, Pontificem consentire receptioni cum modificatione.

3. Quantùm certum est, Pontificem CLEMENTEM VIII. dispositum fuisse ad approbandam publicationem Concilii Tridentini cum clausulâ *salvis Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus*, tantùm emolumenti cepit Gallia ex eo, quòd Pontificem ad autenticam approbationem Libertatum suarum adduxerit resistendo publicationi, quam cupiebat.

4. Quamdiu Pontifices aliquam spem habuerunt impetrandæ publicationis Concilii Tridentini in Galliâ, tamdiù faciles fuerunt in concedendis rebus, quas petebat. Plura exempla afferre facile foret, verùm sufficiet allegare absolutionem HENRICI IV. quam Rex Hispaniæ tantis conatibus Romæ impediebat, quæque tandem concessa est ob spem, quòd Rex publicationem Tridentini in Galliâ procuraret.

SECTIO X.

Momenta precum frequentium Pontificum, ut Concilium Tridentinum in Galliâ publicaretur.

CUm attendimus ad Sedem, quam in Ecclesiâ obtinet Pontifex, qui est caput ministrorum à Spiritu Sancto positorum ad regendas animas fidelium, proclives sumus ad credendum, molitiones Pontificum ad obtinendam publicationem Concilii Tridentini in Galliâ profectas esse à zelo salutis animarum; sperabant quippe, fore, ut Decreta istius Concilii valdè idonea essent ad morum reformationem, atque eorum publicatione restitutum iri rectum ordinem.

Sed, dum consideramus, quòd, licèt alios suprà homines erecti, nihilominùs homines sunt, quodque magna sublimitas humanam sæpè infirmitatem auget, possumus absque injuriâ præsumere, quòd amor sui ipsorum emolumenti multùm contulerit ad vehemens illorum ergà publicationem studium. Nam Tridentinum plura confecit Decreta Sedi Apostolicæ honorifica: talia sunt 1. Illud quod Pontificem Concilio Generali præponere videtur, petendo à Pontifice confirmationem omnium Tridentini Constitutionum. 2. Illud, quod declarat, mentem suam non fuisse, ut Pontificia autoritas ullo suo Decreto restringeretur, *salvâ in omnibus Sedis Apostolicæ autoritate*. Unde eadem consequentia elici potest. 3. Illa, in quibus Pontifici reservatur Cura conficiendi Catechismi, concessio Calicis, interpretatio Decretorum suorum, continuatio vel abrogatio Commendarum, cognitio causarum Episcoporum. 4. Illa, in quibus conventum est, ut solis Legatis competeret facultas proponendi argumenta discutienda, aut deliberanda, utque Decretis inseretur clausula, *proponentibus* &c.

SECTIO XI.

An Principes aliquam partem habuerint in Concilis Provincialibus post Tridentinum habitis, ad procurandam executionem Decretorum ipsius; & posito quòd aliquam habuerint, an indè elici possit aliquid illi Concilio favorabile.

A Posteriore Quæstione exordiemur, quippe, quæ finis sit prioris. Solutio illius Lectorem adducet ad evolvenda facta per quæ prior deindè decidetur. Duo autem præsupponenda sunt. 1. Omnia illa Concilia aliquatenus acceperunt Decreta Tridentini; alia expresè sanxerunt executionem omnium illius Constitutionum. Talia sunt *Cameracense* 1565. *Mediolanense* ab anno 1565. ad 1582. habita: *Toletanum* 1566. *Mechlinienſe* 1570. *Mexicanum* 1585. *Avenionense* 1594. *Aquileense* 1596. Alia suis Decretis pleraque illius Decreta inseruerunt, vel ad verbum, vel æquipollente sermone, sive illud nominatim laudando, sive mentione omissâ. Talia sunt omnia Concilia apud Gallos habita, uti per illorum excerpta comprobavimus.

Aliud caput est, quòd non appareat illum Principem Synodis in ditione suâ habitis vitio vertisse, quòd sic Decreta Tridentini accepissent.

His præsuppositis, manifestum est multum ponderis adjectum iri Tridentino, si Principes aliquam partem in Conciliis posterioribus habuerint, sive jubendo, sive invitando aut exhortando, ut illa celebrarentur, sive idem permittendo, & precibus Prælatorum annuendo, seu denique sanciendo executionem Decretorum ab illis Synodis confectorum; nam sic validè probatur, eos approbavisse Decreta Concilii Tridentini, & consensisse, ut in suâ ditione, vel ex integro, vel ex parte observarentur.

Operæ igitur pretium est investigare, an Principes aliquam partem habuerint in Conciliis post Tridentinum habitis, & quænam illa fuerit.

Inter Synodos quarum Principes participes fuerunt laudare non possumus *Rhemensem* an. 1564. quia non supersunt Instrumenta convocationis & publicationis, aut similia in quibus, ut plurimùm reperiuntur vestigia rei, quam Princeps ergà Synodum gessit.

Adjice contumeliam Galliæ à Concilii Patribus inustam, qui noluerant Oratoribus Gallicis primas, quas possidebant, antè Hispaniam dare, adeò recentem fuisse, aliasque offensas adeò crudas, ut credibile sit, *Rhemensem*, de quâ agitur, Synodum sine consensu expresso Regis habitam fuisse, vel hunc tacitè duntaxat consensisse. Aliud est de *Cameracensi* editâ & habitâ die 3. Augusti 1565. nam in Instrumento Editionis expresè dicitur, PHILIPPUM II. Hispaniæ Regem, ad quem Provincia Cameracensis tùm pertinebat, excitavisse Episcopos, ut eam celebrarent: *Huic autem inditioni nostræ addidit animum invictissimi atque religiosissimi Principis Philippi Regis Catholici, omnium optimi ac maximi pietas (in cujus ditione penè tota Provincia patet) qui cùm id sibi vehementer placere ac probari, pro suo erga rem Christianam studio declarasset &c.*

Sanctus CAROLUS in Oratione, quâ primam Synodum Mediolanensem exorsus est an. 1565. insinuat,

Regem

Regem PHILIPPUM alioſque Mediolanenſis agri Principes aliquam in iſtâ Synodo partem habere. *Hoc optimus, maximus Rex Philippus in cujus dignitate, ut verbo complectar, Sacerdotalem animum licet agnoſcere; hoc cæteri hujus Provinciæ Principes de populorum ſalute ſolliciti à nobis deſiderant, quorum ſtudia & officia non vereor, ne nobis, ſanctisque hujus Synodi Decretis ſemper adſint, eamque poteſtatem, quam à Deo acceperunt, ad Dei & cultum & voluntatem libentiſſimè conferant.*

In reliquis Synodis Mediolanenſibus nihil reperitur, quod ſaltem remotè reſpiciat influxum Principum in illas Synodos: quod fortè provenit ex eo quòd S. CAROLUS unamquamque earum conſiderando tamquàm continuationem prioris, quia ad perficienda prioris cæpta habebantur, crediderit conſenſum Regium ad priorem, prorogari ad reliquas, ità, ut illud taceri poſſet in reliquis, propterea quòd ſatis expoſitum fuiſſet in priore.

Conjectura hæc eò veriſimilior eſt, quòd aliæ Synodi in ditione Regis Hiſpaniæ habitæ; hunc earum fuiſſe participem doceant, ut jam notavimus, erga Synodum Cameracenſem, & mox oſtendemus erga Synodum Toletanam, in cujus exordio Præſidens dicit, eam haberi ob operam & curam PHILIPPI Regis Hiſpaniæ &c. *Igitur, favente Deo Opt. Max. Reverendiſſimi Epiſcopi hujus Provinciæ juxta præſcriptum ſanctæ Synodi Generalis Toleti convenientes, Concilium cui nos licèt indigni præfuimus celebraverunt, id etiam agente & curante invictiſſimo Principe & Domino noſtro Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico, cui conſervandæ rectæ fidei tantus ardor, tantus amor reſtituendi Eccleſiaſticas leges inſedit, ut merito cum ſanctiſſimis illis Imperatoribus Conſtantino & Theodoſio Deo dilectis conferri poſſit & debeat &c. Hi enim Principes tametſi maximo fidei Zelo ferbuerunt, nequierunt tamen è Regnis ſuis hæreſes Arrii & aliorum extirpare; at noſtra Hiſpania hujus noſtri pii Regis ſtudio, prudentiaque mirabili, immaculatam fidem conſervat & tenet, cùm tamen pleraque Regna finitima ab Apoſtolicis dogmatibus deſciverint.*

Similes habemus probationes, quòd Reges Hiſpaniæ ſimiliter contulerint ad Concilium *Mexicanum* an. 1585. & ad Concilium *Mechlinienſe* ann. 1607. Duo ſunt prioris loca, quæ ad rem faciunt. Primus eſt in Præfatione, ubi dicitur, illud Concilium à Regio Senatu Indiarum diſcuſſum fuiſſe.

Subjectum fuit hoc celebre Concilium integerrimæ Cenſuræ Senatûs Regii Indiarum, de cujus licentiâ & approbatione, Romam translatum eſt autoritate Apoſtolicâ firmandum, Secundus eſt in Inſcriptione Statutorum pro Eccleſiâ Mexicanâ compoſitorum: *Statuta ordinata à Sancto Concilio Provinciali Mexicano Tertio, an. Domini* 1585. *ex præſcripto ſacroſancti Concilii Tridentini Seſſ.* 24. *c.* 12. *de Reform. Verba cætera reviſa à Catholicâ Majeſtate, & à ſacroſanctâ Sede Apoſtolica confirmato an. Domini* 1589.

Regem Hiſpaniæ contuliſſe ad celebrationem Synodi *Mechlinienſis*, probatur ex Præfatione. *Synodi Provincialis convocationem exiſtimavimus non diutiùs differendam, ſed eam proximâ æſtate Deo opitulante celebrandam, idque prout etiam ſereniſſimæ ſuæ celſitudini viſum eſt in Civitate Mechlinienſi.*

Et hæc ſunt omnia Concilia poſt Tridentinum habita in ditione Regis Hiſpaniæ, quæ conjunximus neglecto ordine temporum, ne interrumperetur ordo teſtimoniorum, quæ probant, Regem Hiſpaniæ contuliſſe ad celebrationem Synodorum in ipſius ditione habitarum. Simili de causâ Synodos in Galliâ habitas ſeorſim & ſucceſſivè luſtrabimus, ut ſine ullo intervallo exhibeamus poteſtatem, quam Rex exercuit, quoad Concilia in Galliâ habita. Sed priùs obſervandum eſt *Edictum Melodunenſe* anno 1580. *Art.* 1. his verbis præcepiſſe, ut Concilia Provincialia celebrarentur.

Premierement nous admoneſtons les Archevêques, Metropolitains de notre Royaume, & neantmoins leur enjoignons de tenir les Conciles Provinciaux dans les ſix mois prochainement venans, & dés lors en avant de trois ans en trois ans, en tel lieu de leur Province qu'ils connoitront etre plus propre & convenable pour cet effet, pour pourvoir à la Diſcipline, correction des mœurs & direction de la police Eccleſiaſtique & inſtitution des Seminaires & Eſcóles ſelon la forme des ſaints Decrets.

Obſervandum eſt præterea, omnes Synodos in Galliâ habitas poſt Concilium Tridentinum, huic *Edicto* poſteriores eſſe, exceptâ *Rhemenſi* an. 1564. Undè concludere licet, quòd, licet deficerent probationes ſpeciales circà partem, quam in iis Synodis Rex habuit, ſuppeteret generale argumentum ex eo ſumptum, quòd earum celebrationem juſſerit, & quòd earum celebratio ſit hujus juſſionis effectus.

Propter hoc fortè Edictum Synodus *Turonenſis* 1583. Deo gratias agit, ideò, quòd Regi inſpiraverit conſilium procurandi celebrationem Conciliorum &c. *Imprimis Deo Opt. Max. hæc Synodus gratias referendas cenſuit prout refert, quod Divini ejus Spiritûs afflatu, Chriſtianiſſimus Rex noſter Eccleſiæ Dei ſtatum & ordinem roborare diſponens Conciliorum Provincialium in univerſo Galliæ Regno celebrationem gratam non ſolùm habuerit, ſed eam etiam indici procuraverit; hinc futurum ſperans, ut quæ ſummo noſtro malo diutiùs graſſatæ ſunt hæreſes, radicitùs extirpentur, & quibus turpiter Eccleſia deformatur prorsùs aboleantur abuſus.*

Igitur ſi aliquot è Synodis Gallicanis, de quibus locuturi ſumus, nihil dicant, quo probari poſſit, Regem ad eas contuliſſe, ex eorum ſilentio concludi non poterit; ipſas absque ejus participatione habitas fuiſſe; quia nulla eſt earum, quæ habita non fuerit propter generale præceptum Regium celebrandi Concilia Provincialia. Propterea, ſilentium hoc provenire poſſet ex neglectâ mentione juſſionis, aut permiſſionis, aut ſuggeſtionis Regiæ ad Concilii celebrationem, quandoquidem extant Synodi ejusdem ferè temporis, quæ illam circumſtantiam exprimunt; porrò, nulla eſt ratio propter quam Rex his potiùs, quàm illis Synodis ſe immiſceret.

Synodi in quibus hoc ſilentium obſervatur, ſunt *Bituricenſis* an. 1584. *Aquenſis* 1585. *Toloſana* 1590. *Narbonenſis* 1609. *Burdigalenſis* 1624.

Synodus *Rothomagenſis* an. 1581. quæ prima habita eſt in Galliâ poſt *Melodunenſe Edictum*, confirmat obſervationem ſuperiorem, nimirùm, Regem contuliſſe ad omnes Synodos ſubſequentes; nam Cardinalis BORBONIUS rationes convocationis afferens, expreſſè loquitur de Judicio, quod Rex & Regni Ordines tulerant circà neceſſitatem Conciliorum Provincialium. *Regemque noſtrum Chriſtianiſſimum, ac cunctos hujus Regni Status & Ordines, nihil magis congruum & neceſſarium, quàm frequentem in unaquaque Provincia Synodorum celebrationem exiſtimaſſe, in quibus & attrita reſarciantur, collapſa reſtituantur, maculæ quibus facies Sponſæ Chriſti fœdata eſt, abluantur, & ſtatuantur denique, quæ ſuo reddendo Eccleſiæ ſplendori, duce Spiritu Sancto, judicantur neceſſaria.* CONC. *Tom. XV. pag.* 877. Expreſſum hoc Synodi Rothomagenſis teſtimonium, quòd convocata fuerit ad obtemperandum *Edicto* laudato, ſuadet, reliquas Synodos, quæ de Regis operâ ſilent, ob eamdem cauſam convocatas fuiſſe.

Prima, inter reliquas Synodos, eſt *Rhemenſis* an. 1583. in cujus Inſtrumento convocationis leguntur hæc verba: *nec non Chriſtianiſſimi Regis noſtri* HENRICI *conſenſu ſimul & hortatu.* Quibus conſona ſunt alia hæc verba Actûs publicationis: *Henrico Rege noſtro Chriſtianiſſimo nos piè admodùm cohortante.* Sic loquitur Cardinalis GUISIACUS, referendo rationes, quibus inductus fuit ad cogendam hanc Synodum.

Synodus *Burdigalenſis* ex iis quoque eſt, in quas aliquo Actu Speciali Rex influxit, ut certò cognoſcitur ex Inſtrumento Editionis, in quo Archiepiſcopus Regem deprecatur, ut ejus Decretis ſuam protectionem

nem impertiatur, eodem cum studio, quo ad illam celebrandam Prælatos hortatus erat: *Ut autem hæc absque ullo impedimento, nobis & Reverendissimis Fratribus Coëpiscopis, aliisque, quibus hæc ex officio cura incumbit, liberè & integrè præstari, implerique possint, Regem nostrum* HENRICUM *Christianissimum, quo possumus animi sensu rogamus, atque in Domino obsecramus, ut pari pietate cura & sollicitudine hanc Synodum tueatur, ejusque sancta Decreta servari omninò jubeat, quâ nos ad eamdem cogendam & habendam pro singulari suâ in Religionem, Deique cultum propensione adhortatus est.*

Cùm Princeps protegere legitimè, atque observanda jubere Concilii Decreta non possit, nisi simul illa approbet, dicendum est preces Synodi *Burdigalensis* Regi oblatas, ut ipsius Decreta protegere, atque observanda jubere dignaretur, includere supplicationem, ut illa approbaret.

Suprà ostensum fuit, Synodum *Turonensem* anno 1583. commemorare jussionem HENRICI III. ut Concilia Provincialia haberentur, atque eorum celebritatem illi jussioni attribuere, idem legitur in Epistolâ Archipræsulis Turonensis ad eumdem HENRICUM; nam, post enumerata bona, quæ gignuntur à Synodis Provincialibus, sic pergit; *quorsùm hæc, quid ad rem hæc omnia, nimirùm, ut ostendam quàm rectè, quàm prudenter, quàm in totius Ecclesiæ Christianæ rem feceris, cùm universo Galliarum Clero Provincialium Conciliorum celebrationem permiseris.* Ex eadem Epistolâ discimus, ejus Concilii Patres plus ponderis, virium atque autoritatis Decretis suis conciliare volentes, ea obtulisse Regi, ut illa confirmaret, eorumque defectus suppleret. Factum hoc legi meretur, fusiùsque relatum est in observationibus circà Concilium Tridentinum Tit. *peculiaria notabilia circà public. Trident.*

Cùm hic aliquatenùs agatur de autoritate Principum quoad Concilia Particularia, non abs re fuerit observare id, quod in eâdem Epistolâ legitur de Procuratore Regio, qui Synodis aderat. *Quin etiam, ut ne quid ex Regiâ decerperetur dignitate & authoritate, aderat ibi Regius Procurator, quem appellabant Executorem, qui in exequendis contra sæculares Ecclesiæ Decretis operam navaret strenuam & efficacem.*

Verùm redeamus ad probationes operæ, quam Rex, ad celebrationem Synodi *Turonensis* contulit; una supereſt luculenta in gratiarum actione & dimissione Conventûs factâ ab Archiepiscopo; hic enim loquens de personis, quibus agendæ grates erant ob celebrationem Concilii, secundo in gradu Regem Christianissimum collocat; *agendæ præterea . . . . Regique Christianissimo Henrico ob liberè permissa Concilia gratiæ, si coram in os, nobis loqui liceret.*

Instrumentum hoc solius permissionis Regiæ mentionem facit, laudata Epistola jussionem adjicit, *cujus non solùm permissu, sed pio jussu coacta est hæc Synodus.*

Et hæc sunt omnia Concilia Gallicana Tridentino posteriora, quæ locuta sunt de influxu Regis in Concilia ditionis suæ.

Quoad reliqua extra Galliam, & Hispanicos Status celebrata, duo tantum à P. LABBÆO referuntur, nempe *Avenionense* an. 1590. & *Aquileense* an. 1596. Nihil est in eorum Actis, quod doceat Principes earum regionum aliquid ad eas contulisse, quod nemini mirum esse debet; nam Avenio est Civitas Capitalis Comitatûs Venussini, cujus Pontifex est Dominus temporalis: Porrò, PIUS IV. præceperat, ut Synodi Provinciales haberentur, sanciendo executionem Decretorum Tridentini, inter quæ unum injungit Metropolitanis, ut Concilia Provinciæ suæ tertio quoque anno celebrent. Itaque haud necessarium erat, ut CLEMENS VIII. sub quo Synodus hæc habita fuit, autoritate suâ uteretur, ut ea convocaretur.

Quoad Synodum *Aquileensem*, dici potest, titulum *Principis*, quem Archiepiscopus in Inscriptione assumit, ostendere, eum non aliâ autoritate temporali præter suam indiguisse, ut Synodos in suâ Provinciâ celebraret.

SECTIO XII.

Conciliatio Capitum 6. & 7. *SESS. XXV.* de Regul. *circà Electiones Abbatissarum per Suffragia secreta.*

CApita hæc contraria videntur in eo, quòd primum jubeat, ut Abbatissæ per Suffragia secreta eligantur; posterius verò præcipit, ut Prælatus, qui præsidet electioni, audiat suffragia. Ad tollendam hanc oppositionem, quæ specioſa est solùm, referenda sunt verba Concilii in quibus sita est difficultas. In priori capite sic loquitur Synodus: *in electione Superiorum quorumcumque Abbatum temporalium, & aliorum Officialium ac Generalium & Abbatissarum, atque aliarum Præpositarum, quo omnia rectè & sine ulla fraude fiant, Imprimis Sancta Synodus strictè præcipit, omnes supra dictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* Capitis 7. Verba hæc sunt, *Is verò, qui Electioni præest, Episcopus, sive alius Superior, clausura Monasterii non ingrediatur, sed ante Cancellorum feneſtellam, singularum vota audiat vel accipiat.* Hæc sunt loca, quæ opposita videntur. Subjicio observationes, quarum ope ea ad conciliationem adducuntur.

1. Nulla est veri species Concilium *Capite* 7. evertisse id quod statuerat *Capite* 6. præcipuè cum materia adeò gravis sit. Talis criminatio aut suspicio non cadit in ullum Conventum Ecclesiasticum, quantominùs in Concilium Generale. 2. Verba hæc, *ita ut non publicentur nomina eligentium*, significant, finem secreti, quod Concilium postulat, esse, ut evitentur pernicioſæ consequentiæ publicationis nominum earum, quæ vota emiserant. Scilicèt, Superiores Electi vexabant eos, qui alium nominaverant, & aliis favebant; undè nonnunquam accidebat, ut debiles, metuentes, ne aliqui Religiosi, quos Prælaturâ indignos rebantur, eam tamen ambitu suo adispicerentur, eosdem indignos nominabant, ut se redimerent à vexatione, quam passuri erant alium nominando.

Porrò, secretum conservari potest, quamvis suffragia viva voce proferantur, dummodo unaquæque vocalis illud seorsim emittat, ita, ut ab alio exaudiri nequeat, quàm à Præsidente, qui vota accipit: hac autem ratione fit, quod præcipitur *cap.* 6. circà Secretum Suffragiorum & *cap.* 7. circà illorum auditionem; nam Præsidens ea audit, ità, ut nomina electricum ignorentur, & Secretum custodiatur.

Aliæ sunt viæ ea loca conciliandi, sed parùm genuinæ. Prima via verbum *audiat* interpretatur per verbum subsequens *accipiat*, ità, ut sensus sit, Præsidentem accipere suffragium præsentiâ suâ, sive assistentiâ in loco ubi singulæ suffragium emittunt, schedulam in capsam projiciendo. Verùm interpretatione hac vis fieri verbis videtur. Nam *audiat, vel accipiat*, duos modos emittendi & accipiendi suffragia exhibent; primùm, viva voce, cui respondet verbum *audiat*, secundum, per schedulas in capsam projectas, cui respondet verbum *accipiat*.

Verbum *audiat* referri posset ad propositionem Personarum, quarum nomina inscribenda sunt, circà quas Præsidens audire secretò posset opinionem Singularum Monialium: & verbum, *accipiat*, ad exceptionem schedæ approbatoriæ vel reprobatoriæ. Verùm reluctatur hæc expressio *singularum vota audiat vel accipiat;* quæ alternativam, ut suprà diximus, continent.

Cæterùm nostra interpretatio confirmatur per primam Synodum *Mediol.* 1565. *part.* 3. *cap.* 4. *hujusmodi*

modi Præfecta & ejus Vicaria . . . tacitis *suffragiis coram Superiore, aut ejus Ministro eligantur, qui extra Monasterium ad Cancellos, sive Clathros, stet ex Decreto Concilii Tridentini.* Equidem credibile est, verba hæc *tacitis suffragiis*, designare suffragia non publicata, sivè scriptis emissa seu vivæ vocis oraculo.

Post hanc Conciliationem obitèr observamus, verbum hoc, *temporalium*, huic junctum, *Abbatum*, insinuare, mentem Concilii Tridentini non fuisse ut dispositio Decreti sui ad Abbates perpetuos extenderetur.

Porrò, eos excepit Concilium, fortè ideò, quod sint Prælati Episcopis conferendi, & veterem electionis Episcoporum formam servaverat.

SECTIO XIII.

An Decretum Concilii Tridentini circà Matrimonium filiorum familiàs ad Doctrinam pertineat, an ad Disciplinam?

MAgni, quoad Galliam, refert, ut discutiatur solvaturque proposita quæstio. Nam, si Decretum de quo agitur pertineret ad *Dogma*, vix defendi posset mos Galliæ, quo Matrimonia Filiorum familias Minorum, absque consensu eorum, in quorum sunt potestate, inita, irrita sunt, quippe, qui adversaretur dogmati fidei, in qua omnes Ecclesiæ consentire debent. E contra si Decretum ad meram *Disciplinam* referendum sit, mos Gallicanus absque negotio purgari potest; siquidem Ecclesiæ præcipuæ, quales sunt Nationales, licentiam habent sibi instituendi Disciplinam, quam Nationis moribus congruam arbitrantur.

Utilis proindè quæstionis hujus decisio, verùm etiam necessaria, propter rationes, quæ ex utraque parte afferri possunt. Et quidem pertinere videtur ad Disciplinam hoc Decretum. 1. Quod situm sit inter Decreta Reformationis, quæ vulgò Disciplinam respiciunt. 2. Ex historiâ priorum XII. Sæculorum multæ suppetunt probationes, quòd nuptiæ Minorum, absque consensu Parentum aut Tutorum celebratæ, pro infectis haberentur. Eæ collectæ fuerunt in *Justificatione usuum Galliæ*, quoad hanc rem, & in Libro cui titulus, *Doctrina Canonum in Corpore Juris inclusorum &c.* in quo plures novæ probationes congestæ sunt. 3. Ex historia sæculorum sequentium, in quibus plures Ecclesiæ prohibuerunt solùm ea Matrimonia, non verò ea rescinderunt. Factum hoc probatum fuit in duobus libris laudatis. 4. Ex historia rerum gestarum in Tridentino circà illa Matrimonia discimus, plurimis Patribus placuisse, ut ejusmodi matrimonia rescinderentur; cùm autem inter eos non conveniret de modo, ad quem restringenda erat Parentum & Tutorum potestas, cum cæteris consenserunt, ut illa rata manerent; aliundè Decretum, quatenùs respicit Matrimonia Filiorum familias, anathemate ferit non eos, qui hæc Matrimonia vituperant, vel ea impediunt, vel iis intercedunt, *sed eos, qui falsò affirmant, Matrimonia à filiis familias contracta irrita esse, ac parentes ea posse rata vel irrita facere*, & sic anathema cadit in eos, qui spargunt doctrinam, quam Synodus falsam esse declarat.

Quæ cùm ità sint, probata quæstionis utilitate nec non decisionis necessitate, aio, Decretum, de quo agitur, pertinere ad Dogma & ad Disciplinam: ad *Dogma*, quatenùs damnat errorem eorum, qui asserebant Matrimonia à Filiis familias contracta absque consensu parentum, rata esse aut irrita, prout ipsis placuisset eorum rescisionem postulare, vel à suo jure abstinere, eosque habere ejusmodi jus non à lege humana, sed à lege naturali & divina in Decalogo contenta, ita, ut independenter à legibus civilibus vel Ecclesiasticis, quæ Matrimonia rescindunt, vel rescindi propter querelam parentum volunt, promiscuum parentibus esset, ea pro infectis & vetitis, aut pro legitimis habere.

Quod ut confirmetur, observandum est, hîc agi de propositione cujus falsitas demonstrari potest per Sacram Scripturam & per Traditionem. Per Scripturam, quia nullus reperitur locus, qui Matrimonia Filiorum absque consensu parentum facta, irrita declaret, vel parentibus tribuat jus illa irritandi.

Per Traditionem, quia Canones, qui tales nuptias irritas declaraverunt, fundantur in legibus civilibus seu patria potestate, quæ Civibus Romanis propria erat *Instit. Lib.* 1. *Tit.* 9. aliundè verò, ut suprà notavimus historia Ecclesiastica ex pluribus monumentis ad Traditionem pertinentibus excerpta docet, à Sæculo XII. plures Ecclesias Occidentales, non rescidisse ejusmodi nuptias. Porrò, ut doctrina aliqua ad Dogma pertineat sufficit, ut, per Scripturam vel Traditionem probari queat; tunc enim constat, eam revelatam fuisse, cùm in Verbo Divino contineatur, scripto aut non scripto, per quod revelatio ad nos usque pervenit.

Idem Decretum pertinet quoque ad *Disciplinam* ex pluribus causis. 1. Partem constituit Decreti circà Disciplinam; nam *capite eodem* Concilium rescindit Matrimonia Clandestina in futurum, postquàm declaraverit, quòd, licèt Ecclesia ea semper detestata sit, ea tamen rata & valida hactenùs fuisse. Circumstantia hæc ostendit, rem tempori esse obnoxiam, atque ità pertinere ad Disciplinam. Cæterùm, quidquid Concilium adjicit de necessitate denuntiationum, sive *Bannorum*, de modo eas faciendi, de numero testium, qui sponsalibus interesse debent, de verbis, quæ Parochus adhibere debet, pro regionis consuetudine, ad Disciplinam meram pertinet, cùm pendeat à circumstantiis Temporum, locorum & personarum.

2. Hoc Decretum significat, Matrimonia à Filiis familias absque consensu parentum contracta rescindi posse à Principibus atque ab Ecclesiâ; nam restringit anathema ad eos, qui affirmant, eorum rescisionem à parentum arbitrio pendere, atque ità permittit existimare, quòd ejusmodi jus ad alios pertineat, scilicet Principem & Ecclesiam. Porrò, usus hujus juris meram Disciplinam respicit, quæ juxta tempora loca & personas temperanda esse dignoscitur.

SECTIO XIV.

De Concilio Tridentino comprehendens cæteras Quæstiones.

QUÆSTIO I.

An Concilium Tridentinum faverit sententiæ tuenti, Papam esse Superiorem Concilio Generali.

UT resolvatur hæc Quæstio, colligendum est quod Concilium Tridentinum dicit aptum & contrarium huic sententiæ, & unum cum altero conferendum, ut possit intelligi, an magis pro causa *Papæ* quàm in favorem Concilii Generalis locutum fuerit.

1. Quod statim offertur in gratiam Papæ est clausula (*salva in omnibus Sedis Apostolicæ authoritate*) quæ legitur in Capite Decreti *de Reform.* SESS. VII. videtur eadem clausula, in *Cap.* 21. SESS. XXV. *de Ref.* sicut & in *Cap.* 6. SESS. VII. jam citatæ. Nam, ut Papa dici possit non contineri in Decretis Concilii ad Disciplinam pertinentibus, necesse est Concilium in hoc agnovisse, Papam Concilio Generali non esse submissum.

2. Alterum, quod potest excipi è Concilio Tridentino in favorem Superioritatis Papæ in Concilium Generale, est, quòd in Bullâ, quâ PAULUS III. suis Legatis facultatem dedit transferendi Concilium, non

fit

fit mentio de necessitate consensum ejus habendi pro translatione, quamvis Papa ibi expressè loquatur de consensu Cardinalium huic Bullæ.

3. Decretum translationis Concilii Tridentini Bononiam, quod mentionem facit temporis quo durabit, ait, quamdiù Papa & Concilium necessarium judicaverint; & consequenter constituit Papam antè Concilium, quasi in ratione honoris præferendus esset.

4. Concilium Sessiones suspendens ad duos annos, propter bellum Germanicum, &, si diutiùs permaneat, suspensionem prorogans usque dùm impedimentum illud desierit, insinuat, Decretum illud non posse valere, nisi Papa consenserit, *accedente ad hoc Decretum consensu & authoritate suæ Sanctitatis, & Sedis Apostolicæ.*

5. Concilium tolerat, Papam ibi Patrum Sessionem ordinare *Brevi* ad Legatos misso, jubente, ipsos processuros esse ipsius authoritate, *authoritate nostra*; & eosdem executuros ipsum nec petituros ipsorum consilium, multò minùs illorum consensum, vide finem SESS. XVI.

6. Loquens de Papa, ait, curam esse Ecclesiæ universalis ipsi demandatam; ex quo intelligere licet, habere authoritatem illam regendi. Et hæc videtur continere jurisdictionem insignem in Ecclesiam, & consequenter Superioritatem in eandem. Vid. *finem Cap.* 1. SESS. XXIV. *de Ref. sollicitudinem Ecclesiæ universæ ex muneris sui officio debet.*

7. Postulat à Papa confirmationem suorum Decretorum, & autoritas confirmandi supponit superioritatem in eo, à quo confirmatio petitur. Hæc videre est in Electionibus quarum confirmatio requiritur solùm à Superiore. Idem est de Statutis, quæ non confirmantur nisi à Superioribus: *omnium & singulorum: quæ . . . . confirmatio nomine totius Synodi . . . à Romano Pontifice petatur.*

8. In acclamationibus, post finem Concilii, cognominatur Papa ECCLESIÆ EPISCOPUS; *beatissimo Pio Papa & Domino nostro sanctæ & universalis Ecclesiæ Pontifice.* Per eam agnoscitur ut Episcopus universalis, vetando, ne quid novum & inusitatum in Ecclesia decernatur, illo inconsulto.

9. Concilium Papam appellat VICARIUM DEI in Terris *confidit Sancta Synodus . . . providamque ipsius Dei in terris Vicarii solertiam. c.* 1. SESS. VI. *de Ref.* Undè videtur sequi, quòd, sicut certum est autoritatem nullam esse superiorem Dei autoritati, ità agnoscendum est, autoritatem esse nullam superiorem autoritati Papæ Vicarii ipsius.

10. Concilium dat Sedi Papæ titulum supremæ Sedis *suæ supremæ Sedis autoritate*, ex quo fas est intelligere, autoritatem nullam esse superiorem, præ Pontificia.

11. Attribuit expresse Papæ autoritatem SUPREMAM *c.* 7. SESS. XIV. *Pontif. maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesiâ universâ tradita.* Ex quo eadem res inferri potest.

12. Concilium insignit Papam titulo DOMINI, *ad Sanctissimum Dominum nostrum esse referendum* SESS. *Decret. ultimo* sic se cognoscit Papæ subditum.

Ex his omnibus à Concilio dictis inferri potest favisse sententiæ, quæ constituit Papam suprà Concilium.

Ecce nunc quod contrarium credere inducit.

1. Concilium concipit Decreta suo nomine, & hac ratione ea sibi arrogat. Reverà in eo mentionem facit Legatorum Sanctæ Sedis, sed tantum modò ut dicat ipsos præfuisse Conventui, qui ea fecit.

2. Quamvis Legatis PAULI III. facultas data fuisset transferendi Concilium quandò necesse foret, nulla mentione habita consensus Concilii, nihilominùs sibi vindicat translationem, quæ ipsius facta est Tridento Bononiam in Decreto prorogationis SESS. IX. hæc sacrosancta . . . . *considerans quòd . . . decrevit & ordinavit Concilium, & ad hanc Civitatem esse transferendum.* Patet quoque ex SESS. VIII. translationem hanc non fuisse ordinatam, nisi post consilium petitum ab omnibus Patribus, & post plerorumque consensum habitum; *Decretum supra scriptum placuit longè majori parti Patrum.*

3. Exercuit suam suprà Papam autoritatem, 1. Abrogando majorem partem Casuum Immunitatum, ut videre est in Regulis de *magno Vicario*, in quibus hi omnes casus collecti sunt. 2. Restringendo admodùm Censurarum & Irregularitatum reservationes *c.* 6. SESS. XXIV. 3. Abolendo Mandata Apostolica, mentales reservationes *cap.* 19. SESS. XXIV. Accessus, & Regressus, & Coadjutorias pro Beneficiis Inferioribus Episcopatibus & Abbatiis *cap.* 7. SESS. XXV. *de Reform.* 4. Complectendo nominatim Cardinales in præcipuis Decretis *de Reformatione*, quos Papæ pro libito eligebant & bonis, secundùm suum beneplacitum cumulabant, Hæc Decreta sunt *cap. cit. de* SESS. XXIV. *de Reform.* quo statuitur, Papam electurum nullum nisi dotibus eximiis præstantem, *Lectissimos sibi tantùm Cardinales ascisceat.*

Cap. 2. SESS. XXIII. *de Refor.* statuit, Cardinales ad Episcopatum promotos, intra 3. menses esse consecrandos, & ipso solo facto privandos esse, si consecrationem suam post 6. menses protrahant. *cap.* 1. SESS. XXIII. quo tenentur in Episcopatibus suis residere, & iisdem pœnis subduntur, quibus alii Episcopi non residentes. *cap.* 18. SESS. XXIV. *de Reform.* Subjiciuntur concursui Parochiæ pendentes à collatione Cardinalium. *cap.* 7. SESS. XXV. *de Refor.* condemnat Accessus & Regressus, etiam in Cardinalibus *cap.* 17. SESS. XXIV. ipsis interdicit nominatim pluralitatem Beneficiorum. *cap.* 1. SESS. XXV. *de Refor.* astringit illos ad frugalitatem & modestiam *cap.* 11. SESS. XXIV. adimit Domesticis Cardinalium Privilegium ipsis concessum circà Beneficia pro tempore quo in Curiâ Romanâ residebant.

4. Concilium insinuat, Papam tenere ab Ecclesiâ quasdam potestates, quibus ipse potitur. Tales sunt facultates statuendi de Impedimentis dirimentibus Matrimonii, & de iisdem dispensare. Nam *Can.* 3. & 4. *de Matrim.* has facultates Ecclesiæ arrogat, quasi fonti, anathema pronuntianti in omnes, qui dicent, Ecclesiæ jus non esse adjicere novos gradus propinquitatis, supra illos Levitici, aut ipsam non posse statuere impedimenta. Ergò si Ecclesia Papæ transmittit quasdam potestates, ipsi superior est, & consequenter Concilium Generale ipsam repræsentans est suprà Papam.

5. Quod dicit adhuc variis in locis in favorem Ecclesiæ universalis, ostendit, Concilium Generale ipsam repræsentans præesse Papæ, Nam, ex una parte dicit, pertinere ad illam judicium ferre de vero Scripturæ sensu; & sic non licere alio modo interpretari illam quàm ipsa interpretatur, & semper interpretata est. SESS. IV. *Decret. de Editione & usu Libror. Sacrorum* supponendo posteà principium, ut immotum, eo utitur frequenter ad refutationem & condemnationem hæreseon; verbi gratia, firmat fundatque hos Canones de Peccato Originali, contra hæreses LUTHERI & CALVINI, in judicio & consensu Ecclesiæ universalis, *ipsius Ecclesiæ judicium & consensum secuta*; Idem facit ergà Canones de Justificatione *Ecclesia Catholica Spiritu Sancto suggerente perpetuo, retinuit.* SESS. VI. *Proemium.* Decreta *de Eucharistia* in eodem etiam principio fundantur; nam dicit in *Præfat.* SESS. suæ XIII. in qua continentur, se in his, quæ definiturum est secuturum doctrinam, quam Ecclesia Catholica docuit per Jesum Christum, & per suos Apostolos, & per Spiritum Sanctum, qui suggerit ipsi omnem veritatem, semper retinuit & conservabit usque ad finem Sæculi. *Itaque Sacrosancta Synodus sanam & sinceram illam de venerabili hoc & divino Eucharistiæ Sacramento doctrinam tradens, quam semper Ecclesia Catholica, ab Christo Domino nostro, & ejus Apostolis, erudita, atque Spiritu Sancto illi omnem veritatem in dies suggerente edocta, retinuit, & usque ad finem Sæculi conservabit.* Idem

Idem Concilium *Can. 3.* SESS. XIV. ex eodem principio eruit sensum quem dat his verbis, *quorum remiseritis* &c. intelligendo ea de potestate remittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ; dicit enim, *sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit . . .* Et in *Can. 6. ejusdem*, simili modo justificat, quod docet de necessitate confitendi peccata sua in secreto, Sacerdoti, constans Catholicæ Ecclesiæ praxis dicens: *Si quis . . dixerit modum secretò confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, & observat. &c.*

Caput 7. ejusdem SESS. suppeditat duas alias probationes ejusdem facti. Nam fundat doctrinam necessitatis Jurisdictionis, ad absolvendum, in eo, quòd Ecclesia illam semper crediderit. Sic persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, &, quod posteà docet non esse reservationem in discrimine mortis, illud consolidat fundatque in praxi Ecclesiæ constanti, ne quis hac occasione pereat, in Ecclesia Dei semper custoditum fuit &c.

In *Cap. 8. ejusdem* SESS. satisfactionis necessitatem probat perpetuo Ecclesiæ Catholicæ, hac de re, consensu; *neque verò ulla securior via in Ecclesia Dei existimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.*

Probatio, quæ colligitur ex *Cap.* SESS. XXI. validissima est. Nam expressè dicit, quòd, dum docet, Laïcos & Clericos qui Corpus Jesu Christi non consecrant, non teneri ad Communionem sub Utraque Specie, sequatur judicium & Ecclesiæ consuetudinem: *ipsius Ecclesiæ judicium & consuetudinem secuta declarat & docet &c.*

Ecclesiæ attribuit plenam & perfectam facultatem in iis omnibus, quæ Sacramenta spectant, exceptâ eorum substantiâ, ità, ut jus habeat, hac de re, omnia Statuta facere, omnesque mutationes, quas judicat necessarias, sive ad servandam reverentiam illis debitam sive ob utilitatem eorum, qui ea percipiunt, juxtà rerum circumstantias, temporum, & locorum; & declarat, se illa potestate semper usum fuisse: *Præterea declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesiâ fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, & statueret vel mutaret, quæ susciptentium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum veneration, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire judicaret.*

At Concilium nihil ullo in loco dicit, ex quo possit inferri, ipsum in Papa eamdem potestatem agnoscere, é contrà in ultimo Decreto SESS. XXII. committit Papam pro concessione usus Calicis, illis qui illud petebant, curam illi relinquendo ponderandi, an esset justa causa talem concedendi dispensationem: *nunc eorum, pro quibus petitur, saluti optimè consultum volens, decrevit integrum negotium ad Sanctissimum Dominum nostrum esse referendum, prout præsenti Decreto refert; qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reipulicæ Christianæ, & salutare petentibus usum Calicis fore judicaret.*

Superessent conferendæ rationes relatæ ab unâ & alterâ parte, ut pateat, quâ Concilium magis inclinaverit; sed inutile esset hoc agere: nam videtur manifestè expressiones suas metiri, ità, ut modò Papæ favendo, modò Concilio Generali, agnosceretur elusisse quæstionis decisionem de quâ agitur.

En ideò satis erit nobis addere aliquas observationes his de rationibus.

1. Clausula *salva &c.* justis limitibus adstricta, probat tantùm Concilium volens Sanctam venerari Sedem, declaravisse expressè, quod est juris, nempè Papæ priori Ecclesiæ Ministro jus esse singulare dispensandi de Decretis, quæ facit in Concilio Generali illam repræsentante. Hæc interpretatio justificata est suprà.

2. Secundam rationem pro Papa, destruit secunda pro Concilio Generali.

3. Res, de quâ mentio fit in quintâ pro Papâ ratione, spectabat magnum Patrum Concilii numerum, scilicet omnes Archiepiscopos, omnes Primates, qui Concilio aderant, & eos, qui adhuc interesse poterant. Sic non erat conveniens, ut Concilium eam judicaret, neque sententia ejus exposceretur, & consensus in executionem Judicii.

4. Concilium potuit expostulare confirmationem suorum Decretorum à Papa, nec tamen eum suprà se agnoscere, quod ostendimus, examinando novitates, quas introduxit, aut tulit propter Concilium Generale.

5. Sicut Papa Dux & Caput est Ecclesiæ Universalis, & hac ratione autoritatem ejusdem exercet, cùm illa non convocatur, de illo dici potest, quòd Universalis Ecclesiæ cura ipsi demandata sit, & possit appellari hujus Ecclesiæ Pontifex, nec tamen poni suprà Concilium Generale. Nam non ideò amittitur ab eo prærogativa sua Corporis Ecclesiæ, cujus Papa tantùm est membrum honorificentissimum.

6. Concilium *Constantiense*, cùm definierit SESS. IV. Concilium Generale Papæ præesse, appellat, paulò post, JOANNEM XXIII. Sanctissimum suum Dominum: *Sanctissimus Dominus noster Papa.*

CAPUT II.

An Constitutionibus Galliæ noceant, qui dicunt, magnam partem Decretorum Concilii Tridentini in eâ acceptam esse usu, quæ nullis tamen auctorata sunt Ordinationibus?

UNa è præcipuis Galliæ Constitutionibus est, quòd Decreta Conciliorum in ea non recipiantur sine Literis Patentibus, sicut nec Paparum Bullæ; & hæc Constitutio non est Galliæ particularis, sequuntur illam, in Hispaniâ, in Germaniâ, & in Belgio. Fundatur in eo, quòd receptione, fiant Leges Regnorum, & contra rectum ordinem est, ut in his aliqua Lex nova fanciatur, sine autoritate eorum, à quibus reguntur.

Quod cùm ità sit, videntur illi Ordinationes Galliæ lædere qui dicunt, benè multa esse Concilii Tridentini Decreta, quæ usu fuerunt recepta, nec tamen auctorata Constitutionibus; quia hâc viâ aperitur porta introductioni novarum Legum in Regno, sine Principis autoritate, & quo majores Gallia rationes habuit, ut non promulgarentur Decreta Concilii Tridentini, propter ea, quæ in eo acta fuêre contra sua commoda, eò damnabilior videtur propositio, de qua agitur.

Sed longè aliter sentiunt, qui attendunt ad tria principia.

1. Decreta Conciliorum Generalium possunt auctorari silentio Principis, qui informatus ea observari in suo Regno, finit ea observari nec obsistit.

2. Non est possibile talia Decreta observari per totum Regnum insciis Principe, aut Ministris, qui autoritatem ipsius exercent: præcipuè per spatium temporum necessariorum, ut statuatur usus universalis.

3. Usus legitimus habet à Principe omnem suam autoritatem: hujus legis non scriptæ vis emanat ex eodem fonte à quo procedit illa, quæ legis est scriptæ. Utraque differt tantùm per merum accidens, aut in rebus non essentialibus; cùm omne discrimen situm sit, in eo, quòd lex non scripta statuitur tacito Principis consensu, lex verò scripta, jussu ipsius expressè scripto sancitur.

Reverâ sequitur ex his tribus principiis, multa Concilii Tridentini Decreta potuisse in Galliam admitti usu Regi noto, sicut multa alia per Ordinationes accepta fuerunt, quibus in Leges Regni conversa fuerunt. Non minùs accedit ejus autoritas in primo recipiendi modo, quàm in secundo. In utroque nihil

est,

est, quod ostendat, Regem approbare Concilii Tridentini Decreta, quasi ad hoc Concilium pertinentia; in eo solùm videtur permittere observationem, quia Judices conveniunt moribus Nationis. At verò oppositio Regis promulgationi Decretorum Concilii Tridentini in Galliam, per respectum ad ea quæ adversantur nostris libertatibus, nihil aliud intendit, nisi, ut significaret, se non approbare Concilium, quod ea fecerat.

Ex eo adhuc sequitur, magnam horum Decretorum partem acceptam esse in Gallia primo modo, scilicet usu, nec tamen authoritate Ordinationum; nam ibi observantur 1. Decreta, quæ restringunt potestates Episcoporum Titularium, 2. Ea quæ potestates Capitulorum limitant *Sede vacante*, quoad concessionem Dimissoriorum, aut modum gubernandi Diœcesim, inducunt illa ut id agant per magnos Vicarios, & Officiales electos in octo primis diebus vacantiæ. 3. Ea, quæ spectant aut reductionem Missarum, aut absolutionem Casuum reservatorum Sanctæ Sedi, permissam Episcopis, quandò sunt occulti, aut dispensationem irregularitatis criminis occulti in eadem circumstantiâ.

4. Decreta concernentia fœdus spirituale vel honestatem publicam, aut affinitatem prohibitâ viâ, aut receptionem ipsorum Ordinum per Regulares, aut Dimissoria, aut Privilegia Commensalitatis Triennalis, aut conversionem Curarum in Beneficium simplex, erectione Vicariarum perpetuarum quibus animarum Cura omninò demandatur, aut Constitutionem distributionum quotidianarum, in locis in quibus non sunt, & earum augmentum ubi sunt nimis modicæ, & destinationem tertiæ partis fructuum Præbendæ hanc ob causam.

5. Pleraque Decreta Sess. XXV. *de Regularibus*, observantur nec tamen authorantur Ordinationibus. Talia sunt *Caput* 3. quod permittit Religiosis Mendicantibus fundos in communi possidere, quamvis ipsorum Regula, aut Constitutiones ipsis prohibeant.

Cap. 4. quod vetat, ne Religiosi addicantur cujuscunque servitio, extrà Monasterium, sine Superiorum suorum veniâ; & vult, ut Religiosi propter studia absentes maneant in Conventibus Ordinis.

Caput 6. concernens Electionem Superiorum Regularium per calculos secretos & qualitatem personarum, quæ debent in iis habere vocem.

Caput 7. in eo, quod spectat authoritatem Episcopi in Electione Superiorum Monialium, & modum illam exercendi.

Caput 9. quo subduntur jurisdictioni Episcopi Religiosæ immediatè subjectæ Sanctæ Sedi.

Caput 10. quo tenentur peccata deponere & ad Sacram Synaxim accedere semel in mense, & vult; ut Episcopus cum aliis Superioribus det illis Confessarios extraordinarios bis aut ter in anno, & non possint servare Sanctam Eucharistiam in interiori Monasterii parte.

Caput 11. quo subjiciuntur Religiosi, Parochi, Jurisdictioni Ordinarii extra tres casus cum Vicariis suis.

Caput 12. quo astringuntur Religiosi ad observandas Episcoporum Ordinationes circà Censuras & Festa.

Caput 13. subdit judicio provisorio Episcopi contentiones de præeminentiâ in funeribus, Processionibus, & aliis Conventibus Ecclesiasticis.

Caput 18. quo excommunicantur solo facto, qui cogunt virgines aut mulieres Religiosam vitam inire, exceptis illis, quæ intemperantiâ suâ meritæ sunt intrudi in Conventibus.

Cap. 19. dat quinque annos ad reclamandum in casibus, in quibus Professio nulla est defectu libertatis aut ætatis aut novitiatûs, & præscribit quid hâc de re sit agendum.

CAPUT III.

An dignitas Capitis Ecclesiæ Universalis det Papæ aliquam Jurisdictionem in omnem Ecclesiam?

SUpponitur hîc Papam esse Caput Ecclesiæ Universalis, tùm quia Concilium *Florentinum* sic definiit Conc. *Tom. XIII. p.* 515. & ejus Definitio videtur accepta fuisse universaliter, cùm propter quòd Concilium *Calcedonense* illam agnoverit, in sua ad Papam S. Leonem relatione, sive exponendo ipsi, illum præsidere Concilio in suis Legatis, sicut Caput præest Membris, sive appellando illum *Caput*, in oratione, quam ad ipsum habet, se probaturum ipsius Decreta sicut Concilium Literas ejus probat; *rogamus igitur, & tuis Decretis nostrum honora judicium, & sicut nos Capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic summitas tua Filiis, quod docet, adimpleat.*

Hoc facto supposito tanquam certo, quæstio est, an hæc dignitas *Capitis Ecclesiæ Universalis* attribuat illi aliquam jurisdictionem in omnem Ecclesiam? Fundatur in in eo, quòd dignitas Capitis, trahat secum jurisdictionem, & videtur hæc jurisdictio extendi debere in eos omnes, qui sunt Capiti subjecti, sicut inferiora membra; membris superioribus.

Ad quæstionis hujus decisionem, observandum est, magnum esse discrimen inter membra separatim accepta, & membra conjunctim considerata. Nam, si accipiantur priori modo, certum est sæpiùs Caput jurisdictionem habere in omnia membra, & consequenter aliquo modo in omne corpus; quia corpus tantùm constat membris; si verò respiciantur membra posteriori modo, seu prout simul juncta, Caput non semper habet jurisdictionem in omne Corpus; quia sunt Corpora Capiti suo superiora: hæc sunt, imprimis, pleraque Capitula, Societates Judicum, Universitates & Facultates, quæ eas componunt.

Hoc observato, quæstio proposita facilè deciditur. Nam, vel per totam Ecclesiam intelliguntur omnes ejus partes separatim sumptæ; & tunc certum est dignitatem Capitis dare Papæ jurisdictionem in omnem Ecclesiam; quia nulla est Ecclesiæ pars, quæ non sit ei subdita: vel per totam Ecclesiam intelliguntur omnes Ecclesiæ partes conjunctim consideratæ; & tunc certum est, juxtà Doctrinam Conciliorum *Constantiensis* & *Basileensis* conformem Scripturæ & Traditioni, quòd dignitas Capitis, non tribuit Papæ jurisdictionem in omnem Ecclesiam, quia Ecclesia hac ratione considerata, superior est Papæ.

Nihil prodesset, dicere Papam, ut Caput, jus habere convocandi Concilium Generale; universalem Ecclesiam repræsentans, & convocationem esse actum jurisdictionis; quia nihil aliud est, quàm jussum conveniendi. Frustrà loqueretur ità ad probandam jurisdictionem Papæ in Ecclesiam Universalem, ratione dignitatis Capitis; nam imperium, quo convocatur Concilium Generale, non cadit in Concilium, cùm nondum existat, sed in membra, quæ component illud, cum erit reipsâ congregatum.

CAPUT IV.

An, cùm PIUS *IV. vetuit, ne interpretaretur Concilium Tridentinum sine licentiâ Sanctæ Sedis, locutus fuerit solùm de interpretatione Hominis, & non interpretatione Juris.*

PEr *Interpretationem Hominis* intelligitur ea, quæ excipitur è cerebro hominis, nec ullum in Jure fundamentum habet; undè vocatur *Capitosa*: per *Interpretationem Juris* significatur ea, quæ capitur à fundo Juris, & in eo solidissimè fundatur.

His terminis ità enucleatis referenda sunt ipsissima

Papæ

Papæ verba, nulla est magis germana via, ut ejus voluntas animo percipiatur. *Ad vitandum præterea perversionem & confusionem, quæ oriri posset si unicuique liceret, prout liberet, in Decreta Concilii Commentarios & Interpretationes suas edere; Apostolicâ authoritate inhibemus omnibus, tàm Ecclesiasticis personis, cujuscumque sint ordinis, conditionis, & gradûs, quàm Laicis, quocumque honore ac potestate præditis, Prælatis quidem sub intedicti ingressûs Ecclesiæ, aliis verò sub excommunicationis latæ sententiæ pœnis, ne quis sine authoritate nostrâ, audeat ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumve omninò interpretationis genus, super Concilii Decretis, quocumque modo edere.*

Ex his verbis, hæc tantùm, *prout liberet*, possunt favere distinctioni de quâ agitur; omne quod superest illis adversatur, ut ostendetur modò quoad hæc verba. Reverâ videtur ex illis cognosci, finem prohibitionis Papæ esse, ut occurreret malis, quæ poterat creare licentia effrænata explicandi Decreta juxtà suam pertinaciam & arbitrium; sed multùm abest, ut ille sit sensus genuinus istorum verborum, quin potiùs cadunt in libertatem edendi opera ad interpretationem Concilii, similia illis quæ jam acta fuerant in Concilia præcedentia Lateranensia, Lugdunensia, Viennensia, quæ bene multi Doctores glossaverant aut interpretati fuerant, & notis explicaverant; undè orta fuerat incertitudo magna, de sensu aliquorum, eorumdem Decretorum, diversitate interpretationum. Sermonis contextus, &, quod præcedit, hanc explicationem probat, cùm, post illa verba, Papa expresè prohibeat, ne fiant interpretationes, commentaria, notæ, scholia, & aliud interpretationis genus, aliundè, qui similia opera elucubraverant in Concilia præcedentia non ea ad libitum interpretati fuerant, sed juxtà omnem suam de jure notitiam. Hoc videtur per frequentes citationes factas in interpretationibus & commentatoribus. Motivum prohibitionis expositum ante hæc verba, *prout liberet* certos adhuc nos facit, non inserta illa fuisse, ut damnaretur interpretatio arbitraria: nam nihil aliud est nisi, ut impediatur confusio & obscuritas veri sensûs, quæ nascuntur ex varietate interpretationum. Infertur ex his verbis, *perversionem & confusionem quæ oriri posset.* Interpretatio arbitraria non potest hæc mala creare, quia vulgò rejicitur; illæ vero, quæ in jure fundantur, habent sæpè Sectatores majores aut minores, secundùm famam Interintepretum, & eorum doctrinam, qui eas evolvunt, & ideò possunt habere molestos exitus de quibus locutum fuit.

Adde quòd Leges non fiant propter casus raros & extraordinarios, sed propter casus communes & usitatos; at verò, rarò suscipiuntur opera de Conciliis, ut ista interpretentur ad voluntatem. Reverentia, quæ solet haberi pro eo, quod emanat ex ipsorum authoritate, præcipuè cùm sunt Generalia, tali susceptioni opponitur. Sana mens & amor famæ idem agunt.

Sed, cùm id aliquando eveniret, non certè id personis authoritate & dignitate præstantibus accideret. *quocumque honore ac potestate præditis.* Cùm ab iis non averterentur per Prælaturam, ipsa sola educatio averteret; è contra, inter personas hujusce dignitatis, sæpènumero quosdam reperias, qui opera de Conciliis elucubrent, pro istorum Decretorum explicatione, juxtà principia, Regulas & Constitutiones juris. Plura dicam, occurrunt-ne personæ privatæ, quæ tempus suum collocent in ejusmodi labore, sive propensione seu inclinatione in studium Juris, sive amore boni publici, sive propriis commodis?

His addendum, credibile-ne est Papam voluisse punire in Laicis & aliis non Prælatis, excommunicatione majore solo facto, aut interdictione & suspensione in Prælatis culpam, in qua esset major stultitia, quàm malignitas, ut interpretatio arbitraria Decretorum Concilii Generalis? esset-ne aliqua pœnam inter & culpam proportio?

Non potest objici quid simile, contra interpretationem Juris factam sine licentiâ Sanctæ Sedis. Potuit vereri Papa, ne tam molestos haberet eventus, ut tantæ impendendæ seu adhibendæ essent Censuræ, ad illos pervertendos præveniendosque.

CAPUT V.

Difficultates propositæ in hæc verba Articuli 4. Ordinationis Blesensis, id omne sub pœnis per Concilia latis, &c.

1. De quibusnam Conciliis agatur?
2. De quibus pœnis?
3. Qui fructus indè percipi possit quoad praxim?

ARticulus 4. *Ordinationis Blesensis an.* 1579. multa statuit de Matrimonio, & 1. Non celebrandum fore, nisi post tres promulgationes, 2. Neminem dispendandum fore de primâ; &, quantùm ad alias duas, nullum ab iis futurum immunem, nisi postquam prima peracta fuerit, & quando erit aliqua causa urgens aut legitima, quæ hoc postulabit, & præcipui & propinquiores parentes id requirent. 3. Hic articulus statuit adhuc post Banna debitè denuntiata partes publicè connubio jungendas esse, 4. Et quatuor fore testes, qui possint testificari de forma, quæ servata fuerit, & Acta facienda esse. 5. Aliter matrimonium non fore validum. His ita ordinatis, addit Clausulam, hîc examinandam: *omnia sub pœnis à Conciliis latis.* Expedit scire, an articulus loquatur de Conciliis Provincialibus æque ac de Conciliis Generalibus, & an extendatur ad omnes pœnas præscriptas à Conciliis, quibus hæc Clausula convenire potest?

DIFFICULTAS I.

INter Concilia, quæ pœnas ferunt in eos, qui agunt, quod prohibetur articulo citato, sunt Particularia & Generalia; itaque cùm omnia intelligantur nomine *Conciliorum*, credi potest Articulum intelligi de Conciliis Particularibus, ut de Generalibus. Alia est ratio, nempè, cùm aliquid prohibetur sub pœnis juris à Legislatore, qui patitur diversas species juris in suo districtû, inhibitionem accipi de jure scripto, & non scripto, particulari & communi, de particulari tanquam de jure communi, de jure non scripto, tanquàm de jure scripto.

Concilia Generalia, quæ possunt citari Ordinatione Blesensi non sunt alia à Concilio *Lateranensi* sub INNOCENTIO III. & Concilio Tridentino. Sola illa loquuntur de promulgationibus, aut aliis rebus expressis in hac Ordinatione, & pœnas ferunt in eos, qui eas negligunt. Clausula, cujus est quæstio, convenit tamen potiùs Concilio Tridentino, quàm Lateranensi; nam loquitur de multis rebus ordinatis articulo citato, de quibus Concilium Lateranense nihil dicit. Hæc sunt Dispensatio Bannorum, Testes, Regesta. Ad hæc adde, quòd Ordinatio Blesensis videtur facta esse partim, ut convertantur Decreta Concilii Tridentini in Leges civiles.

Facilè reperirentur multa Concilia Particularia alibi quàm in Gallia habita, quæ sub pœnis, eadem prohibuerint quæ Ordinatio Blesensis; sed non operæ pretium esset eorum ibi mentionem facere: nam nullo modo apparet, Ordinationem voluisse loqui de Conciliis Particularibus extrà Regnum celebratis. Reverâ, quis unquam dixit, Legislatorem vetantem aliquid

sub pœnis juris, de alio jure loqui, quàm de sui districtus jure? Quod si dicatur, jus statutum à Concilio Tridentino, non esse jus Regni Galliæ, & nihilominùs nos insinuavisse, Concilium comprehendi in Clausula, quæ est in quæstione.

Respondetur 1. Magnum esse discrimen inter Concilia Particularia extrà Regnum congregata, & Concilia Generalia habita etiam in Regionibus externis; & consistit in eo, quòd Concilium non possit esse Generale, nisi Gallia particeps hujus fuerit; & sic jus constitutum à tali Concilio Generali, non esse jus alienigenum erga Galliam; jus autem statutum à Conciliis Particularibus aliarum Regionum, est tàm externum in Gallia, quàm illi, à quibus constituitur.

2. Si jus à Concilio Tridentino ordinatum, non accipiatur inter nos, non ideò fit, quòd respiciatur ut jus alienum, sed quia Jura Gallicana læsit Concilium, & magna ejus Decretorum pars nobis minimè convenit. Quòd si præterea insinuavimus, Clausulam, quæ est in quæstione, posse concipi de Concilio Tridentino, ideo est, quia Articulus citatus eandem fermè rem statuat, quam Concilium ordinat.

Quapropter, immorabimur solis Conciliis Particularibus Ecclesiæ Gallicanæ, & brevi, quæ habemus dicenda, expedientur: Nam unum tantùm invenimus, scilicet *Salmurienſe*, habitum an. 1253. sub INNOCENTIO IV. Quod dicit hâc de re, est in *Cap.* 27. Pœna, quæ in eo ordinatur, pecuniaria est: relinquit Ordinario facultatem præfigendi summam. Qualitate pœnæ adducimur ad credendum, Concilium non esse ex iis, de quibus loquitur Articulus in quæstione: nam istud pœnæ genus tunc pertinebat ad solum Magistratum.

Cùm Concilia Particularia certò caperentur in Clausula, de quâ agitur, quod ordinant de pœna, non haberet locum, nisi ubi authoritatem haberent, id est in ea solâ Provincia, in qua congregata sunt; nam non est probabile Ordinationem aliud voluisse, nisi, ut exigerentur pœnæ à Conciliis latæ, de quibus loquitur, & consequenter non protulisset authoritatem Conciliorum Particularium. Eandem ob causam affirmare non audemus Concilium Tridentinum contineri in Clausulâ, de qua agitur: nam videtur ad id oportere, ut Ordinatio voluisset ejus Decretis authoritatem præbere & hâc ætate non benè ad id agendum propensi erant animi. Non etiam audemus excludere Concilium Tridentinum à Clausulâ, de qua agitur; quia Constitutio potuit nolle aliud spectare, nisi quòd pœna justa à Concilio præscriberetur.

Ex his omnibus, quæ exposuimus, sequitur, Concilium Lateranense solum videri certò comprehendi in Clausula, quæ est in quæstione.

DIFFICULTAS II.

HÆc difficultas omninò pendet à primâ. Nam si Ordinatio loquatur de aliquibus Conciliis determinatis, oportet, ut mentionem etiam faciat de quibusdam pœnis determinatis. Sic, quandoquidem non est certum Ordinationem loqui de aliis Conciliis, quàm de Lateranensi, non certum est quoque illam de aliis pœnis loqui, quàm de illis, quæ feruntur ab hoc Concilio. Has inter pœnas, una determinata est; nempè, quòd Infantes nati è Matrimonio sine promulgationibus contracto, illegitimi sint, posito, quòd sit aliquod inter partes impedimentum quod ignoraverint. Hæc pœna exprimitur in Ordinatione verbis adhuc fortioribus: nam vult nullum Matrimonium esse, quamvis nullum inter partes sit impedimentum. Reverà defectui publicationum jungit defectum aliarum formalitatum. Sed nihilominùs hæc pœna ex illis est, de quibus locutum est in Clausulâ, quæ est in quæstione. Altera pœna generalior est; nam respicit Matrimonium licitum, sicut Matrimonium prohibitum, sed non determinatur, & Episcopi est illam determinare: jubetur solùm, ut proportionetur qualitati culpæ. *Sed his qui talitèr præsumpserint etiam in gradu concesso copulari, condigna pœnitentia injungatur. C. 3. de Clandest. desponſ.* Pœna lata à Concilio Tridentino est etiam indeterminata, est ad voluntatem Episcopi, ea tamen lege, ut magna futura sit. Statuit illam tantùm contra eos qui Matrimonio junguntur sine sufficienti testium numero. *Qui cum minore testium numero . . . hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit C. 1. de Refor. Matr.* Pœna nullitatis, quæ etiam fertur à Concilio Tridentino, solùm fertur pro casu defectûs præsentiæ Parochi, & duorum testium; est in Ordinatione, pro defectu testium sufficientium.

Sic supposito etiam, quòd Concilium Tridentinum sit ex illis de quibus Ordinatio loquitur, pœnæ, quas præcipit, in Clausulâ, quam retulimus, sunt indeterminatæ, & relictæ optioni propter genus, & non pro magnitudine, quæ debet culpæ adæquari.

Objici posset, nos frustrà laboravisse, quia Constitutio ne de ullo quidem Concilio determinato loquitur, sed de Conciliis in genere, & sensum esse, quòd, qui facient, quod illa prohibet, pœnis Canonicis sint subjecti: & hæc objectio aliquam vim haberet; nam si non esset Concilium, quod loqueretur expressè de his, quæ continentur in Ordinatione, & de punitione eorum, qui contra ibunt; sed cùm Concilium Lateranense, & Tridentinum, prohibeant, quod vetatur Constitutione, & illud vetent sub pœnis, locus est asserendi quæ diximus.

Addi posset, quòd, sicut Concilia citata nullam determinant pœnam, res sunt quasi si nullam præciperent. Sed hæc objectio non magis valet; quàm præcedens; nam, si pœna non determinata, esset tanquam, non præcepta, frustrà tot Leges sive Civiles, sive Ecclesiasticæ satis habuissent, præcipere pœnas, nec eas determinare. Oportet igitur, ut ii, qui has Leges condiderunt, non crediderint, inutile esse pœnas statuere, & determinationem relinquere Ordinario. Et meritò illud crediderunt: nam his Legibus pii Judices inducuntur, ut puniant quasdam culpas, quas non punirent, nisi ad id per Leges tenerentur. Inserviunt etiam, ut reus fiat docilior, cùm ipsi notum faciant, judicem non animadvertere in illum, cupiditate, sed munere.

Quas modo perpendimus difficultates, illæ videntur solùm esse speculationis, non sunt tamen inutiles pro praxi. Nam si ii, qui copulantur nec servant quod præscribitur Articulo, de quo mentionem fecimus, debeant subire pœnas à Conciliis latas, sequitur ex eo, quòd in hoc casu, Laici possint ab Episcopis plecti: nam, præterquàm quòd executio pœnarum à Canonibus præceptarum ad illos pertinet, Concilia Ordinatione citata illorum prudentiæ relinquunt determinationem illarum, quas statuunt.

SECTIO XV.

OBSERVATIONES circà modum à Concilio Tridentino ſervatum in tractandis iis, quæ ad DOCTRINAM *ſpectant.*

SUnt quædam, quæ solùm per *Decreta* exposuit. Hujus generis sunt 1. Quæ scienda sunt circà Verbum Dei scriptum & non scriptum, sive Scripturas Sacras & Traditiones Divinas SESS. IV. 2. Quæ scire tenemur circà Purgatorium, Invocationem, Venerationem & Reliquias Sanctorum, Sacrasque Imagines, nec non & Miracula SESS. XXV. 3. Circà Indulgentias & delectum ciborum: *continuat. illius Sessionis.* Alia exposuit per *Decreta* & per *Canones*, qui ab illis in hoc distinguuntur, quòd semper anathemate feriant, qui contrarium dixerint, idque, ut erroneum hæreticum-

hæreticumque condemnant. Decreta Doctrinam enucleando probant, & probando enucleant. Ejusmodi sunt, quæ pertinent ad Peccatum Originale SESS. V. vel ad Justificationem SESS. VI. Vel ad Eucharistiam SESS. XIII. vel ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel Extremæ Unctionis SESS. XIV. Vel ad Communionem sub utraque Specie & Parvulorum SESS. XXI. vel ad Missæ Sacrificium SESS. XXII. vel ad Sacramentum Ordinis SESS. XXIII. vel ad Sacramentum Matrimonii, SESS. XXIV.

Nonnulla exposuit simpliciter per *Canones*. Huc spectant quæ de Sacramentis in genere, quæque de Baptismo & de Confirmatione SESS. VII.

Etsi Concilium sejungere soleat illa, quæ sunt Doctrinæ, ab iis, quæ sunt Disciplinæ, itaque statuere sub Titulo *de Reform.* attamen duo inseruit in *Cap.* 1. *de Ref. Matr.* SESS. XXIV. quæ ad Doctrinam pertinent; nempè, 1. Matrimonia Clandestina fuisse rata, quamdiù Ecclesia illa rata esse voluit, ac irrita esse facta, quandò illa decernere irrita necessarium judicavit. 2. Matrimonia à Filiis-familias sine consensu Parentum contracta, non esse irrita, nec pendere à voluntate Parentum, ea rata vel irrita facere, atque eos, qui circà alterutrum contrarium dixerint Anathemate damnat. Posterior Definitio exposita est in *Disquisitione Historica, de Doctrina Canonum circà consensum Parentum in Filiorum Matrimonia.*

Hoc autem ità factum, quia in duobus istis est aliquid Doctrinæ & aliquid Disciplinæ. Doctrinæ, in eo situm, quòd Fides doceat Ecclesiam apponere posse impedimenta irritantia Matrimonium, atque inter illa clandestinitatem recenseri: Disciplinæ verò, cùm pro diversitate temporum & locorum causæ gravissimæ postulare possint, ut Matrimonia clandestina irrita vel rata decernantur. Quod de hujusmodi impedimento dictum est, locum habet in impedimento provenienti ex defectu consensûs Parentum cùm ad Doctrinam pertineat, quòd nec Jure Naturali, nec Jure Divino hic defectus irritet Matrimonium, sed tantùm Jure Humano, sive Canonico, sive Civili, quòdque variæ circumstantiæ temporum, vel locorum exigere valeant, ut hunc effectum operetur, vel non operetur; ad Disciplinam verò spectat, ut, pro varietate hujusmodi circumstantiarum, decernatur Matrimonium ratum, aut irritum, si à Filiis-familias contrahatur absque consensu Parentum.

Cæterùm, quoad illa, quæ exponuntur partim per *Decreta*, partim per *Canones*, quidquid in istis continetur ad Fidem pertinere certum est; quia Concilium in *Canonibus* collegit quæcumque voluit definire, ac pro inconcussis haberi. Idem de aliis, quæ in Canonibus omittuntur, non asserendum, consentiunt Viri doctissimi: hinc, quæ in Canonibus clarè exprimuntur sine hæresi impugnari nequeunt; conditi enim sunt ad damnandas hæreses. Verùm hujusmodi discrimen inter utramque Doctrinam, nisi ad quædam obiter dicta & ad historiam spectantia restringatur, admittendum non videtur, utpote contrarium variis ejusdem Concilii locis, quæ eamdem certitudinem tribuunt his, quæ Canonibus præmittuntur, ac illis, quæ in Canonibus continentur. Locorum ejus generis

Primus est *in fine cap.* 16. *de Justificatione* his verbis conceptus, *post hanc Catholicam de Justificatione Doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, justificari non poterit, placuit Sanctæ Synodo hos Canones subjungere, ut omnes sciant, non solùm, quod tenere & sequi, sed etiam quod vitare & fugere debeant.*

Secundus habetur in postremâ parte *cap.* 8. *de Eucharistiâ*, SESS. XIII. *quoniam autem non est satis veritatem dicere, nisi & detegantur & refellantur errores, placuit Sanctæ Synodo, hos Canones subjungere, ut omnes jam agnita Doctrina Catholica intelligant, quæ ab illis caveri, vitarique debeant.*

Tertius locus legitur immediatè ante Canones de Pœnitentiâ SESS. XIV. sic se habet: *hæc sunt quæ de Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis Sacramentis hæc Sancta Synodus profitetur & docet, atque omnibus Christi Fidelibus credenda & tenenda proponit; sequentes autem Canones inviolabiliter servandos tradit & asserentes contrarium perpetuò damnat & anathematisat.* His tribus locis patet, *Decreta* circà Doctrinam non differre à subjunctis *Canonibus* circà eamdem, nisi in eo, quòd illa tradant, quæ tenenda, recipienda, sequenda & credenda: hi verò detegunt, refellunt, damnant, anathematisant errores contrarios.

De eodem constat ex Præfatione Canonum *de Sacrificio Missæ*, SESS. XXII. indeque desumere licet *quartum* locum: *Quia verò adversùs veterem hanc in Sacrosancto Evangelio, Apostolorum Traditionibus Sanctorumque Patrum Doctrina fundatam fidem, hoc tempore multi disseminati sunt errores, multaque à multis docentur atque disputantur, Sacrosancta Synodus, post multos, gravesque his de rebus maturè habitos tractatus, maximo Patrum consensu, quæ huic potissimæ fidei, sanæque Doctrinæ adversantur, damnare & à Sanctâ Ecclesiâ eliminare, per subjectos hos Canones*, constituit.

Hinc confirmantur quæ dicta sunt, quòd Decreta circà *Doctrinam* paris sint certitudinis, ac *Canones*, cùm Fidem Ecclesiæ contineant, circà rem, de quâ ibidem agitur, veluti & ipsi *Canones*. Prætereà, ostendit quantâ curâ Canones conderentur, quantisque firmis fundamentis tam Decreta, quàm Canones innitantur; cùm autem Canones eliciantur ex Decretis, veluti Conclusiones ex principiis, consequens est, quòd Decretorum Doctrina certa minùs non esse debeat, quàm Doctrina Canonum.

Quintus locus est *in fine cap.* 4. SESS. XXIII. *de Ordine*; *hæc sunt*, (inquit Concilium) *quæ generatim Sacræ Synodo visum est Christi Fideles de Sacramento Ordinis docere. His autem contraria certis & propriis Canonibus in hunc, qui sequitur, modum damnare constituit, ut omnes adjuvante Christo Fidei Regulâ utentes, in tot errorum tenebris Catholicam Fidem facilius agnoscere & tenere possint.* Hinc enim patet, Canones Decretis de Doctrina subjungi, ut errores ac hæreses à Fide Catholicâ secernantur, nec alia in Canonibus inseri, quàm, quæ stabilitæ antea Fidei adversantur, quæque idcircò damnanda & anathematisanda.

Ultimus locus extat circà finem *Proemii* SESS. XXIV. Doctrinæ *de Sacramento Matrimonii.* Hic autem ab aliis paulò diversus est, quia in hoc *Proemio* tota hæc Doctrina non exponitur, sed præcipua tantùm illius pars; nempe, quòd Matrimonium factum sit Sacramentum in Novâ Lege addita per Christum gratia, quæ duo perficeret jure naturali instituta, nempè indissolubilitatem, & unitatem: plures verò ex erroribus damnatis in Canonibus subjunctis, non repugnent Doctrinæ priùs expositæ; nempe, qui damnantur. 1. *in Can.* 3. quòd soli Gradus Consanguinitatis & Affinitatis prohibiti in LEVITICO possint dirimere & ab Ecclesiâ adjici alii nequeant, qui illud dirimant. 2. Quòd Ecclesia non potuerit constituere alia Impedimenta dirimentia, aut erravit in his constituendis *Can.* 4. 3. Quòd solemnis professio Religiosa non dirimat Matrimonium ratum, *Can.* 6. Quòd Ordo Sacer, & Votum solemne non dirimant Matrimonium subsequens *Can.* 9. 5. Quòd Virginitas non sit præferenda statui conjugali. 6. Quòd prohibitio celebrationis Matrimonii certis temporibus sit tirannica superstitio. Hi enim errores non clarè inferuntur ex prædictâ Doctrinâ, cùm ex illa tantùm colligatur, Ecclesiam habere potestatem circà Matrimonium Novæ Legis, utpote Sacramentum illius Legis non autem, quæ quantaque sit hæc potestas.

Hic autem locus sic se habet: *Quorum temeritati Sancta & Universalis Synodus cupiens occurrere, insigniores prædictorum Schismaticorum hæreses & errores, ne plures ad se trahat pernicioſa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos Hæreticos, eorumque errores decernens anathematismos.*

Verùm hæc differentia inter hunc locum & anteriores non impedit, quominus probet doctrinam extra Canones contentam, non minus certam esse, quàm quæ in Canonibus ex illâ clarè deducta, cùm ista aliud non sit, quàm consequutio illius.

TITULUS XXI.

AXIOMATA GENERALIA *circà Concilium Tridentinum è* FAGNANO *excerpta, cum necessariis, sive ad illorum confirmationem, sive ad confutationem Observationibus.*

I.

QUod fit contra decreta hujus Concilii nullum non est, nisi cùm nullitatis pœna Decreto adjecta est. Juxta hanc regulam exponendum est Decretum irritans confirmationi junctum (quippe Diploma confirmatorium annullat actus his Decretis contrarios) ità, ut non cadat nisi in actus nominatim à Concilio irritatos, *cap.* 8. *de Constit. n.* 27. *usque ad finem*, ubi variis exemplis demonstrat curam, quâ Concilium Decretis quibusdam nullitatis pœnam appposuit, secus verò in cæteris; undè meritò concludit, Concilium sic declaravisse, se eos duntaxat annullare velle, quos nominatim sub pœna nullitatis complexum est: Quoad Bullam confirmationis; jure observat, eam Decretorum naturam non mutare, sed qualia ea reperit, talia conservare, generali nullitatis pœnâ adjectâ duntaxat in actus, quibus Decretorum executio impediri posset.

II.

Pontifex Decretis Concilii non subjicitur, tùm etiam cùm id prohibet Concilium, quod facere solebat Pontifex, vel aliquid præcipit circà id, quod non fit nisi per autoritatem Sedis ejus, ratione reservationis, quæ ipsi facta est, velut Accessum aut Regressum ad Beneficia, dispensationes circà Matrimonium, dispensationes ab irregularitate, Exemptiones, Mandata Apostolica, Coadjutorias cum futura successione &c. quippe Synodus his in Decretis, suggerit tantùm Pontifici, æquum aut conguum esse, ut faciat, aut secus. Ad hoc probandum laudat Autor *in cap.* 49. *de Elect. n.* 27. quædam capita in quibus Concilium circà eos Casus utitur his verbis, *Confidit Sancta Synodus. Cap.* 21. SESS. XXV. *de Regular.* vel his, *optat Sancta Synodus cap.* 17. SESS. XXIV. aliave similia, nec attendit, quòd, si duo vel tria sint loca, in quibus his temperamentis utitur Synodus, sunt triginta in quibus præceptum vel prohibitio expressa sunt. Talia sunt, præ cæteris, ea in quibus omni privilegio disertè derogat; ea enim tàm de futuris, quàm de præsentibus intelliguntur; ea in quibus dispensationes absque Causâ legitimâ interdicit; ea in quibus præcipit, eas gratis concedi; ea in quibus Ordinariorum autoritatem restituit, sivè adversùs Reservationes, sivè adversùs Exemptiones; ea in quibus Commendas prohibet; ea in quibus prohibet dispensationem ab homicidio voluntario & præmeditato; ea in quibus Indulgentiarum & Censurarum pravos usus damnat: videantur *cap.* 2. *&* 11. SESS. VII. *cap.* 7. 8. 10. SESS. XIV. *cap.* 5. SESS. XXII. *cap.* 12. 15. SESS. XXIII. *cap.* 5. SESS. XXIV. *de reform. matr. cap.* 6. 9. 10. SESS. XXIV. *de ref. c.* 8. 9. 11. SESS. XXV. *de Regular. cap.* 3. 7. 18. SESS. XXV. *de reform.*

Idem Autor haud etiam intellexit id, quod nihilominùs videtur manifestum *cap.* 21. SESS. XXV. *de Regular.* ubi Concilium verbum *confidit*, adhibet, jubere, ut ii, qui à Pontifice impetrarant in Commendam Abbatias, Capita Ordinum, vel eorum filias, habitum Religionis intra sex menses assumerent vel renuntiarent, secùs eorum Beneficium vacaret; quod perspicuam continet prohibitionem ea deinceps in Commendam concedendi.

Percipere etiam potuisset, quòd Synodus non valens ob temporum perversitatem aut corruptelam, sub regulâ restituere omnia Beneficia Regularia in Commendam data, coacta fuit curam hanc Pontifici credere, & ab ejus prudentiâ ac pietate medicinam hujus mali jàm inveterati expectare, ipsique suggerere ut in Beneficiis Conventualibus sub Commenda actu positis, constituendos provideret Superiores Religiosos Professos, qui suo cæteros exemplo informare possint, & vacatura conferret tantum Regularibus virtute & sanctimonia probatâ commendatis.

Jam verò animadvertere potuisses in *Cap.* 17. SESS. XXIV. *de reform.* ubi Concilium verbo, *optat*, utitur Pontificem alloquendo, Concilium ibi pluralitatem Beneficiorum sivè in Titulum, sivè in Commendam, etiam Cardinalibus expressè prohibere, cùm unum ad honestam sustentationem sufficit; Clericisque in eo casu constitutis præcipere, ut unum eligerent, cæterisque sex intra menses renuntiarent; irritare Uniones ad vitam, quibus eludebatur intentio Canonum, qui plura Beneficia possidere prohibent; hisque dispositionibus auferre Pontifici potestatem eidem personæ plures Episcopatus, aut plures Parœcias, vel Episcopatum cum Parœciâ concedendi, & facultatem faciendi Uniones ad vitam, quibus tùm juribus ex ætate fruebatur.

Votum sive optatum Synodi circà eos versatur, qui è pluribus Beneficiis incompatibilibus, quorum neutrum ad eorum sustentationem sufficit, cæteris resignatis, unum servaverint, ut eorum egestati viâ, quam aptiorem duxerit, provideat consulat-ve Pontifex.

III.

Concilium Tridentinum Conciliis anterioribus etiam Generalibus contrarias Constitutiones condens, iis derogare non solet clausulâ speciali; idem est mos ejus circà privilegia in Corpore Juris contenta, quæ idcircò Juris communis sunt pars, contra quæ statuit sine derogatione expressâ. v. Commentarium FAGNANI in *cap. nonnulli* 28. *de Rescriptis n.* 42. *& seq.* ubi multa exempla utriusque facti colligit, ut respondeat ad hunc Textum, & ad *cap.* 3. *de Capell. Monach.* quæ docent Rescripta Pontificum, sive gratiæ, sive justitiæ, quæ Conciliorum Generalium dispositioni adversantur, pro nullis habenda esse, nisi illis nominatim derogaverint. Autoris ad hanc speciosam contrarietatem responsio est vel esse debet, quòd Religio Pontificum decipi possit, eos ad facienda Rescripta inducendo, quæ Conciliorum Generalium dispositioni adversentur: occupationum illorum moles, partium enixæ, molestæque supplicationes, assiduæ sollicitationes, eos huic periculo objiciunt; fieri potest, ut defessi non attendant ad hanc contrarietatem. Concilia autem Generalia his incommodis non subjacent; suas cum maturâ deliberatione Constitutiones condunt, & plenâ judicii libertate; contrarietas cum Constitutionibus præcedentibus non percipi nequit à magna peritorum virorum copiâ; itaque voluntaria semper ea est, atque rationi congrua, necessitas vel publica Ecclesiæ utilitas, Leges anteriores ab eis immutari, post alterutriùs perfectam cognitionem postulant; contrarietas sola Concilii voluntatem probat, non autem sufficit ad certiores nos de Pontificis voluntate faciendos. Rationes allatæ discrimen hoc instituerunt.

Quod de Conciliorum Generalium Decretis Conciliorum anteriorum dispositioni contrariis dictum est, ad Pontificias Constitutiones extendi debet Juri Communi adversantes; quod tam ex illorum Conciliorum Definitionibus, quàm ex illorum Decessorum Decretalibus coalescit. Illæ huic derogant etiam sine mentione expressâ. *Cap.* 1. *de Constit. in* 6. quoniam ut ibi ait BONIFACIUS VIII. *jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere Romanus Pontifex.*

IV.

Concilium Tridentinum, quamvis præcedentibus Conciliis Generalibus non minùs sit venerandum eâdem non gaudet prærogativâ, quâ fruebantur illa, quoad nullitatem Rescriptorum Pontificiorum ipsis con-

contrariorum: hæc contrarietas ea non reddit irrita, quamvis mentionem voluntatis ipsi derogandi clausulâ expressâ, sive generali ve speciali, non faciant. Hoc disertè affirmat FAGNANUS in *cap. 22. de Concess. præb. n. 36.* idque ut probet, laudat Diploma quoddam à PIO V. *motu proprio* factum, à GARCIA relatum *de Benef.* atque aliquot Declarationes Cardinalium hoc asserentes. Ratio est, juxtà hunc Autorem, quòd Concilium Sedis Apostolicæ autoritatem excepit Capite expresso, scilicet, 21. SESS. XXV. *de Reform.* hæc si sit Pontificum sententia, ea mente Concilii repugnare videtur, quod aliud declarare non intendit nisi, Sedem Apostolicam jus habere ab ipsius Decretis dispensandi, iisdemque ob legitimam causam, derogandi. Id probatum fuit in Dissertatione consultò in hoc argumentum factâ, in quâ ostenditur, Concilium Tridentinum expressisse duntaxat id, quod in omnibus Decretis Conciliorum Generalium subintelligitur; nempe, Pontificem, quatenùs Ecclesiæ Caput, quam hæc Concilia repræsentant, esse primum ex ejus Ministris, qui jus habeat dispensandi ab ejus Legibus in casibus, in quibus ab iisdem Legibus Concilium, si congregatum esset, dispensaret, item iisdem in casibus similibus derogandi, illasque interpretandi in dubiis circà earum veram sententiam emergentibus. Pontificis officium peculiare est, supplere defectum Concilii quod non subsistit; atque hoc in capite unam ex ejus facultatibus exercere eum, iisdem cautione & prudentia, quibus illud uteretur, si etiamnum congregatum esset.

V.

Concilii Tridentini interpretatio reservata est Pontifici, iisve, quibus illam committit, sive de illâ agatur, quæ vim Legis Universalis habere debet, sivè de illa, quæ vim Legis specialis tantùm obtinere debet, ut qualis est interpretatio Conciliorum Provincialium, aut Synodorum Diœcesanarum. FAGNAN. *in cap. 12. de Judiciis* hoc argumentum penitùs tractat. Fieri nihilominus potest interpretatio per Consuetudinem generalem, & à Doctoribus in eorum prælectionibus operibus-ve. Quod de consuetudine dicit *n.* 83. reperitur, & in *cap. 14. de ætat. & qualitat. ordinand. n.* 47.

Hæ duæ exceptiones valdè imminuunt reservationem. Consuetudo quippe legitimè præscripta vi Legis pollet, Doctorumque interpretationes communes factæ in Consuetudinem transeunt.

Hujus reservationis nullum est exemplum in sæculis præcedentibus. Concilia Localia, Synodique etiam Diœcesanæ semper facultatem habuêre Concilia Generalia interpretandi. Ratio reservationis à periculo petita, ne libertas his Conciliis aut Synodis relicta, confusionem pareret, occasio-ve fieret perversionis, aut aliùs pravæ interpretationis, nullam prioribus sæculis vim habere visa est. Credebatur Archiepiscopos & Episcopos à Spiritu Sancto ad regendam gregis Christi commissam sibi partem, tùm per Doctrinam, tùm per administrationem Sacramentorum præpositos, ab eodem Spiritu accipere auxilia ad curandas oves suas necessaria; certique duntaxat casus excipiebantur, quorùm difficultas, aut gravitas consulendum esse gregis Caput suadebant; Pastoribus ipsi inferioribus decisionem ferre non audentibus, aut circà decisionem non consentientibus, in quo sequebantur præceptum DEUTERON. *Cap.* 17. nempe Sacerdotes, Levitas, ac Judices, qui Hæbreos extra Hierosolymorum Urbem regunt, summum Sacerdotem & Sanedrium consulere debere in casibus ambiguis & difficilibus, in quibus judicium varium erat. Hinc nata est reservatio Causarum Majorum ad Apostolicam Sedem.

Decretum 5. *Continuationis* SESS. XXV. Pontifici suppeditavit occasionem sibi reservandi jus interpretandi Decreta Concilii, in eo quippe legitur, quòd si aliqua oriatur difficultas in receptione Decretorum ejus, aut petat aliquis aliquam Declarationem, sive Definitionem novam, sperat Concilium, fore, ut Pontifex provideat necessitatibus Provinciarum, sive accersendo è locis, in quibus difficultas emerserit, viros, quos idoneos arbitrabitur ad suggerendam sibi Definitionem, sive Concilium in hunc finem convocando, sive aliam viam eligendo, quàm opportuniorem ducet, ad procurandas Dei gloriam & Ecclesiæ quietem.

Prima harum viarum necessaria videtur, quoad omnes casus, in quibus Decreta Concilii executioni mandari non potuerant, nisi turbas gignendo; tales sunt Casus, in quibus inveteratis Provinciarum usibus, Nationisque moribus adversantur: tunc enim obtinet, HONORII III. dictum *cap. 9. de Consuetud. Consuetudinis non levis est autoritas, & novitates plerùmque pariunt discordias.* Iis igitur in casibus audiendi essent viri peritiores ac sapientiores Provinciæ, ut ex eorum sententiâ temperarentur Decreta, vel mores in integrum perseverare sinerentur. Secundæ viæ locus esse posset, cùm plurimorum Regnorum interest in expositione vel modificatione quorumdam Decretorum, quorum executio cum publicâ pace repugnat; tùm enim vix illorum Regnorum necessitatibus consuli potest, absque convocatione Concilii Generalis; alia quælibet autoritas sufficere non videtur ad sopiendas turbas, quas ejusmodi Decreta pariunt, vel gignere possunt.

Neglectis Pontifex viis, quas efficacissimas fore credibile est, Congregationes præfatas instituit, quæ cùm sæpius à locis remotæ sint, in quibus Decreta non placent, minùsque idoneæ dispositæque ad noscendam mali gravitatem, causam ejus, ac remedium necessarium, vix ipsi mederi valent; undè fit, ut multæ sint Provinciæ, ac forsan Regna, in quibus via electa exiguum auxilium afferat, sive quoniam Declarationes illic non admittantur, sive quia tantillam autoritatem habere, ac perexiguam utilitatem afferre possint.

Indè etiam factum est, ut in quibusdam ex iis Regionibus Principes juxtà consilium Episcoporum & Magistratuum, repudiarint Decreta, quæ Nationis moribus penitùs adversa duxerunt & temperaverint alia, prout necessitates publicæ postulare visæ sunt.

VI.

Quamvis liceat Doctoribus Concilium Tridentinum ex occasione interpretari, idque postulantibus argumento quod tractant, quæstione-ve, quam discutiunt, eorum tamen interpretationes sic incidenter factas in unum corpus cogere, easque ad singula Concilii Decreta accommodare non licet: quippe cum BARBOSA id fecisset in Opere suo, quod inscribitur *Remissiones*, illud in *Indicem* fuit relatum ex jussu GREGORII XV. die April. 27. an. 1621. FAGNAN. *in cap. 12. de Judiciis n.* 58. sed cùm ejus interpretatio indirecta tantùm esset, & restringendæ sint pœnæ, agnitum fuit, Autorem non incurrisse excommunicationem in eos latam, qui *Notas* in Tridentinum edere attentabunt. Ex adversò, cùm Hispanus quidam *Glossam* in Tridentinum Hispanicâ Linguâ scripsisset, opus ejus non solùm fuit damnatum, verùm etiam declaratum fuit, Autorem in excommunicationem à PIO IV. latam impegisse. FAGNAN. *ibid. n.* 57.

Remissiones BARBOSÆ ad calcem Decretorum Concilii Tridentini excusæ sunt *Turnonii* an. 1621. cum *Præfatione Autoris*, in quâ contendit, Pontificem non damnare interpretationem è Jure communi quæsitam; sed eam tantùm, quam ex cerebro suo hauriunt Autores, quamque vocat, *capitosam*, & laudat plura exempla Legum aut Constitutionum Principum, quarum, interpretatio interdicta erat, quæ nihilominùs juxta Jus Commune expositæ fuêre; id Principibus ægrè hand ferentibus adjecerat, se referre tantùm sententias aliorum circà Decreta Concilii, illorumque expositiones ordinare. Hæc illum ratio non eripuit à Censurâ, quoniam *relatum est in referente, in ejusmodi collectione esse interpretationem*

tionem implicitam per sententias aliorum & quamdam annotationem perpetuam in Concilium. Hæc sunt verba FAGNANI. Monitum ad Lectorem, cui inserta est hæc *Præfatio*, aliam continet assertionem FAGNANI doctrinæ dissonam; scilicet, in Declarationibus Cardinalium notari diem, quo editæ sunt, easque, quibus dies apponitur, esse præstantiores. Contrarium docet FAGNANUS, ut in Observationibus circà Declarationes illas dictum fuit.

TITULUS XXII.

Discussio Interpretationum FAGNANI *circà Decreta Concilii Tridentini laudata in* INDICE *Littera T. sub hoc Titulo*, Concilium Tridentinum, *ubi Sessionum Ordo servatur*

DUplex momentum ad discutiendas has interpretationes inducit. Autor Congregationis Concilii interpretis diutissimè fuit à Secretis; callebat præterea perfectissimè artem distinguendi Declarationes falsò huic Congregationi attributas, ab eis, quæ sunt verus ejus fœtus. Hæ autem magnam autoritatem habent in multis regionibus: magni igitur quoad omnes Nationes refert, non ignorare sententiam ejus Autoris circà hæc Decreta, pluribusque locis utile est noscere Declarationes ejus generis, quarum mentionem facit.

CAPUT I.

Caput 13. *de ætate & qualitate Capita* 4. *&* 5. *de tempore Ordinationis.*

QUod dicit in *Cap.* 13. SESS. VII. exponendo *Cap.* 13. *accipimus*, *de ætate & qualit.* nullam patitur difficultatem: secus est de ejus dictis in *Cap.* 1. SESS. XIV. in expositione *Cap.* 4. *&* 5. *de temp. Ordin.*

Ut intelligatur id, in quo Autoris interpretatio laborat, observandum est, intelligentiam *Capitis* pendere à *Præfatione* Sessionis, in quâ Synodus exponit, magni referre, ut Episcopus Clericos vitiosos coërceat, eos maximè quibus animarum cura commissa est; secus enim Laïcos corripere frustrà tentabit, qui dubio procul ipsi objicient, eum in Clericis à quibus exemplum petere debent, eadem vitia tolerare; si verò Clericus vitiosus eorum correctionem suscipiat, huic respondebunt eum ipsum id, quod redarguit, facere: undè concludit, Episcopum monere debere Clericos suæ Diœceseos, ut irreprehensibilem vitam agant, quia DEUS illis præcipit, ut sanctimoniam suam imitentur, & PAULUS eos objurat, ut Ministerium suum pravâ agendi ratione, obtrectationibus non objiciant; nihilque ipsum omittere debere, ut monitiones suas efficiat salubres: ut igitur viæ ad id conducentes aperiantur Episcopo, Synodus Canones sequentes condit. Primus Canon plures ejusmodi rationes diserté continet; scilicet 1. possit Episcopus promotionem ad Ordines Sacros, & promotionem ad Dignitates propter crimen occultum interdicere, quocumque modo etiam extrà judicium 2. Vir ejusmodi repulsam passus nullâ permissione, renitente Episcopo, impetratâ juvari possit; 3. quælibet ejus, quem Episcopus, ab Ordinibus aut Dignitatibus suspenderit, restitutio inutilis sit, nisi Episcopus ei consenserit.

Difficultas in eo versatur, an Clausula in priori parte expressa, *quâcumque ex causa etiam ob crimen occultum*, *quomodolibet etiam extrajudicialiter*, extendatur ad potentiam suspendendi ab Ordinibus & Dignitatibus tertio Canonis membro concessam. Contendit FAGNANUS eam extendi; sive quia sermonis contextus id postulat, sive quia, nisi hoc ita esset, Concilium, quoad hunc casum, nullam facultatem novam concederet; videtur autem id intendisse in tribus his capitibus, sententiam suam confirmat Declaratione Cardinalium. *Cap.* 5. *n.* 7.

Adversùs opinionem istam objici potest in rebus odiosis extensioni non esse locum; qualis est suspensio, quæ pœna est, & proinde res odiosa. Ostensum fuit in tractatu *de Censuris*, eas ferri non posse ob delicta occulta, ab eo solo, qui eas fert cognita, nec in Judicio probata. Valdè discrepant suspensio à receptis Ordinibus, & exclusio à recipiendis; hæc non est Censura, sed declaratio, quâ Episcopus, cujus Officium est ad Ordines vocare, significat sibi non placere, ut aliquis promoveatur. Hac prohibitione nemini injuriam facit, quoniam Ordines nemini debentur; promotio est Actus gratiæ, & non Justitiæ; exclusio à gratiâ non est ignominia, & fieri potest sine scandalo. Contra, suspensio pœna est, quæ privat jure acquisito, quæ suspensio turpis est, & publicum scandalum parit, cùm non apparet eam ex justâ causâ proficisci. Censura debet ferri in scriptis, ejusque causa nominatim exprimenda est; porrò, crimen occultum exprimi nequit in suspensione, quin scandalum generetur.

Huic objectioni nulla responsio legitima satisfacere videtur, & quanto diligentiùs hoc *Caput* 1. SESS. XIV. perpendimus, tanto magis nobis suademus, illud nihil novi statuere, nisi, ut Episcopus, possit excludere ab Ordinibus ob crimen occultum, contra dispositionem *Cap.* 4. *de tempor. Ordin.* & ut nemo ex iis, qui sic excludentur, sui promotionem sperare possit, ex vi cujuslibet permissionis à Pontifice contra Episcopi voluntatem impetratæ; item, ut nemo ex iis, quos ab Ordinum exercitio, ob legitimam causam, ritèque probatam, Episcopus suspenderit, restitui possit ex vi similis Rescripti aut Licentiæ. Hæc sunt duo vitia, quæ Concilium emendare voluit, quoniam ea Cleri dissolutionem fovebant.

FAGNAN. *in idem Cap.* 5. aliam proponit Quæstionem circà *Cap.* 1. SESS. XIV. quam ex occasione exponit prolixeque tractat, quamvis uno verbo dirimi possit; quærit nimirùm, an ex hujus *Cap.* dispositione, Prælati Regulares possint erga suos Religiosos, id quod Episcopo conceditur erga Clericos Sæculares? Respondere sufficiebat, quòd *Capite hoc* de Religiosis non agente, Prælati Regulares Juris communis regulis subjacent; itaque, cùm nullus sit Textus, qui his Prælatis, vel Episcopo, concedat facultatem ab Ordinibus receptis, absque causâ legitimâ, ritè probatâ, suspendendi; non magis ii Prælati hodiè id possunt, quàm olim. Præterea, rationes in Clericorum Sæcularium gratiam adductæ, pro Religiosis militant: eorum fama, Prælatique existimatio, postulant, ut causa, ejusque justitia, manifestæ sint.

CAPUT II.

Caput 2. *de Clericis pugnantibus.*

FAGNANUS hoc *Caput* exponens, duas quæstiones circà Decreta Concilii Tridentini proponit; priorem in *Cap.* 7. SESS. XIV. Quærit, an interdictum à Concilio latum, ut non detur dispensatio ab homicidio voluntario quoad promotionem ad Ordines Sacros, & Beneficia quælibet, ad eos extendatur, qui illud patrant, post promotionem ad Ordines Sacros, & Beneficia? numque hi, per interdictum illud, excludantur à dispensatione, quoad Exercitium Ordinum receptorum & administrationem jurium spiritualium sui Beneficii? Respondet, Congregationem Concilii interpretem, ipsosque Pontifices declaravisse, extensioni non esse locum, à *num.* 23. 41.

Contra responsionem hanc objici potest. 1. Rationem Concilii, quæ est, Legem Mosaïcam ab Altari excludere virum homicidii præmeditati, sive deliberatione præviâ, & ex insidiis admissi, reum, locum habere tam erga promotum, quàm erga eum, qui nondùm promotus est. 2. Homicidium à viro ad

Or-

Ordines aut Beneficia promoto patratum gravius esse ex circumstantiâ personæ. 3. Statuit Concilium, ut ejusmodi homicida nullum umquam Ordinem, nullum Beneficium, nullum Ecclesiasticum Officium obtineat.

Alia non videtur huic objectioni responsio occurrere, nisi litteram excludere extensionem, quàm mens Legis postulat.

Altera quæstio est, an *Cap.* 6. SESS. XXIV. concedens Episcopo Dispensationem ab Irregularitatibus ex crimine occulto provenientibus, eâ exceptâ, quæ homicidium voluntarium sequitur, eum hac exceptione excludat à dispensatione, quoad Ordines Minores? Responsio ejus est, eum excludi; quia exceptio generalis est. Non attendit intentionem hujus Capitis esse, ut restituantur Episcopo dispensationes quoad casus occultos Pontifici reservatos, oportet, ut, si Episcopus, ab hac irregularitate, quoad Ordines Minores, dispensare poterat, oportet, inquam, ut illud post Concilium possit; porrò, fatetur extitisse Doctores, qui hanc in Episcopo facultatem agnoscebant; imò fatetur ipse, Episcopum id posse, quoad Beneficia simplicia; porrò, hoc in Capite Ordines Minores ejusdem conditionis sunt cujus Beneficia simplicia. *Cap.* 1. *de Filiis Presb. in 6.* Exceptio non cadit nisi in casus jàm Pontifici reservatos; sicut Regula ferens, Episcopum posse in posterùm dispensare ab omnibus casibus occultis Pontifici reservatis.

CAPUT III.

Caput 27. *de Electione.*

FAGNANUS in hoc *Caput* exponit *Cap.* 10. SESS. XXIV. *de Refor.* Occasionem petit ex eo, quòd *Caput* 27. irritet Electionem Presbyteri Sæcularis ad Prioratum Canonicorum Regularium, unàque jubeat, hunc Presbyterum & alios Clericos Sæculares, qui Beneficia in illo Monasterio possidebant, professionem facere, proindè Pontifex magnum discrimen constituit inter Prælaturam & Beneficia inferiora, horum Provisiones confirmat, sub lege tamen professionis à Beneficiatis emittendæ; irritat verò Electionem ad Prælaturam.

Propter hanc differentiam *Fagnanus* laudat *Cap.* 10. contenditque illud hanc tacitè approbare, in eo, quòd jubet Beneficia Religiosis Professis conferri solita, cùm per mortem aut Resignationem ejus, qui illa possidet, vacaverint, in Titulum conferri Religiosis ejusdem Ordinis, iisve, qui se habitum sumpturos professionemque facturos, fide data pollicebuntur. Ad probandam opinionem suam, contendit, alternativam de quâ agitur, non esse alternativam optionis; quæ libertatem his vel illis conferendi permittat, sed alternativam distributionis, quæ Prælaturas Regulares Religiosis Ordinis actu professis conferri præcipit, & permittit alia Beneficia Regularia conferri iis, qui se ad faciendam in Ordine professionem adstringent. Quamvis hæc interpretatio aliquantùm reluctari videatur, eam reperisse se existimat in *Cap.* 21. SESS. XXV. *de Regular.* ubi Concilium distinguit Prælaturas ab aliis Beneficiis Regularibus in eo, quòd optare se testatur, ut Religiosis actu professis conferantur, &, quoad reliqua, insinuat, ea aliis dari posse, quàm talibus Religiosis. Posteà laudat aliquot Declarationes Cardinalium, à quibus hæc distinctio approbata est, decidendo, Prælaturas Religiosis actu professis conferri debere, Beneficia autem inferiora sive simplicia iis, qui se professionem facturos pollicebuntur. Sibi *Clementinam, de supplend. neglig.* objicit, quæ, ut medeatur negligentiæ Prælatorum Regularium non conferentium intra tempus definitum Prioratus, Ecclesias, administrationes, aliave quælibet Beneficia ab eorum collatione dependentia, concedit Episcopis Diœcesanis jus eorum negligentiam supplendi, Beneficia, quæ à Religiosis teneri solent, Religiosis Monasterii conferendo, cujus Prælati negligentes sunt: nec distinguit Prælaturas ab aliis Beneficiis. Respondet autem his verbis, *aut alia*, intelligi beneficia ejusdem generis, atque in hoc eam à Concilio Tridentino fuisse emendatam.

Ex hoc Excerpto manifestum fit. 1. Interpretationem *Cap.* 10. à FAGNANO propositam, non esse congruam; ibi enim Concilium de Prælaturis non loquitur, quæ, nisi nominatim referantur, in dispositione Canonum non continentur. 2. Nihilo-magis accuratam esse hujus Textûs accommodationem ad expositionem: *Cap.* 27. quia *Caput* hoc 10. nullum discrimen inter Prælaturas, & Beneficia inferiora, quoad eorum Provisionem ponit, siquidem de Prælaturis non loquitur. Non tamen hæc obstant, quominùs lectio ejus loci utilis sit: ex eâ discitur usus hodiernus circà Collationes Beneficiorum Regularium Clericis Sæcularibus factas, sub lege emittendæ professionis, qui usus fert, Collatores ordinarios Beneficia Prælaturis inferiora, administrationes, dignitates &c. concedere posse sub eadem lege: extareque clausulas, quas Pontifex solus collationibus inserere potest, quas sub eadem lege facit.

CAPUT IV.

Caput 1. *de Simoniâ.*

FAGNANUS in hoc *Caput*, in quo S. GREGORIUS quidlibet dare vetat pro receptione Ordinum, usu Pallii, Membranis, Sigillo &c. quoniam sicut Episcopus manum, quam imponit, vendere, ità Minister, vel Notarius vocem vel calamum vendere non debet: refert varias opiniones circà operam Notarii, & præ cæteris Decretum Concilii *Mediolan.* an. 1579. quod enumeratis omnibus Actibus quæ Scriba, vel Amanuensis *gratis* dare debet, ipsi prohibet accipere id etiam, quod ultrò oblatum fuerit; additoque, eum ejusmodi oblationem, tutâ conscientiâ possidere non posse, definit, eum obligatum fore ad eam pauperibus loci distribuendam, eumque in foro exteriori damnandum esse in quadruplum; tùm subjicit FAGNANUS, Concilium interveniisse, quod hanc opinionum varietatem sustulit, datque excerptum Statutorum ejus *Cap.* 1. SESS. XXI. in hunc finem conditorum; scilicet in locis ubi mos est, Scribam nihil accipere pro Litteris Dimissoriis, & Litteris Testimonialibus, mos servabitur: in cæteris locis decimam unius Aurei partem accipere licebit, modò salarium ei pro ejus officii exercitio non sit constitutum: Episcopus autem hujus emolumenti, neque directo neque indirecto modo, particeps sit; Notarius, seu Scriba stipendiarius has Litteras *gratis* dabit; omnis taxa, statutum, consuetudo etiam immemorialis contraria, tamquàm veræ corruptelæ rescinduntur.

Tùm accommodans hoc Decretum ad varias, quas retulit opiniones, observat quænam in eo probatæ, repudiatæ, aut temperatæ fuerint. Indè transit ad Declarationes Congregationis Concilii interpretis, quæ declaravit, Decretum, licèt Collationem Ordinum solam spectare videatur, nihilominùs ad Collationem Beneficiorum extendi, cum hoc discrimine, quòd cùm Scribæ opera sit major, quoad confectionem Instrumentorum, quæ Beneficia spectant, majus salarium accipere possit pro laboris ratâ, non tamen ultrà Aureum, comprehensis scripturâ, sigillo, aliisque rebus ad id requisitis; sub iisdem conditionibus suprà à Concilio præscriptis.

Eædem conditiones in aliis Declarationibus iterantur, quas postea refert, quarum una ab eadem Congregatione profecta est 5. Mart. 1601. alia à Congregatione de Episcopis 25. Octobris 1588. utraque spectat alios casus, in quibus Scriba nihil omninò accipere debet, atque alios, in quibus accipere non debet, nisi pro ratâ laboris sui atque impensarum suarum. De casibus prioris generis duntaxat agemus, iis nempè, in quibus agitur de licentiâ aut

Confessiones audiendi, aut sepeliendi cadavera in Ecclesiâ, aut de licentiâ absentiæ, aut Sacramenta administrandi, aut in Beneficiis ministrandi, aut celebrandæ Missæ aut stipem pro pauperibus colligendi, aut publicandi Nomina eorum, qui Tonsuram, vel Ordines Minores, vel Ordines Sacros accepturi sunt. In his omnibus casibus Congregatio vetat aliquid accipi, sub obtentu vel laboris, aut sigilli, aut scripturæ, vel aliquâlibet specie.

Capitulum quoddam Hispanicum, ob plurimas Episcopi exactiones conquestum erat in supplicatione Congregationi oblata memoratas; quædam erat circà licentiam duas Missas eadem die celebrandi: mirum hoc visum fuit Congregationi, quæ contendebat, hanc licentiam ab Episcopo concedi non posse; sed cùm Episcopus objecisset *Cap. 3. de celebrat. Miss.* quod supponit, hoc in casu necessitatis licere, Congregatio prohibitionem suam revocavit, quoad cæteros casus aliquid accipere permittens pro ratâ laboris, sub legibus suprà notatis prohibet ultrà Aureum accipi, quoad confectionem Instrumentorum Collationis aut Institutionis Parochiarum, & Deputationis Vicariorum in iisdem. In fine Epistolæ, quam Congregatio ad Episcopum scribit, ut illi Statuti sui copiam faciat, dicit, se sperare, fore, ut eò magis ille suis Decisionibus adhæreat, quòd ab avaritiâ abhorrere debent Prælati. Alia Congregatio pluribus in Capitibus Declarationes Congregationis Concilii interpretis sequitur, aut ad Concilium remittit. In cæteris illa vel jubet, ut Instrumenta *gratis* conficiantur, aut definit id, quod accipi potest.

Capitulum *Gerundiense* huic Congregationi 18. casus in querelâ suâ exposuerat adversùs exactiones Episcopi. 1. 2. 5. 6. 7. 8. 12. 15. & 16. decidunter aut à Concilio, aut à Congregatione Concilii interprete.

4. Spectat licentiam bis eodem die Sacrum celebrandi, circà quam eam dari prohibet, præter aliquot casus necessitatis, qui rari sunt, itemque eam dari per modum privilegii ulli sacerdoti, & aliquid pro illâ exigi aut accipi.

In 8. agitur de exactione quoad executionem dispensationum Matrimonii, *gratis* eam fieri jubet Congregatio, permittens solùm Notario quartam Aurei partem aut *Ducati* accipere pro Testium auditione.

10. Spectat licentiam Sacerdotum in Ecclesiâ contra Diœceseos aut Provinciæ Statuta hoc prohibentia, sepeliendorum; jubet Congregatio custodiri hæc Statuta, & si qui sint dispensationis casus, eam gratuitò concedat Episcopus, aut si aliquid exigat, id pauperibus aut Ecclesiæ erogetur.

In 11. Congregatio permittit, in casibus necessitatis dispensari à solemnitatibus Matrimonii non substantialibus vetans ob id aliquid, etiam à Notario, exigi; concedit tamen, ut, si consuetudo ferat munusculum Episcopo in lætitiæ signum offerri, illa observetur.

12. Docet, Episcopum præfatum extendisse ad Beneficiatos suæ ad Episcopatum promotioni posteriores, jus à consuetudine ipsi attributum in Beneficiatos actu, promotionis ejus tempore, cùm licentiam in possessionem veniendi illis non concessisset, priusquàm jus illud solutum fuisset. Congregatio extensionem hanc reprobat, velut contrariam *Cap.* 4. SESS. XXIV. quod vetat aliquid exigi ob possessionis adeptionem.

Ex 13. discimus, illum sibi vindicavisse Annatam Beneficiorum, quæ erigebat, cui tamen renuntiavit.

E 18. eum impediviſſe, ne ullus in alterius Beneficio ministraret sine suâ permissione, pecuniamque ob hanc permissionem exegisse; Congregatio declarat, quòd in casibus, in quibus Beneficiatus legitimo impedimento implicatur, cæteri à ministrando ejus vice non sunt prohibendi, multò minus exigi debere pecuniam ob licentiam non necessariam.

Congregatio responsionem suam claudit, optando, ut Episcopus ejusque Ministri ab omni exactione insolitâ, aut immoderatâ, abstineant. FAGNANUS adjicit, Simoniam, quam admittit Notarius, qui ultrò licitum accipit, esse merè Ecclesiasticam; secùs, inquit, Concilium ipsi non concessisset accipere quantitatem à se definitam.

Paululùm circa hanc Fagnani interpretationem immorati sumus, quia quotidianum est & familiare negotium, ibique inspicitur damnatio pravorum usuum, qui in omni ferè Secretariâ obtinent, circà Litteras Ordinationis, Provisiones Beneficiales, aliosve Actus, qui ibi conficiuntur.

CAPUT V.

Cap. 2. 4. 16. de Præb.

FAGNANUS in hæc *Capita* exponit *Cap.* 2. SESS. XXI. Concilii Tridentini. *Cap.* 2. prohibet Episcopo Clericos ordinare, absque alimentorum assignatione. Cùm *Clerici* nomen iis, qui ad Minores Ordines promoti sunt, atque iis, qui ad Ordines Majores evecti sunt, commune sit, hæc expressio generalis quæstionem pepererat, utrùm Episcopus teneretur alere Clericos, quibus Ordines Minores dederat, quosque alicujus Ecclesiæ servitio non alligaverat? Multi autem Canonistæ insignes olim arbitrati sunt, ejusmodi Clericos habere jus alimenta ab Episcopo petendi, & hunc ad ea præstanda teneri, ex obligatione, quam eos ordinando susceperat: aliis contraria opinio placebat: partis utriusque momenta refert FAGNANUS, posterioremque eligendo, dicit, quæstionem hodiè compositam esse à Concilio Tridentino *Cap.* 2. laudato, quod jus illud iis duntaxat concedit, qui ad Sacros Ordines promoti sunt.

Cap. 4. jus hoc nominatim iis tantùm attribuit, qui ad Diaconatum aut Sacerdotium promoti sunt, sine Titulo, undè victum quærere possint. Textus hic desumptus est è *C. 3. Concil. Lateran.* an. 1179. & cùm nihil de Subdiaconis dicat, Canonistæ veteres quæstionem agitaverunt, an comprehendi deberent ob rationis paritatem? Relatis FAGNANUS Autorum dictis in hanc rem addit, quæstionem esse finitam laudato Concilii Tridentini Capite, quod Subdiaconatum sub Ordinis Sacri nomine comprehendit, quo multis ex sæculis fruitur, & Episcopum astringit, ad alendos eos, quibus Ordines Sacros dedit, aut sufficiens Beneficium eis conferendum, nec, ut sibi constaret, curavit inquirere, utrùm Beneficium patrimoniumve hoc Textu requisitum haberent.

Deindè tres refert quæstiones Congregationi Concilii interpreti à Congregatione *de bono regimine* propositas. 1. si is, qui sub Titulo Beneficii ordinatus fuit, illud resignaverit, exponendo, sibi aliundè bona competere, à quibus victum accipere possit, utrùm universum ejus Patrimonium acquirat privilegia Patrimonialis Tituli, an verò pars tantùm, & quænam illa sit? & postquàm observavit, bona Patrimonialia Clericorum, iisdem, quibus bona Ecclesiastica, privilegiis non gaudere, sed iis tantùm, quæ in Jure expressa sunt; Titulum verò Patrimonialem omnibus Ecclesiasticorum bonorum immunitatibus frui, etiam extrà casus in Jure expressos, & quædam discrimina commemoravit inter bona Patrimonialia & bona Ecclesiastica, retulitque privilegia Tituli Patrimonialis; ad quæstionem respondet, in proposito casu bona resignantis succedere Titulo Beneficiali, quoad partem ejus sustentationi necessariam, &, quoad hanc partem, acquirere privilegia Tituli Patrimonialis, quamvis in Titulum assignata non fuerit ab Episcopo, sed à Jure tantùm, quod hoc in casu bona Patrimonialia resignantis in ejus Beneficii locum substituendo, ipsa in Titulum Patrimonialem convertit, quoad partem quæ ad Ordinationem requisita fuisset, nisi Beneficium habuisset; quia, inquit, nisi fieret hæc subrogatio, sufficienter non providisset Concilium incommodo Ordinationum absque Titulo, Cleri scilicet de

decorati, ex mendicitate Clericorum sine Titulo ordinatorum, aut ab exercitio Ministerii, Officii, vilisque professionis provenienti.

2. Quæstio est, si Clericus sub Titulo patrimonii ordinatus Beneficium acquisierit, an ejusmodi Titulus immunitates suas amittat? Et negando respondet, quia Beneficium in hujus Tituli locum non subrogatur, nihil magis quàm bona patrimonialia, quæ post Ordinationem acquirit. Plura Congregationis Decreta laudat, huic subrogationi repugnantia, sive quia ferunt, Beneficium sic acquisitum resignari posse, ipsum Tituli Ordinationis vices gerere, non factâ mentione, sive quia decidunt, patrimonium post acquisitionem Beneficii alienari nihilomagis posse, quàm antea sine licentiâ Episcopi.

3. Quæstio est, an, posito quòd Titulus patrimonialis immunitatem ab oneribus Cameræ amiserit acquisitione Beneficii, eam recuperet demissione ejusdem Beneficii? Respondet FAGNANUS privilegium amissum non redintegrari, pluribusque allatis probationibus, agnoscit sententiam suam difficultatem pati. Videretur quòd, cùm acquisitio Beneficii cætera Tituli patrimonialis privilegia non extinguat, illud de quo agitur, post demissionem reviviscere debeat, posito quòd illud Beneficii possessio peremerit.

Cap. 16. Quod est INNOCENTII III. supponit Subdiaconos sine Titulo ordinatos, petendorum alimentorum aut Beneficii sufficientis ab Episcopo Diœcesano jus habere; præcipit enim Episcopo *Zamorensi*, ut tale Beneficium ejusmodi Clerico conferat: supponit etiam successorem, quoad hoc, teneri debito à prædecessore contracto; nam Subdiaconus de quo loquitur, à prædecessore ejus, quem ad suppeditanda alimenta cogit, ordinatus fuerat.

Idem *Caput* nominatim veteribus Canonibus derogat, qui ejusmodi Ordinationem sine Titulo irritam fore statuerant, exercitio Ordinum privando eos, qui sic illos acceperant, ejusque Ordinationis pœnas redigit ad obligationem aut alendi Clerici sic Ordinati, quam Ordinatori imponit, aut ei conferendi Beneficii sufficientis. *Cap.* 4. ab ALEXANDRO III. desumptum hanc emendationem inchoaverat, sed non verbis expressis; INNOCENTIUS III. eam hoc in *cap.* 16. sibi tribuit, quia primus eam disertè proposuit. Ex horum duorum Textuum fundamento FAGNANUS hìc exponens clausulam finalem *cap.* 2. SESS. XXI. contendit, Concilium Tridentinum aliam adversùs Ordinationes absque Titulo pœnam non sancire, quàm eam, quæ diserte in his Textibus fertur, idque probat non solùm Declarationibus expressis Congregationis Concilii interpretis, verùm etiam momento victrici; scilicet, antiqui Canones, quos innovat Concilium *antiquorum Canonum pœnas innovando*, alii non sunt, quàm *Can.* 1. 2. DIST. LXX. *cap.* 2. 4. 16. *de Præb.* Duo priores *Canones* duplicem tantùm pœnam continebant, nempè, suspensionem ab Ordinibus eo modo receptis, & damnationem Episcopi, ad præstanda Clericis absque Titulo ordinatis alimenta; ex his duabus pœnis, prima antiquata est *cap.* 2. 4. 16. *de Præbend.* itaque *antiquorum Canonum pœnas innovando.* Innovatio cadit tantùm in alteram, quæ abrogata non erat.

Postquam monuit, Constitutionem SIXTI V. quæ suspensionem adversùs Ordinationes sine Titulo restituerat, quoad hoc caput, à Constitutione CLEMENTIS VIII. fuisse emendatam; quæstionem agitat, an Clerici delinquentes quatenùs Ordinationem suam sub falsis Titulis impetrantes, hanc suspensionem hodiè incurrant? Et respondet affirmativè, asserendo eam, quoad ejusmodi Clericos, nunquam fuisse abrogatam. Contrà objici potest *Cap.* 2. SESS. XXI. fraudem hanc momentis Decreti annumerare, quod deinceps proponit, & in quo secundam sancit pœnam, scilicet, damnationem Episcopi ad exhibendos Clericos sine Titulo ordinatos, *qui variis artibus ac fallaciis confingunt se Beneficium Ecclesiasticum, aut idoneas facultates obtinere.*

Huic autem objectioni alia responsio nobis non occurrit, nisi, quòd si Episcopus omnem diligentiam, quâ uti potuit, aut debuit, adhibuerit ad vitandum errorem, Clerici, qui sub falsis Titulis ordinati fuêre, soli deliquerunt, solique pœnam merentur, quo in casu locum habere potest suspensio; præsumendum enim est, Canones, qui suspensionem abrogavêre, id in Clericorum innocentium gratiam fecisse. Contrà, si Episcopus cautionem necessariam neglexit, in delictum cecidit, atque incurret pœnam alendi Clericos sub falsis Titulis ordinatos; nam Concilium eos diserte obligat, ut id sedulò caveant.

Objici etiam posset *Canonem* 1. qui suspensionem de quâ agitur sancit, eam nominatim ferre in injuriam Ordinantium, cæterosque Textus, quoad hoc caput, ejus dispositionem fuisse executos; itaque, Clerici, qui ordinationem suam sub falsis Titulis impetrant, non comprehenduntur in his Canonibus, & proindè, pœnæ in iis latæ non sunt obnoxii, quamvis pœnam mereantur. *Canon* hic è Concilio *Calcedonensi* desumptus est, & primus est DIST. LXX. laudatæ.

Hæc objectio non destruit responsionem præcedentem: nihil præcisè dicitur, nisi Clericos ejusmodi suspensionem mereri, & in eâ sententia perseveramus.

CAPUT VI.

Caput 3. *de Clericis non residentibus.*

FAGNANUS in hunc Textum exponit *cap.* 3. SESS. XXI. & *cap.* 3. SESS. XXII. quæ spectant Residentiam, Officium, & distributiones quarumdam Dignitatum. Item *cap.* 12. SESS. XXIV. 2. *§. præterea*, circà eamdem distributionem versans; primùm observat, has Dignitates esse diversi generis, tùm earum discrimina aggreditur. *Primum* est, quòd in eis, de quibus primum eorum capitum agit; demptio tertiæ partis fructuum in distributiones convertendæ, non præcipitur, nisi ubi nullæ sunt distributiones, aut ità exiguæ sunt, ut negligendæ forent; atque in cæteris demptio toties fieri debet, quoties tertia redituum pars non absumitur in distributionibus. *Secundum* est, quòd distributiones, quas earum Dignitatum possessores non lucrantur, præsentibus adhærescunt, amissæ verò à cæteris Dignitariis, distributiones Fabricæ, aliove loco pio dandæ sunt, quod fit, inquit, ex eo, quòd priorum reditus è Mensâ communi detrahantur, ideòque jus absentium præsentibus accrescere debet; reditus verò posteriorum è fundis peculiaribus & distinctis nascitur, in quibus proindè non est accretioni locus.

Tertium est, quòd in prioribus Episcopus ad demptionem procedat, non obstante quacumque appellatione, in cæteris verò executionem suspendat appellatio.

Quartum est, quòad priores, triens demptum in distributiones quotidianas, dividi debet, quas Dignitarii aliique Officio assistentes partientur inter se, juxta divisionem, quæ constituetur ab Episcopo; triens autem à cæteris deductum, ad Episcopi voluntatem dividi debet, ut, si Dignitarii Ministerium congruum sibi assignatum non peragant, singulis diebus præfinitis, diei in quâ deficient, distributiones amittant; unde fit, ut Concilium in hoc *cap.* 3. SESS. XXII. nec loquatur de quotidianis distributionibus nec de assistentiâ ad Horas Canonicas, verùm jubeat tantùm assignare Ministerium congruum ac speciale.

Quintum est, quòd prioris generis Dignitates novem Mensium Ministerio adstringantur, cæteræ non teneantur, nisi ad dies, qui ad eorum Ministerium constituendi sunt. vid. *n.* 19. *usque ad* 20.

CAPUT

CAPUT VII.

Capita 25. & 30. *de Privilegiis.*

FAGNANUS in hos Textus exponit *cap. unicum de observand. & vitand.* SESS. XXII. circà usum Altarium portatilium, & celebrationem extrà Ecclesias, vel Oratoria cultui Divino dedicata, & probat *in Cap.* 25. Tridentinum hoc Decretum non abstulisse Episcopis privilegium ipsis concessum *cap. ult. de privil. in 6.* cujus vi possunt uti Altaribus portatilibus, tàm extrà Diœcesim, quàm in ipsâ Diœcesi. Item, licèt privilegium hoc Cardinales nominatim non complectatur, asserit nihilominùs hoc ad eos extendi propter hæc verba, *Episcoporumque Superiores*; Cardinales enim Episcopis Superiores facti sunt, ex quo Pontifici immediatum gradum obtinent: imò juxtà ipsum, Cardinalium prærogativa privilegium Episcoporum vincit, in eo, quòd illi Romæ portatili Altari uti possint, absque Indulto Pontificis; hi autem id nequeunt. In quo sententiam NAVARRI reprobat, qui putat, Cardinalibus nihilomagis quàm Episcopis hoc jus competere.

Contra extensionem *cap. ult. de privil. in 6.* ad Cardinales ibi non nominatos, objicit sibi, quòd circà privilegia, extensio ab uno genere personarum ad aliud locum non habeat; unde fit, ut, licèt HONORIUS III. Fratribus Dominicanis, & Fratribus Minoribus, Altaris portatilis usum concessisset & Episcopi sint his Religiosis superiores, privilegium ad Episcopos non extenderetur, opusque fuerit Textu expresso, quo idem privilegium assequerentur, nempè *cap. ult.* laudato. Respondet, privilegium, quod cultum Divinum spectat, esse favorabile, atque indè fieri, ut privilegium celebrandi Missam in Oratorio absque Episcopi autoritate ædificato extendatur ad Missas cum cantu; atque ità sufficere, ut verba in sua generali significatione accepta personas in privilegio non nominatas comprehendere possint. Episcopus electus & confirmatus jus habet utendi Altari portatili: Instari posset; si illud privilegium favorabile sit, cur ergò eguit ad Episcopos extensione præfatâ? Honor debitus Sacrificio nonne poscit, ut privilegium restringatur? Sed istius rei discussio ad Tractatum *de Privilegiis*, cui remittendus Lector.

In *caput* 30. prolixè probat, laudatum Concilii Tridentini Decretum abrogavisse privilegium Fratrum Dominicanorum, ac Minorum, quamvis in Corpore Juris contineatur, ac ipsi nominatim non deroget; relatisque pluribus exemplis Decretorum, in quibus Concilium Jus commune antiquat absque derogatione expressâ, quia necessaria non est hæc, sufficiente ad hoc contrarietate; plura laudat Decreta Congregationis Concilii, quibus declaratur, Concilium abrogavisse hoc privilegium: adjicit, illud privilegium, juxtà plures Canonistas celebres, quos laudat, subsistere in posterùm non debere, quoniam ejus ratio ex multis retro annis cessavit, quia hi Religiosi habent Ecclesias aut Capellas consecratas in locis, ubi constituti sunt; illud autem privilegium propter defectum ejusmodi Capellarum impetraverant.

Contendit, hos Religiosos Altari portatili uti non posse, etiam cum licentiâ Diœcesani Episcopi, sed eos licentiâ Pontificiâ indigere, juxtà eamdem prætensionem, solum Pontificem à laudato Decreto dispensare posse asserit; Episcopum nemini concedere posse prærogativam Capellarum Domesticarum, & sine dispensatione Missam non posse dici extrà Ecclesias consecratas, aut publica Oratoria. Episcopos & Cardinales excipit, qui sine licentiâ Missam in Capellâ suâ, imò extra ipsam, super Altari portatili celebrare possunt. Fatetur etiam, licere Religiosis habere Oratoria in suis Claustris, modò ipsa visitata, approbata, & benedicta fuerint ab Episcopo. Sub eadem conditione Oratoria similia possunt fieri in Carceribus, Hospitalibus aliisque Locis Piis. Altare fixum esse debet non verò exemptile, hoc sive *portatile* Altare, vulgò in Jure dicitur *Altare viaticum*, quoniam ad peregrinationes introductum fuit in locis, ubi nec Ecclesiæ nec Oratoria reperiebantur. Differt à Lapidibus Consecratis, quibus hodie utimur in Ecclesiis, Oratoriis publicis, nec non in Capellis Domesticis.

CAPUT VIII.

Capita 3. 4. *de Religiosis Domibus.*

FAGNANUS in prius *caput* exponit *cap. ult.* SESS. VII. *cap.* 8. & 9. SESS. XX. *cap.* 8. SESS. XXV. Principii vice ponit, primùm, Locum non esse Religiosum nisi per consecrationem ad servitium Divinum ex autoritate Ordinarii factam, & ex eo concludit, ejusmodi Loca Ordinarii autoritati esse subjecta, contrà verò omnes Domos ad bona opera destinatas, esse Loca Profana, aut promiscua, sine hac consecratione; & proindè, independentia ab Ordinario, tribus casibus exceptis, 1. Si opus pium post mortem Patroni subsistat. 2. Si Executor officio suo non fungatur. 3. Si de rationum redditione agatur. Tùm dicit, Loca Religiosa subtrahi à Jurisdictione Ordinarii, per Exemptionem cui ipse in fundatione consensit, vel quæ ex privilegio Sedis Apostolicæ impetrata est, vel per præscriptionem acquisita est, aut consuetudinem legitimè præscriptam.

Concilium Tridentinum exemptioni derogavit, 1. Quoad visitationem ejusmodi Locorum in omnibus casibus, nisi sub immediatâ Regum tutelâ posita sint, quo in Casu sine eorum licentiâ visitare non potest Episcopus. 2. Quoad rationum redditionem, quæ semper fieri debet coram Ordinario, sive solo, sive aliis præsentibus, qui jus assistendi acquisierunt, vel ex consuetudine, vel ex privilegio, vel ex Statuto Locali; quod locum habet etiamsi Domus Religiosa, sub immediatâ Regum tutelâ sit; nam Concilium non iterat exceptionem hanc in *cap.* 9. de redditione rationum agente, casumque solum excipit, quo fundationis Instrumentum Episcopum ab assistendi jure excludit.

Autor sibi objicit clausulam *cap.* 3. præfixam, *in casibus à Jure concessis*, & respondet, eam obstare, quominùs Episcopus semper reposcere valeat rationes redituum ad pios usus destinatorum, nullamque rationem affert: forsan putavit, clausulam hanc non spectare, nisi potestatem generalem Episcopi in opera pia, quæ locum habere debet tantùm in casibus à Jure concessis. Ut ut sit, de ejus opinione, dici posset, per *casus à Jure concessos*, intelligi eos, qui non prohibiti sunt, quod enim Episcopo non est interdictum, ipsi vulgò concessum est: id probatum fuit in Tractatu *de Dispensationibus*.

Duas deindè quæstiones proponit circà Loca, quæ sub immediatâ Regum tutelâ posita sunt. Prima generalis est, altera localis. Hac itaque omissâ, breviter illam commemorabimus. Nempè quæritur, an exceptio in horum Locorum gratiam facta comprehendat ea, quæ à Jurisdictione Ordinarii non erant exempta, antè Decretum Concilii, quod exceptionem instituit? Autor autem negativè respondet; idque probat ex consilio, sive proposito Synodi hic restituendæ autoritatis Ordinarii contra Exemptiones undecumque profectæ essent: solutionem suam Congregationis Declarationibus confirmat.

Adjicit quòd, ut Locus Relligionis sub immediatâ Regum tutela constituatur, non sufficiat, ut id voluerit Fundator, suamque voluntatem declaraverit, sed requiratur præterea, ut Pontifex aut Episcopus consenserit: item quòd, licèt inchoando Ecclesiam pro Hospitali, ea supponatur ejusmodi tutelæ, Hospitale non fruatur idcircò eodem honore, nisi ipsum antè Ecclesiæ ædificationem adeptum fuisset; idemque esse si Hos-

Hospitali sub ejusmodi tutelâ constituto, uniatur Ecclesia secùs se habens, prærogativa Hospitalis non transit ad Ecclesiam.

Idem Autor fusiùs idem argumentum tractat *in cap.* 4. quod binâ conclusione exponit cum multis ampliationibus, limitationibus, & sublimitationibus, juxtà methodum apud Canonistas tritam. Probationes ejus ut plurimùm è Concilio eruuntur, & Declarationibus Congregationis Concilii. Distinguit inter *Locum Pium*, quo vocabulo eum intelligit, qui bonis operibus absque autoritate Ecclesiæ destinatus est; & *Locum Religiosum*, qui ad cultum Divinum ab Ecclesiâ consecratur. A Loco Religioso exordiatur, & dicit, nullum esse post Concilium, qui visitationi Episcopi non sit obnoxius, & de cujus reditibus rationes reposcere idem Episcopus non possit. Tùm enumerat casus, ad quos extenditur sua propositio. Dicit 1. Eam complecti non solùm Hospitalia, Xenodochia, Nosocomia, Orphanotrophia, &c. sed etiam quælibet alia Religiosa Loca, quæ sunt in Diœcesi. 2. Episcopus hanc facultatem exercere potest, tàm per alios, quàm per se ipsum. 3. In locis, quæ à Laïcis fundata sunt, & à Laïcis reguntur. 4. In iis, quorum Administratores à Principe eliguntur. 5. In locis, quæ dependent ab Universitatibus, quas Concilium nominatim excepit, cùm eas comprehendere noluit, *cap.* 5. SESS. XXIV. *cap.* 9. SESS. XXV. 6. In locis Exemptis; 7. Ea visitare potest, non obstante qualibet consuetudine contraria, etiam immemoriali, & quolibet Statuto. 8. Jus habet invigilandi & providendi, ut fideliter administrentur. 9. Jus habet concurrendi ad nominationem Administratorum, aliorumve Officialium. 10. Jus reposcendarum rationum amplius est, quàm jus Visitandi; siquidem illud nullam, hoc verò aliquam patitur exceptionem: 11. Rationum redditioni assistere potest, non obstante quòd ex consuetudine immemoriali, hoc jus alii acquisierint (quia agitur hîc de acquisitione cumulativâ, quæ Episcopum non excludit) itaque minimi refert, an consuetudo sit immemorabilis, nec ne; ideoque Concilium non adjecit clausulam *etiam immemorabilis*, quam in pluribus casibus inseruit, in quibus consuetudo immemorialis consuetudine non immemoriali, validior est. Hæc additio facta rationi ab Autore allatæ necessaria videtur, ut occurratur objectioni petitæ, ex eò, quòd Concilium clausulâ, *etiam immemoriali*, utatur, cùm Consuetudini immemoriali derogare intendit, quod tantùm facit, cùm id postulat argumentum. 12. Rationes Episcopus reposcere potest, non obstante concursu privilegii, consuetudinis immemorabilis, & sententiæ declaratoriæ. 13. Administratores tenentur Rationarium Librum apud Episcopum ferre; 14. Concurrit Episcopus in auditione Rationum cum cæteris, qui jus assistendi acquisierunt, sive ex consuetudine, sive ex privilegio, aut Statuto Locali. 15. Autoritas Episcopi debet intervenire in solutionibus sicut in rationum redditione.

Regula, quam modò Autor proposuit, exposuitque, tres exceptiones patitur: 1. In gratiam Locorum immediatæ Regum tutelæ suppositorum. 2. In gratiam fundationum, quæ Ordinarium excludunt ab omni potestate in Loca sic fundata. 3. In gratiam Locorum, quæ Religiosi Exempti, aut Militares Ordines, pariter Exempti, regunt. Fratres *Joannis de Deo* non continentur sub hac tertia receptione, quoniam fundatione suâ subjiciuntur Ordinario, quoad visitationem, administrationem & rationum redditionem.

A locis Religiosis transit FAGNANUS ad ea, quæ non sunt ejusmodi. Proponit hanc regulam, ea Ordinario non subjacere; idque probat ex *Canonibus*, qui potestatem Episcopi, in Loca Religiosa ex eo petunt, quòd Religiosa sint; undè sequitur, ea, quæ non sunt talia, ab ejus Jurisdictione esse immunia; deindè declarat, assertionem suam comprehendere, 1. Casus in quibus habent Oratorium privatum, vel destinatum ad solum Fundatoris, Ministrorum & eorum, qui recipiuntur, usum; 2. Casus, in quibus Fundator sibi facultatem eximendi lectos reservat, & loca ad promiscuos usus convertendi.

Posteà, à Regulâ excipit casum, in quo Patronus non revocatâ institutione defunctus est, quoniam tunc locus pius est: Episcopus autem summam præfecturam habet in omnia opera pia, & proindè in Loca ad eorum exercitium destinata. 2. Casum, quo illa visitare cupit, ad inspiciendum, an Fundatoris voluntas executionem legitimam fortiatur. In dubio, an autoritas Episcopi in institutione intervenerit, id præsumitur, si Loca Ecclesiastica notas habeant, v. g. Capellam benedictam, Campanile &c. deficientibusque his signis loca Episcopo etiam subjacent, quoniam eorum Incolæ sunt miserabiles personæ. 3. Casus, in quibus agitur de rationum redditione; quoniam hac in re Concilium *Cap.* 9. subjicit Episcopo universa Loca pia, sic etiam interpretata est Congregatio.

Autor disputationem hanc claudit quæstione, quæ ad *cap.* 11. SESS. XXII. attinet, eos excommunicans, qui bona & jura Ecclesiastica usurpant, aut usurpari mandant, aut usurpationi consentiunt; & quærit, utrum Universitates, quæ Ecclesiæ administrationem habent, ejusque pecunias mutuo tradunt, excommunicationem incurrant? Et respondet negativè; quia non comprehenduntur in Decreto, nec comprehendi possunt, cùm Collegia non subjaceant huic Censuræ; idemque obtinet circà mutuantes, quia casus mutui non continetur in Decreto; Censura autem, cùm sit odiosa, non nisi in casus nominatos cadit.

Quoad *caput* 8. SESS. XXV. quod etiam de Xenodochiis, Nosocomiis &c. aliis Locis Religiosis loquitur, necessarium videtur hîc illud breviter attingere, licèt FAGNANUS illud nominatim non exponat. In eo enim Concilium innovat *Clem.* 2. *de Religiosis domib.* (sicut fecit *cap. ult.* SESS. VII. suprà ab Autore expositò) quod prohibet Hospitalia in Titulum Clericis sæcularibus conferri, nisi secùs ferat fundatio, aut per electionem sit de Rectore hujusmodi Locis providendum, statuitque, ut eorum gubernatio viris providis, idoneis & boni testimonii committatur, qui proventus in usus destinatos fideliter dispensent, & ad instar Tutorum & Curatorum juramentum præstent. Concilium Tridentinum de fide administrationis loquitur, quoad Titulares, qui non minùs ad eam astringuntur, quàm cæteri, & declarat, eos teneri ad restitutionem omnium fructuum, quos in alios usus, quàm in eos, quibus destinati fuerant, convertunt; adjicit, quòd si in loco non reperiantur personæ qualitatem in fundatione requisitam habentes, Ordinarius adhibeat fructus ad usus maximè institutioni accedentes, quod justum est, cùm Beneficia, quæ ad certum Hospitalitatis genus astringunt, sive ad senum, sive peregrinorum, sive ægrorum, sive Orphanorum hospitium, quoad Titulum sint ejusdem naturæ, ac cætera Beneficia, eo quòd, ut ista, munera Ecclesiastica annexa habeant. FAGNANUS quæstionem tractans, an Pontifex possit absque simoniâ vendere Beneficia, & decidens cum Theologis contrà Canonistarum vulgus, non posse; decisionem suam extendit ad Hospitalia Beneficia, *in cap.* 4. *de pactis.* Argumentum ibi enucleat discutitque, atque ea, quæ, tùm ex illis refert, tùm ex se ipso promit, legi merentur.

CAPUT IX.

Capita 9. 11. 12. *de Clericis non residentibus.* *Caput* 3. *de sepulturis.*

TExtus hi ad obligationes, sive officia Beneficiatorum, maximè ad residentiam pertinent. FAGNANUS in suo circà eos Commentario exponit *cap.* 1. SESS. VI. *cap.* 1. SESS. XXIII. *cap.* 12. SESS. XXIV. Primum ad Episcopos spectat: alterum, ad Episcopos, & Parochos: tertium ad Beneficiatos Cathedralium & Collegiatarum, quoad residentiam. Cùm obligatio ad residentiam nascatur ex officiis, quæ Beneficiis annexa sunt, Concilium de hac obligatione loquens,

quens, breviter perstringit officia, quæ illam imponunt, & fusiùs agit de causis, quæ à residentiâ dispensant; de tempore, quæ Beneficiati majores fructus absque residentiâ lucrantur, eoque, quo non residentes eos amittunt; de pœnis non residentium, & modo procedendi adversùs ipsos. Autor hæc omnia exponendo, maximè circà mutationes immoratur, quas Concilium in Jure veteri circà hanc rem induxit.

Cùm *Raguſinum* Capitulum coram INNOCENTIO III. conquestum esset, Archiepiscopum ab Ecclesiâ suâ quatuor annos continuos abfuisse sine licentiâ, monitumque à Capitulo non rediisse, jubet Pontifex, ut, si intrà mensem, quo Decretum suum à Capitulo fuerit acceptum, non redierit Archiepiscopus, ad electionem novi Archiepiscopi Capitulum procedat. Indè FAGNANUS occasionem arripit exponendi *Canones* veteres & novos circà residentiam, & maximè immoratur circà Statuta Tridentina in hanc rem, docetque, quòd juxta hoc Concilium *Cap.* 1. SESS. VI. si Episcopus sex Mensibus continuis sine legitimâ causâ abfuerit, Concilium eum quartâ redituum annuorum parte privat, Fabricis aut Pauperibus largiendâ; & si absentia per sex alios Menses continuos perseveret, eamdem pœnam sancit Concilium. Erogatio hæc, quoad Suffraganeos, ad Metropolitanum pertinet. Quòd si Episcopus absentiam prorogaverit, Metropolitanus id Pontifici intrà tres Menses significabit sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrendi: si Metropolitanus ipse deliquerit, ad antiquiorem Suffraganeum cura monendi Pontificis devolvitur, quam si neglexerit, eidem interdicto subjicitur. Monitus Pontifex reum coërcere poterit pro contumaciæ gravitate aliumque Prælatum ejus Sedi sufficere. Huic dispositioni *cap.* 1. SESS. XXIII. adjicit, quòd, præter pœnas prædictas & peccatum mortale, absens sine causâ legitimâ, fructus amittit, pro ratâ absentiæ, eosque Fabricæ, Pauperibus-ve erogare teneatur; quod si omiserit, Superior ejus defectum supplere poterit: item declarat, fructus demitti non posse Episcopo sub compositionis lege, quam improbare videtur.

Datâ ejusmodi horum *Capitum*, quoad pœnas, summâ; objicit sibi FAGNANUS, videri Concilium, quod novas ferre pœnas intendebat, non debuisse innovare Canones veteres: & respondet, innovationem habere locum, quoad culpam, & quoad pœnam privationis, quam Concilium non pronuntiat.

Deindè, posteriora Concilio Pontificum Decreta refert, quæ videri possunt, sed à proposito nostro sunt aliena.

Tùm duas Quæstiones proponit. Prior est, an Episcopus, qui annum integrum in sua Diœcesi transigit, nullatenùs residendo in Ecclesiâ Cathedrali, incurrat pœnas? &c. Respondet negativè; quia Concilium de residendi obligatione loquens, his verbis utitur, *in Diœcesi, aut Ecclesiâ*. Posterior est, an residentiæ præcepto satisfaciat? Respondetque iterùm negando; quia secundùm Canones veteres, Episcopus in suâ Cathedrali præsertim degere debet, quoniam ea ipsi magis cohæret, ac est eorum prima, in quâ suum Consilium habet, quo uti debet, in consulendo aliorum necessitatibus, & juxtà Concilium Tridentinum, Adventum, Quadragesimam, & Festa solemnia transigere debet Episcopus in Ecclesiâ Cathedrali, nisi eum aliarum necessitates aliò vocaverint.

Discursum hunc claudit quatuor descisionibus Congregationis circà residentiam Episcoporum. 1. est, Episcopum tres absentiæ Menses sibi quotannis concessos, cumulare non posse cum tribus Mensibus anni sequentis, ita, ut sex continuis Mensibus absit, tribus scilicet posterioribus alicujus anni & tribus prioribus subsequentis; quoniam id Concilii Decretis contrarium est, quæ semestrem absentiam continuam prohibent, jubentque, ut in Cathedrali sua resideat Adventûs ac Quadragesimæ tempore, & in Festis solemnibus, quorum plura in sex Mensibus continuis reperiuntur.

2. Est, eum non posse cumulare quatuor Menses, qui ipsi in unoquoque triennio conceduntur ad invisenda Apostolorum limina, cùm quatuor Mensibus triennii sequentis, ità, ut post primam peregrinationem, secundam continenter adjiciat.

3. Est, æquum aut congruum non esse decidere generatim, an Episcopus prospiciens negotium, cujus causâ absentiam meditatur, tres ultrà Menses duraturam, ante profectionem suam licentiam postulare debeat, an solùm sub finem trium Mensium eamdem veniam petere? Decisio autem ferenda est, juxtà circumstantias occurrentium casuum.

4. Est, Episcopum, qui pluribus annis resedit, abstinendo à tribus Mensibus ad absentiam sibi concessis, non posse licentiam absentiæ absque causâ legitimâ postulare. 1. & 2. applicari debent omnibus Beneficiatis, quibus certum absentiæ annuæ tempus à Jure conceditur.

Quæri potest, quomodo fieri possit, ut, si Episcopus tres ultrà Menses abfuerit, omnes fructus post hoc trimestre obvenientes amittat, & si absentiam ultrà sex Menses protelaverit, quartâ redituum parte spolietur, & si in eâdem culpâ perseveret, aliâ quartâ privetur? sic enim si ultrà annum abfuerit, redituum dodrantem amittit, & consequenter quadrantem, plus quàm fert pœna absentiæ annuæ.

Circà hanc speciosam contrarietatem dici potest, priorem pœnam eos respicere tantùm, qui citrà sex Menses & ultrà tres Menses absunt: alteram eos, qui suprà sex Menses absunt: vel, primam spectare forum interius, alteram forum exterius: vel denique; hanc deduci debere ex fructibus residentiâ acquisitis. Hæc tertia interpretatio magis placet, & à Congregatione Cardinalium profecta est. Vid. FAGNAN. *in cap.* 11. de quo mox agemus. *num.* 15. & 24. ea Parochos perindè ac Episcopos spectat.

CAPUT X.

Caput 11. *de Parochis non residentibus.*

IDem Pontifex INNOCENTIUS III. consultus circà Parochos non residentes, qui latitabant, ut vitarent monitiones Canonicas personæ factas aut in loco domicilii, jubet publicari tres monitiones sive tria Citationum edicta atque affigi januis Ecclesiæ, post quas monitiones sex alios Menses expectabuntur Curati, quo tempore elapso, iis non regressis, Ecclesiis suis eidem privabuntur. Poterit etiam Legatus contrà eos procedere per Censuras suspensionis & excommunicationis, quibus effectu carentibus, Legatus iis administrationem spiritualium auferre poterit; atque in eorum locum substituere viros ad bonam administrationem idoneos; verùm abstinebit ab eorum degradatione, ut si revertantur, faciliùs eis prætérita ignosci atque condonari possint. Multas procedendi vias proponit Pontifex, quarum aliæ rigorem, aliæ misericordiam exhibent. Monitiones in utrisque necessariæ sunt. Si cognoscatur locus ubi versatur absens Parrochus, monitiones in eo loco fiunt; unica peremptoria sufficit, eamque publicare non est necessarium; tres semper requiruntur, eæque publicari debent, cùm ignoratur residentiæ locus.

Concilium introduxit novam procedendi methodum adversùs Parochos non residentes, perinde ac contrà Episcopos non residentes: substractionem scilicet fructuum per partes, ità, ut ipsis supersit undè alantur. Causæ, quæ Episcopos excusant Parochis quoque patrocinantur. Utrique tres Menses ad absentiam concessos habent, modò legitima causa suppetat. Parochi quadrantem annui reditûs amittunt absentiam ultrà Menses sex prorogantes; eamdem pœnam incurrunt, si culpam eamdem intra sex Menses

ses sequentes committant. Licentia speciali ad absentiam indigent, sicut Episcopi: quoad utrosque ea in scriptis dari debet. Neutri fructus lucrantur, qui tempore absentiæ causâ legitimâ destitutæ obveniunt; eos tuta conscientia servare nequeunt, sed eos Fabricæ pauperibusve erogare debent.

Quod ex Fagnano diximus de similitudine Parochorum cum Episcopis, quoad ea, quæ ad residentiam pertinent, fundatur in *Cap.* 1. SESS. XXXIII. quod iis præscriptis, quæ observanda sunt ergà Episcopos, sic loquitur, *eadem omninò etiam quoad culpam & amissionem fructuum, & pœnas, de Curatis inferioribus & aliis quibuscumque, qui Beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens, obtinet.* Nec refert, quòd in his verbis Concilium non loquatur nominatim de causis, nec de applicatione fructuum amissorum ad Fabricam, aut pauperes, nec de intervallo temporis, quoad privationem, observandi, nec de inutilitate remissionis non obstante omni compositione: causæ enim continentur in eo, quod dicitur, *quoad culpam;* cætera in eo, quod dicit, *quoad amissionem fructuum & pœnas.* His similitudinibus inter Curatos & Episcopos circà residentiam adjici potest, obligationis causas easdem esse ferè, provenientes quippe è Jure Divino, quod illis multa facienda præcipit ergà gregem suum, quibus fungi nequeunt non residendo.

Quod dicit Autor *num.* 29. 30. usque ad 34. legi meretur. Ibi observat mutationes à Concilio factas in Jure Veteri circà residentiam Curatorum. Præcipuæ sunt 1. Quòd juxtà Jus Vetus, Curati non residentes fructus ipso facto non amittebant; aut ipso jure; sed Episcopus eos illis privare poterat. 2. Curatus absens habitans in loco cognito, personaliter citari debebat, atque unica citatio modò peremptoria esset, sufficere poterat: si verò domicilii locus ignoraretur; tres requirebantur, & fieri debebant in Edicto publico. Hodiè neuter plusquam semel citatur. 3. Absens, qui latitabat, sex Menses expectabatur post tres monitiones: hodiè Episcopus procedere potest ad privationem Beneficii, post lapsum temporis in citatione definiti. 4. Publicatio citationis olim à viatore, seu Apparitore fieri debebat; hodiè sufficit eam affigi.

Quod docet hoc *Caput* circà non residentiam Curatorum Fagnano occasionem præbet loquendi de non residentiâ Dignitariorum, Canonicorum, aliorumque Beneficiatorum Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, & observandi discrimen, quod Concilium inter utramque culpam constituit *Cap.* 12. SESS. XXIV. scilicet 1. Quòd si hi Beneficiati tres ultrà Menses abfuerint, privari debent prima vice, semisse fructuum ejus anni, pro rata temporis, quo ultrà tres Menses abfuerint; 2. Si culpam eamdem admittant alio anno, pro secunda vice, fructibus omnibus privabuntur. 3. Pariter delinquentes anno tertio, Beneficio suo privabuntur. Asserit, Congregationem Cardinalium sic mulotiès interpretatam fuisse Decretum illud, vid. *num.* 14. *& num.* 35 *ibid.* ubi præterea observat, quòd, si locus, ubi Beneficiati absentes commorantur, ignotus sit, tres citationes *Cap.* 11. præscriptæ fieri debent, ibique sex intrà Menses expectandi, quibus elapsis, poterit Episcopus ad privationem procedere. Laudat, ut id probet, hæc Concilii verba, *contrà eos juxtà Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur.*

Quoad alios Beneficiatos ad residentiam fundatione aut consuetudine obligatos, forma hoc *Cap.* 11. præscripta accuratè custodiri debet, quoniam Concilium ergà eos nihil immutavit. Cùm Concilium Tridentinum nihil circà modum procedendi contra Episcopos absentes, quorum Domicilium ignoratur, statuerit; videtur *Caput* hoc 11. quoad ipsos, hac in circumstantia observari debere.

CAPUT XI.

Caput 3. *de Sepulturis.*

UNa ex obligationibus Parochorum, ob quas tenentur residere, est obligatio Sacrificii pro grege suo offerendi: ideo FAGNANUS animadvertens hanc obligationem in *Capite* 1. SESS. XXIII. commemorari, velut rationem præcepti residentiæ, indè occasionem arripit discutiendi *num.* 292. - - 95. utrùm Parochus possit accipere honorarium pro Missâ Parochiali, quam celebrare tenetur, ut Parochiani ejus præceptum audiendi Sacri impleant? Decidit autem, non posse; quoniam applicatio Sacrificii istius debetur Fidelibus, qui Parocho suo alimenta exhibent, ut sibi res spirituales, quarum indigent, administrentur; porrò, Missæ Sacrificium ex earum numero est; sed priusquàm hoc proponat, ad præludendum ei decisioni suæ, hoc in Sacrificio triplex pretii, vel fructûs genus distinguit. 1. Unum generalissimum, qui communis est omnibus, pro quibus omnis Sacerdos offerre debet, scilicet Ecclesiæ, Pontifici, Episcopo, Regi, Circumstantibus. 2. Alterum specialissimum, qui est pro omni Sacerdote, qui offert. Porrò, hi duo fructus non sunt in dispositione Sacrificantis: sed eos DEUS aut Ecclesia præfatis affectant. 3. Fructum medium, de quo Sacerdos disponere potest. Hic autem fructus is est, pro quo licitum est Sacerdoti accipere honorarium; ipse autem affectatur personæ, quæ illud solvit. Hanc ob causam Congregatio declaravit, neminem honorarium duplex accipere posse pro eâdem Missâ; quam decisionem ALEXANDER III. approbavit. Eamdem ob causam Congregatio definivit, Sacerdotem non posse dividere fructum hunc medium inter duas personas, accipiendo duplex honorarium, unum ab unâ, ad effectum satisfactorium, aliud ab altera, ad effectum impetratorium.

CAPUT XII.

Caput 9. *de consecrandis Ecclesiis.*

Caput hoc committi vetat Sacerdotibus reconciliationem Ecclesiarum pollutarum, & declarat, ejusmodi commissiones esse corruptelas, nullamque consuetudinem posse illas excusare, multò minùs justas facere. FAGNANUS aliquam similitudinem reperiens inter illas commissiones & eam, quam Episcopus daret Abbatibus, Sacerdotibus, & Benedictis, ad conferendam Tonsuram suis Diœcesanis, quos ad eos mitteret cum Dimissoriis ad eos specialiter directis (utrobique enim de facultate Episcopali agitur Sacerdotibus commissâ) circà quæstionem hanc docet, ejusmodi commissionem validam fore; item validam fore Ordinationem ex hujus commissionis vi factam; contenditque, *Cap.* 10. SESS. XXIII. non adversari huic decisioni; quoniam restringi debet ad Casum, quo Episcopus non consensit, quippe quod factum sit ad restituendam Episcopi autoritatem; additque utrumque à Congregatione decisum fuisse. Objici posset, Concilium, dùm autoritatem Episcopalem restitueret, honorem Corporis Episcopalis intendisse: Membrum autem Corporis commodo vel dignitati derogare non posse, *Cap.* 12. *de for. compet.* Respondetur, principium hujus Textûs satis firmum & constans non esse, ad destruendas laudatas Declarationes. Plures aliæ suppeterent objectiones; verùm Casus propositus ità rarus est, ut prolixiori tractatione dignus non sit, cùm pauciissimi sint Episcopi, qui Diœcesanos suos mittere velint ad Abbatem non Episcopum, ut ab eo Tonsuram, Minoresve Ordines accipiant.

Ex hâc quæstione FAGNANUS ad aliam transit, quæ ad hanc aliquantulùm accedit, aut saltem ad hujus *Capitis* argumentum; scilicet, utrum Episcopus com-

mittere possit Abbati solemniter benedicto degradationem Clerici in Sacris Ordinibus constituti? Quæstio hæc cum superiore convenit in eo, quòd in illâ de potestate conferendi Ordines agatur, in hac verò de facultate Ordines auferendi, vel potiùs eorum Symbola & exercitium: differunt autem, quòd hæc Majores Ordines respiciat, illa autem Minores. In hujus quæstionis decisione negativam sequitur; quoad illam, affirmativam amplexus erat. Momentum ejus est, quòd degradatio sit Officium Ordinis Episcopalis ità venerabile in se quondam habitum, ut sex Episcopi requirerentur ad degradationem Presbyteri, tres verò ad degradationem Diaconi. Hodiè etiam necessarium est, ut fiat ab Episcopo, totidem Abbatibus Mitræ ac Pedi jus habentibus adjuto, quot olim requirebantur Episcopi assistentes. *Conc. Trid. cap.* 4. SESS. XIII. sic præcipit. Verosimile est Fagnanum quæstionem prædictam proposuisse ad exponendum hoc Concilii Decretum. Circà hoc etiam laudat unam Cardinalium Declarationem, definientem, Superiores Religiosorum Mendicantium non posse assistere in degradatione deficientibus Abbatibus, quoniam Concilium hoc in casu personas in Ecclesiasticâ Dignitate constitutas Abbatibus subrogat.

Cùm sibi objecisset Episcopum in quibusdam casibus posse committere Ordinationem Abbatibus Presbiteris & benedictis, undè videtur sequi, degradationem in quibusdam casibus iis committi posse: respondet cum INNOCENTIO III. *cap.* 2. *de translat.* res spirituales difficiliùs destrui, quàm construi, quippe Episcopus solitarius potest dare Ordines, eos autem auferre non valet. Adjicere potuisset, comparationem Ordinationis cum degradatione hìc insigniter claudicare; scilicet, commissio Ordinationis ad Ordines Minores tantùm extenditur, degradatio autem Majores comprehendit Ordines.

CAPUT XIII.

Caput 16. *de Officiis Judicis ordinarii.*

HOc in *cap.* HONORIUS III. enumerat omnia jura Episcopalia, inter quæ plura sunt, quæ exposita aut relaxata aut ordinata fuerunt alio modo, unde FAGNANUS occasionem accipit exponendi *cap.* 2. 3. SESS. XXIV. quod breviter exequitur à *n.* 25. usque ad 37. Unicum est, circà quod immoratur *n.* 48. usque ad finem. Semper habuit Episcopus potestatem singularem in pœnitentiam; undè HONORIUS pœnitentiam inter Episcopalia jura collocat. Ex his juribus FAGNANUS attingit solùm facultatem casus reservandi, & potestatem convertendi pœnitentiam publicam peccatori publico imponendam ad reparationem scandali, in pœnitentiam arcanam, cùm hoc saluti expedire judicat Episcopus.

Cùm Concilium hìc potestatem hanc soli Episcopo attribuat, videtur eam ipsi reservare, atque iis, qui ejus autoritatem exercent. Convocatio Synodi est etiam jus Episcopale, circà quod Concilium jubet omnes Exemptos, nonobstante quavis Exemptione, Synodo assistere, posito quòd exemptione remotâ assistere debeant.

Jus Visitationis est etiam unum è juribus Episcopalibus, circà quod Autor hic plures Definitiones Congregationis laudat. *Prima* declarat, Concilium nullum tempus determinavisse ad durationem Visitationis; sed illud prudentiæ & conscientiæ Episcopi reliquisse. *Secunda*, Episcopum inceptam quorumdam locorum Visitationem intermittere non debere; sed usque ad finem continuare.

Tertia quoad Visitationem, Episcopum non posse recusari velut suspectum, sive generalis illa sit, sive specialis.

Cùm Concilium prohibeat in Visitatione quidvis ab Episcopo præter alimenta, aliave ejusdem generis & quartam è Legatis Piis exigi, sub obtentu Procurationis aut aliùs cujuscumque juris; FAGNANUS quærit, an hæc prohibitio *Cathedraticum* contineat? Et respondet negativè, atque probat prolixè: quod ibidem Lector videat.

CAPUT XIV.

Caput 15. *de temporibus Ordinationum. Caput* 2. *de Clericis pugnantibus.*

UTrumque agit de potestate dispensandi à Canonibus, indè FAGNANUS occasionem trahit exponendi *cap.* 7. SESS. XIV. & *cap.* 6. SESS. XXIV. *de reform.* studiumque suum ad exaltationem autoritatis Sanctæ Sedis significandi; nulla enim in re tantùm Pontifici favet, quantùm in argumento dispensationum. Jam attigimus Autoris verba in *cap.* 2. *de Cler. pugnantib.* hìc tantùm superest discutienda ejus tractatio in *cap.* 15. *de temporib. Ordin.* Ejus summam subjicio cum necessariis notis, ad distinguendum verum à falso, certum ab incerto.

Contendit, Episcopum dispensare non posse nisi cùm Jus id ipsi nominatim concedit, sive dispensationem permittendo sine reservatione, sive eam Episcopo disertis verbis tribuendo. Hæc opinio fusè confutata fuit in Regulis circà dispensationes; hìc adjicere sufficit *cap.* 6. SESS. XXIV. supponere, id, quod Pontifici non reservatur, Episcopo licere; ad restituendam enim hanc potestatem Episcopo, reservationibus tantùm derogat, sicut ad restituendam eamdem potestatem in Exemptos, Exemptionibus derogavit; ergò putavit, id, quod Pontifici non fuerat reservatum, Episcopo licere.

Supponit, Pontificem non subjacere Canonibus Ecclesiæ, atque indè fieri, ut ab iis dispensare queat; ergò, propter contrariam rationem, Episcopus, qui iis subjectus est, ab iis dispensare nequit; quod falsum est: Nam Pontifex, cùm sit Ecclesiæ Filius, perinde atque Episcopus, eidem sicut Episcopus obtemperare debet.

Contendit, Decretum Concilii cadere duntaxat in Reservationes jàm factas, non verò in futuras; quod fini Decreti, bono scilicet animarum, adversatur, quod postulat id, ut Episcopus dispensare possit & absolvere in casibus occultis, in omni re Pontifici reservatâ excepto homicidio. Excipiendi sunt casus, in quibus Pontificiæ Bullæ sibi casus occultos reservarunt, quod viget tantùm quoad loca, in quibus illæ receptæ sunt. Meritò FAGNANUS agnoscit mutilationem non contineri sub exceptione homicidii.

Laudat Definitiones Cardinalium, quæ à beneficio hujus *cap.* 6. excludunt loca, in quibus Concilium non fuit receptum; adversùs quas objici potest. 1. Posse recipi Decretum aliquod, aliis rejectis; 2. Æquum non videtur Provincias, quibus statuta quædam conveniunt, iis uti non posse, nisi aliis se subjiciant, quæ sibi non congruunt, v. *Can.* 2. DIST. IV. quo dicitur, Legem, ut justa & acceptabilis sit, Regioni convenire debere. Alias circà hoc observationes proposuimus in Tractatu *de Irregularitate*. Una ex præcipuis est, nullam esse Provinciam Catholicam, quæ plura Concilii Decreta non admittat, quod sufficere debet, ut hujus Decreti beneficio fruantur. Notavimus præterea, paucas esse, quæ universa, saltem sine modificatione receperint; si autem acceptatio omnium Decretorum, prout sunt, ad hoc beneficium necessaria esset, Decretum ferè inutile evaderet. Nihil dicit Concilium, quod huic exclusioni faveat; cur igitur admitteretur? Declarationibus objectis responderi potest, has Definitiones eo tempore factas fuisse, quo multæ Regiones Catholicæ nihil omninò receperant è Definitionibus Concilii circà Disciplinam.

Alias deinceps laudat, quæ utiliores sunt. Ferunt 1. Prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, non gaudere beneficio hujus Decreti. 2. Idem esse de Cardinalibus quoad eorum Titulos. 3. Peregrinos

grinos in aliâ quàm suâ Diœcesi commorantes, hoc Decreto frui posse per dispensationem aut absolutionem Episcopi hujus recentis domicilii. 4. Episcopum posse à Confessario suo accipere absolutionem casûs, à quo cæteros ipse absolvere potest.

Ad propositam quæstionem, an crimen coram duobus aut tribus testibus admissum sit occultum, quoad dispensationem, aut absolutionem, de quibus loquitur hoc Decretum? Respondet negativè, quoniam ejusmodi crimen probari potest; quod autem probari potest non est occultum. Non attendit, hìc agi de facultate dispensandi, & facultate absolvendi, quæ sunt res favorabiles; itaque Decretum extendi potiùs quàm restringi debet.

CAPUT XV.

Capita 16. 18. 24. *De Privilegiis.*

LOquuntur de quibusdam Exemptionibus, quibus Concilium Tridentinum aut reipsa derogavit, aut derogavisse videtur *cap.* 11. SESS. XXIV. *de reform.* Hujus derogationis ratione FAGNANUS exponit hoc *Caput* & plura alia ejusdem Concilii *cap.* 2. *&* 4. SESS. VI. *cap.* 6. SESS. XXV. Caput 11. duplex genus Exemptorum ab Episcopali jurisdictione commemorat: alii sunt Exempti ratione Titulorum honorabilium Protonotarii, Acolyti, Comitis Palatini, Capellani Regii, aliorumque, qui habitum & insignia horum Officialium habent, sive in Curiâ Romanâ, sive alibi. Idem est de iis, qui Titulos gerunt, aut Oblatorum quorumdam Monasteriorum, aut Ministrorum quarumdam Militiarum, aut Monasteriorum, aut Hospitalium, aut Collegiorum. Quoad hosce Titulares, eos in omnibus Ordinario subjicit Concilium, & quoad Regios Capellanos renovat *cap.* 16. *de privileg.*

Alii Exempti sunt ii, qui actu in iis Militiis serviunt, in ipsarum Domibus residunt, sub earum obedientiâ vivunt. Idem est de iis, qui istarum Militiarum regulam professi sunt, quod probari debet coram Ordinario, non obstante quovis privilegio iis Ordinibus concesso, comprehenso etiam nominatim Ordine S. Joannis Hierosolymitani. Concilium non derogat Exemptioni horum posteriorum generum. Idem est de Exemptione ab EUGENIO IV. concessâ Domesticis Cardinalium in Curiâ Romanâ commorantium. Hos Ordinario subjicit Concilium quoad Beneficia, quæ in ejus Diœcesi possident. Hoc *cap.* referimus quoniam fusè exponitur in ejus Commentario in hos tres Textus. De *Capellanis* agit in primum: in secundum de *Referendariis*, quos contendit esse Officiales, de quibus loquitur hoc *cap.* 11. & in tertium de *Oblatis*, qui ibi nominatim commemorantur.

CAPUT XVI.

Caput 16. *De privilegiis Capellanorum.*

PRincipio observat Autor, quòd si privilegium Clericorum merè personale sit, Ecclesia non est Exempta; & si sit Locale, Personæ non sunt Exemptæ, si extrà locum deliquerint: Idem est si extrà hunc locum contrahant; aut res, quæ jurisdictionis materia sit, extrà eumdem locum sita sit.

2. Observat, quòd, juxtà hunc Textum, eadem Persona poterat esse Curatus in unâ Ecclesiâ, & Canonicus in aliâ; sed hodie, juxtà Concilium Tridentinum *cap.* 4. SESS. VII. *cap.* 12. *&* 17. SESS. XXIV. hæc Beneficia sunt incompatibilia, ratione obligationis ad residentiam.

3. Capellani Capellarum Regiarum subjecti sunt Ordinario, non verò Magistri ipsorum, quia Principes ipsi Ordinario subditi sunt: ex privilegio tantùm ab illius jurisdictione sunt exempti, ut patet ex hoc Textu. Concilium non derogavit huic exemptioni, exceptâ visitatione, cui subjacent, *cap.* 4. SESS. VI. *cap.* 6. SESS. XXV.

4. Exemptio aliquandò partialis est; nempè quoad certa capita duntaxat: Talis erat ea, de quâ loquitur hic Textus, quæ à Censuris Ordinarii solùm protegebat.

5. Fieri potest, ut personæ quædam, aut Ecclesiæ sint Exemptæ, & non exemptæ, & sic diverso jure censeantur, adversùs regulam, quæ dicit, hoc fieri non debere, & patitur hanc exceptionem.

6. Cùm quis possidet Parochiam non exemptam & Canonicatum exemptum, is subjacet Ordinario quoad omnia, quæ ad Curam animarum pertinent, & ab eo independens est, quoad ea, quæ Canonicatum spectant. Hoc in Regularibus accidit, qui sunt Curati *cap.* 11. SESS. XXV. *de Regular.*

Post has observationes quærit Autor, an Religiosi, quibus cura animarum sæcularium non competit, delinquentes in administratione Sacramentorum, subjiciantur coercitioni Ordinarii? Respondentque negativè, probat suam sententiam argumento negativo, scilicet, quia nullum est Decretum Concilii, quod eos disertè subjiciat propter ejusmodi delictum: id autem facere solet, quoties eorum exemptioni derogare intendit, quod probat ex *cap.* 2. SESS. V. *cap.* 3. SESS. VI. *&* *cap.* 14. SESS. XXV. *de Regul.* Adjicere potuisset *cap.* 11. SESS. *ejusd.* ubi Regulares Curatos coercitioni Episcopali nominatim subjicit.

Idem probat per Declarationem Cardinalium, quæ fert, quòd si Religiosi sæcularium Confessionem audiant, sine approbatione Episcopi, eorum Superior Regularis eos punire debeat: idem est si extrà suam Ecclesiam concionentur sine approbatione, & in suâ Ecclesiâ sine permissione Episcopi, & benedictione, etiam contra ejus voluntatem.

Posteà refert in Congregatione statutum fuisse, necessarium esse, ut circà hoc fieret Constitutio, quæ subjiceret punitioni Episcopi varia hæc delictorum genera, nec non ea, quæ committuntur à Regularibus circà Confessiones & administrationes bonorum Monialium eorum jurisdictioni subjectarum, & circà clausulam Monialium quarumvis; curam autem ejus minutam conficiendi sibi commissam fuisse, eamque à GREGORIO XV. fuisse conditam; atque omnia illa capita ipsi inserta fuisse: incipit ab hoc verbo, *Inscrutabili*, & legi potest *ibid.* nunc Declaratione Cardinalium circà illam Constitutionem, quæ fert, istam non subjicere Regulares Episcopali coercitioni, propter delicta in administratione Sacramentorum admissa, nisi cùm illa sæcularibus administraverunt.

Hæc Declaratio 13. capita continet, quæ docent, quid Constitutio præcipiat, cùm autem ex responsionibus discatur quomodo intelligenda sit, earum summam subjicio.

1. Episcopus ex hujus Constitutionis vi non potest visitare Altaria Ecclesiarum Regularium neque Tabernaculum, neque Confessionalia.

2. Non potest iis præscribere neque loca, neque tempus, neque conditionem personarum sæcularium, quarum Confessiones audient.

3. Nullam ex eâ autoritatem recipit, in personas nullius Diœceseos.

4. Prælati territorium habentes, exercere non possunt potestates hâc Constitutione concessas.

5. Cùm permittitur Episcopo assistere & præesse Electioni Abbatissarum, non ei datur jus illas confirmandi.

6. Confessarii Religiosarum, sive Extraordinarii, sive Ordinarii, non possunt audire Confessiones Religiosarum Monialium sui Ordinis sine approbatione Episcopi.

7. Idem est de Superioribus.

8. Confessiones aliter factæ nullæ sunt.

9. Approbatio generalis data Regularibus ad audiendas Confessiones non sufficit ad audiendas Confessiones Monialium.

10. Approbatio data pro uno Monasterio Monialium non valet respectu alterius.

11. Confessarii extraordinarii novâ approbatione indigent, quoties id munus exequuntur.

12. Episcopus, qui revocat Confessarios Monialium & Administratores bonorum illarum, non tenetur causas proferre, sed hoc ejus conscientiæ relinquitur.

13. Hæc Constitutio non limitatur ad delicta notoria & scandalum parientia.

Omnes hæ responsiones approbatæ fuerunt à GREGORIO XV. qui Constitutionem ediderat an 1622.

CAPUT XVII.

Caput 18. *De Exemptionibus.*

HIc dicit INNOCENTIUS III. personas, quas Pontifex sub suâ tutelâ nominatim recipit cum omnibus earum bonis, non esse idcircò à jurisdictione Episcopi sui exemptas.

FAGNANUS hunc Textum exponens observat, duplex esse tutelæ, seu protectionis genus, aliud generale, aliud speciale; atque hunc Textum restringi debere ad primum; alterum enim exemptionem continet, sicut exceptio in proprios & speciales subditos, *cap. si Papa, de priv. in 6.* 2. Circà hoc idem est de singulis Ecclesiis ac de singulis personis.

Posteà petit, an Referendarii utriusque signaturæ Gratiæ & Justitiæ, aut unius tantùm, & Domestici eorum exempti sint à Jurisdictione Ordinarii, quoad delictum, contractum, aut rem, de quâ agitur, & relatis dispositionibus Concilii Tridentini *cap.* 3. SESS. V. *cap.* 4. SESS. XIV. *cap.* 11. SESS. XXIV. & quorumdam Pontificum, præcipuè vero SIXTI V. concludit ex Constitutione hujus Pontificis, quæ pro regula obtinet, eos Officiales frui universali exemptione, sive in Visitatione, sive extrà Visitationem, tàm quoad negotia civilia, quàm quoad crimina, ubicumque delinquant, aut contrahant, bonave eorum sita sint: secùs est de Domesticis eorum, Capellanis, Famulis, qui Visitationi & correctioni Episcopi tamquàm Delegati Sedis Apostolicæ subjiciuntur; quia Concilium Tridentinum derogavit Constitutioni PAULI III. qui eis exemptionem concesserat, & SIXTUS V. eorum mentionem non facit. Extrà visitationem exempti sunt quoad negotia civilia, subditi autem quoad crimina, posito quòd Episcopus resideat, aliàs suâ exemptione fruuntur. *n.* 54. Agendo de exemptione istorum Officialium, obiter exponit *cap.* 14. SESS. VII. & *cap.* 4. SESS. XIV. *de reform.* dicitque, prius loqui de exemptione mixtâ, personali scilicet & locali, sicuti *cap. volentes de privil. in 6.* quod renovat, & quapropter jubet, ut negotia civilia exemptorum, qui extrà Monasterium residunt, ad Episcopi notionem pertineant. Posterius agit de exemptione merè personali, quæ cùm à Concilio Tridentino omninò antiquata fuerit, Referendarii suâ, quæ est hujus generis, frui non potuissent, nisi eam restituisset SIXTUS V.

CAPUT XVIII.

Caput 24. *De Privilegiis Oblatorum.*

HIc Concilium Lateranense IV. exponit Privilegia Oblatorum, nec non Religiosorum circà quædam capita. Quod dicit de Oblatis, FAGNANO præbuit occasionem prolixè de iis tractandi, respectivè ad id, quod dicitur de eorum exemptione *cap.* 11. SESS. XXIV. *de reform.* Oblati, de quibus loquitur Concilium Lateranense, sunt ii, qui se aut bona sua quibusdam Ordinibus aut Monasteriis obtulerunt; iis nomen *Confratrum* dat, iisque concedit 1. Ut, si Ecclesia eorum interdicta sit, in ea post mortem suam sepeliantur, nisi excommunicati fuerint ipsi, nominatim-ve interdicti. 2. Ut, si Prælati illarum Ecclesiarum hos Confratres sepelire noluerint, Religiosi, quorum sunt Oblati, eos in suâ Ecclesia sepeliant. Posteà declarat, Confratrum nomine intelligi eos, qui adhuc in sæculo remanentes se Monasteriis obtulerunt, mutato habitu sæculari; aut eos, qui bona sua Monasteriis quibusdam donaverunt inter vivos, etiam retento usufructu; ab his privilegiis excludit eos, qui modicam bonorum suorum portionem dederunt, ne duobus aut tribus denariis dissolvatur & vilescat Disciplina.

Quamvis juxtà hoc Concilium Oblati possint frui his privilegiis, si suas personas habitu mutato obtulerunt, aut bona sua dederunt, retento usufructu, personâ nec datâ, neque mutato habitu: nihilominùs FAGNANUS, plures alios Interpretes secutus, existimat, ut his privilegiis locus sit, cæterisque ad viros Oblatos pertinentibus, oportere, ut oblatio personæ concurrat cum oblatione bonorum, oblatio sit perpetua, mutaverint habitum, sæculo renuntiaverint, reliquerint domum, atque apud eos intraverint Oblati, quibus se obtulerunt. Cætera privilegia Oblatorum sunt: 1. Immunitas fori, tam in rebus Civilibus, quàm Criminalibus 2. Immunitas bonorum. 3. Immunitas personarum Ecclesiasticarum quoad personam. Fundamentum horum privilegiorum est, quòd veri Oblati personis Ecclesiasticis annumerati sunt.

Iidem Autores Oblatos à Conversis distinguunt, in eo, quòd hi habitum Religiosum gerunt, triaque vota, Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis, faciunt. Oblati verò alium habitum à Sæculari & Religioso diversum habent; obedientia, quam vovent, non est Monachalis; possunt esse conjugati, & aliquid sibi proprium retinere, scilicet bonorum suorum, aut partis eorum usumfructum.

Quoniam hìc de Oblatis non agimus, nisi quoad privilegium ipsis à Concilio Tridentino conservatum, de cæteris privilegiis brevissimè egimus, & de conditionibus ad ea requisitis. Quoad hoc necessarium est observare, omnia quæ dicuntur à FAGNANO ad expositionem *cap.* 11. SESS. XXIV. & quæ ad 3. capita reducuntur. 1. Ii, qui plenè Oblati non sunt, Episcopi Jurisdictioni subjiciuntur, non obstante quovis privilegio & quavis consuetudine: 2. Ii, qui plenè Oblati sunt, huic etiam jurisdictioni subjiciuntur, si præter conditiones Jure communi requisitas ad cætera privilegia, Religioni actu non serviant: 3. In utroque casu jurisdictio Ordinarii cumulativa est, & non privativa respectu Superiorum Regularium, quoad casus in quibus hi autoritatem habent in Oblatos. Ultimum hoc caput probat per principium, quod constare asserit, scilicet, quoties Lex alicui dat jurisdictionem in personas, quæ aliis anteà subjiciebantur, pristinam jurisdictionem integram conservat, nisi ejus possessores excludat per particulam taxativam *tantùm*; laudatisque pluribus Legibus atque Autoribus idem docentibus, ac relato exemplo Legis, quæ in quibusdam casibus Scholasticos Episcopo subjicit, non derogando jurisdictioni, quam in eos habet Rector, suum principium accommodat Oblatis, in quos Religiosi jurisdictionem habebant, priusquàm eos Ordinario subjiceret Concilium; observatque 1. Concilium nihil adjicere, quod disertè huic Jurisdictioni deroget; 2. Quòd Concilium, quando jurisdictionem privativam dare vult, id exprimat, laudatque in probationem *cap.* 2. SESS. XXIV. ubi Concilium certa negotia Episcopali notioni subjiciendo, bis utitur hâc particulâ taxativâ: 1. In his verbis: *Causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima Instantiâ coram Ordinario locorum duntaxat cognoscantur.* 2. *Ad hæc causæ Matrimoniales & Criminales, non Diaconi, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum Judicio, (etiam visitando) sed Episcopi tantùm examini & jurisdictioni relinquantur; & cap.* 3. SESS. XXV. *de reform.* ubi Concilium alii cuicumque, quàm Episcopo, vetat concedere Monitoria ad revelationem tendentia, probat insuper per Declarationem Cardinalium, quòd, quandò Concilii Decreta quamdam jurisdictionem tribuunt Episcopo in materiâ, circà quam Prælati inferiores autoritatem habebant, cumulativa illa est tantùm. Hæc Declaratio pertinet ad *cap.* 7. SESS. VII. & *cap.* 11. SESS. XXV. *de Regular.* hoc subjicit Religiosos Curatos

ratos aut Curatorum Vicarios jurisdictioni Episcopi, non obstante quavis exemptione: illud idem sancit de Parochiis Monasteriis unitis.

CAPUT XIX.

Caput 18. *de Præbendis.*

HIC INNOCENTIUS III. rescindit Electionem alicujus in Præpositum ob multas rationes, sed præcipuè quoniam Electus habebat jàm plures Dignitates & plures Præbendas. FAGNANUS expositò hoc *capite*, in pluribus observationibus multas proponit quæstiones circà pluralitatem Beneficiorum simplicium, exponere intendens *cap.* 17. SESS. XXIV. *de reform.* unde earum ferè omnium resolutionem deducit.

Quærit 1. an pluralitas Præbendarum, aut aliorum Beneficiorum simplicium Jure communi prohibeatur? Et relatis circà hoc decem opinionibus cum fundamentis earum, quæstionem solvit per hoc Decretum Concilii, quod pluralitate Beneficiorum reprobatâ, ob rationem generalem, quia, scilicet ordinem Ecclesiæ turbat, dùm unus plurium locum occupat, prohibet cuivis dari plusquàm unum Beneficium, nisi unum ejus sustentationi non sufficiat; quo in casu permittit hunc defectum suppleri per Beneficium simplex, modò utrumque ad residentiam non obliget; cùm hoc interdictum excludat à possessione duorum Beneficiorum, quorum alterum ad honestam sustentationem sufficiat, sicut à possessione duorum, quæ singula ad residentiam obligant. FAGNANUS contendit Concilium eo pacto novam introduxisse speciem incompatibilitatis provenientem ex sufficientiâ singulorum ad sustentationem, atque huic incompatibilitati tribuisse omnes aliarum effectus, scilicet, ut prius vacet per acquisitionem posterioris, & possessor utrumque amittat, si ambo retineat, *cap.* 28. *de Præbend.* Optandum foret ejusmodi incompatibilitatem tàm realem esse, quàm æqua est, sed existentiæ ejus non suppetunt sufficientes rationes: nam ibi agitur de duabus pœnis, quæ locum habere non debent nisi in casibus, in quibus exprimuntur: de iis autem ne verbum quidem fit in *cap.* 17. quod hanc novam incompatibilitatis speciem introduxisse dicitur. Prætereà, usus, qui Legum optimus est interpres, hoc Decretum sic interpretatus fuisse non videtur; nam, licèt ex illo tempore plura Beneficia simplicia eidem personæ collata sæpè fuerint, quæ singula ad ejus sustentationem sufficiebant, inauditum est, dispensationem ad illa retinenda quæsitam fuisse, multò minùs aliquem ea impetravisse, ideo quòd sine dispensatione possiderentur.

Quod de æquitate hujus incompatibilitatis diximus, evidens est: Beneficium quippè datur ad honestam sustentationem tantùm, & multiplicata duntaxat fuerunt Beneficia, ut singuli Ecclesiastici possint habere Titulum Ordinationis, & locum in quadam Ecclesia, qui eos aliquo munere gravans, iis suppeditaret, undè illud decenter exequerentur.

Petit 2. an Episcopus possit dispensare circà pluralitatem Beneficiorum simplicium? Et respondet, à tempore Concilii Tridentini Episcopum dare non posse ejusmodi dispensationem, quoniam, si primum Beneficium non sufficit, necessaria non est dispensatio: & si sufficit, illa dispensatio potestatem Episcopi superat, quia ab illo Concilio dispensare non potest, maximè si singula residentiam requirant. Non attendit, Concilium Tridentinum, non esse Generalius quarto Concilio Lateranensi, quod Pontifici reservans tantùm dispensationem à pluralitate Parochiarum, aliorumve Beneficiorum Curatorum, & à pluralitate Personatuum, aut Dignitatum, cæterorum dispensationem Episcopo relinquebat.

Discutiens anteà quæstionem juxtà Jus Commune, dicit, Episcopum potuisse dispensare, si Beneficia erant in eâdem Ecclesiâ, & generis diversi; secùs autem, si ejusdem forent generis, discriminisque hujus rationem afferens addit, illud nasci ex eo, quòd in altero Casu minuitur numerus Officiorum; is autem non minuitur in primo. Falsa est hæc ratio; in utroque enim Ministrorum numerus minuitur.

Petit 3. utrum Collatio secundi Beneficii facta ab Episcopo ei, qui sufficiens habebat ad suam sustentationem, nulla sit? An, post apprehensam possessionem secundi, vacet prius?

Ad primam partem respondet, collationem valere, quia prohibitio Tridentini non magis Ordinarii potestatem restringit, quàm prohibitio quarti Lateranensis: constat autem post illud, Episcopum validè contulisse Parochiam aut Dignitatem ei, qui jam unam possidebat.

Circà secundam dicit, acceptâ possessione secundi, prius vacare, idque probat per decisionem parvæ Congregationis approbatam à Pontifice, qui judicavit, necessarium non esse, illam in Congregatione generali discuti.

Petit 4. an, cùm Episcopus dat Beneficium ex se sufficiens ei, qui jam habet unum insufficiens, is possit utrumque retinere, infracto Concilii Tridentini Decreto? Aut, si accepta possessione secundi, prius vacet, an eo sententialiter privari debeat?

Respondet, utrumque retineri posse, quoniam privatio prioris est pœna, quæ non habet locum nisi in casibus expressis, de hoc autem silet Concilium.

Responsio hæc adversatur prætensæ incompatibilitati, quam Autor contendit à Concilio Tridentino introductam fuisse; nam, si aliquis habens exiguum Beneficium residentiam requirens, aliud majus acquirat ejusdem generis, utrumque retinere nequit. Ratio autem hujus incompatibilitatis accepta ex obligatione ad residentiam, quæ retentionem amborum impedit, locum habet in incompatibilitate quæsitâ, ex eo quòd Beneficium unum sufficiat, cupiditas autem sola suadeat retinendum esse Beneficium ad honestam sustentationem non necessarium. Itaque obligatio nihil ultrà Beneficium sufficiens optandi, eumdem effectum operari debet circà prius Beneficium insufficiens, quem obligatio ad residentiam in secundo operatur respectu prioris, quod residentiam pariter requirit. Satius fuisset igitur hanc incompatibilitatem ad forum interius restringere, ac dicere, quòd, sicut is, qui Beneficium sufficiens habet, aliud accipere non debet, quamvis aliundè cum priore non sit incompatibile; similiter prius, quod non sufficit, retinere non debet cum secundo, quod plenè sufficit, non solùm ne alatur cupiditas, sed etiam, ut detur alicui Titulus Ordinationis, aut suppleatur id, quod ad alterius sustentationem deest.

Petit 5. an, si Episcopus conferat Canonicatum alterius Ecclesiæ, ei qui unum jam possidet cum Officio, quod cum ipso possideri potest in eâdem Ecclesiâ, Collatio sit nulla? Et respondet affirmativè; quia possessio duorum Beneficiorum, cùm Jure communi contraria sit, inhabilem reddit ad recipiendum tertium: hæc autem incapacitas à solo Pontifice auferri potest. Nescimus, an hæc ratio aliis satisfecerit; nobis autem minimè: quia non videmus quo pacto prohibitio possidendi tertium Beneficium incompatibile cum duobus compatibilibus, magis inhabilem reddat ad recipiendum tertium, quam prohibitio duo Beneficia incompatibilia possidendi, reddit inhabilem ad recipiendum secundum eum, qui jam unum possidet: Hæc enim incapacitas non cadit in receptionem, sed in retentionem, & sicut licet accipere secundum Beneficium incompatibile cum primo, cum voluntate unum duntaxat retinendi; licere etiam debet accipere tertium incompatibile cum duobus compatibilibus, quæ jam possidentur, modò adsit voluntas deserendi duo priora, si tertium, quàm duo priora magis, placeat: & quidem duo hæc Beneficia compatibilia, velut unum & idem duntaxat Beneficium habentur, quoad incompatibilitatem cum tertio, per se etiam incompatibili, pluralitas permissa non magis obstat acquisitioni tertii, quàm unitas permissa.

CAPUT XX.

Caput 1. *de Pœnitentiâ & remissione.*

FErt hoc *Caput*, correctionem secretam non sufficere pro peccatis manifestis. Textus hic evidentem relationem habet cum *cap.* 8. SESS. XXIV. *de reform.* ubi Concilium in verbis Apostoli instat, qui jubet, ut publicè corrigantur, qui publicè delinquunt, cùmque dixisset, peccato publico, se intelligere crimen palàm admissum coram multis personis, ità, ut dubium non sit, scandalum ex eo natum esse, præcipit imponi pœnitentiam publicam gravitati criminis proportionatam, ut in viam rectam reducantur ii, quos crimen ab eâ dejecerat; & permittit Episcopo mutare in pœnitentiam secretam, genus hoc pœnitentiæ publicæ, quoties id necessarium aut utile judicabit. Propter hanc itaque relationem FAGNANUS hîc *caput* hoc exponit, petitque, an locum habeat in Confessariis & in Pœnitentiariis? Circà quod relatis rationibus in utramque partem atque Autoribus, à quibus desumptæ sunt, quorum numerus longè major affirmativam, quàm negativam tuetur, posteriorum opinionem amplectitur, qui vetustiores & insigniores sunt cæteris, respondetque ad rationem è contrariâ consuetudine petitam; 1. Eam posse locum habere ergà simplices Confessarios, qui pœnitentiam publicam quamdiù viguit, numquam imposuerunt, sed allegari non posse adversùs Pœnitentiarios, qui circà pœnitentiam exercent potestatem reservatam Episcopo; ad quem semper impositio pœnitentiæ pertinuit.

2. Quòd si fuerit consuetudo contraria, ipsa à Tridentino fuit abrogata, ideoque Concilia Provincialia posteà habita jubent, ut restituatur ritus pœnitentiarum publicarum, laudatque Autor in hanc rem Concilia Mediolanensia, quorum prioris verba refert, quæ disertiora esse dicit. Tribuit Confessariis facultatem imponendi pœnitentias publicas pro peccatis publicis, aut eam in eis agnoscit, jubetque, ut illâ utantur, & identidem vetat, ne illas in pœnitentias secretas convertant sine licentiâ Episcopi.

In fine subjicit duas Definitiones Congregationis. Prima declarat procul dubio esse, Confessarios, maximè Pœnitentiarios Episcoporum, posse ac debere imponere pœnitentias publicas pro peccatis publicis, sed dubium esse, an Concilium iis tribuat hanc facultatem, ideòque satius esse nihil circà hoc scripto tradere ad securitatem Confessariorum & Pœnitentium.

2. Definitur, laudatum Decretum non complecti Regulares, eos maximè, quorum Constitutiones ferunt, delinquentes coercendos esse intrà Monasterium.

CAPUT XXI.

Caput 14. *de ætate & qualitate præficiendorum.*

TExtus hic insinuat, Episcopum sedulò scrutari debere eos, quibus animarum curam committit, & sic de eorum capacitate certum fieri, jubendo, ut Episcopi diligenter Presbyteros, aut per se ipsos, aut per alios, huic idoneos muneri erudiant circà Officia Divina & Sacramenta. Hinc FAGNANUS occasionem accepit fusè exponendi *cap.* 18. SESS. XXIII. *de reform.* quod concursum ad Curas instituit, per quem illæ conferuntur ei, qui in concursu dignior, aut utilior judicatus est post accuratum scrutinium, quod exequitur in pluribus quæstionibus, quas solvit aut per verba Concilii, aut per Definitiones Congregationis à Pontifice approbatas. 1. Est, an concursus locum habeat in Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegialium, animarum curâ gravatarum, & in Beneficiariis istarum Ecclesiarum, qui curam illam vicissim exercent? Relatisque casibus, qui acciderant, & iis, quæ in variis Congregationis Consessibus acta fuerant, dicit, approbante Pontifice statutum fuisse, concursum locum non habere in his Dignitatibus, neque in istis Beneficiis.

2. Est, an Prioratus Regulares Ecclesiarum olim Collegialium, qui solent in Commendam conferri, concursui subjaceant? Respondetque negativè; quia concursus locum non habet in Curis Regularibus; atque hi Prioratus, quamvis in Commendam Clericis Sæcularibus dati à tempore diuturno, sunt Curæ Regulares; laudatque in probationem Decreta Congregationis, quæ à concursu immunes declarat Prioratus Regulares, animarum curâ oneratos, quamvis vulgò Clericis Sæcularibus in Commendam conferantur.

3. Est, an decem dies, aliudve tempus, quod Episcopus ad concursum præstituere debet, numerentur à die cognitæ Vacationis, aut à die, quâ Episcopus concursum proponit? Respondetque, Episcopum, aut alium quemvis, qui Curæ providere debet, ad proponendum concursum habere tantumdem temporis, quantùm ad providendum Curæ tempus, hoc est Mensium sex, in Diœcesibus ubi alternativa locum habet, posito quòd Cura vacaverit in Mensibus Ordinarii, & quatuor Mensium tantùm, cùm vacavit in Mensibus Pontifici reservatis. Ad probandum, Episcopum proponere posse concursum tàm sub finem, quàm sub medium, aut initio temporis illius, laudat verba Concilii, quod loquens de deputatione deservientis ad regendam Curam, donec collata sit per concursum, dicit, eum id facere debere, statim atque vacationem noverit; & loquens de publicatione concursûs, non inserit hanc circumstantiam: adjicit etiam, quòd, cùm finis concursus non sit providere Curis celeriter, sed eligere bonos Curatos, fieri potest, ut sit necessarium publicationem differre, vel ad expectandum aliquem, qui dotibus requisitis instructus esse cognoscitur, vel ad scribendum ad loca diversa, ut detegantur tales personæ, quæ invitentur ad concursum. Hæc est igitur causa: propter quam Concilium permittit Episcopo tempus concursûs præstituti prorogare, ut scribantur Nomina eorum, qui concurrere debent, & quandò Episcopus prævidet nullum alium se stiturum, qui eos vincere possit, quorum nomina descripta sunt, procedere potest ad scrutinium, ante finem temporis ad inscriptionem dati; & sic factum scrutinium valet, si nemo appareat, qui queratur se læsum esse. Sic definivit Congregatio, nec non scrutinium incœptum ultimâ die temporis præstituti legitimum esse, modò omnes, qui descripti erant, scrutinium subierint, antequam exierint Scrutatores, atque Episcopus elegerit. Interest Ecclesiæ, Episcopi, & Concurrentium, Episcopum posse differre publicationem concursûs, sicut ejus tempus prorogare valet. Denique, talis est usus universalis Episcoporum; hic autem usus optima est probatio, quòd sensus Decreti, de quo agitur, suprà datus legitimus sit.

Licet igitur Episcopo concursum publicare, cùm libuerit, modò id faciat intrà tempus visum sibi competens ad dignè providendum Curæ.

4. An Concurrentes rejecti jus habeant appellandi à judicio Scrutatorum, & à provisione factâ ab Episcopo? Multis in utramque partem relatis, concludit FAGNANUS, eos id posse, & Congregationem Generalem post maturam deliberationem sic definiisse.

5. Spectat durationem potestatis Scrutatorum Synodalium, & quæritur, an Episcopus quibusdam mortuis ante expirationem potestatis ipsorum, alios substituere possit extrà Synodum? FAGNANUS, supponens hanc potestatem, juxtà Concilium unico tantùm anno durare, respondet 1. Quòd si moriantur omnes intrà annum, oportet, juxtà Decretum CLEMENTIS VIII. circà id editum, ut Episcopus sex eligat inter veteres, & eos defunctorum loco subroget; si sex non occurrant, deficientes suppleat ex novis, quos à Capitulo

tulo approbari curabit; si nullus superfit, sex noves approbandos à Capitulo eligat, è quibus sex tres assumet ad concursus. 2. Quòd anno, quo Episcopus Synodum celebrare debet, elapso, mortuoque uno è sex Scrutatoribus, cæteri potestate carent, iisque uti non debet Episcopus ad concursum, quòd licèt tres Examinatores Synodales sufficiant ad concursum, cùm nihilominùs accidere possit, ut aliquis suspectus sit, aut aliquâ requisitarum dotium careat, numerusque Scrutatorum ex culpâ aut negligentiâ Episcopi non sit integer, Congregatio judicavit, hoc in casu cessare potestatem aliorum Scrutatorum.

Respondet 3. eamdem Congregationem consultam circà concursum & scrutinium à tribus aut quatuor Scrutatoribus Synodalibus, & tribus quatuorve deputatis ab Episcopo factum, an hæc formæ à Concilio præscriptæ adversarentur, ità, ut Curæ provisio esset nulla, & Cura reservata? Respondisse Concilio satisfactum non fuisse, Collationem esse nullam, & ad Pontificem ex Bulla PII V. devolutam.

Probabile est istas Declarationes spectare loca, in quibus tempus celebrandæ Synodi ab usu determinatum est, aut alio modo, quo tempore elapso Episcopus eam convocare nequit; aliàs casibus propositis providere facilius fuisset, per convocationem Synodi, in quâ necessarii Scrutatores eligerentur.

CAPUT XXII.

Caput 37. de Electione.

HIC INNOCENTIUS III. irritat personæ nondùm Religiosæ electionem ad Abbatiam, ideò quòd nullus fieri debeat Religiosus ob promissionem, aut spem Abbatiæ. Cùm Abbatiæ sint Beneficia Regularia curam animarum habentia; FAGNANUS indè sumit occasionem quærendi an Curæ Regulares dandæ sint ad concursum? respondetque, certum esse concursum non habere locum in Curis Regularibus, quia affectatæ sunt Religiosis Professis Ordinis: publicatur autem concursus, ut omnes qui periculum facere volent, se sistant, omnesque recipiuntur, quorum alii nomina mittere volunt. Præterèa Concilium *Cap.* 11. SESS. XXV. *de Regular.* statuit modum, quo ejusmodi Curæ dari debeant, satisque esse judicavit, ut dentur cum scrutinio & approbatione Episcopi. Denique, Congregatio id pluries declaravit.

Respondet 2. locum esse dubitandi, an idem sit de casibus, in quibus dantur in Commendam, & credit, nihilominùs eas concursui non esse obnoxias, etiam in illis casibus, quod probat per naturam Commendæ, quæ statum Beneficii non mutat, quantolibet tempore duret, undè fit, ut in singulis vacationibus hæ Curæ possint conferri Religiosis, ergà quos locum non habet concursus. Adjicit, quòd in *Cap.* 18. SESS. XXIV. quod concursum instituit, silet Concilium de Curis in Commendam datis: itaque illas complexum non est: & præterèa de iis nominatim agit *Cap.* 21. SESS. XXIV. *de Regular.* ibique jubet, ut in posterum conferantur in Titulum. Denique Concilium non complectitur Curas in Commendam in Decretis circà Curas, quod probatur per *Cap.* 8. SESS. VII. & *Cap.* 8. SESS. XXI. junctis simul. In *primo*, postquàm Concilium Ordinario permisit quotannis visitare Ecclesias animarum curâ oneratas, non obstante omni exemptione, ipsi concedit eamdem facultatem in *altero* ergà Monasteria animarum curam habentia atque in Commendam data, & sic insinuat, se de illis Curis locutum non fuisse in *primo*.

Objicit sibi, Commendas hodiè Titulos exæquare; & respondet, id hoc in casu deficere, quia Declaratio declaravit *Cap.* 18. laudatum sæcularia Beneficia tantùm complecti.

Sibi etiam objicit hujus Decreti rationem produci ad Curas in Commendam, quippe quæ alia non sit, quàm Votum, ut Curæ Dignioribus dentur; respondetque, objectionem nimis probare, quoniam ratio Concilii locum habet in Curis Regularibus in Titulum habitis, in Vicariis Perpetuis, in Curis Patronatûs Laïcalis, & in multis aliis, quæ procul dubio à concursu immunes sunt.

Sermonem claudit hoc principio. Statuta Juri Communi contraria non extenduntur ab uno casu ad alterum, quod quidem principium argumento congruit; nam concursûs institutio circà collationem Curarum, est Statutum singulare, Juri Communi contrarium plenam eligendi libertatem Collatoribus tribuenti.

CAPUT XXIII.

Caput 4. de ætate & qualitate Eligendorum

HIC prohibet ALEXADER III. conferri Curas iis, qui non habent scientiam, mores & ætatem requisitas à Conciliis; quoniam in concursu ad Curas discutiendæ sunt personæ, quæ se stiterunt, aut vocatæ fuerunt, super his tribus qualitatibus perinde ac super prudentiâ. FAGNANUS hìc etiam de illo loquitur ad expositionem *Cap.* 18. SESS. XXIV. quod eum instituit, juxtà Declarationes Congregationis principia observat, standum non esse ordini litteræ in enumeratione harum dotium, quia si Textus hic & quidam alii scientiam antè mores & ætatem scribunt, plures alii eam ultimo loco ponunt. Tùm dicit, in concursu scrutinium fieri non debere circà solam scientiam, sed etiam circà tres alias qualitates, mores, ætatem, prudentiam, diligenterque ponderatis omnibus, eligendum esse eum, qui cæteros vincit dotibus ad regimen animarum magis conducentibus; virum, de cujus bonis moribus constat, anteponendum esse illi, cujus vita incognita est, quamvis doctior videatur, multò magis si pravis moribus famosus sit, concursum fore nullum, si scrutinium super his omnibus qualitatibus non fieret, necessarium non esse, ut Scrutatores referant id, quod de singulis judicant, sed sufficere, ut declarent circà singulos, an sit idoneus necne; eos vota vivâ voce edere debere, non calculis occultis, nihilque aliud Notario scribendum tradere, quàm *hic approbatus est*, *illi non sunt*. Post has observationes duas quæstiones expendit; 1. An Episcopus teneatur eligere digniorem? &, posito quòd non elegerit, an Candidati ab ejus judicio provocare possint? discussâ quæstione juxtà jus commune, Concilium Tridentinum & Constitutionem PII V. circà collationem Curarum, probat neque Tridentinum appellationem hanc approbare, sed eam autorisari ab illâ Constitutione, cujus verba diserta refert. Quæstionem incidentem proponit, scilicet, an necessarium sit, ut appellans aliquam afferat probationem iniquitatis judicii, à quo provocat, priusquàm judex superior novum scrutinium decernere possit, probatque per Constitutionem & multas observationes gravissimas, scrutinium decerni debere antè probationes sufficientes iniquitatis judicii, aliàs scrutinium inutile futurum esse, quoniam fit ad statuendum de hac iniquitate. Adjicitque, Congregationem ab appellante exigere, ut aliquam ostendat injustitiæ speciem, & judicium Episcopi aliquâ suspicione oneret, & laudat quoddam exemplum hujus sententiæ Congregationis.

Quæstio altera spectat notas, aut signa, ex quibus nosci potest, an judicium Episcopi suspectum sit injustitiæ. Auctor refert factum, in cujus circumstantiis plures notæ ejusmodi reperiuntur, mox aliud retulerat, in quo alia occurrunt. Signa præcipua sunt, si is, qui prælatus est, domesticus sit, si eadem sit conditio aliquot Scrutatorum, & aliquis eorum aliquod emolumentum ex hac electione perceperit, v. g. si ejus muneri se successurum speravit, si Scrutatores in conquerentis responsiones argumentati sunt: responsiones autem alterius nulla difficultate oppositâ

acceperunt; si ante electionem suspectum se fecerit Episcopus multis dicendo, fore, ut conquerens Beneficium non consequeretur, quamvis alio dignior videretur.

Cæterùm hujus appellationis effectus non est suspensivus, sed tantùm devolutivus.

CAPUT XXIV.

Caput 4. de Rescriptis.

TExtus hic docet, Rescriptum alternativum, cujus unum membrum falsum est, aliud verum, executionem sortiri debere, modò membrorum alterum verum sit. Tale esset illud, quo præciperetur Titio, ut Mævium ejus Beneficio exueret, si probaretur, eum esse Filium Sacerdotis, & in Sacerdotio genitum, qui proximè in tali Ecclesiâ ministravit, vel eum eamdem Ecclesiam occupare.

FAGNANUS occasiones exponendi Concilium attentè captans, hâc utitur ad discutiendam disjunctionem, quæ circà Scrutatores legitur, in *Cap.* 18. suprà toties laudato circà concursum. In eo jubet Concilium, ut illi Scrutatores sint Doctores, aut Licentiati in Theologiâ, aut in Jure Canonico, aut alii Clerici, sive Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, sive Sæculares maximè idonei, qui reperiri possint. Concilium hac disjunctione linquit ne Episcopo optionem, ità, ut eligere possit Religiosos non Graduatos, quamvis in Civitate sint Graduati? anne cogit eum ad sequendum ordinem litteræ, ità, ut ad scrutinium assumere nequeat viros non Graduatos, nisi deficientibus Graduatis? Autor sine hæsitatione contendit, Episcopum teneri ad præferendos cæteris Graduatos; quoniam illi rationes prælationis habent, ex præsumptione quòd majorem scientiam & exercitationem habeant in rebus, circà quas scrutinium fieri debet, ac credendi locus est, eos ob id, ante cæteros nuncupatos fuisse. Sententiam suam decisione Congregationis confirmat, quæ declaravit, Concilium *Cap.* 16. SESS. XXIV. jubens, ut is, quem Capitulum eliget in Vicarium *Sede vacante*, sit Doctor, aut Licentiatus in Theologia, aut in Jure, vel maximè idoneus, qui occurret, intendere, ut Graduatus præferatur, nullusque aliis eligatur, nisi deficiente Graduato. Solutis postèa objectionibus, sub finem dicit post Congregationem, 1. Si Episcopus ad scrutinium elegisset viros non Graduatos in Graduatorum præjudicium, scrutinium non ideò fore nullum. 2. Si Episcopus Graduatos tantùm ignaros reperiat, posse eum assumere non Graduatos; quippe Gradus absque scientiâ, pro nullo reputari debeat.

CAPUT XXV.

Caput 27. de Jure Patronatûs.

LOquitur de casibus, in quibus Collatio Beneficiorum Patronatûs Laïcalis ad Episcopum devolvitur, quâ devolutione locum habente, tàm ergà Curas quàm cætera Beneficia, quærit FAGNANUS, an Episcopus hoc in casu debeat conferre per viam concursus? & respondet, eum debere; quoniam Concilium generatim loquitur de casibus, quibus vacant Curæ, & jubet, ut Episcopus Ministrantem statim mittat cum portione congruâ, tùm concursum proponat. Prætereà, ratio Decreti locum habet hoc in casu, scilicet, momentum gravissimum Curis præficiendi personas, ad benè regendum idoneas. Solutisque objectionibus sumptis ex eo, quòd hæ Curæ Patronatûs Laïcalis concursui non sint obnoxiæ, dicendo, exceptionem hanc introductam fuisse tantùm ad conservationem Juris Patroni, rationemque hanc in casu devolutionis applicationem non habere; observat, Congregationem sic definivisse. 1. Declarando quòd si Patronus Laïcus plures personas præsentet, concursui locus est. 2. Loquendo nominatim de casu devolutionis à *num.* 7. *usque ad* 13.

CAPUT XXVI.

Caput 2. ne Sede vacante.

HIc definit HONORIUS III. ad quem Sede vacante Collatio pertineat, & distinguit inter Collationes *necessarias*, & Collationes *liberas*, priores Capitulo tribuendo, cæteras Episcopo reservando. Cùm Curæ Patronatûs Ecclesiastici sint Collationis necessariæ respectu Episcopi, qui præsentato idoneo conferre tenetur, & Capitulum Episcopi jurisdictioni succedat, quærit FAGNANUS, an ejusmodi Curis, in eo casu vacantibus, ipsis providendum sit per viam concursus? Respondet, Congregationem sic statuisse, atque præscripsisse formam concursus, quæ approbata fuit à Pontifice. Scilicet, Capitulum nullo modo se immiscebit concursui, sed omnia spectabunt Vicarium, quem ad regendam Diœcesim elegerit: hic Ministrantem nuncupabit cum portione congruâ, concursum publicabit, &, quoad scrutinium, & Collationem, id faciet, quod præstaret Episcopus, si Sedes occuparetur, & quod suprà observatum est, sive numerus nominatorum Synodalium subsistat, sive non subsistat, sive tempus eos eligendi præteritum sit, sive non,

Quærit prætereà, an Vicarius Apostolicus, cui Pontifex omnem Episcopi jurisdictionem dat, tam liberam quàm contentiosam, exceptâ Collatione Beneficiorum, & concessione Testimonialium, & Dimissoriorum ad Ordines, habeat directionem concursûs, quam haberet Episcopus, ità, ut possit nominare Ministrantem, eique portionem congruam assignare, concursum proponere; tres è Scrutatoribus Synodalibus assumere, eum eligere, quem digniorem judicabit ex iis, qui approbati erunt? Respondet, eum has omnes facultates habere, electionem dignioris valdè à Collatione discrepare, pluribus in casibus ab eâ separari. 1. Cùm Beneficia Pontifici reservata sunt. 2. Cùm Collatio ad Collatores inferiores pertinet. 3. Cùm Institutio ad alium, quàm ad Episcopum pertinet. Tùm laudat duas Declarationes Congregationis, quæ definiunt Episcopum dirigere debere concursum ad Curas, quarum Collatio ad Capitulum pertinet.

CAPUT XXVII.

Caput 46. de Simoniacis.

LOquitur de facultate dispensandi ergà Religiosos, quorum ingressus simoniâ laborat, & declarat, eos, qui habent ejusmodi facultatem velut Ordinarii, sive quatenùs Delegati, eâ posse uti in gratiam Abbatum. Cùm facultas hæc multùm affinis sit potestati rehabilitandi Provisiones nullas, etiam Curarum per concursum datarum, cupiens FAGNANUS exponere Decreta Tridentini, prolixè disputat de his facultatibus, circà quas dubia quatuor solvit.

1. An Magnus Pœnitentiarius possit in foro interiori revalidare provisiones Curarum, extrà concursum & sine tertii præjudicio impetratarum?

2. An possit easdem provisiones in concursu impetratas revalidare, cùm nullitas aliundè venit, quàm à Censurâ Provisi, aut violatione Censuræ, non inserta Clausulâ, *fiat postquàm concurrentibus satisfecerit, vel cum eo concordaverit*?

3. An illud possit cum illâ clausulâ?

4. An hæc clausula in praxim reducibilis sit, & quomodo, quamvis dubium non spectet ad concursum, de quo agitur, cùm nostrum consilium aliud non sit, quàm observare ex ordine Fagnani doctrinam

circà

circà hæc obiter ejus reſponſionem attingemus, ad quam præparat aliquot obſervationibus, quæ in ſummâ oſtendunt, in concurſu Beneficium digniori deberi, &, ſi concurrenti minùs digno datum ſit, digniorem ab Epiſcopi judicio provocare poſſe, appellationem verò non eſſe receptibilem, niſi in caſu gravaminis.

Poſt has obſervationes reſpondet, magnum Pœnitentiarium Proviſiones vitioſas Curarum rehabilitare poſſe, ſicut Proviſiones aliorum Beneficiorum, quoniam hic habet poteſtatem revalidandi in foro interiori Titulos Beneficiorum: aliundè poteſtas diſpenſandi valida eſt, & in rebus favorabilibus Curæ comprehenduntur ſub verbo *Beneficii*, quod probat aliquot exemplis.

Ad dubium 2. reſpondet, Magnum Pœnitentiarium non poſſe revalidare Proviſiones Curarum datarum ad concurſum, ſi vitium aliundè veniat, quàm à Cenſuris Proviſi, aut ab Exercitio Ordinum in iisdem Cenſuris, niſi diſpenſationi inſerat clauſulam ſuprà memoratam; quia Bullæ, quæ ipſi dant facultatem revalidandi in caſu concurſûs, eam limitant ad has duas circumſtantias, & diſpenſatio, quæ datur in præjudicium tertii, odioſa eſt. Præterea, conſtat, Pontificem numquàm derogare Regulæ *de non tollendo jure alteri quæſito*, ſine clauſulâ expreſſâ. Exponendo hanc Regulam ſignificat, eamdem eſſe condionem Pontificis in rebus ſpiritualibus ac Principis in in rebus temporalibus, quoniam ille ſupremus eſt Arbiter rerum ſpiritualium, ſicut hic temporalium, quod expoſitione indiget. Principia ad id neceſſaria ſubminiſtravimus, agendo de poteſtate Pontificis. Poſt hæc, ſibi quatuor objectiones proponit, quas omittemus, quia non eſt hîc locus argumentum hoc altiùs penetrandi. Ad 3. reſpondet, Magnum Pœnitentiarium revalidare poſſe Proviſiones vitioſas datas in concurſu, inſertâ in diſpenſatione clauſulâ prædictâ. Ratio eſt, quòd ejus poteſtas ſit favorabilis; itaque favor hic extenditur ad caſus, in quibus illa exercetur, ſalvo tertii præjudicio. Porrò, per clauſulam præfatam, hoc præjudicium tollitur & ceſſare debet, per ſatisfactionem, aut pactum cum perſonâ læſâ, ante executionem diſpenſationis, quod neceſſarium non eſt ad abſolutionem, quæ poteſt dari ſub conditione hujus ſatisfactionis aut Concordati. Inſinuat, obligationem ſatisfaciendi omninò extingui per mortem læſarum perſonarum, aut per eorum Profeſſionem Religioſam, aut per acquiſitionem alterius Beneficii incompatibilis, quod adepti ſunt; quod verum non eſt, niſi reſpectu ceſſionis Beneficii fraudulenter in concurſu impetrati, non verò ratione reparationis damni, debitæ pro tempore, quo Uſurpator ad eorum præjudicium poſſedit, ſcilicet à proviſione ſuâ vitioſâ usque ad extenſum quo ceſſavit hoc præjudicium ratione recuperationis Beneficii injuſtè ablati; nam ſi anni aliquot elapſi ſunt, grave ſit illud damnum, & hæredibus eorum reparatio debita videtur.

Ad 4. reſpondet, ad Pœnitentiarium pertinere definitionem modi faciendæ ſatisfactionis, juxtà circumſtantias expoſitas, aut illam Confeſſarii prudentiæ committendam. Reverà ſatisfactionem hanc difficilem videri, ſive propter periculum diffamandi Rei, per manifeſtationem delicti, ſive ob incertitudinem perſonarum, quibus illa fieri debet; ſed tamen impoſſibilem non eſſe, quod probare nititur. Verùm ejus ſermo confirmat id, quod priùs dixerat de difficultate ſatisfaciendi ſine diffamatione Rei; nam ibi delictum eſt, quod ſatisfaciendo vix tegi poteſt, fraus ſcilicet perpetrata, ſe ad concurſum præſentando cum Irregularitate, quæ ab illo in conſpectu Dei excludebat. Et quidem ſatisfactionis præcipua pars non fit, niſi reſtituendo Beneficium ei, cui illud debebatur, & qui illud conſecutus eſſet, niſi hæc fraus obſtitiſſet. Porrò difficillimum eſt hanc reſtitutionem facere, ità, ut Reus non detegat ſe aliquo impedimento ſecreto laboraviſſe, quo efficiebatur incapax Beneficii impetrati.

Perſpecta hac difficultate cogimur obſervare, quòd ad eam præveniendam oporteret, ut liceret Epiſcopo diſpenſare ab omni Irregularitate occultâ, undecumque naſcatur, non ſolùm in caſu concurſûs, ſed etiam in alio quolibet, in quo occurrere poteſt: hâc viâ difficultati obviam iri poſſet.

Autor contendit, nefas non eſſe obligare ad manifeſtationem irregularitatis provenientis ex officio occulto, itaque negligit diffamationem ortam ex manifeſtatione defectus natalium provenientis ex adulterio, inceſtu, aut ſacrilegio, quod contrarium eſt ipſius doctrinæ in *Cap. 9. de Pœnit.* metum ſcilicet infamiæ diſpenſare à reſtitutione, quam ſolidè probat.

CAPUT XXVIII.

Caput 42. *de Electionibus.*

CONcilium *Lateranenſe IV.* præſcribit hîc Electionis formam, & ſtatuit eam fieri, aut per ſcrutinium, aut per compromiſſum, aut per quaſi inſpirationem, cùm *Cap. 6.* SESS. XXV. *de Regular.* jubeat, ut Superiores Regulares, quorum Superioritas certo tempore circumſcribitur, eligantur calculis ſecretis: inde ſumit FAGNANUS occaſionem quærendi, an *Caput* hoc deroget huic Textui, quoad formam Electionis? & reſpondet, derogare; quoniam calculus ſecretus celat nomina eorum, qui Electo vota ſua dederunt; tres autem formæ à Concilio *Lateranenſi* præſcriptæ aperiunt hæc nomina, & quidem ſcrutinium bis, 1. ea detegendo Scrutatoribus, 2. per publicationem votorum, quæ in collatione eorum mutua fieri debet. Electio per compromiſſum vulgò fit vivâ voce: & quaſi inſpiratio eſt conſenſûs omnium Electorum in quamdam perſonam. His rationibus Autor adjicit Declarationes Congregationis, quæ diſertè definiunt, eos à formâ à Concilio præſcriptâ recedere, qui Electionem ſcrutinio, vel compromiſſo vel quaſi inſpiratione peragunt: quoniam hæ formæ cum formâ Concilii ſunt incompatibiles.

CAPUT XXIX.

Caput 18. *de Præſcriptionibus.*

INNOCENTIUS III. hîc conſervat Abbatem in Jurisdictione Epiſcopali in certis locis, quoad capita, quæ præſcripſerat, & conſervat Epiſcopo Jurisdictionem quoad cætera. FAGNANUS affinitatem videns inter illud *Caput*, & *cap.* 11. SESS. XXV. *de Regular.* hoc exponit, eoque utitur, ad definiendum, Abbates, qui Jurisdictionem ſpiritualem & temporalem habent in Plebanum & Parochianos locorum quorumdam, immunes eſſe ab Epiſcopi Jurisdictione quoad animarum curam, ratione viſitationis, correctionis & approbationis Vicariorum, poſito quòd Jurisdictionem ſuam ſtabiliant, aut privilegio ſufficienti, aut præſcriptione legitimâ, exhibendo privilegium in bonâ ac debitâ formâ, & probando poſſeſſionem quietam quadraginta annorum ſpatio. In hac deciſione obſervandum monet, quòd, quandò Abbates vindicant Jurisdictionem ex privilegio, iique erant in poſſeſſione ante litem, ea fruantur durante lite; quòd ſi eam vindicent ex præſcriptione, poſſidere debet Epiſcopus inſtantiæ tempore, quia fundatur in jure communi, & poſſeſſio cumulativa tantùm eſſe præſumitur, donec præſcriptio probata fuerit; poſſeſſio autem cumulativa non nocet juri Epiſcopi: undè concludit, hoc in caſu, Epiſcopum jus habere viſitandi loca prætenſa exempta, donec Jurisdictionis ſufficienter probata fuerit.

Ob-

Observat præterea, quòd, si illi Abbates se nullius esse Diœceseos contendant ex situ, sufficit, ut probent hanc circumstantiam, ad obtinendam manutentionem in omni Jurisdictione Episcopali; sin autem agnoscant, districtum suum includi in Diœcesi, manutenentur tantùm in capitibus, quæ legitimè se præscripsisse probant. Idem argumentum tractat Auctor in *cap. 3. de Parochiis*, ubi distinguit triplicem modum, aut statum nullius Diœceseos, scilicet ex Origine, ex Privilegio, ex Præscriptione, eorumque discrimina exponit.

CAPUT XXX.

Caput 3. de Successionibus ab Intestato.

TExtus hic loquitur de Oblatis, qui se suaque omnia bona Monasterio donant. Cùm inter hos Oblatos nonnulli ingrediantur in Monasterium, atque in ipso ingressu donationem suam faciant, aliundè verò Concilium Tridentinum vetet, ne Novitii de bonis suis disponant, ante peractos decem Novitiatûs sui Menses. *cap. 16.* SESS. XXV. *de Regular.* FAGNANUS indè sumit occasionem quærendi, an hæc dispositio Concilii Juri antiquo deroget, quo licet Oblatis dare bona sua in ipso Monasterii ingressu? Respondetque negativè; quia Novitii, de quibus loquitur Concilium, multùm ab Oblatis discrepant; hi enim non ingrediuntur ad faciendam Professionem, sed ad serviendum Monasterio; alii autem ingrediuntur cum spe faciendæ Professionis, exercitationes ad eam præparantes, peragunt, sumpto habitu Religioso. Itaque dispositio Concilii Juris communis dispositioni circà Oblatos non adversatur, qui, propriè loquendo, & circà significationem vulgarem verbi, *Novitius*, sub hoc nomine non continentur. Idem dicendum est de casu, quo ii, qui ingressi sunt ad Professionem faciendam, posito quòd idonei reperiantur, consilium mutarent, seque suaque bona Monasterio donarent. Quippe hi Novitii de suis bonis non disponerent, ex Voto suæ Professionis futuræ, itaque comprehendi non possent sub Decreto Concilii, quod non spectat, nisi Novitios in voluntate Professionis faciendæ perseverantes.

CAPUT XXXI.

Caput 12. de Regularibus.

HIc docet CLEMENS III. Parentes posse offerre Deo Filios suos infrà pubertatem, eosque Monastico habitu induere, quem gestare usque ad eandem ætatem saltem tenebantur. Quærit circà hoc FAGNANUS, 1. An Parentes eamdem potestatem habeant post Concilium Tridentinum, quod vetuit admitti quemquam ad Professionem ante completos 16. annos, & annum probationis *cap. 15.* SESS. XXV. *de Regular.* Dubitandi ratio est, quia sic Concilium insinuat, Religiosum habitum dandum non esse, nisi post quindecim annos inchoatos; nihilominùs Autor meritò contendit, Parentes etiamnùm posse curare, ut Filiabus suis Religiosus habitus detur, ante ætatem duodenam, ut Moniales fiant, si consenserint, cùm ætatem à Concilio requisitam attigerint.

Et, postquàm id probavit ex principio, quòd emendatio juris una sit è rebus, quæ locum non habent, nisi in casibus expressis, Concilium autem nullibi emendet Canones, qui facultatem hanc Parentibus tribuebant, undè credendum est, jus illud subsistere; id probat denuò per *caput 17.* SESS. XXV. *de Regular.* ubi Concilium significat, esse puellas, quæ Religiosum habitum accipere possunt ante annos duodecim, dùm vetat, ne detur eis, quæ duodecim annos compleverunt absque examine Episcopi, qui judicabit, an spontè illum accipiant, rationemque afferens, cur Concilium non exigat examen ergà puellas illi ætati inferiores, dicit 1. illud iis prodesse non posse. 2. Aliam eas voluntatem non habere, quàm Parentum, qui eas ideò etiam invitas Monasterio includere valent, usque ad annos discretionis. Id etiam probat per *caput 18. ibid.* quod, vetans ullam puellam aut mulierem ad accipiendum habitum cogi, casus excipit, in quibus id expressè permitttitur; undè sic ratiocinatur, Concilium plures casus excipit, quos in jure expressos dicit, alii autem non reperiuntur, quàm is in quo puella Votum Religionis emisit, & ille, in quo à Parentibus aut Tutoribus offertur; nullibi enim videtur, Canones permittere, ut personæ Sæculares Monasteriis ad faciendam pœnitentiam inclusæ, cogantur ad sumendum habitum, imò neque etiam apparet, eos permittere, ejusmodi personas domibus Religiosis invitas includi.

Objici posset adversùs hoc ultimum momentum, *finis cap. 18.* laudati, qui ab hoc capite *Conversas* excipit, ergà quas vult, ut eorum Constitutiones serventur. Sed dici potest, exceptionem hanc ad rem non pertinere, quia posterior est iis, quas jàm fecerant Canones anteriores. Præterea, hæ mulieres non solùm ab hoc capite excipiuntur, sed etiam à præcedentibus sumptionem habitûs, Novitiatum & Professionem spectantibus. FAGNANUS in *cap. 16. de Regular. n. 29. & seq.*

Quæstioni, cujus summam exhibuimus, duas FAGNANUS subnectit. 1. est, An Parentes & Tutores possint in Religionem mittere pueros infrà annos 14? & respondet, posse; idque probat ex paritate rationis, cùm puerorum hac in re conditio melior non sit, quàm puellarum. Id etiam probat ex *cap. ultim. de tempor. ordin. in 6.* quod vetans Tonsuram dari pueris infrà sex annos constitutis, excipit eos, qui Religionem ingrediuntur. Ultima quæstio est, an expediat puberes in Religionem mitti, habitumque accipere? Circà hanc prolixè disputat: rationes atque autoritates in utramque partem afferendo, & demùm decisionem dimittit ad viros in vitâ Religiosâ expertos.

CAPUT XXXII.

Caput 15. de Renunciationibus.

GREGORIUS IX. hîc declarat nullam, demissionem Abbatis suæ Sedi immediati sine suâ autoritate admissam. Cùm per demissionem solvatur vinculum non spernendum, ideòque admitti nequeat, nisi autoritate Superioris; sicut etiam in transitu ab unâ Religione in aliam, rumpitur vinculum insigne; ideòque, ad id concurrere debeat autoritas Superioris. FAGNANUS hac occasione utitur ad loquendum de autoritate, quâ Religiosus à suâ Religione ad aliam transferri potest; & consequenter ad exponendum finem *Cap. 19.* SESS. XXV. *de Regular.* Ibi, præ cæteris rebus, prohibetur, ne quispiam transferatur cujuscunque facultatis vigore. In hac expositione, refutatis iis, qui putant Concilium ibi duntaxat vetare translationes justâ causâ destitutas, aut non juridicas, probat ibi etiam agi de translationibus in justâ causâ fundatis, ut patet ex verbis generalibus *nemo*, & *cujuscumque*, quibus Concilium utitur, atque ex hoc *vigore*; tùm observat, quòd, si Concilium de translationibus duntaxat justâ causâ carentibus egisset, adhibuisset verbum *colore* aut *prætextu*: denique, contendit, Concilium prohibere translationes, quæ fiebant ex vi privilegii, aut aliûs cujuscumque Juris, quod Superiores Sæculares exercebant.

CAPUT XXXIII.

Caput 12. de Judiciis.

HIc docet INNOCENTIUS III. interpretationem privilegiorum Sedis Apostolicæ ad Pontificem pertinere: proindeque ipsius esse munus judicandi

candi de negotiis, in quibus ea necessaria est. Doctrina hæc FAGNANO præbet occasionem discutiendi penitùs ea, quæ spectant interpretationem Concilii Tridentini. Juxtà Nationis suæ præjudicia, opinatus est, Concilium esse opus Pontificis, eumque in hac opinione corroboravit Bulla PII IV. qui suæ Sedi reservavit ejus Concilii interpretationem. Sic imbutus expositionem illius Bullæ exequitur, cujus summam jàm dedimus, ubi de *Glossis* agebamus. Hic tantùm agemus de sensu *cap.* 2. SESS. XXV. *de Refor.* quod Autor laudat, ad probandum, Pontificem non potuisse interdicere Professoribus sive in Theologiâ, sive in Jure Canonico expositionem Decretorum Concilii, in eorum Prælectionibus. Ejus disputatio circà hoc à *num.* 99. usque ad finem, convincendi vim habet; quanam enim verisimilitudine diceretur, Pontificem abstuliisse Professoribus id, quod iis Concilium tribuit. Porrò, evidens est Concilium præcipere Doctoribus Universitatum, ut doceant id, quod definivit & statuit, postquàm suos Canones & Decreta sua acceperint. Nec refert Concilium videri Decretum suum ergà Doctores restringere ad ea, quæ sunt Catholicæ Fidei, *ea quæ sunt Catholicæ Fidei doceant & interpretentur*, & proinde Decretum illud spectare solùm Professores in Theologiâ: nam talis expositio hujus loci maximè violenta esset, sive quia præceptum generale est, omnibusque Regentibus convenit, qui Fidem Catholicam Discipulos suos docere tenentur; sive quia Concilium præceptum suum exponit his verbis, *ad eorumque normam*, relativis ad præcedentia, *Canones & Decreta*, sive denique, quia si Professores in Theologiâ tenentur interpretari Definitiones Concilii Tridentini, Professores in Jure Canonico pariter teneri debent ad docendum Decreta Reformationis, & consequenter, ad ea interpretanda, cùm hæc Decreta sint pars eorum, quæ ab Universitatibus accipienda erant, ut ab eorum DD. & Professoribus docerentur. Hæc ultima ratio præcipuè urgetur ab Autore, qui idcircò ostendit connexionem scientiarum Juris Canonici & Theologiæ, quæ circà commune objectum versantur, ita, ut hæc speculationi inhæreat, illa, ad praxim transeat; hæc tradat principia, quæ illa applicat: unde fit, ut illa huic subordinata sit, sicut Medicina Philosophiæ & Musica Arithmeticæ. Autor sibi objicit Leges ad rem non pertinentes, quoniam vetant, ne publicè in quæstionem vocentur ea, quæ definita sunt, ne turbæ nascantur.

Cæterùm Autoris specialiter intererat, ut affirmaret, licere iis, qui Juri operam dant, interpretari Concilium ad observandas mutationes, quas in Jure Veteri induxit, & annotanda ea, quæ specialiter confirmavit; ejus enim Commentarius ex majore sui parte videtur ex his observationibus conflatus.

CAPUT XXXIV.

Caput 3. *de Pœnis. Caput* 48. *de Sententiis Excommunicationum. Caput* 14. *de Officiis Judicis Delegati.*

FAGNANUS in hæc *Capita* exponit *cap.* 3. SESS. XXV. *de Refor.* spectans Excommunicationem, ideòque illa hic junginius; seorsim tamen ejus Doctrinam circà singulos Textus exhibebimus, unicè curando hic, quod spectat interpretationem Decreti Concilii.

Prior illorum Textuum vetat, ne Judices Episcopis inferiores pœnas pecuniarias sententiâ suâ imponant ad coërcitionem Clericorum & Laicorum. In hoc saltem Autor præcipuè immoratur, discutiensque ex Jure Communi, an Judex Ecclesiasticus pœnas pecuniarias statuere possit in materiâ Criminali, observat, posse. 1. Cùm id Jure cavetur. 2. Cùm facultatem habet dispensandi ab aliis pœnis Jure constitutis. 3. Cùm jus nullam præscribit, Judicique electionem relinquit. Tùm quærit, an Episcopus ejusmodi pœnas adversùs Laïcos à se in temporali independentes, decernere possit, maximè post *caput* 3. SESS. XXV. *de Reform.* relatisque variis Canonistarum veterum & recentium opinionibus, quarum observat majorem partem esse negativam, ex iis autem, qui affirmativam tuentur, quosdam existimare, quòd licèt Episcopus ejusmodi pœnas statuere possit, earum tamen executionem Judici Sæculari mandare debet; contendit, nullum, post laudatum Concilii Decretum, dubium superesse, quin Episcopus utrumque valeat, idque probat. 1. Ex fine Decreti, quo propositum fuit mederi pravo usui Censurarum, quas Judex in Civili, sicut in Criminali adhibebat, priusquàm aliis Juris remediis uteretur; scilicet executione reali, possessione mobilium, punitione personali, privatione Beneficiorum. 2. Ex his verbis, *etiam Laïcos*, quæ disertè declarant, hanc Episcopi facultatem Laïcos comprehendere. 3. Ex occasione Decreti, quæ fuit requisitio Principum, qui commoti à malis enixè rogaverunt, ut alia Juris remedia Censuras præcederent, Censuræque subsidiariæ tantùm forent; quod probat ex Actis Concilii in Castello S. Angeli asservatis: 4. Ex clausulâ, *per suos proprios, aut alienos executores*, quæ Judici Ecclesiastico concedit libertatem procurandæ executionis pœnarum à se statutarum, aut per seipsum, aut per Judicem Sæcularem: 5. Ex verbis, *propriâ autoritate*, quæ significant, Judicem Ecclesiasticum eas pœnas aut remedia adhibentem propriâ autoritate agere.

Has probationes discutiendi non est hìc locus. Id absolutum est in Tractatu de potestate Pontificis, aut Ecclesiæ ergà temporalia; ubi statuuntur principia, ex quibus patet, pœnas pecuniarias, aliasve temporales, quos ferre potest Ecclesia, inniti tantùm permissioni Principum, ad quos pertinet quidquid temporale est.

Occasione conditionum *cap.* 48. *de Sentent. excomm.* requisitarum, ut Excommunicatio Canonica sit, disputat FAGNANUS de iis, quas præscripsit *cap.* 3. SESS. XXV. *de Reform.* observatque, illud requirere tantùm duas Monitiones, nec exigere, ut personales sint, sed, ut fiant per Edicta publica. In materiâ Civili oportet, ut Reus adversùs Judicem sit contumax; in materiâ Criminali, præter contumaciam, oportet, ut criminis gravitas pœnæ gravitati respondeat: denique, Excommunicatio subsidiaria esse debet. Deinceps refert, Congregationem Concilii declaravisse, Excommunicationem neglectâ hâc formâ latam non esse nullam, sed tantùm injustam. Postquàm dixit materiæ Excommunicationis notionem ad Judicem Ecclesiasticum pertinere, ideòque non licere Magistratui de eâ satagere, sivè vetando, ne feratur, sivè jubendo, ut lata revocetur, narrat quòd, cùm Senatus Dolensis vetuisset Judices Ecclesiasticos procedere ad executionem Judicii sui per sententiam Excommunicationis sine Arresto Curiæ, quod declararet locum non esse executioni reali, neque personali, id, inquam, vetuisset juxtà requisitionem Procuratoris Generalis, qui monuerat, Concilium prohibuisse usum Excommunicationis ad executionem sententiarum Ecclesiasticarum, Regemque tàm Sancti Decreti gnarum volentemque providere, ut debitam executionem sortiretur, jussisse, ut Judicia Ecclesiastica non obstante Appellatione exequenda, suspenderentur, donec Senatus declaravisset, neutri executioni sivè reali, sivè personali locum esse: negotium hoc ad Congregationem latum fuit, quæ diligenti tractatu habito, scripsit ad Nuntium, ut Regem admoneret, hoc in capite usurpatam fuisse Jurisdictionem Ecclesiasticam, ad quam solam pertinet notio Excommunicationis; violatam fuisse Bullam *in Cœna Domini*, & incursam Excommunicationem, honoris Dei, salutis animarum, utilitatis Provinciæ & commodi

modi Regii specialiter, cui minùs studiosè pareretur, interesse, ut revocaretur jussio, cessaretur Arrestum, ac de Registris deleretur; sin autem Rex se difficilem exhiberet, ei Nuntius declararet, futurum ut Summus Pontifex uteretur potestate spirituali adversùs Senatum. Huic narrationi subjicit motiva Decreti Congregationis à Cardinali ALCIATO dispositi, superiori expositioni congrua.

Tum 4. proponit quæstiones circà eamdem rem: 1. est, an Judex adversùs contumaces excommunicationem ferre possit, etsi non appareat ex Actis Processûs, neque executionem realem, nec personalem fieri potuisse? & respondet, non posse, idque probat, 1. Ex principio, quòd Judex judicare debeat secundùm allegata & probata: 2. Ex praxi non condemnandi in casibus notoriis priusquàm judiciales probationes notorietatis confectæ fuerint. 3. Cùm Acta à se invicem pendent, ad ultima descendi non potest, nisi appareat anteriora præcessisse. Porrò, justitia remedii Excommunicationis, ejusque pronuntiatio adversùs contumaces, dependent ex adhibitione remediorum anteriorum, scilicet executionis realis & personalis: oportet itaque, ut appareat eas fieri non potuisse.

Cùm excommunicatio ad revelationem tendens judiciaria non sit, Concilium non exigit, ut illa aliis Actis judiciariis præcedatur: Excommunicatio, quam fert Judex adversùs contumacem solvere recusantem, cùm sit Actus Judiciarius, qui pluribus Actibus similibus præcedi debet, oportet ut Judex eam pronuntiare nequeat, nisi ex Instrumentis Processûs appareat, ejusmodi Actus factos fuisse, aut fieri non potuisse. Hæc omnia momenta confirmantur per Decreta Congregationis, quæ idem verbis expressis declaravit.

2. & 3. Quæstiones extrà Romam exigui videntur momenti.

4. Pertinet ad omnes Regiones, & spectat Excommunicationem ad finem revelationis. Quæritur, ad quem pertineat jus concedendi istas Excommunicationes in districtu Prælatorum Jurisdictionem quasi Episcopalem habentium? & respondet, quòd, si Episcopus nullam in eo districtu neque habitualem, neque actualem Jurisdictionem habeat, tunc recurrendum est ad Pontificem, posito quòd illi Prælati sint immediati Sanctæ Sedis; quòd si Episcopus aliquam habet Jurisdictionem in eo districtu, licèt habitualem tantùm, veluti si sit Appellatio à Prælato ad Episcopum, in eo casu Episcopus illas Excommunicationes concedere debet.

Autor etiam de hac Excommunicatione, prout à Concilio Tridentino statuitur in *cap.* 14. *de Offic. Jud. Deleg.* num. 40. usque ad finem, quærit, an Vicarius Generalis Episcopi, aut Capituli, Sede vacante, egeat commissione speciali, ut possit concedere hoc genus Excommunicationis? & refert, Congregationem circà id variavisse, alioque atque alio modo cogitavisse: Denique, quoniam adhuc disceptabatur, Pontificem opinatum fuisse, Vicarium Generalem non indigere commissione speciali, sed commissionem generalem sufficere: deinceps refert, Congregationem consultam circà quæstionem, an Episcopus alii quàm Vicario Generali committere possit hanc facultatem? respondisse negativè.

Refert præterea, Congregationem definivisse, Prælatum inferiorem Jurisdictionem Episcopalem habentem, etiamsi foret Abbas, ejusmodi Excommunicationes concedere non posse. Concessio illa pertinet ad Pontificem, non verò ad Episcopum Diœcesanum, neque ad Episcopum viciniorem. Legatus *à Latere* eam concedere potest. Excommunicatio in formâ, *significavit*, committi potest Abbati habenti Jurisdictionem spiritualem & temporalem, modò ipsa spectet negotia districtûs ipsius.

CAPUT XXXV.

Cap. 2. *de concedendis Præbendis.*

HIc Concilium *Lateranense III.* prohibet cuicumque conferri aut promitti Beneficia, antequàm vacent, ne detur occasio exoptandæ mortis alienæ, & approbetur pactum futuræ successionis, Legibus etiam Gentilibus reprobatum.

Textûs hujus affinitas cum *cap.* 19. SESS. XXIV. & *cap.* 7. SESS. XXV. *de Reform.* induxit FAGNANUM, ut illos Textus unà exponeret. Primus ex Tridentinis abrogat Gratias Expectativas, quæ dant occasionem optandæ mortis Beneficiatorum, quorum sperantur Beneficia, quia dant Jus ad primum Beneficium vacaturum in Ecclesiis, ad quas inscribuntur: vetat eas cuicumque dari, sive Collegiis, sive Universitatibus sive Senatibus, sive privatis, etiam sub nomine Indulti, vel ad certam summam, sub quocumque colore. Vetat etiam usum earum, quæ jam concessæ erant, prohibet Reservationes Mentales, Indulta ad conferenda Beneficia, quæ vacabunt in Ecclesiis, aut Monasteriis, ab aliis possessis, etiam Cardinalibus data, & revocat omnes ejusmodi Gratias jam impetratas.

Hæc verba *quæcumque Gratiæ ad vacatura &c.* olim visa sunt comprehendere primas preces Imperatorum, quæ dant jus ad Beneficia Collatorum, ad quos diriguntur; ideòque consulta fuit Congregatio Concilii. Hac diligenter agitata difficultate, eam ad Pontificem detulit, qui declaravit, eas non contineri sub Decreto Concilii. Ratio præcipua fuit, quòd abrogatio aut revocatio Gratiarum, cùm sit res odiosa, maximè si concessæ fuerint Principibus, quibus vulgò dantur sub titulo onerosò, velut præmiola servitiorum, quibus Ecclesiam juvant, ejusmodi gatias non continet, nisi earum expressam mentionem fecerit: Prætereà, Dignitas Principum id etiam postulat, ideòque Concilium Decretum suum extendere volens ad Cardinales, eos nominatim complectitur; undè inferri potest illud, si Imperatores complecti voluisset, expresse declaraturum fuisse. Hac ratione in Galliâ utimur ad probandum, illo Decreto, abrogatum non fuisse Indultum Membris Senatûs Parisiensis concessum, quamvis Senatuum expressam mentionem faciat, quippe hoc Indultum concessum fuit Regi, Reges autem, sicut Imperatores non continentur sub Decretis odiosis, nisi nominentur. Alia sunt fundamenta hujus sententiæ, quæ locum habent ergà Universitates, scilicet, quia Decreta ejus Concilii in Gallicanâ Ditione promulgata non fuêre, neque hoc Decretum specialiter conversum fuit in Legem Regni, per ullum Edictum Regium, neque per usum, qui semper contrarius fuit. *Cap.* 7. SESS. XXV. disertè reprobat *Coadjutorias* cum futurâ successione, non solùm damnando quidquid continet aliquam hæreditariæ successionis in Beneficiis umbram, sed etiam eas nominatim Decreto suo complectendo, reservatis iis, quæ cadunt in Episcopatus, aut Monasteria, quas expressè excipit, cùm urgens necessitas, aut evidens utilitas utrorumque eas requirunt. Extrà hos casus vetat, eas cuilibet concedi, *nemini permittantur*: interdictum, quod solum Pontificem spectat, qui solus eas permittebat, sicut prohibitio *cap.* 2. laudati, ubi eadem ratio militat. Ex hac prohibitione nata est quæstio à FAGNANO proposita, scilicet, an Coadjutoriæ cum futurâ successione Juri communi adversentur, & Decretis Concilii Tridentini. Contrarietatem hanc prolixè demonstrat, & pro Regulâ constanti affirmat, Jus novum ac Vetus has Coadjutorias reprobare, multasque rationes ejus prohibitionis affert, ex quibus conficitur, eas tam esse odiosas, quàm Coadjutoriæ ad tempus sunt favorabiles; quod ostendit, observando omnia ambarum discrimina.

Quoad exceptionem, eam tuetur, ostendendo, casus

casus occurrere, in quibus Coadjutoriæ Episcopatûs sunt necessariæ: quandò v.g. senectute, aut morbo Episcopi fiunt incapaces munerum suorum gravissimorum, & fieri potest, ut nemo ad eos adjuvandos idoneus reperiatur, nisi successio promittatur. Porrò, hæc necessitas est justa dispensationis causa, & non occurrit in aliis Ecclesiarum Cathedralium Beneficiis; nam si Canonicus ad munera sua ineptus fiat, cæteri ejus defectum supplent: prætereà ipsius munera levissima sunt respectu officii Episcopalis, cui plurimarum Ecclesiarum regimen vulgò commissum est, & credita administratio duorum Sacramentorum, quæ nullus conferre potest sine caractere Episcopali.

Cæteras observationes Autoris adversùs Coadjutorias à Jure non permissas attingere nec possumus nec debemus: adjiciemus tamen, quòd, cùm sibi objecisset, eas bonum insigne parere, numerum Ministrorum augendo; respondet, illud bonum compensare non posse tot mala ex iis orta; 2. eas dari junioribus Clericis nullâ virtute commendatis, quoniam ii, qui sunt provectioris ætatis, eas negligunt, loca expectantes meliora, sive ratione honoris, sive ratione emolumenti ad tempus præsens; in quo sunt inferiores Servitoriis, qui aliquot habent reditus, Coadjutoriæ autem honorario carent, Coadjutoremque discretioni & voluntati Coadjuti subjiciunt, quoad munera, cum ille nihil sine hujus permissione facere possit. 3. Coadjutoriæ non sunt in usu apud Germanos, quia Concordato Germanico contrariæ sunt. 4. Ex potestate absolutâ, quæ Regulas vulgares superat & vocatur plenitudo potestatis, duntaxat Pontifex concedere potest Coadjutorias, ad Beneficia inferiora Episcopatibus & Abbatiis. *num.* 84. Autor fusè loquitur de hâc potestate in *cap. 6. de Cleric. ægrot.* maximè à *num.* 72. usque ad finem. 5. Quamvis Concilium *Expectativas* prohibuerit, Pontifex hodiè quasdam concedit, quæ effectum sortiuntur, *num.* 84. idque absque expressa derogatione Concilio.

CAPUT XXXVI.

Caput 10. *de Cohabitatione Clericorum & Mulierum.*

GREGORIUS IX. hîc docet, licere communicare cum Sacerdote, qui peccato mortali irretitus est, quamdiù crimen ejus occultum est, quia tunc suspensus est tantùm pro se, et non pro cæteris; sed secùs esse, si delictum ejus publicum sit, aut notorium, sive sententiâ, sive confessione in Jure, aut evidentiâ rei, quæ nulla tergiversatione tegi potest. FAGNANUS exponens hunc Textum, discutit, an Sacerdos suspensus solùm pro se, fiat Irregularis celebratione Missæ, aut exercitio aliorum munerum sacrorum, probatque non fieri, nisi crimen ejus ex iis sit, quæ Irregularitatem importent, velut homicidium, & quæ proindè suspendunt omninò ab illis muneribus. Quærit, an *cap.* 14. SESS. XXV. *de Reform.* aliquid circà hoc immutaverit? & respondet negativè, nisi ejus Decretum exequendo contrà Concubinarios, lata fuerit suspensio adversùs eos; & suam responsionem confirmat Decreto Congregationis.

CAPUT XXXVII.

Capita 5. *&* 11. *de Filiis Presbyterorum.*

ALEXANDER III. à Presbytero edoctus, Episcopum collato ipsi Sacerdotio sub Titulo Capellæ, eam ipsi abstulisse, quia didicerat, ipsius Patrem deserviisse Ecclesiæ in quâ erat, præcipit huic Episcopo, ut eam Capellam ipsi restitueret in pepetuum, posito quòd hanc circumstantiam noviset Ordinationis tempore; sin autem ignorasset, id præstaret ad tempus, & donec ipsi in alia Ecclesia dedisset, undè victum posset habere. FAGNANUS, *in hoc cap. num.* 19. quærit, an Concilium Tridentinum illud abrogaverit *cap.* 15. SESS. XXV. & respondet, abrogavisse juxtà declarationem, quam deinceps refert, quâ dicitur, collationem Beneficii factam filio illegitimo nullam esse ipso Jure, sed eo casu, quo pro Titulo Ordinationis facta esset, concedi posse, ut illam retineat, modò alteri collata non fuerit. Responsio hæc & Decretum hoc menti Concilii congruunt, quæ est, filium illegitimum nullum Beneficium possidere debere in Ecclesia, in quâ Pater ejus ministravit, ut memoria incontinentiæ Patris, quantùm licebit, deleatur, nullamque circà hoc dandam esse dispensationem.

Idem Pontifex *cap.* 11. prohibet, ne Filii Presbyterorum possideant Ecclesias, quas Pater eorum rexerit, tanquàm persona aut Vicarius, & si qui sint, in illo casu, jubet, ut removeantur ab illis Ecclesiis, sive nati sint antè Sacerdotium, sive post. Finis Pontificis est extirpatio successionis hæreditariæ in Beneficiis, & conservatio venerationis Clero debitæ removendo memoriam incontinentiæ Clericorum, quæ Clerum totum inhonorat. Hîc etiam FAGNANUS exponit *cap.* 11. SESS. XXV. factum ad labem hanc propulsandam, nec non ad medendum corruptulæ istius successionis. In hac expositione observat sex differentias inter Jus Vetus & Jus Novum à Concilio constitutum ergà spurios, Ministrorum Sacrorum Filios, quoad Beneficia, & Officia quarumdam Ecclesiarum; & proponit sex Quæstiones circà dispositionem Concilii ergà illos spurios. Referemus tantùm ea, quæ extrà dubium nobis videntur, & sunt alicujus momenti.

Primum discrimen est, quòd Jus Vetus disertè tantùm loquatur de spuriis Presbyterorum, quoad hoc argumentum: Concilium autem Tridentinum nominatim loquitur de spuriis Clericorum. Ejus itaque Lex continet genus & species; Jus autem Vetus unam tantùm expressè speciem.

2. Jus Vetus prohibet solùm successionem immediatam spuriorum Patri suo; Jus autem Novum prohibitionem extendit ad successionem mediatam.

3. Jus Vetus filio illegitimo concedit, ut serviat Vicario, & quasi Vicarius officialis amovibilis & temporalis, in Ecclesia, in qua Pater ejus Beneficiatus est, aut fuit; Jus autem Novum ipsi quodcumque servitium interdicit in eâdem Ecclesiâ.

4. Jure Veteri Filius illegitimus in Titulum possidere valet Ecclesiam, in quâ Pater merus Officialis est, vel ibi habere Beneficium, Jure autem novo id non licet.

5. Jure Veteri Filius illegitimus Pensiones possidere poterat super Beneficio Patris sui; nequit autem Jure Novo. Et hæc sufficiant quoad Observationes: transeundum est ad Quæstiones.

Quærit Autor 1. an Pater, qui habet facultatem transferendi Pensiones, quas habet suprà Beneficia, ad quæ præsentatus fuerat, & quorum institutionem non acceperat, possit eas transferre spurio Filio suo, quocum dispensatum est, ut habeat Pensiones & Beneficia? & respondet posse; quia Concilium, quod eum excludit à Pensionibus super Beneficium Patris, loquitur de Beneficio, quod Pater habuit in Titulum: hæc autem exclusio est res odiosa, & consequenter ad casum expressum restringenda. Responsionem suam confirmat Declaratione Congregationis ipsi consonâ. Ratio Decreti Concilii contraria videtur illi Decisioni; hæc enim ratio est votum longiùs removendi memoriam incontinentiæ Patris; translatio autem Pensionis Ecclesiasticæ à Patre possessæ in Filii favorem, hanc memoriam revocat & fovet. Quærit 2. an Filius illegitimus possit habere Beneficium in Ecclesiâ, in qua Pater habuit Præbendas, quarum Titulus in controversiam adductus est, & quas abdicavit nullo servitio

præstito? respondet cum Congregatione, quòd si Pater numquàm harum Præbendarum possessionem acceperit, aut per seipsum, aut per Procuratorem, Filius Beneficia habere potest in illâ Ecclesiâ; secùs, non potest. Futilis videtur hæc distinctio nisi in locis, de quibus agebatur, admittatur lis de Beneficio antè apprehensionem possessionis. Doctrinam suam de casu possessionis acceptæ confirmat aliâ ejusdem Congregationis Declaratione, quæ decidit, Concilium excludere Filium illegitimum à Beneficio à Patre possesso absque Titulo legitimo, & non pacificè.

Quærit 3. an Filius legitimatus sub Decreto Concilii contineatur? respondet, Cardinalem ALCIATUM observavisse, Filium illum ex eorum numero esse, qui continentur sub Concilii prohibitione, scilicet, omnium, qui de Matrimonio legitimo nati non sunt, & ab illa decisione excipi casum, quo Filius Matrimonio subsequenti legitimatus fuit.

Quærit 4. an Filius illegitimus possidere possit Ecclesiam dependentem ab eâ, quam possidet Pater ejus? & respondet cum Congregatione, posse, sive unita sit alteri, sive non, modò Pater in ea non ministraverit. Quærit 5. an juxtà Decretum Concilii, Filius legitimus ex spurio natus, possit possidere Beneficium, quod Avus suus possedit? & respondet videri non posse; quoniam ratio Decreti illum excludit, scilicet, votum longiùs removendi memoriam incontinentiæ Patris: relatisque gestis plurimorum Consessuum Congregationis variis temporibus habitorum circà hoc argumentum, dicit, eam denique unanimi consensu mentem suam aperuisse in gratiam Nepotis, ob multas rationes præcipuè quia non ibi agitur de incontinentiâ paternâ.

Posset objici *cap. 2. de verb. signific.* quod docet, Avum contineri sub nomine Patris; sed respondendum est, casus odiosos excipi debere, in quibus extensio non habet locum.

Quærit 6. an, positâ Declaratione prædictâ, Filius legitimus spurii possit succedere Beneficio Avi Patris ejus spurii, vel habere Pensionem super illud Beneficium? & respondet, juxtà illam, Nepoti licere utrumque, sed illâ remotâ aliter sentiendum ob rationes, quas refert. Itaque, juxtà illum ratio cedit autoritati non infallibili.

TITULUS XXIII.

Quænam sit autoritas DECRETORUM *sive* DECLARATIONUM, *quas Cardinalium* CONGREGATIONES *ferunt; vim-ne Legis habent? Quot sunt ejusmodi Congregationes? In quo conveniunt invicem, aut discrepant?*

Inter Opuscula circà Concilium Tridentinum istud collocamus, quia Congregatio hujus interpres est omnium dignitate prima.

FAGNANUS de his *Congregationibus* loquitur in *capita 13. de Constitut. 14. de major. & obed. 12. de Judic. 7. de Statu Monach. 9. de Consecrat. Eccles. 7. ne Cleric. vel Monach.* Circà illas fusiùs disputat in locis prioribus laudatis: quæ verò ibi ab illo dicuntur, nobis ad duplicis hujus Quæstionis solutionem inservient; sed maximè ad priorem quæ præcipua est; posterior enim duntaxat proponitur ut notæ fiant Congregationes, à quibus manant *Declarationes* præfatæ; ideoque à primâ inchoamus, velut ab eâ, quæ argumento nostro vicinior est.

Magna animorum contentione disceptatur inter Canonistas Ultramontanos, utrùm hæc Decreta seu Declarationes Canonicæ Legis vim habeant? an verò sint tantùm Decisiones Magistrales? Illi ipsi, qui putant, eas quibusdam in casibus Legis robur obtinere, de necessariis ad hoc conditionibus inter se non consentiunt, promulgationem requirentibus aliis, aliis secùs. FAGNANUS quæstionem utramque prolixissimè tractat in *cap. 13. de Constitut.* ipse undecim Congregationibus fuit à Secretis, proindèque scire potuit earum sententiam, circà autoritatem, quam sibi vindicant, sed quoniam hæc earum sententia in peculiari earum negotio regula esse nequit, quippe, quæ præoccupationis suspicione vehementer laboret; idem fieri debet judicium de opinione istius Ministri, cui illarum exaltatio proderat, cùm ab hoc periculo nequivit eximere probitas ipsius, quo jam implicatus erat ob suam institutionem in zelo Pontificiæ Majestatis, atque eorum, quæ à Pontifice manant, dignitatis studiosissimo.

Nos autem hac præfatione non intendimus absterrere, à legendâ disputatione ejus in gratiam horum Decretorum, responsisque ejus ad objectiones, quibus impetitur autoritas Legis, quam Decretis iisdem tribuit. Collectio momentorum in utramque partem, & solutionum procul dubio utilis est, tàm in hoc argumento, quàm in aliis. Verùm optamus, ut legatur cum prudentiâ, necessariisque ad ferendum rectum judicium cautionibus. Optimum itaque erit prævidere, 1. Hìc de Legibus Universalibus agi, quæ Fideles omnes astringant, quantùm ad Religionem. Nulla res est majoris momenti, circà quam Leges ferri possint.

2. Magnus est numerus Congregationum Cardinalium. Usque ad XV. instituit SIXTUS V. quarum singulæ Pontificis autoritatem exercent. Ferendarum Declarationum casus frequentissimi sunt; itaque, posito quòd illæ vim Legis Universalis obtineant, terrenarum Potestatum augustissima vilior fieret; Leges in infinitum crescerent & simul occasiones prævaricandi.

3. Sunt aliæ prærogativæ minùs insignes Pontificis personæ reservatæ, quæ numquàm sine speciali clausulâ communicantur ipsis etiam Legatis *à Latere*, quorum officium amplissimum est. *Cap. 4. de Offic. Legati.*

4. Principes Supremi, quorum nullus tot subditis præest, nemini concedunt jus ferendarum Legum Subditorum Universitatem ligantium. 5. Nulla affertur Constitutio Pontificia, quâ expressè sit declaratum, Pontificem intendere & cavere, ut Congregationum Declarationes vim Legis Universalis sortiantur; quamvis opinionum varietas circà Declarationum earumdem autoritatem eum non lateat; nec verò simile est, factum fuisse, ut à tam necessariâ Definitione abstineret, si vim Legis Universalis ejusmodi Declarationibus impertire dignatus fuisset.

6. Leges vulgò Legislatoris nomine proponuntur; ipse in eis loquitur, & voluntatem suam disertè aperit: Declarationes Cardinalium Congregationis nomine feruntur.

Hæ considerationes invicem concurrentes gravem adversùs FAGNANI sententiam præsumptionem efficiunt, suntque probabiliter fundamentum opinionis contrariæ à Celeberrimis Autoribus propugnatæ, quos laudat GONZALES *n. 57.* sui *Apparatûs*, qui *Commentarium* ejus *in* DECRETALES præcedit; ubi præterea, circà Secundam Quæstionem observat, eos, qui Declarationibus vim Legis Universalis in quibusdam casibus tribuunt, quatuor conditiones requirere.

1. Ut in eis expressa mentio fiat, Pontificem consultum fuisse.

2. Ut ordinario Congregationis sigillo, quod idem est ac Præfecti ejus, muniantur, subscriptionibusque ejusdem Præfecti & Scribæ; (hoc ab URBANO VIII. constitutum fuisse asseritur.)

3. Ut Declarationis limites non egrediantur, ità, ut nihil adjiciant, detrahant, aut diminuant ex Decreto Concilii.

4. Promulgatæ sint quemadmodùm Leges, quibus promulgatio essentialis est. Multos, præterea, laudat Autores, fama non mediocri commendatos, qui de harum conditionum necessitate loquuntur. *Secundam*

dam requiri, *Fagnanus* agnoscit: de *prima* & *tertia* tacet: circà *quartam*, contendit. Præcipuum ejus momentum est, quòd Declaratio Legis non sit nova Lex, sed mera veteris expositio, & id, quod declaratur, in veteri contineatur, ejusque proinde sit pars: itaque, Declaratio censetur promulgata in veteri Lege. Verùm, si ratiocinio huic locus esset, Conciliorum Generalium Definitiones tàm circà fidem, quàm circà mores, promulgatione haud indigerent, quoniam in Lege Divinâ includuntur, quam Scriptura & Traditio continent; & consequenter, ipsæ nihil aliud sunt, quàm istius Legis Declarationes; nihilominùs hæc Concilia Definitiones suas promulgari jubent, ut ostendum fuit, ubi de *Promulgatione Legum Ecclesiasticarum* actum est, quarum illæ sunt pars maxima. Ibi observavimus, Legum Ecclesiasticarum promulgationem fieri, ut omnibus notum fiat id, quod in eis continetur, non solùm in globo, verùm etiam sigillatim, ut distinctè credi possit id, quod diserte definitum est, & observari, quod præceptum est. Antè Definitionem, sufficit in globo credere quod credit Ecclesia & velle obtemperare iis, quæ jubet eadem Ecclesia, circà legem Jesu Christi: verùm Definitionem sequi debent fides distincta singulorum capitum definitorum, & observatio singulorum præceptorum distinctè inculcatorum. Legis divinæ quædam partes obscuræ sunt, quæ per Definitiones Ecclesiæ exponuntur, sive promulgatione harum Definitionum, distinctè nosci non possunt ea, quæ continentur in ejus partibus singulis.

Eodem, præterea, loco probavimus, quòd ergà eos, qui Definitionum participes fuêre, notitia earumdem, quam aliâ viâ, quàm ex promulgatione nacti sunt, non sufficiat, ad eos ad obsequium astringendos; quoniam satis certa non est, ad imponendam hanc obligationem; & quemadmodùm Leges autoritate publicâ conduntur, ita eâdem autoritate divulgari debent.

Itaque, si Declarationes Congregationum non promulgentur, ut agnoscit *Fagnanus*, quodcumque dicit, ut probet eas vim Legis universalis obtinere, quæ Fideles omnes liget, non sufficit ad stabiliendam ejus opinionem, quoniam, juxtà Autores laudatos, & probationes in Tractatu suprà notato collectas, promulgatio Legi essentialis est.

His ita positis, haud erit necessarium ad ejus rationes respondere sigillatim: & quidem, ad removendum hunc laborem, immorati sumus in ostendendo, Declarationes Cardinalium non posse esse Leges, ob defectum promulgationis. Hic autem defectus cùm, *Fagnano* confitente, universas inficiat, necessariò sequitur, nullam esse, quam vim Legis obtinere meritò quis affirmare queat. Quasdam tamen ex illis probationibus discutere non recusabimus, ut alia earum vitia detegamus; sed priùs observabimus, quòd, si quædam Declarationes Pontificum jussu promulgatæ sint, ipsæ ad hanc disputationem non pertinent. Nam promulgatio, quam fieri jubet, vel finit Pontifex, certum est signum, eas hunc adoptare, atque ad Legum universalium dignitatem evehere velle.

Ex omnibus Congregationibus nulla est, quæ majori autoritate polleat, quàm Congregatio ad interpretationem Concili Tridentini instituta; hanc enim tantam duxerat Pius IV. ut personæ suæ eam reservaverit, Cardinalibus, quos huic negotio præfecerat, solam concedendo facultatem exequendi Concilium. Primus autem Sixtus V. illam autoritatem eis attribuit, cum onere tamen sui, in casibus difficilioribus consulendi. Imo hæc potestas ita huic Congregationi peculiaris est, ut cæteræ teneantur ad eam remittere omnes casus, qui absque Concilii interpretatione decidi nequeunt. Porrò, Declarationes hujus Congregationis vim Legis universalis obtinere nequeunt, quoniam Concilium ubique non est receptum; quippe, quod in pluribus Regnis non fuit promulgatum. Præterea, inter has Declarationes, plurimæ sunt, quæ Concilii dispositionibus apertè repugnant. Tales sunt præ cæteris eæ, quas Fagnanus refert in *cap.* 13. *de Constitut.* à *num.* 25. ad 31. atque illæ, quas laudat Van Espen in suis *Additionibus*, initio 2. Editionis ejus Operum, *Lovanii* an. 1721. impressæ. Quoad has, Autor id demonstrat luculenter; quoad illas, id ostendetur in Tractatibus circà argumenta illis affinia, nempè celebrationem Matrimonii; Visitationem Episcopalem Ecclesiarum Urbis Episcopalis; absolutionem peccatorum reservatorum; absolutionem Censurarum reservatarum; dispensationes à Bigamiâ; effectum Tonsuræ. Itaque, non reperietur in illis Declarationibus *tertia* conditio, ad constituendam Legem requisita; quoniam illæ Concilio detrahunt aliquid, vel adjiciunt.

Illas nihilominùs allegat *Fagnanus*, velut exempla præcipua earum, à quibus nemo recedere audet, aut debet. Sufficientem is Theologis operam non dederat circà hæc argumenta, secùs didicisset, multos, & eruditissimos non sequi has Declarationes, & contrarias partes propugnare; scilicet, 1. Curatum non esse merum, sive simplicem Testem in administratione Sacramenti Matrimonii; sed hanc ab ipso fieri velut à Ministro vero Sacramenti; & proinde, ipsam esse nullam, cùm fit à Parocho, qui non est Sacerdos. 2. Sacerdotes excommunicatos posse à casibus reservatis in periculo mortis absolvere, & rationem Concilii *cap.* 7. Sess. IV. omnes Sacerdotes comprehendere: 3. Bullam, *in cœnâ Domini* non spoliare Episcopos facultate absolvendi à Casibus occultis. 4. Tonsuram non imprimere Caracterem, hunc que effectum non produci, nisi ab Ordinibus verè Sacramentis.

Idem Autor perperàm concludit, has Declarationes vim Legis universalis habere, ex eo, quòd Rota eas sequatur: cæteri Judices, qui suam à Pontifice autoritatem recipiunt, idem faciant: cæteræ Congregationes earum autoritatem agnoscant: nonnulli Autores Hispanici, aut Italici eas pro Legibus à Pontifice egressis habeant. Generalis enim consecutio ex aliquot factis particularibus deducta non est legitima. Obsequium hoc è causis personis laudatis peculiaribus nasci potest; eædem verò causæ, quoad cæteros, infirmæ forsitan sunt, qui easdem ideas non habent, nec iisdem vinculis tenentur.

De reliquarum Congregationum Declarationibus judicium ferri debet ex Congregatione Concilii. Nam, si Declarationes Congregationis primariæ, cui cæteræ subjectæ sunt, quoad interpretationem Concilii, regulæ frequentioris suorum Decretorum, Legis universalis robur, quæ Fidelium universitatem liget, non obtineant; qui fieri potest, ut hanc sibi prærogativam cæteræ Congregationes vindicent.

Absolutis iis, quæ autoritatem Declarationum Congregationum Cardinalium attinent, quæ quidem Quæstio hujus *Tituli* præcipua pars est; transeundum est ad delineationem illarum Congregationum, observando quæ sunt illis communia, quæ peculiaria, quot sint, à quibus Pontificibus institutæ fuerint, quo tempore, quo fine, quænam sint illarum officia, juxtà usum hodiernum. *Fagnano* Van Espen adjiciemus, qui post illum de iis scripsit magis methodicè, cùm id consultò, serieque continuâ executus sit; alter verò ex occasione duntaxat, quamvis circà capita majoris momenti non sit brevis.

Congregationes Cardinalium respectu Pontificum sunt idem, quod Consistoria, seu Consilia, quoad Principes. Quemadmodum hi plura & varia Consilia habent, pro variâ conditione negotiorum, quæ ipsis committuntur: undè in Galliâ habemus Consilium conscientiæ, sive Ecclesiasticum, Consilium Militare, Consilium Ærarium, sive Consilium Publici Statûs; Consilium Negotiationum, seu *des Dépêches*, Consilium Sanctius, sive Secretius, aut Partium, Consilium Cameræ Regiæ, sive Consilium Superius; sic

Pontifices varias Congregationes habent, inter quas Ecclesiæ negotia graviora divisêre; scilicet, Consistorium & Congregationem Consistorialem; Congregationem Concilii Tridentini interpretem; Congregationem Sancti Officii; Congregationem Indicis; Congregationem de negotiis Episcoporum & Regularium; denique Congregationem de Ritibus & Canonisatione Sanctorum. SIXTUS V. usque ad XV. Congregationes an. 1587. instituerat, singulis certam materiam ac jurisdictionem assignando. Plures ex iis exolevêre, vel iis, quæ superiùs commemoratæ sunt, adunatæ sunt. v. FAGNAN. *in cap. 14. de major. & obed. n. 65.* VAN ESPEN *part. 1. fol. 22.*

Quædam sunt *Extraordinariæ*, quæ instituuntur ad negotia specialia & cum iisdem negotiis extinguuntur. idem est de illis Congregationibus Cardinalium, ac de Commissariis à Rege delectis, ad discutienda & componenda negotia particularia, quorum jurisdictio delegata est. Non agitur hic de ejusmodi Congregationibus, sed de *Ordinariis*, quarum jurisdictio est ordinaria; quoniam Constitutionibus instituuntur, sibique attributa habent quædam negotiorum genera, FAGNAN. *ibid.* Earum jurisdictio non extinguitur defuncto Pontifice, sed suspenditur, quoad negotia, quæ non perficiuntur extrà præsentiam Cardinalium, & sine subscriptione Cardinalis Præfecti, posito, quòd hi in Conclave ingressi sint, FAGN. *in idem cap.* ubi fusiùs agit de hac suspensione, & notat, quænam sint illa negotia, quænam verò solius Scribæ officium desiderent.

Ex his Congregationibus ordinariis, quædam institutæ sunt, vel ad negotia, quæ Pontificem, quatenùs Episcopum specialem, attinent; talis est Congregatio Visitationis Apostolicæ: vel ad negotia, quæ Ditionem Ecclesiasticam spectant; tales sunt, 1. Congregatio vulgò *de consulta* dicta, 2. Congregatio *de bono regimine*. De neutris hic agimus: cæteræ Congregationes eæ sunt quibus negotia ad regimen universalis Ecclesiæ pertinentia, vel ad Pontificem, Curiamque Romanam & omnibus Provinciis lata, commissa sunt: Hæ dumtaxat ad nostrum pertinent institutum.

Cùm Congregationes certo duntaxat Cardinalium numero & Ministris aliquot, sive Officialibus constent, Congregationibus hodie Consistorium annumerari nequit, quod ex omnibus Cardinalibus, qui Romæ degunt, coalescit. Ipsum est Senatus Pontificius, qui nuncupatur *Consistorium*, quemadmodùm eodem vocabulo designatur Consilium Principum, quoniam eorum Consiliarii coassistunt Principi, *Leg. 3. Cod. de offic. omnium Judicum*, LIB. 1. *Tit.* X. ut observat *Gothofredus* in eamd. Legem. Idem Senatus olim cum Pontifice perficiebat, id, quod seorsim in variis Congregationibus conficitur. Ibi negotia omnia communi consilio discutiebantur, lites ipsæ modo judiciali decidebantur. Hoc onere nunc levatum est Consistorium, quod commissum fuit Congregationi *Consistoriali* dictæ, & constanti ex certo Cardinalium & Prælatorum numero, & Scriba, qui non est Prælatus. Hæc est veluti Camera, vel Curia Consistorii; in quâ præparantur, discutiuntur, ac dirimuntur lites, auditis partibus, & servatis ordine ac solemnitatibus custoditis ab aliis Congregationibus in judicio negotiorum sibi competentium.

Consistorii convocatio fit ad Pontificis nutum, qui ejus diem, horam, locumque assignat, suamque voluntatem Cardinalibus significat. Consistorium vel est Ordinarium, vel Extraordinarium. Ordinarium, bis vulgò singulis Mensibus cogitur, dieque Lunæ, ut plurimùm. Publicum est, vel secretum. In Publicum, Prælati, Ministri, & Legati Principum ingrediuntur, quemadmodùm Cardinales. Pontifex ad audientiam suam admittit eos, quibus eam concedendam duxit, quâ finitâ, omnes egrediuntur, solusque cum Cardinalibus manet Pontifex.

Negotia ordinaria Consistorii sunt Creatio Cardinalium, Provisiones Episcopatuum, Abbatiarum, omnesque Gratiæ, aliæve res ad hæc Beneficia pertinentes. Sunt alia præterea Beneficia Consistorialia, quoniam iis providetur in Consistorio. Talia sunt vulgò ea, quæ descripta sunt in Libris Cameræ. LOTERIUS *de re Beneficiariâ Lib. 1. q. 26.* ubi de hoc argumento agit, atque observat, Pontificem ad Beneficia ejusmodi in Consistorio concedenda non esse obligatum, ipsaque aliquandò extrà Consistorium dare. Abbatiæ Monialium ab Annatâ immunes sunt, ipsius loco datur Supparum sive Rocchettum Pontifici. FAGNANUS de Congregatione negotiorum Consistorialium mentionem facit *in cap. 7. de Statu Monach. n. 10.* occasione aggregationis Abbatiarum, aliorumque Monasteriorum Exemptorum in Belgio, anno circiter 1580. post Concilium Tridentinum factæ, quæ Pontificem supplicabat, ut ipsam confirmaret, ipsique facultatem impertiretur aggregandi Monasteria non exempta. Observat, Pontificem negotium hoc remisisse ad Congregationem negotiorum Consistorialium, hanc autem judicavisse, aggregationes confirmatione non indigere; priusquàm verò circà facultatem quæsitam statueretur, necessarium esse, ut aggregationis istius Constitutiones viserentur.

Idem Autor etiam ex occasione de Consistorio loquitur *in cap. 3. de translat.* ubi post quosdam Canonistas veteres, dicit, Consistorium Pontificis idem esse ac Dei, cujus Vicarius est. Sententia affinis ei, quæ legitur *cap. 2. de consuet. in 6.* Tribunal Officialis idem esse ac Episcopi, cujus Officialis est. De Consistorio publico fit mentio expressa, *Clement. unicâ de Jure jurand.* sub medium, ubi Pontifex dicit, se Avenione constitutum in Consistorio publico, in quo præter Cardinales, magna erat multitudo Prælatorum, aliorumque tàm Clericorum, quam Laicorum, respondisse Legatis HENRICI electi Romanorum Regis, circà Juramentum fidelitatis sibi ab illo debitum.

Congregatio *S. Officii* eadem est ac *Inquisitionis*. Licèt Inquisitionis institutio adversùs Hæreticos & hæreses Sæculo XIII. facta sit, Congregatio de quâ agitur nonnisi mediante Sæculo XVI. scilicet an. 1542. Sub PAULO III. instituta est. Sex in eâ Cardinales conscripsit cum Ministris necessariis. PIUS IV. eam confirmavit, ipsi duos Cardinales adjecit, ac jussit, ut quidquid à majori Cardinalium præsentium parte factum, sancitum & judicatum foret, reputaretur factum, sancitum & judicatum ab omnibus Cardinalibus, qui jus habent in eâ assistendi. PIUS V. eam confirmavit, adjecitque, ut autoritas Cardinalibus præsentibus attributa locum haberet, etiamsi duo tantùm adessent. SIXTUS V. Congregationes Quindecim, de quibus actum est, instituens, primum inter eas locum Congregationi Inquisitionis assignavit, confirmandoque jura & prærogativas ipsi à suis Decessoribus concessas, eorum jurium enumerationem facit, scilicet inquirendi, citandi, procedendi, sententiam ferendi, & definiendi in causis omnibus hæresim manifestam aut præsumptam spectantibus, nempè Schisma, Apostasiam à fide, Magiam, Sortilegia, Divinationem, Sacramentorum profanationem, resve affines; extendens hanc autoritatem non solùm ad omnia loca Ditioni Ecclesiasticæ subdita, verùm etiam ad omnes Regiones Christianas, & in omnes Patriarchas, Primates, Metropolitanos, & alios inferiores quantùmvis privilegiatos, ità, ut Cardinales istius Congregationis sint Inquisitores Inquisitorum, sive, ut loquitur PAULUS III. Commissarii Fidei Generales & Generalissimi.

Hæc Congregatio suos habet Ministros, quemadmodùm cæteræ. Primus est *Commissarius S. Officii*, cui *Assessor* adjungitur. Habet quoque *Fiscalem*, & *Notarium* vel Scribam. Ad eam vocantur Theologi & Canonistæ, qui Consultorum munere funguntur, suam sententiam de Actis sibi communicatis promunt, cum momentis ejus, si de Libris aut Propositionibus agatur,

tur, eorum earumve discussio aliquandò committitur Theologis, qui post examen ad Congregationem judicium suum referunt, & si dignos aut non dignas censurâ judicaverint, qualitatem ejus, quam Liber aut Propositio meretur, proponunt, undè nomen habent *Qualificatorum*. Congregatio pluries in hebdomadâ cogitur. Die Jovis ipsi Pontifex interest, coram quo discutitur negotium præcipuum in hebdomadâ agitatum, & postquàm Theologi Sententiam suam circà illud protulerunt, posito quòd discussio ipsis tributa fuerit, dimittuntur cum omnibus Ministris, & Pontifex, collectis Cardinalium votis, juxtà pluralitatem pronunciat. Quo peracto introducuntur Commissarius atque Assessor, iisque S. sua notum facit Congregationis Statutum. In aliarum dierum Conventibus, Cardinales, conditis Decretis suis, Assessorem ad Pontificem pomeridie mittunt, qui rem gestam narret: hæc Decreta sub nomine Cardinalium Sancti Officii conficiuntur, alia sub nomine Pontificis; sed cùm hæc ipsa juxtà pluralitatem Suffragiorum Cardinalium Congregationis condita sint, Cardinalibus adscribi possunt, similemque ob causam Consultoribus attribui possunt, quoniam eorum vota sequi solent Cardinales.

Hoc Libris personarum dignitatem eminentem gerentium indulgetur, ut Cardinales ipsi de iis sententiam suam in scriptis, cum momentis ejus proferant, invicemque communicent.

Alienum est agere hîc de Inquisitionibus, Provinciarum, earumque methodum procedendi adversùs Hæreticos describere; sufficit observare, universas Congregationi S. Officii Romanæ esse subjectas, ipsasque eam in difficultatibus occurrentibus consulere.

Congregatio Indicis instituta fuit ad sublevandam Congregationem S. Officii ipsique subjacet. Libri, quos illa damnat rursùs ab hâc discuti possunt. Plura sunt exempla Librorum sic rursùs recensitorum. Van Espen unum refert *n.* 33. *cap.* 4. *tit.* 22. laudari, eo insignius, quòd doceat Librum, qui in *Indicem* relatus fuerat, prohibitum fuisse non solùm à Congregatione S. Officii, sed etiam tertia vice ab Innocentio XI. quoniam utriusque Congregationis Decreta lectioni hujus Libri non obstiterant. Hic autorem habet *Amadæum Guimeneum*; ad ipsam etiam Congregationem S. Officii pertinet concessio legendorum Librorum à Congregatione Indicis notatorum. Itaque, per hujus institutionem nihil detractum est autoritati Congregationis S. Officii: hæc illius est Mater, quæ Filiam, titulo Coadjutricis Officii, consociat, quippe quæ Matrem suam à cura Librorum exoneret, qui non spectant ad Fidem, circà quam Congregatio S. Officii præcipuè versatur. Sixtus V. *Congregationem Indicis* instituit. In ea tot Cardinales, quot necessarios duxerit, conscribit Pontifex; Scribam habet illa ex Ordine S. Dominici, habet præterea *Consultorem*, qui Sacri Palatii Magister est, & qui ante Congregationis hujus & Congregationis S. Officii erectionem, recensendorum Librorum officio fungebatur. Itaque, dignitas hæc ipsi juris veteris vi & loco debetur: ad eum etiam pertinet munus examinandi, vel examinandos curandi Libros Romæ typis mandandos; item recensendi eos, qui Romam ab aliis locis, ubi cusi sunt, adportantur. Facilitas qua-cum Libri ab illâ damnantur, eorum censuram contemptui objecit: quosdam reperias, qui id sibi honori vertant. Remedia optima, si malè adhibeantur, irrita fiunt, ut noscitur ex exemplo excommunicationum *ipso facto*, quæ tantùm absque causâ legitimâ creverunt, ut à nemine metuantur. Præjudicia corruptelarum adeò pernicioſarum sunt fontes infausti.

Cùm Episcopi sint Inquisitores nati Diœceseon suarum, sintque à Spiritu Sancto præpositi ad docendum, semper jus examinandi Libros servaverunt, non obstante harum Congregationum institutione.

Plures sunt Catholicæ Provinciæ, ubi licèt agnoscantur illarum Congregationum Decreta, ea revisuntur, antequàm executioni mandentur; idque non fit nisi cum modificationibus necessariis. Cautionem hanc postulat discrepantia Axiomatum illic placitorum, ab iis, quæ apud Congregationes obtinent.

Quod circà utramque Congregationem dicendum superesset, oportunius erit in loco, ubi de hæresibus agemus, exponeturque Jus Novum & Vetus circà hoc argumentum.

Superiùs agendo de autoritate Congregationis Concilii Tridentini multa omisimus, ob quæ cogimur ad eam Congregationem redire, ut observemus, in quo cum cæteris congruit, vel discrepat.

Diximus, eam primum ad executionem Decretorum Tridentini à Pio IV. fuisse institutam, atque Sixtum V. ipsi tribuisse facultatem ejus interpretandi, à quâ cæteras excluſit. Quoad hanc executionem, ei cæteræ subjectæ sunt, ipsa ad illas remittit, id quod executionem Decretorum ejusdem Concilii spectat. Remittit quoque ad Ordinarios quæstiones facti. Cùm Declarationes condit circà casus particulares, eæ pro regulis assumi nequeunt in aliis casibus, nisi circumstantiæ eædem sint, quod rarissimè aut ferè numquàm accidit, cùm ejus institutio soli interpretationi Concilii destinata sit, declarare dumtaxat potest id, quod præceptum, prohibitum, aut permissum est à Concilio.

Itaque, *Decreta* propriè nuncupari non possunt ejus decisiones, sed tantummodò *Declarationes*: in quo differunt à Definitionibus cæterarum, quæ sunt vera Decreta, præcepta, prohibitiones, aut permissiones continentia. Unicum habet Ministrum, Scribam scilicet, sive Amanuensem. Nemo præter Cardinales & Scribam eam ingreditur, extrà Casus, in quibus partes audiri necessarium est. Pontificem consulere tenetur in interpretatione Concilii, si difficultas occurrens id requirat. Hoc interpretandi jus ex vi suâ ad revisionem Conciliorum Provincialium ex Tridentini præcepto habitorum extenditur; undè nonnumquàm fit, ut de quibusdam Decretis, juxtà placitas apud Romanam Curiam opiniones judicans, illa emendet, quamvis nihil nisi rectum contineant, juxtà placita Regionum, in quibus condita sunt axiomata. Hoc etiam jus interpretandi consequitur facultas respondendi ad supplicationes Episcoporum, qui limina Apostolorum adeunt, etiamsi ad alia capita pertineant. Meritò existimatum est, iniquum, vel incommodum fore, si responsiones ad hæc capita dividerentur ab iis, quæ Concilium spectant, quippe, cùm hi Episcopi brevissimo tempore Romæ consistant, necessarium fuit, ut Congregatio, quæ ad partem quæstionum eorum respondere debebat, cæteris eodem tempore satisfaceret.

Declarationes antiquæ nonnumquàm per recentiores emendantur, quoties ex disquisitione maturiori agnoscitur, eas Concilii menti non concordare. Undè patet falsum esse, Congregationem se infallibilem arbitrari in suis interpretationibus, quamvis tribuantur Pontifici, cujus autoritate fiunt. Fagnanus exempla refert harum emendationum, quæ pariter à Van Espen referuntur *cap.* 5. *n.* 18. *tit.* 22. laudato.

Cùm Congregationes *de Regularibus* & *de Episcopis* invicem adunatæ hodiè sint, de iis promiscuè agemus. Connexio negotiorum ad singulas pertinentium eas adunandas esse persuasit. Earum præcipuæ erant controversiæ, quæ pacem inter Regulares atque Episcopos turbant: uni eidemque Tribunali earum compositionem attribuere æquum fuit. De hac igitur unicâ Congregatione utrosque hodie amplectente hæc scitu necessaria sunt. Ex solis Cardinalibus coalescit, quorum numerus major est, quàm in aliis Congregationibus. Hoc negotiorum copia postulavit. In eâ non observatur Judiciarius ordo, verùm sententia, detectâ & comprobatâ veritate facti, fertur, utque hæc cognoscatur, quoties Regulares de Epis-

copis conqueruntur, Congregatio Epistolâ suâ hoc Episcopo significat, mittitque ad eum Exemplum supplicationis adversùs ipsum oblatæ; responsionem ab hoc acceptam discutit Congregatio; an satisfaciat ad facti cognitionem; sin minùs à Metropolitano necessariam explicationem scisciatur. Eâdem methodo utitur, cùm Regulares de Superiore suo immediato conqueruntur, querela ad hunc Superiorem mittitur, & cùm ejus responsio non sufficit, Congregatio à Procuratore Generalis Ordinis Romæ vulgò commoranti veritatem investigat. Jam verò cùm sola quæstio Juris decidenda supereſt, eam decidit, decisionemque suam à Præfecto & Scriba ritè subscriptam, mittit ad eos, quorum interest. Neque in hac Congregatione, neque in cæteris è Cardinalibus solùm constantibus admittitur recusatio ob suspicionem.

Hæc Congregatio semel in singulis hebdomadis die Veneris cogitur, in Palatio Apostolico.

Congregatio Rituum, quæ sola inter Congregationes augusto titulo *Sacra* decoratur, hodiè non est eadem cum Congregatione *de Canonisatione Sanctorum:* conjunctim tamen de utraque loquemur, quoniam officium posterioris ad priorem olim pertinebat, ambæque versantur in iis, quæ Ritus, Cerimonias, Officium Divinum spectant, cùm hæc omnia in Canonisatione Sanctorum reperiantur. Sed cùm Congregatio Rituum Congregatione Canonisationis Sanctorum, quæ est extensio ipsius, non solùm antiquior sit, verùm etiam plures quàm hæc habeat facultates; de utrâque agendo, à Congregatione Rituum exordiemur; circà quam observabimus, eam à SIXTO V. fuisse institutam, ut incumberet 1. Conservationi veterum Cærimoniarum in Missis, Officiis Divinis, administratione Sacramentorum atque in cæteris, quæ ad Officium Divinum pertinent in universo Orbe Christiano, in Omnibus Ecclesiis, & in ipsa Capellâ Pontificiâ: 2. Instaurationi ipsarum in locis, ubi neglectæ fuissent; 3. Emendationi earum, quæ depravatæ sunt. 4. Correctioni Librorum Cerimonialium, Missalium, Pontificalium, Breviariorum 5. Examini Officiorum. SS. Patronorum & Concessioni licentiæ ipsa recitandi, consulto tamen priùs Pontifice, largiendæ. 6. Denique iis, quæ ad Canonisationem Sanctorum, celebrationemque Festorum pertinent, ut omnia ritè decenterque fiant.

Numerus Cardinalium hujus Congregationis olim definitus erat, & Quinarius: hodie plures aut pauciores sunt, ad Pontificium nutum. Plures Prælati in eâ sunt conscripti, quorum unus est Scriba, & aliquot Professores Theologiæ, Magister Sacri Palatii, & plures cærimoniarum Præfecti Pontificii. Ad eam sæpè feruntur quæstiones circà præsessionem, aliosve honores in Processionibus aliisque Cærimoniis Ecclesiasticis; circà jus sepeliendi defunctos, & Sacra perficiendi in Sepulturis; sed illas remittit ad Congregationem de Episcopis & Regularibus, quæ eas eâdem methodo, quâ reliquas sibi competentes, decidit: in utrâque servatur idem stylus, vel forma, ad decisionem, ejusque communicationem partibus, quarum interest, faciendam.

Congregatio Canonisationis Sanctorum, quam diximus esse extensionem Congregationis Rituum, ab eâ differt, non solùm numero personarum, quibus constat, sed etiam methodo procedendi & conveniendi; in his enim omnibus capitibus extraordinaria est. 1. Præter Cardinales & Prælatos, qui reperiuntur in alterâ, hæc Promotorem Fidei habet, atque Assessores, qui sunt tres vetustiores Rotæ Auditores, qui tanquàm eruditi Canonistæ intersunt; unum è Protonotariis participantibus, alios Theologos, qui Consultorum vice funguntur, aut Qualificatorum; Medicos & Philosophos, qui discutiunt, an Miracula Sanctis adtributa sint vera Miracula.

2. Probationibus omninò ac maturè discussis in Congregatione, præparatoque negotio Canonisationis, cogitur Congregatio solemnior coram Pontifice, qui collectis Congregationis Suffragiis, Decretum Beatificationis pronuntiat, vel concessionis cultûs specialis in quâdam Ecclesiâ, vel Oratorio: tum aliud fit scrutinium in Consistorio pleno secreto. Denique, celebratur Consistorium solemnius, in quo coëunt omnes Archiepiscopi atque Episcopi Romæ degentes, quorum post sententiam velut in Concilio Prælatorum, Pontifex, requirente Promotore Fidei, Decretum Beatificationis pronuntiat sic conceptum. *In honorem SS. Trinitatis, exaltationem Fidei Catholicæ & Christianæ Religionis profectum decernimus & definimus autoritate ejusdem Dei omnipotentis Patris, Filii, & Spiritûs Sancti & D D. Petri & Pauli, de consilio Fr. n. N. bonæ memoriæ visum esse Sanctum & inscribendum esse Catalogo SS. cui illum inserimus.* Solemnitatis ergò causâ tantùm quæruntur vota Archiepiscoporum & Episcoporum, qui in Consistorium admittuntur, posito quòd à probationum examine abfuerint. Omittimus hic quod suppeditat Corpus Juris circà Canonisationem Sanctorum, quod colligetur & ordinabitur in Tractatu de *Officiis Divinis* ac *Festis*.

TITULUS XXIV.

Comparatio Collectionum Juris Antiquarum cum Collectionibus contentis in Corpore Juris, & istarum inter se.

CAPUT PRIMUM.

Collectionis GRATIANI *quæ vocatur* Concordia Canonum discordantium, *cum cæteris Collectionibus* CORPORIS JURIS, *Collatio, in quâ illius cum his similitudo, ac dissimilitudo observatur.*

NEcessaria videtur proposita Collatio, ut perspicuè observentur vitia singularum Collectionum earumque, ut ita dicam, perfectiones, & numeri, quibus aliæ aliis antecellunt. Cognitis earum vitiis, pravi eorum effectus præcaventur: pleniùs autem intellectis earum perfectionibus & numeris, quibus aliæ suprà cæteras eminent, unicuique operi, prout absolutionis atque utilitatis ejus ideæ movent, incumbitur, fructusque operæ respondent.

Quoniam hoc argumentum à pluribus pertractatum fuit, quoad rationum momenta remittemus ad Autores melioris notæ. Tales sunt ANT. AUGUSTINUS, *de Emend. Gratiani* Edit. Balusianæ: Item in *Præfatione* suæ Editionis *Veterum Decretalium*, nec non in *Præfatione* suæ Editionis *Pœnitentialium*: BOETIUS EPO *de jure sacro:* FRANCISCUS FLORENS in suâ Dissertatione, *de Origine, Arte & Autoritate Juris Canonici*, & in Præfatione *de Methodo & Autoritate Collectionis Gratiani:* GONZALEZ in suis in *Decretales* Commentariis: denique VAN ESPEN in *Dissertatione Proemiali* sui brevis in *Gratianum* Commentarii: remittimus, inquam, ita, ut annotemus ea, in quibus ab eis dissentimus sive in hac Collectione, sive in observationibus specialibus circà singulas Collectiones. A Collectionum discriminibus exordiemur, quoniam ea scitu maximè sunt necessaria.

SECTIO I.

DISCRIMEN *I. ab* AUTORITATE *sumptum.*

GRATIANUM à seipso publicam autoritatem Collectioni suæ tribuere non potuisse, ignorat nemo. Privatus is fuit, professione Monachus, qui nullam habuit dignitatem, condendarum Legum jus sibi tribuentem. Constare videtur, nullum Pontificem eam confirmavisse, velut normam eam proponendo, sive in Judiciis, sive in Scholis. Nullum testimonium fide dignum afferri potest, quo hæc confirmatio certa fiat

fiat. Mos legendi DECRETUM *Gratiani* in Scholis, illudque in Judiciis laudandi, confirmatum illud fuisse non probat. Lecta fuit in Scholis *Pannomia*, sive *Pannormia*, antè *Decretum* Gratiani: nihilominùs hanc autoritate publicâ semper caruisse omnes consentiunt. Laudantur in Judiciis privatorum Magistrorum opera, sicut laudantur Leges, cum hoc discrimine, quòd Leges approbatæ, si claræ, distertæ ac congruæ sint, litem dirimant, Doctorum verò testimonia ad earumdem Legum interpretationem tantùm inserviant, nec ipsæ majoris penduntur, quàm eorum scientia, partaque ex eruditione fama poscunt & merentur: neque ad decisionem illa inclinant, nisi quia præsumitur Autores, è quibus eruuntur, meliùs intellexisse Leges, quàm cæteros, qui laudari etiam possent.

Gratianus, ut bonus Interpres Canonum spectatur, quoad Casus, in quibus aliquid à se ipso dicit, eumque ut talem, pro merito, sequimur: quoad cætera, ponderantur Collectanea ejus, & quæ ipsis intrinseca est autoritas, datur. Si Textus à Concilio Generali, vel à Pontifice sit acceptus, recipitur ut Lex universalis; si à Concilio Particulari sit desumptus, accipitur ut vigens in districtu Patrum, qui Synodum celebrarunt; nisi in aliis Regionibus approbatus sit: quoad Textus, qui à Patribus, aliisve Autoribus Ecclesiasticis sumuntur, ii vim ad decisionem in Judiciis non habent, nisi deficiant Canones è Conciliis, Pontificibus aut Episcopis desumpti, juxtà *can.* 1. DIST. XX. qui has observationes confirmat. Extrà hunc casum, ultimi generis Textus nonnisi ut adminiculum in Judicio spectantur. Quod de Canonibus à Conciliis, Pontificibus atque Episcopis desumptis diximus, extendi debet ad Leges Civiles à *Gratiano* etiam relatas, quæ in ejus Collectione, vim, quæ sibi intrinseca est, tantùm habent.

Numquàm ex eo, quòd opus *Magistri Sententiarum* in Theologicis Scholis legeretur, atque in Judiciis Doctrinalibus laudaretur, concluſum fuit, illud autoritatem publicam obtinere; imò visum est hanc illud dignitatem adeptum fuisse, quia bonam, quoad materiem & dispositionem, Theologiæ collectionem continet, quia ejus Autor Scripturas, Concilia, Patres & cætera, quibus Traditio constat, calluit, rectèque sua Collectanea interpretatus est. Quid-ni idem sentiamus de honore Collectioni *Gratiani* per quotidianam priscamque ejus in Scholis Juris & in Judiciis laudationem frequentem adjecto.

Nec refert illam Collectionem esse Corporis Juris partem; eam à Pontificibus, ut talem fuisse laudatam; atque ab Autoribus Collectionum *Decretalium*, ut Primam Partem spectatam fuisse; ideòque eos ad hanc remisisse; eas collectiones factas non fuisse, nisi ut suppleretur, quod in illâ deficiebat, sivè à *Gratiano* omissum fuisset, sivè post *Gratianum* conditum esset; GREGORIUM XIII. dùm emendationem Corporis Juris procuraret, suam ad illam, perindè atque ad posteriores Collectiones, curam extendisse, vetuisseque, ullam in illâ, vel in cæteris, mutationem, sive per additiones, aut detractiones, sive alio modo, fieri; denique *Glossas* illi, sicut reliquis, fuisse adjectas.

Nam 1. nonnullis Corporibus Juris inserti fuêre *Septimus Decretalium* Liber, *Institutioneſque* LANCELOTTI, quamvis hæc opera publicâ autoritate careant.

2. Collectiones *Extravagantium* sive JOANNIS XXII. sive COMMUNIUM, sunt Corporis Juris Pars, quamvis autoritate publicâ destituantur, utpote privatorum operâ sine Pontificio mandato compilatæ, nec à Pontificibus hùcusque approbatæ.

3. Cùm BERNARDUS *Papiensis* primam *Decretalium* Collectionem, anno 1190. fecit, jam 40. anni effluxerant, ex quo suam *Gratianus* ediderat, totidemque ab annis ferè, legebatur in Scholâ Juris Bononiensi; undè, cùm illa usu jam teneretur BERNARDUS prudenter intrà Editionem supplementi se continuit, ejusque exemplum cæteros deinceps Collectores intrà eosdem limites cohibuit. Tùm GREGORIUS IX. novam ex omnibus præcedentibus *Decretalium* Collectionem compilavit. Elapsis 70. circiter annis, BONIFACIUS VIII. Bernardi Papiensis exemplum secutus, aliorumque Collectorum GREGORIO IX. anteriorum novitiam Collectionem confecit, ex *Decretis* à GREGORII IX. ætate conditis: quod imitatus est CLEMENS V. denique quidam privati idem executi sunt.

4. Ex quo Collectio *Gratiani* velut Pars Juris spectata fuit; Autores, qui Canonibus indigebant, in Collectionibus posterioribus non relatis, Collectionem *Gratiani*, in quâ illi extabant, laudare cogebantur. Hoc fuit momentum, quo Pontifices posteriores ad illam Collectionem laudandam inducerentur.

5. Cùm GREGORIUS XIII. Corpus Juris emendavit, à 4. Sæculis & ampliùs Collectio *Gratiani* Juris ejus pars erat, cum hoc perpetuo discrimine, quòd reliquarum Collectionum Pontificum jussu confectarum, aut ab iis confirmatarum autoritatem non obtineret; quod certum videtur ex testimoniis Insignium Canonistarum ejus temporis apud Autores laudatos relatis, in loco, ubi de autoritate ejus Collectionis agunt. Ipsius itaque conditionem mutare si voluisset Pontifex, ei publicam autoritatem impartiendo, illud verbis conceptis declaravisset, optimè callens (utpotè peritissimus Canonista) omissâ ejusmodi Declaratione, fore, ut illa velut opus privatum spectaretur. Porrò, nullatenùs id declaravit; nam præterquàm quòd illud abest à Constitutione, quâ emendationem Corporis Juris PII IV. & PII V. jussu inchoatam, cujus laboris iis regnantibus fuerat particeps, comprobavit, Canonistæ, qui deinceps autoritatem Collectionis *Gratiani* discusserunt, cogitaverunt & locuti sunt instar præcedentium: eorum testimonia loco laudato colligit *Van Espen*.

6. BERNARDI *Papiensis* Collectio *Glossis* illustrata fuit, quamvis privati tantùm opus esset. vid. DOUJAT *Lib. V. cap.* 4. *Prænot. Canonic.* suprà laudatum. Magnus est etiam numerus operum privatorum Magistrorum, quæ *glossata* sunt; quippe *Glossæ* sunt Commentarii breves; magni autem Commentarii sunt glossæ diffusiores. Porrò, facti sunt in *Aristotelem*, *Magistrum Sententiarum*, *S. Thomam* Commentarii.

Ex discrimine quod modò notavi inter Collectionem *Gratiani*, & cæteras, quæ jussu Pontificum factæ, vel eorum autoritate roboratæ sunt, nascuntur aliæ insignes differentiæ, quas exponere necessarium est. 1. Est, quòd, cùm Pontifices Canones condendi Ecclesiam Universalem astringentes, potestatem habeant, eamque à pluribus sæculis exerceant, omnes Textus, qui in eorum Collectionibus sunt, autoritate universali pollent. Undè fit, ut acta falsa ab iis illic inserta, fragmenta Autorum, quæ non reperiuntur apud eos, quibus adscribuntur, Leges Civiles, quæ laudantur, verba Patrum, quæ referuntur, Canones Conciliorum Particularium, qui commemorantur: denique Textus, qui in nullo Pontifice, Concilio, vel Patre reperiuntur, habent autoritatem publicam, atque universalem, non secùs ac illi, qui his vitiis carent. GONZALES in suo *Apparatu*, refert exempla Textuum hujusmodi; similes autem Textus, qui apud *Gratianum* sunt, nullam nisi, quam ab intrinseco merentur, autoritatem habent.

Indè etiam fit, ut *Rubricæ* earum Collectionum vim Legis habeant, cùm præceptivæ, aut prohibitivæ sunt; ut probatum fuit, ubi de *Rubricis* egimus, & omnes ejusmodi *Rubricas* collegimus. Cùm hæ Rubricæ publicam autoritatem adeptæ sint in Collectionibus, quæ confirmatæ fuerunt, eam quoque servant in Collectionibus hâc dignitate carentibus; quoniam autoritatem sibi jam partam translatione suâ non amisêre.

Indè etiam fit, ut ordo *Titulorum*, à quo potest

inferri, quasdam res ab aliis, velut consecutiones à principiis, effectus à causis, species à Generibus pendere, hujus subjectionis certas probationes suppeditet.

SECTIO II.

DISCRIMEN II. à FORMA Collectionum desumptum.

QUantùm ad Collectiones attinet, per *Formam* intelligitur modus, quo ordinantur collecti Textus, qui continet divisiones generales & speciales: Generales in Partes, seu Libros; Speciales in Titulos, Capita, Paragraphos, aut Sectiones. Juxtà hanc definitionem, Forma Collectionis *Gratiani* valdè ab aliarum Collectionum formâ differt, quibus in Corpore Juris consociatur.

1. Collectio *Gratiani* dividitur in tres Partes. *Prima* DISTINCTIONUM nomine designatur, quas ad CI. continet. *Altera* CAUSARUM nomen gerit, quæ sunt XXXVI. *Tertia* eodem vocabulo, quo prior, nuncupatur, additâ hâc voce *de Consecratione*, & V. habet *Distinctiones*. Secunda Pars continet Tractatum *de Pœnitentiâ*, in *Distinctiones* etiam VII. sectum, quæ secernuntur ab aliis, his verbis, *de Pœnitentiâ*, quæ adjiciuntur *Distinctioni*: Distinctiones in *Canones* subdividuntur, qui secantur in *Paragraphos*, si prolixi sint, aut res contineant attentione speciali dignas. Unaquæque Pars Autoris conciliationes etiam continet, circà *Canones*, quos invicem opponit: Paucæ sunt in Tertia; multæ in cæteris. Natura Canonum, qui in singulis collecti sunt, discrimen hoc postulavit, quoniam nulla ferè est contrarietas, aut reipsà, aut in speciem, inter Canones Tertiæ Partis; plurimæ sunt autem contrarietates inter Canones in duabus prioribus relatos: Conciliationes, si prolixæ sint, dividuntur in Paragraphos. *Causæ* dividuntur in *Quæstiones*, quæ nascuntur ex circumstantiis, quibus Autor investit Casum in unaquaque *Causâ* propositum, undè nomen *Causæ* fluxisse videtur. *Causæ* Inscriptione carent, *Quæstiones* suam gerunt. Decem ferè duntaxat *Causæ* sunt inter se connexæ, Matrimonium spectantes. In iis consecutivè agitur de Impedimentis Matrimonii, de officio Conjugatorum, de eorum separatione concessâ, vel vetita. Imò permiscentur ea, quæ ultimum hoc Caput spectant, cum eis, quæ pertinent ad Impedimenta, fitque prolixa digressio circà Pœnitentiam, occasione prohibitionis, quâ Pœnitentes publicos conjugari vetatur. Frustrà inter cæteras *Causas* ordo quæritur. A *Causis* discrepant in hoc *Distinctiones* 1. & 3. Partium, nec non ipsæ Distinctiones *de Pœnitentia*, quæ inter se connecti possunt. Imò plurimorum 1. Partis connexio manifesta est. Tales sunt eæ, in quibus exponuntur 13. PAULI præcepta, circà dotes in Ministris Sacris requisitas: tales etiam sunt 20. priores, in quibus agitur de Principiis Juris, cùm generalibus, tùm specialibus. Quoniam Autoris propositum Operis Titulo declaratum, *concordia discordantium Canonum*, fuit conciliare Canones, qui invicem contrarii videntur, aut sunt reipsà, ab iis incipere debuisset, quos DIST. XXIX. colligit, qui Regulas hujus conciliationis præbent, scilicet attendendam esse causam, locum, tempus & personam: hæ enim regulæ in præcedentibus non secùs ac in sequentibus *Distinctionibus* locum habent.

Si quis noscere cupiat, quomodò Partes ejus Collectionis inter se atque invicem conjungi possint, legat GLOSSAM, FLORENTEM Dissertat.; *de Methodo Gratiani*, DOUJAT *Prænot. Lib. V. Cap. V. VI. VII. VIII.* Eorum labor confirmat id, quod observavimus, scilicet nisus, qui ad rectum ordinem inter illas inveniendum fiunt, infelices fuisse, ex iisque sequi, DECRETUM esse congeriem digressionum ob leviorem occasionem factarum. Verùm hoc argumentum discutiendi non est hîc locus: de eo agemus infrà, ubi loquemur de discrimine à vitiis Collectionum inter se collatarum quæsito. Interim agendum de formâ Collectionum, quæ cum *Decreto* GRATIANI conferuntur.

Singulæ dividuntur in V. Libros: Libri in Titulos: Tituli in Capitula: Capitula in Paragraphos. Exordiuntur à Titulo *de Summâ Trinitate & Fide Catholicâ*, excepta utraque *Extravagantium* Collectione, claudunturque Titulo *de verborum significat.* Exceptis *Extravagantibus Communibus.* Collectiones GREGORII IX. & BONIFACII VIII. habent præterea Titulum de *Regulis* juris. Utraque 2. 3. & 4. tit. Lib. I. agunt de Principiis Juris, Constitutionibus, Rescriptis, consuetudine, à quibus transit ad vias, quibus ascenditur ad Dignitates, quarum aliæ sunt remotæ, aliæ proximæ.

Remotæ sunt Postulatio, Electio, resque ad eos pertinentes, Translatio, Resignatio, sine qua nemo transferri potest; quia non finitur, ut eadem persona duas Dignitates incompatibiles possideat, quoniam Superiores Prælaturæ quibusdam insignibus ab inferioribus distinguuntur. Additur Titulus *de usu & autoritate Pallii* Titulo *de Translatione* per quam ad Dignitates superiores ascenditur. Insigne illud est *Pallium* Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis, Pontificibus peculiare. Quoniam verò sæpè fit, ut, qui jus promovendi ad Dignitates & cætera Beneficia habent, eo uti negligant infrà tempus præstitutum, Titulis suprà dictis adjicitur Titulus *de supplenda negligentia Prælatorum*, qui remedium huic negligentiæ affert.

Viæ proximæ ad Dignitates sunt Ordinatio, ejusque appendices, scilicet Scutinium, sive Examen; Unctio sacra; tempus ad Ordinationem faciendam præscriptum; Virtutes, sive dotes Ordinandorum; attentio, ut non iterentur Sacramenta characterem imprimentia, scilicet, Ordo, Confirmatio, Baptisma. Sequuntur itaque Tituli *de Temporibus Ordinationum*, *& qualitate Ordinandorum*: *de scrutinio in Ordine faciendo*: *de Ordinatis ab Episcopo*, *qui renuntiavit Episcopatui*: *de ætate*, *qualitate*, *& ordine præficiendorum*: *de Sacra Unctione*: *de Sacramentis non iterandis.* His subjiciuntur Tituli de vitiis agentes, quibus carere debent ordinandi, ut Ordines accipiant, eorumque munera obeant, scilicet, defectus natalium, servitutis, obligationis ad ratiocinia, mutilationis, aliusve corporis vitii, Bigamiæ, peregrinitatis. Indè fit transitus ad munera & jura Dignitatum, tam superiorum, quàm inferiorum, Archidiaconi, Archipresbyteri, Primicerii, Sacristæ, Custodis, Vicarii, Judicis delegati, Legati, Judicis ordinarii. Tituli, de quibus hactenùs egimus, spectant Personas, quarum aliæ aliis præeminent, ideòque Titulus sequens inscribitur *de majoritate & obedientiâ.*

A Titulo *de Pactis* ad finem Libri II. res omnes judicia spectant, ritèque ordinantur, Titulisque XXXIX. comprehenduntur, quorum *Novem* Librum primum claudunt, *Triginta* secundum Librum implent. Hoc est argumentum Collectionis magis cohærens, meliùsque ordinatum, ut percipietur ex lustratione eorum Titulorum. Inutilis esset probationis labor. Illud etiam constabit ex observatione vitiorum harum Collectiorum. Ad Librum IV. & V. extendi potest ac debet quod diximus de recto ordine Libb. I. & II. Quæ enim ad Matrimonium spectant, germano ordine disponuntur. Præmissis Titulis, qui Matrimonium faciendum attinent, sive *Sponsalia*, vel Celebrationem legitimam Matrimonii, quoad *consensum*, qui ejus materia est, ad *Impedimenta* transitur, *Dirimentia*, vel *Impedientia* tantùm: quibus succedit argumentum *Dissolutionis*, circà quod quæritur, *qui Matrimonium accusare possint*, *qui Filii sunt legitimi*, ubi agitur *de iis*, *qui nati sunt ex Matrimonio irrito*, *ex concubinatu*, quem secutæ sunt legitimæ nuptiæ; tùm sequun-

sequuntur Tituli *de Dote*, *de Donationibus inter virum & mulierem*, *& de Dote post Divortium restituendâ*; denique *de secundis Nuptiis*, quibus priorum dissolutio, sive ob nullitatem, sive per mortem, dat occasionem, per libertatem, quam partibus procurat.

Ut rectè ordinatum est argumentum Matrimonii in *Libro IV.* sic etiam dispositа sunt ea, quæ Judicium Criminale spectant, quæ *Libro V.* continentur. Nam inchoatur ab introductione litis, ejusque informatione. Tùm agitur de Criminibus juxtà ordinem Decalogi; 1. enim discutiuntur ea, quæ Deum lacessunt, putà *Simonia*, *Judaismus*, *Mahumetismus*, *Hæresis*, *Schisma*, *Apostasia*, ipsique affinis *Reiteratio Baptismatis*. 2. Ea, quæ proximum lædunt sive vitam, ut *Parricidium*, *Partûs expositio*, *Homicidium voluntarium*, aut *Casuale*, *Duellum*, vel occasiones ejus patrandi, ut *Torneamenta*, aliave ludicra similia. 3. sive proximi honorem seu famam, ut *Raptus Virginum*, aut *Mulierum*, visque in ipsas. 4. Sive Bona, ut *Furtum*, *Rapinæ*, *Usuræ*. 5. Sive omnia hæc promiscuè, ut Crimen *Falsi*, *Sortilegia*, *Maleficia*. A Criminibus omnibus personis communibus transitur ad Crimina personis Ecclesiasticis peculiaria, ut accipere Ordines furtivè, aut per saltum, ministrare sine prævia Ordinatione vel contemptis Censuris. Quædam crimina Superioribus, quædam Privilegiatis sunt peculiaria, de quibus agitur in Titulis *de excessibus Prælatorum*: *de excessibus Privilegiatorum*.

Exposito omni criminum genere, de *Pœnis Canonicis* agitur, scilicet de *Pœnitentiis*, *Censuris*, *Excommunicationibus*, *Suspensionibus*, *Interdictis*.

Quoad Librum III. qui Res aut *Civiles*, aut *Sacras*, aut *Ecclesiasticas* spectat; multò difficiliùs ostenditur, tam germanum esse ejus Ordinem, quàm cæterorum Librorum: plures enim Tituli *Personas* propiùs attinent. Tales sunt 4. priores, qui de Officiis Clericorum agunt. *De vitâ & honestate Clericorum*: *de Clericis conjugatis*: *de cohabitatione Clericorum & Mulierum*: *de Clericis non residentibus*. Ejusdem conditionis sunt Tituli *de Clerico ægrotante*: *de Regularibus*: *de conversione Conjugatorum*: *de conversione Infidelium*: *de Statu Monachorum & Canonicorum Regularium*: *ne Clerici vel Monachi Sæcularibus negotiis se immisceant*. Sed hæc non prohibent, quominùs ordo sit, quodammodò rectus. Inde enim Actiones Personarum sunt *Res*, undè fit, ut contractus inter *Res* numerentur, quàpropter de iis fusiùs agitur in hoc Libro; indè, quod de Personis dicitur, ad Actiones ipsorum reducitur, quorum ratione de Personis agitur, aut resolvitur in Actiones, ut patet ex Titulis, *de conversione Conjugatorum*, & *de conversione Infidelium*. Hæc est ratio propter quam plures Tituli, qui locati sunt in Libro I. agente de *Personis*, locari etiam potuissent in Libro III. *de Rebus* tractante. Tales sunt Tituli *de postulatione Prælatorum*: *de Electione*: *de Translatione*: *de Renuntiationibus*, sicut locati sunt Tituli *de concessione Præbendæ*, &, *ut Beneficia sine diminutione conferantur*: In illis enim, sicut in his, agitur de Actionibus Personarum. Quod dictum fuit de Actionibus dici potest de Juribus, de quibus differi potest sub nomine Personarum, ad quas pertinent, sicut de Personis, sub nomine Rerum, quæ earum sunt.

In dispositione partium ejusdem materiæ, uniusve materiæ, cum partibus alterius, laudabilis varietas induci potest. Illa enim dispositio multùm pendet à modo res percipiendi, quæ, cùm plures habeant facies, disertè locari possunt, non relicto argumentorum ordine naturali. Hoc etiam discrimen à discrimine ingeniorum nasci potuit, quorum alia ita sunt perspicacia, ut relationes insignes inter quasdam res animadvertant, quæ cæteros fugiunt; inde partim nascitur dissimilitudo divisionum in Collectionibus Canonum, juxtà seriem materiarum factis. Partim, dicimus, quia ex vario Collectionum proposito nasci etiam potuêre.

SECTIO III.

DISCRIMEN à MATERIA Collectionum desumptum.

SUpponimus, plura intercedere discrimina insignia, quoad *Materiam* earum Collectionum, quæ alia non est; quàm *Canones*. Nostra autem hæc suppositio probatur ex conditione illorum Canonum. Canones enim apud *Gratianum* extantes sunt 1. *Antiquiores*; cùm eorum recentiores, medio Sæculo XII. sint anteriores, quo prodiit illud opus. Vetustiores autem Canones, qui posterioribus Collectionibus inserti sunt, à medio Sæculo XII. conditi sunt, recentiores exeunte Sæculo XV. sunt editi, unde fit, ut Canones à *Gratiano* collecti, XI. priorum Sæculorum Disciplinam contineant, ab eâ distinctam, quæ secuta est, in eo quòd publicæ pœnitentiæ subjiciebantur plerique lethalia peccata, qui eam peregerant, ab Ordinibus excludebantur, Matrimonio armorumque gestatione: interstitia inter Ordines longissima erant: non accipiebantur omnes Ordines Minores: vix tolerabatur Clerici Ecclesiæ, ad cujus servitium ordinatus fuerat, addicti transitus ad aliam Ecclesiam: Ordinationis arbitri erant Episcopi. Ignotæ erant dispensationes Romanæ, sive *extrà tempora*, sive *antè ætatem*, sive circà Natalium defectum, aut Bigamiam, aut vitia corporis, aliamve irregularitatem: Episcopus omnibus his casibus providebat, prout Ecclesiæ suæ opus erat, Ordinandorumque virtus postulabat: vigebat regula, conservandam esse unicuique suam Jurisdictionem: nullæ erant Reservationes circà Beneficia, nullæ Gratiæ expectativæ, nulla eorum pollicitatio, nulla à fortiori ipsorum Collatio antè vocationem, nulla præventio Collatorum: nulla dispensatio incompatibilitatis Pontifici reservata: nulla Commenda perpetua, saltem simili reservatione; nulla distinctio Regionum Obedientiæ & Regionum Concordatis rectarum, nulla Reservatio dispensationis circà Impedimenta Matrimonii, sive dirimentia, sive prohibitiva: nulla evocatio causarum à Pontifice: nulla reservatio Canonisationis Sanctorum, aut confirmationis Ordinum Religiosorum: nulla concessio Privilegiorum præter Episcopi consensum, saltem perpetuorum: Pauci casus Sedi Apostolicæ reservati; rari indulgentiæ.

Ex adversò juxtà novitiam Disciplinam, exhibitam in Canonibus Collectionum *Gratiano* posteriorum potestatis Episcopalis pars major ad Pontificem transiit beneficio reservationis dispensationum, sive circà Impedimenta Matrimonii, esse circà Irregularitatem Ordinibus aut Beneficiis excludentem, sive circà vota. 2. Reservationis casuum absolutionis, quorum magnus est numerus. *cap.* 1. 2. 3. 4. 5. *Extravag. Commun.* 3. Reservationis Censurarum, quarum numerus in *Regulis* circà *Censuras* collectus fuit. 4. Reservationis plurium Beneficiorum præcipuorum mentio fit in Extravagantibus *Ad regimen*, & *Execrabilis*, & in *cap.* 2. *&* 35. *de Præbendis in 6.* 5. Reservationis Commendarum ad Pontificem, quæ ipsi affectant Collationem Beneficiorum Commendatitiorum. 6. Reservationis Mensium. 7. Expectativarum, sive Mandatorum Apostolicorum in Sæculis XIII. XIV. XV. creberrimorum. 8. Beneficio juris præveniendi omnes Collatores & Patronos. 9. Evocationum olim frequentissimarum. 10. Appellationum *omisso medio*, tam judicialium, quàm extrajudicialium, quæ ferè quotidianæ fuêre. 11. Reservationis confirmationis Electionum Archiepiscoporum & Episcoporum, & approbationis demissionum, translationum & depositionum eorumdem. 12. Reservationis Canonisationis Sanctorum, & approbationis novorum Ordinum Religiosorum. Plurimi sunt apud *Gratianum* supposititii Canones. Tales sunt omnes, qui à spuriis *Decretalibus* SIRICII Decessoribus adscriptis, desumpti sunt. Vid. seriem Decretalium illorum Pontificum, ab illo Autor laudatarum, quæ prima est earum, quæ ad calcem Corporis Juris sitæ, *Indici Rerum* præmittuntur. Singulæ

gulæ enim ferè laudantur, ac plæraque singularum fragmenta. Tales etiam sunt Canones à *Decretalibus*, quæ SIRICII Successoribus tribuuntur, desumptis, circà quas hæc regula proponi potest, eas esse spurias, quæ in solius pseudo-Isidori Collectione reperiuntur. Tales etiam sunt universi Canones à spuriis Conciliis, SYLVESTRO Pontifici, vel MARCELLINO tributi, aliisve similibus excerpti.

Porrò, universi Canones illi autoritate destituti sunt in *Decreto* pauciſſimi autem ejus generis in Decretalibus relati sunt, qui autoritate eadem cum cæteris ejus Collectionis Textibus pollent.

Multi sunt apud *Gratianum* Canones, aliis quàm suis genuinis Autoribus tributi, undè nascitur multitudo falsarum Inscriptionum à Romanis Correctoribus annotatarum, ab *Ant. Augustino*, & ab eis, qui postremam editionem Corporis Juris cum notis DD. *Pithou* proposuêre. Pauci sunt ejus generis inter *Decretales*, & qui sunt ejusmodi eamdem habent autoritatem, quam à suo Autore, si genuina esset inscriptio, traherent; eam enim ex confirmatione Collectionum à Pontificibus facta sortiuntur.

Apud *Gratianum* Canones triginta, atque ampliùs, inscriptione prorsùs carent, ut patet ex 4. laudatorum *Indicum*. Nullus ejusmodi est in Collectionibus *Decretalium*. Tales dici non debent Textus nemini inscripti: universi enim alicui Pontifici adscribuntur; ideò autem nemini inscripti sunt, quia desumpti sunt ex Pontificum eorum Constitutionibus, quæ vulgò nemini sigillatim inscribuntur: undè fit ut plerique Textus *Extravag.* sive JOANNIS XXII., sive *Communium*, careant inscriptione: Ejusdem ut plurimùm, conditionis sint Textus *Clementinarum*, multi similes à BONIFACIO VIII. conditi sicut & nonnulli GREGORII IX. *in 6.* reperiantur.

Multi leguntur apud *Gratianum* Canones, è JUSTINIANI, aliorumve Principum Legibus desumpti: ii notantur in 3. laudatorum *Indicum litt.* L. plures etiam visuntur in 5. serie, quæ *Decretum* spectat. Designantur ibidem Textus ab *Aniani* Epitome accersiti, aliisque adscripti, quàm Autoribus Legum ab *Aniano* contractarum, pauciſſimi hujusmodi in aliis Collectionibus Corporis Juris.

Maxima pars Canonum apud *Gratianum* extantium, ab aliis locis, quàm à Pontificiis Decretalibus, est accepta: scilicet à SS. Patribus aliisque Ecclesiasticis Autoribus, nec non à Conciliis. Cæterarum Collectionum posteriorum Textus à Pontificibus, aut à Conciliis, quæ ii celebrarunt; & quorum Decreta condiderunt, si paucos aliundè accersitos exceperis, desumpti sunt. Probationes harum rerum occurrunt in *Indicibus* sive seriebus Textuum *Decreti*, & in Indicibus Textuum *Decretalium*; 1. enim Index *Decretalium*, qui Textus Pontificios complectitur, implet paginam 16. in Editione *Pithocana*. 2. Qui est Index Textuum à Conciliis eductorum, sesqui pagina exhibetur. Index Textuum à Patribus aut aliundè desumptorum, duabus paginis cum dimidiâ continetur. Quoad *Decretum* verò, 3. Index complectens Canones aliundè, quàm à Pontificibus & Conciliis, accersitos, paginas 19. habet. Index Canonum Pontificiorum 12. duntaxat; Index Canonum à Conciliis desumptorum, 6. tantùm paginis continetur.

Undè sequitur pleroſque Textus à *Gratiano* compilatos, vim Legis non obtinere; excepto casu *can.* 1. DIST. XX. quo scilicet Canones à Conciliis aut Pontificibus sumpti circà dirimendum caput, aut litem componendam silent, & Canones aliundè quæsiti satis diserti sunt ad quæstionis solutionem. Universi autem Textus Collectionum confirmatarum vim Legis habent eamdem prorsùs, quam habent Constitutiones Pontificum, à quibus Collectiones confirmatæ sunt; cujus rei ratione Canones Conciliorum Particularium a *Gratiano* compilati differunt à Canonibus eorumdem Conciliorum, in cæteris Collectionibus posterioribus insertis; illi enim non vigent nisi in locis, quorum causâ facti sunt, nisi à Conciliis Generalibus approbati fuerint, aut ab usu vel generali, quo ubique recepti sunt, vel particulari, sive Locali, quo admissi sunt in alio districtu singulari à nativo suo diverso. Posterioris autem generis Canones Pontificum autoritate vigent, à quibus confirmati sunt in generali Collectionis confirmatione.

Plures apud *Gratianum* sunt Canones, qui sub nomine Pontificum laudantur, omissâ mentione Epistolæ, aliusve Scripti, à quo eruti sunt. Id facilè probatur ope Indicum *Decreti*; Textus enim in iis occurrunt, *Anacleti*, *Evaristi*, *Gelasii* &c. nomen gerentes. Tales sunt omnes quorum fons, sive opus, à quo desumpti sunt, non laudatur, quique ab aliis distingui solent, quorum fons specialis designatur; illi enim ex ordine sæpiùs ponuntur, nomine Pontificis ad latus scripto, illi autem ejusdem Pontificis, fontis sui laudationem gerunt. Multi sunt Canones nomen pluribus Pontificibus commune, quoto tacito, gerentes. Non pauca ejus rei exempla occurrunt in eodem *Indice*, sub nomine *Gregorii*, *Leonis*, atque aliorum plurium, qui sibi cognomines Decessores aut Successores habuêre.

Incuria hæc non solos Pontifices attinet, sed etiam Concilia, quæ, si plura eodem loco fuerint celebrata, omissâ, tamen quotum fuerit, 1. 2. an. 3. &c. mentione, laudantur. Dabunt exempla. 1. Concilia *Aurelianensia*, quæ licet *quinque* sint, sæpiùs laudantur sub nudâ *Conc. Aurelian.* inscriptione. 2. Concilia *Toletana*; quorum insignis est numerus. 3. Concilia *Parisiensia*, *Remensia*, *Rothomagensia*, *Turonensia*, *Nannetensia*, *Cabillonensia* & alia, quæ idem nomen gerunt: hæc in *Indice* Conciliorum à *Gratiano* laudatorum exempla leguntur. Quotus sit Canon ejusdem Concilii siletur, sicut quotum esset Concilium, omissum fuit: id cernitur in exemplisprædictis, quæ numerum Canonis, perindè ac Concilii gerunt; Id etiam cernitur in Canonibus à *Martino Braccarensi* excerptis, cujus Collectio sub nomine *Concilii* laudatur, ut probant loca designata in *Indice* ad verbum *Martinus Braccar.*

3. *Index* magnam copiam exemplorum facit Patrum, qui, licèt plura Scripta ediderint, nudè tamen laudantur, nullâ factâ mentione alicujus ex iis operibus; ea sunt in verbis, *Ambrosius*, *Augustinus*, *Basilius*, *Joan. Chrysostom.* *Isidorus*. Non pauca laudantur excerpta Operum illorum Patrum, nullo opere nuncupato; quod ortum est ex eo, quòd Collectores, à quibus *Gratianus* accersivit ejusmodi sententias, eos retulerant, sub Titulo generali: *ex dictis* Ambrosii, Augustini, Basilii &c. Plura talium laudationum exempla occurrunt in excerptionibus EGBERTI Archiepiscopi Eboracensis CONC. TOM. VI. *pag.* 1586. & seq. *Paulus dicit*, *Augustinus dicit*, *Theodorus dicit*, *Isidor. dicit*, *Fructuosus dicit*, *Leo dicit &c.*

Hæc postrema 4. seu 5. in *Gratiani* Collectione frequentia vitia, rara sunt in Collectionibus posterioribus, quæque in eis sunt, primam à *Gratiano* ducunt originem: quoniam Textus in quibus ea occurrunt, à *Gratiano* desumpti sunt, ut patet ex *Notis* ad calcem aut latus ejusmodi Textuum positis. Quidam verò speciem tantùm vitii habent: nam Textus Gregorio IX. Honorio III. Innocentio III. Bonifacio VIII. Joanni XXII. adscripti, qui carent inscriptione, reperiuntur in eorum Constitutionibus, quæ nemini inscribuntur. Rarò etiam accidit, ut omissa fuerit in his Collectionibus designatio quotus fuerit Pontifex, ubi plures idem nomen gerunt. Idem dicendum est de Conciliis ejusdem nominis, nisi à *Gratiano* desumptæ sint, aut ab aliis Collectoribus vetustioribus, quorum incuriam *Gratianus* secutus est. Inter ejus generis Concilia, creberrimum in Collectione *Gregorianâ* est Concilium *Lateranense* numero omisso laudatum. *Tertium* illud est, ut plurimum, quod celebravit ALEXANDER III. an. 1179. Laudationes illæ desumptæ sunt à primâ veterum Collectionum, quæ maximâ

ximâ sui parte Decretales ejus Pontificis complectebatur, quo sedente aliud *Lateranense* Concilium habitum non fuerat; eamque ob causam Compilator putavit, haud necessariam esse numeri designationem. Oritur etiam illa omissio ex eo quòd in inscriptione adjicitur Conc. *Lateranensi* nomen Pontificis, sub quo habitum est.

Ejusdem generis Concilia sunt *Arelat. Mogunt. Vormacens. Parisiens.* & *Toletanum*, Textus ab iis Conciliis sic laudatis desumpti, sunt aliquandò apud *Gratianum* v. g. *Cap. 1. de Divort.* à Conc. *Vormacensi* sumptum, refertur Can. 2. CAUS. XI. QUÆST. I.

Quoad Textus à Patribus aliisve Autoribus Ecclesiasticis excerptos, pauciſſimi laudantur omissâ mentione Scripti, à quo excerpti sunt, illudque genus desumptum est vel ex Sententiis Patrum, ab omnibus cognitis & approbatis; tale est effatum *Augustini* ex quo facta est Regula Juris *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, R. 4. *in 6.* desumptum est illud ex *Cap. 5. de Usuris*, in quo laudatur. Tale est etiam hoc; *qui timore pœnæ facit, aliter quàm debeat, facit, ideò jam non facit. Cap. 8. de Reg. Jur.* vel desumptum est à *Gratiano*. Tale est *Cap. 1. de Crimine falsi*, relatum à *Gratiano. Can. 8c.* CAUS. XI. QUÆST. III. Tale est etiam *Caput 9. de Reg. Jur. defleat peccator, quia offendens in uno factus est omnium reus*, relatum *Can. 1. de Pœnit.* DIST. I.

INNOCENTIUS III. à *Gratiano* Can. 1. DISTINC. XXV. Sententiam *Isidori* accepit, quam laudat *Cap. 7. de Offic. Archidiaconi.*

SECTIO IV.

Discrimen à vitiis Collectionum hìc inter se collatarum desumptum.

DIfficillimum fuisset ità exponere discrimina à Formâ vel Materiâ Collectionum quæsita, ut nihil interim diceretur de plurimis earum vitiis, quæ majora sunt apud *Gratianum*, quàm in Collectionibus posterioribus. Incongruæ Divisiones sive Corporis Collectionum, sive singularum earum partium sunt defectus ordinis, qui ad Formam pertinet. Laudatio Textuum supposititiorum; legitimorum, aliis quàm suis Autoribus adtributio; laudatio Conciliorum & Canonum omisso quoto in utrisque; laudatio Pontificum item omisso quoto; laudatio Patrum, aliorumque Autorum, Polygraphorum, opere non designato; laudatio Scriptorum omissâ mentione loci, in quo Textus adductus situs est, sunt vitia quoad Materiam, de quibus non loqui non potuimus in §§. præcedentibus. Verùm, quoniam de ejusmodi vitiis agendo, generalem tantùm eorum notionem dedimus, hìc distributionem aggredi possemus. In eo tamen inutilis est Labor noster, quoniam plures Autores id fusiùs executi sunt, ac præ cæteris ANTONIUS AUGUSTINUS, in suis Dialogis de *Emendatione Gratiani*, ejusque operis Editor postremus BALUSIUS, nec non Correctores Romani, quorum notæ Corpori Juris adjectæ sunt, nihil proindè ferè supereſſet præstandum præter exhibitionem epitomes observationum illorum, hanc autem DOUJATUS executus est *Prænot. Canon. Lib. IV. Cap.* 12. Utilius itaque ducimus immorari, in describendis erroribus & corruptelis Disciplinæ, sparsis in iis Collectionibus; ad quod nos accingemus, postquàm observavimus omissiones quasdam notabiles in DECRETO.

Prima est quòd in illo plures inseri potuissent insignes *Canones*, tempori, quo prodiit, anteriores. Tales ii sunt, quos BERNARDUS *Papiensis*, primæ veterum Collectionum Autor, sedulò collegit, unà cum Canonibus, sub editione *Decreti* ad suæ Collectionis ætatem conditis. Indè sumpti sunt Textus ALEXADRO III. anteriores, qui collocantur sub Titulis non paucis Collectionis GREGORII IX.

Secunda est, quòd ad calcem, aut in fronte operis, collecti non fuerint Canones, qui voces in Jure frequentiores & Regulas Juris continent. Hos defectus supplevit idem *Bernardus*, Titulo *de verborum significatione* & Titulo *de Reg. Juris*, quorum priòr *Tredecim* continet Textus ALEXANDRO III. anteriores, & posterior *Quatuordecim* ejusdem conditionis.

Tertia est quòd relictum sit IVONIS *Carnotensis* exemplum, à quo magna pars operis quæsita est, inchoatumque illud non fuerit à Canonibus circà Fidem Catholicam versantibus, quæ fundamentum est cæterorum Canonum de Moribus aut de Disciplinâ agentium, sive acervatim, ut ea, quæ circà Juris Canonici Principia versantur, Constitutiones, Rescripta, Consuetudinem; sive sigillatim Definitiones, aut Constitutiones in certa Argumenta contineant, ad alterutrum Caput, aut utrumque pertinentia. Autor primæ veterum Collectionum nec non Autor secundæ in simile vitium lapsi sunt, quod vitavit Autor tertiæ *Bernardus*, Canonicus Compostellanus, quæ cùm non placuisset, quoniam multas res continebat Judiciis non congruas, Collectioni PETRI *Beneventani* occasionem aperuit. Illa incipit à Titulo, *de Summâ Trinitate & Fide Catholicâ*. Exemplum hoc secutus est GREGORIUS IX. servavitque hanc inscriptionem, eâ neglectâ, quam gerit *Titulus I.* quartæ Collectionis ab Autore Canonico compilatæ, quæ nihil disertè dicit de Trinitate, sed tantùm de Fide Catholicâ.

Errores, qui in Collectione *Gratiani* occurrunt, sunt vel in Canonibus, quos refert, nec refellit, vel in conciliationibus Canonum, quos invicem opponit absque justâ saepiùs causâ. De utroque errorum genere agemus, hìc præcipuè de posteriore. Autoritas & fama, quâ *Gratianus* apud Canonistas fruitur, postulat, ut sedulò discutiantur ejus dicta, ne quis in errorem inducatur. Prætereà, ejus Collectioni peculiares sunt illi errores, quia in eâ solâ propositum fuit componere Canones, qui contrarii sunt aut videntur. Hujus propositi excusatione fortè purgabitur Autor in eo, quòd multos collegit Canones abrogatos, aut erroneos, posito quòd abrogationem, erroresque amovere curaverit, inter Collectiones *Reginonis*, qui, relatis Canonibus erroneis circà Matrimonium, observavit, eos ab Ecclesiâ Catholicâ non esse receptos.

ARTICULUS I.

Errores & menda Primæ Partis.

DISTINCT. I.

GRatianus Jus Naturale cum Jure Divino positivo confundit, inquiens Jus Naturale esse, quod in Lege & Evangelio continetur, nomine Legis Divinæ seu Naturalis, censeri quod licitum est, *fas*; Legemque Mosaicam Legi Naturali annumerans. Porrò, hæ duæ Juris species valdè discrepant, Jus enim Naturale Animæ rationali insculptum est, & proindè omnibus Hominibus commune est, ab Homine divelli nequit, ei congenitum est, & numquàm extinguetur: pleraque autem Præcepta Juris Divini positivi, eos tantùm ligant, quorum causâ conditi sunt, Judæos scilicet & Christianos; nonnisi per Scripturam, aut Traditionem innotescunt; Judaïcæ Leges abrogatæ sunt, vimque non fortitæ sunt, nisi à suâ promulgatione inter Israëlitas; Præcepta Christianos adstringentia edita sunt, unà cum Prædicatione Evangelii, cumque eâ desinent, talia sunt præ cæteris ea, quæ Sacramenta attinent. Ea, quæ ab initio viguêre, æternumque vigebunt, ad Legem Naturalem pertinent, & resolvuntur in Præceptum dilectionis Dei, omniumque, quæ diligi jussit Deus. Vid. V. priores DIST. fallitur cùm dicit infrà *Can. 5.* DIST. I. Consuetudinem in scriptis redactam, Constitutionem sive Jus

voca-

vocari; Scriptura enim Consuetudines ab invicem non distinguit, quoniam semper attenditur origo, quæ omnem consuetudinem præcedit.

Vix ab errore purgari potest in eo, quod dicit DIST. XIII. *adversùs naturale Jus nullam dispensationem admitti, nisi fortè duo mala ita urgeant, ut alterum eorum necesse sit eligi;* Jus enim naturale dispensationem non excludit, nisi ratione mali culpæ. Si autem hæc regula *Gratiani* exceptionem patiatur, oportet, ut exceptio intelligatur de malis culpæ, & proindè ut Autor opinatus sit, aliquem versari posse in necessitate peccandi, eoque in Casu minorem culpam eligere eum debere. Exempla, quæ ibi afferuntur, *Gratianum* non purgant; is enim, qui jurejurando interposito, aut secùs, pollicitus est se malum aliquod patraturum, non tenetur promissioni stare, quoniam ea nulla est: itaque non subit periculum violandi Juris Naturalis, sive omittendo, quod pollicitus est, sive illud exequendo; frustrà igitur plures Autores hic *Gratianum* excusare nituntur, maximè ANTONIUS AUGUSTINUS, HERICOUST, VAN ESPEN, repugnante S. ANTONINO, qui illum arguit.

DISTINCTIO XVII. insinuat nullum Concilium legitimè cogi posse, præter autoritatem Pontificis, multos referendo Canones, qui illud declarant, nec eos improbando; ex iisque DIST. XVIII. inferendo, Concilia Provincialia à Pontifice non convocata, jus non habere condendarum Constitutionum, sed tantùm corrigendi, *imponendi & indicendi, quod aliàs statutum est & generaliter & specialiter observari præceptum.* Quæ opinio est error illatenùs inauditus, undè fit, ut, præter suum morem, nullum referat Canonem, in utramque propositionis *Distinctioni* præfixæ partem, sed Canones tantùm colligit, quibus probet multoties quotannis habenda esse Concilia, constitutas esse pœnas in Episcopos in iis interesse negligentes, & Metropolitanos ea convocare non curantes; doceatque quid agere debeant Episcopi, quos legitimum detinet impedimentum, & quid præstare debeant, postquàm à Concilio redierunt. Mirabile est prorsùs illum Autorem, sic de Conciliis Provincialibus sentientem, magnam eorum copiam collegisse, quæ singulares Constitutiones continent, quas à nullo Concilio Generali vel Pontifice haurire potuerunt; multò magis illum eos laudavisse, ut suum impugnaret aut confirmaret propositum.

Erronea sententia est, quæ putat, omnes *Decretales* nomen Pontificum gerentes vim Constitutionis habere, ne exceptis quidem iis, quæ saltem dubiæ sunt, & quas supposititias esse verosimilimum est, ex eo quòd pluribus Sæculis ignotæ fuerunt, nec repertæ sunt in Regestris Epistolarum Pontificiarum, ab eo qui collegit universas quas reperit; & quòd Disciplinæ repugnent, quæ vigebat ea ætate, quâ conditæ dicuntur. In eâ tamen opinione versatur *Gratianus* DIST. XIX. Canones autem, quos in illius opinionis gratiam affert, non loquuntur nisi de Pontificiis Decretalibus extrà dubium germanis & pro talibus habitis.

Item ab errore non vacant opinio quæ universas Pontificum Decretales inter Canonicas Scripturas collocat, temerariaque autoritatis *Augustini* adhibitio, cui talis error adscribitur: id tamen facere non veretur *Gratianus* ibid. *Can.* 6. eoque gravius peccat, quòd agnoscit quasdam esse posse Decretales Doctrinæ SS. Patrum, vel Præceptis Evangelicis adversas, ut patet ex restrictione subjectâ *Can.* 7. scilicet ea, quæ dicit circà autoritatem Decretalium intelligenda esse de Sanctionibus utroque vitio carentibus.

Non erravisset *Gratianus*, si attendisset autoritatem Decretalium Siricio anteriorum propterea, quòd à Corpore Canonum absunt, in dubium vocatam, non tamen ideò impugnari, quòd Acta illi Corpori inserta, ab eo vim Canonum habeant; verùm quia persuasum habeant Critici, exulantes à Codice Epistolas non esse Autenticas, & proindè non esse recipiendas, ut Leges. Ob hunc autenticitatis defectum, Pontifices Collectionum Decretalium Confirmatores, passi sunt aut jusserunt, ejusmodi Decretales non recipi, nec in Scholis, nec in Judiciis, ut probatur in *Observationibus circà Confirmationem Collectionum.*

Idem Autor ab errore, de quo agimus, cavere etiam potuisset, ponderando *Can.* DIST. XX. in quo LEO IV. Decretales SIRICIO anteriores inter Regulas Judiciorum non numerat, insinuatque ad id necessarium esse, ut apud Apostolicam Sedem habeantur *simul cum Canonibus*, id est, in Corpore Canonum.

Quod *Gratianus* ait, DIST. XXI. *in his omnibus quantò gradus celsior, tantò major autoritas invenitur. In Majoribus siquidem est regendi, & jubendi potestas, in Minoribus est obsequendi necessitas?* erroneum est, nisi restringatur ad casus Canonibus præscriptos; nam potestas Superiorum Canonibus ordinatur: undè nata sunt hæc præclara verba Episcoporum in Concilio *Pontigonensi* congregatorum an. 876. se nonnisi juxtà Canones obtemperare Pontifici debere SESS. I. Undè etiam orti sunt Textus, qui disertè aiunt, Patriarchas, Primates, Metropolitanos, aliam in Suffraganeos autoritatem non habere, quàm quæ ipsis à Canonibus conceditur, *Can.* 8. 9. QUÆST. III. *cap.* 9. *de Officio Jud. ordinarii.*

Silentio suo *Gratianus* approbat opinionem NICOLAI I. contentam. *Can.* 6. 7. 8. & 9. quam Concilia *Pisanum*, *Constantiense*, & *Basileense*, erroneam censuerunt; scilicet, Pontificem à nullo Concilio judicari posse; illæ enim Synodi Superioritatem Concilii Generalis super Pontificem tuitæ sunt, altera suo facto, aliæ tùm Decretis, tùm factis suis; Prior deposuit GREGORIUM XII. & BENEDICTUM XIII. secunda deposuit JOANNEM XXIII. tertia EUGENIUM IV. Duæ autem posteriores definierunt, saltem in Casu controversiæ circà Fidem, aut Schismatis, aut Reformationis Ecclesiæ Universalis, Concilio Generali subditum esse Pontificem.

VAN ESPEN in DIST. XXII. notat errorem *Gratiani* circà Canonem Concilii *in Trullo*, relatum ibid. *Can.* 6. quo ità loquens inducitur Concilium, ut significet, se, dùm Sedi Constantinopolitanæ Secundum locum assignat, nolle eam in rebus Ecclesiasticis Romanæ Sedis instar magnificare, quamvis Concilium contrarium dixerit; adjicitque Romanos Correctores emendavisse hunc errorem, scripto *nec non*, pro *non tamen.* Observat is præterea *Gratianum* ità composuisse hunc Canonem, ut Romanam Ecclesiam extrà numerum Sedium Patriarchalium locaret, inter eas computando tantùm Constantinopolitanam, Alexandrinam, Antiochenam & Hierosolymitanam, secutosque errorem *Gratiani* Canonistas, quamvis hic Autor *Can.* 7. *ibid.* referat Concilii VIII. Generalis sedente ADRIANO II. habiti Definitionem, quæ Pontificem Patriarchis annumerat, quos inhonorari, vel loco moveri à quoquam Mundi Potentum, vetat. Clausulam continet *Can.* 1. DIST. XXV. cujus occasione *Van Espen* observat, errorem *Gratiani* Archipresbyterum Archidiacono subjecisse, adversùs Definitionem Veterum rationi congruam. Sic concipitur illa clausula, *Archipresbyter verò se esse sub Archidiacono, ejusque præceptis, sicut Episcopi sui sciat obedire.* Contendit ille indè factum fuisse, ut Pontifices *cap.* 7. *de Offic Archid.* & *cap.* 1. *de Offic. Archipr.* hanc subjectionem approbarent, quia Canones antiquos à *Gratiano* laudatos, nonnisi apud ipsum habebant. Quoad errorem illum probat ex MS. Epistola ISIDORI *Hispalensis*, relata in hoc *Can.* 1. aliisque autoritatibus, quæ ostendunt, hanc clausulam à suspectâ manu fuisse adjectam. GONZALEZ *in cap.* 1. *de Offic. Archipr. n.* 3. refert Canonem Concilii, *Emeritensis* an 666. qui Archidiacònum Archipresbytero subjicit, illum post hunc enumerando, Isidorus obiit an. 636. justa est hæc subjectio, eamque postulat Dignitas Sacerdotii suprà Diaconatum. Mutatio, quam deinceps invexit usus, partim fortè nascitur

aliun-

aliundè, quàm ab errore modò observato. Archidiaconus erat Episcopi Magnus Vicarius, hujus Dignitatis ratione Archipresbytero Superior erat.

HALLIER contendit, hunc usum in Hispaniis cæpisse, à quibus in cæteras Regiones manavit. Opinionis ejus momentum est, quòd Textus de illâ Superioritate agentes ab Hispanis prodeant, fortè clausula observata, primus ejus fons fuit.

Infrà *Can.* 1. DIST. XXVII. dicit *Gratianus*, Diaconum, qui uxorem duxerit, matrimonio contracto posse uti, si à Ministerio cessare voluerit, quoniam tanta vis est Sacramenti, ut per Votum non dissolvatur. Item DIST. XXXI. continentiæ Clericorum accommodans regulas, quas DIST. XXIX. proposuit ad conciliationem Canonum, qui pugnare videntur, inservientes, quæsitas à circumstantiis temporis, causæ, loci, personæ &c. falsò supponere videtur antè GREGORIUM M. extitisse tempus, quo Sacerdotes ab Uxoribus antè Sacerdotium ductis abstinere non tenerentur. *Tempus quoque, quia nundùm institutum, ut continentiam servarent.* Porrò, falsum est circà tempora *S. Gregorii* exeunte VI. vel Ineunte VII. Sæculo, Matrimonii sic contracti usum Presbyteris & Diaconis licitum fuisse. Itaque, vel erravit *Gratianus*, vel ejus verba restringenda sunt ad eos, qui in Siciliâ promovendi essent ad Subdiaconatum. Canones sequentes, additâ Correct. Rom. notâ, hanc interpretationem confirmant.

Duplicem errorem DIST. XL. silentio approbat. Prior est, Sedem Romanam Prælatos suos sanctificare, nisi ante promotionem Sancti jam forent, *in quo apice, si bona acquisita per meritum desunt, sufficiunt, quæ à loci Decessore præstantur. Can.* 1. qui SYMMACHO tribuitur.

Alter est, Pontificem quantumvis perditis moribus deturpatus fuerit, nullo humano judicio, correctioni, vel coërcitioni esse obnoxium, *Can.* 6. Hos errores annotare eo magis necessarium est, quòd atrocissimas consecutiones habere queant. vide VAN ESPEN in hanc DIST. Is observat, Theologos, Canonistasque secutos fuisse has interpretationes quantùmvis futiles.

Gratianus in Regulam Generalem proponit DIST. LII. ut *omnis qui prætermissis aliquibus gradibus non superbiâ, sed negligentiâ ad majorem ascenderit, tandiu à majoribus abstineat, quousque congruo tempore prætermissos accipiat.* Ita, ut, si quis Episcopus fuisset consecratus, omisso Ordinum Minorum minimo, teneretur ab Episcopalibus abstinere muniis, donec Ordinem prætermissum accepisset, insinuatque aliundè, prætermissi Ordinis receptionem semper sufficere, ut Ordo Superior exerceri queat. In quibus error duplex occurrit: prior est, Ordinis inferioris receptionem, ad Superiores exercitium semper requiri, perindè ac si Prælatus Superior numquàm dispensare posset, ab Ordinum Minorum receptione; alter est, Episcopatum validè recipi posse, prætermisso Sacerdotii gradu; nam si hæc Ordinatio sit irrita, iteranda est, nec sufficit omissum Presbyteratum suscipere, ut vulgò docent Theologi & Canonistæ. Textus ab eo allatus non loquitur, nisi de omisso Subdiaconatu antè Diaconatûs, & Presbyteratûs susceptionem; consecutio autem ab illo Ordine ad Ordines ipsi inferiores, non est legitima, quia longè minùs insignes sunt.

Errat *Gratianus* DIST. LXI. infrà *Can.* 10. inquiens, Postulationem fieri, præter solemnitatem Decreti ab omnibus subscripti, & simplici petitione, in eoque eam ab Electione distingui; subjectus autem Canon, ad id probandum, contrarium significat.

Bis errat DIST. LXII. & LXIII. primùm in *facto*, ubi docet Principes Electionis Episcoporum & Pontificum non nisi ex privilegio fuisse participes, illudque ipsis concessum fuisse, ut Schismaticorum atque Hæreticorum dissentionibus vel ambitioni obviarent; tùm in *Jure*, cùm suponit, eos aliàs illâ potestate destitui; contrarium probatum fuit in REGULIS circà hoc Caput collectis.

Errat in *facto*, cùm docet, vel docere videtur DIST. LXVII. LXVIII. Chorepiscopos simplices tantùm fuisse Sacerdotes; ut enim ostenditur in REGULIS circà Chorepiscopos, nonnulli Episcopi fuêre, aliàs Canones dè illis agentes aliter componi nequeunt; aliis munera Episcopalia ipsis tribuentibus, aliis ab eis ipsos excludentibus, aliis suponentibus, eos ordinari acceptâ Impositione manuum Episcoporum, aliis docentibus, eos ab unico Episcopo ordinari.

Referuntur apud GONZALEM *in Cap.* 1. *de excessibus Prælat. n.* 7. 8. *&* 9. In similes errores labitur, cùm significat *Anacletum* & *Zephirinum* constituisse, ut Ordinationes Quatuor Temporibus fierent: Pontificem voluisse, ut per singulos Ordines Minores transirent ordinandi ad Majores DIST. LXXVII. Contrarium probatum fuit in REGULIS circà *Quatuor Tempora*, sive *Ordinationes*.

In errorem inducit DIST. LXXV. dicens, omni tempore benedici Episcopos; dummodò jejuni, & horâ tertiâ benedictionem accipiant: hoc enim significat aliis quàm Dominicis Diebus id fieri posse, quod falsum est. Idem subit periculum, cùm docet DIST. LXXX. *S. Petrum* præcepisse, Episcoporum Primates, seu Patriarchas in illis Civitatibus poni, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum erant, & Archiepiscopos institui, ubi erant Archiflamines, qui medio loco habebantur: Hæc Primatum, Patriarcharum, Archiepiscoporum vocabula, CLEMENTIS ætate, qui hoc *S. Petri* præceptum refert, erant ignota.

Restringendum est quod ait *Gratianus* initio DIST. XCIII. *Ut nulli liceat ei communicare, cui Pontifex inimicus ipse extiterit, nec in Ecclesiâ esse poterit, qui ejus Cathedram deserit*: aliàs esset erroneum: fieri enim potest, ut inimicus fiat Pontifex eorum, qui ejus errores aversantur, aut libidines, ejusque Cathedra cum ipso erret, ut probatum est in *Observationibus* circà Concilia Generalia. S. CYPRIANUM *Can.* 3. *ibid.* inducit dicentem, *qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesiâ se esse non confidat.* In laudato tamen Libro *de Unitate Ecclesiæ*, CYPRIANUS docet tantùm, eum, qui non tenet unitatem Ecclesiæ, vel Ecclesiæ renititur, non esse in Ecclesiâ. Vide VAN ESPEN in hunc *Canon.* Quod dicit Episcopos Apostolicæ Ordinationi subjacentes, ad Limina Apostolorum singulis annis sistere se debere, restringendum est ad eos, qui non longiùs dissiti sunt, ut significant hæc *Can.* 4. verba, *qui propinqui sunt.*

Erroneum est dicere absolutè, Constitutiones Imperatorum aut Principum circà Ordinationes & bona Ecclesiastica, nullius esse momenti, atque autoritatis, ut probavimus in REGULIS circà Constitutiones & in REGULIS circà autoritatem Regiam in Ecclesia. Id tamen profert *Gratianus* in fronte DIST. XCVI.

Silentium ejus in *Can.* 7. ibid. significat eum approbavisse quod sine restrictione ait NICOLAUS I. Scilicet *à Sæculari Potestate nec ligari nec solvi posse Pontificem, quem constat ab Imperatore Constantino* DEUM *appellatum esse*, nec posse Deum ab Hominibus judicari manifestum est. Non leviorem errorem continet *Gratiani* proëmium in DIST. XCVII. quo significat Leges, quas de Rebus Ecclesiasticis, supplicante Pontifice, condunt Principes, vim suam à

Pontificiâ subscriptione, non ab Autore suo trahere; Pontifex enim, qui Principem rogat, ut Legem sanciat, eo ipso in eo potestatem hanc agnoscit, eumque ideò deprecatur, ut suâ potestate dignetur uti. Undè fit, ut, quoties Ecclesia à Principibus Leges de Rebus Ecclesiasticis flagitat, soleat eos monere, Regiam autoritatem ad Religionis præsidium ipsis fuisse divinitùs tributam. Undè etiam factum est, ut ejusmodi Leges sponte suâ condiderint Principes. Magnam exemplorum copiam dant CODEX & NOVELLÆ, necnon Compilationes Legum Principum cæterorum. Factum hoc ita evidens est, ut illud probare inutile sit.

Atque illi sunt errores aut reales, aut specioſi, quos in *Primâ Parte* DECRETI observavimus. Specioſos vocamus eos, qui tolli possunt quarumdam restrictionum ope, quæ subintelligi possunt. Eos subjicimus, qui in *Secunda Parte* occurrunt. Omittendum tamen non est *Gratianum* GREGORII VII. *Secundum* effatum inter DICTATUS, qui huic tribuuntur, amplexum non fuisse; agnoscit enim probatque *Universalis Titulum*, nec etiam Romano Pontifici congruere, DIST. XCIX. §. 3. In illo effato Titulus hic inter Pontificias prærogativas collocatur, CONCIL. TOM. X. *p.* 110.

ARTICULUS I.

Errores & Nævi Secundæ Partis.

CAUSA I. QUÆSTIO I.

SI *Gratianus* existimavit, Simoniam esse Criminum atrocissimum, ideòque de Criminibus agere instituens, à Simoniâ exorsus fuerit, ut notat Glossator vetus, in errorem impegit; juxtà enim ejus principia, nihil in Simoniam gravius excogitari potest, quàm quod illa sit Hæresis interpretativa: eâ igitur gravior esse debet Hæresis realis, cujus speciem tantùm fert, quoniam Simoniacus SPIRITUM S. pro merâ Creaturâ reputare videtur.

Pluribus in locis ejusdem *Quæst.* significat Ordinationem Simoniâ laborantem in seipsâ, quoad substantiam suam esse irritam, non verò simpliciter quoad suos effectus: una ex ejus rationibus est, quòd Ordo sit Sacramentum dignitatis, quod majorem ideò, quàm aliud quodvis, dispositionem requirit, cùm cætera dentur solùm in utilitatem accipientium, hoc autem ad aliorum maximè utilitatem conferatur; alterum momentum est, quòd simoniacus Hæreticus sit; Sacramenta autem dignitatis ab Hæreticis collata, sunt irrita; quod ab errore non discrepat.

CAUS. II. QUÆST. V. *Gratianus* circà factum errat, cùm ad Conciliationem Canonum, qui Sacerdotibus Sacramenta interdicunt, cum iis, qui eos Juramento se purgare præcipiunt; dicit, Canones primi generis agere de Juramentis incautis; quod impossibile est; aliàs enim inutiles fuissent ii Canones; cùm enim Juramenta incauta, seu temeraria, Laïcis interdicantur, à fortiori Sacerdotibus illicita esse debent; itaque Canones, qui Juramenta ejusmodi Laïcis interdicunt, quoad Sacerdotes etiam sufficiunt.

Sub finem hujus *Quæstionis* multos congerit Canones, qui *Vulgarem Purgationem* in variis Casibus comprobant, nihilque adjicit, quo significet, eam se improbare. Putavit, Ecclesiam comprobare posse hunc usum in certis casibus, ad exemplum Sacrificii Zelotypiæ. Longum tamen est discrimen: Deus enim illius Sacrificii institutione suos illi dare effectus velle se testabatur, eosque producere poterat; Purgationis autem per Communionem Sacram, aut Sacrificii celebrationem, cùm non sit autor, ea fieri non potest, quin tentetur Deus, subeaturque periculum erroris, tùm proprii, tùm alieni.

Falsò supponit QUÆST. I. *ibid.* crimen manifestum Judici vel aliis, qui in locis versantur, ignotum esse posse, quod vulgari intellectui in his rebus repugnat; verba enim *manifestum* & *notorium*, sunt Synonima: per *notorium* autem intelligitur, quod omnibus Incolis notum est. Quoniam igitur docet, reum crimen suum opere suo confitentem, sine examinatione omissisque Judicii solemnitatibus damnari debere, præviæ, quotquot sunt, distinctiones inutiles sunt atque argumento ineptæ. Quod ait *ibid.* duas aut tres correctiones antè damnationem fieri debere in crimine manifesto, improbatur ab *Anton.* AUGUST. *Dialog.* XVII. *lib.* 1. *de Emend. Grat.* Exemplum incerti Corinthii à *Gratiano* adductum adversùs eum facit; non enim apparet, eum à S. PAULO monitum fuisse.

VAN-ESPEN in hanc *causam* observat, errorem *Gratiani* circà Factum in errorem circà Jus traxisse Canonistas. Scilicet *Canone* à S. GREGORIO desumpto probari, ipsum putavisse Laïco demandari posse, ut Prælati Ecclesiastici purgationem recipiat. Idem Autor *ibid.* observat alia plura errorum circà factum exempla, qui errores circa Jus peperêre. Desumpta sunt illa è spuriis Decretalibus, quæ cùm germanæ viderentur, Pontifici tributa fuit autoritas Disciplinæ Sæculorum anteriorum contraria: scilicet plenitudo potestatis, ex eo proveniens; quòd omnem Ecclesiæ Jurisdictionem velut fons contineat; eam cæteri ab ipso, ac tantùmdem, quantùm ipse dare dignatus est, acceperint, ipse sibi jus illam prout libuisset restringendi servaverit.

Confirmat idem VAN-ESPEN quod probatum est in Dissertatione, quæ inscribitur, *Opiniones Ultramontanæ funditùs convulsæ*, ubi distributivè ostenditur, Pontificem spuriis Decretalibus, aliisve supposititiis Actis, debere universas ferè, quibus fruitur, aut frui, juxtà Canonistas Ultramontanos, potest, prærogativas; atque observatur, peritissimum ex iis juxtàque studiosum, nihil aliud laudare, ut eas confirmet, quàm spuria Acta vel fraudi posteriora. VAN-ESPEN sub finem hujus *Causæ* asserit, Juris Civilis solemnitates in Ecclesiasticis Judiciis non fuisse introductas nisi post Sæculum VII. aut VIII. undè sequitur *Gratianum* erravisse in facto notabili, dùm putaret illas in his Judiciis jam fuisse usurpatas, tempore Decretalium Pontificibus priorum quatuor Sæculorum tributarum. Legitimas enim eas Decretales censuit, quæ ejusmodi solemnitates, velut res in Judiciis Ecclesiasticis requisitas, commemorant.

CAUS. III. QUÆST. I. *Gratianus*, cùm probavisset Episcopum à Sede suâ absque legitimâ reatûs convictione dejectum, antè omnia restitui debere, Pontificem ab hâc regulâ eximit, atque, ut exceptionem probet, laudat *Can.* 9. DIST. LXXIX. qui jubet à Sede Romanâ detrudi eum, qui eam sine electione Canonicâ occupaverit. In rationem discriminis affert, quòd Judex non inveniatur, cujus officio ille Apostaticus possit excludi; Episcopi autem Judicem habeant: quo in loco plures scatent errores. 1. Regula, quam proposuit, ad Jus Naturale pertinet; quatenùs illud jubet unicuique jus suum reddere; Pontifex autem non debet, nec potest ab hâc regulâ excipi. 2. Sensus laudati Canonis est, iterùm debere obniti & intercedere, ne quis Sedem Apostolicam invadat; quod faciunt ii, qui Canonicè electi non sunt. 3. Jam vidimus, Concilium Generale esse Judicem Pontificis, itaque falsum est, ejus Judicem non inveniri. 4. *Gratianus* comprehendit in exceptione promotionem Simoniacam; agnoscere autem debet in casu Simoniæ Pontificem alicui Judici subjectum esse; siquidem docuit suprà CAUS. I. Simoniam esse hæreseos speciem, & *Can. Si Papa* DIST. XL. Pontificem à Fide deviantem ab Hominibus posse judicari.

Ibid. QUÆST. VI. *Canon* 15. in errorem inducere potest, qui ita potest intelligi, ut Pontifici tribuatur facultas Provinciam Judicibus iniquis subjicere.

Ibid. QUÆST. VII. *Gratianus* Tribunal exterius cum interiori confundit. In hoc nemo judicare aut dam-

damnare alios debet, cùm sibi æqualis, aut majoris nequitiæ consçius est: in illo, quicumque Jurisdictionem habet, seu judicandi potestatem, eâ potest uti, nisi criminis reus sit, quod ipsum vel hâc potestate privet, aut ejus suspendat exercitium. Tale est in Ecclesiâ illud, quod Excommunicationem, aut Suspensionem annexam habet, posito quòd denuntiata sit. Tale est in Sæculo illud, quod Leges Civiles hujus potestatis privatione vel ejus exercitii interdictione coercent, aliàs illud exercitium non est irritum sed indecorum, ubi culpa publica est. Per forum interius hîc intelligimus forum Conscientiæ, non Pœnitentiæ; in hoc enim Confessarius non privatur potestate Clavium, aut earum exercitio, ratione criminis, nisi crimen tale sit, ut excommunicatum aut suspensum autorem suum faciat, Censuraque denuntiata sit.

CAUS. V. QUÆST. IV. ostendimus in REGULIS circà Causas Majores, quòd, ante spurias Decretales, Judicium Episcoporum non fuit reservatum Pontifici, imò in quibusdam adscititiam esse clausulam reservationis. Itaque *Gratianus* errat in facto, cùm Sedis Apostolicæ autoritatem à veteribus Canonibus excipit, qui Provincialibus Episcopis Judicium tribuunt.

CAUS. VI. QUÆST. IV. multi sunt errores circà factum; 1. Quòd Episcopos *Electos* nuncupat Episcopos Provinciæ, de quibus agitur *Can.* 14. *Concilii Antiocheni.* 2. Quòd sic Canonem vertat, ut sensus sit, in discordia Judicum vocandum esse Metropolitanum Provinciæ vicinæ, de quo *Canon* non loquitur. 3. Quòd ab hoc Canone excipit casum, quo Provincia Primatem habuerit; nondùm enim constituti fuerant Primates mediante Sæculo IV. quo habitum fuit illud Concilium. 4. Quòd excipit casum appellationis ad Pontificem à Definitione *Can.* 15. Concilii ejusdem, quia Judicium Episcoporum in Episcopi damnatione consentientium immutabile manere debet; 5. Quòd contendit *Can.* 4. *Concilii Sardicensis* hanc exceptionem probare; vide VAN ESPEN in hanc *Quæst.*

CAUS. VII. QUÆST. I. *Gratianus*, cùm ex multis Canonibus probavisset, Translationes Episcoporum certis casibus esse licitas, eos componere volens cum iis, qui vetant novum dari Episcopum Ecclesiis, quarum adhuc vivunt Præsules, dicit Episcopum translatum, esse velut mortuum ejus respectu, à quâ translatus est, & proindè hos illis Canones non adversari. Hæc conciliatio videtur erronea aut saltem coacta & reluctans; nam posterioris generis Canones de morte temporali agunt: nituntur in indissolubilitate vinculi, quo Episcopus Ecclesiæ cohæret, eamque conferunt indissolubilitati vinculi Matrimonii: nituntur etiam hac Sententiâ, *in quâ quis intitulatus est Ecclesiâ, in eâ permaneat*; unde fit, ut cæteris Clericis idem quod Episcopis interdicant, scilicet mutationem Tituli, quoniam Titulus Ordinationis naturâ suâ perpetuus est. Itaque, relicto hoc perfugio ad fictitiam mortem, quæ casus demissionis meræ & simplicis, resignationis in favorem, & permutationum, complecteretur. Ad componendos hos cum illis Canones, dicendum est simpliciter, hos exceptionem continere, quæ rara esse debet, in solis casibus urgentis necessitatis, aut evidentis utilitatis: illos verò continere regulam, quæ communis ac generalis esse debet. Nedùm translatus defunctus sit respectu Ecclesiæ, à quâ migrat; sunt casus, in quibus ad eam remeare potest, si ejus utilitas id requirat. Translationes sunt dispensationes à Canonibus, qui jubent stabilitatem in Titulo Ordinationis usque ad mortem. Porrò, raræ debent esse dispensationes. Jam verò, si admitteretur *Gratiani* interpretatio, creberrimè fieri possent, illæsis Canonibus. Igitur propter malos, quos parare posset, effectus, eam refellendam esse, fusiùsque, quàm pro more, duximus.

CAUS. IX. QUÆST. I. supponit errorem, quem suprà disertè docuit: scilicet, Ordinationes ab Hæreticis factas, esse nullas, idque nominatim dicit de iis, quæ fiunt ab illis, qui nominatim excommunicati sunt.

QUÆST. II. supponit, Pontificem ordinare posse Diœcesanos Episcoporum absque horum permissione; propositam enim quæstionem, restringit ad Archiepiscopum, Primatem & Patriarcham, superiùsque, ut notavimus in DIST. XXII. Pontificem è numero Patriarcharum exemit; hoc autem supponit ex falso principio, quòd Papa universalem Jurisdictionem habeat; quòd cæteri ab ipso suam portionem habeant; quòd hanc ipse iis concesserit, reservato sibi eam pro lubitu restringendi jure.

Ibid. QUÆST. III. insinuat, Pontificem dilatare posse Jurisdictionem Metropolitanorum, Primatum, & Patriarcharum, per Privilegia Canonibus & Consuetudini, quibus potestas eorum ordinatur, contraria. Vide Clausulam, quâ *Can.* 8. clauditur, quam Eruditi ab aliquo *Pseudo-Isidori* imitatore adjectam fuisse suspicantur.

Ex eodem principio docet, solam Ecclesiam Romanam cæteras judicare quidem posse, sed ipsam à nullâ, nequidem ab Universali Ecclesiâ, judicari. Tribuit Metropolitanis atque in eorum personâ, Primatibus, & Patriarchis, facultatem supplendæ Prælatorum in omnibus casibus negligentiæ, quam tamen non habent, nisi in casibus à Jure memoratis, vel in iis, in quibus illam per usum legitimè præscriptum adepti sunt.

Confundit jus monendi caritativè Episcopos negligentes, ut corrigant suos Diœcesanos, cum jure in eos agendi, sive judicio procedendi.

CAUS. X. QUÆST. I. sub finem, significat, bona Ecclesiastica Principum autoritati non subjici, dicens, Ecclesiæ facultates à Laïcorum dispositione esse immunes. Quod adversatur *c.* 1. DIST. VIII.

QUÆST. III. quod dicit de Jure Episcopali, quod vocatur Cathedraticum, *part.* 2. sub finem, non congruit Canonibus, scilicet illud consistere in parte Oblationum factâ die anniversario Dedicationis, aliisque diebus solemnibus, eamque modò majorem, modò minorem esse, prout conventum fuerit Dedicationis tempore; nam jus illud est Census, quem Curati solvunt Episcopo in honorem Ecclesiæ Cathedralis, definitus à Consuetudine Diœceseon, ab omni conventione independens. Id probatum fuit in REGULIS circà Jurisdictionem Ecclesiasticam.

CAUS. XI. QUÆST. III. dicit, Canonem, *si quis suadente*, non privare nisi ab ingressu Ecclesiæ & à Communione Eucharistiæ: quod evidenter repugnat verbis hujus Canonis, ut patebit legenti, & observatum fuit in REGULIS circà hanc excommunicationem. Vid. *part* 3. *Conciliationis Can.* 24. subjectæ.

Contendit, quòd, si quis postulatus fuerit criminis, quod non patravit, cujus tamen in judicio victus est, sententia non sit injusta ob defectum materiæ, posito quòd aliud crimen admiserit in judicio non probatum; ideòque is Sententiæ subjicere se, etiam in foro interiori, debeat; quod falsum est: nam Sententia non cadit nisi in crimen ad Judicem delatum, quod cùm sit falsum, Sententia nulla est, quoad Materiam, *part.* 5. & 6. *Conciliationum* GRATIANI. Hæc enodata fuit difficultas in REGULIS circà Censuras.

Censuram Sententiæ *à Canone latæ* confundit, cum Censurâ Sententiæ *ferendæ* à Judice, docens, alios Excommunicatos vitandos non esse, quàm qui nominatim à Judice damnati fuêre, quos, per Excommunicatos, nominatim intelligit. Itaque, juxtà *Gratianum*, vitandi non erant ii, qui sciebantur incurrisse Censuras *ipso facto* dictas. Contrarium ostensum fuit in laudatis Regulis.

CAUS. XII. QUÆST. I. docet, Clericos ab infantiâ in Ecclesiâ educatos possidere nihil proprium posse, quoniam ex bonis Ecclesiasticis necessaria percipi-

cipiunt: in quo confunduntur Religiosi cum Clericis. Significat, Episcopos Orientales conjugatos esse, liberosque habere, ideòque ipsis concedi habere propria, ad suos & suorum usus, hinque insinuat, illos uti conjugio; quod falsum est. Eamdem rationem extendit ad Clericos Minores, qui uxores habent & liberos, vel liberos tantùm. *Cùm ergò* &c. Hæc autem ratio Canonibus benè multis adversatur, qui permittunt, vel permissum supponunt Clericis non Conjugatis proprium habere. Insinuat, Clericos solos res suas in communi habuisse in exortu Ecclesiæ, ACTUS autem *Apostolorum* contrarium ostendunt; *de rebus verò*, &c.

CAUS. XIV.

QUÆST. 1. *Gratianus* dicit, Perfectum posse in judicio stare, *non captando lucrum, sed evitando damnum.* Nugatoria autem videtur hæc distinctio; neque enim potest quis judicio contendere, nisi sibi partum saltem habeat jus ad rem ligitiosam, cujus damnum patietur, si judicio nolit experiri.

QUÆST. VI. sub finem, *furtum autem non tam in quantitate rei, quàm in affectu furantis consideratur.* Hæc propositio falsa est, si agatur de culpæ gravitate, quæ eò major est, quò res est majoris momenti: sed vera est, si agatur tantùm de naturâ culpæ; rei enim vel minimæ verum sit furtum. *Canon* subjectus huic intellectui favet.

CAUS. XV. QUÆST. II. *sub finem.*

Perperàm interpretatur *Canonem* Concilii *Tarraconensis*, an. 516. qui vetat Sacerdotes *munera patrociniis exigere Sæcularium pro impensis, Judicum more*; cum enim de Regularibus intelligit, hujusque interpretationis rationem afferens, ait, generali Consuetudine receptum esse & moribus approbatum, ut Clerici Advocatorum more Patrocinia impendant, muneraque exigant ac suscipiant; satis enim fuisset monere, Canonem hunc non vigere quoad Clericos, sed tantùm ergà Regulares, nec Disciplinam Sæculi VI. debuerat exæquare Disciplinæ, quæ vigebat Sæculo XII.

QUÆST. VI. Plures refert atque approbat Canones pernicioso in eo, quòd alii docent Excommunicationem Subditos à Sacramento Fidelitatis absolvere. Unus est GREGORII VII. alter URBANI II. Cæteri tribuunt Pontifici jus deponendi Principem. Neutri autem argumento congruunt. Confutati sunt illi in REGULIS circà Principes, & in REGULIS de Excommunicatione.

CAUS. XVI. QUÆST. I.

Relato, in *Can.* 2. GREGORII dicto, scilicet, *Nemo potest & Ecclesiasticis Obsequiis deservire, & in Monasticâ Regulâ ordinatè persistere &c.* Infrà *Can.* 36. dicit, illud intelligendum esse de Regularibus, *de iis scilicet, qui in numero Cardinalium vel Episcoporum ordinati, Monasterii sui dispensationem sibi reservatam contendunt.* Quod manifestè repugnat menti Pontificis, qui attendit Ecclesiastica Munera postulare operas, cum Solitudine, Silentio, Jejuniis, crebris Meditationibus, austeritate Professioni Religiosæ annexis, incompatibiles.

Post multos Canones, qui probant Monachos Decimas agrorum suorum Parochialibus Ecclesiis solvere debere, unum refert à Concilio *Cabillonensi* II. conditum, quem *Moguntinensi* Concilio tribuit, & quem ad Monachorum commodum detorquet, addito verbo, *suas*, quo transfertur ad Ecclesias Monachorum id, quod ait Canon *de Parochialibus.* Jubet quippe, ut Abbates ex Agris & Vineis, quos ad suum aut Fratrum stipendium habent, Decimas ad Ecclesias deferri faciant. Verbo, *Ecclesias*, Gratianus adjecit *suas*, atque ita tribuitur Ecclesiis Monachorum id, quod Ecclesiis Parochialibus dat Concilium, juxtà usum Sæculi IX. quo habitum fuit.

Deinceps *Can.* 47. laudat in ejusdem exemptionis patrocinium Decretum PASCHALIS II. quod in nullo ejus Pontificis Opere reperitur, neque apud alium quemvis Autorem *Gratiano* vetustiorem. Hunc inter Canones incertos PASCHALI II. tributos collocat LABBÆUS.

Quod additur à *Gratiano* ad stabiliendam hanc exemptionem, discutietur in REGULIS circà Decimas: interea observabimus, quòd, cùm in præjudicium tertii concessa fuerit hæc Dispensatio, requirebatur urgens necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas.

QUÆST. II. videtur invenisse atque excogitavisse distinctionem Ecclesiarum à Monachis *pleno jure* possessarum, & earum, quæ sic non possidentur. Hæc in eo consistit, quòd institutio autorisabilis Curatorum harum, pertineat ad Episcopum; illarum autem institutio pertineat ad Abbatem, seu ad Monasterium. Unicum Canonem JOANNIS Pontificis, omisso quoto, ad stabiliendam hanc distinctionem laudat, qui proindè incertæ autoritatis est, eoque magis quòd opponatur Canoni URBANI II. cujus autoritas certa est, is autem *Sextus* hujus Quæstionis, recepta tamen fuit distinctio propter autoritatem *Decreti* ex Autoris existimatione partam.

QUÆST. III. Romanæ Ecclesiæ tribuit hoc privilegium, ut Centenaria tantùm adversùs illam valeat præscriptio. Lex JUSTINIANI, quam in hanc rem laudat, omnes Ecclesias complectebatur, fuitque abrogata ab eodem Imperatore, nullâ, ne Romanâ quidem, exceptâ Ecclesiâ. Hanc abrogationem, quoad suam Ecclesiam, agnovit S. GREGORIUS.

CAUS. XVII.

VAN ESPEN plures annotat errores graves in Conciliationibus & expositionibus *Gratiani* atque in Canonum delectu. Hi apud illum, si opus fuerit, videri possunt. Satis erit observare, hic *Gratianum* componere volentem Canones, quorum alii unico probationis anno contenti sunt, alii plures requirunt, excogitavisse distinctionem personarum notarum, circà quas annus sufficit, & ignotarum, quæ triennio indigent. Hæc nullum habet in relatis Canonibus fundamentum.

Ibid. QUÆST. IV. *Can. si quis suadente* 29. suprà vidimus, ad CAUS. XI. QUÆST. III. *Gratianum* alium non tribuere effectum Canoni, *si quis suad.* nisi privationem ab ingressu Ecclesiæ, & Communione; aliud cogitavisset, si perpendisset, reservationem absolutionis ad Pontificem, quam inducit hic *Canon*, cum necessitate ipsum adeundi, ad hanc recipiendam, necnon qualificationem Sacrilegii, quam crimini proposito inurit. Inauditum quippe est, Excommunicationem Minorem, præsertim eam, quæ non excludit à Sacramentis Confirmationis, Pœnitentiæ, atque Extremæ Unctionis, reservatam fuisse Pontifici, nullumque aliud delictum, cui ipsa annexa fuerit, ità severè coërcitum fuisse, ut videri possit in Collectione ejusmodi Excommunicationum, quam damus in REGULIS circa Censuras.

CAUS. XX.

QUÆST. I. initio *Gratianus*, dicit, Parentes, quinque prioribus etiam Sæculis Ecclesiæ, habuisse jus Liberos suos Domino dicandi antè pubertatis ætatem, absque eorum consensu. Canones ad id probandum subjecti contrarium evincunt. Adi Disciplinam THOMASSINI *Part.* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 45. ubi probat, Ecclesiam Græcam & Ecclesiam Latinam hanc potestatem in Parentibus non agnovisse, Sanctumque BA-

SILIUM

silium à *Gratiani* laudatum, ei prorsùs repugnare. VAN ESPEN in hanc *Quæst.* idem dicit de S. BASILIO illudque probat.

QUÆST. IV. *sub finem*, dicit, Monachis, sine Abbatis consensu, *vota abstinentiæ, vel alicujus districtionis, quæ generalem consuetudinem suorum excedat, vovere non licere, ne super eo Fratres scandalisentur*: Nec excipit casus, in quibus Consuetudo Monasterii, Status Monachalis substantiæ adversatur. VAN ESPEN in hanc *Quæst.* meritò contendit, hanc exceptionem esse necessariam, neque ullam habendam esse hujus prætensi scandali rationem, quia iniquum est, ut potè proveniens ex eo, quòd quis suo fungatur officio, iisque simile est, de quibus loquitur S. GREGORIUS. *Cap. 3. de Reg. jur. Utiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.*

CAUS. XXI.

QUÆST. I. favet pluralitati Beneficiorum Incompatibilium 1. Dicens Canones, qui vetant in duabus Ecclesiis Clericum connumerari, de Ecclesiis duarum Civitatum intelligi.

2. Posse aliquem tenere Archiepiscopatum quasi Titulatum, & Episcopatum quasi Commendatum; nec id restringit ad Casus urgentis necessitatis, aut evidentis utilitatis, neque etiam monet, id fieri ad tempus, & in merâ administratione consistere.

3. Aliquem duas Ecclesias posse habere jure speciali tanquàm Titulatas; Canones autem subjecti loquuntur de Casu, quo prior Ecclesia vastata est; itaque, qui transfertur ad aliam Ecclesiam, unicam tantùm habet. Secum pugnat in fine, dicens, hoc casu Episcopum uni præsidere tanquàm Titulatæ, alteri tanquàm Commendatæ.

CAUS. XXIII. QUÆST. VIII. *infrà Can.* 20.

Relatas autoritates in utramque partem quæstionis, utrùm Clerici privatâ, an Pontificiâ autoritate, an jussu Principis arma sumere debeant, Autor conciliat, distinguendo eos, qui ex Decimis & Præmitiis vivunt, quales erant Levitæ, ab iis, qui Prædia, Villas, Castella, & Civitates possident, hisque accommodat Canones affirmativam partem tenentes, cæterosque Clericis prioris conditionis. Hæc distinctio prorsùs inepta est: quoniam Militia statui Clericali penitùs opponitur: itaque, illa à Clericis exerceri nequit, quamvis Feuda, aliave immobilia possideant, sed ii tantùm possunt, tenenturque sumptibus suis ad rei bellicæ impensas conferre.

CAUS. XXIV. QUÆST. I.

Contendit *Gratianus*, Hæreticos, Schismaticos, Excommunicatos, omnem ob has causas amisisse potestatem ligandi & solvendi, excommunicandi & reconciliandi, administrandique singula Sacramenta, excepto Baptismo; idque probare nititur per autoritates, quæ videntur significare, potestatem ejusmodi nonnisi intrà Ecclesiam haberi posse, quoniam ad eam requiritur Spiritus Sanctus, quo carent illi, qui extrà Ecclesiam sunt. Vide ejus verba infrà *Can.* 4. 37. & 39. Plura jam loca notavimus, in quibus eundem errorem insinuat.

QUÆST. II. infrà *Can.* 5. dicit, esse crimina, de quibus accusari quilibet & damnari seu excommunicari post mortem potest; aptiùs locutus esset dicendo, eos Excommunicatos posse declarari, subjectaque ab eo exempla nihil aliud probant.

QUÆST. III. infrà *Can.* 1. & 9. Restringendum est ad Excommunicationem irritam, id quod dicit de Excommunicatione illicitâ; quæ enim simpliciter illicita est, non verò nulla, eum constringit, quem ferit: generatim verò dicit, Excommunicationem illicitam non lædere excommunicatum, sed excommunicantem. Hoc argumentum fusiùs expositum est in REGULIS circà Excommunicationem.

CAUS. XXV. QUÆST. I. *infrà Can.* 16.

Gratianus, post collectos Canones non paucos Pontificum, qui dicunt, Sedem Apostolicam ad observationem Canonum cæteros allicere exemplo suo debere, eamque singularem, accuratioremque, quàm cæteros, eorum observationem profiteri; cùm perciperet illos proposito suo repugnare, scilicet Pontifices privilegia, prout libuisset, concedere posse: CHRISTO Pontificem confert, ac dicit quòd, sicut ille Legis erat Dominus, cui se tamen aliquoties seipsum humiliando subjecerat, & quam solvere, cùm liberet, poterat, illam tamen impleverat; sic & Pontifex Decretorum Dominus est, eaque, propter reverentiam, humilitatemque observat, *non necessitate obsequendi, sed autoritate impertiendi.* Hæc comparatio maximè adulatoria est, illatenùs inaudita, repugnansque naturæ Legum Ecclesiæ, quæ condi non debent, nisi ad utilitatem totius Corporis, & quæ proindè negligi non debent, nisi id publicum requirat commodum. Hoc argumentum fusiùs disputatum est in REGULIS circà Dispensationes, ibidemque probatur, ipsos etiam Sæculi XII. aut XIII. Pontifices agnovisse, se dispensare non posse præter Casus urgentis necessitatis, aut evidentis Ecclesiæ utilitatis. Si jure meritò negatur Pontifici, Titulus Patroni, ac Domini bonorum Ecclesiæ, quantò magis illi negari debet qualificatio Domini Legum Ecclesiæ? Gravioris sunt momenti Leges, quàm bona. Quemadmodùm igitur id, quod in gratiam potestatis Pontificialis in bona Ecclesiæ gravius, illæsâ æquitate & veritate, dici potest, in eo fiat, quòd sit Primus eorum Dispensator, Procurator, Oeconomus: ità sufficere debet, si Pontifex insignem Primi Canonum Dispensatoris Titulum gerat.

Aliam deinceps affert conciliationem *Gratianus* scilicet omnes Canones, aut nominatim, aut tacitè continere Clausulam, *salvâ autoritate Sedis Apostolicæ.* Priore felicior non est hæc conciliatio; nullus est enim *Gratiano* anterior Canon, qui contineat hanc Clausulam, nisi à spuriis Decretalibus, aliisve suppositiis Actis accitus. Hi annotabuntur Canones, ubi de hoc Actorum genere Corpori Juris inserto agetur.

QUÆST II. infrà *Canon.* 21. Privilegia melioris conditionis facit, quàm Canones, in eo, quòd dicit, Pontificem ea non commutare, nisi prout æquitas requirit, *Rationis tamen æquitate consideratâ; unde vel pietatis, vel necessitatis intuitu, semel à se concessa valet in totum vel in partem commutare.* Similis legitur modificatio in loco suprà laudato, circà potestatem Pontificis in Privilegia: *Consideratâ tamen rationis æquitate, ut, quæ mater justitiæ, in nullo ab eâ dissentire inveniatur.* Si sic restringitur Pontificia potestas in Privilegia, id fit ob conservationem Commodorum tertii, & boni privati: quoniam itaque publica utilitas, ad quam procurandam conduntur Canones, privatæ anteponenda est, ita restringenda esset ad Casus æquitatis Pontificia in Canones potestas.

CAUS. XXVI. QUÆST. VI.

Gratianus Pœnitentiam occultam cum publicâ confundit, & Absolutionem, quæ in illâ concedebatur, cum Reconciliatione in hâc necessariâ. Reconciliationem hanc in publicam & occultam distinguit. Publica autem semper fuit, sicut impositio Pœnitentiæ, inter sacra peragebatur, nec inconsulto Episcopo, quantùmvis periclitaretur reus publicus, concedi poterat. Hæc ad salutem necessaria non erat: itaque nihil metuendum erat hac parte Pœnitenti, qui absque illâ moriebatur. Reconciliationis defectus non obstabat, quominùs Pœnitens à

peccatis suis absolveretur: Itaque, necessarium non erat, ut à reservatione Reconciliationis ad Episcopum, exciperetur casus imminentis mortis; imò, cùm Absolutio ad salutem necessaria sit, Presbyteris semper licuit eam dare in casu necessitatis, quamvis reus casibus reservatis implicaretur. Hac observatione labefactantur omnes Autoris conciliationes.

Quæstio, quam proponit, nimis vaga est: nimirùm quærit, an Presbyter possit inconsulto Episcopo reconciliare eum, quem excommunicavit Episcopus. Ostensum fuit in REGULIS circà Censuras, plures in veteribus Canonibus commemorari Excommunicationum species, sexque Minores fuisse: commonstratum etiam fuit, præter eas fuisse unam Majorem, quæ erat *ferendæ* ab Episcopo, tanquàm Judice, Sententiæ, aut Sententiæ à Lege *latæ*, quæ *ipso facto* incurrebatur. Canones à *Gratiano* laudati innuunt, eum de Excommunicatione Pœnitentiæ annexâ loqui. Lata à Judice Excommunicatio semper ipsi reservata fuit, ejusve Superiori, si provocatum fuisset.

CAUS. XXVII. QUÆST. I. *infrà Can.* 43.

Volens conciliare Canones, qui dicunt Matrimonium à Monachis aut Monialibus contractum, esse ratum, neque dividendos esse Conjugatos, neque admittendam ad Pœnitentiam infracti voti mulierem, nisi mortuo viro, si Matrimonium inter Sæcularem & Monialem contractum fuerit, cum eis, qui significare videntur, ejusmodi Matrimonia esse nulla, per qualificationes adulterii, incestûs, sacrilegii, & concubinatûs: ad hoc propositum adhibet distinctionem Voti solemnis, quæ in nullo vetustiori Autore reperitur, sicut diximus in DIST. XXVII. ubi eadem materia agitatur. Quoad Canones, qui Moniales conjugatas ad Pœnitentiam, donec Maritus defunctus sit, admitti vetant, reluctantem interpretationem adhibet, dicens quòd, si à Marito recesserint, ipse tùm earum respectu mortuus habebitur, tùmque illæ ad Pœnitentiam admitti poterunt. Hoc argumentum discussum fuit in Historiâ Impedimentorum Voti atque Ordinis, seu Traditione circà Matrimonii Sacramentum, ostensumque, non constare, quòd hæc Impedimenta illud diremerint antè Sæculum XII. QUÆST. II. infrà *Canonem* 39. conciliando Canones, qui docent, esse Matrimonium inter Sponsum & Sponsam, cum eis, qui dicunt non esse Matrimonium, priores de Matrimonio initiato intelligit, posteriores de Matrimonio consummato, significatque, Matrimonium initiatum esse dissolubile, illudque solùm, quod consummatum est, esse indissolubile: solumque hoc posterius ratum nuncupat. In quo bis errat; 1. Quòd dissolubile dicat Matrimonium per Sponsalia de præsenti contractum. 2. Quòd rati appellationem ipsi non tribuat.

CAUS. XXVIII. QUÆST. I. *infrà. Can.* 17.

Insinuat divortium Infidelibus interdictum esse, & proindè secundum Matrimonium non valere apud eos, nisi *Lege fori, non Lege poli.* Hæc ab aliis duabus Quæstio dependet; 1. Utrùm certum sit, indissolubilitatem esse Juris Naturalis, quoad omnes Homines? 2. An, posito quòd talis sit, id satis ab Infidelibus cognoscatur, ut astringi possint? Utrumque discussum in *Traditione circà Matrimonium Tom. III.*

QUÆST. II. dicit, Infidelem conversum, Socia in infidelitate perseverante, non teneri ad cohabitandum cum illâ, quamvis illa pacificè cohabitare velit; verùm discedere posse, ita tamen ut, illâ vivente, aliam non superducat, nequidem excepto casu, quo Infidelis propter negatam sibi cohabitationem, ad alias transit nuptias. Secunda pars hujus opinionis nulli Canoni innititur; prior in *Can.* 10. 11. & 12. *ibid.* QUÆST. I. fundatur.

CAUS. XXIX. QUÆST. II.

VAN ESPEN asserit, *Gratianum* erravisse in eo, quòd errorem conditionis proposuit, ut Impedimentum Matrimonii dirimens, atque, propter ejus autoritatem, illud Impedimentum admissum fuisse. Vide ipsum in hanc QUÆST. Ut autem faciliùs & saniùs hac de re judicare possis, adi *Traditionem circà Sacramentum Matrimonii Tom. I.* ubi historia texitur Impedimenti servitutis.

CAUS. XXX. QUÆST. *infrà Can.* 40.

Gratianus ex autoritatibus à se collectis concludit, virum aut mulierem, quæ filium aut privignum de Sacro Fonte susceperit, vel coram Episcopo ad Confirmationem tenuerit, posse invicem cohabitare, nec casum excipit, quo uterque facti particeps est, *Can.* 3. exceptum, nec casum, quo maritus præter necessitatem, uxoris ad id consentientis filium baptisat, exceptum *Can.* 7.

QUÆST. II. Quod docet, Parentes Liberos suos nondùm adultos desponsare non posse absque illorum consensu, pugnat, cùm eo, quod docuit CAUS. XX. Parentes Liberos suos Domino dicare posse in Monasterio sine ipsorum consensu. Ratio Canonesque eadem postulabant Doctrinam in utroque argumento. *Cap.* 1. *de Desponsat. Impub.* ab HORMISDA aut HONORIO I. acceptum, illud de Matrimonio disertè dicit; quemadmodùm nonnulli eorum, quos collegit CAUS. XX. QUÆST. I. illud expresè docent de Statu Monachali. Ratio utriusque potestatis est, quòd, ante pupertatis ætatem, aliam quàm Parentum voluntatem Liberi non habeant. Qua de re fusè in *Tractatu Historico de patria potestate circà filiorum conjugia.*

QUÆST. III. Duos Canones contrarios refert, quos non conciliat, licèt illud facile sit, dicendo, posteriorem anteriori derogavisse. Hic à PASCHALI II. conditus est, fertque, spiritualem filiam filio naturali Patrini sui post compaternitatem nato nubere non posse; ille est URBANI II. qui contrarium statuit: huic URBANO PASCHALIS II. successit.

QUÆST. IV. Eâdem viâ componere potuisset *Can.* 1. à NICOLAO I. desumptum cum *Can.* 4. à *Concilio Tribur.* accito illi posteriore; Prior fert hominem orbum ducere non posse commatrem uxoris suæ defunctæ, si hanc post commaternitatem cognoverit: alter, ducere posse statuit. Perperàm id exequitur *Gratianus*, dicens, posteriorem loqui de casu, quo post commaternitatem cognita non fuit uxor: hæc autem restrictio omni caret fundamento.

QUÆST. V. *Can.* 1. ostensum fuit in *Inquisitione historicâ Doctrinæ Canonum Corporis Juris circà potestatem Parentum in Matrimonium Liberorum suorum impuberum*, pseudo *Evaristum* putavisse, Matrimonium, de quo in hoc textu agitur, ob defectum consensûs Parentum irritum esse: item ostensum fuit, Clausulam, quæ in fine legitur, adjectitiam esse, quoniam præcedentibus repugnat, in quibus supponitur, Conjugatos sine Parentum consensu copulatos fuisse. *Can.* 9. quod *Gratianus* ait infrà hunc *Can.* Matrimonia Clandestina, id est omissis solemnitatibus requisitis inita, rata esse, sed deficiente probatione pro infectis haberi, restringendum est ad Matrimonia, sine solemnitate, benedicta. Ostensum fuit in *Historiâ Benedictionis Nuptialis*, credibile esse eam velut substantialem in Matrimonii Sacramento semper spectatam fuisse.

CAUS. XXXI. QUÆST. I. *infrà Can.* 3.

Gratianus, relatum verbum S. LEONIS, qui dicit, neminem eam ducere posse, quam priùs adulterio polluit, conciliare volens cum Canonibus, qui docent, adulterium Matrimonii Impedimentum non esse, nisi accedat promissio conjugii cum adulterâ post mortem ejus, qui adulterio læditur, aut machinatio in mortem

mortem ipsius: dicit, alterutram harum conditionum subintelligendam esse in Canonibus prioris generis, quod falsum est: initio enim etiam solum adulterium erat Impedimentum; posteà requisitum fuit, ut harum conditionum alterutra accederet. Id probatum fuit in historiâ hujus Impedimenti in *Traditione Ecclesiæ circà Matrimonii Sacramentum.*

QUÆST. III. *in fine.* discutiens, an puella cogenda sit nubere viro, cui assensum non præbet, relatisque Canonibus quatuor, concludit nullam nisi liberâ voluntate alicui esse copulandam, nec exponit quænam coactio vel metus necessariæ libertati officiat.

CAUS. XXXII. QUÆST. VII. *infrà Can.* 16.

Duas restrictiones erroneas apponit Canonibus, qui vetant, eum, qui suam uxorem, ob ejus fornicationem, dimisit, aliam superducere: *Prima*, quòd intelligendi sunt de iis, quorum continentiam carnalis infirmitas non impedit, *Secunda*, de his, qui præstantes causam dissidii, aliorum conjunctione se præstiterint indignos. Harum restrictionum falsitas probata est in historiâ seu *Traditione indissolubilitatis Matrimonii consummati*, in quâ laudatur ipsius *Gratiani* testimonium, qui, non obstantibus his restrictionibus, infrà *Can.* 26. concludit, sequi ex collectis autoritatibus, eum, qui uxorem ob fornicationem dimisit, aliam ducere non posse ante obitum ipsius, *manet enim inter eos quoddam vinculum conjugale, quod nec ipsa separatione dissolvitur.* Eamdem veritatem supponit sub finem disputationis *infrà Can.* 18. *sed quia nullâ autoritate permittitur, ut uxore vivente, alia superducatur.*

CAUSA XXXIII. QUÆST. I. *in fine.*

GRATIANUS, relato Canone, quem S. GREGORIO tribuit, qui fert quòd, si vir ab uxore separatus propter frigiditatem naturalem, aliam deinceps ducat, quâcum misceatur; cogendus est ad priorem redire; & alio ab HINCMARO desumpto, qui docet, maritum à conjuge, ob impossibilitatem ex maleficiis provenientem separatum, etiamsi cum aliâ, quam deinceps duxerit, concumbere possit, priori non esse restituendum, *Gratianus*, inquam, eos componere non valens, fatetur tantùm eos esse contrarios; in quo decipitur: impossibilitas enim ex maleficiis orta relativa est, & nihilominùs vera: impossibilitas autem, de quâ loquitur S. GREGORIUS, naturalis est atque absoluta; undè, si vir, propter hanc ab uxore separatus, alteri misceatur, apparet eam fictitiam esse; certumque est Ecclesiam in Judicio suo fuisse deceptam. Itaque, cùm Matrimonium prius semper viguerit, posterius irritum est. Hæc autem locum non habent in impossibilitate relativâ, quæ cum aliâ muliere cessare potest.

QUÆST. II. *initio.* Restringendum est ad separationem ex causâ Frigiditatis aliove Impedimento nuptias præcedente, judicio Ecclesiæ factam, quod dicitur à *Gratiano*; scilicet, mulierem, post separationem, nubere posse, quoniam *sibi mortuus est vir ejus, à cujus lege, Ecclesiæ judicio soluta est:* aliàs crassiùs erravisset, si putavisset, mulierem à viro, propter adulterium Ecclesiæ Judicio separatam, Secundi Matrimonii liberam facultatem acquirere; sic enim aut agnosceretur Ecclesiam posse rescindere Matrimonium propter adulterium subsequens, aut declararetur, CHRISTUM voluisse illud ob adulterii crimen dissolvi: itaque *Gratiano* ascribenda foret opinio, quòd Matrimonium consummatum indissolubile non sit, sed dissolvi queat, non quidem merâ mulieris dimissione à marito, sed per Ecclesiæ Judicium, quæ probato adulterio separationem pronunciat: credendum esset, omnia, quæ superiùs dixit, circà indissolubilitatem Matrimonii consummati, etiam interveniente adulterio, non spectare nisi casus, in quibus vir autoritate privatâ uxorem dimittit, & juxtà *Gratianum*, esse Causas separationis, quæ subsequantur, sicut sunt, quæ præcedant; hæ vinculi nuptialis colligationem impedire; illas illud jam colligatum dissolvere; proindèque, secuto Ecclesiæ judicio, in neutro casu vinculi Matrimonii vestigium remanere. Verùm, ut *Gratiano* tales imputari possint errores, alia requiruntur momenta, quàm quæ suppeditat locus laudatus; Quod enim ibi dicitur, relativum est ad primam quæstionem, quæ est de separatione propter causam Matrimonio anteriorem, nec aliud continet: Quapropter viderint ii, qui hos *Gratiano* imputant errores, atque alios, quàm laudatum, locos in suum patrocinium quærant; ex eorum numero est VAN-ESPEN.

QUÆST. III. quæ continet Tractatum *de Pœnit.* in DIST. VIII. divisum.

DISTINCT. 1. *sub finem.* GRATIANUS, post relatas plurimas autoritates in utramque partem, circà necessitatem Confessionis, ad justificationem, electionis facultatem Lectoris judicio dimittit, adjiciens, *utraque enim Fautores habet sapientes ac Religiosos viros*, nec attendit eas, quæ dicunt, Contritionem justificare, non sic loqui, nisi quia Contritio votum exequendi omnia Præcepta Divina continet, in quibus comprehenditur Præceptum Confessionis.

DIST. III. *in fine.* Perperàm exponit hæc S. AMBROSII verba, *pœnitentia semel susceptа nec verè celebratа, & fructum prioris aufert, & usum sequentis amittit*: ea intelligens de Solemni, quam sine causâ distinguit à Publicâ, cujusque usum ad quasdam Ecclesias restringit, *apud quas Pœnitentiæ solemnitas non iteratur.* Hic locus multis Theologis ac Canonistis occasionem præbuit, dividendi Pœnitentiam in *Solemnem* & *Publicam*, per priorem intelligentibus eam, quæ perficitur transeundo per *quatuor* Gradus solemnes & non iteratur; per posteriorem, eam, quæ fit palàm sine distinctione Graduum, potestque iterari: in quo decepti sunt illi cum *Gratiano*, si putaverunt, ut ille, Pœnitentiam, quæ Gradus habebat, Ecclesiis quibusdam peculiarem fuisse, nec non ejus iterandæ prohibitionem.

QUÆST. IV. *infrà Can.* 11. Pluribus relatis Canonibus, qui vetant celebrari Matrimonia certis Jejunii temporibus, eos intelligit de usu, à quo Conjugati abstinere debent in illis diebus ex mutuo consensu, sicut in tempore Orationi vel Festis dicato, & sic ex communi intellectu recedit, in quo accipiuntur de celebratione.

CAUS. XXXIV. QUÆST. I. & II. *Can.* 4.

Ad conciliandum hunc Canonem, qui insinuat, mulierem, quæ virum in alias Regiones sine spe reditûs migrantem sequi nequit, alii viro nubere, cum Canonibus præcedentibus, qui declarant illud licitum non esse, etiamsi maritus captivus sit, observare debuisset, eam consuetudinem, licèt malam, toleratam tamen fuisse, quoniam Leges Civiles eam invexerant, & fovebant, concessâ impunitate.

CAUS. XXXV. QUÆST. II. III.

Plures hic errores circà factum, à spuriis Decretalibus descendentes, qui præbuerunt occasionem putandi, quòd, in Sæculis fraudi anterioribus, Consanguinitatis atque Affinitatis Impedimenta, usque ad *septimum Gradum* extenderentur, & Canones, qui contrarium docent, dispensationes contineant.

CAUS. XXXVI. QUÆST. II. *infrà Can.* 7. & *Can.* 11.

Gratianus insinuat, Impedimentum Raptûs perpetuum non esse, sed Raptorem, peractâ pœnitentiâ crimini suo debitâ, Raptam ducere posse, si Pater hujus consentiat; quod repugnat

Can. 11. Legibusque Imperialibus, quarum executionem jubet hic Canon, quæ Raptorem Matrimonii cum Raptâ incapacem declarant, quamvis assensum præbeant Parentes.

DIST. *de Consecrat.*

Gratianus semel tantùm loquitur, infrà scilicet, *Canon.* 50. atque solùm, ut remittat ad *Primam Partem* Tractatûs *de Ordinandis*. Aliud itaque non reperitur errorum genus, nisi quòd in DIST. I. multas refert spurias *Decretales*, quæ plura continent à Disciplinâ priorum Sæculorum abhorrentia; quippe quæ instituta non fuerint, nisi multò post vide VAN ESPEN in hanc DIST.

Difficile non fuisset annotare in DECRETO *Gratiani* alios errores, aut menda insignia ad errorem accedentia, vel inducentia. Intrà præcipuos consistendum esse duximus, majoremque enumerationem nimis dilaturam fuisse institutam hujus cum posterioribus Collectionibus collationem: hæc enim prolixitas inevitabilis fuisset, quoniam menda similia in Collectionibus posterioribus occurrentia pariter observanda fuissent; nam, licèt eorum numerus longè minor sit, ita tamen exiguus non est, quin multùm ex eo turgesceret hic Tractatus, non mediocriter ob cætera Collectionis Capita diffusus.

ARTICULUS III.

Errores seu menda in Collectionibus GRATIANO *posterioribus occurrentia.*

EX iis mendis plura ex GRATIANI *Decreto* trahunt originem, observanturque à VAN-ESPEN in suo in hoc Opus Commentario. Tales sunt præ cæteris Errores, qui spectant autoritatem Ecclesiæ in Principes, circà res temporales, qui annotati sunt in REGULIS Canonicis circà PRINCIPES. Indè nascuntur usurpationes Jurisdictionis Sæcularis circà Contractus, Judicia, Immunitates Ecclesiasticas, potestatem condendi Leges de Bonis temporalibus, quæ Ecclesiæ, exclusis ab eâ Principibus, tributa fuit. Indè nascitur prætensa potestas eos deponendi, Regnis aut Provinciis suis eos spoliandi, eas aliis distribuendi, Subditos eorum à Sacramento Fidelitatis absolvendi, Hæreticorum bona Fisco addicendi. Omnia hæc prætensa jura exposita sunt in REGULIS circà hæc argumenta.

Tales sunt 2. errores circà independentiam Pontificum in Rebus Spiritualibus & plenitudinem potestatis eorum in iisdem rebus; undè nascuntur Reservationes arbitrariæ Absolutionum, & Dispensationum circà Matrimonia & Irregularitatem; Reservationes Beneficiorum; facultas de iis ad libitum & opportunitatem suam disponendi; ea erigendi; uniendi; dividendi; eorum Fructus distribuendi; Decimas, aliave Parrochialia Jura Monachis concedendi in Curatorum præjudicium: Indè nascitur Sententia, Pontificem Humano nullius Judicio subjectum esse; eum cæterorum Prælatorum esse Judicem: indè Evocationes Causarum; Appellationes Judiciales, atque extrajudiciales ad ejus Tribunal, *omisso medio*, in omni negotio Ecclesiastico, & in quocumque ipsius statu: Indè orta sunt Privilegia, Immunitates ab aliâ, quàm à Pontificiâ Jurisdictione, & prærogativæ non paucæ fusiùs expositæ in REGULIS *circà Prælatos Ecclesiasticos*, eorumque Jurisdictionem, tùm generatim, tùm speciatim consideratam.

Hoc duplex Errorum genus aliter in DECRETO *Gratiani*, aliter in Collectionibus subsequentibus continetur: in his enim explicati sunt, & in consequentias distributi: In illo, sunt tantùm velut in semine & in principio. Iis erroribus adjici possunt illi, qui Matrimonium spectant, quorum plerique nati sunt ex DECRETO.

Errores aliundè prodeuntes pauciores sunt; quamvis utrique annotati sint in locis, ubi de affinibus argumentis agitur; eorum tamen exempla quædam hîc afferre necessarium est, sicut executi sumus, quoad errores *Decreti*, qui in locis iisdem aut similibus annotati fuêre. Collectionum ordinem tùm inter se, tùm quoad earum Partes sequimur.

§. 1.

Decretales GREGORII II. *tit. de Constit.*

Primus error occurrit in *cap.* 7. *&* 10. *de Constit.* ab INNOCENTIO III. desumptis, qui, supponens, Principes nullatenùs posse Leges condere circà bona Ecclesiastica immobilia, Prædia scilicet, Domos, Templa, Cæmeteria, Monasteria, aliave temporalia, quæ ad Ecclesiam pertinent, declarat Leges Principum in res ejusmodi, nisi rogante Ecclesiâ factæ sint, ejusve assensu roborentur, non valere, quamvis in Ecclesiæ commodum vergant. Quasi verò Principes confirmando Donationes Ecclesiæ factas, suam in hæc bona autoritatem abdicaverint, aut patiendo illa in Manum Mortuam cadere, ad utilitatem Religionis, quam profitentur, Legum ad eorum conservationem condendarum curam, nisi expresè rogarentur, abjecissent, non verò ad eam ultrò se astrinxissent.

TIT. *de Elect.*

Quod insinuat idem Pontifex *cap.* 4. & 20. *de Electione*, verius non videtur. Scilicet Pontificem non subjacere Legibus Conciliorum Generalium, quæ non aliam habent autoritatem, quàm eam, quam à Pontifice mutuantur, à quo coacta, & coràm quo, vel ejus Legatis, habita sunt, Successorem cùm eamdem habeat autoritatem, quàm habuit Decessor, ejus Constitutionibus non nisi prout libuerit astringi: quod convenit cum eo, quod dicit, se, *secundùm plenitudinem potestatis de jure posse suprà Jus dispensare. Can.* 4. *de conc. Præb.* non exceptis casibus in quibus ratio juris adversatur dispensationi Talis autem erat is, de quo agebatur, scilicet. Casus promissionis aut Collationis Præbendarum ante earum vacationem, in tempus, quo vacaturæ essent, hæ autem promissiones Collationes-ve perniciosissimæ sunt, propter annexum sæpiùs alienæ mortis votum.

Non pauci sunt Eruditi, aliàsque in Sedis Apostolicæ gloriam propensi, quibus hæc loca displiceant, propter malas consequentias, quæ inde possint deduci, v. g. quòd Pontifices à Canonibus etiam Conciliorum Generalium indepedentes se dicant, quod atrocissimos effectus parere potest, maximè ex potestate eorum, qui alio Spiritu aguntur, quàm PETRUS ab omni cupiditate dominationis alienissimus. Principium horum Textuum est in *Cap.* 4. *de Elect.* in quo PASCHALIS I. aut II. certissimum esse contendit, *Romanæ Ecclesiæ Legem Concilia ulla non præfixisse, cùm omnia Concilia per Romani Pontificis autoritatem, & facta sint, & robur acceperint, & in eorum Statutis Romani Pontificis patenter excipiatur autoritas.* Horum autem factorum adhuc desideratur probatio; aliundè verò, quamvis de his constaret; Pontifices semper subditi sunt rationi Canonis ipsis Conditoribus superiori, quod expositum est in multis hujus Operis locis.

Idem fit judicium de *Cap.* 34. ab eodem INNOCENTIO condito, in eo, quòd dicit, Electores Imperiales à Pontifice Jus eligendi Imperatorem accepisse; Sedem Apostolicam Imperium à Græcis ad Gallos transtulisse; ad ipsam pertinere Electum examinare, approbare, consecrare & coronare, si est dignus, vel rejicere si est indignus, ut, quia Sacrilegus, Excommunicatus, Tyrannus, Fatuus, Hæreticus, Paganus, Perjurus, vel Ecclesiæ Persecutor. Hæ prætentiones ambitionis suspicionem inducunt, possuntque Imperium turbare, Civilesque discordias gignere.

De

De Translat. & Renuntiat.

Nec magis placet *Cap.* 2. *de translat.* Idem Pontifex in eo significat, Apostolicam Sedem posse dissolvere Matrimonium consummatum, quia dissolvendi facultatem habet conjugii spiritualis Episcopi cum Ecclesiâ suâ; difficilius autem est res spiritualis destruere, quàm res temporales: idque proponit velut unam ex differentiis inter utrasque res intercedentibus. Asserit approbationem demissionis Episcoporum, translationis & depositionis eorum Sedi Apostolicæ divinâ institutione reservatam esse, eamque ideò posse vinculum, quo Episcopus Ecclesiæ suæ adhæret, dissolvere, quia Pontifex est CHRISTI Vicarius. Quasi verò Episcopi hujus dignitatis non sint quoque participes. Indè orti sunt omnes Textus ejusdem *Tituli*, qui Translationes ab aliis confirmatas irritant, & *Cap.* 3. 4. *de Officio Legati*, quæ rescindunt Translationes ab ipsis Sedis Apostolicæ Legatis, sine speciali licentiâ factas, ideò quòd hæc approbatio, seu autorisatio, sit Privilegium speciale & singulare Successorum PETRI, quo nemo frui potest, nisi specialis concessionis à Pontifice factæ beneficio. Indè nati sunt omnes Textus, qui supponunt, nullum Episcopum sine licentiâ Pontificiâ renunciare posse, cujusmodi plures occurrunt TIT. *de Renunt.* TIT. *de Regular. Caput* 18. non minùs est expressum. Textus illi collecti sunt in REGULIS *circà Causas Majores.* Eodem TIT. *de Renunt. Cap.* 11. INNOCENTIUS attribuit *Primo* Concilio Constantinopolitano *Canonem* à Concilio sub PHOTIO habito conditum, idque patet ex eo, quòd Concilium illud dicat, esse unum ex Quatuor Principalibus, quæ sicut *Quatuor Evangelia* Ecclesia Catholica veneratur.

Tit. de suppl. negligentiâ.

Caput 1. *de suppl. negl.* suppeditat exemplum dispensationis perpetuæ ab uno Canone Concilii Generalis NICÆNI II. absque necessitate concessæ. Statuit illud, ut, si Episcopus Diœcesanus tertiò cum humilitate requisitus, Abbatem benedicere renuerit, eidem Abbati liceat proprios Monachos benedicere, & proindè Ordines Minores conferre, quod Abbatibus non benedictis à Concilio interdicitur. Hanc autem sine necessitate indultam fuisse dispensationem apparet ex eo, quòd hoc casu benedicendi jus ad Metropolitanum devolvebatur, aut ei remitti poterat, eoque deficiente, ad vetustiorem Suffraganeum Provinciæ. Potuisset etiam Pontifex Abbati rejecto permittere, ut Benedictionem ab alio quovis Episcopo Catholico acciperet, ut cautum fuit in casu, quo Diœcesanus neque ordinare, aut benedicere Abbates, neque S. Chrisma Monachis impertiri vult nisi simoniacè. Præterea, Concilium Generale censuit, hanc Benedictionem tam necessariam esse Abbatibus, ut Ordines Minores conferre possint, quàm ipsum Presbyteratum: siquidem eam facultatem nonnisi sub his duabus conditionibus concedit. Denique, quotiescumque Jus negligentiam Prælatorum supplere jubet, toties certum constituit tempus, quo elapso Superior Prælati negligentis, tenetur ejus defectum supplere, rem omissam ab Inferiore perficiendo. Hic Textus ab ALEXANDRO III. desumptus est.

De Tempor. Ordinat. Scrutinio in Ord. faciendo Ordinat. ab Episcopo, qui &c.

Cap. 15. *de Temporibus Ordin.* continet principium, quod Episcopos ad conditionem Delegatorum, quoad dispensationem, redigit; scilicet, quòd dispensare non valeant, nisi in casibus à Jure nominatim expressis. Ab INNOCENTIO III. desumptum est hoc *Cap.* licèt tribuatur HONORIO. Ejus autem principii falsitas ejusque perniciosæ consequentiæ demonstratæ sunt in REGULIS *circà Dispensationes.*

TIT. *de Scrutinio in Ordine faciendo*, Scrutinii formam pollicetur: unicus autem ejus Tituli Canon nihil de eo dicit.

Cap. 1. *de Ordin. ab Episcopo, qui &c.* supponitur, licere Episcopo Ordini Epscopali authoritate privatâ renunciare ejusque exercitium sibi interdicere, ita, ut, si posteà Sacros Ordines conferat personis hujus interdictionis spontaneæ consciis, eæ non accipiant Ordinis executionem, nec excipiuntur casus, quibus id fieret, aut consentiente alio Episcopo, aut requirentibus Abbatibus, qui Subditos suos à quovis Episcopo Catholico, qui sibi placuerit, ordinari curare possunt. Difficile est detegere justam hujus suppositionis causam, quæ etiam fit in *cap.* 11. *de Renunt.* nam alia esse nequit, quàm crimen, quo quis Episcopalis Dignitatis exercitio se indignum fecit, eoque casu, vel crimen est occultum, & tunc renunciatio hujusmodi spontè facta, scandali periculo objicit; vel publicum, & tunc depositioni locus est.

De hâc Difficultate, ne verbum quidem apud Interpretes.

Tit. de ætat. & qualit. Ordin.

GREGORIUS IX. adjicere debuisset *Cap.* 1. *de ætat. &c.* certum tempus Definitioni Concilii *Pictaviensis*, quæ Beneficii privationem sancit. Hoc enim omisso pœnam ferre inutile est; nam, ut incurratur pœna ratione neglectæ receptionis Ordinum, oportet, ut is, qui negligens dicitur, sciat intrà quod tempus eos recipere teneatur, vel certus statuatur Monitionum numerus, quibus peractis, negligentia per amissionem Beneficii coërcebitur; neque enim, quoad pœnam, quis negligens censetur, nisi post elapsum sine actione tempus à jure præstitutum, aut contemptas monitiones. Hæc temporis, intrà quod fieri debeat promotio ad Ordines requisitos, definitio, hîc eò magis erat necessaria, quòd nondùm in Jure satis lucidè facta erat, vide GONZAL. *in Cap.* 7. *de Elect.* §. 2. *n.* 5.

Ætas Annorum XIV. non videtur sufficere ad regimen Ecclesiarum. Tamen *Cap.* 3. *de ætate & qual. Præficiend.* majorem non requirit, neque ullam restrictionem continet. Itaque hîc esset laxamentum, posito, quòd illud ad alias Ecclesias extenderetur, quàm Capellas separatas, seorsimque subsistentes.

Cap. 5. *& Cap.* 9. multis eruditione, pietateque conspicuis viris displicent. *Cap.* 5. permittit regimen Ecclesiæ Parœcialis, Clericis etiam in Minoribus duntaxat Ordinibus constitutis, saltem dispensativè concedi: *Cap.* 9. absolutam dat facultatem eligendi Subdiaconum in Episcopum. Ideò autem hæc displicent, quòd hæc Promotio cogat, ut omittantur interstitia, quoad Ordines Superiores, quibus carent Clerici Minores ad Presbyteratum evehendi, & Subdiaconi in Episcopos consecrandi. Electus enim in Episcopum tenetur intrà tres Menses, à Confirmatione numerandos, consecrari: is verò, cui Parœcialis Ecclesia data est, Presbyteratum intrà annum accipere debet. Harum Dispensationum permissione Casus urgentis necessitatis aut utilitatis, quorum ratione tantùm licitæ sunt Dispensationes, conversi sunt in Jus commune, abrogatique antiqui Canones, qui ejusmodi Promotiones interdicebant, quoniam illæ non fiunt, nisi ad accelerandam receptionem Ordinum Superiorum, quam Probatio sufficiens in Ordinibus Inferioribus præcedere debebat. DIST. LXXVII.

Tit. de Filiis Presbyt.

Cap. ult. de Filiis Presbyt. supponit GREGORIUS IX. Dispensationem defectûs Natalium Promotioni ad Dignitates, Personatûs, Parochias, obstantis, reservatam fuisse Pontifici; cujus tamen, nulla apparet probatio, quæ præcedat. Significat, ejusmodi Provisiones Dispensatione munitas, Ecclesiæ, in quâ factæ fuissent, honestatem deformaturas non fuisse.

TIT.

TIT. de servis non ordinandis.

Cap. 7. de servis non ordinandis, desumptum est ex *Decretali* INNOCENTIO III. falsò adscriptâ, quæ non reperitur in antiquis Collectionibus, unde suppleri non potuit id, quod in eâ resectum fuit à *Raymundo de Pennaforti*, quamvis necessarium esset, quia imperfectum est initium. Falsitas probata fuit ubi de confirmatione Collectionis I. Eandem probationem refert quoque GONZALES *in hunc Textum.*

De Bigamis non ordinandis.

LUCIUS III. *Cap. 2. hîc*, & INNOCENTIUS III. *Cap. 7. ibid.* docent, dispensationem Irregularitatis Bigamiæ licitam non esse; quoniam hæc Irregularitas ab Apostolis instituta fuit: circà eam tamen dispensaverunt Pontifices posteriores, illudque Jus Sedi suæ reservaverunt, quasi soli essent Apostolorum Successores.

De Clericis peregrinis.

Cap. 1. ALEXANDER III. jubet Clericos Ultramarinos, Ordinationis suæ fidem per Quinque Episcoporum sigilla facere, priusquàm ad exercitium Ordinis sui admittantur. Hæc cautio non esset sufficiens, nisi testimonium illud tale sit, ut pro legitimo haberi possit in Ecclesiis, in quibus admitti petunt ejusmodi Clerici.

Cap. 4. ibid. insinuat Episcopum autoritate Apostolicâ indigere, ut Clericos Peregrinos, sine suo consensu in suâ Diœcesi institutos, destituere possit; HONORIUS III. enim *Reghinensi* Episcopo scribens de hac re, illud ipsi Apostolicâ autoritate indulget. GONZALES *in hunc Textum*, ait, in universo orbe Christiano receptum esse, ut soli indigenæ ad Beneficia admittantur, Legesque circà id expressas ubique reperiri, vel antiquam Consuetudinem. Itaque Sedis Apostolicæ indulgentia necessaria non est ad ejectionem peregrinorum sine consensu Diœcesani institutorum.

De Offic. Archid. de Offic. Archipresb.

Ex ordine horum *Titulorum* patet, GREGORIUM approbavisse subordinationem Archipresbyteri Archidiacono. Hoc etiam cernitur in *Cap. 7.* prioris, & *Cap. 2.* posterioris *Tituli*, in quibus superioritas Archidiacono tribuitur. Porrò, indecora videtur hæc subordinatio, nec refert, quòd Archidiaconus sit Episcopi Vicarius; nam 1. hic Vicariatus parùm latè patet, aliundè Archipresbyter vices Episcopi gerit in rebus non minoris momenti. Hæ observationes probantur in REGULIS *circà has Dignitates.*

De Offic. & Pot. Judicis delegat.

§. 3. Cap. 38. ab INNOCENTIO III. conditi definit, Ordinarium debere exequi Sententiam Judicis Delegati, quamvis eam injustam esse sciat, & consequenter eum teneri exequi sibi notam iniquitatem sicque fieri participem culpæ Delegati.. Itaque, ut purgetur hæc decisio, excipiendus est casus *iniquitatis manifestæ, vel pro tali ab executore habitæ.*

De Offic. Judicis Ordin.

Caput 1. tribuit Episcopis *liberam potestatem adulteria & scelera inquirere, ulcisci, & judicare, secundùm quod Canones censent, absque impedimento alicujus.* Hujus facultatis exercitium velut Inquisitionis species spectaretur, nec à Principibus toleraretur, sed haberetur pro usurpatione autoritatis Sæcularis, idoneâ ad Familiarum pacem & publicam tranquillitatem perturbandas.

Distinctio duarum Legum, Jurisdictionalis, scilicet, & Diœcesanæ, de quâ loquuntur *in Cap. 16.* à GRATIANO introducta ac propter ejus autoritatem à Sede Apostolicâ recepta fuit, ut notat VAN ESPEN. Ea infrà exponetur.

De Majorit. & Obed.

Insinuatur in *Cap. 5.* Episcopos Pontifici potiùs quàm Principi suo obsequi debere, nec restringitur hæc Doctrina ad Res Spirituales. Malè autem illud concluditur, ex eo, quòd nobiliores sint Temporalibus Res Spirituales. Spiritualis enim Potestas Temporali subjicitur in Rebus Temporalibus, quemadmodùm hæc illi vice versâ in Spiritualibus. *Cap.* est INNOCENTII III. Idem *Cap. 6.* probare intendens, Pontificem Imperatori cæterisque Principibus esse Superiorem, loca *Scripturæ* laudat hoc non probantia. Talis est JEREMIÆ locus, *Ecce te constitui super Gentes & Regna, ut evellas & dissipes, ædifices & plantes.* Quod à Propheta nonnisi prædicendo agendum erat, nullamque relationem ad Pontificem habet. Talis est locus GENESEOS, *Deus fecit duo Luminaria magna, majus ut præesset diei*, sive Solem aut Pontificem, *minus, ut præesset nocti*, sive Lunam aut Imperatorem. Talis est locus Evangelii, *Quodcumque ligaveris &c.* ad PETRUM sine restrictione directus. His pluribusque similibus locis, adjicit sententiam suprà memoratam, spiritualia temporalibus antecellere; undè nihil confici potest, nisi Pontificem Principibus in spiritualibus præesse, sicut Pontifici præeminent Principes ratione temporalium, quæ ab ipsis accepit. Infelices hæ applicationes parùm juvant causam Pontificis adversùs Imperatorem, quæ justa esse poterat, sed malè propugnabatur.

Licèt Pontifex Patriarchis annumeratus sit in Canonibus priorum IX. Sæculorum, se ab illorum consortio eximit INNOCENTIUS III. *Cap.* 8. Gratianum sequutus, Sedemque suam Juris Universi fontem appellat. *Cap. 9.* supponit quædam Monasteria Legi Diœcesanæ subjecta esse; repugnat notioni hujus Legis, quam dant Canonistæ. Ut hoc intelligatur; sciendum est 1. *Cap. 9.* jubere, ut Abbates Lege Diœcesanâ Episcopo subjecti, Synodo Diœcesanæ interfint; 2. hoc nomine contineri omne, quod Episcopus ab Ecclesiis suæ Diœceseos accipit. Lex autem Jurisdictionis vocitatur id omne, quod in iisdem Ecclesiis peragit. Hujus distinctionis ope Canonistæ Jura omnia Episcopalia exponunt, & quoniam Episcopo unum ex ejusmodi Juribus solvitur in Synodo Diœcesana, quod ideò *Synodaticum* vocatur; omnes, qui ad cæteros Census à Diœcesanis debitos obligantur, huic quoque subjiciuntur. Eâdem distinctione dividunt Ecclesias Diœceseos in Immunes seu Liberas ab omnibus Juribus Temporalibus Episcopo debitis & in eas, quæ iis subjiciuntur; illasque designant nomine Locorum Diœcesanæ Legi non subjectorum. Talia sunt juxtà Concilium *Ilerdense* Monasteria omnia Provinciæ Ilerdensis, quod à *Gratiano* productum fuit ad Monasteria cæterarum Provinciarum. Hoc itaque *Caput* continet exceptionem regulæ, quæ Monasteria à Lege Diœcesanâ eximit, ac aliquam confusionem inducere videtur circà prædictam distinctionem. Omnia Jura sub Lege Jurisdictionis comprehensa enumerantur. *Cap. 16. de Offic. Jud. Ord.* utraque Lex fusiùs exponitur in REGULIS *circà Jurisdictionem.*

Lib. 2. de Judiciis Tit. 1.

Reprehenditur ALEXANDER III. quòd agens de Clericorum delictis, Adulteria inter Minora Crimina recenseat *Cap. 4. §. 1.*

Juxtà *Cap. 10.* à COELESTINO III. desumptum, Clericus à Judice Sæculari plectendus non est, nisi post adhibitas, adversus ipsum successivè & frustrà, omnes pœnas Ecclesiasticas, licèt criminum reus sit, quæ publicam turbant quietem: dogma pernicioſissimum.

Cap.

Cap. 15. 17. prohibent omninò à Laïcis ad Judicem Sæcularem trahi Clericos pro defectu Juſtitiæ. *Caput* autem 10. & 11. *de For. Compet.* permittunt recurrere ad Judicem Eccleſiaſticum in caſu denegatæ ſibi à Judice Sæculari juſtitiæ. Hæc inæqualitas æquitati adverſatur. Singuli hi *Textus* ſunt INNOCENTII III.

Cap. 13. INNOCENTIUS III. docet, Pontificem Judicio procedere poſſe in controverſiis inter Principes Supremos natis ratione peccati, maximè perjurii, vel pacis fractæ. Hoc in principium aſſumptum fuit in gratiam Judicis Eccleſiaſtici à Canoniſtis, qui dicunt, eum poſſe, per viam denuntiationis Evangelicæ, ſeu judicialis, procedere contrà quemlibet Peccatorem, etiam Laïcum &c. Vid. ſummam hujus *Capitis*.

De Foro Compet.

Juxta *Caput* 2. nullus Judex Sæcularis nullum Clericum criminoſum, etiam in Minoribus conſtitutum, ſine permiſſu Pontificis damnare, vel coërcere poteſt. Quæ conditio publicæ quieti adverſatur. *Caput* 8. à LUCIO III. conditum Eccleſiæ læſæ concedit, Malefactores ſuos, quamvis Laïci ſint, coram Eccleſiaſtico Judice convenire: Privilegium, quod à ſolo Principe dari valet.

Cap. 9. à COELESTINO III. profectum jubet cauſas pecuniarias Clericorum Jure Canonico decidi, non verò ſecundùm Conſuetudinem aut Legem Loci; hoc falſo nixum Principio, quòd Clerici Legi Sæculari non ſubſunt, ut patet ex parte deciſa.

Cap. 10. quod eſt INNOCENTII III. concedit Laïcis facultatem adeundi Judicis Eccleſiaſtici, in defectu Juſtitiæ Sæcularis, hoc eſt, ſi in Judicio prægravati aut oppreſſi fuerint. Pontifex ſe Vicarium Imperatoris eſſe inſinuat, Imperiali Sede vacante, jusque, habere emendandi Sententias Judicum Sæcularium inferiorum. Prædicta facultas ab eodem tribuitur Viduæ *Cap.* 11. in ſimili caſu, hoc eſt, ſi, per Judicem Sæcularem ſuum, juſtitiam non poſſit obtinere; CUJACIUS *in Cap.* 12. INNOCENTIUM III. errare contendit, cùm dicit, Clericos Privilegio fori renuntiare non poſſe, ejusque rationes confutat.

Laïci Jura Eccleſiaſtica uſurpantes, velut Sacrilegi, per Judicem Eccleſiaſticum compelli debent. *Cap.* 16. quod eſt GREGORII XI. lata janua ad Judicem Sæcularem Jure ſuo ſpoliandum.

Cap. 18. ejusdem GREGORII, Laïci prorogare poſſunt Jurisdictionem ejus, qui ſuus non eſt Judex, ſine conſenſu veri Judicis. Clerici autem illud nequeunt, niſi Diœceſani conſenſus accedat, eoque accedente, poſſunt. Hæc principia falſa ſunt, ut probatum fuit in REGULIS *circà Judicia*.

De Feriis.

GREGORIUS IX. *Cap.* 5. quodlibet opus ſervile Dominicis & Feſtis diebus fieri vetat, omnemque Contractum aut Actum Judiciarium; idque ſtatuit ſine participatione Principum, qui ad hæc ordinanda cum Eccleſiâ concurrere debent.

De Ordine cognit.

Cap. 3. ſi quis hæreditatem petens coram Judice Sæculari repellatur per Exceptionem defectûs Natalium, Judex Eccleſiaſticus hanc Exceptionem diſcutere debet, excluſo Sæculari Judice, quamvis acceſſio ſequatur rem principalem omniſque Exceptio ſit ſemper acceſſoria.

TITULI.

De Causâ Poſſeſ. & propr. de reſtitutione Spoliat. De eo qui mitt. in Poſſ. De ſequeſtr.

PLurimi ſunt *Textus* his in TITULIS, qui Judici Eccleſiaſtico tribuunt id, quod ad Judicem Sæcularem pertinet. Judicium ſcilicet Poſſeſſorium, reſque ipſi affines. *Cap. ult. de Judiciis* illud Judici Sæculari pertinere agnoſcit, etiam in re Beneficiariâ.

De eo, qui mittitur.

Textus, qui jubent Actorem mitti in poſſeſſionem rei petitæ, ſi Reus legitimè conventus & expectatus non comparet, ſolumque ac verum declarari poſſeſſorem, poſito quòd, intrà annum miſſionis, Reus ſe ſtiturum in Judicio, cauſamque defenſurum non caveat, hi, inquam, *Textus* non excipiunt caſum, quo de Beneficiis agitur, undè periculum erat, ne Beneficium addiceretur ei, qui Titulo deſtituebatur, quàpropter abrogati ſunt. *Cap.* 1. *Tit. ejusd. in* 6.

Ut lite pendente nihil innovetur.

Cap. 5. *ab* HONORIO III. conditum, inſinuat, Pontificem Monachis Novalium Privilegium concedere poſſe, lite circà eas pendente, modò in ſupplicatione litis mentio facta fuerit. Hoc fieri nequit, quin adverſarius jure ſuo ſpolietur; hæc autem ſpoliatio iniqua eſt, & contraria Regulæ, *de non tollendo Jure alteri quæſito.*

De Confeſſis.

Cap. 1. Excipiendus eſſet caſus, quo is, qui crimen ſuum confitetur, de eo etiam convictus eſt; hinc enim auditur ejus depoſitio adverſùs ſui ſceleris Conſortes.

Cap. 2. ſignificat, eum, qui incidenter aliquod crimen confitetur, pœnâ ordinariâ plectendum eſſe abſque informatione. Quod falſum videtur. Hunc errorem agnoſcit GONZALES, *ibid. n.* 7. qui, ut Pontificem purget, conjicit, illum inquiſitionem præmiſiſſe condemnationi.

De Probationibus.

Nullus ferè eſt *Textus* in hoc TITULO, qui Probationes generatim ſpectet, quod tamen germanum eſt ejus argumentum, quoniam de ipſis in ſpecie agitur *Titulis* ſequentibus; hic autem agitur de Probatione per Inſtrumenta, *C.* 1. 5. 7. 11. 13. 15. item de Probatione per Teſtes *Cap.* 6. 9. 13. item per Jusjurandum. *C.* 2. 10. 12. item per inſpectionem Corporis. *C.* 4. 14. item per Famam aut communem reputationem. *C.* 10. 12. 13. Denique per Præſumptionem *C.* 10. Diximus: nullum ferè propter *Capita* nempè 3. quod dicit, in æquilibrio Probationum abſolvendum eſſe Reum. 2. quo Actor, qui plenè probavit, à jurandi neceſſitate liberatur: 12. quo probatâ affirmativâ: negativæ probationem admitti prohibetur.

Tit. de Teſtib. cogendis. &c.

Quidam *Textus* Teſtes cogi prohibent ad deponendum in Judicio Criminali, Vid. *Cap.* 10. CUJACIUS *in h. Tit.* hanc exceptionem improbat, eamque menti Legum & Canonum adverſari oſtendit, qui ſignificant coactionem in Judicio Criminali, magis quàm in Civili, neceſſariam eſſe; abhorremus enim vulgò à procurandâ cujuſvis damnatione, aliundè ſi Reus innocens ſit, ipſique denegetur auxilium, eo majus eſt hoc in caſu delictum, quo præjudicium inde Reo illatum gravius eſt. Probatum eſt, in REGULIS *circà Monitoria*, hanc exceptionem non obtinere, & quare.

De Fide Inſtrum.

Cap. 10. Probationem Teſtimonialem admittit adverſùs tenorem Inſtrumenti à Notariis redacti, & pro legitimo à Partibus habiti, quod perniciosis conſequentiis obnoxium eſt.

Cap.

Cap. 12. insinuat, Judicem cogere non posse Reum, ut Instrumenta sua Actori edat, nisi communia sint; quod falsum est, ubi Actor Juri Communi nititur, Reus verò Juri privato: Privilegio, v. g. Donationi, Provisioni Beneficii, alterive Instrumento, quod petitionem labefactet. vid. GONZALEZ in *Cap.* 1. *de prob. n.* 14. *&* 16. eumdemque in *Cap.* 5. *de Fide Instrum. n.* 3. ubi laudat *Cap.* 6. *de Privileg. in* 6. quod hanc exceptionem probat.

De Jurejurando.

Hìc quædam proponuntur regulæ falsæ circà Jusjurandum, ut probatum fuit in expositione Decalogi à Corpore Juris desumptâ. Talis est v. g. quòd Juramentum accedens contractui Jure Civili irrito valeat & liget.

Cap. 4. quod non spectat, nisi ad Episcopos Pontificis Vasallos, malè extensum fuit ad cæteros Episcopos, omnesque Abbates.

Plerique Textus Jurijurando, quatenùs probatorio, non congruunt.

De Præscription.

Privilegium, quod hìc Romanæ Sedi tribuitur *Cap.* 13. ut, non nisi Centenaria Præscriptio ipsi possit opponi, nititur in Lege revocatâ, ut probat VAN ESPEN *in* CAUS. XVI. Quod dicitur *Capp.* 11. *&* 16. de impræscribilitate Juris Procurationis Legatis cæterisve Prælatis, qui visitant, debiti, non est in usu, eamque justam non esse judicatum est. TIT. *de Sent. & re Judic.*

Cap. 3. Romanis prætensionibus adversatur; ibi enim S. GREGORIUS dicit, Judicium Episcoporum ad Concilium Provinciale pertinere, seu ad Concordem Sacerdotum Sententiam, quod adversatur Doctrinæ INNOCENTII III. in *Cap.* 2. *de Translat.*

De Appellation.

Quidquid hic dicitur de Appellationibus *omisso medio* tàm Judicialibus quàm Extrajudicialibus, de Evocationibus, de necessitate Romam petendi, ad persequendas lites illuc delatas, quamvis Regiones undè delatæ sunt, ab ea valdè dissitæ sint, Jurisdictionum ordinem evertit Partibusque maximum gravamen parit.

De Confirmat. utili.

Cap. 5. 6. Beneficiis Regularibus opposita, Consuetudinem à Pontificibus posteà confirmatam damnant.

LIB. III. De cohabit. Cleric. & mulier.

Quod dicit *Cap.* 7. de obligatione non accipiendi Sacramenta à Ministris notoriè Concubinariis, eorumque Missam non audiendi periculosum est: quia facilè circà notorietatem facti decipimus; & Prælatis contumeliosum, qui tales Ministros tolerare supponuntur.

De Clericis Conjug.

Textus, qui Clericos in Minoribus Ordinibus constitutos, Beneficiis etiam simplicibus, quæ possidebant, privat, si uxorem ducant, injusti videntur, posito quòd non tollatur ab eis obligatio Vestem Clericalem & Tonsuram ferendi, suosque Ordines exercendi: cùm enim hujus obligationis executio, Ecclesiasticum faciat, tribuit pariter Jus fruendi Ecclesiæ reditibus.

De Præbend.

In singulis Collectionibus *Gratiani* Collectioni posterioribus multi sunt Textus corruptelæ Mandatorum Apostolicorum faventes, quorum forma legitur. *Cap.* 36. *de Rescript.*

Cap. 28. damnat pluralitatem Beneficiorum, ejusque dispensationem nihilominùs Apostolicæ Sedi reservat, quod minuit effectum, quem imprimere poterat hæc prohibitio.

Tit. 13. *usque ad* 30.

Hi *Tituli*, qui Bonorum Temporalium, sive Sæcularium, sive Ecclesiasticorum Acquisitionem, Administrationem atque Alienationem spectant, multos continent *Textus*, qui restringi debent ad loca dominationis Pontificiæ subjecta temporali: aliàs autoritate carent; quoniam eorum Textuum Dispositiones è Principum potestate pendent. Idem sit Judicium de *Textibus* circà Immunitates Personarum, Bonorum & Locorum Ecclesiasticorum, quæ non nisi à Principis beneficio proficisci possunt.

Tit. de Convers. Infidel.

Caput. 2. prout in *secunda Collectione* veterum refertur, supponit hæc S. PAULI verba, *si Infidelis discedit, discedat.* 1. CORINTH. VII. de eo, qui post Matrimonium contractum in infidelitatem labitur, intelligi, eumdemque sensum hujus dicti, quod falsò S. GREGORIO adscribit, *Contumelia Creatoris solvit Matrimonium*; atque ex his duobus falsis principiis concludit, mulierem Christianam à viro suo in infidelitatem lapso, post Matrimonium consummatum discedentem, alii nubere posse, filiosque ex ejusmodi conjunctione natos esse legitimos. *Caput* hoc à CÆLESTINO III. conditum est. GONZALEZ hìc hunc Pontificem excusat, dicendo, eum scripsisse tùm, cùm adhuc putare liceret Matrimonium etiam consummatum, per lapsum alterutrius Conjugis in hæresim dissolvi; hancque opinionem usque ad INNOCENTIUM III. obtinuisse, qui disertè definivit hæresim, post Matrimonium supervenientem, illud non dissolvere. *Cap.* 14. *de conver. Conjug.* Non attendit *Gonzalez*, CÆLESTINUM III. loqui de Matrimonio consummato; INNOCENTIUM verò de Matrimonio nondùm consummato.

De Desponsat. Impub. Lib. 4.

CLEMENS III. *Cap.* 13. sibi facultatem tribuit Matrimonii dirimendi, quod adversùs interdictum suum, antè litis decisionem, circà præcedentem obligationem motæ, contrahetur. *Quod si contra interdictum nostrum, in præjudicium ipsius aliquod fuerit attentatum, illud irritum esse decernimus, & viribus omninò carere.* Quod singulare, cùm Impedimenta dirimentia sint à Lege non ab Homine ac propter utilitatem totius Corporis statuta.

De Sponsâ duorum.

ALEXANDER III. *Cap.* 4. Matrimonium in simili Casu dirimere permittit. *Si in tali Casu duxerint appellandum, eis in Ecclesiâ publicè debes interdicere arctiùs, ne ante decisionem causæ aliud contrahant Matrimonium, & si contra interdictum Ecclesiæ ita publicè factum venire præsumpserint, Matrimonium tam præsumptuosè contractum poteris irritare.* Quæ facultas bono publico advertur, necnon *c.* 18. *de Sponsal.*

Idem Pontifex *Cap.* 3. *ibid.* agnoscit quosdam ex suis Decessoribus putavisse, Matrimonio consummato subsequenti, Matrimonium præcedens non consummatum solvi; contrario enim definito adjicit, *quamvis aliter à quibusdam Prædecessoribus nostris sit aliquandò judicatum.*

De Conjug. Lepros.

URBANUS III. hìc definit Matrimonium non consummatum, superveniente Leprâ, dissolvi: *Respondemus quòd*

quòd ad accipiendam eam cogi non debet ; cùm inter eos Matrimonium non fuerit consummatum. Florentinus Episcopus ab eo quæsiverat, an Leprâ post Matrimonium superveniente, pars sana ad Matrimonii consummationem cogenda esset? *Utrùm, si postquàm Sponsalia inter legitimas personas contracta fuerint, ante quàm viro mulier traducatur, alter eorum Lepræ morbum incurrat, alius ad consummandam copulam maritalem compelli valeat ; vel se ad secunda vota transferre.* S. RAYMUNDUS errorem emendare volens, verbo *Sponsalia*, addit hæc *de futuro*, nec attendit quæstionis ac decisionis contextum ac verba, in quibus nihil mutavit, planè ostendere hîc de Sponsalibus de præsenti agi.

De eo, qui cognovit &c.

ALEXANDER III. *Cap.* 2. disertè docet, Affinitatem post Matrimonium non consummatum supervenientem, illud dissolvere, si crimen publicum sit ; nam *Pictavensis* Episcopus rogaverat, quid facto opus esset, circà eum, *qui quamdam uxorem duxerat, quam quidam suaserunt per mensem, quo eam duxerat, non cognoscere ; (sponsæ matrem) in ejus lecto jacentem cognovit, transacto verò mense, tam Pater, quàm alii Propinqui coëgerunt, ut cum eâ Matrimonium consummaret, quod facere noluit, donec Episcopum suum consuleret ;* Respondet autem Pontifex, quòd crimen, si occultum sit, Matrimonium publicum dirimere non potest, sed si publicum sit, secùs. *Imponenda est ei viro pœnitentia paulò major, quàm pro adulterio, quâ peractâ, vel parte ipsius, poterit ex dispensatione cum aliâ Matrimonium contrahere.* Accurata est hæc epitome, nullamque patitur *Textus* distinctionem, quæ decisionem ab errore purgare possit. Hoc accipiendum est de *Textu*, prout in Primâ veterum refertur *Cap. 3. eod. Tit.* nam mutilatus est à RAYMUNDO, ut insinuaret, eum de Sponsalibus de futuro intelligendum esse INNOC. III. eum ipsum laudat in priori & vero sensu *Cap. 6. hoc Tit.*

TIT. *de Frigidis.*

Caput 1. quod GREGORIUS IX. ipsum Collectioni suæ inserens, adoptavit, plures continet errores. 1. Decernit, ut, si mulier post annum aut dimidium conqueratur, se cognitam non fuisse, contrarium affirmante viro, hujus affirmationi credatur, *quoniam vir caput est mulieris* : 2. Supponit intrà unum aut duos menses, mulierem dignoscere posse, an vir suus coïre possit, quod falsum est ; ut discitur ex sequentibus Textibus qui trium annorum experimentum ad hoc requirunt.

Cap. 3. prout in Secundâ veterum Collectionum refertur, pernicioſum dat consilium ; scilicet, si contigerit mulierem Matrimonio seu cohabitationi cum marito fieri inhabilem, virque aliam duxerit, Episcopum dissimulare posse. *Licèt non sit tutum indulgere ei, ut aliam accipiat, tamen sub dissimulatione poterit sustinere, quia tutius est unam tanquàm uxorem habere, quàm cum multis peccare* : Hoc dicere, nihil aliud est, quàm Concubinatum permittere, aut saltem tolerare sine necessitate.

Cap. 5. & 7. authoritatem dant probationi anciipiti Purgationis Partium per Juramentum septimæ manus propinquorum.

Qui filii sint legitimi?

Cap. 13. ab INNOCENTIO III. desumpto, leguntur quædam falsa principia, & applicationes *Scripturæ* parùm congruæ : tale est hoc principium, quod ibi sæpiùs iteratur, *eum qui plus potest, posse & minùs in rebus diversi ordinis* ; tunc enim deest subordinatio v. g. quamvis Spiritualis Potestas nobilior sit Temporali Potestate, non sequitur eos, qui illam possident, à fortiori hanc exercere posse ; aliàs omnis Presbyter, aut Clericus in Sacris Ordinibus constitutus, qui in Ordinatione suâ recepit facultates Spirituales Potestatem Temporalem antecellentes, haberet quoque facultates ad hanc pertinentes ; proindè omnes, qui temporali duntaxat Jurisdictione præditi sunt, in Rebus temporalibus subditi essent iis, qui Spiritualem Potestatem habent. Horrendæ sunt hujus principii consecutiones, neque admitti illud potest, quin sequatur ruina ambarum Potestatum, pariter suprematum, atque à se invicem independentium in rebus quæ ad singulas pertinent, ut jam ostensum fuit in Collatione harum Potestatum, in TIT. *de Major. & Obed.*

Applicationum Scripturæ ineptissima est ea, quâ laudatur *Cap.* 17. DEUTERONOMII, quòd manifesta est ex ejus fundamento ; scilicet, quia verbum hoc DEUTERONOMIUM *Secundam Legem* significat, ideòque ejus Præcepta locum habere debent in Novo Testamento, quòd est Nova Lex : his positis contendit Pontifex, Romam esse locum, quem elegit Dominus ; Cardinales esse Levitas Summi Sacerdotis Coadjutores ; Pontificem esse Summum Sacerdotem, qui super dubiis & ambiguis consulendus est : 1. in Rebus Civilibus & Criminibus, quæ designantur his verbis, *inter sanguinem & sanguinem.* 2. in Rebus Ecclesiasticis Criminalibus juxtà has voces *inter lepram & lepram.* 3. In Rebus Ecclesiasticis & Civilibus, quæ denotantur his verbis, *inter causam & causam.*

Nihilò felicior est applicatio illius PAULI I. Cor. *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia* : Quod dictum est ad inducendos Fideles, ut ad Fratrum arbitrium magis, quàm ad Gentilium Tribunal in controversiis suis temporalibus recurrerent. Hoc autem exiguam habet similitudinem cum pretensione, qua Pontifices sibi jura quædam vindicant circà temporalia in Regnis aliorum Principum, idque concludunt ex eo, quòd Spiritualem Potestatem habent, dùm putant v. g. se posse legitimare, etiam quoad Temporalia, ideò quòd legitimare valeant, quoad Spiritualia.

Qui Matrimonium accus. &c.

CLEMENS III. vel CÆLESTINUS III. *Cap.* 3. velut Principium proponit, *Quod contrà interdictum & ordinem Ecclesiæ factum est, ratum non haberi, tanquàm inordinatum ; tam Divinæ quàm Humanæ Legis proclamat autoritas* : undè concludit, Secundum Matrimonium, quod vir contrà prohibitionem Ecclesiæ, antè litis circà prius Matrimonium decisionem, contraxit, nullum esse, etiamsi prius irritum pronuntiaretur.

Hoc autem Principium destruit distinctionem Impedimentorum dirimentium, & Impedimentorum merè prohibentium, quorum numerus tunc major erat, quàm hodie ; quoniam peccata Pœnitentiæ publicæ obnoxia à Matrimonio excludebant, ita, ut illud non dirimerent, si, eis non obstantibus, contractum fuisset. Principium hoc adversatur etiam innumeris Legibus Ecclesiasticis prohibitivis non irritantibus. Si hoc tam Divina quàm Humana Lex proclamaret, pauciores forent eæ, quæ contrariæ sunt. Hoc argumentum omninò excussum fuit in conciliatione Regularum Juris.

DE DIVORTIIS.

Caput 1. prout in Primâ veterum Collectionum refertur, erroneum est, in eo, quòd docet, Mulieris machinationem in vitam Mariti Matrimonium dissolvere, ita, ut vir læsus aliam uxorem accipere possit. Clausula, *post obitum uxoris*, à S. RAIMUNDO inserta, ad illud emendandum, absurda videtur, quoniam homicidium in sui tutelâ admissum, nunquàm publicæ Pœnitentiæ fuit subjectum ; itaque non erat necessarium dicere, Maritum post obitum talis Conjugis, aliamducere posse, quia notorium erat, ipsum

ipsum publicæ Pœnitentiæ non esse obnoxium. Quod de Homicidio necessario dicimus, illud à publicâ Pœnitentiâ immune fuisse, confirmatur *Cap.* 2. *de Homicid.* ex *Pœnitentiario Romano* accersito.

De Privilegiis. Cap. 18.

Vix excusari potest HONORIUS III. ab usurpatione Autoritatis Regiæ, qui hoc *Cap.* prohibuit Jus Civile Parisiis, nec non in Locis Urbibusque adjacentibus legere, Prælectionesque ex eodem Jure audire, sub pœnâ privationis juris postulandi, & pœnâ Excommunicationis. Principis est ponderare, an Ditioni suæ Jus illud legi expediat; admittereque aut excludere à munere postulandi. Nec dici potest, hoc interdictum ad Clericos solos pertinere; generale quippe est; nec dicendum est, utilitatem ex hoc interdicto ad Theologiam redundantem, hoc jus Pontifici dedisse; hoc enim quæsito colore, nihil esset ferè, quod Pontifices non constituerent in præjudicium Regiæ Autoritatis; nam contenderent ad judicium suum pertinere quidquid ad Religionis utilitatem conducit, Principesque suo judicio obsequi debere: perperàm quoque purgatur HONORIUS III. dicendo, Universitates esse Corpora Ecclesiastica; nam plerique earum Magistri sunt Laïci, Sæcularesque sunt; Scientiæ, quæ in ipsis docentur, tales sunt, Humaniores Litteræ, Medicina, Philosophia, Matheseos ac Leges. His rationibus nixus MOLINÆUS in hunc *Textum*, Pontificem usurpationis adversùs Regiam Autoritatem arguit.

De Sent. Excomm.

Cap. 15. §. *Laïci*, docet INNOCENTIUS III. prævium jussum atque autoritatem Prælati requiri, ut Laïci manus in Clericos criminosos ex autoritate Judicis Sæcularis injicere volentes, Excommunicationem vitent, quod valdè pernicioſum foret, Reique Publicæ tranquilitati contrarium.

SEXTI, *Lib.* I. *Tit.* 8. *de suppl. negl. c.* 2.

BONIFACIUS VIII. Regi Lusitaniæ præter ejus consensum dat Coadjutorem, quia negligentiùs Regnum administrabat, ejusque bona dissipabat; Coadjutori facultates omnes impertitur, quibus opus erat, ad administrandum independenter à Principe, donec ille moreretur; Subditis omnibus præcipit, ut huic obtemperent, iisque recusantibus, *Braccarensem* Archiepiscopum & *Conimbrensem* Episcopum committit, ut Censuris Ecclesiasticis, præmissis debitis monitionibus, eos ad obsequium compellant. MOLINA *in hoc Caput* dicit, hujus usurpationis occasionem fuisse, quòd ejus Regis Decessores passi fuerant GREG. IX. deponere Episcopum Ditioni suæ subjectum, quia non servaverat interdictum, cui Regnum ab eodem *Gregorio* fuerat suppositum; laudatque, ut id probet, *Cap.* 18. *de excess. Prælat.* Tùm respondet *Glosæ*, quæ dicit, Ecclesiam, cùm Superiorem non haberet REX, angustiis ac difficultatibus Regni providere debuisse, monensque hanc notam esse falsam, quoniam *Lusitaniæ Rex* Imperatori subjacebat: denique adjicit, ANCHARANUM hujus difficultatis solutionem ignorare, quæ peti debet ex prætensione Pontificiâ, quâ se super Reges ac Regna constitutos fuisse asserunt.

De Sent. & re judicatâ. Lib. 2.

Si de Jure, quod ad Principum depositionem sibi vindicant Pontifices, judicium feratur ex rationibus in hoc *Textu* allatis, vix sibi quis persuadeat, illud esse justum; universæ enim rationes in hoc concluduntur, quòd Pontifex sit CHRISTI Vicarius, ipsique dictum in *Petri* personâ fuerit; *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis*: porrò, Traditio docet, hæc verba de remissione peccatorum intelligi, & potestatem, quæ illis verbis designatur, eamdem omninò esse quam dedit CHRISTUS, his verbis, *Quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis.* Omnes veteres usque ad GREGORII VII. ætatem illa sic intellexêre, vel saltem ad vincula spiritualia restrinxêre; nam, si extenderentur ad vincula, quæ Subditos Principi ligant, cùm ipsa cæteris Societatis Civilis vinculis arctiora sint, nullum erit, quod à Pontifice dissolvi non possit; ergò Liberos emancipare, Servos manumittere, Conjugatos dirimere poterit; verba quippe generalia sunt, vinculaque inferiora fortiora non sunt, quàm superiora: qui potest plus, potest & minus. GREGORIUS VII. tamen *Can.* 103. CAUS. XI. QUÆST. III. declarat, Excommunicationem etiam Pontificiam hæc inferiora vincula non solvere, aut suspendere. Prætereà, hæc CHRISTI verba ad omnes Apostolos directa sunt. MATTH. *Cap.* XVIII. cùmque JESUS CHRISTUS *Petro* dedit potestatem, quam significant, eam quoque cæteris tribuit Apostolis, quos *Petrus* repræsentabat, & quorum nomine respondebat. Undè, si potestas hæc deponendorum Principum facultatem contineret, hæc cæteris Episcopis Apostolorum Successoribus, communis esset facultas.

Denique, S. Scriptura juxtà unaminem consensum Patrum exponenda est, SESS. IV. *Conc. Trident.* de *Editione & usu Sacræ Scripturæ*; facile autem esset ostendere, Clavium potestatem aliter Patres, quàm Pontificem interpretatos fuisse.

De Immunit. Cap. 3.

BONIFACIUS VIII. Censuras jaculatur in eos, qui Tributa ex quâcumque causâ, in bona Ecclesiastica imponent, atque eos, qui hæc Tributa solvent; omnes obligationes priùs contractas rescindit, Regesque nominatim in suâ Definitione complectitur (hæ Censuræ sunt Excommunicatio *ipso facto* à singulis personis incurrenda, atque interdictum à Communitatibus pariter incurrendum) harum sibi suisque Successoribus, excepto mortis periculo, absolutionem reservat Pontifex. Denique, nominatim omnibus privilegiis, etiam Imperatoribus & Regibus concessis, derogat in iis, quæ hujus *Textûs* dispositioni adversantur. Hæc *Decretalis*, magnas peperit turbas, spectataque fuit ut atrox usurpatio Autoritatis Principum Supremorum. CLEMENS V. eam revocare coactus fuit cum omnibus *Decretalibus*, quæ ad eam mitigandam conditæ fuerant.

TIT. *de Hæret.*

Hic TITULUS, prout sive in *Collectione* GREGORIANA, sive in SEXTO, sive in CLEMENTINIS redigitur, multas res continet circà Pœnas & Carcerem, quæ effectum sortiri nequunt, nisi à Principibus autoritatem accipiant, quoniam ad Temporalem Potestatem pertinent. Itaque *Textus*, qui res ejusmodi præcipiunt, nimiùm progressi sunt, nisi Clausula consensûs Principum subintelligatur. Prætereà, hoc in argumento distinguenda est quæstio *Facti*, quæ ad Principem pertinet, à quæstione *Juris*, quæ pertinet ad Ecclesiam; atque ad hanc restringendi sunt *Textus*, qui dicunt, Magistratus pœnas Confiscationis in Hæreticos latas exequi non posse, nisi tales ab Ecclesiâ declarati fuerint, Sæcularique Potestati traditi; sicut enim Ecclesiæ est judicare, utrùm hæ aut aut illæ Propositiones Hæreticæ sint, ità pariter Magistratuum Officium est, quoad Laïcos, discutere, utrùm has Propositiones protulerint aut docuerint.

§. 2.

Extravag. Commun. Tit. de Major. & Obed. Cap. Unam Sanctam.

Hîc definit BONIFACIUS VIII. necessarium prorsùs esse ad salutem, ut omnis Humana Creatura Pontifici

tifici sit subjecta; undè sequitur Infideles quoslibet ei subjectos esse, cùm naturam humanam cum Fidelibus communem habeant.

Quoniam eo tempore, quo prodiit hæc Constitutio, nemo in Occidentis partibus, ad quas condita est, in Spiritualibus se Pontifici subjectum non agnoscebat, verùm subjectio, quoad Temporalia, disceptabatur, meritò creditur, hanc Definitionem non solùm de subjectione in Spiritualibus loqui, sed etiam de subjectione quoad Temporalia; quod confirmatur ex historiâ temporis illius, in quâ discimus, eam factam fuisse adversùs PHILIPPUM PULCHRUM Francorum Regem, qui Pontificis autoritatem in Rebus Temporalibus denegabat. Idem colligitur ex Principiis à Pontifice suppositis. Primum est, Ecclesiam duos gladios habere, Temporalem, & Spiritualem; huic ille subordinatus est, & pro Ecclesiâ stringendus est, ad nutum Pontificium.

Aliud Principium est, Spiritualis Potestatis Officium esse, ut terrenam Potestatem instituat, eamque in administratione regat, prout opus est. Alibi jam vidimus quodnam de his Principiis judicium ferendum sit, necnon de applicatione, quæ ad Pontificiam in Temporalibus Autoritatem fit, hujus loci *Quodcumque ligaveris &c.* ad PETRUM directi, atque hujus apud JEREMIAM, *Ecce constitui te super Gentes & Regna.* Inutilis esset prolixior tractatio.

TIT. *de Privileg. ibid. C. 2.*

CLEMENS V. hîc significat, Pontificem cùm Nationem aliquâ dispensare posse à Definitione Doctrinali, quæ viget quoad cæteras; Rogatus enim à PHILIPP. PULCHRO, ut præfatam Constitutionem *Unam Sanctam*, revocaret, BONIFACIIque VIII. honorem integrum illæsumque servare cupiens, REGI, atque ipsius Subditis, pro meritis eorum, hoc Privilegium indulget, ut prædicta Constitutio, quoad ipsos ut non facta reputetur. Hæc dispositio valdè singularis est; vel enim CLEMENS V. putavit, Decessorem suum erravisse in suâ Decisione, quo in casu eam omninò revocare debuit; vel putavit eam esse veritati consonam, quo in casu Gallos liberare non potuit ab obligatione illi obsequendi.

Extravag. JOANNIS XXII. *Tit. de verb. signif. C. 3.*

Definit hîc JOANNES contrà quàm NICOLAUS III. *Cap. 3. Tit. eod.* definiverat *in 6.* Undè, cùm agatur de Doctrinâ, alteruter erravit. Et hæc sunt vitia, seu errores, qui in Collectionibus GREGORII IX. BONIFACII VIII. CLEMENTIS V. & in *Extravagantibus* annotari possunt. Plerique à *Gratiano* ducunt originem, cæteri leviores aut pauciores sunt, quàm qui apud *Gratianum.*

SECTIO V.

Similitudines insigniores Collectionis GRATIANI *cum Collectionibus Posterioribus.*

COllectio GRATIANI cum Posterioribus congruit, præsertim quoad Fontes, undè Canones desumpti sunt, qui iidem sunt: scilicet, Scriptura, Concilia, sive Generalia, sive Particularia, Decreta Pontificum, Sententiæ Patrum, aliorumque Scriptorum Ecclesiasticorum, Legesque Civiles. Quoad has Leges, eæ apud *Gratianum* frequentiùs adhibentur, ut Textus, atque in Textibus laudantur: hoc in cæteris Collectionibus rarissimum est, ut patet ex *Tertio Indice* DECRETI, qui Autores in Decreto laudatos continet, collato cum *Tertio Indice* cæterarum Collectionum, cujus materia similis est, in verbo, *Legis*, & in verbo, *Justinianus*: Ducentæ aut Trecentæ circiter Leges apud *Gratianum* referuntur, aut laudantur; *Quintus* verò aut *Sextus* nominatim in cæteris Collectionibus laudantur. Reliquarum Legum, quæ generatim, sub verbis Juris, aut Legis Civilis, laudantur, numerus longè minor est in his Collectionibus quàm apud *Gratianum.*

Altera similitudo insignior ex eo nascitur, quòd Acta integra non dantur, sed simplicia Excerpta, absque Datâ, aliâve notâ, quæ Tempus, quo condita sunt, indicet; undè fit, ut sæpiùs ignoretur, quinam Textus anteriores, aut posteriores sint, & quinam sint anteponendi, si fortè sibi invicem repugnent. Huic vitio remedium provisum est in Editione, quæ Notas DD. PITHOU continet, notato, in fine inscriptionis singulorum Textuum, tempore, quo conditi sunt. In eodem genere similes sunt Collectiones, quatenùs ordo Temporum non servatus est inter Textus in singula Argumenta relatos, quod pariter Leges Posteriores cum Anterioribus confundit, Disciplinamque veteriorem cum minùs veteri. Præfatæ Notæ Chronologicæ pravis hujus defectûs effectibus occurrunt; manet tamen eadem ordinis perturbatio. In hoc *Gratiani* DECRETO congruit GREGORIANA *Collectio*, quod hæc ex omnibus Collectionibus Decretalium præcedentibus coalescat, ad instar *Codicis* JUSTINIANI, qui ex tribus *Codicibus* anterioribus conflatus est: similiter *Gratianus* in suam Compilationem contulit Canones, ab omnibus Collectoribus præcedentibus quæsitos, scilicet ex CANONIBUS APOST. ex *Codice* DIONYSII *Exigui*, & Collectionibus MARTINI *Braccarensis*, THEODORI *Cantuariensis*, Pseudo-ISIDORI, *Capitularium Regum Franciæ*, REGINONIS, BURCHARDI *Wormacensis* Episcopi, IVONIS Carnotensis Episcopi. Sicut autem Collectione *Gregoriana* factæ non sunt inutiles aliæ Decretalium Collectiones, sic, & post *Gratiani* Collectionem, opus habemus Collectionibus Canonum ipsi anterioribus. Hæc Propositio circà DECRETUM *Gratiani* infrà probabitur, in Collatione ejusdem cum Collectionibus Anterioribus, sive Orientalibus, sive Occidentalibus.

Quoad cæteras similitudines, observare sufficiet, eas Collectiones Jus Commune continere, easque ideò in Scholis exponi, atque in Judiciis ad litium Decisionem adhiberi; undè etiam fit, ut singulæ suis GLOSSIS instructæ sint, quibus Argumenta inter se connectuntur, conciliantur oppositiones, exponunturque obscuriores loci. Hæ *Glossæ* Autores habent insigniores Juris Interpretes Sæculorum XIII. XIV. & XV. simulque junctæ fuerunt in unam Compagem, quæ dicitur GLOSSA, cui Notæ marginales adjectæ sunt. Unum ex majoribus commodis, quæ ex eâ colligi possunt, est facilitas inveniendi laudationem Textuum, qui relationem aliquam habent cum proposito Textu. Id manifestum fiet ex Observationibus mox faciendis in omnia, quæ ad *Glossam* pertinent, præmissâ monitione, quòd, licèt Rubricæ Observationes & Conciliationes *Gratiani* Canonis vires non obtineant; *Glossam* tamen suam habent, perindè ac Canones; qui honor ex autoritate ejus Scriptoris apud Canonistas natus est.

SECTIO VI.

Observationes in Glossas.

QUamvis GLOSSA vim Canonis nihilo-magis obtineat, quàm id, quod *Gratianus* ex seipso, sive in fronte, sive ad calcem Canonum à se collectorum, adjecit, ejusque *Glossæ* autoritas etiam apud Fautores suos studiosissimos, *Gratiani* existimationi cedat; de ipsâ tamen in PROLEGOMENIS loquendum esse duximus, quoniam ad Jus generatim spectatum in iis expositum propiùs accedit. Ejus fit mentio in Additionibus nostris ad confirmandas aut illustrandas REGULAS nostras appositis; Auctoresque in eumdem finem à nobis laudati eâ sæpiùs utuntur, ad stabilienda loca, quæ ab eis accersivimus. Præterea, quædam differentiæ, & quædam similitudines occurrunt inter *Glossam* DECRETI, & *Glossam* Collectionum Posteriorum, quæ observatione dignæ sunt. Hæ rationes aliæque similes quasdam Notas in *Glossam* postulare visæ sunt; nosque

ad subjiciendas OBSERVATIONES sequentes induxerunt, quarum triplex est *Caput*, Antiquitas, Autoritas, Ususque rectus Glossarum.

Si de Canonici Juris generatim spectati interpretationibus hic ageretur, Glossatorum Occidentalium agminis IVO *Carnotensis* & *Gratianus* antesignani fieri possent. Prior, propter Collectionis suæ *Præfationem*, in quâ Regulas excellentes proponit, ad interpretationem Legum, tùm Canonicarum, sive Ecclesiasticarum, tùm Civilium, sive Sæcularium, 1. Omnes Leges ad Charitatem referendæ sunt, quæ finis est omnis Præcepti. 2. Præter Præcepta & Prohibitiones, sunt Monitiones, Exhortationes, Consilia, Permissiones, quarum nullæ obligationem, antè ipsarum electionem imponunt, sed statim atque susceptæ fuerint, ligant: sine delicto potest quis iis se non subjicere, verùm non sine delicto violatur obligatio, quam sibi quis cum earum jugo imposuit. Sunt præterea Mercedes & Pœnæ. Illæ non eos solos manent, qui Consilia amplectuntur, sed eos, qui Leges præceptivas, aut prohibitivas, fideliter custodiunt. Pœnæ in eos cadunt, qui Præcepta Legis negligunt, & prohibitiones contemnunt, nec non in eos, qui spontaneis obligationibus desunt. 3. Quædam Leges sunt immutabiles & consequenter indispensabiles. Tales sunt Leges Decalogi, quarum eæ, quæ Dei amorem immediatè spectant, Majora Præcepta vocantur, cæteræ verò quæ ad Proximi charitatem immediatè attinent, Minora nuncupantur, non quòd, ratione sui, exigua sint; sed quia prioribus minùs insignia sunt. Aliæ Leges mutabiles aut mutationi obnoxiæ sunt: Tales sunt omnes Humanæ Leges, quæ pro variâ Reipublicæ tùm Sacræ, tùm Sæcularis, necessitate conduntur: hæc autem necessitas ex variis Temporum, Locorum & Personarum circumstantiis nascitur, undè mira est harum Legum variatio. Tales sunt nominatim Leges merè Disciplinales.

4. Duas habet Ecclesia rationes, sive modos, gubernandi Subditos, rigorem & mansuetudinem: hæc necessaria est, quoties prior Schismatis periculum inducit; id autem accidit, cùm Personæ severiùs coërcendæ cohærentem sibi firmiter multitudinem habent, ita, ut illa propter hoc vinculum unitatem dirimeret, si ergà Duces ejus severitas adhiberetur. Autor has Regulas probat, exponitque exemplis à Scripturis aut Canonibus aut SS. Patribus desumptis. Hæ Quatuor Regulæ multùm ad Interpretationem Canonum inserviunt, usurpatæque sunt à *Gratiano* in Conciliationibus Canonum, quos oppositos putavit; ejusmodi enim compositiones sunt Interpretationes ab aliquâ prædictarum Regularum quæsitæ: meritò itaque *Gratianus* & IVO *Glossatoribus* annumerari possent, eò maximè, quòd datum ab illis exemplum hi in Interpretatione Canonum secuti fuerint. STEPHANUS *Tornacensis* in *Præfatione* sui Commentarii in *Decretum Gratiani*, has exponit Regulas, & sic se illis usurum esse significat in suis Interpretationibus.

Sed cùm hic de origine *Glossarum Juris* agamus, quæ valdè illorum Scriptorum operibus sunt posteriores, satis erit hîc observasse, methodum interpretandi, quâ usæ sunt, ab eis non fuisse excogitatam, sed eas illorum Autorum exemplum secutas fuisse.

Eâdem de causâ tacebimus hic de *Glossâ* BERNARDI *Parmensis* in primam Veterum Collectionum, quam ipse compilaverat; cùm enim ejus Collectio Corpori Juris inserta non fuerat, ad institutum nostrum non pertinet ejus Glossa, quamvis eamdem naturam habeat ac illæ, quas discutimus.

Vetustiores Glossatores Collectionum Corpori Juris insertarum Sæculo XIII. floruerunt, Recentiores *Decimo quinto*. Quidam ex iis Glossas in plures Collectiones elucubraverunt; Archidiaconus (GUIDO BAISIUS) in *Gratianum* & GREGORIUM IX. scripsit, JOANNES ANDREAS *Sexto* & *Clementinis* operam dedit. Juxtà S. ANTONINUM Dominicanum & Archiepiscopum Florentinum, primas inter Glossatores *Decreti* sibi vindicat, HUGUTIO sive HUGO *Vercellensis*. Secundas tollit JOANNES SEMECA Natione Germanus; 3. succedit loco BARTOLOMÆUS *Brixiensis*, qui in Glossas JOANNIS SEMECÆ operam contulit, eum, ubi erraverat, emendando, ejus omissiones supplendo, denique Mutationes in Jure post ejus Glossam factas observando. JOANNES SEMECA inter hujus nominis Scriptores, qui *Decretum* interpretati sunt, celeberrimus est, undè fit, ut nudo *Joannis* nomine Notis ejus adjecto distinguatur.

Sic v. g. distinguitur à JOANNE DEFANT, cujus Notæ semper clauduntur his verbis *Joan. Defant*: Glossæ *Joannis* sunt duplicis generis: aliæ ab ipso profectæ sunt, ceteras collegit & ordinavit. Quod hic *Joannes* præstitit ergà Glossas *Decreti*, BERNARDUS *Parmensis* fecit ergà Glossas *Decretalium* Collectionis GREGORII IX. omissâque distinctione inter suas & cæteras, utræque ipsi tributæ fuerunt. Quoad cæteras Glossas, quarum Autores nuncupantur ex BERNARDO Parmensi, sunt posteriores. Tales sunt Glossæ Archidiaconi, JOANNIS ANDREÆ, JOANNIS *Monachi*, quæ Sæculo XIV. prodiêre & *Panormitani*, sive ABBATIS Siculi, quæ Sæculo sequenti editæ sunt. Hic eo nomine designatur, ut ab alio Abbate Juris Interprete ipsique anteriore distinguatur. His Glossatoribus adjiciendi sunt ZABARELLA, ZENZELINIS, JOANNES *ab Imola*, qui in *Clementinas* & *Extravagantes* GLOSSAS confecerunt. *Zabarella* sæpiùs laudatur sub nudo *Cardinalis* nomine. Hæc omnia desumpta sunt ex *Prænot. Canonic. Lib. V. Cap. III. & sequent.*

Verosimillimum est, Glossas in veteres Collectiones factas translatas fuisse vel integras, vel ex parte, conceptis verbis, vel quoad substantiam, connexasque Collectioni GREGORII IX. Id colligi potest ex existimatione eorum, qui earum Autores sunt, nec non ex eo, quod Notis accidit in Quartam Collectionem factis, ad calcem ejus Collectionis ab ANTONIO AUGUSTINO relatis; hinc enim constat, has Notas in eâdem Glossâ aliquatenùs reperiri, quod nobis persuasit earum Collatio cum Glossis ejus Pontificis Collectioni adjectis. Aliundè nulla potior causa postulabat, ut hæ Notæ conservarentur, quàm eæ, quæ factæ fuerant in Collectiones anteriores, & quæ Glossarum formam pariter habebant, factæ scilicet in quædam verba expositione indigentia, cùm ipsis minimè essent inferiores, si de iis judicare fas sit ex earum Autorum præstantiâ, eorum fit mentio honorifica. *Cap.* 3. *&* 4. laudatarum *Prænotionum*, nec non in Notis in Collectionem IV. Plures Autoris nomine destituuntur; multæ ejusdem generis in GREGORIANA Collectione reperiuntur. Inter notas Quartæ veterum Collectionum solis JOANNIS SEMECÆ Notis Autoris nomen subjicitur, utræque à Legibus Civilibus aut Canonibus apud *Gratianum* relatis, aut Capitibus in Collectionibus Decretalium anterioribus contentis desumuntur; undè apparet quanti factæ fuerint illæ Collationes inter Decretum ac Jus Civile.

GRATIANUS eodem, quo hodie, modo in eis laudatur, *Pars Prima*, his verbis, DIST. I. II. &c. & primo Canonis verbo; *Secunda*, his *causa. quæst. Can.* Tractatus de Pœnitentiâ laudatur his; DIST. II. *Can.* 4. *aut* 5. vel primo ejus verbo; *Tertia pars* designatur his verbis. DIST. cujus numerus additur, & *Canone*, cujus numerus subjicitur, aut primum verbum. Undè patet divisionem vulgarem *Decreti* esse antiquam; vixit enim JOANNES SEMECA Sæculo XIII. mortuusque est an. 1269. cum CLEMENTE IV. à quo excommunicatus fuerat; quoniam à Decimis, ab illo Pontifice in Clerum Germanicum & Gallicum impositis, appellaverat ad Concilium Generale *Cap.* 3. laudato *Prænot. Canonic. n. 6. 7. &* FLORENT. *part.* 1. *p.* 49.

Eodem quoque modo laudabantur Collectiones veteres, quo hodie laudantur, nisi quòd LIBER vocabatur unaquæque Collectio, dicebaturque *Libro* 1. 2. vel 3. &c. Quantùmvis similes sint hæ Notæ Glossis Collectionum Corporis Juris, intercedunt tamen

tamen differentiæ insignes in Glossis; 1. Enim Tituli invicem connectuntur, ut eorum ordo comprobetur; 2. Indicantur loci *Gratiani* Titulo respondentes; 3. Singuli Textus in Partes suas dividuntur, earumque initium designatur. 4. Species sub nomine *Casus* proponitur, sicut factum à *Gratiano* in *Secunda Parte Decreti* in CAUSAS XXXVI. divisâ, quarum unaquæque nomen à proposito Casu accepit, sed GLOSSÆ *Casus* à GRATIANI *Casibus* in eo differunt, quòd hi fictitii sint; illi autem veri sint plerùmque, & ex narratione Decretalis deducti. 5. Glossæ aliquandò *Summas* habent; sed hæc omnia locum non habent in *Notis* Quatuor Collectionum veterum.

Occasione acceptâ à Collatione *Glossarum* cum *Notis* Quartæ Collectionis, miscuimus ea, quæ de illarum usu dicenda erant, cum iis, quæ de illarum origine, Autoribus, atque ætate proponenda duximus: superest, ut de illarum *Autoritate* agamus, quam noscere necessarium est, quoniam crebrò laudantur à Canonistis, tùm Veteribus, tùm Recentioribus. Verùm præmonendi sunt Lectores esse *in 6.* Constitutionem, quæ *glossari* prohibetur sub pœnâ Excommunicationis *ipso facto* incurrendæ & Sedi Apostolicæ reservatæ, nempè *Cap. 3. de verborum signif.* Hujus Autor est NICOLAUS III. in quo de Regulæ Beati FRANCISCI Interpretatione agitur; metuebat enim Pontifex, ne Glossarum varietas novas turbas pareret.

JOANNES XXII. agnoscens, hanc prohibitionem esse periculosam, eam suspendit, donec aliter Sedi suæ videretur. Denique observandum est PIUM IV. & PIUM V. juxtà NICOLAI III. exemplum, sub eâdem pœnâ vetuisse, ne Decreta *Concilii* TRIDENTINI glossarentur: & FAGNANUM in *Cap. Cum venisset, de Judiciis*, fusiùs exponere hoc interdictum sex Conclusionibus. 1. Contendit neminem alium, quàm Pontificem, illa Decreta interpretari posse, per formam Legis Universalis, 2. Pontificem hanc facultatem committere posse, & de facto commisisse, per Institutionem Congregationis Cardinalium, ad Interpretationem Tridentini; 3. Episcopos non posse interpretari hæc Decreta neque in Conciliis Provincialibus, neque in Synodis Diœcesanis, neque extrà hæc Comitia, in modum Legis, ad suum Districtum directæ, neque Judices in suis Judiciis, in modum Statuti. 4. Doctores neque *Glossas*, neque *Commentarios*, neque *Notas* in illa Decreta facere posse, ita, ut si illud attentaverint, Excommunicationem incurrant, quamvis eorum interpretatio sit tantummodò Magistralis & probabilis, non verò autoritativa & necessaria, id est imponens necessitatem, aut obligationem illam suscipiendi. 5. Asserit, Doctores & Judices illa Decreta interpretari posse, ratione alicujus difficultatis solvendæ, & litis dirimendæ; quam interpretationem vocat indirectam & incidentem, quæ non cadit principaliter in Decreta, sed in difficultatem aut litem, quæ ipsi occasionem præbuit. 6. Has Bullas non interdicere Interpretationem Litteralem aut Grammaticalem ad Decretorum intellectum necessariam, qualis est ea, quam Magistri, Doctores, & Antecessores faciunt in Scholis, Collegiis, & Universitatibus, Pastores in suis Concionibus, Episcopi in Catechismis & Ritualibus eorum jussu editis, nec consequenter prohiberi Versiones in alias Linguas, undè hæc Decreta versa sunt in Græcum, Arabicum, Chaldaïcum, &c. idiomata, non solùm impunè, verùm etiam cum publica approbatione. Has Conclusiones discutiendi non est hic locus. Id fiet in REGULIS *circà Concilia*, ubi necessarium erit agere de autoritate Episcoporum in Conciliis tùm Generalibus tùm Particularibus & consequenter de jure communi ad illa interpretanda: jus enim interpretandi Leges est consecutio juris Leges ferendi. Hic sufficiet monere, Diplomata prædicta non obligare in Locis, in quibus nec promulgata, nec recepta sunt, cùm potioris conditionis non sint, quàm Decreta *Tridentini*, de quibus loquuntur, & quæ vim Legis non obtinent, nisi ubi promulgata, receptaque sunt. Transeamus ad Glossæ *Autoritatem*. Illud constare debet, eam esse Magistralem duntaxat, nec majorem esse posse quàm ea, quâ fruitur GRATIANUS, *Magister*, in signum excellentiæ, vocatus in re Canonicâ, maximè si agatur de *Glossâ*, quæ circà ejus Interpretationem facta est, ideò necessarium videtur illius Scriptoris autoritatem excipere, eo quòd dicit FAGNANUS *in Cap. ne innitaris*, *n.* 152. Glossæ autoritatem cæteras vincere, quantùm ad opiniones; & quidem cùm observatum fuerit *Gratianum* omnium Glossatorum Ducem dici posse, indè patet, ipsum omnibus Glossis vetustiorem esse. Hic autem *Fagnanus* Glossæ autoritatem ex ejus antiquitate probat; nam de Autoribus Antiquis loquitur, quos Recentioribus anteponit, ratione ponderis ab approbatione plurimorum Sæculorum recepti, in quo subintelligenda est Clausula *cæteris paribus*; nam si momenta rationum à Recentioribus in confirmationem suæ Sententiæ adductarum, fortiora sunt iis, quæ à Veteribus afferebantur, ad probandam opinionem suam, proculdubio hoc in casu Veteribus anteponendi sunt Recentiores.

Ut intelligantur quæ diximus de autoritate Magistrali, qualem asserimus esse autoritatem *Glossæ*, observandum est, autoritatem Doctorum ex eorum præstantiâ pendere, quæ major aut minor est, pro majoribus aut minoribus eorum scientiâ, seu eruditione, discretione, seu perspicacitate, & æquitate. Hæ virtutes necessariò concurrere debent, ad constituendum Virum Sapientem, quoad Decisiones quæstionum Juris. De Decisionibus eorum, in quibus hæ dotes ex publico consensu elucent, dici potest ac debet, eas esse Responsa Prudentum. Cùm igitur præeminentia veteribus Canonibus super recentiores tribuitur, id intelligendum est de conditis ab iis, qui in Sæculo suo Sapientibus & Prudentibus Viris annumerati sunt, ob tres virtutes prædictas, & qui famam hanc in Sæculis sequentibus servaverunt. Supponendum tamen est, hæc Sæcula Scientiæ laude fuisse commendata, aliàs meritò diffideretur judicio ab iis Sæculis lato, quo in casu Scriptis illorum Autorum non standum esset, nec eorum præstantia ex antiquitate æstimanda foret, aliàs errandi periculum subiretur; fortè enim illorum opiniones nonnisi supposititiis Actis innixæ sunt, quorum falsitas tunc latebat, quæ stupendas mutationes in gratiam Pontificis & præjudicium Episcoporum invexit, & in materiâ Sacramentorum maximè Pœnitentiæ atque Ordinis. Eæ mutationes observatæ sunt in REGULIS *circà Causas Majores*, & in REGULIS *circà Sacramenta*. Undè fit, ut multæ opiniones *Glossæ* in utrumque Caput repudiatæ fuerint in temporibus peritioribus, nostroque in Sæculo *Glossa* exiguam famam habeat, quod præsumi debet ex Editionibus Corporis Juris sine Glossa, quarum magnus est numerus; credibile enim hinc fit *Glossam* ita necessariam aut utilem non esse, quin negligi possit, eorum saltem judicio, qui illas venum proponunt vel emunt, indè nato, quòd *Glossa* GRATIANI, nec non Collectionum subsequentium, errores aliave menda contineat. Ut ut sit de hâc Sententiâ, ea non destruit quæ superiùs diximus de commodis, quæ *Glossa* suppeditare potest; sed ostendit duntaxat, apud multos parvi ipsam fieri, quoniam eâ non indigent, in quo Glossa Juris Canonici, cum Glossâ Juris Civilis congruit, quòd sine Glossâ ex multo jam tempore cuditur.

Quod suprà de origine Glossæ in Collectionem GREGORII IX. diximus, ab ANTONIO AUGUSTINO confirmatur, qui asserit, *Glossas* veterum Collectionum in GREGORIANAM commeasse. Earum Autores sunt VINCENTIUS Hispanus, ALANUS, LAURENTIUS, TANCREDUS, JOANNES, JACOBUS ROGERIUS: Id infertur ex eo, quòd, postquàm dixisset, se illas *Glossas* edere velle, adjicit, *& si qui alii sunt, qui*,

qui, si velint Sacramento contendere, à BERNARDO, *Gregorianæ Collectionis Scholiaste, magnam partem Scholiorum repetere facilè poterunt. Præfat.* ad GREGORIUM III. *Bernardus* hîc notatus, est BERNARDUS *Parmensis*, præcipuus *Gregorianæ* Collectionis Glossator. Idem in eo, quod dicit posteà de Quinque veteribus Collectionibus, quodque à JOANNE ANDREÆ filio testatur, se accepisse, aliisque Scriptoribus, illas etiam Glossas veteres commemorat, additque *Alanum* fecisse *Notas* in Collectionem Secundam, necnon *Archidiaconum* & BERNARDUM *Compostellanum*, PAULUM *Hungarum* scripsisse *Notas* in Tertiam, VINCENTIUM in Quartam, JACOBUM ALBANUM, Episcopum Faventinum, cujus Discipulus fuit HENRICUS *Ostiensis* in Quintam: is, quem ROGERIUM vocat, ROBERTUS etiam nuncupabatur.

DOUJAT *Lib. V. Cap.* 4. *Prænot. Canon.* clariùs loquitur de Glossatoribus singularum Collectionum veterum, duplicemque JACOBUM distinguit; alium, qui Episcopus Faventinus fuit; alterum, qui HENRICI *Ostiensis* fuit Magister. Hæc duo eidem Viro tribuuntur ab ANTONIO.

Quoniam exeunte Sæculo XVI. quo GREGORIUS XIII. Corpus Juris recenseri atque emendari curarat, magna erat Glossarum existimatio: viri ad hanc emendationem delecti ità Glossæ pepercerunt, ut ab omni emendatione abstinuerint, quæ Glossæ intellectui officere potuisset; Vid. eorum *Præfat. sub medium* Ubi autem illa erravit, id in margine tantùm notatum est, Catholicaque Sententia apposita est, ibid. in finem.

CAPUT II.

Collatio Collectionum CORPORIS JURIS CANONICI *cùm Collectionibus* ANTERIORIBUS *tam* ORIENTALIBUS, *quàm* OCCIDENTALIBUS.

JAm observavimus has Collectiones veteres in Collectiones Corporis Juris translatas fuisse, nosque id probaturos ex mutuâ illorum Collatione polliciti sumus. Priùs autem quàm id præstemus, monebimus, eam versari, vel circà Materiam, vel Formam, vel circà Autoritatem, vel circà usum aut utilitatem, quæ ex iis percipi posset, vel circà Rubricas, aut Summas, aut Glossas. Cùm autem ea, quæ scitu necessaria sunt, de Collectionibus Corporis Juris, quoad hæc omnia Capita, exposita jam fuerint; supereſt, ut ad reliquas Collectiones pergamus, quas primùm in globo, tùm seorsim perpendemus. Quod ad cognitionem Juris veteris ac novi, utriusque Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, Orientalis atque Occidentalis cognitionem viam sternet methodo optimâ, quâ eodem tempore Juris utriusque Communia & Singularia, vitia & perfectiones; uno verbo, mutuæ unius in aliud præferentiæ causæ notabuntur.

Generatim dicemus 1. Pleraſque Collectiones veteres extare in *Bibliothecâ Juris veteris Canonici*; cæteræ seorsim excusæ sunt, ut REGINO, BURCHARDUS, IVO; vel collectæ à LEUNCLARIO, in Duobus Tomis *Juris Græco-Romani*, *tam Canonici quàm Civilis*, de quibus fusiùs agitur *Lib. III. Prænot. Canon.* De præcipuis etiam loquitur FLORENS in Dissertatione *de Origine Juris Canonici*. Ex iis Operibus institutam hîc Collectionem excerpsimus.

2. Quemadmodùm Collectiones, è quibus Juris Corpus coaleſcit, dividuntur in Majores & Minores. Majores sunt DECRETUM *Gratiani* & Collectio GREGORII IX. Minores sunt SEXTUS, CLEMENTINÆ, EXTRAVAGANTES JOANNIS XXII. EXTRAVAG. COMMUNES; ita veteres Collectiones dividi possunt in Majores & Minores; Majores sunt Collectiones PSEUDO-ISIDORI, REGINONIS, BURCHARDI, IVONIS *Carnotensis*: Minores sunt Collectio MARTINI *Braccarensis*, *Pœnitentialia* THEODORI *Cantuariensis*, BEDÆ, EGBERTI, RABANI, & *Pœnitentiale Romanum*.

Hæ Collectiones Minores possunt etiam dici Collectiones Particulares, ideò, quòd ad argumentum particulare restringuntur, Pœnitentiam scilicet. Majores Generales etiam dici possunt, quoniam omnem materiam Canonicam complectuntur.

3. Collectiones *Gratiano* posteriores juxtà utrumque Temporum & Argumentorum ordinem dispositæ sunt, in pleriſque *Orientalibus*. Hic duplex Ordo servatus est; ordo Argumentorum in serie Titulorum; ordo Temporum in serie Canonum sub unoquoque Titulo collocatorum.

4. Nulla est Collectio Corporis Juris, in quâ solus Temporum ordo servetur. Hic in pleriſque solus obtinet veterum, v. g. in Duabus Collectionibus DIONYSII EXIGUI, aliâ Canonum Conciliorum, aliâ Decretorum Pontificum, & Duabus, quæ DIONYSIUM præcedunt, quarum alia continet omnes Canones Conciliorum Orientalium usque ad Primum Concilium Generale *Constantinopolitanum* inclusivè; altera eosdem Canones cum Canonibus Conciliorum *Ephesini* & *Calcedonensis*; Talis est etiam Collectio Canonum à Concilio *Trullano* approbatorum & Epistolarum multorum Patrum Græcorum, cum Canonibus Apostolicis, & Concilii *Carthaginensis* sub S. CYPRIANO habiti. Inter Collectiones *Occidentales*, ea, quæ à *Pseudo-Isidoro* edita fuit, Temporum seriem sequitur.

5. GRÆCI genus Collectionis habent, quo carent LATINI, id scilicet, quod juxtà ordinem alphabetium disponitur; Talis est Collectio MATTHÆI BLASTARES, quæ nostrorum Dictionariorum formam habet.

6. E Collectionibus Corporis Juris, quædam autoritate publicâ pollent, quædam secùs. Inter veteres *Occidentales*, quædam à Conciliis confirmatæ sunt. Talis est CODEX ECCLESIÆ AFRICANÆ, *Concilium* AFFRICANUM aut *Synodus Universalis* CARTHAGINENSIS dictus, à Concilio *Carthaginensi* anni 419. approbatus: Talis est Collectio MARTINI BRACCARENSIS à Synodo LUCENSI confirmata; Tales sunt Collectiones Canonum in *Capitularibus* Regum Galliæ collectorum: Tales sunt omnes Collectiones ab Episcopis in usum suæ Diœceseos factæ; ejusmodi sunt in Galliâ Collectio HERARDI *Turonensis* Archiepiscopi, ISAACI *Lingonensis*, IVONIS *Carnotensis* & in Germaniâ BURCHARDI WORMACENSIS.

Quasdam ejusdem generis habent Græci; talis est ea quæ à JUSTINIANO fuit approbata: talis est Collectio PHOTII, quæ ab Imperatore & Patriarchâ confirmata videtur, quorum jussu BALSAMON Commentarios in eam confecit; talis est etiam ea, quam Synodus *Calcedonensis* eâ utendo confirmasse videtur.

Quædam apud Græcos sunt Collectiones NOMOCANONES dictæ, id est, Concordia Legum cum Canonibus. Insigniores sunt ea, quæ JOANNEM *Antiochenum*, & ea, quæ PHOTIUM Autores habent. Prior in *Quinque*, Posterior in *Quatuordecim* TITULOS distribuitur. In utraque singulorum Titulorum Canonibus Leges congruæ subjiciuntur. Nullæ sunt ejusmodi Collectiones apud Latinos, quamvis in pluribus Leges Canonibus misceantur; nec enim Leges sub unoquoque Titulo laudantur, sub longè paucioribus Titulis Leges continuâ serie referuntur, Canonibus continuâ pariter serie collectis subjiciuntur.

Græci, sicut & Latini, supposititias Collectiones habent, id est, in integrum, aut ex parte conflatas ex Canonibus aliis, quàm suis Autoribus adscriptis. Talis est, apud Græcos, Collectio *Canonum Apostolorum* Canones LXXXV. continens, falsò S. CLEMENTI attributa; talis apud Latinos Collectio ISIDORI *Mercatoris* aut Peccatoris, magnam Epistolarum copiam continens Quatuor priorum Sæculorum Pontificibus adscriptarum, nonnullasque subsequentium Sæculorum Pontificibus tributas, cum quibusdam pseudo-Conciliis. Quarumdam apud utrosque Autor incertus est, quamvis Canones sint legitimi: Talis est, Græco-

Græcorum respectu, Collectio divisa in LX. TITULOS, quam alii THEODORETO, alii aliis adscribunt: talis, respectu Latinorum, PANNORMIA, variis autoribus attributa.

Græci & Latini habent BREVIARIA CANONUM, in quibus sensus tantùm, non verba referuntur; sed Latini multùm antè Græcos habuêre. Tale est *Compendium* FERRANDI Diaconi Ecclesiæ Carthaginensis Sæculo VI. editum, & CRESCONII, Episcopi Africani Sæculo VII. Primum CCXXXII. alterum CCC. *Canonibus* constat; ambo juxtà seriem Argumentorum disponuntur. Talis est etiam *Epitome Canonum* ab ADRIANO I. ad CAROLUM MAGNUM missa juxtà ordinem Temporum redacta, & à Collectione Canonum DYONISII *Exigui* desumpta CONC. TOM. VI. *p.* 1800. Eodem numero collocari possunt *Excerptiones* EGBERTI Archiepiscopi Eboracensis *ibid. p.* 1586. quæ juxtà Argumentorum ordinem disponuntur.

Compendia GRÆCORUM XI. XII. XIII. tantùm Sæculis prodiêre: Primum autorem habet ARISTENUM Monachum: Secundum à SIMEONE, *Logothetâ*, profectum est: ambo juxtà Temporum ordinem: tertium ab ARSENIO Monacho, confectum est, juxtà seriem Argumentorum. Hæc omnia reperiuntur in laudatæ *Biblioth. tomo. II.* Celeberrimum & præstantissimum est *Compendium* HARMENOPULI; Judicis *Thessalonicensis*, relatum in primo laudati LEUNCLAVII *Tomo*. Ex omnibus *Occidentalibus* soli Conciliorum *Africanorum* & Synodi *Sardicensis* Canones in Collectiones Græcas ingressi sunt. Prima, in quâ reperiantur Canones *Sardicenses*, est JOANNIS *Antiocheni*. Conciliorum Africanorum Canones à Græcis adoptati, & approbati non fuêre, nisi in Concilio *Trullano Can.* 2. an. 692. & posteà inserti fuêre in Collectione consequenter ad hunc Canonem factâ.

Inter Collectiones LATINORUM solus *Canonum Africanorum Codex* Canonibus Orientalibus caret. Ut plurimùm hi in singulis Collectionibus sunt præcipui, ut facilè patebit ei, qui eas percurret, vel eorum *Indicem* aut *Præfationem*; imò antiquissimæ harum Collectionum nihil aliud sunt, quàm versiones Canonum Orientalium, quibus nonnulli Canones Occidentales adjecti sunt: Talis est 1. Collectio Latina, quæ DIONYSII *Exigui* Collectionem præcessit, ejusque occasio fuit, in quâ non sunt alii Canones Occidentales, quàm *Sardicenses*, 2. Eadem Collectio DIONYSII, quæ continet versionem Canonum Apostolorum ab eo factam, & Canonum Conciliorum in Orientis Partibus habitorum antè finem Sæculi V. quibus velut appendicem subjungit Canones Synodi *Sardicensis* & *Codicis Ecclesiæ Romanæ*. 3. Collectio MARTINI BACCARENSIS, quæ nihil aliud est, quàm versio Canonum Orientalium, de quibus modò locuti sumus, quibus aliquot Canones subjicit è Synodo *Sardicensi*, Conciliis *Africanis* & *Hispanicis* quæsitos; 4. Pseudo-*Isidorus* mentionem expressam facit Canonum Orientalium, inter eos, quos collecturus est, iique in *Indice* primum locum obtinent; 5. LEO IV. *Can.* 1. DIST. XX. commemorat Collectionem Occidentalem è Canonibus Orientalibus priorum Quinque Sæculorum specialiter compilatam, necnon ex Canonibus *Sardicensibus*, *Africanis*, *Carthaginensibus*, & *Decretis Pontificum*.

Primæ Collectiones tàm Græcæ quàm Latinæ, nihil aliud continebant quàm Canones Conciliorum. In prioribus adjecti sunt *Canones Apostolorum*, & quorumdam Patrum Græcorum; in posterioribus inserta sunt Pontificum *Decreta*. Prima Collectio Græca, in quâ hoc cernitur, est JOANNIS *Antiocheni*, qui ipsi LXVIII. *Canones* S. BASILII inseruit. Hic honor ad quinque Patriarchas Alexandrinos productus fuit, DIONYSIUM, PETRUM, ATHANASIUM, TIMOTHÆUM & CYRILLUM, ad GREGORIUM *Neocesarienſem*, vulgò *Thaumaturgum*, ad GREGORIUM *Nyssenum*, ad GREGORIUM *Nazianzenum*, ad AMPHILOCHIUM Iconiensem Episcopum, denique ad GENNADIUM Patriarcham *Constantinopolitanum*. DIONYSIUS *Exiguus* primus est, qui eodem consilio, propositoque *Decreta Pontificia* collegerit, à SIRICIO usque ad ANASTASIUM: undè factum est, ut FERRANDUS *Decreta* SIRICII suæ Collectioni inseruerit, & CRESCONIUS suæ pariter adjecerit hæc SIRICII, necnon reliquorum Pontificum, à DIONYSIO collecta Decreta. Hæc commixtio deinceps in plures alias Collectiones transiit, quales sunt præ cæteris, Collectiones *Pseudo-Isidori*, *Capitularium*, *Capitulorum Adriani* ad *Ingelramum* Episcopum Metensem, *Reginonis*, *Burchardi*, *Ivonis*, *Gratiani*.

Eodem honore, quo Græci, potiti sunt Latini Patres: EGBERTUS S. HIERONYMUM, S. AUGUSTINUM, ISIDORUM, FRUCTUOSUM laudat, his verbis, *dicit Hieronymus*, *dicit Augustinus &c.* undè fortè nata est Locutio *ex dictis Hieronymi*, *Augustini &c.* quæ legitur in Canonibus posterioribus: indè fortè LEO IV. DIST. XX. *Can.* 1. declarat, judicium ferri posse juxtà Sententiam Patrum, definientibus Canonibus Conciliorum, & Decretis Pontificum.

In nullâ Græcorum Collectione, Decretales Pontificum Canonibus annumerantur. Collectiones Græcorum & Latinorum Collectionibus Corporis Juris anteriores *Glosâ* carent. In quasdam Græcorum, Commentarios scripserunt ZONARAS & BALSAMON. Conditæ sunt *Notæ* in *Epitomen* HARMENOPULI; verùm hæ *Notæ*, & *Commentarii* discrepant à *Glossis* Corporis Juris, prout suprà observatum fuit.

Beneficio translationis Collectionum Græcarum in Latinam linguam, & vicissim Latinarum, in Græcam, eæ duabus Ecclesiis communes factæ sunt; sic Collectio post *Calcedonense* Concilium ex omnibus Canonibus eatenùs in Conciliis Orientalibus factis compilata, Latina facta est, & ab Occidentalibus recepta, per Versionem DIONYSII *Exigui*; sic *Codex Africanus* in Græcum idioma translatus, Græcorum Collectio factus est.

Et hæc circà *Collectiones Veteres* cum *Collectionibus Corporis Juris* collatas generatim dicenda erant, nunc de singulis speciatim, agendum est; sed priùs observare hic juvat, FLORENTEM in suâ Dissertatione *de origine Juris Canonici*, in Regulam generalem proponere, Concilia in Canonibus non collocavisse, nisi res ad Mores aut Disciplinam pertinentes; ea verò, quæ ad Fidem attinent, in Symbolis, Formulis Fidei, & Decretis disposita fuisse. Hæc autem Regula aliquas patitur exceptiones, Concilium enim *Carthaginense* an. 418. *Novem* fecit *Canones*, sive Definitiones, circà Peccatum Originale, & Gratiæ necessitatem, qui sunt in *Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ* à *n.* 108. *ad* 116. Hæ Definitiones adversùs Pelagianum virus factæ sunt.

Sunt in Concilio *Arausicano II.* anno 529. habito, *Viginti quinque Canones* circà idem Argumentum sive Definitiones speciales adversùs hæresim Semi-Pelagianam. Denique Concilium *Tridentinum* in Canonibus, quorum copia est magna, complexus est Capita ad Fidem pertinentia, atque extrà Canones collocavit res ad Disciplinam pertinentes.

Observandum est etiam, omnes Collectiones veteres juxtà Argumentorum seriem dispositas, redigi ad Personas Ecclesiasticas, sive Clericos, sive Monachos, & ad Personas Laïcas viros & feminas: in aliis divisio expressa est, bipertitumque opus; pars prior Clericos, posterior Laïcos spectat. Tales sunt Collectiones MARTINI BRACCARENSIS & REGINONIS quoad Occidentales; talis est, quoad Græcos, Collectio HARMENOPULI, qui Duabus his Partibus Tertiam adjicit, quæ complectitur Canones Clericis & Laïcis Communes. In aliis Collectionibus id apparet ex argumento uniuscujusque Tituli aut Libri aut Partis, quippe quod declarat officia

Personarum, id scilicet, quod facere aut vitare tenentur. Id facilè percipietur ex illorum Argumentorum lectione. Hic autem id demonstrari inutile foret, longumque ac tædiosum laborem postularet, sive propter numerum Collectionum, sive propter multitudinem Divisionum generalium ac subdivisionum, in quas distributæ sunt. Hæc exempla prorsùs patrocinantur *Secundæ partis* proposito, circà *Jus speciatim sumptum* versantis, in quâ omnia ad *Personas* reducuntur, prout in consilio Operis observatum fuit, & fusiùs in ejusdem Partis *Præfatione* exponetur. Hæc, inquam exempla docent hanc, Juris ordinandi methodum multis egregiis Viris placuisse.

CAPUT III.

Observationes in Præcipuas COLLECTIONES *GRÆCORUM seorsim sumptas.*

Hic recordari debemus observationis, à quâ Titulus hic orsus est. Scilicet, Collectiones Græcas, de quibus hic agimus, alias non esse ab iis, quæ apud LEUNCLAVIUM aut JUSTELLUM, aut BEVEREGIUM sunt: scilicet 1. Collectio *Canonum Apostolorum* 2. Collectio post *Calcedonensem* Synodum confecta ex ejus, & præcedentium omnium Conciliorum Canonibus. 3. Collectio post Concilium *Trullanum* facta, quæ Canones ejus Concilii cum Canonibus Synodorum anteriorum complectitur, necnon Canones *Epistolarum Canonicarum* præcipuorum Patrum Græcorum, & versionem Canonum Concilii *Sardicensis*, & Codicis Ecclesiæ Africanæ.

4. Collectio PHOTII, qui his adjecit Canones Concilii *Nicæni II.* & Concilii *Constantinopolitani*, quod VIII. Generale dicitur, nonnullosque alios.

5. *Epitome* HARMENOPULI. 6. Collectio alphaberica MATTHÆI BLASTARIS. Post ea, quæ suprà de Collectione Canonum Apostolorum dicta sunt, sive ea, quæ circà eos certa sunt observando, sive eos cum Canonibus priorum Sæculorum conferendo, nihil notandum supereſt nisi quòd, si ex istis conflata sit, ejusque substantia ex eisdem desumpta fuerit, & novam duntaxat formam acceperit, ipsa est congeries Canonum Apostolis suppositorum, cujus substantia, ut plurimùm bona est, sed Titulus falsus, sicut & forma, aliam non habens autoritatem quàm eam, quæ sibi intrinseca est. Undè sequitur, eam esse Primam Collectionem juxtà seriem Argumentorum dispositam, neglecto penitùs tempore, quo Canones, ex quibus coalescit, conditi sunt. In quo Collectioni FERRANDI comparari possit, & ei, quam secundùm ejus exemplum compilavit CRESCONIUS. In his enim ordo Argumentorum numero continuo distinctus fluit, sicut in Collectione Canonum Apostolorum. Iis etiam, quæ de illis Canonibus laudato loco dicta sunt, adjicere hic debemus, *Gratianum* nullum ex iis retulisse, qui à DIONYSIO *Exiguo* collecti non fuerint; cùm nullus sit in ejus Collectione nisi *n.* 45. *inferior.*

De *Primâ Græcorum Collectione* in CALCEDONENSI Concilio laudatâ non loquemur, quæ, juxtà testimonium DIONYSII EXIGUI, in suâ *Præfatione* 165. Canones continebat. Circà eam immorari inutile esset, eo quòd sit Pars Collectionis DIONYSIANÆ, cui duntaxat adjiciuntur *quatuor* Concilii Constantinop. I. Canones, *Octo* Ephesini & *viginti novem* Calcedonenſis. Itaque, hâc expositâ, illa exponetur. Præterea, nihil notandum scimus, nisi alios contendere, eam ultimo Synodi *Laodicenæ* Canone claudi; alios verò affirmare, eam *tres* præterea Canones *Constantinopolitani I.* complexam fuisse. Hæc autem quæstio levis est momenti, pendetque ex aliâ, quæ decidi nequit, nisi ex hujus Primæ Collectionis inspectione, prout DIONYSII *Exigui* tempore, existebat. Et quidem inspiciendum foret, quis Canon *num.* 165. notabatur, quod si conjiciamus ex Collectione ejus Autoris, tres primi Canones Concilii *Constantinopolitani* pertinebant ad hanc Primam Collectionem; is enim numerus *Canoni* 3. ejus Concilii præfixus est: conjiciendo autem ex Collectione, quam JUSTELLUS refert sub Titulo *Codicis Ecclesiæ Universalis*, in Primâ de quâ agitur Collectione, Duo tantùm priores Concilii *Constantinopolitani* Canones continerentur; numerus enim 165. ad Canonem 2. ejus Concilii pertinet. Sed quoniam tertius ejus Concilii Canon *Secundo* adjici potuit in MSS. juxtà quæ JUSTELLUS Editionem suam concinnavit, nihil certum apparet, quominùs credamus, hanc Collectionem continuisse *tres primos* Canones *Primi* Concilii *Constantinopolitani.*

Secunda Collectio, quæ post Concilium *Calcedonense* facta est, posito quòd eadem sit cum eâ, quam JUSTELLUS dat pro *Codice Ecclesiæ Universalis*, differt à *Dionysianâ* 1. In eo quòd illa continet *Septem* Canones Concilii *Constantinopolitani I.* hæc autem *Tres* tantùm; 2. Illa Canones *Octo* Concilio *Ephesino* tribuit; hæc autem nullum ex eo Concilio commemorat; 3. In eo quòd illa refert Canones 28. & 29. Concilii *Calcedonensis*, quos DIONYSIUS omittit: 4. Omnes Canones in illa sub numero continuo collocantur: apud DIONYSIUM autem solo distinguuntur numero, quem habent in Concilio, à quo condita sunt; 5. Illa è CCVII. Canonibus coalescit, *Dionysiana* verò è CLXXXXIII. tantùm; 6. In illâ soli sunt Canones Conciliorum Orientalium: eis autem *Dionysius* adjecit Canones Apostolorum, quos in fronte collocavit; Canones *Sardicenses*, & *Codicem Ecclesiæ Africanæ*, quem dat sub nomine *Synodi Carthaginensis* quæ CXXXVIII. Canones condidit; quæ tamen XXXIII. tantùm fecit, aliosque à præcedentibus Conciliis factos, post eorum in frequenti Cœtu Collectionem, confirmavit, suisque conjunxit. Cùm hic non agamus de illâ Collectione, nisi quatenùs ad Corpus Juris relationem habet, observandum est, apud *Gratianum* nullum esse Canonum à *Dionysio Exiguo* omissorum.

Duæ posteriores, de quibus egimus, ordinem Temporum sequuntur, tres mox commemorandæ seriem Argumentorum.

1. Est JOANNIS ANTIOCHENI, quæ duas facies habet, scilicet, in *Prima* Canones integri referuntur, qui in utràque distribuuntur in L. TITULOS; in Secunda iidem Canones laudantur tantùm cum suo fonte, ipsisque subjiciuntur Leges integræ, ubicumque Argumento congruæ ab Autore repertæ sunt. Cæterùm hæ duæ veluti species Collectionum sunt eædem, utraque vocari potest *Concordia Canonum*, quia in singulis *Titulis* junguntur Canones de eodem Argumento agentes: utraque dici potest *Concordia* seu *Concordantiæ Canonum cum Legibus*, in qua cernitur, in quo ambæ Potestates concurrant ad Tituli cujusvis Argumentum, cùm repertæ sunt Leges, quæ circà illud versentur. Quoad reliquos, scilicet IX. XII. XXI. XXIII. XXIX. XXXI. XLIII. monet Collector, nullas esse Leges scriptas circà ipsorum Argumentum. TITULUS L. etiam Legibus destituitur, verùm insinuatur, eas non quidem defuisse, sed Titulum Legum repertum non fuisse. Rectus est, ut plurimùm, ordo, paucique sunt Tituli, qui cum præcedentibus difficilè conjungantur. Initium fit ex Patriarchis, quos Metropolitani sequuntur, tùm Episcopi exponuntur, quorum officia, tam specialia, quàm communia, cum Dignitatibus superioribus, & cum Prælatis inferioribus, quorum præcipui erant Corepiscopi, quibus subjiciuntur Sacerdotes, Dianoni, omnes denique Clerici inferiores, tùm Monachi, sive Moniales, denique ultimo loco Laïci. Opus hoc ad Episcopos inscriptum fuisse, ostendit conclusio sic concepta. *Hæc verò Episcopi vobis de Canonibus sint constituta; vos autem in iis perseverantes, & pacem foventes, salvi eritis, inobedientes autem si fueritis, puniemini, & bellum sempiternum vobiscum geretis.* Hæc verba desumpta sunt ex fine Constitutionum Apostolis tributarum CONC. TOM. I. *p.* 110. Titulus (*Concordia*) quem gerit hæc Collectio, quique cæteris quibuscumque ejusdem generis Collectionibus dari potest, eamdem non habet significationem, quàm Titulus DECRETI Gratiani, *Concordia discordantium Canonum.* Hic enim significatur Conciliatio Canonum, qui oppositi videntur, facta per reponsiones ad eam

eam contrarietatem; illic verò significatur Collectio Canonum similium, quâ Canones inter se congruere ostenditur, sine *Notis* in hunc finem scriptis.

Præterea diximus ex Præfatione Collationis hujus, quòd tùm, cùm ea facta est, jam circumferebatur Collectio in LX. TITULOS divisa, quæ Autorem movit, ut suam componeret propter duo vitia, quæ in priore reperit. Primum est, quòd omissi fuerant Canones S. BASILII: alterum, quòd sub singulis Titulis non referrentur Canones similes, sed insignior tantùm, aut is, qui convenientior visus fuerat; undè nascebatur incommodum non reperiendi facilè Canones ejusdem generis, in unumquodque Argumentum. Hæc LX. Titulorum Collectio ex ipsa est, quæ tribuitur THEODORETO, rationes in utramque partem refert DOUJAT, *Lib.* 3. *Prænotionum Canonicarum.* Hæc verba inscriptionis operis, *hic universos Canones in* 5. *Titulos digessit*, significant, omnes Canones qui in Præfationis fine enumerantur, in Collectionem relatos fuisse. PHOTIUS, de quo nunc locuturi sumus, duas fecit Collectiones juxtà seriem Argumentorum JOANNIS *Antiocheni* Compilationi in eo similes, quòd Canones integros in primâ referat, eos autem simpliciter laudet in alterâ, iisque subjiciat Leges congruas, quoties tales repertæ sunt: multifariam verò ab illâ discrepantes. 1. Ambæ dividuntur tantùm in TITULOS XIV. verùm singuli Tituli dividuntur in *Capita* plura aut pauciora, pro Argumenti conditione; 2. Utrique adjecti sunt omnes Canones post JOANNIS *Antiocheni* Collectionem facti. 3. Argumenta aliter disponuntur, sitque initium ex Theologiâ & Fide, Canonibus & Ordinationibus. Titulus hic in XXXVIII. Capita dividitur, quorum *Primum* ad Fidem pertinet: *Secundum* varia recipiendorum Canonum genera enumerat, cætera ad Ordinationes pertinent, sub quibus continentur Electiones, Translationes aliæque viæ, quibus Dignitates, aliaque Ministeria Sacra acquiruntur, nec non Collatio Ordinum: in quo Ordinem servat primæ Partis, *Gratiani* formæ ferè similem, ubi, post declarata Juris principia, fit transitus ad Ordinationes in eadem extensione acceptas; item dispositioni *Libri I.* DECRETALIUM, ubi, postquàm de Fide actum est, de Principiis Juris agitur; tùm de Ordinationibus eodem sensu sumptis. Reliquorum Titulorum Argumenta eadem ferè sunt, atque apud JOANNEM *Antiochenum*; Ordo paulò discrepat, quamvis omnia in singulis Titulis ad Personas referantur.

Eædem PHOTII Collectiones ampliores sunt, quàm JOANNIS *Antiocheni* Compilationes, non solùm quantùm ad Canones Conciliorum; sed etiam quantùm ad Canones è Patribus Græcis desumptos: hic enim LXVIII. tantùm, è solo BASILIO Canones refert: PHOTIUS autem omnes Canones Patrum Græcorum *Canone* 2. Concilii *Trullani* approbatorum refert. Excepto ATHANASIO, & LXVIII. *Basilianis*, adjicit reliquos omnes ejusdem Patris ex aliâ Epistolâ ad AMPHILOCHIUM desumptos, atque ex Epistolis ad THEODORUM, GREGORIUM, Presbyterum, ad Archiepiscopos, ad Suffraganeos, & ex ejus Scriptis *de S. Spiritu.* Quod utræque Collectiones referunt ex Patribus Græcis abest è Collectione *Gratiani*, qui alios ex iis non laudat Canones, quàm *Tres* S. BASILII aliundè quàm ex ejus Epistolis accitos, *Unum* ex Libro *de S. Spiritu*; nec non *unum* ex Epistolâ CYRILLI ad DOMNUM. Vid. *Indicem Autorum* à *Gratiano* relatorum, aut laudatorum.

Legum tantùm Compendium à PHOTIO refertur: integræ referuntur à JOANNE *Antiocheno.* Cùm multùm ex utilitate utriusque Operis detraxisset reformatio Legum, ab Imperatore *Constantino*, LEONIS Philosophi filio, facta, BALSAMON huic incommodo providit per remedium *Commentarii* sui, in Leges à PHOTIO laudatas, quæ eædem ferè sunt, atque apud JOANNEM *Antiochenum*: ibi notat quænam abrogatæ fuerint, ex eo quòd in BASILICIS relatæ non fuerint (sic vocantur Leges emendatæ,) Leges quoque post BASILICORUM Editionem promulgatas addit; ut prorsùs ea suppleret, quæ in opere Patriarchæ deficiebant: in quo *Notæ* BALSAMONIS congruunt cum *Glossâ* Corporis Juris, quæ mutationes in Jure antiquo, per Jus novum factas, observat.

PHOTIUS Canones *Sardicenses* post *Calcedonenses*, postque Codicem Ecclesiæ Africanæ collocat instar DIONYSII *Exigui*; sed minori cum ratione: hic enim alios non habebat Canones Orientales colligendos, ideòque, cùm velit hos ab illis distinguere, necessarium fuit, ut illos postponeret Canonibus Calcedonensibus, qui suâ ætate postremi Orientalium erant. Quoad PHOTIUM, plures alii Canones Orientales referendi erant; ii nempè, qui conditi sunt in Concilio *Constantinopolitano* sub NECTARIO habito. In Conciliis *Quinto & Sexto* in *Nicæno II.* in Conciliis *Constantinopolitanis I.* & *II.* atque illi, qui à Patribus Cræcis desumpti sunt. Itaque debuisset non solùm Occidentales Canones ab Orientalibus distinguere, ope *numeri* specialis, quem illis præfigebat, sed etiam illos in medio Orientalium collocando non permiscere.

JOANNES *Antiochenus* neque Concilii *Constantinopolitani* sub NECTARIO, neque Codicis Ecclesiæ Africanæ mentionem facit, Conciliumque *Sardicense* immediatè Concilio *Nicæno* subjicit.

Omittimus, quòd hic JOANNES *Antiochenus* XXVII. tantùm Canones Concilio *Calcedonensi* tribuat: PHOTIUS autem XXVIII. *Codex* verò *Ecclesiæ Universalis* apud JUSTELLUM XXIX. Discriminis hujus causam jàm insinuavimus: plurium scilicet Canonum adunationem, Collectorumve opinionem circà Canones 28. aut 29. ejus Concilii.

Ex omnibus Collectionibus juxtà Argumentorum seriem ordinatis, nulla est, cujus ordo nobis magis arrideat, quàm Collectio HARMENOPULI, Judicis Thessalonicensis. Ea dividitur in SECTIONES VI. quarum 1. spectat *Episcopos*, 2. *Sacerdotes*, *Diaconos*, & *Subdiaconos.* 3. *Clericos.* 4. *Monachos*, 5. *Laïcos*, 6. *Mulieres.* Unaquæque SECTIO subdividitur in TITULOS congruos; *Notæ* quibusdam Canonibus subjiciuntur; pleræque. Autoris nomine carent: Quædam PHILOTHEI, Patriarchæ, aut UTRENSIS nomen gerunt. Inter Patres, quorum Canones adhibet HARMENOPOLUS, duo sunt, quorum Collectores præcedentes mentionem non faciunt, scilicet NICOLAUS, & NICEPHORUS. Hæc Collectio reperitur initio *Tomi Juris Græco-Romani.* Ipsa aliam non habet relationem cum Collationibus Juris, nisi ratione Materiæ, scilicet Canonum Conciliorum & Decretorum Episcoporum Insignium, sive ob Dignitatem Sedis eorum, sive ob propria ipsorum merita. Propter merita Personarum Canones Sanctorum Patrum in Jus relati sunt. Decreta SS. Pontificum propter Sedis eorum Dignitatem in eo pariter recepta sunt. In omnibus Collectionibus Græcis primas semper obtinent Canones è Conciliis desumpti.

Eodem *Tomo* reperiuntur duo Libri *Decretorum* aut *Sententiarum Synodalium* Patriarcharum *Constantinopolitanorum*, quibus similes sunt Decretales Pontificum ex consilio Cardinalium conditæ, quorum magna est copia in Collectionibus Corporis Juris DECRETO *Gratiani* posterioribus.

Omnes Collectiones Græcæ, de quibus locuti sumus, in Collectionem unicam redactæ sunt à MATTHÆO BLASTARE an. 1335. cujus Titulus est, *Syntagma Alphabeticum*, & dividitur in XX. TITULOS, Tituli in *Capita*, quorum Argumentum incipit ex litterâ *Tituli*, scilicet *A. B. &c. A. Titulo* 1. à B. in 2. *Syntagma* significat coordinationem. Hæc ab aliis Collectio discrepat, non solùm in eo, quòd illas compendiosè contineat; verùm 1. in eo, quòd ipse Autor inseruit id, quod ab Interpretibus, ad Canonum intelligentiam aptiùs dictum est, & id, quod adjiciendum putavit: 2. sensum tantùm Canonum, juxtà eorum Interpretationem, refert, eorumque veluti paraphrasim proponit; 3. In singulis *Capitibus* Leges Canonibus conjungit, quoties congruas reperit, sed, ut plurimùm, non indicato

dicato loco, à quo eas desumpsit, eamdemque ob causam *Leges* duntaxat refert, ubicumque non suppetebant *Canones* in idem Argumentum. 4. Quoniam hæc omnia, quæ ad idem Argumentum pertinent, ab eadem *Litterâ* non incipiunt, sæpiùs coactus fuit illa dividere, subque variis *Titulis*, longiùs aliquandò dissitis, collocare id, quod sub eodem Titulo disponi Argumenti conditio postularet; 5. Cùm nonnumquàm Materiæ connexio Autorem induxerit, ut sub *Litteris* prioribus loqueretur de rebus, quæ ab aliâ *Litterâ* incipiunt, quàm ea, à quâ incipit res, quæ Argumenti præcipua Pars est: ad posteriores *Litteras* progressus, ad eam *Litteram* remittit, quoad Canones, qui congruunt *Litteris*, pro quibus alios non reperit. Hujus methodi exempla, suppeditant duæ ultimæ *Litteræ*, quarum prior 4. *Capita* continet, in quibus solùm indicat Canones relatos sub aliis *Litteris*, & posterior unico *Capite* constat, in quo eadem fit remissio ad *Litteras* priores; 6. Consilium hujus Collectionis eam cæteris ampliorem fecit, ccc. quippè *Capita* continet, sub quibus plurimi semper ferè *Canones* referuntur, & multæ *Leges*, aut Observationes ab ipso Autore profectæ, aliundève sine mentione fontis quæsitæ. 7. Collectionem præcedit Historia Canonum in ea adhibitorum, juxtà seriem Temporum dispositа, in quâ Autor notat eorum Epocham, Autores, occasionem & numerum: à *Canonibus Apostolorum*, exorditur, quos à S. CLEMENTE conditos fuisse suspicatur; à quibus transit ad Concilium *Carthaginense*, sub S. CYPRIANO habitum, mediante Sæculo III. quo reprobatum est Baptisma ab Hæreticis, aut Schismaticis, collatum, juxtà Traditionem Ecclesiæ Africanæ, & quarumdam aliarum. Dicit, S. BASILIUM hoc Decretum laudavisse honoris ergà S. CYPRIANUM causâ, similiterque egisse Concilium Generale VI. illud quibusdam Temporum circumstantiis tribuendo, quæ cùm cessaverint, cessare pariter illud debet. Indè transit ad S. DIONYSIUM, Patriarcham *Alexandrinum*, quem dicit ORIGENIS fuisse Discipulum, & HERACLÆ Successorem in illâ Sede, & scripsisse ad BASILIDEM Epistolam circà plura Capita, quæ ab Ecclesiâ velut Canones recepta sunt: tùm loquitur de Concilio *Antiocheno*, adversùs PAULUM *Samosatensem* habito, qui negabat Divinitatem JESU CHRISTI, quemque dicit damnatum, depositum & excommunicatum fuisse à Patribus illius Concilii, HYMENÆO Hierosolymitano, GREGORIO TAUMATURGO Episcopo Neocæsarienſi, à THEODORO fratre ejus, & FIRMILIANO Cæsareæ Cappadocum Episcopo; ipsumque Sententiæ eorum obtemperare recusantem, AURELIANO Imperatori velut contumacem fuisse denuntiatum, qui negotii discussionem ad Romanum Episcopum ejusque Suffraganeos remisit. Denique observat, nullos ex eo Concilio Canones superesse: GREGORIUM autem *Taumaturgum*, qui ipsi interfuit 12. condidisse.

Recensitis posteà Canonibus PETRI *Alexandrini*, & Canonibus Conciliorum *Ancyrani*, *Neocæsarienſis*, *Nicæni*, Generalium I. *Antiocheni*, *Sardicenſis*, *Laodiceni*, commemorat Canones S. ATHANASII, S. BALILII *Magni*, S. GREGORII NYSSENI & Synodi *Gangrenſis*, circà quos magis solito diffusus est, & quorum occasione agit de Anathemate. Hinc transit ad Canones Concilii *Constantinopolitani II.* Generalis, tùm ad Canones S. TIMOTHEI & S. CYRILLI Patriarcharum Alexandrinorum, ubi, occasione accepta de Canonibus THEOPHILI loquitur. Indè pergit ad Canones Concilii *Ephesini* Generalium III. tùm loquitur de Canonibus Concilii *Carthaginenſis*, in quo *Codex Ecclesiæ Africanæ* confectus est & Concilii *Calcedonenſis*, Epistolæque GENNADII Patriarchæ Constantinopolitani ad Concilium *Romanum* directæ, in quâ ostendit, nullam iniquitatem Simoniacæ Ordinationis perversitate esse majorem; deindè consecutivè agit de *Conciliis Generalibus V. VI.* Concilio *Trullano VI.* junctо, & VII. sive *Nicæno II.* breviterque perstrictâ Epistolâ TARASII Patriarchæ, ad Pontificem ADRIANUM, in quâ Simoniacam Ordinationem omni impietatis genere turgere probat ex Scripturis; transit ad Concilium *Constantinopolitanum* vocatum *Primo-Secundum*, suamque Canonum historiam claudit Concilio sub PHOTIO habito, quod eum Sedi suæ restituit. Conciliorum & Canonum Epocha determinatur non definito anno, quo hæc Acta condita sunt, sed nuncupato Imperatore, qui tunc Imperio potiebatur.

Huic Canonum Historiæ, Legum Historiam adjicit BLASTARES, quam sicut, priorem usque ad Sæculi IX. finem producit, claditque Collectione BASILICORUM divisâ in LX. Libros: pluribus autem Articulis distinxit ea, quæ pertinent ad Canones, unico verò comprehendit quidquid de Legibus dixit.

Paululùm immorati sumus circà septimum discrimen Collectionis BLASTARIS & præcedentium, quoniam ex eo discitur, quænam sint illius Collectionis rudera, quæ cognoscere magni refert.

CAPUT IV.

Observationes in COLLECTIONES LATINAS Corporis Juris Collectionibus anteriores, *speciatim consideratas & cum his collatas.*

COllectiones vetustiores, quæ in Corpus Juris ingressæ sint, sunt Collectiones DIONYSII *Exigui*. Scilicet primò Collectio L. priorum Canonum Apostolorum. 2. Canonum *Quatuor* priorum Conciliorum Generalium & *Quinque* Particularium *Canone I.* Concilii *Calcedonenſis* confirmatorum, cum Canonibus ejusdem Concilii: item Canonum Synodi *Sardicenſis*, & Codicis Ecclesiæ Africanæ; 3. Collectio Decretorum Pontificum à SIRICIO usque ad ANASTASIUM (nullibi tamen Collectiones ipsæ laudantur, sed soli Canones in illis contenti) indè *Gratianus* desumpsisse videtur XLIV. Canones Apostolorum, quos hìc illicque refert in unaquaque trium Partium suæ Collectionis, ibi enim, ut plurimùm iisdem verbis referuntur, quibus apud DIONYSIUM concipiuntur, ut ex Collatione comprobatum est; indè desumptus est Canon laudatus à CLEMENTE III. *Cap. 3. de Corpore vitiatis.* Idem est de Canone laudato *Cap. 1. de Clerico Excom. ministr.* Indè quæsitum est, quod ait LEO IX. DIST. XVI. *Can.* 3. indè observat CONTIUS *in h. Canon.* nullum esse exemplar Latinum Canonum, aut Concilium, quod plures quàm L. Canones Apostolorum contineat, esseque *Glossam* MS. apud *Gratianum*, quæ dicit ab Ecclesiâ Latinâ L. tantùm recipi, ac reliquos XXXV. non esse in usu: indè etiam nascuntur Notæ *Correctorum Romanorum* in numerum horum Canonum in Occidente receptorum, sicut Observationes in eumdem finem ab ANTONIO AUGUSTINO propositæ, *Dialogo VI. de Emendat. Gratiani.* Mirum videtur quòd, licèt GELASIUS *Can.* 3. DIST. XV. §. 4. Librum Canonum Apostolorum Apocryphis annumeraverat, DIONYSIUS *Exiguus*, qui eos magnificè commendat in Præfatione suæ Collectionis Decretorum Pontificiorum, quam JULIANO *S. Anastasiæ* (quæ hodie Cardinalitius Titulus est) Sacerdoti dicavit, eos nihilominùs Canones latinitate donaverit, verùm hoc evanescet, posito quòd Liber Canonum Apostolorum ab illo Pontifice reprobatus, à *Prisсillianistis* conditus fuerit. Vid. GONZAL. in ejus Apparatu *de origine &c. n.* 43. ubi laudatur DE MARCA.

Quoniam *Gratianus* nullum ex *Ephesino* Concilio Canonem laudat, quamvis Canones referat ex aliis Conciliis *Quinque* priorum Sæculorum, credibile est, eum usum fuisse *Prima* Collectione DIONYSII *Exigui*,

Exigui, qui hujus Concilii Canones omittit, idque inferri etiam potest, ex eo quòd sæpè Quinque priorum Sæculorum Canones juxta Autoris illius versionem laudat. Nec objiciendum est, eum aliquandò juxtà versiones *Martini Braccarensis*, & ISIDORI *Mercatoris* laudare: in iisdem enim locis, in quibus has versiones laudat, DIONYSIANAM etiam laudat, Canones referendo juxtà triplicem hanc versionem, veluti Canones varios. Hujus rei exempla refert ANTONIUS AUGUSTINUS *Lib.* 1. *Dialogo* X. & XI. *de Emend. Gratiani.*

Quoad Decreta Pontificum à DIONYSIO collecta, *Gratianus* ea sæpiùs laudat, juxtà Ordinem, quem apud illum obtinent Epistolæ Pontificum, à quibus desumpti sunt, non verò juxtà *numerum* singulis earumdem Epistolarum Capitibus ibidem affixum. DIONYSIUS enim omnia Pontificis ejusdem Decreta sub continuà numerorum serie collocavit, numeri, quem habent in Epistolâ, undè illa describit, nullâ mentione factâ. Vid. *Observat.* in BURCHARDUM post medium, quæ locum hunc illustrant

Hæ tres DIONYSII Collectiones *Corporis Canonum* nomen antiquitùs gessisse videntur; ANTON. AUGUSTINUS de veteribus Canonum Collectoribus loquens, inter secundam & tertiam Partem suæ Juris veteris Epitomes, caput scribit in hoc Canonum Corpus. De eo fit mentio *Can.* 1. DIST. XIX. & *Can.* 1. DIST. XX. Ille *Corpus* illud laudat: hic varias Canonum species in eo contentas enumerat. Scilicet 1. Apostolorum. 2. Conciliorum Quinque priorum Sæculorum. 3. Decretorum Pontificum à SIRICIO usque ad GREGORIUM Juniorem. Porrò, hæ tres Canonum species sunt in Collectionibus *Dionysii*. HILARII enim, sequentiumque Pontificum usque ad GREGORIUM Juniorem, Decreta iis posteà adjecta sunt. His ità se habentibus manifestum est, eas Collectiones in Corpus Juris ingressas esse; quoniam *Corpus Canonum* fons communis erat, ex quo Collectores, Canonum saltem ex parte Compilationes suas hauriebant. *Corpus* illud nominatim laudatur TIT. *de Præbend. cap.* 2. à Concilio *Calcedonensi* sumpto, & à DIONYSIO collecto. Vid. GONZALEM in hunc Textum. Quædam Decreta ab eodem *Dionysio* collecta laudantur in Collectione *Gregorianâ*. Tale est Decretum BONIFACII I. laudatum *Cap.* 4. *de præsumpt.* & Decretum GELASII laudatum TIT. *de Conces. Præbend. c.* 2. désumptum ex ejus Epistolâ *ad Episcopos Dardaniæ.*

Quamvis DIONYSIUS aliquid existimationi Collectionis suæ Canonum Apostolorum detraxisset, dicendo in *Præfatione*, eos à plurimis reprobari; ipsi nihilominùs in omnes ferè Collectiones Canonum ingressi, receptique sunt. Eorum consonantia cum Canonibus Conciliorum Quinque priorum Sæculorum superiùs probata, eis venerationem conciliavit, statim ac agnita fuit. Versio vetus cujus confusio, ut monet in Præfatione, videtur occasionem fuisse uni ex ejus Familiaribus, ut ipsum ad novam suscipiendam exhortaretur, ea ipsa est, (ut fertur) quam JUSTELLUS Tom. I. *Biblioth. Juris veteris* edidit. Ut ut sit, non videtur ullum Canonem ex eâ Versione, in Corpus Juris translatum fuisse.

Plerique Synodi *Sardicensis* Canones Decreto *Gratiani* inserti sunt scilicet, 4. 5. 7. 8. 13. 17. 18. 19. Primus & Secundus sunt in Collectione GREGORII IX. Primus TIT. *de Clericis non residentibus.* Secundus TIT. *de Elect. cap.* 2. cum modificatione, quæ abest ab Autographo, *si non pœnituerit.*

NICOLAUS I. putat Canones hujus Concilii Græco Latinoque idiomate scriptos fuisse, Græcè in Orientalium, Latinè in Occidentalium usum. *Nota* Correctorum Romanorum in *Cap.* 9. DIST. LXV. è *Can.* 5. hujus Concilii desumptum, contrarium asserit factum. DIONYSIUS *Exiguus* in Præfatione in suam Collectionem Canonum, *Statuta quoque Sardicensis Concilii atque Africani, quæ Latinè sunt edita*, eodem modo de Sardicensibus ac de Africanis Canonibus loquitur, quos latinè tantùm conditos fuisse constat.

Iidem Correctores in *cap.* 9. laudatum, observant *Can.* 5. *Conc. Sardicensis* aliter in Græco, aliter in Latino sermone concipi. Idem observant in *Can.* 4. CAUS. XI. QUÆST. III. qui Latinè 17. est, Græcè 14. idque ut probent, eos Canones Græcè referunt cum eorum versione; quoad *Can.* 7. relatum *Can.* 36. CAUS. II. QUÆST. VI. & *Can.* 8. relatum *Can.* 28. CAUS. XXIII. QUÆST. VIII. quædam inter Latinum & Græcum observant discrimina.

Codicis *Africani* Canones crebrò referuntur apud *Gratianum*, sed non eodem modo, quo sunt in eo Codice, subque numero, quem ibi habent; verùm prout sunt in Conciliis *Carthaginensibus*, vel *Milevitano.* Quoad Synodos *Carthaginenses* laudantur Canones è 1. 2. 3. 4. 5. 7. In 4. major, quàm in qualibet alterâ, Canonum numerus factus est: hæc itaque sæpiùs laudatur, ita, ut ex ejus Canonibus *quinque* aut *sex* duntaxat relati non sint in *Decreto.* Fortè propter hanc suam copiam hi Canones in Codicem translati non fuêre. Quoad Synodos *Milevitanas*, ex eâ tantùm *Gratianus* Canones laudat, (adversùs Pelagianos habita est, & 8. vel 9. Canones in eos condidit) cum pluribus aliis circà alia Argumenta. Illorum præcipui continuâ serie referuntur *in fine* DIST. IV. *de Consecr.* Cæteri hàc illàc vagantur. Concilium hoc perperàm vocatur *Primum* in *Indice* Conciliorum à *Gratiano* laudatorum: est enim *Secundum* habitum an. 416. *Primum* coalescit ex Canonibus Conciliorum Africanorum præcedentium, ideòque nuncupatur etiam *Concilium Africanum* verbum *Concilii* usurpatur pro *Collectione* CONCIL. TOM. II. *p.* 1323.

Si quis discere penitùs cupiat ea, quæ *Codicem Ecclesiæ Africanæ* spectant, adire debet *Præfationem* ac *Notas* JUSTELLI in hunc Codicem, ipsumque Codicem *Tom. I. Biblioth. Juris veteris Canonici.* Huic etiam Argumento doctam utilemque operam navavit VAN ESPEN in suo opere Critico-Historico in Canones veteres.

Quidam Canones Africanorum Conciliorum in *Gregorianâ* Collectione laudantur, alii in Textibus indè accersitis, cæteri in Textibus, qui eos in probationem afferunt. Hujus postremi generis celeberrimum est *Cap.* 12. *de foro compet.* cæteri sunt *Cap.* 5. *de vitâ & honest. Cler. Cap.* 2. *de Precariis. Cap. de Fidejuss.* ex his tribus prius solùm reperitur in Conciliis Africanis.

SECTIO I.

Collectio MARTINI BRACCARENSIS, cum DECRETO collata.

COllectiones Latinæ, de quibus hactenùs locuti sumus, Ordinem temporum sequuntur; hæc de qua locuturi sumus juxtà seriem Argumentorum ordinatur, ejusque generis apud Occidentales vetustissima est. Ea autem est Collectio MARTINI *Braccarensis* à Concilio *Lucensi* anno 572. habito approbata. Dividitur in Duas Partes. Prima Clericos à Majoribus ad Minores attingit; Secunda Laïcos. Prima LXVIII. Canones; Secunda VI. continet, numero continuo usque ad LXXIV. notatos. Hæc Collectio in eo præterea singularis est, quòd ex majore Canonum suorum parte non sit nisi Versio Canonum Orientalium, à *Dionysianâ* discrepans, in eo, quòd sit exposita Provinciæque utilitati accommodata, quarumdam additionum ope, quæ ipsi insertæ sunt, vel quarumdam mutilationum; DIONYSII autem versio neque additionem neque detractionem habeat. Cæteri Canones, qui nativâ suâ linguâ editi sunt, desumpti sunt è Concilio *Toletano I.* ex Conciliis *Braccarensibus*, è Concilis *Carthaginensibus III. & IV.* è Concilio *Turonensi*: è Concilo *Arelatensi*: è Concilio *Agathensi*:

thenſi. Mirum eſt MARTINUM abſtinuiſſe à Conciliis *Eliberitano*, *Ilerdenſi*, *Gerundienſi*, *Valentinenſi*, *Toletano* 11. aliiſque Conciliis Hiſpanicis, Collectioni ſuæ anterioribus.

Gratianus hanc Collectionem creberrimè laudat, modò ſub nomine *Concilii* MARTINI *Papæ*; modò ſub Titulo *Concilii* MARTINI *Braccarenſis*; modò ſub ſimplici nomine MARTINI *Braccarenſis*; aliquandò ſub Titulo MARTINI *in Capitulis Græcorum Synodorum*. Hanc varietatem comprobavimus, luſtrandò inſcriptiones Textuum ex hac Collectione deſumptorum, qui continuâ ſerie laudantur in *Indice* Conciliorum à *Gratiano* laudatorum. Quemadmodùm Collectio Canonum Conciliorum Eccleſiæ Africanæ dicta fuit *Concilium Africanum*, ſic quoque *Concilium* nuncupatur Collectio à MARTINO *Braccarenſi* facta. MARTINUS vocatur *Papa*, quoniam erat Epiſcopus, omnibuſque Epiſcopis commune tunc erat *Papæ* cognomen. Fortè etiam hi Canones adſcripti ſunt S. Pontifici MARTINO I. qui Concilium adversùs *Monothelitas* celebravit, putatumque fuit, hos in illo Concilio Canones fuiſſe confectos. Laudandi modus aptior is eſt, qui *Can.* 9. DIST. LV. præfigitur, MARTINUS *Braccarenſis in Capitulis Synodorum Græcorum*. Hæc Collectio jam ab IVONE laudata fuerat, ſub nomine MARTINI PAPÆ.

Quoniam MARTINUS *Braccarenſis* in fronte Canonum, quorum novam verſionem edebat, non indicaverat, è quibus Conciliis deſumpti eſſent, *Gratianus* eos ſæpè laudat, velut Canones diverſos à Canonibus Conciliorum, ad quæ pertinent, & conſequenter eos præponit, vel ſubjicit Canonibus eorumdem Conciliorum, nempè *Nicæni Neocæſarienſis*, *Ancyrani*, *Antiocheni*, *Laodiceni*, *Gangrenſis*, aliarum-ve Synodorum Orientalium, quas etiam laudat juxtà DIONYSII *Exigui*, vel ISIDORI *Mercatoris* verſiones. Facilè dignoſcitur ope laudati *Indicis*, ubinam *Gratianus* incuriam hanc admiſerit. Autor ille eſt primus Canonum Compilator, qui eos ætatis Nationiſque ſuæ Diſciplinæ accommodaverit. Duplex cauſa eum ad ſuſcipiendam verſionem hanc induxit, ut in *Præfatione* ſua teſtatur. Prior eſt quòd verſio, quam habebat, & quæ in *Gallæciâ* (hodiè *Luſitaniâ*) circumferebatur, obſcura erat ob difficultates perſpicuæ & accuratæ verſionis confectioni obſtantes. Secunda eſt, quòd manca & mutilata erat, ſive ob ignorantiam, ſive ob negligentiam Amanuenſium. Hæc ratio cadere etiam poteſt in Canones eodem vitio propter Amanuentium incuriam laborantes. Præſtantior ejus Editio ea eſt, quæ extat in *Appendice Tomi I. Bibliothecæ Juris veteris* à JUSTELLO publicatæ. DOUJAT ei adjecit Canones, ex quibus MARTINUS id, quod habet, deſumpſit, Græcos juxtà verſionem *Dionyſianam*, cæteros nativo ſermone, eiſdemque verbis, quibus concepta ſunt in Conciliis Latinis, variis Lectionibus in margine collocat. Ideò LABBÆUS *Conc. Tom. V. p.* 902. illuc remittit, referens tantùm Canones abſque eorum fontibus, cum notâ GARCIÆ, qui *Can.* 4. DIST. XVIII. in exemplum proponit Canonum Græcorum quamdam à MARTINO paſſorum mutilationem. *Canon* hic deſumptus eſt ex *Can.* 20. *Concilii Antiocheni*, qui duo Concilia quotannis celebrari jubet, eorumque tempus definit. Martinus reſecat, id quod ad Definitionem hanc pertinet.

ANTONIUS AUGUSTINUS tres Dialogos ſcripſit *de Mendis* GRATIANI circà laudationes Collectionis MARTINI *Braccarenſis*, nempè X. XI. & XII. *Lib.* I. Alia præterea exempla obiter obſervat aliarum mutilationum ab illo Autore factarum, loquens de I. mendo, quod eſt laudaviſſe ex Concilio MARTINI Papæ, obſervat DEMOCHAREM in margine horum Textuum monuiſſe, eos eſſe MARTINI *Braccarenſis*. Exempla dabunt *Can.* 7. DIST. LXIV. *Can.* 2. DIST. LXV. Quod dicit deindè in *Can.* 9. DIST. LV. ſuppeditat exemplum additionis à *Martino* Canonibus à ſe tranſlatis inſertæ; nam Canoni Concilii Nicæni, qui ab Ordinum receptorum exercitio, & à Promotione ad Ordines, excludit eos, qui ſe ipſos ſecuerunt, hanc expoſitionem adjicit, *non per Diſciplinam Religionis & abſtinentiæ, ſed per abſciſſionem plaſmati, non per Diſciplinam à Deo corporis, exiſtimans poſſe à ſe carnales concupiſcentias amputari*. Plures alii conſecutivè reperiuntur eod. *Dialogo* X. Ibidem etiam videtur exemplum mutationis, ad accommodandum Diſciplinæ Sæculi ſui Canonem, factæ. Deſumptum illud eſt è *Can.* I. DIST. XXVII. ubi MARTINUS *Canonem* 10. *Ancyranum* vertens, qui permittit ordinari Diaconum eum, qui uxorem ſe ducturum eſſe proteſtatur, eum ita interpolat, ut talis Clerici Ordinationem prohibeat. Facile foret alia exempla ſubnectere ſimilia tribus, quæ relata ſunt eaque à *Gratiano* accire; ſed hæc ſufficiunt, ut pateat Collectionem *Martini* Braccarenſis in Decretum ingreſſam fuiſſe, cum mutationibus, quas in Græcos Canones in ea contentos invexit. Idem Autor aliquid etiam immutavit in Canonibus Latinis, quos reculit, ſive quoad verba, ſive quoad ſenſum. Exemplum habemus in *Cap.* 23. ubi formam *Canonis* I. Concilii *Toletani* 11. inflectit, ſcribitque *Cilicio* pro *Concilio*. Hic apud *Gratianum* refertur *Can.* 68. DIST. I. prout eſt in Concilio *Toletano*, niſi quod etiam ſcribitur *Cilicio* pro *Concilio*. Duo alia ſunt exempla, in quibus *Gratianus* mutationes à MARTINO factas ergà *Canones* 14. & 15. ejuſdem Concilii ſecutus non eſt. Apud *Martinum* hi ſunt 30. & 31. apud GRATIANUM *Canon* 26. & 27. CAUS. XXVII. QUÆST. I. contrà, ſunt quidam Canones Latini, quos *Gratianus* à MARTINO *Braccarenſi* deſumpſit, iiſdemque verbis retulit, non curans, utrùm aliter in Concilio *Toletano* I. *Can.* 3. ſe haberent: Vid. *Can.* 17. 18. DIST. XXXIV. & *Conc.* TOM. II. *pag.* 1224. Atque ex eo certiùs noſcitur, quàm ex inſcriptione, ex quonam fonte *Gratianus* hauſerit. Canonis enim verba inſcriptionis fidem comprobant, quæ aliàs falſa eſſet. Mentio nulla fit in Corpore Juris Collectionum FERRANDI, CRESCONII, REGINONIS; BURCHARDI, IVONIS, quamvis *Gratianus* plures Canones à *Burchardo*, atque *Ivone* hauſiſſe videatur; ſecùs eſt de Collectione ISIDORI, de Collectione Capitularium, de Collectione ADRIANI ad *Ingilramum* Metenſem Epiſcopum directâ, quæ ſæpiùs nominatim laudantur.

SECTIO II.

Collectiones ISIDORI, *Capitularium &* HADRIANI *cum* DECRETO GRATIANI *collatæ.*

QUoad Collectionem ISIDORI, dicendum eſt, GRATIANUM eam laudare quoties *Iſidorum* laudat, circà Canones Apoſtolorum aut Conciliorum. Quod enim ex eo tunc laudat, deſumptum eſt ex Collectionibus ab ISIDORO Hiſpalenſi compilatis, aliiſve ſub nomine *Iſidori Mercatoris*, aut *Peccatoris* editis. Ex his ultimis Collectionibus deſumpta eſt ferè integra DISTINCTIO XVI. Quod enim in eâ laudatur ſub nomine *Iſidori*, reperitur in Collectione ejus, qui *Pſeudo-Iſidorus* ideò vocitatur, quia falſarius eſt, qui germani *Iſidori* nomen ſumpſit, eique ſuam rapſodiam adſcripſit. Generaliter ab iis, qui verâ eruditione florent, agnita eſt ſuppoſitio, ideòque inutile eſſet ejus probationes hìc congerere, eò magis, quòd plures ex illis id jam victricibus ratiocinationibus præſtiterint. Itaque, circà hoc Argumentum, ſufficiet nobis proponere Regulam, quæ videtur certa: ſcilicet, pro ſpuriis habenda ſunt Acta omnia ibi relata, ſi in nullo vetuſtiore Autore reperiantur, quàm is Autor, qui Octavo Sæculo ſcripſiſſe creditur. Hæc Collectio typis mandata fuit an. 1520. Hæc Editio laudatur ab ANTONIO AUGUSTINO *de antiquis Collectoribus Canonum. Cap.* XVIII. ubi aſtruit Catalogum Actorum, quæ continet. BORTIUS EPO *de Jure Sacro Cap.* 6. ſimilem dat Catalogum, ſed multo ampliorem. *Antonius* AUGUSTINUS

Collec-

Collectionem MARTINI *Baccarensis* commemorat velut partem Collectionis ISIDORI. Quod in hac novi continetur, constat ex Compilatione *Decretalium* omnium Prædecessorum SYLVESTRI, cum *Decretis* eorumdem Pontificum, & ex Collectione Conciliorum Callicorum, atque Hispanicorum, quæ *Septem* prioribus Sæculis habita sunt: item ex *Donatione* CONSTANTINI, cum Decretis Pontificum posteriorum iis, quorum Decreta *Dionysius* compilavit. Ex hac Collectione *Gratianus* desumpsit ea, quæ laudat è spuriis Decretalibus, posito quòd ejus verba consentanea sint verbis in eâ compilatione expressis (secùs ex Collectoribus *Isidoro* posterioribus hausit, qui illas Epistolas interpolaverunt;) item posito quòd hæc consentanea excerpta neque à BURCHARDO, neque ab IVONE, aliove Collectore, quem *Gratianus* describere potuerit, compilata fuerint.

Alia plurima circà eamdem Collectionem dicenda essent, sed ea ab ejus Collatione cum Decreto, cæterisque Collectionibus Corporis Juris hic institutâ, sunt aliena. Adjiciemus, eam esse primum fontem Textuum XIV. à spuriis Decretalibus desumptorum, qui leguntur in Collectione *Gregorianâ*: monebimusque, 1. BALUSIUM in suâ *Præfatione* in REGINONEM, meminisse Codicis MS. Ecclesiæ *Urgellensis*, quòd alias non continet *Epistolas*, quàm Successorum DAMASI: multa esse Concilia, Decreta Pontificum, aliaque Acta relata in illâ Collectione, quæ in nullâ aliâ anteriore visuntur, undè sequitur Collectores posteriores ex illâ sumpsisse id, quod ex iis Actis referunt.

Plures quàm XV. apud *Gratianum* sunt *Canones* è Collectione *Capitularium Regum* desumpti, qui laudantur, modò sub nomine *Capitulorum* CAROLI MAGNI, modò sub hoc Titulo, *è Libris Capitularium*, atque è singulis septem Libris desumpti sunt. ANTONIUS AUGUSTINUS duos *Dialogos* in hos Canones scripsit X. & XI. *Libri II.* in quibus exponit originem verbi *Capitularia*, eamque à verbo, *Capitulum* derivat. De septem Librorum Collectoribus loquitur ANSEGISO Abbate, & BENEDICTO Diacono, observatque discrimen harum duarum Collectionum.

Hæc omnia fusiùs exponuntur à BALUSIO in *Præfatione* Editionis horum *Capitularium* ab eo publicatæ. Inter *Notas* hujus Autoris in hoc opus, una est valdè congrua, nempè, *Gratianum* longiùs à pravo exemplo BURCHARDI recedentem, qui affectavit abstinere à laudandis illis nominatim, excerpta indè expressa aliis tribuendo, *Gratianum*, inquam, ea nominatim laudare, etiam in Argumentis maximè spiritualibus vid. *pag.* 1148. *Tom. II. sub finem*, ubi remittit ad suas *Notas* in *Gratianum* atque in *Reginonem*.

Ad percipiendam æquitatem hujus criminationis in BURCHARDUM, quam multoties in operibus suis BALUSIUS repetit, discutiendum esset, an *Capitularium* loca, quæ aliis attribuit, sint ex iis, quæ in Conciliis reperiuntur, undè partim eruta sunt *Capitularia* juxtà Notam ANTONII AUGUSTINI loco laudato: si enim eodem modo se habeant in Conciliis atque in *Capitularibus*, BURCHARDO ipsa laudare licuit sub nomine eorum Conciliorum: si non existant in Conciliis, nullusque alius ante ipsum, ea Conciliis iisdem adscripserit, fontem, à quo illa deprompsit, dissimulare sine perversitate non potuit. Hæc obiter dicta sint. Talis facti discussio nostri non est instituti. Redeamus ad ANT. AUGUSTINUM: is de Canonibus omnibus non loquitur, quos *Gratianus è Capitularibus* desumpsit, quos si quis noscere cupiat, id facilè consequetur ope *Tertii Indicis* DECRETI, qui cum cæteris ad calcem Corporis Juris situs est, ubi illi fideliter laudantur, ut ex discussione seriâ comprobavimus. Unius tamen meminit ANT. AUGUTINUS, qui ab hoc *Indice* abest; scilicet *Can.* 16. CAUS. XXII. QUÆST. V. Hunc Gratianus CORNELIO Pontifici tribuit juxtà exemplum *Burchardi* & IVONIS. Error à pravâ intentione *Burchardo* attributâ nasci potuit, quem incautè Ivo secutus est. Quamvis in *Capitularia* plura è spuriis Decretalibus capita irrepserint; ut patet ex Capitulis ad *Ingilramum* missis, quæ ab iis Decretalibus eruta sunt, & majore sui parte in *Capitularibus* inserta; nullum tamen eorum est inter ea, quæ *Gratianus* retulit.

Quoad Collectionem HADRIANI I. ad *Ingilramum* Metensem Episcopum missam, scitu necessarium est, hanc valdè discrepare ab ea, quam Romæ An. DCCLXXIII. *Carolo Magno* dedit, & quæ nihil aliud est, quàm Epitome Canonum Apostolorum & Conciliorum Orientalium à DIONYSIO *Exiguo* conversorum; item Canonum Concilii *Sardicensis*, & Conciliorum *Africanorum*, quos *Dionysius* Collectioni suæ adjecit. *Prior* enim pro *Ingilramo* condita fuit, ipsique missa: Canones in ea integri referuntur, aliundèque desumuntur, quàm Canones *Secundæ* Collectionis. Nam pleraque sunt excerpta spuriarum Decretalium, ut patet ex Notis ANT. AUGUSTINI. An. DCCLXXXV. edita est, & latiùs non extenditur, quàm circà tuitionem Episcoporum aliorumve Ecclesiasticorum oppressorum: Ea cum illis *Notis* refertur CONC. *Tom. VI. p.* 1828. Altera etiam refertur p. 1800. *Notæ* laudatæ Textus indicant, quos *Gratianus* indè desumpsit, nec non spurias Decretales, aut pseudo-Concilia, undè deprompti sunt. Duo ejus rei sunt exempla *Notæ* 1. Iidem Textus similiter indicantur in *Indice* 1. suprà laudato, in verbo *Adrianus VIII.* A *Capitulis* desumpti fuêre, distinguunturque his verbis, *in Capitulis*, ab aliis textibus ejusdem Pontificis, qui ab aliis ejus Scriptis, *Epistolis* scilicet, & *Decretis* desumpti sunt.

SECTIO III.

Observationes in Collectionem REGINONIS, *collatam cum* DECRETO.

NEscimus, utrùm *Gratianus* REGINONIS Collectionem cognoverit; multò magis ignoramus, an eâ usus fuerit. Novimus duntaxat Canones ab eo Autore laudatos, in quorum margine *Gratianum* laudat BALUSIUS, diverso modo apud *Gratianum*, quàm apud REGINONEM concipi. *Tres* sunt in LIBRO I. *Primus* est *Can.* 11. desumptus è Concilio *Braccarensi*, qui prohibet Episcopo plus quàm duos solidos (*aureos*) à Parœciâ, quàm visitat, accipere. *Gratianus* eum refert *Can.* 1. CAUS. X. QUÆST. XXXI. cum *paragrapho*, qui non existit apud REGINONEM, quo interdicitur Episcopo dominatio in Clerum. *Secundus* est infrà *Can.* 243. prohibetque, duos Parochos in eadem Parœciâ constitui, hanc conferendo mulieri, quæ duos viros eodem tempore habere nequit. Hic apud *Gratianum* est *Can.* 39. CAUS. VII. QUÆST. I. fusiùsque & aliis verbis concipitur; quamvis CALLIXTO I. tribuatur, sicut apud REGINONEM. *Tertius* est *Can.* 443. qui versatur circà scrutinium antè Consecrationem Episcopi faciendum. Amplior est apud *Gratianum* Canon: vid. DIST. XXIII. Is utrique Concilio *Carthaginensi IV.* tribuitur.

Duo Canones ejusdem generis in LIBRO II. reperiuntur. *Prior* est *Can.* 107. S. HYERONIMO attributus, in eo quinque Matrimonii legitimi species distinguuntur; quinto loco ponitur illud, quòd vir aut uxor, qui prius Matrimonium consummaverunt, cum aliâ personâ contrahunt, postquàm alteruter ex aliûs Conjugis consensu, Monasterium ingressus est. Posterioris hujus Matrimonii nullitatem notat REGINO. *Canon* hic apud *Gratianum* in duas partes dividitur; prior est *Can.* 8. CAUS. XXXVI. QUÆST. II. in quo de tribus prioribus Matrimonii legitimi speciebus solùm agitur. Pars altera est *Can.* 13. CAUS. XXVII. QUÆST. II. qui quartam Matrimonii legitimi speciem commemorat; omissâ quintâ quæ *Gratiano* visa est illegitima. Hi duo Canones, quos *Gratianus* tantùm à se invicem removit, quamvis alius alteriûs sit pars, sensusque Secundi pendeat à Primo, consecutivè referuntur ab IVONE, *Part.* 8. *Can.* 40. & 41.

Alter LIBRI II. Canon, ad cujus marginem *Gratianus* à BALUSIO notatur, est *Can.* 268. Hunc Laïco REGINO accommodat, juxtà argumentum hujus *Libri II.* In eo

de Furto, criminisque ejus pœnitentiâ agitur, cùm capitale est, & secùs; apud *Gratianum* is est *Canon* 17. CAUS. XVII. QUÆST. IV. casusque exprimitur, quo delictum à Clerico admissum est. *Gratianus* Pœnitentiale *Romanum*, REGINO, *Pœnitentiale* simpliciter laudat. *Cap.* 266. exemplum simile suppeditat. Ad quadrupli restitutionem damnat eum, qui pecuniam Ecclesiæ furatus est; in duplum verò eum, qui plebis ærarium subripuit: Inscriptio fert *ex Lege Romanâ*. GRATIANUS, quem BALUZIUS laudat sub hoc *Can.* 161. *Can.* 16. ibid. CAUS. XVII. QUÆST. IV. idem dicit, adjicitque, eum, qui rem ad Ecclesiæ usum destinatam furatus erit, septem annorum pœnitentiæ subjiciendum esse, quorum tres cum pane & aquâ transigentur. Laudat *Pœnitentiale* THEODORI.

Tertius est ejusdem *Libri* Canon, qui apud *Gratianum* occurrit, scilicet 49. quem REGINO, *Ferrando* Diacono attribuit. Eum *Gratianus* refert *Can.* 23. DIST. I. *de Pœnit.* & laudat sub nomine AUGUSTINI. Correctores autem Romani notant, eum è variis ejus Patris laciniis invicem consutis esse coagmentatum. In eo probatur, Homicidium tàm consilio & verbo, quàm facto admitti.

Cæterùm, quamvis apud *Gratianum* magna foret copia Canonum REGINONIS Canonibus consentaneorum, indè concludi non posset, illum hujus Scriptoris Collectione usum fuisse; constat enim, BURCHARDUM ex hac plusquam 600. Canones desumpsisse; partimque à *Gratiano Burchardum* transcriptum fuisse. Itaque BURCHARDUS hujus convenientiæ fons immediatus esse potest.

Collectionis inscriptio fontes, è quibus derivata est, indicans, Conciliorum & Decretorum Pontificum solùm expressam mentionem facit: plura tamen Capita desumpta sunt è Patribus S. BASILIO, HIERONYMO AMBROSIO, AUGUSTINO, ISIDORO, Legibus Romanis, *Pœnitentialibus* THEODORI, BEDÆ, sed præcipuè è *Capitularibus Regum Franciæ*, in quo exemplum præbuisse *Gratiano* videtur, qui generali nomine *Canonum* (qui Conciliorum specialis fœtus sunt) complexus est quæcumque laudat è Pontificibus, Patribus, Autoribus Ecclesiasticis, Legibusque Sæcularibus.

SECTIO IV.

Observationes in Collectionem BURCHARDI *collatam cum* DECRETO *cæterisque Collectionibus Corporis Juris.*

CONstat *Gratianum* magnam Canonum copiam ex BURCHARDO, vel immediatè descripsisse, vel mediatè ex IVONE hauriendo, qui illius Exscriptor fuit, ut *Notæ* marginales probant. Idem efficiunt crebra exempla, quæ ex eo laudat ANT. AUGUSTINUS in suis de *Emendatione Gratiani* Dialogis. *Gratianus* tamen BURCHARDUM nusquàm laudat nominatim, nec IVONEM, à quo longè plura desumpsit; duxit enim opportunius fore, si Canones cum inscriptione, quam in illis Autoribus habent, referret; tamquàm si eos à fontibus desumpsisset; ex quibus illi hauserant. Fortè Autographa, quibus illi usi sunt, ipse non habebat. Ut ut sit de causis hujus silentii, atque optionis, quâ, neglectis fontibus, rivulos prætulit, hæc ejus Operi valdè nocuit; sic enim earum Collectionum menda in DECRETUM irrepsère. Hujus facti probationem continent laudati *Dialogi*. BALUSIUS in suâ Præfatione in hos *Dialogos num.* XXIX. notavit etiam, illud esse unam è causis mendorum *Gratiani*. Adversùs id, quod diximus, nempè, BURCHARDUM nusquàm nominatim à *Gratiano* laudari, objici nequit *Can.* 1. DIST. LXXIII. Licèt enim Textus hic à BURCHARDO primam originem ducat, *Burchardusque* ipse in eo loquatur, quippè, qui est *Exeat perpetuum* ab eo Episcopo cuidam Sacerdoti suæ Diœceseos concessum, quo eum alii Episcopo donat, is tamen non refertur sub nomine *Burchardi*, sed sub hac Inscriptione, *ex Nicænâ Synodo*, quia cum BURCHARDO contendit Concilium hoc ejus generis Epistolarum formam præscripsisse.

Autor Primæ veterum Collectionum in eo *Gratianum* secutus non est. BURCHARDUS enim laudat nominatim, *Cap.* 2. *de sponsâ duorum. Cap.* 1. *de frigidis. & Cap.* 9. *de accusat.* Per B. L. 19. enim significat hunc Autorem, ut observat ANT. AUGUSTINUS in hos Textus. Ii in Collectionem *Gregorianam* cum Titulis iisdem migraverunt, cum hoc discrimine, quòd BURCHARDI nomen corrumpitur, dicaturque *ex* BROCHARDO *Cap.* 2. *de sponsâ duor. ex Brochardico* in reliquis.

Collectionis Inscriptio notabilis est. In ea fit mentio, 1. Divisionis ejus in XX. Libros. 2. Fontium, è quibus desumpta est, scilicet Conciliorum, Decretorum Patrum Orthodoxorum & Synodorum variarum Nationum. 3. Amplitudinis Argumenti, quidquid ad Officia Ecclesiastica pertinet, vetereque Ecclesiarum usum complectentis.

Sub finem *Præfationis* distinctiùs indicat BURCHARDUS Collectionis suæ fontes, dicendo, eam è Canonibus, qui *Corpus canonum* vocantur, esse desumptam; 2. è Canonibus Apostolorum: 3. è Conciliis Ultra-Marinis; 4. è Conciliis in Germaniâ, Galliâ, & Hispaniâ habitis; 5. è Decretis Pontificum; 6. è Scripturis Evangelicis & Apostolicis; 7. è Veteri Testamento; 8. è Libris S. GREGORII; 9. è SS. Patribus HIERONYMO, AMBROSIO, AUGUSTINO, BENEDICTO, BASILIO *Magno*, ISIDORO. 11. è *Pœnitentiali Romano*, & *Pœnitentialibus* THEODORI & BEDÆ.

Difficile est detegere, quid intelligat per Collectionem, quam *Corpus Canonum* vocat, & quam distinguit ab aliis fontibus. Dici nequit, eam esse primam DIONYSII *Exigui* Collectionem, quoniam hæc Canones Apostolorum continet, & Concilia Ultramarina, sub quibus Germaniæ Incola Canones Africanos, atque Occidentales comprehendere debebat. Dici etiam nequit, hanc Collectionem esse Secundam *Dionysii*; quoniam hæc nihil aliud, quàm Decreta Pontificia complectitur, quæ BURCHARDUS nominatim distinguit à *Corpore Canonum*, quod affirmat esse primum Collectionis suæ fontem. Dici nequit, eum per illud *Corpus* intelligere Collectionem *Isidori*, quæ nomen hoc ob molem suam meretur, sæpiùsque à BURCHARDO adhibetur; ea enim omnes Canonum species comprehendit, quos *Burchardus* à Canonibus *Corpus Canonum* dictis distinguit. Fortè illo verbo intelligit omnes Collectiones Canonum, suæ Anteriores, quarum singulæ nomen *Corporis Canonum*, perindè ac *Codicis Canonum* gerere possunt; sed maximè insigniores, quæ erant DIONYSIANÆ & ISIDORIANÆ, illis multò amplior, pluraque continens Concilia & Decreta Pontificum, anteriora vel posteriora iis, quæ illæ continebant.

Ut ut sit, constat pluribus retrò Sæculis extitisse Collectionem *Corpus Canonum* dictam, cujus fit mentio *Can.* 1. DIST. XIX. *si Romanorum*, desumpto ex *Epistolâ* NICOLAI I. *ad Episcopos Galliæ*, in quâ nititur probare, Decretales Prædecessorum SIRICII rejici idcircò non posse, quòd à Corpore Canonum abessent, *in toto Codicis Canonum Corpore*. Corpus hoc ab *Isidori* Collectione discrepat, quæ has Decretales complectebatur, nec aliud est, quàm Collectiones DIONYSIANÆ, in quarum alterâ compilatæ sunt Decretales Pontificiæ, in alterâ verò collecti sunt plerique Canones Sæculo VI. Anteriores. Controversia inter Pontificem & Galliæ Episcopos agitata, in eo vertebatur, quòd illæ antiquæ Decretales non erant in Codice, qui cæteras continebat, quamvis ejus Compilator seu Autor declaret, se diligenter collegisse, quascumque Romanis in Scriniis reperit. De hoc *Canonum Corpore* fit sermo *Can.* 1. DIST. XX. in quo LEO IV. ad Pontificatum an. 847. evectus, enumerat quidquid in illo continetur, & jubet, illud in Judiciis usurpari, sicque declarat, illud esse Codicem Ecclesiasticum tam Civilem quàm Criminalem. De eodem Corpore fit mentio in Inscriptione *Canonum* 9. & 10. CAUS. XXVII. QUÆST. I. quæ expressè *Codicem Canonum* commemorat laudat.

laudatque Decreta INNOCENTII juxtà numerum, quem habent in *Dionysianâ* Pontificiorum Decretorum Collectione.

De eodem *Corpore Canonum* intelligi potest inscriptio *Cap. 2. de Præbend.* In prima veterum Collectionum & in *Gregorianâ*, sic ea concipitur *ex Corpore Canonum*; hoc enim caput partim desumptum est è *Can. 6.* Concilii *Calcedonensis* in DIONYSIANA Collectione contento.

Credibile est præterea, quòd quotiescùmque Concilia Sæculis V. VI. & VII. posteriora remittunt ad *Corpus Canonum*, credibile est, inquam, quòd illa remittunt ad Collectionem *Dionysianam*, aliumve Codicem, qui eos contineat; aliàs difficile esset assignare causam hujus remissionis. Sic interpretari possumus *Can.* 18. Concilii *Braccarensis II.* an. 563. habiti, & *Can.* 3. Concilii *Toletani IV.* an. 633. Eodem modo intelligi potest *Cap. 1. de Constit.* è Concilio *Meldensi* an. 843. desumptum, quod jubet, in actionibus & Judiciis Canonum Statuta custodiri: in quo congruit cum laudato *cap. 1.* DIST. XX.

Denique, Regula hæc proponi potest: scilicet, quotiescùmque Collectores Canonum laudant Decreta Pontificum à *Dionysio* collecta, juxtà numerum, quo distinguuntur in ejus Collectione, tunc eos eam ipsam Collectionem laudare. Plura laudationum ejusmodi exempla apud BURCHARDUM occurrunt LIB. VIII. *Cap.* 2. 8. 12. 13. 15. 29. 34. 79. Cæteri Libri similia exempla suppeditant, quæ facilè reperientur ab eo, qui hos lustrabit Libros.

Noscitur etiam, Collectores è Collectione *Dionysianâ* Decreta Pontificum desumpsisse, cùm eorum *Epistolas*, *laudant* juxtà numerum, quem ibi obtinent. Itaque, cum *Gratianus* laudet *Epistolam* INNOCENTII I. ad VICTRICIUM Episcopum Rothomagensem, velut *Secundam* ejus Pontificis, *Epistolamque* ejusdem ad EXUPERIUM, velut *Tertiam* ejusdem, concludi debet, eum è Compilatione *Dionysianâ* Decreta ejusmodi desumpsisse; quoniam ibi illum ipsum ordinem obtinent. Hæc observatio producenda est ad Decreta Epistolæ ad FELICEM Nucerienſem Episcopum, quam laudat, ut *Quartam*. & quæ sub pari numero collocatur apud DIONYSIUM. Hujus facti probationes inspici possunt ope *primi Indicis* in DECRETUM, in quo Epistolæ ejus Pontificis, eodem, quo in Collectione DIONYSIANA, modo ordinantur, & prout à *Gratiano* laudantur. Plura laudat *Gratianus* Concilia, quæ in nullâ, quàm BURCHARDI Collectione reperiuntur: ex eo proindè excerpsit, quod ex iis laudat, nisi fortè ipsa laudet IVO eodem modo, quo *Gratianus*; Talia sunt Concilia apud *Alteim*, *Erphosfurt*, & *Salingestad* habita. Mendosa in Concilium *Eliberitanum* LIB. I. *cap. 6.* Decreta XII. refert huic Concilio falsò à *Burchardo* attributa, subque eodem nomine à *Gratiano* laudata, & validè attributionis falsitatem probat. Ea referuntur *Tom. I.* CONC. *p.* 1038. ad 1041. cum indicatione locorum *Gratiani*, *Ivonis*, *Burchardi*, qui ea retulère.

Sunt apud *Burchardum*, sicut apud GRATIANUM, *Summæ* falsæ circà Canones; quorum exemplum insignius est in Summâ *Can.* 3. *Lib.* 1. Canon jubet, ut non detur Metropolitano nomen Principis Episcoporum, aut Summi Sacerdotis, sed ut vocetur tantùm Episcopus Primæ Sedis: *Summa* fert, Romano Pontifici dandum non esse Summi Sacerdotis nomen, sed Episcopi Primariæ Sedis, sicque accommodatum est Episcopo, Primæ Sedis Ecclesiæ Universalis id, quod de Episcopo, Primæ Sedis uniuscujusque Provinciæ dictum est. *Canon* hic est 6. Concilii *Africani*, quod est Collectio Conciliorum Africanorum iisdem constans Canonibus, quibus Codex Ecclesiæ Africanæ; exceptis tamen XXXIII. qui conditi fuère in Concilio *Cartaginensi* an. 419. in quo facta fuit Collectio Canonum Conciliorum Africanorum *Concilium Africanum* nuncupata, CONC. *Tom. II. p.* 1068. *col.* 2. sub medium *Can.* 24. à quo incipit hæc Collectio, (ut docet Nota marginalis) usque ad *Can.* 120. exclusivè continuata, qui primus est Canon Concilii *Milevitani* ad Collectionem hanc non pertinentis.

SECTIO V.

Observationes in Collectionem IVONIS *Carnotensis, collatam cum Collectionibus* CORPORIS JURIS.

HÆc Collectio amplior est Collectione BURCHARDI, hæc autem amplior, quàm Compilatio REGINONIS, & sic deinceps hæc anterioribus diffusior est.

Discrimen necessarium à duabus causis proveniens. Prima est, quòd Collectores posteriores Collectionum præcedentium omissiones, hiatusque detegentes, ad eas supplendas incubuêre: secunda, quòd in intervallo duas inter Collectiones elapso, plures condantur Canones non contemnendi, quos adjiciendos esse sibi conscii sunt; undè fit ut Collectio, *Gratiani*, *Ivonis* Compilatione longè amplior sit. Hæc autem observatio restringenda est ad Collectiones universales, quæ complectuntur Canones omnium Sæculorum Autori suo anteriorum. Quoad enim Collectiones certo spatio circumscriptas, illæ tempori, quo proponuntur, proportionales sunt; eodem ferè modo se habent eæ, quæ ad certas Regiones aut certa Argumenta restringuntur. Ob alterutram rationem Collectiones *Gratiani* posteriores ejus Compilatione minùs amplæ sunt, totque hujus facti sunt exempla, quot sunt Collectiones *Gregorianam* præcedentes. Ipsa etiam *Gregoriana*, quamvis è *Quinque* præcedentibus coaluerit, *Decreto* angustior est; quod multo faciliùs agnosci potest ergà Collectiones subsequentes, *Sextum*, *Clementinas*, *Extravagantes*, tam JOANNIS XXII. quàm *Communes*. Nec obstat quòd Juris veris *Epitome*, ab ANT. AUGUSTINO composita, DECRETO *Gratiani* amplior sit; id etenim ortum est: ex eo, quòd hæc complectatur omnes Collectiones *duodecim* priorum Sæculorum & aliquot annorum *Decimi tertii*, minutioremque enumerationem, quàm aliæ quælibet contineat. Autor putavit, fore, ut multiplicatæ subdivisiones multam lucem Argumentis afferrent, ideòque magnam *Titulorum* copiam dedit; undè hoc etiam nascitur commodum, quòd tædio obviam itum sit, quod longa Canonum series numero solo distinctorum parere potest: vitium quod apud REGINONEM, BURCHARDUM, IVONEM, *Carnotensem*, & in pluribus aut *Quæstionibus* DECRETI *Gratiani*, nec non in *Capitularium* Libris offenditur.

Quod de additionibus ab IVONE factis ad Collectanea BURCHARDI diximus, patet ex Decretalibus LEONIS IX. GREGORII VII. PASCHALIS II. ALEXANDRI II. URBANI II. Canonibusque Conciliorum, sub iis Pontificibus habitorum, quos Compilationi suæ inseruit: item ex curâ, quâ Eucharistiæ Argumentum maximè Præsentiam Realem & Transubstantiationem enucleavit, Traditionisque ope utramque probavit. Ivo proindè ac cæteri Canonum Collectores, qui seriem Argumentorum secuti sunt, illorum *Datam* suppressit, putans eam non nisi in Collectionibus Temporum ordini congruis esse necessariam: undè fit, ut, licèt tres priores *Epistolæ*, quæ sunt in Collectione *Dionysii*, ibi *Datam* adjectam habeant; fit, inquam, ut eas absque *Data* laudet, sicut cæteras ejusdem Pontificis, quæ *Datam* in Collectione non habent. Quod de Decretis illius Pontificis dicitur, extendi debet ad Decreta reliquorum Pontificum, quæ sunt in eâdem *Dionysii* Collectione, quarum alia *Datam* habent, alia secùs.

Ideò autem hic Autor *Datam* Canoni 1. Concilii *Confluentini*, quem laudat *Par. X. Cap. LXVI.* adjicit, quòd eum à BURCHARDO *Lib. VII. Cap. XXX.* desumpserit, qui Canoni jungit Præfationem Concilii, quæ, propter circumstantias in eâ notatas, ipsi magnam autoritatem conciliare poterat. Hæc ratio eò probabilior est, quòd idem Autor *Part. III.* tres ejusdem Concilii Canones referens, eorum diem & Annum omittit (*Can.* 280. 281. 284.) nec remittit ad locum, in quo diem ejus Concilii expressit. Fortè Autores illi Epocham

illius Concilii retulerunt, ut illud à vetustiore Synodo distinguerent in eodem loco an. 860. habitâ, 62. annis antè illam, de quâ agitur, an. 922. celebratam. Eamdem probabiliter ob causam idem Ivo laudans quoddam Concilium *Matisconense Part. XII. c. 26. & Part. XIII. Cap.* 118. adjicit hæc verba, *tempore Guntramni Regis*; & referens *Part. II. Can.* 18. Canonem cujusdam Concilii *Aurelianensis*, hæc verba addit inscriptioni, *tempore* CHILDEBERTI *Regis*; plures enim *Aurelianis & Matisconе*, sub aliis Principibus Concilia habita sunt.

Simili de causâ laudans quamdam Synodum *Vermeriensem Part. VIII. C.* 164. *& C.* 179. priori addit PIPINUM Regem ipsi interfuisse; & posteriori, eam sub PIPINO celebratam fuisse. Hæc PIPINO coram habita est an. 752. sicque distinguitur à pluribus Conciliis quæ eodem loco habita sunt Sæculo IX. an. 845. 865. 869. quoniam multa sunt Concilia *Remensia*, variis Sæculis atque annis ejusdem Sæculi celebrata, ea distinguere coactus fuit, tempus, quo ea, quæ celebrata fuerant, designando; ideòque unum ex iis laudans c. 71. Primæ Partis, illud distinguit his verbis, *Leo IX. in Synodo habita Remis.* Cæteri Collectores eamdem cautionem neglexêre, passimque Concilia *Matisconensia*, *Vermeriensia*, *Remensia*, *Aurelianensia* &c. laudant, omissis circumstantiis ab IVONE notatis.

Aliquandò Decreta INNOCENTII I. & GELASII secundùm numerum, quem in *Dionysiana* gerunt Collectione, laudat; undè concluditur, hæc illum ab ea Collectione desumpsisse, ab aliove Compilatore, qui DIONYSIUM imitatus fuerat; sæpiùs autem ea laudat, non indicato fonte, in quo hausit, omissoque numero. *Ex Decretis Leonis, Gelasii &c.*

Collectionem suam nuncupavit *Exceptiones*, aut *Excerptiones Regularum*, hoc est, extracta Regularum Ecclesiasticarum in *Præfatione*, in eoque secutus fuisse videtur, *Egbertum*, Archiepiscopum *Eboracensem*, qui suam Collectionem eodem titulo inscripsit Sæculo VIII. Ivo harum Excerptionum fontes indicans, quatuor generales commemorat, nempè Epistolas Pontificum, Concilia Episcoporum Catholicorum, Tractatus Patrum Orthodororum, Institutiones Regum Catholicorum *ibidem*; ubi fusiùs exponit varias Rationes conciliandi Canones, qui contrarii videntur, quarum summam suprà dedimus, unà observando videri nobis, IVONEM hinc præbuisse occasionem Concordiæ Canonum discordantium à *Gratiano* susceptæ: Huic Præfationi jungit Schema divisionem generalem Operis in XVII. *Partes* exhibens, in quo uniuscujusque Argumentum sigillatim declarat. Utrumque exemplum imitari debuisset *Gratianus*, nec ab abrupto exordiri, nullatenùs exposito proposito suo, causis ejus, methodoque illius perficiendi. Si hoc in capite *Gratianum* vincit Ivo, in alio superatur à BURCHARDO, qui singulis Libris Indicem Summarum Capitum adjecit, Numerumque singulorum, cujus ope reperiri atque eligi facilè possunt optati loci. Plurimi Autores quæsierunt, an Collectio *Ivonis Decreto Gratiani* præstantior foret? Sunt in utramque partem momenta non spernenda, quibus ponderatis solummodò conficitur, hæc duo Opera mutuis rationibus sese invicem superare. Hæc à *Joanne* MOLINÆO Professore Lovanienſi exponuntur in ejus Epistolâ Dedicatoriâ. Primus ille est, qui typis IVONIS Compilationem mandaverit an. 1561. ut refert *Boëtius* EPO *lib. II. de Jure sacro, cap. 2. n.* 126. ubi illum confutat 23. annis post dictam Collectionem. Quæstionem hanc aggreditur DOUJAT *in Prænot. Canon. Lib. IV. Cap. XI.* ubi compendiosè refert id, quod ab iis Autoribus circà illam dictum est. Nobis congruere non videtur hujus Disceptationis labor, & proindè sufficiet observare 1. Collectionem *Gratiani* utilitatem Collectionis *Ivonis* non absorbuisse, quippè *Gratianus è Parte XVII.* nihil desumpsit. Quæ multitudinem egregiam excerptorum è SS. Patribus circà Fidem, Spem, & Caritatem, continet, maximè è S. AUGUSTINO, S. GREGORIO, S. ISIDORO accepit: pauca usurpavit è contentis in *Parte XVI.* quæ de Laïcis agit, & 362. *Canonibus* constat, in quibus fit enumeratio omnium obligationum illorum, sive ergà Deum, sive ergà Proximum, tam Superiorem & inferiorem, quàm parem. Idem est de *Parte XV.* quæ de Pœnitentia loquitur in 160. *Capitibus*. Quoad cæteras *Partes*, à quibus *Gratianus* plura accersivit; multæ sunt, in quibus totidem Capita neglecta supersunt, quot electa fuêre. Huius facti probationes luculentas præbent *Partes* I. II. III. IV. VIII. & XIV. Et quidem in *Primâ* apparet, Gratianum à 40. prioribus *Capitibus* abstinuisse, quæ Fidem spectant, de quâ non consultò sed per transennam locutus est: quoad reliqua, quæ Baptismum & Confirmationem spectant, de quibus DIST IV. & V. *de Conseratione* agit, & quæ ad numerum 260. circiter exurgunt, eorum tertia ferè pars ab illo illibata est; quod facilè percipitur ex laudatione marginali *Gratiani* ad unumquodque *Caput*, quod desumpsisse videtur; quoniam in *Decreto* reperitur. Idem asseri potest de *Secunda*, quæ spectat Eucharistiam, quatenùs Sacrificium, & quatenùs Sacramentum, deque reliquorum Sacramentorum sanctimonia agit; quisque autem id sibi persuadere valet, eam conferendo, cum DIST I. & II. *de consecrat.* ubi *Gratianus* eidem Argumento incumbit, item ope Notarum marginalium, quas jam attigimus. Quoad *Tertiam*, quæ est de Ecclesiâ, de quâ *Gratianus* in multis Operis sui locis crebrò loquitur, media ferè capitum pars à *Gratiano* neglecta fuit; nam ex 284. sunt 133. ad quorum marginem *Gratianus* non laudatur. Quoad *Quartam* in quâ agitur, 1. de Festis, & Jejuniis, (de quibus *Gratianus* DIST. III. *de Consecrat.* loquitur;) 2. de Scripturis Canonicis, 3. de Conciliis, 4. de Legibus Usu, & Consuetudine (quæ discutiuntur à *Gratiano* in XX. Prioribus *Distinctionibus Partis I.*) reperitur, inito calculo, dimidium & ampliùs *Capitum à Gratiano* non adhibitorum: remanent enim 135. hæc autem *Pars* 257. tantùm *Capitibus* constat. *Pars Octava*, in quâ de Matrimonio statuitur, magnam Canonum copiam continet à *Gratiano* omissorum, etiamsi de eodem Argumento X. CAUSAS prosuerit, quarum singulæ dividuntur in plures *Quæstiones*, undè judicium ferri potest de ejus excerptis ex aliis partibus, quarum Argumenta minùs discussit. Denique *Pars Decima quarta* Excommunicationem spectat, de quâ *Gratianus* fusiùs agit CAUS. XI. QUÆST. III. in 110. *Canonibus*; supersunt nihilominùs in hac *Parte* ferè 50. *Capita* à Gratiano intacta.

Quod dictum est de *Quatuor Partibus* prioribus & *Octava*, locum habet in Partibus *Quinta & Sexta*, quas *Gratianus* magis, quàm aliam quamlibet exhausisse videtur, quoniam in eis agitur de præcipuo *Gratiani* objecto, Sacris scilicet Ministris à primo usque ad ultimum; de eorum discriminibus, eorum electione & Ordinatione, eorum obligationibus & juribus, eorum coërcitione, causis, judiciis; de Primatu Romanæ Ecclesiæ; de Primatibus, Metropolitanis, & amplitudine Dignitatis Episcopalis: quæ omnia DISTINCTIONUM LXXXII. quæ XX. prioribus subjiciuntur, Argumentum sunt & XXVI. priorum CAUSARUM *Partis II.* Eâdem facilitate percipi id poterit, computatis *Capitibus*, ad quorum marginem *Gratianus* non laudatur, ex 378. *Quintæ* plusquàm 160. supersunt quæ hac Nota carent: ex 433. *Sextæ* plusquàm 215. similiter absque Notâ reperiuntur. Præterea, observandum est *Capita*, quæ à *Gratiano* omissa sunt, non minùs egregia esse, quàm ea, quæ ab eodem sunt electa, pleraque ex Actis legitimis atque utilibus sunt desumpta. Alia observatio necessaria est, quòd inter *Capita*, quæ *Gratianus* elegit, non pauca sunt, à quibus brevem sententiam excerpsit, nec utilitate caret residuum. Idem de his excerptis est, ac de iis quæ *Raymundus à* PENNAFORTI ex veteribus Decretalibus expressit, quæ sæpiùs elucidatione indigent à resectâ parte quærenda. Denique Præfatio Collectionis IVONIS Regulas egregias ad Conciliationem Canonum, qui contrarii videntur, aut reipsâ sunt, continet; ex hisque Regulis æstimandum est Conciliationum à *Gratiano* factarum pretium.

Cùm

Cùm ex his observationibus sequatur, IVONIS Collectionem non solùm utilem; verùm etiam necessariam esse post *Gratiani* Collectionem; ex sequentibus manifestum fiet, è Collectione *Gratiani* plura commoda percipi posse, quæ in illâ desiderantur. Hæc magnam Canonum copiam continet, qui apud IVONEM non sunt: sive quia sunt posteriores; quales sunt ii, qui desumpti sunt è Conciliis *Lateranensibus*, altero sub CALLIXTO II. altero sub INNOCENTIO II. habitis, vel ex Epistolis eorum Pontificum: sive quia eos aliundè accersivit; quales sunt omnes, ad quorum marginem Ivo non laudatur, hujus generis sunt plerique Textus DISTINCT. VII. *de Pœnitentiâ*, innumerique alii passim. Reperiuntur in DIST. I. & II. *Part.* I. omnia Principia Juris exposita & probata legitimis autoritatibus. Cura, quam adhibuit, ad referendos Canones in utramque partem, in singulis *Distinctionibus* & *Causis*, eosque conciliandos, lectionem Canonum jucundiorem & utiliorem efficit. Indè discitur Disciplinam Ecclesiæ variam fuisse pro diversitate Temporum ac Locorum; aperiuntur causæ hujus variationis, agnoscituque, Ecclesiam Universalem Particularibus Ecclesiis hac in re concessisse, ut sibi regimen illud instituerent, quod utilitati suæ commodius, aptiusque duxissent. Ordinatim exponendo quæcumque ad Ministros Sacros pertinent, luculentum conficit Commentarium in Epistolas PAULI ad TIMOTHEUM & TITUM, quoad præcepta huic Argumento affinia. Casibus, quos in singulis *Causis* proponit, sive veris, sive fictitiis, Rem Judiciariam enucleat, ejusque ariditatem ac fastidium tollit. Ob has præsertim partes magnus Eruditorum Canonistarum numerus, in ejus Collectionem operam conferre invitati, atque inducti fuerunt; undè illa Corporis Juris basis facta est; cæteræ autem Compilationes, ad supplendos tantùm illius hiatus confectæ sunt; indè illa GLOSSIS instructa est, perindè atque eæ, quas publica confirmavit autoritas, quamvis semper pro opere privato habita fuerit. Indè conditi sunt tot *Indices*, ad eam utiliorem reddendam, ejusque studium facilius. *Duo priores* continent Epitomen Decreti, primò in Oratione solutâ, tùm in Carminibus: *Tertius* Index est Capitum: *Quartus* Pontificum: *Quintus* Conciliorum: *Sextus* Autorum, à quibus Canones acciti sunt: *Septimus* Canonum Inscriptione carentium: *Octavus* Legum à *Breviario* ANIANI derivatarum. Tres priores in fronte Decreti, Cæteri ad Calcem Corporis Juris collocati sunt. Hi *Indices* à plurimis Editionibus absunt, undè multò minùs utiles, quàm cæteræ sunt.

Quamvis hæc postrema Collectionis *Gratiani* in Compilationem IVONIS commoda, operi sint extrinseca, superioribus adjici nihilominùs possunt, quoniam ex illis proveniunt.

Cùm igitur hæ duæ Collectiones mutuis ex capitibus sese invicem superent, in id potiùs incumbere debemus, ut fructus ex utrâque capiamus, quàm ut aliam, alterâ neglecta & contemptâ, eligamus. De PANNORMIA agendi locus hic foret, quæ Collectionis IVONIS Compendium est, quæ modò cum Collectionibus Corporis Juris collata est, eòque magis, quòd crebrò laudetur in Notis marginalibus Canonibus Collectionis *Gratiani* appositis. Sed cùm illud Compendium nihil omninò contineat, quod non sit apud IVONEM, monere sufficiet, ea, quæ de Decreto IVONIS dicta sunt, posse ac debere ad *Pannormiam* extendi. Idem opus est quoad Substantiam: discrimen in formâ versatur. Utrumque videri potest in *Prænot. Canon. Lib. III. Cap. XXVIII.* ubi hæ duæ Collectiones comparantur, observaturque *Pannormiæ* Autorem esse incertum, & ignorari, utrùm Collectionem IVONIS præcesserit, an secuta sit. Quod si ita est, constare nequit, quòd sit illius Compendium, cùm istud supponat opus, cujus est Compendium.

CAPUT V.

Collatio Corporis Juris OCCIDENTALIS, *cum Corpore Juris* ECCLESIÆ ORIENTALIS.

COllectio à BEVEREGIO Ecclesiæ Angelicanæ Presbytero compilata, atque *Oxonii* edita an. 1672. spectari potest ut Corpus Juris Ecclesiæ Græcæ. Ab ipso ea, ut talis, proponitur in Præfatione inscribiturque *Synodicon, seu Pandectæ Canonum SS. Apostol. & Conciliorum ab Ecclesiâ Græcâ receptorum, necnon Canonicarum SS. Patrum Epistolarum, unà cum Scholiis antiquiorum singulis eorum annexis:* Dividitur in *duos Tomos* in fol. quorum prior continet Canones Apostolorum & Canones Conciliorum: Prima Pars posterioris eos constituet, qui ab Epistolis Canonicis desumpti sunt. Cætera non sunt Pars ejus Corporis sed Collectanea, in quibus ejusdem Corporis Juris vel ejus Partium Synopses referuntur. Scholia seu Interpretationes singulis Canonibus adjecta, sunt veluti *Glossæ*, quarum Canones sunt Textus. Magni refert eam Collectionem novisse, tùm quoad materiam, tùm quoad formam seù dispositionem, tùm quoad *Notas* Corpori insertas, aut ei subjectas, tùm quoad ejus autoritatem. Propter singulas has rationes illam Collectionem cum Corpore Juris Ecclesiæ Latinæ conferendam esse duximus, & in hac Collatione, quatuor hæc Capita præcipuè sigillatimque discutiemus.

Quoad *Materiam*, sive Substantiam, plurimi sunt in Corpore Juris Orientalis Canones, qui nullatenùs in Corpore Juris Occidentalis commemorantur; universi enim Canones Conciliorum Orientalium, cùm Generalium, tum Particularium, sive Localium, in illo referuntur. Generalia sunt *Nicæna I. & II. Constantinopolitana; I. II. III. & IV. Ephesinum & Calcedonense.* Synodi *Locales* sunt *Ancyrana, Neocæsariensis, Gangrensis, Antiochena, Sardicensis & Laodicena.* Multi autem Canones horum Conciliorum absunt à Corpore Juris Occidentalis; ut patet ex *Indice*, sive Serie Conciliorum à *Gratiano* laudatorum, qui solus ejusmodi Canones compilavit.

Quædam præterea referuntur in Corpore Juris Orientalis, Synodi Orientales, quæ non laudantur in Corpore Juris Occidentalis. Tales sunt illæ, quas PHOTIUS celebravit, quæve in gratiam ejus celebratæ sunt. Talis est etiam *Constantinopolitana*, quæ sub NECTARIO ejus Civitatis Patriarchâ, habita est. Concilium *Carthaginense* à S. CYPRIANO celebratum ex LXXXIV. constans Episcopis, quod Baptismum ab Hæreticis, vel Schismaticis collatum damnavit & reprobavit, Corporis Juris Orientalis pars etiam est, ad cujus Decreti calcem referuntur Sententiæ Patrum in *Scholiis* ZONARÆ: ejus autem in Corpore Juris Occidentalis mentio non fit, nisi obiter, occasione Canonum, qui illi adversantur. Codex Ecclesiæ Africanæ integer, Corpori Juris Orientalis est etiam insertus. Ipse autem in Corpore Juris Occidentalis nequidem laudatur, sed duntaxat Canones Conciliorum *Carthaginensium* ac *Milevitanorum* in hoc referuntur. *Epistolæ Canonicæ* Patrum Græcorum, Episcoporum, aut Patriarcharum, quæ numerum 20. superant, suntque pars valdè insignis Corporis Juris Orientalis; integræ quippè referuntur cum omnibus suis Canonibus: de iis autem nihil dicitur in Corpore Juris Occidentalis, quamvis simul junctæ, ad numerum 150. Canonum gravissimorum, & ampliùs exurgant. De illis Patribus nominatim egimus, in Indice sive Extracto Collectionis BLASTARIS. Prima est DIONYSII *Alexandrini*, medianteque Sæculo III. prodiit; Postrema à TARASIO Constantinopolitano Patriarchâ, sub finem Sæculi VIII. scripta est. Plures solus BASILIUS Canones condidit, quàm cæteri collectivè sumpti; quippè sunt XCIII. Præter DIONYSIUM quinque sunt ALEXANDRINI Patriarchæ Epistolarum Canonicarum Autores.

scilicet PETRUS, ATHANASIUS, TIMOTHEUS, THEOPHILUS, CYRILLUS. Cæteri Patriarchæ sunt GENNADIUS, & TARASIUS, uterque Constantinopolitanus. Nulla est Patriarcharum Antiocheni, & Hierosolymitani. Quamvis plures sint Epistolæ S. CHRYSOSTOMI, nulla tamen inter Canonicas illic fuit relata. *Gratianus C. 28. de Pœnit.* DIST. III. unam laudat, quæ hoc titulo digna videtur.

Quæcumque pertinent ad *Canones Conciliorum* sunt in *Tomo I. Epistolæ Canonicæ* & initio *Tomi II.* His *Epistolis* clauditur Corpus Juris Orientalis, de quo hic agimus. Ei non inseruntur *Constitutiones Imperiales*, quæ sunt pars illius Juris, sed remittitur ad PHOTII *Nomo-Canonem*, BALSAMONISQUE Commentarium in ipsum, in quo referuntur *Leges* prout ordinatæ sunt in Collectione JUSTINIANA, aut in Compilatione *Basilicorum*, quibus *Balsamo* non adjecit Constitutiones post purgationem *Basilicorum* sub Sæculi IX. finem factam, conditas. Ultimi generis Constitutiones sunt veluti *Novellæ*, aut *Extravagantes*, quibus annumerari etiam possunt Sententiæ Patriarcharum à LEUNCLAVIO compilatæ, in suâ *Juris Græci & Romani* Collectione *Tom. I.*

Collectio à BEVEREGIO, velut Corpus Juris Ecclesiæ Græcæ proposita, ultrà Sæculum IX. non excurrit. Quodcumque posterius est, ab eo spectatur, ut declarationes, ad expositionem Canonum in Corpore relatorum conditæ. Insignior pars Corporis Juris Occidentalis continet Canones Sæculo IX. posteriores, quippè qui magis usu ferantur.

Et hæc sunt discrimina inter Corpus prædictum Juris Orientalis; & Corpus Juris Occidentalis quoad *Materiam*, sive *Canones*, è quibus unumquodque coaleſcit.

Discrimina, quoad *Formam*, seu dispositionem, nascuntur ex Divisione & Ordine. Corpus Juris Orientalis dividitur in Tres Partes. *Prima* Canones Apostolorum & Canones Conciliorum Generalium in Orientis partibus usque ad Sæculi IX. finem habitorum complectitur. In *Secunda* referuntur omnes Canones Conciliorum Particularium superiùs laudatorum. *Tertia* continet Canones ex Epistolis Canonicis suprà commemoratis desumptos. In singulis partibus ordo Temporum servatur. Inchoatur Prima *Pars* I. ab LXXXV. Canonibus, qui Apostolis adscribuntur, quos Autor Concilio *Nicæno I.* quod Generalium Synodorum Primum est, vetustiores opinatur. Exindè referuntur Canones hujus Concilii, tùm Canones Synodi Generalis *Constantinopolitanæ* & successivè singuli, secundùm ordinem temporis, quo conditi sunt. Numerus Canonum idem est atque in Præfatione *Nomo-Canonis* PHOTII; excepto Concilio *Ephesino*, cui PHOTIUS VII. tantùm Canones tribuit; apud BEVEREGIUM autem VIII. referuntur. *Octavus* spectat Ecclesiam *Cyprensem*, quæ declaratur independens ab Antiocheno Patriarchatu, propter possessionem ejus immunitatis. Excepto etiam *Calcedonensi* Concilio, cui tribuuntur apud BEVEREGIUM XXX. Canones; in Præfatione verò PHOTII XXVIII. tantùm. *Can.* 29. vetat Episcopum ad Ordinem Presbyterorum redigi: quia si reus est, hoc loco indignus est; si verò innocens est, Ordinem Episcopalem amittere non debet. *Can.* 30. concedit Episcopis Ægyptiacis, dilationem subscriptionis *Epistolæ* S. LEONIS, quoad usque Sedis *Alexandrinæ* quis præfectus fuisset; quoniam mos Patriachatûs erat, ut Episcopi Suffraganei nullum reciperent Decretum, præter consensum Patriarchæ.

Idem in *Parte II.* quæ Conciliorum Particularium Canones continet, servatur ordo; Initiumque illa ducit à Synodo *Carthaginensi*, à S. CYPRIANO celebratâ an. 246. clauditurque Concilio *Constantinopolitano* à NECTARIO habito, ARCADIO Imperante an. 394. CONCIL. *Tom. II. p.* 1151. subjicitur illud Concilium Codici Ecclesiæ Africanæ, confecto in Concilio *Cartaginensi*, Imperante THEODOSIO *Juniore*, habito an. 419. quoniam Codex hic plura Concilia Africana complectitur illi *Constantinopolitano* Concilio anteriora, ut patet ex Epochâ singulorum huic Codici præfixâ à JUSTELLO, & probatâ in Præfatione ejusdem JUSTELLI in eum Codicem.

Concilium *Sardicense* Synodis Particularibus sive Localibus annumeratur, ejusque Canones inter Concilium *Laodicenum* collocantur, & Canones Concilii *Carthaginensis*, in quo Codex Africanus confectus est. *Laodicenum* autem Concilium subjicitur *Antiocheno* an. 341. habito; Hinc significatur Concilium *Laodicenum* antè an. 347. quo Synodus *Sardicensis* coacta fuit, celebratum fuisse, quod observamus, ut ostendatur varietas opinionum circà Epocham Concilii *Laodiceni*, quod alii ante Concilium *Nicænum* collocant, ut LABBÆUS Conc. *Tom. I.* alii an. 360. collocant, ut GOTHOFREDUS *in Notis in Philostorgium*; sicut Primum Concilium hujus *Partis*, unicum Canonem condidit, ita & ultimum unicum condidit, qui multas res insignes continet circà depositionem Episcoporum. Notæ Interpretum hujus Canonis non levioris momenti sunt, in eo, quòd docent circà numerum Episcoporum ad depositionem requisitorum, standum esse Concilio *Carthaginensi*, quod jubet, ut XII. saltem conveniant.

Juxtà eumdem Temporum ordinem disponuntur Canones *Partis III.* ex Epistolis Canonicis desumpti. Vetustior est Epistola DIONYSII, recentior TARASII. Intermediæ similiter ordinantur, ut patet ex Indice, sive extracto Collectionis BLASTARIS suprà posito.

Ex his Observationibus circà *Formam* Corporis Juris Ecclesiæ Orientalis, noscitur, eam à dispositione Corporis Juris Occidentalis differre, in eo quòd in hoc, Canones Conciliorum Generalium Canonibus Synodorum Particularium permiscentur, atque utrique cum Canonibus ab Epistolis Pontificiis, Operibusve SS. Patrum desumptis confundantur, serveturque ordo Argumentorum, relicto ordine Temporum. Exceptis Collectionibus *Gratiano* posterioribus, in quibus series Textuum sub unoquoque Titulo comprehensorum, Temporum ordinem sequitur, ut probatum fuit suprà, ubi de formâ Collectionum, è quibus coaleſcit Juris nostri Corpus, agebamus. Non minora inter utrumque Corpus, quoad confirmationem, sive autorisationem intercedunt discrimina. Corpus enim Juris Ecclesiæ Græcæ, conceptis verbis, à Conciliis Generalibus, atque ab Imperatoribus confirmatum fuit. Et quidem Concilium *Calcedonense Can.* 1. confirmavit omnes Canones, à singulis Synodis anterioribus conditos; quod de Conciliis Particularibus intelligunt Interpretes, perindè ac de Generalibus. Itaque cùm omnes Synodi locales in illo Corpore comprehensæ, Concilio *Calcedonensi* an. 451. habito, sint anteriores, eorum Canones complectitur illa Confirmatio, sicut Canones Conciliorum Generalium *Nicæni*, *Constantinopolitani* & *Ephesini*, quæ præcesserunt. Utriusque generis Canones, etiam *Novellâ* CXXXI. JUSTINIANI confirmati sunt, quæ vim Legis tribuit universis Canonibus, à Conciliis Generalibus conditis aut confirmatis.

Equidem hæc Confirmatio non spectat nisi Secundum *Primæ Partis* Membrum, & *Partem Secundam* integram. Defectus hic à Concilio *Trullano* suppletus est *Can.* 2. qui confirmationem renovans, ipsam ad omnes Canones ab Epistolis Canonicis, quæ sunt illius Corporis *Pars III.* desumptos extendit, omnemque disceptationis ansam tollit, circà Canones Conciliorum *Carthaginensium*, qui *Parti II.* inseruntur, eos nominatim approbando; omissâ enim hac cautione, fortè aliquis contenderet, Concilium *Calcedonense* non loqui, nisi de Conciliis Orientalibus, quæ opinio momento non careret, quoniam Concilium *Calcedonense* fortè Canones Conciliorum Occidentalium sigillatim non cognovit, speciatimque eos, de quibus agimus. Eodem proposito omnibus controversiis occurrendi, Concilium *Trullanum* mentionem expressam fecit Conciliorum Localium, quæ ad Exemplum Concilii *Calcedonensis* approbavit: scilicet, *Ancyrani*, *Neocæsarienſis*, *Gangrenſis*, *Antiocheni*, & *Laodiceni* (sic ea ordinavit.) Cùm Concilium hoc 102. Canones

nones condiderit, quos confirmare non potuit, id diserte præstitit Concilium Generale VII. Scilicet *Nicænum II. Can. I.* qui confirmat omnes Canones *Sex* Conciliorum Generalium, nec non Canones Apostolis adscriptos, Canones Conciliorum Localium, eos denique, qui à SS. Patribus desumpti sunt, rationem afferens quòd omnes, eodem Spiritu afflante, conditi fuerint, qui eorum Autores adjuvit. Adjicit præterea Concilium, se approbare pœnas, quas sanxêre, anathematis, depositionis, segregationis, quo verbo intelligit privationem Eucharistiæ, aliùsve cujuslibet Communionis spiritualis, quæ ad Fideles pertinet.

Cùm *Basilicorum* Collectio huic Concilio sit posterior; ipsi inserta fuit laudata *Novella* atque producta ad *Tria* Concilia Generalia post obitum JUSTINIANI celebrata, dataque fuit vis Legis omnibus Canonibus, quos confecerunt, aut confirmarunt, perindè atque iis, qui à *Quatuor* Prioribus conditi vel confirmati fuêre. *Sancimus igitur, ut Ecclesiastici Canones Legum vicem obtineant, qui à Sanctis Septem Synodis constituti sunt vel confirmati, hoc est Nicæna &c.* factâque mentione expresâ quinque subsequentium, dicitur, ad ultimum Nicænâ II. relatoque & approbato quod circà Imagines hæc peregit, additur; *prædictarum enim Synodorum Decreta, perindè ut Divinas Scripturas suscipimus, & Canones, ut Leges custodimus.* BASILIC. *Lib. V. Tit. III. Cap.* 4. Vide *Præfat.* BEVEREGII. *n.* 3. undè hæc observatio desumpta est. Ibi refertur factum ad Criticam pertinens circà hoc Argumentum, cujus discussionem hic suscipiendam esse non ducimus.

Idem Corpus Juris Orientalis, quoad substantiam, confirmatum fuisse videtur ab Imperatore *Manuele* COMNENO; quod necessarium; hinc enim prior Confirmatio non complectitur, nisi quod in *Nomo-Canone* PHOTII continetur: indè, ille Imperator *Balsamoni* jussit, ut eum Commentario illustraret, sive ut exponerentur ea, quæ in Canonibus obscura sunt, aut Legibus adversa, sive, ut observarentur mutationes, quas in Legibus Digestorum, Codicis Novellarum, induxit Collectio BASILICORUM, sive ut adjicerentur Constitutiones Imperatore *Constantino* posteriores, qui absolvit ac perfecit illam Collectionem, nec non Constitutiones Patriarcharum, qui PHOTIO successerant & proindè ut secerneretur Jus vigens à Jure obsoleto. Porrò hæc jussio continet Confirmationem Juris contenti in *Nomo-Canone* PHOTII, necnon Additionum à BALSAMONE factarum: Legitur illud factum in Præfatione illius Autoris in suum Commentarium, ex quâ præterea, sicut ex inscriptione discitur, eum simile præceptum à Patriarchâ MICHAELE ANCHIALO accepisse; utramque proindè potestatem; Spiritualem & Temporalem in hac confirmatione convenisse, quæ plenissima est, Jus novum complectens post Sæculum IX. constitutum, à quo clauditur Corpus Juris Orientalis, de quo agimus. Si conferatur id, quod modò diximus, circà autoritatem Corporis Juris Ecclesiæ Græcæ, cum iis, quæ dicta sunt suprà de autorisatione Collectionum, ex quibus Corpus Juris Ecclesiæ Latinæ coalescit; facilè animadvertetur, illam in duobus Capitibus huic antecellere. 1. Confirmatio ad omnes illius Juris Partes extenditur. 2. Concursus necessarius duplicis Potestatis in illâ intervenit; utrâque autem conditione hæc destituitur,

Supereſt jam, ut conferamus invicem GLOSSAS utriusque Corporis, quoad vetustatem, numerum, formam atque autoritatem earum.

GLOSSIS paucioribus instructum est Corpus Juris Orientalis, quàm Occidentalis, tresque tantùm habet *Glossatores*, scilicet ZONARAM, ARISTENUM & BALSAMONEM. Hujus autem plusquàm decem extitêre, ut probatum fuit, ubi de *Glossis* hujus Juris actum est; omnes illi XII. vixerunt Officiaque insignia habuerunt, sive in Ecclesiâ Constantinopolitanâ, sive in Palatio Imperiali. ZONARAS primùm fuit Præfectus Stipatorum primusque à Secretis JOANNIS COMNENI, qui Imperium auspicatus est an. 1118. & defunctus est an. 1140. tùm abjectis illis honoribus ZONARAS Monachalem Professionem suscepit, in cujus solitudine plura luculenta elucubravit opera, quorum insignius est *Expositio Canonum Apostolorum, Conciliorum sive Generalium sive Particularium & cæterorum Patrum.* Titulum hunc gerit opus, à quo *Glossa* Juris Orientalis excerpta fuit. Autor cognomini *Monachi*, adjicit alia duo ab Officiis Generalibus, quæ anteà gesserat, accepta. Canones eodem ordine, quo Scripturam Sacram collocat, operi suo accommodans illud Davidicum, *Declaratio Sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis*; quoniam eodem Spiritu afflante conditi sunt, qui Scriptores Sacros adjuvit, atque illi, qui in Canonum studio non sunt exercitati, eorum respectu sunt velut pueruli. BALSAMO, de quo mox agemus, eum tanti fecit, ut ejus interpretationes ubique sequatur, eas duntaxat aliis verbis reddendo, & contrahendo; omisso tamen ejus nomine, nisi in suo Commentario in *Epistolam* S. ATHANASII ad AMMONEUM, in quo eum excellentissimum Interpretem nuncupat adjiciens, eum prudenter & congruè, ità, ut nemo melius, hanc Epistolam exposuisse.

ARISTENUS Diaconus erat, Magnusque Ecclesiæ *Constantinopolitanæ* Oeconomus. Magistratum quoque gesserat, cujus exercitium ipsi vetuit Concilium Constantinopolitanum. Vixit sub Imperatoribus *Joanne* COMNENO, & *Emmanuële* COMNENO. Adeò famosus fuit Canonista, ut in negotio adversùs NICEPHORUM Patriarcham Hierosolymitanum, consultus fuerit. A BALSAMONE pluribus in locis sui Commentarii in Canones, *vir incomparabilis* nuncupatur, scilicet in *Can.* 6. Apostolorum & *Can.* 37. Concil. in *Trullo.* nuncupatur etiam νομοφυλαξ, sive Custos Imperialium Constitutionum, in Inscriptione sui Commentarii in *Synopsim* ipsi falsò adscriptam, quoniam bis ejus Autorem in suo Commentario redarguit, contendens eum non benè intellexisse *Can.* 75. Apostolorum & *Can.* 19. Ancyranum; in eâdem Inscriptione *Nomo-Canon* vocatur illa *Synopsis*, quamvis in eâ Leges cum Canonibus non conferantur, isque Titulus tali tantùm Collationi congruere videatur. Vid. BEVEREGIUM in suâ *Præfat. n.* 26. 27. 28. 29. 30. vid. etiam JUSTELLUM in Præfat. Tom. II. suæ *Bibliothecæ* & DOUJAT *Prænot. Canon. Lib. III. Cap. XI. n.* 4.

Quantùmvis Celebres hi fuerint Juris Orientalis Glossatores, juxtà testimonium BALSAMONIS, hic illis antecelluit. Vixit Imperantibus *Manuële* COMNENO, ejusque Successore. Prioris jussu suum in Canones Commentarium condidit, cujus propositum suprà exposuimus. Factus Patriarcha *Antiochenus*, ab Imperatore ISAAC ANGELO circà quamdam Juris Quæstionem consultus fuit; quippe qui omnium Canonistarum peritissimus haberetur. Ut talis à Patriarchâ PHILOTEO laudatur in confutatione execrationum *Harmenopuli*, tanti Canonistæ opiniones velut certissimas proponente *Philoteo*, ejus responsa ad *Quæstiones LXIV.* sibi à MARCO ALEXANDRO Patriarchâ propositas, novam ejus famæ in Rebus Canonicis probationem suppeditant: Extant illa in *Lib. V. Juris Græco-Romani.* Idem præstat opus inscriptum, *Meditata Balsamonis* relatum in *Lib. VII.* ejusdem Collectionis. Officium *Chartophilacis* Ecclesiæ Constinopolitanæ, quo diu cum laudè functus erat, ipsi tantæ in Rebus Canonicis adipiscendæ eruditionis occasionem præbuerat; ejus enim munus præcipuum est exercitium Jurisdictionis Contentiosæ & Voluntariæ Patriarchæ. Quoniam quædam Constitutiones Imperiales Juris Canonici sunt Pars, cognitioque cæterarum merè Civilium, intelligentiam Canonum juvat, BALSAMON utrique studio incubuerat, paremque Juris Utriusque peritiam erat consecutus, ut patet ex ejus Commentario in PHOTII *Nomo-Canonem.* Vid. BEVEREG. *n.* 14. 15. 16. 17. 18. ubi circà famam *Balsamonis*, quoad eruditionem Canonicam diffusus est; monetque, se propter illam, eum præ cæteris, in Glossis singulis Canonibus adjectis, posuisse; seque de eo loqui, priusquàm de cæteris, quamvis eo

forent antiquiores. BALSAMON *in Can.* 2. *Concilii Nicæni II.* testatur, quod de munere Cartophilacis diximus. His præmissis circà Glossatores Corporis Juris Ecclesiæ Orientalis, facilè cernitur, eos, licèt pauciores sint, quàm Glossatores Corporis Juris Ecclesiæ Occidentalis, his tamen, quoad antiquitatem & autoritatem, inferiores non esse.

Quoad *Formam* Glossarum, sufficiet annotare, has (Græcorum) ab illis in eo differre, quòd hæ continuæ non sunt, sed in quædam verba Textuum fiunt; illæ verò continuæ sunt in Canonem integrum, cujus unaquæque expositionem dat, prout eum intelligit.

Utræque in eo consentiunt, quòd laudant Canones sive similes, ut sic mutuò confirmentur, vel dissimiles, ut concilientur. Hoc, ut plurimùm, exequuntur ZONARAS & BALSAMON, ARISTENUS aliquandò. Glossæ ejus non exponunt nisi Synopsim Canonis, quæ post Glossas BALSAMONIS in Canonem ipsum ponitur. Plurium etiam Canonum Epitome datur, qui carent Notis ARISTENI, & multi alii sunt, quibus hæc tantùm subjicitur, *perspicuus*. Pauci Textus utriusque generis in *Tom. I.* sunt, qui Canones Apostolorum & Canones Conciliorum continet; Sed multi reperiuntur in *Tom. II.* nam ex omnibus Epistolis Canonicis, quarum Canones in eo referuntur, Solæ BASILII ad AMPHILOCHIUM ARISTENI Notis illustratæ sunt, quoniam Cæteras non complectitur Synopsis, quam glossavit. Quod dicitur de illius Synopsis hiatu, facilè cernitur in *Tom. II. Bibliothecæ Juris Vet. Canon.* ubi refertur illa *à p.* 673. *ad* 709. aliæ non sunt Epistolæ contractæ, quàm tres priores S. BASILII ad *Amphilochium* quarum LXXXV. Canones ad LXX. rediguntur, in quo *Aristenus* secutus esse videtur ZONARAM, qui solos harum trium Epistolarum Canones Commentario illustravit. Ab exemplo ZONARÆ recessit *Balsamon*, qui in singulos Canones omnium Epistolarum Canonicarum, non solius *Basilii*, sed etiam cæterorum Patrum, Commentarios scripsit; fecitque hîc à se ipso, quod adjuvante *Zonara*, præstitit in omnes Canones Apostolorum & Canones Conciliorum contentos, in *Tom. I. Corporis Juris*, de quo agimus.

Plura alia observanda essent circà Collectionem prædictam, sed cùm illa remotiora sint à Collatione institutâ, satis erit observare, eam docere tria *Constantinopoli* habita fuisse Sæculo IX. Concilia, quæ nomen *Octavæ* Synodi Generalis gerunt. *Primum* est anni 869. cujus duæ sunt Editiones, una merè Latina, altera Græco-Latina. Prior multo amplior est, utraque continet *Decem* ACTIONES, & *Canones* 27. Reprobatur illud à Græcis, quia restituit IGNATIUM, PHOTIUMque deposuit *Ignatii* Detrusorem; undè fit, ut ejus Canones à Corpore Juris Ecclesiæ Græcæ exulent. Refertur TOM. VIII. CONCILIOR. LABBÆI *p.* 971. usque ad 1510. Anno 879. fuit coactum, IGNATIO defuncto, ut PHOTIUS in Sede Constantinopolitana redintegraretur. ACTIONIBUS VII. constat; *tres*que Canones condidit. *Canon. I.* abolere videtur Appellationem à Patriarchis ad Romanum Pontificem; sed si benè intelligatur, eam non destruit, quoniam Jus illud continetur in Clausulâ *Salvis Romanæ Sedis*, ejusque Episcopi privilegiis. *Tertium* sub finem ejusdem anni & initio sequentis habitum fuit, ut confirmaretur Concilium *Nicænum II.* Tribus ACTIONIBUS peractum fuit, renovatique in eo fuêre tres Canones Concilii superioris. Legati JOANNIS VIII. tribus Capitibus assensum præbuerunt, quæ suis facultatibus adversabantur. 1. Abrogationi prioris horum trium Conciliorum, & omnium, quæ ex ejus præscripto gesta fuerant. 2. Damnationi additamenti, *filioque*, Symbolo inserti. 3. Præsessioni PHOTII, quam jam in 2. passi erant. Hæc duo Concilia reprobantur à Latinis atque omittuntur à LABBEO, sicut à BINIO, qui ea *Pseudo-Concilia* nuncupat: dicit tamen eorum Acta extare in Bibliothecâ Vaticanâ: eorum Epitomen à BARONIO confectam refert cum Annotationibus ejusdem Autoris, eaque refellit. Eadem Acta referuntur in calce Compilationis, de quâ agimus. Tres in eis sunt Epistolæ JOANNIS VIII. à PHOTIO interpolatæ, qui multas res adjecit in causæ suæ gratiam, scilicet Encomia suæ, quæ JOANNEM VIII. in eum conferre potuisse verosimile non est, cassationem Concilii Generalis VIII. ejus irritationis causam ex eo sumptam, quòd Pontifex ADRIANUS II. ipsi non subscripsisset: verba nonnulla, quæ significant, JOANNI VIII. displicere additionem, *filioque* in Symbobo; cohortationem Pontificiam ad BASILIUM Imperatorem, ut PHOTIUM inter Familiares suos reciperet. Prima illarum Epistolarum est ea, quæ inscribitur huic Imperatori, duobusque ejus Filiis, LEONI & ALEXANDRO cum eo regnantibus. Extat illa in *Actione II.* Concilii Secundi vocati *Octavo*. Aliæ duæ PHOTIO inscribuntur. Prior est in eadem *Actione*: posterior in calce tertii Concilii ejusdem nominis. Interpolatio probatur per Autographa, eorumve Exempla, quæ servantur in Bibliotheca Vaticanâ, & referuntur TOM. VIII. CONCIL. à *p.* 1451. *ad p.* 1474.

Aliud est Concilium *Constantinopolitanum*, cui nomen *Octavi* Concilii Generalis dari potest: Illud est, quod vocatur *Primo-Secundum*. Habitum fuit in Basilicâ S S. Apostolorum. In eo depositus fuit IGNATIUS servataque PHOTIO Sedis invasæ possessio. Fertur hunc ejus 18. Canones condidisse. Refertur TOM. VIII. CONC. à p. 1511. ad p. 1525. cum Præfatione ZONARÆ, transcriptâ à BALSAMONE, perindè ac ipsum opus illius Glossatoris Corporis Juris Ecclesiæ Græcæ. In illo Corpore Concilium illud locatur in Sede *Secundi* Concilii Generalis VIII. quod solum hujus nominis à Latinis recipitur. LABBÆUS observat in fine hujus Concilii & immediatè antè Concilium *Primum* & *Secundum* PHOTIUM de neutro loqui ausum fuisse in suo breviori de Conciliis opere: Sed NILUM Metropolitanum *Rhodensem*, similis operis Autorem, hoc alterius loco inseruisse. ZONARAS & BALSAMON idem circà illud Concilium *Primum* sentientes, ejus Canones interpretati sunt, & circà Canones alterius tacuerunt. Juxtà idem exemplum, BEVEREGIUS illos Canones retulit in Corpus Juris Ecclesiæ Græcæ, omissis prorsùs Canonibus cæteris. Omnes hæ circumstantiæ confirmant nostram sententiam, circà nomen, quo designari posset illud Concilium.

Cùm BEVEREGIUS in suâ Præfatione, seu *Prolegomenis*, observaverit quid generatim sciri debeat circà singula VII. Concilia Generalia: videtur illum idem præstare debuisse ibidem, circà Synodos Particulares, & Epistolas Canonicas; Sed quod omisit in Prolegomenis, commemoravit in suis Notis, in singulas has Synodos, atque Epistolas.

Quod dicit in fine *n.* 18. ejusdem *Præfat.* ISIDORUM Mercatorem suam Canonum Versionem Latinam ornare volentem, usum fuisse Commentario BALSAMONIS in *Can.* 12. *Conc. Gangrensis*, hæcque verba suæ Versioni inseruisse, *Beros, videtur Balsamon Episcopus Antiochenus, hunc locum interpretans, vocare vestes ex serico contextas*, non congruit opinioni vulgari, quæ hunc ISIDORUM in Sæculo VIII. vel IX. collocat: nam, ut vidimus, *Balsamon* scribere non cœpit, nisi post medium Sæculi VIII. Præterea verba illa absunt à versione ISIDORI, prout est apud LABBÆUM, CONC. TOM. II. *p.* 426. fortè in margine scripta fuerunt ab Amanuensi *Balsamoni* posteriori, indèque in Textum irrepserunt, quasi essent ipsius ISIDORI.

CAPUT VI.

Observationes circà authorisationem seu Confirmationem Collectionum Epistolarum Decretalium Pontificum tam præcedentium, quàm subsequentium GREGORIANAM, *ubi plura de utilitate imò necessitate legendi Antiquiores Collectiones, quoad ea, quæ resecta vel omissa à* GREGORIO IX.

PER EPISTOLAS DECRETALES intelliguntur eæ, quæ definiunt quasdam Doctrinæ aut Disciplinæ quæstiones, & quarum Definitio in se ipsa spectata in

aliis

aliis quibuscumque Locis vim obtinere potest, quàm iis, pro quibus condita est, quia Circumstantiæ speciales ejus condendi duntaxat occasionem præbuêre.

Eodem nomine censentur Constitutiones, quas Pontifices ultrò tulêre, ad occurrendum futuris controversiis, aut medendum exortis, quæ Animarum pacem, & publicam Ecclesiæ quietem turbare potuissent.

Authorisatio; de quâ hîc loquor, ea est, quæ per expressum Diploma facta est, & quæ ideò facilè probari potest: Tacebimus de ea, quam induxit usus à Pontificibus adprobatus, quæ prolixiore & majore discussione indiget, quàm adgredi non est opportunum, ob nimium difficultatum solvendarum numerum. Præterea; hac de re nonnihil dictum est in Dissertatione *circà publicationem Canonum vel receptionem per usum:* Omnia Diplomata circà hoc argumentum finem hujus comprobationis nominatim commemorant; scilicet confirmare intendunt, *Decretales* in Collectione contentas, esse genuinum Pontificum, quibus adscribuntur, opus, aut aliorum, aut eum, qui iis authoritatem dat, eas pro *Decretalibus* agnoscere, ac velle, ut vim Legis habeant, undècunque profectæ sint; & proindè eas fidenter in Scholis & in Judiciis usurpari posse. Quædam *Bullæ* promulgationem *Collectionis* in locis, ad quæ mittitur, præcipiunt. Nonnullæ vetant ejusmodi Collectiones facere, absque speciali Sedis Apostolicæ licentiâ. Aliæ antiquant omnes Constitutiones aut Decretales, quas Pontifex, qui Collectionem confirmat, comprobandas esse non duxit, quamvis prodiissent in tempore inter hanc Collectionem & Superiorem immediatè jacente.

Ex his Diplomatibus quædam sunt in Corpore Juris, quædam absunt. Hæc esse hîc referenda duximus cum observationibus necessariis: cætera laudare satis erit, &, quod attentione speciali dignum est, addita expositione congruâ referre.

Primum eorum, quæ sunt extrà Corpus Juris, est INNOCENTII III. relatum in fronte *Tertiæ* veterum Collectionum, quæ omnes ejus Epistolas Decretales, ab initio ejus Pontificatus, usque ad annum duodecimum ejusdem, comprehendit: Illam à PETRO *Beneventano*, Notario suo, compilari curavit. Declarat, Decretales sub *Titulis* congruis collocatas fuisse, seque illas Pontificio sigillo munitas mittendas duxisse, ut nemo ambigeret, an eis uteretur in Judiciis & in Scholis; Illa Bulla dirigitur Magistris & Scholaribus *Bononiæ* commorantibus.

„ INNOCENTIUS *Episcopus, Servus Servo-*
„ *rum Dei.*
„ *Universis Magistris & Scholaribus* Bono-
„ niæ *Commorantibus, salutem & Apostolicam*
„ *Benedictionem.*

„ Devotioni vestræ insinuatione præsentium inno-
„ tescat, Decretales Epistolas à Dilecto Filio Magis-
„ tro P. Subdiacono & Notario nostro compilatas,
„ fideliter & sub titulis competentibus collocatas,
„ in nostris usque ad annum duodecimum contineri
„ Registris, quas ad Cautelam vobis sub Bullâ nos-
„ trâ duximus transmittendas, ut eisdem absque
„ quolibet dubitationis scrupulo uti possitis, cùm
„ opus fuerit, tam in Judiciis, quàm in Scholis „.

Indè patet 1. Pontificem nihil in suo Diplomate intendisse, quàm certum facere, Decretales collectas esse authenticas, atque eis nihil adjectum, immutatum aut detractum fuisse, cùm dicat, eas è Scriniis suis excerptas fideliter fuisse, & Bulla sua ad Cautelam munitas.

Patet 2. eum sinere duntaxat, non verò præcipere, ut illæ usurpentur.

Illa Collectio est Prima, quæ Diplomate expresso comprobata fuerit, ad notitiam nostram perducto. INNOCENTIUS III. illam confirmando, non jubet ejus promulgationem, putavit sufficere eam, quæ fit per Usum, sive in Prælectionibus & expositionibus Decretalium in Scholis, sive in earum citatione in Judiciis, ut Causæ ad eorum normam dirimerentur. In Margine monetur, illam Bullam, sive Constitutionem, omissam fuisse à GREGORIO IX. *non ponitur.*

Alterum Diploma ejusdem generis, eorum scilicet: quæ à Corpore Juris absunt, est is Textus *Secundæ* Collectionis HONORII III. jussu factæ, ejusque Pontificis Decretales continentis, in quâ collocatur sub titulo *de Constitutionibus.* Alterum verò præfigitur Collectioni sine Titulo, Præfationis modo, quemadmodùm Bullæ Confirmationis, quæ sunt in Corpore Juris, de quibus infrà agemus.

HONORIUS III. Collectionem suam Magistro TANCREDO, Archidiacono Bononiensi, inscribit, ut eam ibi promulgari curet, atque eâ sine scrupulo utatur, atque ab aliis admitti provideat sive in Judiciis sive in Scholis. In quo Pontifex magnæ existimationis testimonium dat *Tancredo*, & argumentum insigne famæ ejusdem Magistri. Propter utramque rationem idem Pontifex in eadem Collectione plures inseruit Decretales, quæ continebant Mandata ad illum Magistrum directa, ad judicio componendas, aut alio quovis modo, graves Controversias. GREGORIUS IX. eas in Collectione sua conservavit. Tales sunt præ cæteris *Cap.* 20. *&* 21. *de Judiciis.*

Pontifex, postquàm exposuit, novas quæstiones novas postulare Leges, sicut novi morbi nova remedia requirunt, ut sanitas inducatur, suos Decessores suis Constitutionibus providisse negotiis eorum ætate natis, formamque Decisionis imposterum definivisse; Casus autem multiplices sub suo Pontificatu emersisse, quos novis Constitutionibus ordinasset, ut sic novitiæ Causæ & similes futuræ, componi possent; adjicit, se ex eodem consilio compilari jussisse eas Constitutiones novitias, & sub titulis congruis collocari: illasque sub suo sigillo dirigit, ut effectum propositum habeant.

„ HONORIUS *Episcopus, Servus Servorum*
„ *Dei.*
„ *Dilecto Filio Magistro* TANCREDO, *Ar-*
„ *chidiacono Bononiensi, salutem & Apostoli-*
„ *cam benedictionem.*

„ Novæ Causarum emergentium Quæstiones novis
„ exigunt Decisionibus terminari, ut singulis mor-
„ bis competentibus remediis deputatis, jus suum
„ cuique salubriter tribuatur. Licèt igitur à Quibus-
„ dam Prædecessoribus, per ea, quæ suis temporibus
„ sunt decisa, forma futuris negotiis sit relicta; quia
„ *tamen prodiga rerum natura* secundùm varietates
„ multiplicium Casuum, parit quotidiè novas Causas;
„ nos quasdam Epistolas Decretales super his, quæ
„ nostris suborta temporibus, per nos, vel Fratres
„ nostros, decidimus, vel etiam aliis de *ipsorum con-*
„ *silio* commisimus decidenda, compilari fecimus,
„ & tibi sub Bulla nostra duximus destinandas: quo-
„ circà Discretioni tuæ per Apostolica Scripta manda-
„ mus, quatenùs eis *solemniter publicatis, absque ul-*
„ *lo dubitationis* scrupulo utaris, & ab aliis recipi fa-
„ cias; tam in *Judiciis* quàm in *Scholis* „.

Multa sunt in hac Constitutione notabilia 1. Multiplicationem Legum aliquandò justam esse & necessariam, & novitatem Casuum, quibus priores non provident, postulare, ut novæ condantur. 2. Pontifex non solùm gravia negotia Cardinalibus committebat, sed etiam eos in cæteris consulebat, quæ aliis Judicibus mandat. 3. HONORIUS Collectionem suam promulgari curavit in loco, ad quem eam transmisit. 4. Eam Sigillo suo communivit, ut scrupulis occurreret. 5. Eam non fecit

cit *Tancredus*, sed promulgationi & executioni ille præpositus fuit: contrarium existimari non patitur textus.

Et hæc erant dicenda de Diplomatibus Corpori Juris non insertis circà Confirmationem veterum Collectionum Decretalium, ex quibus GREGORIUS IX. suam confecit, quæ est prima Collectionum ejusdem generis in illo Corpore comprehensarum. Bulla Confirmationis refertur in Editione *Parisiensi* an. 1612. in tribus Tomis in Folio, & in Editione *in Quarto* Lugdunensi anni 1681. simul cum Collectione directa fuit Magistris & Scholaribus Bononiensibus, sicut Bulla INNOCENTII III. suprà allata, & duæ posteriores, de quibus infrà.

Principiò exponit Pontifex, DEUM dispositisse sibi Subditos fore pacificos, sed effrœnatam cupiditatem eos distraxisse, parereque atque alere litigia, ita, ut, nisi Justitia Conatus ejus suâ virtute reprimeret, Justitia & Concordia à mundo exularent. Undè aperit suum consilium novam Collectionem ex præcedentibus Collectionibus & Decretalibus conficiendi, illudque commendat ex incommodis multitudinis Collectionum; inutilitate plurium Constitutionum, quarumdam contrarietate aut nimia prolixitate, & necessitate hæc incommoda tollendi per unicam Collectionem, quæ superfluis non laborans Lectioni tot voluminum parceret: tùm dicit, se per *Raymundum* à PENNAFORTI, Capellanum & Pœnitentiarium suum, consilium suum impleri providisse, ejusque opus probat, in quo resecantur inutilia, & adjiciuntur novæ Decretales, per quas nonnulla, quæ in prioribus erant dubia, declarantur; Denique præcipit, ut Universi hac tantùm Compilatione utantur in Judiciis & in Scholis, & districtiùs prohibet, ne quis præsumat aliam facere, absque autoritate Sedis Apostolicæ speciali.

Quamvis hæc Summa videatur accurata, & exhibere id, quod in Diplomate insignius est, illud tamen legere non erit inutile: hanc enim non dedimus nisi in gratiam eorum, à quorum Editionibus abest, quæ non paucæ sunt.

Mirificam perfectionis Collectionis, quam confirmat, ideam insinuat hæc Bulla. Multi Canonistæ insignes eam nihilominùs magnorum vitiorum arguunt, quorum præcipua sunt in mutationibus in Decretalibus, quas continet, factis. Ut his medeant, ad Antiquas Collectiones remittunt, atque ANTONIUS AUGUSTINUS, quamvis Pontificiæ gloriæ studiosus, veteres Collectiones edi necessarium esse duxit, persuasumque habens GREGORIUM XIII. operis sui utilitatem agnoscere, illud ei dicat in sui consilii motivum prætexens necessitatem illud legendi, ad intelligendos Textus GREGORII IX.

Eadem fuit mens CYRONII, Cancellarii Ecclesiæ *Tolosanæ*, qui *Quintam* Collectionem, ab AUGUSTINO omissam, edidit. Cujus Editionem CUJACIUS & FLORENS exoptarunt. Ideò illam *Quatuor*, quas publici juris fecit, non adjecisse *Augustinum* probabile est, quòd eam non haberet, quamvis eam ex Authoribus, quos laudat, nosceret; ejus enim perindè atque cæterarum meminit, in *Appendice* ad Epistolam Dedicatoriam adjecta. Denique GONZALEZ, in *Apparatu* sui Commentarii, laudat multos Authores, qui, ad intelligendos textus à RAYMUNDO mutilatos, remittant ad veteres Decretales; atque observat, RAYMUNDUM his verbis, *Et Cætera, infrà, vel suprà in præmissis*, remittere ad partes resectas; idemque insinuare textus, quos refert, incipiendo ab his verbis, *ad hæc, præterea nunc autem de illis, tertiò*, quæ significantia aliquid *præcedere*, Lectorem monent, ut in parte anteriori quærat elucidationem ejus, quam legit. Authores, quos laudat, sunt ANTONIUS AUGUSTINUS, CUJACIUS, *Albericus* GENTILIS, *Petrus* GREGORIUS, *Tolos.* Adjicit, se ipsum Juri studuisse, conferendo Textus GREGORII IX. cum eorum Fontibus, crebròque idem suis Discipulis insinuavisse *n.* 52. Ibidem *Ant.* AUGUSTINUM numerat inter eos, qui Editionem Collectionis *Quintæ*, è quibus CONTIUM & CUJACIUM nominat. DOUJAT iis addit PANORMITANUM. *Prænot. Lib. IV. Cap. XVI. n.* 10. Sigillatim hoc Argumentum discutiemus, quoniam magni refert, id sic fieri.

Redeamus ad reliquas in eandem *Bullam* Observationes. Præcipua est, GREGORIUM IX. esse primum Pontificem, qui vetuit, fieri Collectiones Decretalium, absque speciali authoritate Sedis Apostolicæ. Huic prohibitioni non satis accuratè obtemperatum est. Etenim haud apparet Collectionem *Extravagantium* JOANNIS XXII. & Collectiones *Extravagantium Communium* tali authoritate conditas fuisse. Idem est de Collectione Decretalium, quæ vocatur *Septimus Liber Decretalium*, coalescente ex Decretalibus & Constitutionibus post SIXTUM IV. factis. Fortasse cautionis hujus motivum fuit, quòd intrà LXX. annos *Octo* Collectiones editæ fuissent, è quibus *Quinque* à privatis profectæ, à nullo Pontifice fuerant comprobatæ. DOUJAT loco laudato id nominatim commemorat. Fortè ad hanc cautionem eum impulit timor, ne ea omissa ingruerent vitia, quæ sustulerat, nascentia, ut suprà expositimus, à Collectione Decretalium inutilium, aut invicem adversarum, vel prolixiorum, aut ambiguarum, vel nocivarum, habitâ Circumstantiarum, & Temporum ratione, vel obscurarum.

Pontifex unico tunc utebatur Capellano, qui Sacri Palatii erat etiam Auditor. Utroque is fungebatur officio, quia lites in Capella dirimebantur, in qua Servitium Divinum peragebat. DOUJAT *L.* 4. *C.* 17. *n.* 2. *L.* 5. *C.* 74. *n.* 8.

Unicum fuisse *Pœnitentiarium* videtur: id colligitur ex eo, quòd Pontifex RAYMUNDUM *suum Pœnitentiarum* vocet.

Autor Editionis ann. 1681. suprà laudatæ Lugdunensis notat in margine hujus Bullæ, eam Universitati Parisiensi fuisse quoque inscriptam. Credibile est, Pontificem eam cæteris etiam Universitatibus transmisisse. MATTHÆUS PARIS. *in Historia* HENRICI III. *Anglicani*, refert Pontificem Collectionem suam in Orbe Universo promulgari curâsse. GONZALEZ, loco laudato, hoc testimonium refert, ipsaque Historici verba describit.

Diploma datâ caret, ut duæ Bullæ priores, de quibus suprà vulgaris opinio est, Collectionem, quam confirmat anno 1230. prodiisse.

Autor Edition. Lugd. an. 1661. in verbo *Superfluis*, hæc notat: *Interdùm & utilibus, quod & de Triboniano dicitur, qui fuit* RAYMUNDO *isto Doctior.*

BONIFACIUS VIII. secutus vestigia Pontificum suorum Decessorum, qui Collectiones confecerant, aut confici curaverant, unam fecit LXVIII. annis post GREGORIANAM, an. 1298. Pontificatûs ejus *Quarto.* 13. *Martii.* Data est in calce Collectionis. Dies, quo cæteræ datæ fuerant, appositus ipsis non fuerat. Inscriptio similis est ac superiorum: dirigitur quippe Doctoribus & Scholaribus *Bononiensibus.* Annotatur in margine in uno MS. *legi* PARISIIS pro *Bononiæ:* in alio *Bononiæ* adjici, *Parisiis Aurelianisque.* Verosimile est in Gallias transmissam fuisse, si ad Universitatum harum famam attendamus, & Dignitatem eorum, per quos recensita fuit Collectio, GUILLELMUM scilicet, Archiepiscopum *Ebredunensem*, & BERENGARIUM, Episcopum Piterensem, qui collocantur antè RICHARDUM DE SENIS Pontificis Vice-Cancellarium. Perstrictâ Pontifex Ecclesiæ Romanæ cæteris Prælatione Divinâ, & Officio Pontificio, quo urgetur ad nocturnas diurnasque vigilias, quibus pacem tueatur, scandala removeat, bonum commune procuret, & commoda Subditorum, quorum prosperitate prosperatur, litesque, nunc antiquorum declaratione, nunc verò novorum editione Jurium, reprimat; causas

aperit

aperit consilii sui in edenda nova Collectione, scilicet 1. quòd post volumen Decretalium à GREGORIO IX. tam providè, quàm utiliter compilatum, nonnullæ ab eo, ejusque Successoribus editæ sunt Decretales. 2. De aliquibus, an Decretales essent, earumque Autoribus, dubitabatur sollicitè cum plurium dispendio in Judiciis & in Scholis. 3. Ipse cum instantia à multis requisitus esset hujusmodi ambiguitatem & incertitudinem tollere. Tùm enarrat modum, quo id perfecit, quorum opera usus fuerit, & quidnam eis præceperit; nimirùm 1. resecare Constitutiones, vel Temporales, aut sibi ipsis, vel aliis Juribus, contrarias, seu omninò superfluas. 2. Alias abbreviare, alias per correctiones, additiones & detractiones congruas, mutare. 3. Ordinare & sub debitis titulis eas collocare, cum nonnullis suis Constitutionibus. Deindè monet, se Collectionem suam quinque-partitam, ut Superiores, *Sextum Librum* nuncupavisse, propter Senarii numeri perfectionem, suorumque Decessorum, qui suas Constitutiones novitias mandabant, sub antiquarum seriè situari, morem omisisse, ne infinitos Libros destrui, & alios non sine maximis dispendiis, laboribus & expensis de novo fieri oporteret. Denique concludit præcipiendo iis, quibus suum Librum cum multa maturitate digestum inscribit, ut eo utantur in Judiciis & in Scholis, nullasque alias Decretales, post Editionem Gregorianam, usque ad hanc *suam* promulgatas, recipiant.

Hæc verba *prout expedire vidimus*, adhibita circà mutationes in Decretalibus servatis factas, indicant Pontificem operi præfuisse.

Duo loca in hoc Diplomate insinuant, eum Constitutiones aut Decretales, post Collectionem *Gregorianam* conditas, tantùm voluisse colligere. Alter initio §. *Sanè*: alter in fine his verbis incipiens *post Editionem dicti voluminis*. Nihilominùs tamen apparet, eum inseruisse suæ Collectioni Textus ab ALEXANDRO III. CLEMENTE III. INNOCENTIO III. GREGORIO IX. anterioribus desumptos. Cùm exiguus sit horum Textuum numerus, cujus respectu ingens sit Constitutionum Pontificum GREGORIO IX. posteriorum multitudo, inutile duxit eos Textus GREGORIO IX. anteriores commemorare.

In eo quod BONIFACIUS VIII. vetat, ne quis utatur Decretalibus GREGORIO IX. posterioribus, quæ à *Sexto* absunt, ille exemplum ejus Pontificis deserit, qui usum Decretalium Collectioni suæ anteriorum, quamvis ipsi insertæ non forent, partium-ve, quæ resectæ fuerant, non prohibuit. Sed fortè sensus BONIFACII VIII. est, illas Decretales ad decisionum normam haud esse usurpandas, quamdiù vigebunt Decretales suæ Collectionis; neque intendit eas prorsùs abolere, ita, ut adhiberi non possent ad elucidationem earum, quas servavit; multò minùs interdicere earum usurpationem in Historia, & probatione mutationum, quæ in Disciplina irrepserant, neque in compositione Litium, si usus eas, quæ in ejus Collectione contrariæ sunt, abrogaret. Sic intellectus BONIFACIUS VIII. GREGORIO IX. non adversatur; nam hic alios non concedit usus Decretalium à sua Collectione exulantium, quàm quos modò enumeravimus, & quos verisimile est BONIFACIUM non interdixisse. Ut ut sit de mente BONIFACII VIII. parvi refert illam certò nosse, cum injuriâ Temporum, sive incuriâ Hominum, ea quæ resecuit, vel omisit, perierint.

Postremum Diploma, de quo acturi sumus, est JOANNIS XXII. *Clementinarum* Collectionem spectans, similemque præcedentibus inscriptionem gerens. Nam Collectio dirigitur ad Doctores & Scholares *Bononienses*. Præfatio, ut solet, versatur circà necessitatem novas condendi Leges, cùm priores non sufficiunt ad dirimendos emergentes casus, sive quia eos non attingerunt, sive quia sunt obscuræ, sive quia novæ exoriuntur Corruptelæ, quas reformari decet. Deindè exponit Pontifex CLEMENTEM V. Cleri Plebisque utilitati intentum, multas, ut ei provideret, sive ante, sive in Concilio *Viennensi*, sive posteà, Constitutiones tulisse, quarum Collectionis, instar superiorum factæ, promulgationem meditatam, assiduarum occupationum moles, ejusque mors præpedierant. Tùm dicit, se, qui ejus affectui ac dignitati successerat, ubi primùm sivêre negotia, quibus hactenùs circumseptus fuerat, ejus vices impleviſse. Denique, illam Bullâ suâ munitam transmittit, ut in Judiciis & in Scholis omnes eâ utantur. Datum est illud *Avenione* 8. Calendas Novembris, 25. Octobris, anno secundo ejus Pontificatus, qui an. 1316. inchoatus est.

Solius CLEMENTIS V. Constitutiones memorantur in hoc Diplomate, nec dicitur, eas immutatas fuisse; in quo hæc Collectio cum *Honoriana* convenit, quæ solas HONORII III. Constitutiones continet, ita, ut nullum sit alicujus mutationis indicium, & cum *Tertia* & *Quarta*, quæ Constitutiones INNOCENTII, continent, prout erant in Regestis Decretalium ejus Pontificis sed in eo eas vincit, non secùs ac *Primam* & *Secundam*, quòd relata sit in Corpus Juris, eodem modo, quo facta fuit, sicut *Bonifaciana*; Cæteræ verò cura GREGORII IX. in unum coaluêre, qui plures omisit Decretales insertas singulis *Trium Priorum*, & *Quintæ*; quod indicatur his verbis ad marginem resectarum Decretalium appositis, *non ponitur*. *Quartam* excipimus ab eis, è quibus plures Decretales exemit, quoniam ex eâ nullam omisit.

CLEMENS V. aut JOANNES XXII. vel quilibet alius, qui hanc Collectionem *Clementinas* Constitutiones nuncupavit, aptiorem reperit Titulum, quàm BONIFACIUS VIII. qui suam *Sextum* nominavit. Germana inscriptio erat *Constitutiones Bonifacianæ*. Nec refert inseruisse Constitutiones aliorum Pontificum; etenim, licèt JUSTINIANUS *Codicem* suum è Constitutionibus suorum Decessorum conflaverit, ille nihilominùs *Codex* JUSTINIANEUS vocatus est, propter principium, *nostra facimus, quibus authoritatem nostram impertimur*, ab hoc Pontifice adhibitum *Cap. 22. de Præb. in 6.*

Domini PITHOU, in Notis ad Titulum *Secundæ Partis Tomi II.* Corporis Juris, laudant Autores Coëtaneos, qui docent, CLEMENTEM V. suas in Concilio Viennensi Constitutiones edidisse, sed illum, quoniam satis politæ non viderentur, ut publici juris fierent, eas biennio servavisse; earum absolutioni incubuit, tandemque degentem in Castro de Montibus, secùs *Carpentoratum*, ubi commorabatur, Curiæ Romanæ, eas in Consistorio promulgavisse ann. 1314. meditantemque illas juxtà usum Decessorum ad Universitates transmittere, à morbo, quo occubuit, impeditum fuisse, JOANNEM verò XXII. ejus vicem impleviſse an. 1317.

Cùm illi insignes viri, doctissimi, & eruditionis publicæ studiosissimi, nihil in eis nobis dixerint circà Collectiones *Extravagantium*, quamvis comprehendantur sub Titulo, in quem eas dedêre, credibile est, eos nihil certi reperisse circà Confirmationem illarum Collectionum; itaque præsumendum est, argumenta certa non suppetere, eas conceptis Diplomatibus fuisse comprobatas, Decretalesque, quas continent, esse Pontificum, quibus adscribuntur; quod tamen valdè necessarium est, ut sint regulæ certæ Decisionis, sive in Judiciis sive in Scholis: nam, ut suprà patuit ex laudatis Diplomatibus, unus ex finibus Confirmationis Collectionum, est certum facere, Constitutiones insertas esse authenticas, & Regulas securas decisionis. Omissâ hac cautione deceptionis periculum sæpiùs subiremus; nam eadem Diplomata significant, eo ipso tempore, quo factæ sunt Collectiones, Constitutiones multas fuisse dubias, & TANCREDUS, in sua nota ad calcem *Tertiæ* Collectionis apposita, septem Constitutiones enumerat

INNO-

INNOCENTIO III. falsò tributas, afferens initium earum & Argumentum, asseritque, se ab ipso Pontifice suppositionem didicisse viva voce.

Quinque *Bullæ* Confirmationis Collectionum, quæ vel integræ insertæ sunt Corpori Juris, aut in *Gregorianam* Collectionem refusæ sunt, illud nomen sumpserunt ex eo, quòd *Epistolæ* Pontificum, qui eas fecerunt, sunt munitæ eorum Sigillo, quod ex multis Sæculis BULLA vocatur. DUJAT in suis *Prænot. Lib. IV. Cap. XXV.* ejus nominis probationes & rationem affert. Indè factum est, ut *Prima* Collectio Constitutionum Pontificiarum Corpori Juris non insertarum, incipiens à LEONE *Magno*, & clausa per Constitutionem SIXTI V. vocata sit *Bullarium*. Idem est de omnibus Editionibus, quæ variis temporibus prodiêre cum insignibus Additionibus, quarum enumeratio fit ibidem. Illæ Collectiones, quamvis dicatæ Pontificibus, subque eorum Auspiciis datæ, non habent authoritatem publicam ei similem, qua vigent Collectiones Juri insertæ, & Bullis expressis confirmatæ. SIXTUS V. ejusque Successores, quibus dicatæ fuerunt, non intenderunt eas comprobare, ut normæ certæ fierent Decisionis in Judiciis & in Scholis. Idem est de iis Bullis seu Constitutionibus, ac de iis, de quibus agit *Cap. 8. de fide Instrum.* quæ, si ambigatur, utrùm à Pontificibus profectæ sint, in Judiciis obtinere non debent, quoties à Jure Communi discrepant.

Isti autem dubio locus est, quoties illæ non habent conditiones Epistolarum authenticarum, sive ob defectum Sigilli germani, cui impressa sit imago eorum, quibus tribuuntur; sive quia non reperiuntur in scriniis.

Si dubiæ non sint, ejusdem saltem conditionis erunt, atque illæ, quæ anteriores sunt Collectioni *Gregorianæ* ac *Bonifacianæ*, & ab utroque omissæ sunt, quarum authoritatem atque utilitatem suprà exposuimus. Adi CUJACIUM & GONZALEM in *cap. 8.* laudatum. Adi etiam Dissertationem FLORENTIS *in methodum atque authoritatem Gratiani &c.* sub finem, ubi, agens de Collectionibus *Extravagantium*, notat in Veteri Decretali, è qua hic Textus est erutus, legi hæc verba, *de quibus nec per Bullam constitit, nec ipsæ per Metropoles fuerunt insinuatæ*, quæ docent, promulgationem Decretalium esse unam è Notis, quibus authenticitas Decretalium Extravagantium probari debet. Obiter observa, hanc promulgationem per Metropoles & Provincias factam fuisse. Adi etiam *Præfationem Francisci* DE PAVINIS *in Extravagantes*, in qua de earum utilitate agit ex professo, conditionesque observat, quibus instructæ esse debent, ut dubitationem omnem excludant, atque docet, quid facto opus sit, ubi illæ deficiunt.

Quod diximus suprà, præsumendum esse, certa non suppetere Argumenta, quibus constet, Extravagantes in duabus Collectionibus, quas habemus, contentas esse Pontificum, quibus adscribuntur, eversum videtur per opus ZEUZELINI in *Extravagantes* JOANNIS XXII. Nam in *Præfatione* dicit, eum Pontificem eas recenter promulgavisse, legiturque in inscriptione, eas esse viginti, & sub Titulis congruis collocatas esse. 2. Idem est earum numerus atque ordo in Collectione, quæ hodiè extat. Itaque, videtur, eas Extravagantes certò ad JOANNEM XXII. pertinere, eumque Pontificem eas pro suis agnovisse, eis nomen suum præfigendo: & proindè eas ab observatione superiori eximendas esse.

Sanè gravis est hæc objectio: sed, licèt responsione careret, observatio nihilominùs staret circà Extravagantes *Communes*, sufficeret ab ea excipere Extravagantes JOANNIS XXII. quarum authenticitas adductis rationibus firmaretur. Verùm ad hoc conficiendum satis graves non videntur, nec aliud probare, nisi ZEUZELINUM putavisse, Constitutiones illas esse authenticas, easque ideò explanavisse. Fortè ejus sententia infirmatur per hæc verba, *noviter editas promulgavit*, posito quòd hic Autor Sæculo XV. vixerit, in quo collocatur à DOUJAT post ZARABELLAM an. 1418. defunctum, & jungitur PAVINO exeunte Sæculo XV, defuncto, ita ut à JOANNE XXII. ad ZEUZELINUM centum anni possint interjacere.

Addi potest, PAVINUM potiùs esse Autorem Collectionis Extravagantium JOANNIS XXII. ut insinuat inscriptio *Apostillarum* ejus in has Extravagantes, ferens, eum has inseruisse tractatui suo *de Visitatione*, cum Glossis GUILLELMI DE LAUDUNO, ejusque cura anteà descriptas fuisse cum Glossis ZEUZELINI. Hæ *Apostillæ* sequuntur immediatè opus ZEUZELINI, à quo petitur objectio. Ut ut sit, proposito nostro indifferens est, an hæc Collectio sit opus alterutrius. quippè ambo sunt privati, qui injussi à Pontificibus, illi publicam authoritatem impertiri non potuerunt. Itaque Constitutiones collectæ nihilò magis sunt authenticæ.

QUÆSTIONES.

QUÆSTIO I.

PAtuit ex Bullis Collectiones confirmantibus, resecta fuisse in Decretalibus insertis superflua & inutilia; omissas fuisse Constitutiones invicem adversas, aut identicas; contractas fuisse prolixiores; antiquatas fuisse eas, quæ sunt omissæ; res-ne se habet, ut exposita est in Bullis? Has-ne mutationes illæsis Decessoribus inducere potuerunt Pontifices?

QUÆSTIO II.

NOn proponitur, nisi ut pateat nihil solidi posse objici adversùs potestatem, quam Pontifices exercuêre in Constitutiones suorum Decessorum, quod sic evincitur. Textus graviores, qui possint objici, sunt 1. Illi, qui dicunt, Pontifices eadem authoritate pollere, eademque potestate fungi; paris autem in parem nullam esse authoritatem; *par in parem non habet imperium*, *Cap. 20. de Electionibus.* 2. Illi, qui docent, Pontifices Successores teneri observare Decreta suorum Decessorum; aliàs eos esse dignos, quorum Statuta ab eorum Successoribus infringantur. Plures suppetunt CAUS. XXV. QUÆST. I. & II. vide *Can. 15.* QUÆST. I. & *Can. 4.* & *19.* QUÆST. II. 3. Omnes Textus, qui astringunt Successores ad reverentiam Decessorum, siquidem per emendationem eorum Decretorum arguitur eorum memoria. Porrò, illi Textus nullatenùs probant, Pontifices non posse abrogare, emendare, immutare, Constitutiones suorum Decessorum. Textus enim prioris generis contrarium probant. Nam INNOCENTIUS III. per Regulam objectam probat, suum Decessorem, nec se ligare potuisse, nec voluisse, quoniam sciebat Successorem Legislatoris pari, imò eâdem potestate functurum esse. Textus secundi generis agunt de Canonibus ad Ecclesiæ bonum adhuc necessariis, quibus derogari nequit illæsa Religione; resectas autem Decretales sive omninò, sive quoad aliquam partem, Religionis commodo fuisse necessarias haud apparet. Denique, Textus ultimi generis memoriam Decessorum contaminari vetant, quæ integra manet, etiamsi ipsorum Decreta à Successore emendentur; quod enim certo tempore necessarium fuit, in alio non congruit. Decretales conditæ sunt occasione quorumdam factorum, quæ fusiùs enarrantur; inutilis autem ad intelligentiam Decreti potest esse illa Scriptura; utilius futurum fuisse videtur, si à Decretalibus per occasionem datis omnia facta fuissent resecta, ipsarumque dispositio in Regulam Juris redacta fuisset, cui omnes tantum circumstantiæ ad Regulam Generalem aptæ, vel ad Exceptionem prout materia postulavisset, fuissent insertæ.

Præ-

Præsumendum est, Pontifices Constitutionum Autores Religionis bonum respexisse, & voluisse, ut eæ à suis Successoribus immutarentur, quoties hi cognoscerent, Religionis interesse, ut priora jussa antiquarentur. Præsumendum est etiam, Autores Constitutionum, quæ videntur iniquæ, eas bona ductos intentione condidisse, ipsosque, qui eas emendavissent, si earum iniquitatem agnovissent, exoptasse, ut sui Successores vices suas implerent. Itaque, quoties Successor justas in Legibus Decessorum mutationes facit, eorum voluntati obsequitur.

Circà *Quæstionem* 1. observandum est, quòd, ad dignoscendum, an mutationes in Decretalibus Decessorum, sive per additiones, sive per detractiones, sive per contractiones, sive per suppressionem, factæ, sint justæ & necessariæ, illæ penès nos esse deberent Decretales, & juxtà eas discutiendæ forent singulæ mutationes; nobis autem non suppetunt eæ, de quibus loquitur BONIFACIUS VIII. in *Bulla* ejus Collectioni præfixa: itaque, præsumendum est, eas rectè factas fuisse, cùm nulla sint contrariæ opinionis agrumenta. Secùs est de mutationibus GREGORII IX. jussu factis in Decretalibus veterum Collectionum, è quibus suam confecit; nam integræ supersunt, quales erant, cùm facta est Collectio: itaque, de illis judicium ferri potest, conferendo quod electum fuit, cum eo, quod fuit suppressum, quod additum fuit, cum eo, quod in veteribus legebatur; Decretales, quæ omissæ fuerunt, quasi invicem contrariæ aut superfluæ, cum eis, quæ sunt insertæ; eas, quæ aliis Titulis subjectæ sunt, quàm iis, quibus subjacebant, cum argumento utrorumque; eas, quæ divisæ sunt, ut sub variis Titulis collocarentur, quibus congruere visæ sunt partes abscissæ, divisim sumptas, cum iisdem integris. En peramplam dissertationis materiem: sed hic non est ejus locus. Prolixior foret discussio, & facienda minutior distributio, quæ fieri nequit, nisi in operis Corpore, prout argumentum erit opportunum; atque etiam illuc id rejicere statuimus, satis habentes observavisse hic, quod ab Eruditis Canonistis dictum fuit de utilitate veterum Collectionum, undè colligetur, eos putavisse, mutationes, quæ suis Autoribus visæ sunt necessariæ, tales non fuisse, aut saltem partes resectas etiamnùm esse utilissimas, non solùm ad historiam, verùm etiàm ad expositionem & intellectum Definitionum, quæ servatæ sunt.

Illi Canonistæ sunt ANT. AUGUSTINUS, CUJACIUS, FLORENS, GONZALEZ, quibus adjiciemus *Carolum Labbe*, ipsaque eorum verba referemus, postquàm notaverimus, veteres ac novos Canonistas sæpè antiquas Collectiones laudare, his verbis, *in antiquis*: *in antiqua in parte recisa*, *aut resecta*: multaque esse Editiones Corporis Juris, in quibus partes resectæ singulis Textibus Collectionis *Gregorianæ* suppositæ fuerunt. *Joannes Quintinus & Antonius Contius* textui inseruerant id, quod necessarium ducebant, ad intelligendam Definitionem; quod improbat ANT. AUGUSTINUS in sua Epistola dedicatoria ad GREGORIUM XIII. propter diversas rationes, quia privatis non licèt interpolare opera à publica authoritate profecta, 2. Quoniam timendum est, ne Librarii additionem cum textu permisceant, omittendo notam utriusque distinctivam. *Franciscus* DE PEGNA, ultimus Correctorum *Decreti* Gratiani similes fecit additiones, verùm extrà Textum, suoque nomine non præfixo, *quia Templum Dianæ intendisse visus est*, ut ait ANT. AUGUSTINUS, in fine *Dialogi* CCI. *Libri* 1. suarum *Correctionum Gratiani*.

Primus Autor, cujus verba referemus, satis significavit, se arbitrari, antiquas Collectiones esse utiles, earumque necessariam esse Lectionem, significavit, inquam, cura & labore, quam suscepit, ut eas publici juris faceret, cum Notis in *Primam*. Sed, præter hoc testimonium, quod facti est, duo alia præbet. Primum, in Epistola laudata, in quâ sic exponit consilium Editionis, quam dat: „Maximam indè utilitatem „ fieri posse facilè deprehendi, nam & ipsa illa anti„ quitatis cognitio, ut in cæteris rebus propiùs acce„ cedit ad ipsarum rerum originem, & ut purior fon„ tium est hausus, sine illis sordibus, quæ in rivulis „ & lacunis hærere solent; sic in his pleno gurgite at„ que dilucidiore, veterùm Scriptorum Sententiis „ fruimur. Multa sunt à RAYMUNDO detracta, quæ „ nisi legantur, vix relictorum Sententiam depre„ hendimus. Ex unius sæpè Rescripti Corpore, plu„ ra veluti membra sub variis Titulis posita, si ite„ rùm conjungantur, multò faciliùs cognoscuntur. „ Inscriptionum hic quoque & Nominum certior „ Scriptura est, & errata nostrorum Librariorum, „ tùm in his, tùm in aliis plerisque corrigimus. „ Cœpit ejus rei facere periculum INNOCENTIUS „ IV. cùm ex Registris *Archetipis* pleraque mutan„ da censuit „.

Hinc elucet, antiquas Decretales esse ad intelligentiam relictorum Textuum necessarias, ad restitutionem Inscriptionum & Nominum, ad emendationem erratorum Librariorum, nec non ad Notitiam antiquitatis: ibi hauriri Jus in ipso fonte, qui limpidior fluit, quàm rivuli. Sermonem hunc claudit dicens, se omnibus his commodis, quæ à veteribus Collectionibus erui possunt, fuisse inductum, ut eas promulgaret eo tempore, quo Pontifex perfectioni Corporis Juris incumbebat, sperareque, ut illi in absolutione illius operis inutiles non forent.

Alterum ejusdem Authoris testimonium est in ejus *Præfatione* in *Quartam Collectionem*, quam dat cum Notis JOANNIS TEUTONICI, quæ sunt pars *Glossæ* Collectionis *Gregorianæ*. Concludit his verbis, *licebit igitur his & illis frui: tanquàm ex pellucido fonte, quod sæpè dicendum est, puriorem aquam sumere, ut eodem tempore & Innocentiana verba, qualia ab initio fuerint, & has interpretationes pleniores cognoscamus.*

CUJACIUS *in Cap.* 8. *de restitut. Spoliator.* cùm monuisset, restaurandam esse *Inscriptionem* ejus, sicut & *Noni*, veterum Decretalium ope, *porrò inscriptio hujus Cap.* 8. *& Cap. sequentis restituenda ex antiquis*; adjicit, *sine quibus, cùm tamen contemnantur ab aliis, vix quisquam possit Jus Pontificium benè interpretari.* Et *in Cap.* 1. *qui Clerici vel vovent*, refellens ZARABELLAM, qui negat Episcopum posse dispensare cum Diacono Homicidii reo, & Sacrilegii uxorem ducendo admissi, laudat hæc veteris Decretalis verba, *si ad Ecclesiam redire voluerit, ipsum debes recipere & absolvere à sententia Excommunicationis post peractam pœnitentiam, eidemque Diaconatûs Officium reddere.*

FLORENS, *de methodo, autoritate, & usu Collectionum* agens, è quibus coalescit Corpus Juris, hujusque rei occasione loquens de Collectionibus veteribus, è quibus conflata est *Gregoriana*, sic earum utilitatem commendat: *Licèt Raymundus dicat, ex his se superflua resecuisse tantùm; rectè tamen Glossa & reliqui accurati Interpretes veteres ac Novi, conqueruntur utilia multa resecuisse: imò aliquot Constitutiones utiles prætermisisse.* Undè concludit, *Origines itaque & fontes Decretalium singularum juvabit inquirere ex antiquis Collectionibus; quod Contius inchoavit primùm in Editione Antuerpiensi, adnotatis quibusdam, ut diximus, ex quinta Collectione Manuscripta. In Romana verò Editione idem, Franciscus Pegna, vir Doctissimus, unus ex Correctoribus Romanis præstitit accuratiùs, & adnotavit initio cujusque Decretalis.* Tùm refert locum suprà laudatum ANT. AUGUSTINI, *part.* 1. *pag.* 55. *Præfat.* novem Tractatuum. *Ibid. p.* 57. FLORENS, cùm adnotavisset, Pontifices circà Decretales suorum Decessorum ipsaque Concilia Generalia fecisse, quod JUSTINIANUS peregit in Opera Jurisconsultorum, & in Constitutiones Imperatorum anteriorum, addit, in eo feliciores esse Canonistas,

quàm Legistas, quòd illi omnes ferè Juris Canonici fontes habeant, hi verò eodem adjumento careant. *Hoc feliciores Juris Canonici studiosi, quòd fontes & origines penè omnes Juris Canonici, cum cura & solertia, non sine sumptu & labore tamen, deprehendere & scrutari valeant. Juris Civilis studiosis tam beatis esse non licet.*

GONZALEZ TOM. I. scribens historiam Juris Canonici, eam intermittit, ut loquatur de utilitate & necessitate Lectionis veterum Collectionum, præsertim quoad Antecessores; atque affirmat, absque hoc auxilio acquiri non posse plenam & perfectam Juris notitiam, textusque existere alia via inintelligibiles. Tùm rationes hujus necessitatis afferens, ait, RAYMUNDUM brevitati studentem, omnia penè resecuisse, quæ Textus Conclusioni lucem afferre poterant, his tamen verbis, *suprà* & *infrà*, ad partes resectas remisisse.

Denique addit, se suâ experientiâ necessitatem atque utilitatem hujus Lectionis edoctum, solitum esse hanc Auditoribus suis in omnibus Prælectionibus suadere.

Quoniam prolixæ sunt hanc in rem observationes illius Authoris, atque diffusiore stilo utitur, insigniora verba referre sufficiet. Cùm dixisset, seriam se dedisse operam Collectionum & Conciliorum studio, quod una cum studio Juris inchoaverat, cujus nunquàm pœnituisset, nec tunc pœnitebat, addit: *Imò in ea sententia persisto, veram perfectamque cognitionem, insalutatis integris Pontificum & Conciliorum Monumentis, assequi non posse. Cùm sibi objecisset, id studium nonnullos puerile, inutile, otiosum putare, respondet, sed non sine Eruditorum risu.* Conclusionem suam, consulendas esse veteres Collectiones, confirmat, his verbis, *cùm ex eis non rarò mens vera & germana decisionis proveniat, ut passim in hoc nostro opere notavimus.* Quod diximus de cura, qua Scholaribus suadebat studere veteribus Collectionibus, sic concipitur. *Semper ergò dum Discipulis è suggestu hoc Jus exponebam, magnoperè commendabam, ut integras Decisiones perquirerent, legerent, perlegerentque, ut rectiùs & faciliùs verum sensum perciperent.*

Locus *Caroli* LABBE promissus est in Epistola Dedicatoria Editionis, quam fecit an. 1621. *veterum Collectionum*, de quibus agitur. *Licèt enim recentes extent, hæ tamen veteres necessariæ sunt illis, qui veram cognitionem atque scientiam novarum sibi acquirere desiderant, utpotè ex quibus, tanquàm ex fontibus, illæ promanarint. Qui contrà sentiunt & opinantur his veluti prolixioribus & amplioribus illas obscuriores fieri, idem patiuntur quod noctuæ, illustres siquidem fulgores solis videntur illis causa cæcitatis.*

Facile esset congerere plura testimonia circà utilitatem & necessitatem legendarum Collectionum veterum, ad ostendendum fusiùs, eruditos Canonistas putavisse, detractiones à *Raymundo* DE PENNA-FORTI factas, non esse semper utiles, multò minùs necessarias; atque ideò nos veteribus Collectionibus indigere. Verùm sufficiet observare, DOUJAT suarum *Prænot. lib. V. Cap. XXI. n.* 11. referre, *Boetium* EPONEM Duacensem Antecessorem *Cap.* 2. *de Jure Sacro*, affirmare se Religioni habuisse Juris interpretationem nonnisi à fontibus quærere, istamque praxim Successoribus suis commendavisse.

CAPUT VII.

Observationes circà RUBRICAS *Juris Canonici.*

RUBRICÆ vocantur Titulorum Inscriptiones, ideò, quòd hæ antiquitùs Rubris literis forent scriptæ. Ob eandem caracteris distinctionem, præcepta Missalibus Breviariis, Pontificalibus, &c inserta, eodem vocabulo designantur. Circà Rubricas perindè est de Jure Canonico, ac de Jure Civili. Rubricæ, quæ à Legislatore Collectionis Authore factæ, vel confirmatæ fuerunt, vim legis habent, quoties sensum perfectum exhibent. De eo omnes Interpretes consentiunt. Ratio est, quòd illæ tunc præcepta vel negativa, vel affirmativa sunt Legislatoris.

Plures illius generis existunt in Collectionibus Decretalium tùm veteribus, tùm novis. Quoniam Collectiones *Gregorianæ* Posteriores nullas habent Rubricas, quæ non sint ab ea desumptæ, ab ea sola mutuabimur exempla huc afferenda. Primum exhibet. TIT. VI. *Lib.* 2. sic conceptus, *ut Lite non contestatâ, non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.* Alterum est in TIT. XVI. *ibid. ut lite pendente nihil innovetur.* Tertium est in TIT. IX. *Lib.* 3. *Ne Sede vacante aliquid innovetur.* Quartum TIT. XII. *ibid. Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.* Quintum TIT. *ultim. ibid. Ne Clerici vel Monachi Sæcularibus negotiis se immisceant.* Sextum TIT. V. *Lib.* 5. *Ne aliquid exigatur pro licentia docendi.* Septimum TIT. IV. *ibid. Ne Prælati vices suas vel Ecclesias aliis sub annuo pretio concedant.* Hæ duæ Posteriores sunt consecutio Rubricæ ejusdem Libri III. *Ne aliquid pro Spirituali exigatur vel promittatur.* Ejusmodi præcepta eo majus habent pondus, quòd multis posteà confirmentur Textibus, relatis in Titulo, cujus sunt Inscriptio. Non immoramur in iis exponendis, quæ præcipiunt aut vetant illæ Rubricæ: illa expositio reperietur aut in Collectione *Regularum Juris*, aut in Tractatibus circà Argumenta uniuscujusque Rubricæ.

Inter Rubricas, quæ nihil præcipiunt aut vetant, quædam significant, actus quosdam in certis casibus licere, in cæteris vetari. Talis est Rubrica *de rebus Ecclesiæ alienandis vel non*: Rubrica *de alienatione Judicii mutandi causa*: Rubrica *de confirmatione utili vel inutili.* Quædam docent, quibus modis auxilium Superioris imploratur, circà judicium redditum, vel reddendum. Talis est Rubrica *de appell. recusationibus, relationibus.* Quædam enumerant modos procedendi adversùs Sontes: Talis est Rubrica *de accusationibus, inquisitionibus & denunciationibus.*

Quoniam aliæ non sunt Collectiones Canonum Ecclesiæ Occidentalis Authoritate publica certò factæ vel confirmatæ, quàm Collectiones GREGORII IX. BONIFACII VIII. CLEMENTIS V. aliæ non sunt Rubricæ Juris Canonici Authenticæ, quàm quæ in illis sunt. Ex aliis Collectionibus excipienda est Tertia quinque veterum, ex quibus suam conflavit GREGORIUS IX. quæ jussu INNOCENTII III. composita est ab ejus Notario PETRO *Beneventano.* Idem præsumi potest de *Quarta*, quæ, sicut *Tertia*, Constitutiones *Innocentianas* continet, cum his duabus differentiis, quòd Prima coalescit ex Decretalibus, ab initio ejus Pontificatûs, ad annum duodecimum ejusdem conditis, Secunda verò cæteras continet cum omnibus Decretis Concilii *Lateranensis* IV. Sed hæc exceptio magni non est momenti, quoniam GREGORIUS IX. omnes Rubricas harum Collectionum servavit, nec non pleraſque cæterarum anteriorum. De autoritate Collectionum *Extravagantium* JOANNIS XXII. & *Extravag. Comm.* fruſtrà inquireretur, cùm eædem sint cum *Gregorianis.*

Ex omnibus Collectionibus, è quibus coalescit Juris Corpus usu frequentatum, solæ *Gratiani* Rubricæ Legis robore carent, licèt earum sensus sit perfectus. Ratio est, quòd ejus Collectio sola authoritate publica destituatur, atque, ut privatum Opus spectari debeat.

debeat. Quod in ea continetur, non majorem habet autoritatem, quàm si ab ea abesset. Non potioris est conditionis ille Autor, quam REGINO, BURCHARDUS, *Vormacensis* Episcopus, Ivo *Carnotensis*. Hi autem, & similes, nullam operi suo autoritatem impertiti sunt. Doctores sunt tantummodò, qui Rempublicam suis Laboribus juvarunt. BURCHARDUS atque Ivo, quatenùs Episcopi, Collectiones suas pro suis Diœcesibus confirmare potuerunt, modò illæ suapte naturâ jam non vigerent, qualia sunt Decreta Conciliorum Generalium, aut Provinciæ ipsorum, & Statuta Principum; Leges enim hujusmodi Confirmatione illorum non egebant. Iidem Collectores Statuta Synodalia condere potuerant, ut Præsules, circà Capita nondùm, aut minùs opportunè, quoad circumstantias Temporum, Locorum & Personarum ordinata. *Gratianus* & *Regino* jurisdictione carentes in locis, ubi sua opera edebant, Statuta condere non potuerunt, quæ in his locis vigerent. Facultatem duntaxat noscendarum Legum, quæ vigebant, præbuêre. Itaque, Decreta ab eis collecta, in eorum opere non alia pollent autoritate, quàm quæ ipsis est intrinseca. Rubricæ easdem vires habent, atque earum Autores, sicut *Summæ* Capitum, nec non *Observationes*, quas illis adjecêre. FLORENS in utroque Jure Parisinus Antecessor, verbis DURANDI, AZONIS, JOANNIS ANDREÆ, & PANORMITANI confirmat, quod modò diximus, de non authenticitate Rubricarum *Gratiani*, ejus Operum Editionis *Doujatianæ* Part. 1. p. 51. Denique adjiciendum, Rubricas *Decreti* melioris non esse conditionis, quàm Decretum, cujus Textus aliam non habent autoritatem, quàm Conciliorum, Pontificum, Patrum aliorum-ve Autorum, à quibus desumpti sunt. Idem est de illis ac de Conciliationibus ejusdem *Gratiani*, quæ sunt tantùm (ut aiunt) *Magistrales*.

Eos, qui autoritate privata Canones collegerunt, promulgatoribus eorumdem exæquando, major verò potestas ipsis attributa fuit, modò agatur de iis, qui Legislatoris autoritate eos promulgant, sive ex ejus imperio, eos legendo aut affigendo: nam quod hi exequuntur, à Legislatore, cujus jussui parent, corroboratur. Nulla est (ut jam dictum) nova Rubricarum species in Collectionibus *Gregorianæ* posterioribus: in *Gregoriana* autem sunt *quinque* à veteribus Collectionibus anterioribus absentes. Eæ juxtà ordinem Alphabeticum sunt. Prima, TIT. *de Custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & alior. Sacram.* LIB. III. TIT. XLIV. Secunda, TIT. *de Litis Contestatione*, LIB. II. TIT. V. Tertia, TIT. *de Maledicis*, LIB. V. TIT. XXVI. Quarta, TIT. *de Reliquiis & Veneratione Sanctorum*, LIB. III. TIT. XLV. Quinta, TIT. *de Summa Trinitate & Fide Catholicâ*, LIB. I. TIT. I.

Inter Rubricas veterum Collectionum, una est Rubrica à Collectione *Gregoriana* & posterioribus exulans, scilicet, *de Suffraganeis* Lib. V. Tit. XXII. *Secundæ Collectionis*. Verbum, *Suffraganeis*, hic sumitur pro *Suffragiis*, ut indicant Argumenta Textuum subjectorum, ad Missam, Preces, Officia Divina pertinentium.

E 185. Rubricis Collectionis *Gregorianæ*, 83. è *Codice* JUSTINIANEO desumptæ sunt; cæteræ illas imitantur. BERNARDUS *Papiensis* primus est utrarumque Autor, quòd eas fecerit, aut collegerit, aut ordinaverit.

Observationes in SUMMAS *Textuum* JURIS CANONICI.

Nullæ ex his *Summis* authenticæ sunt, quatenùs hoc verbum autoritatem publicam denotat. Earum Auto-

res sunt Doctores, itaque non habent nisi autoritatem Magistralem.

Nullæ Veterum Collectionum Decretalium, ante *Gregorianam* habent *Summas*. Id facilè cernitur 1. in *Quatuor* veteribus ab *Antonio* AUGUSTINO editis; 2. In Quinta, quæ Decretales HONORII III. continet, à CIRONIO, in Jure Antecessore, & Cancellario Ecclesiæ Tolosanæ, edita. 3. In ea, quæ infrà Concilium *Lateranense III.* reperitur, habitum sub ALEXANDRO III. an. 1179. CONC. *Tom. X. p.* 1535. hunc Titulum gerente, *Appendix ad Concil. Lateranense*. Dividitur in *L. Partes*, quarum singulæ è pluribus Capitibus coalescunt, quæ *Summis* carent. Equidem in *Indice Partium* describuntur Summæ Capitum uniuscujusque Partis, in quo differt illa à cæteris, quæ *Summis*, sive in fronte, sive in fine, sive in Corpore carent.

Quod diximus, eas *Summas* habere tantùm autoritatem Magistralem, in eo nititur, quòd, plurimæ nominatim referant Doctores sui Autores, è quorum saltem Doctrinâ illæ desumptæ sunt. Probationes existunt in Collectionibus GREGORII IX. BONIFACII VIII. & CLEMENTIS V. In duabus reliquis Collectionibus, scilicet *Extravag.* JOANN. XXII. & *Extravag. Comm.* nullus Autor in *Summis* Textuum nominatur. Illi, qui referuntur in Collectione GREGORII, sunt JOANNES ANDRÆAS, qui Sæculo XIV. vixit; *Antonius* DE BUTRIO, qui Sæc. XV. vivebat, & PANORMITANUS, sic vocatus, quia *Panormitanus* erat Archiepiscopus. Sæpè laudatur in *Summis* sub nomine ABBATIS, aut *Abbatis Siculi*, quia possidebat Abbatiam *de Monico*, quæ est Messanæ. Major Pars *Summarum* Textuum illius Collectionis, sunt ejus Autoris, sive ipsas fecerit, sive ex ejus Operibus desumptæ fuerint. Aliæ *Summæ*, quarum Autores designantur, sæpiùs JOANNI ANDREÆ adscribuntur, cæteræ sunt *Antonii* DE BUTRIO, quibusdam exceptis à GLOSSA desumptis.

Nulla ferè est *Summa* in *Sexto* & *Clementinis* quarum Autor non referatur; JOANNES ANDRÆAS sæpiùs occurrit, tùm *Dominicus à* SANCTO GEMINIANO, qui Sæculo XV. vixit. Multas fecit ZEUZELINUS, vel eæ ex ejus Operibus desumptæ sunt. Nonnullæ sunt *Joannis* DE PANVINIS, multæ è GLOSSA desumuntur, vel ad *Glossam* remittunt.

Cùm valdè indifferens sit, utrum hæ *Summæ* ab iis Autoribus confectæ fuerint, an ab eorum Operibus sint desumptæ, sufficit observare, verisimile esse, quòd, ubi Summa aliquem Autorem nominat, dicendo simpliciter, hoc dicit v. gr. JOANNES ANDRÆAS, DOMINICUS ZEUZELINUS, insinuatur, illum esse illius Autorem, ubi verò his verbis utitur, *Secundùm* JOANNEM ANDRÆAM, DOMINICUM ZEUZELINUM, significatur, *Summam* ab eorum Operibus fuisse desumptam. Ut ut hæc sunt, constat, illas *Summas* esse utilissimas sive illi Autores à se ipsis loquantur, sive loquentes inducantur.

Hæc utilitas è multis Capitibus nascitur. Nam 1. si variæ sunt Textûs Interpretationes, illud docemur per *Summam*, quæ monet, quinam intellectus vulgatior, aut verosimilior sit. 2. Si Textus varios sensus patitur, monet id *Summa*, atque utrumque exibet. 3. Si Textus alium in terminis sensum habeat, quàm in mente, id significat *Summa*, dicens *adhærendo Litteræ*, vel *secundùm mentem*, sive, *intellectum*. 4. Quandò aliquid in Textu deficit, atque illud suppeditat *Glossa*, utrumque in *Summa* jungitur, ut sensus purior & perfectior eruatur, idque indicatur. 5. Si Textus crebrò locum habeat, id monet *Summa*. 6. Idem præstat, si dispositio singularis aut insignis fuerit. 7. Si Textus aliis Textibus adversetur, illud observat *Summa*, simulque id, cui inhærendum est. 8. Si plures sint partes in Textu, *paragraphis* non distinctæ,

Summa dat singularum partium sensum. 9. Quandò Textus res alienas continet, aut non congruas, id monet *Summa*, quæ eligit partem Titulo congruam; quod significat per hæc Verba *quoad Titulum*. 10. Quoad prolixos Textus, valdè laborem, quem Lector in iis absque auxilio legendis, pateretur, imminuit *Summa*. 11. Quandò Textus plura continet invicem non cohærentia, *Summa* illam varietatem sæpiùs advertit.

Tot ac tam varia commoda, quæ procurant *Summæ*, commendant eorum enumerandorum operam, atque ostendunt, utilissimum futurum fuisse, si cæteris Collectionibus, quæ iis carent, insertæ fuissent *Summæ*, atque in illis omnibus Collectionibus, quæ iis instructæ sunt, eæ pari cura confectæ fuissent, atque illæ, quæ tribus Collectionibus superiùs laudatis insertæ sunt.

Quod diximus de *Summis* duarum Collectionum *extravagantium*, scilicet, earum Autores ignorari, neque eorum aliquem nominari, repetendum est circà *Summas* Canonum à *Gratiano* collectorum. Non omnes Canones ejus operi insertis Summis instruuntur. Pauciſſimæ sunt in Canonibus, qui continentur in DISTINC. VII. *de Pœnitentia*, longè pauciores præfiguntur iis, qui Decreto additi sunt à PALEA, Discipulo *Gratiani*, & qui à cæteris distinguuntur per hanc inscriptionem *Palea*.

Canones Pœnitentiales & Canones Apostolorum ad Decreti calcem siti, *Summis* etiam carent.

CAPUT VIII.

Observationes in Collectionem SEPTIMI DECRETALIUM *ad calcem* EXTRAVAGANTIUM COMMUNIUM, *Editioni* Lugdunensi *anni* 1661. *insertam; & maximè in Concilia, quorum Decreta in ea continentur.*

COllectio hæc, opus est viri privati, cui nomen, *Petrus* MATTHÆI J. C. Lugdunensis, facta fuit ad supplendum ea, quæ à Corpore Juris absunt à SIXTO IV. ad SIXTUM V. scilicet *Bullas* Pontificum, & Decreta Conciliorum in illo intervallo habitorum. DOUJAT, qui de ea loquitur, *Prænotionum Lib. IV. Cap. XXVI. n.* 2. 3. eam plurium vitiorum gravissimorum arguit: præter quàm quòd enim authoritate publica destituitur, Titulus ineptus est, magisque conveniret Collectioni CLEMENTIS V. quæ SEXTUM *Decretalium* immediatè sequitur: Collectio subsequens ob eandem rationem OCTAVUS *Decretalium* nuncupari debuisset. Collectio Extravagantium Communium, NONUS esset Liber; & sic Collectio *Matthæi*, DECIMI tantùm *Decretalium* nomen acciperet. Præterea, inquit DOUJATUS, Autor neque Librorum, neque Titulorum ordinem secutus est, in Collectionibus præcedentibus observatum, pluresque novos inseruit, quorum plerique ad aliquem è Titulis Decretalium referri potuissent: denique, omnibus ritè discussis, appareret, illum utilia Decreta omisisse, ac minùs necessaria collegisse.

Vitia à DOUJATIO in illa Collectione observata, neque sola sunt, neque omnium gravissima. Nam Autor Conciliorum Decreta referendo, omittit indicationem loci specialis, undè desumpta sunt, scilicet *Sessionem* & *Caput*. Decreta quoque Pontificum sæpè occurrunt sine laudatione loci, à quo accepta sunt. Quamvis consilium operis sit colligere Canones, Decretales, Decreta &c. *Sixto* IV. posteriora, multa tamen referuntur à Pontificibus anterioribus profecta, scilicet *Innocentio* IV. *Alexandro* IV. *Urbano* IV. *Nicolao* III. *Honorio* IV. *Bonifacio* VIII. *Clemente* VI. *Urbano* VI. *Martino* V. *Eugenio* IV. *Nicolao* V. referuntur etiam Constitutiones Imperatorum, *Sixto* IV. Anteriorum, nempè *Friderici*; vel præ cæteris Titulo *de Hæret. Lib. V.* perturbatur ordo Temporum, in dispositione Decretalium, aut Constitutionum Pontificiarum sub eodem Titulo. *Gregorius* XIII. aliquandò *Pio* V. aliquandò *Clementi* VII. præponitur. *Pius* V. ante *Clementem* VII. nonnunquàm coloratur. Videtur solùm egisse de Conciliis LIB. III. Tit. VII. ad referendum in eo Decretum Concilii *Lateranensis V.* adversùs *Pragmaticam Sanctionem* sub CAROLO factam: Autor tamen Gallus est, & in mediis Galliis opus elucubravit, illudque edidit sine ullâ notâ, quæ doceat, opinionem de Superioritate Papæ super Concilium Generale, in illo Decreto assertam ac probatam, esse contrariam Sententiæ totius Regni, ubi Doctrinam oppositam à Conciliis *Constantiensi* & *Basileensi* confirmatam, cæteraque eorumdem Conciliorum Dogmata, amplexi sumus.

Refert LIB. II. TIT. IX. *de Appel.* Decretum PII II. in Conventu, seu Synodo *Mantuana*, contrà Provocationes à Pontifice ad futurum Concilium Generale, ann. 1459. Decretum hoc apud nos reprobatur, & quodcumque adversatur iis Appellationibus hoc in Regno vigentibus, juxtà doctrinam Conciliorum *Constantiensis* & *Basileensis*. Ibidem *c.* 2. refert Constitutionem JULII II. illius Decreti confirmatoriam.

Refert quoque LIB. V. TIT. IX. Summam Bullæ, in *Cœnâ Domini* non receptæ in Regno; refert, inquam, perindè ac si accepta foret. Idem facit LIB. III. TIT. XVI. *Cap.* 1.

Unum Titulum *de Annatis* inscribit LIB. II. TIT. III. ubi *Septem* Decreta Pontificum in gratiam ipsarum refert, circà obligationem eas solvendi, pœnasque Excommunicationis & Depositionis continentia adversùs recusantes; quamvis in Gallia damnatæ sint. Decreta hæc Autores habent Pontifices INNOCENTIUM VIII. CLEMENTEM VII. JULIUM III. qui Decreta JULII II. renovat; postremum à PIO V. conditum est. TIT. III. LIB. III. agit *de Spoliis Clericorum* Pontifici reservatis; circà hoc refert Decreta Pontificum PAULI III. PII V. GREGORII XIII. & PII IV. duobus præcedentibus anterioris.

Reservatio hæc in Gallia reprobatur, sicut aliæ, de quibus agit TIT. II. LIB. I. circà quas refert *Quinque* Decreta Pontificum PAULI III. PII IV. GREGORII XIII. PII V. CLEMENTIS VII. ubi quoque Temporum ordo invertitur. Hæ reservationes ad Beneficia pertinent. Decretum *Primum* fert, Beneficia Sanctæ Sedi reservata ipsi semper adsectari, ejusque dispositioni manere obnoxia; quod excludit Devolutionem, quæ tamen in multis casibus habet locum. *Secundum* fert, Cameram Apostolicam frui Beneficiorum illorum reditibus, à die vacationis usque ad diem provisionis. *Tertium* omnia Beneficia per erimen hæreseos vacatura, Pontifici reservat. *Quartum* idem sancit de Beneficiis datis personis, propter genus, aut hæresim aut à fide defectionem, prohibitis. *Quintum*, Provisi de Beneficiis reservatis Sedi Apostolicæ, ejusdem autoritate insciâ, malæ fidei Possessores declarantur.

Ultimum hujus Collectionis vitium est, quòd nulla ferè sit Argumentorum unius-cujusque Libri connexio; quod ita evidens est, ut quilibet id ex sola *Indicis* inspectione percipere possit.

Pauca Concilii *Tridentini* Decreta refert Autor, præ copia eorum, quæ plerisque Operis sui Titulis inserere potuisset. His Decretis Constitutiones Pontificias præfert, eas illis substituendo. Nullum retulit Decretum circà Sacramenta generatim, aut speciatim considerata; nullum circà Justificationem. Abstinuit similiter à Canonibus Doctrinam spectantibus, in alio quolibet Argumento. Forsitan putavit Decreta Conciliorum Generalium huic Collectionum generi minùs convenire, quàm

Pon-

Pontificias Constitutiones, quia hæ *Decretalium* nomine decorantur. Si sic opinatus est, aliter quàm Autores Collectionum præcedentium sensit, qui ipsis omnia inseruerunt Decreta Conciliorum in intervallo ab una ad aliam elapso habitorum; aut omnium, quæ per totum tempus, cujus Canones colligebant, celebrata fuerant. Dici nequit, ipsius excusandi gratia, Decreta Conciliorum laudatis Collectionibus inserta, spectari posse velut opera Pontificum, qui ipsis per se interfuerunt, atque idcirco eorum nomine inscribi, ut factum est in illis Collectionibus: at Decreta *Tridentini*, cui Pontifices, per se non interfuêre, non posse iisdem tribui, subque eorum nomine referri. Nam satis amplam autoritatem exercuerunt Pontifices in Concilio, ut ipsis tribui valeant Decreta & eorum nomine inscribi. Itaque huius laudationis loco, PIUS IV. aut V. ex Concilio Tridentino aut GREGORIUS XIII. satis appositè Decreta laudare potuisset, sub nomine Pontificum, sub quorum Legatis ea facta sunt, juxtà *Regulam* 72. de *Reg. Jur. in 6. qui facit per alium, est perindè, ac si faciat per se ipsum* Hanc si methodum secutus fuisset, omnia Decreta Concilii Tridentini Collectioni suæ inserere potuisset, servato ordine Collectionum GREGORII IX. BONIFACII VIII. CLEMENTIS V. & *Extravagantium.*

Nullum est, quod ad aliquem ex Titulis illarum aptè referri non possit; ut patet ex *Indice* illorum Decretorum juxtà hunc ordinem facto à BARBOSA; & in pluribus illius Concilii Editionibus excuso. Sic opus magis Commendabile evasisset, favorabiliùsque receptum fuisset; siquidem in eo reperta fuisset Collectio valdè commoda Decretorum illius Concilii, quæ usum ipsorum faciliorem fecisset omnibus, qui juris Canonici studio vacant: hoc autem eò utilius fuisset, quòd illius Concilii Decreta sunt Pars insignis Juris Communis, sive quia derogavit multis Textibus illius, sicque sua Decreta illis substituit, (hæc Decreta collecta sunt in tractatu *de Religiosis, de Dispensationibus, de Exemptionibus; de Beneficiis;* eâdem serie continua collegit DOUJATUS, in suis Notis in LANCELOTIUM) sive quia quosdam renovavit, & nominatim confirmavit; hi in multis Editionibus Concilii *Tridentini* collecti fuêre suntque plusquàm viginti, & singuli valdè graves.

Denique Autor hanc viam sequens, coactus non fuisset excogitare novum modum inserendi Collectioni suæ Decreta Tridentini, de qua suprà egimus; novam dicimus, quoniam Autores Collectionum præcedentium eâ nusquàm usi sunt. Monitum huic Collectioni præfixum docet, eam Cardinali CAJETANO dicatam fuisse, subque ejus Auspiciis excusam. DOUJATUS loco laudato *Prænot. n.* 2. docet, eam promissam fuisse in Epistola, quam idem Autor *Petrus* MATTHÆI ad SIXTUM V. misit, circà Epitomen Constitutionum Pontificiarum, & rerum in Ecclesiâ Romanâ à GREGORIO IX. ad SIXTUM V. gestarum; eam autem paulò post *Lugduni* editam fuisse. Itaque, cùm SIXTUS mortuus sit an. MDXC. atque Editio CORPORIS JURIS *Lugdunensis* anni MDCXI. prima sit, cui hæc Collectio inserta fuerit, jam LXX. anni circiter fluxerant ab ejus prima Editione, cum in Corpore Juris excusa fuit.

DOUJATUS *ibid. n.* 1. refert SIXTUM V. Collectionem similem sub nomine Septimi *Decretalium* edendam, meditatum fuisse, novemque Viros ad hoc opus elegisse, (quorum nomina referuntur à DD. PITHOU cum Dignitatibus officiis-ve singulorum, sub finem Synopsis Collectorum Canonum & Decretorum, quæ est in Editione Corporis Juris eorum nomen gerente) quibus nominatis, idem DOUJATUS asserit minimè constare, an ille Septimus *Decretalium* unquàm editus fuerit. FAGNANUS *in cap.* 11. *de Judiciis, n.* 61. istius Collectionis historiam tradit, atque exponit causam, ob quam suppressa fuit, postquàm facta, atque etiam excusa fuerat. Hinc, inquit, consideratum fuit, *Septimum Librum Decretalium*, authoritate Sedis Apostolicæ compositum, Corporis Juris Partem fore, iniquam autem vel absonam fore prohibitionem faciendi Glossas in hanc Partem, postquàm concessa fuit libertas glossandi cæteras, licèt Decreta plurium Conciliorum Generalium continerent, nempè *Lateranens.* III. & IV. *Lugdunens.* I. & II. & Concilii *Viennensis*: indè verò PIUM IV. sub gravibus pœnis inhibuisse, ne quis faceret Glossas in Decreta Concilii Tridentini. Narratione, eorum quæ gesta sunt circà Compilationem hujus Collectionis, multas res docet à DOUJATIO & DD. PITHOU omissas, aut aliter, quàm scripserunt, gestas. I. Refert GREGORIUM XIII. primum esse ejus consilii Autorem & executionem ipsius mandavisse Cardinalibus *Flavio*, URSINO, *Francisco* ALCIATO *& Antonio* CARAFA, ipsumque multa circà hæc scripsisse; & monita dedisse, sed hoc ante operis absolutionem morte præoccupato SIXTUM V. ejus Successorem, continuationem commisisse Cardinali PINELLO, eique Socios dedisse Cardinales ALDOBRANDINUM, MATHÆO COLUMNA: *Sixto* autem mortuo *Aldobrandinum* Pontificem factum fuisse, sub nomine URBANI VII. & promotis ad Cardinalatum tribus Prælatis Congregationis ad hoc opus institutæ, nempè *Lucio* SACO, *Laurentio* BRANCHETTO & *Pompeio* ARRIGONIO; absolutam fuisse eeunte an. MDXCIII. electionem & recensionem omnium, quæ in Collectionem ingredi debebant: tùm hæsitatum fuisse, an Canones Conciliorum *Florentini* & *Tridentini* circà Dogma, insererentur, ideò quòd in Collectionibus præcedentibus pauci forent ejus generis Textus; sed diligenti tractatu habito, concluſum fuisse, illos esse inserendos, & distributam fuisse in *Quinque Libros*, sub *Titulis* congruis Canonum collectorum Congeriem, continentem quidquid per Tria sæcula decretum fuerat. Hæc autem perfecta fuisse an. MDXCVIII. verum cum Liber sub nomine Septimi *Decretalium Clementis* VIII. excusus, moxque publicandus esset, emersisse difficultatem, quam suprà exposuimus. Abstinebimus ab observando discrimine hujus historiæ, à narratione DOUJATII & DD. PITHOU. Dicere sufficiat FAGNANO plures occasiones, & majorem facilitatem ad percipiendam horum Factorum veritatem fuisse, quàm illis; cum factus fuerit à Secretis Congreg. Concilii Interpretis, à PAULO V. an. MDCXX. mortuo, ætatemque reliquam valdè diuturnam transegerit in Muneribus magnam rerum Canonicarum notitiam requirentibus. Epitome ejus vitæ in fronte Editionis *Colon.* 1704. hæc testatur.

CAPUT IX.

Observationes circà Epistolas aliave Acta falsò Pontificibus quatuor priorum Sæculorum adscripta, & nonnullis posteriorum Sæculorum usque ad Sæculum IX. inclusivè.

SECTIO I.

De FALSIS DECRETALIBUS IN CORPORE JURIS *laudatis.*

SUppositionis illarum Epistolarum Argumenta congerere hic non intendimus; plures Eruditi id jam ac multò luculentiùs, quàm nos possemus, præstitêre. Annotare solùm volumus quod scitu magis est necessarium, certa ab incertis secernere; & vitia quorumdam ratiociniorum, circà hanc rem detegere.

E Viris Eruditis & non præoccupatis plerique consentiunt, *Epistolas* nomen Pontificum SIRICIO anteriorum gerentes esse supposititias, huiusque suppositionis argumenta firma existere. Consentiunt quoque fraudem similem multos Pontifices SIRICIO posteriores attigisse.

Eas Epistolas in nullo Autore, ISIDORO *Peccatori*, vel *Mercatori* nuncupato anteriori, reperiri

constat, eumque Collectorem, de quo suprà locuti sumus, Collectionem suam nonnisi sub finem *Septimi*, aut initium *Octavi* Sæculi condidisse. In ea refert Concilium *Toletanum* XII. an. DCLXXXI. habitum, & Decreta GREGORII II. ad Sedem Apostolicam evecti an. DCCXIV & an. DCCXXX. defuncti, ut ostendit *Index* à *Boëtio* EPONE datus. *Capitula* ab ADRIANO I. Pontifice collecta, atque INGILRAMO Episcopo *Metensi* ann. DCCLXXXV. transmissa, sunt vetustius monumentum, in quo usurpentur Decretales illæ, earumque Indices sive extracta inter Canones collocentur. Quod asseritur de illa Collectione, omni, qui spurias Epistolas cum iis Capitulis conferet, manifestum fiet. Hac via *Antonius* AUGUSTINUS id sibi persuasit, ejusque multas certas dedit probationes, in suis *Notis in hæc Capitula*. Quod negatur de omni alio monumento, stare debet, donec argumenta contraria afferantur. HINCMARUS Episcopus *Laudunensis*, primus est, qui eas Epistolas sub nomine Pontificum laudaverit, quibus sunt adscriptæ. BARONIUS hoc factum observat apud DOUJAT *Lib.* II. *Cap.* XXII. *Prænot. Can.* Id accidit in Controversia, quam gessit cum HINCMARO, Archiepiscopo *Rhemensi*, Patruo suo: hic autem primus est, qui objectas sibi Decretales ejusmodi respuerit, propter rationes, quæ ad cæteras extendi possunt. 1. Quia adversabantur Canonibus antiquis, quorum GELASIUS accuratam observationem præceperat; 2. Quia non existebant in *Codice*, sive in *Corpore Canonum*, & proindè credibile erat, eas haud receptas esse. Hæc ultima ratio perfectè enucleata erat insuperabilis, utque id efficeretur, observandum fuisset, DIONYSIUM *Exiguum* diligenter collegisse omnia Decreta Pontificum in Scriniis Ecclesiæ Romanæ contenta, nihilque inventum fuisse SIRICIO anterius; atque indè concludendum, Epistolas SIRICIO antiquiores nondùm tunc temporis extitisse. Responsa NICOLAI I. *Can.* 1. DIST. XIX. non diluunt hoc argumentum. *Primum* est, Scripturam vigere, quamvis absit à Codice Canonum. *Alterum* multas esse Epistolas SIRICIO Posteriores, atque ANASTASIO Anteriores, quo Canonum Codex clauditur, quæ non sunt in Codice, ut patet ex Collatione Collectionis Epistolarum LEONIS cum iis, quæ sunt in Codice. *Tertium*, Pontificias Epistolas Authoritatem suam à Codice non accipere; sed eam potiùs Codici impertiri. Non, inquam, diluitur argumentum: illud enim locum non habet ergà *Scripturas*, quoniam Canonum Codex ad Scripturarum Collectionem destinatus non fuit; sed tantùm ad Compilationem Decretorum Pontificiorum in Scriniis Ecclesiæ Romanæ existentium. Eidem Argumento non est locus circà S. LEONIS *Epistolas*, quæ absunt à Codice, quia illas hujus esse Pontificis aliundè constat; nulla autem probatio occurrit, quâ Decretales Decessoribus SIRICII adscriptas, eorum esse firmetur, nisi quoad nonnullas, quas Authores Coætanei commemoraverunt, aut retulerunt. Denique, Collectiones Canonum non ideò fiunt, ut iis tribuatur Authoritas; verùm, ut conserventur, & in notitiam veniant. Itaque, qui rejiciunt Decretales Pontificum SIRICIO Anteriorum, quoniam à Corpore Decretalium absunt, non id faciunt, quasi putent, eas, quæ illic insertæ sunt, indè authoritatem suam haurire: sed, quia persuasum habent, Decretales à Corpore Canonum, cui inseri debuissent, exulantes, falsitatis esse vehementer suspectas, cùm aliundè eas esse legitimas non constat.

Altera ratio ex repugnantia earum Decretalium cum antiquis Canonibus quæsita, haud minorem postulabat attentionem, cùm sit extrà similitudinem veri, antiquos Pontifices à Disciplina veterum Canonum aberravisse, vel hos, repugnantibus illorum Decretis, conditos fuisse.

Non obstantibus his falsitatis Notis, aliisque multis, quas observavimus suprà, ubi de vitiis Collectionis *Gratiani* ratione *materiæ* agebamus, & iis, quæ indicabuntur in Tractatibus, de Causis Majoribus, de Dispensationibus, de Judiciis, de Beneficiis, & cæteris, circà res, in quibus Pontifex multas habet prærogativas insignes suprà reliquos Ecclesiæ Prælatos, illæ Epistolæ multùm invaluêre. Fama & præstantia Pontificum, quibus adscribuntur, id plurimum juvit: non solùm antiquissimi sunt, verùm etiam Sancti Martyres aut Confessores. Existimatione fruuntur ii, qui earum patrocinium susceperê, qualis est NICOLAUS I. vel qui iis usi sunt, Potestatem, quam Sedi Apostolicæ tribuunt, exercendo. Non parùm contulêre Collectiones Canonum à Sæculo VIII. factæ, cùm nulla ferè sit, cui insertæ non sint, magis aut minùs prout majores aut minores sunt, atque Authores earum magis aut minùs decepti fuêre, quo magis aut minùs Authoritatis Pontificiæ studiosi.

Nihil certi suppetit circà locum, in quo illæ Epistolæ fabricatæ fuerunt. Duæ rationes eas à Româ, vel adjacentibus locis profectas esse inducunt. 1. HADRIANUS I. primus eas adhibuit, atque intulit Collectioni, quam INGILRAMO Episcopo *Metensi* transmisit; 2. Nulla est Regio, cui illa suppositio magis inservire potuerit, quippè illa maximè ad Exaltationem Ecclesiæ Romanæ tendit.

Ignoratur etiam principium tantæ fraudis; ambitio-ne, an avaritia, aut spurius zelus, propositum injecerint authoritatem primi Ecclesiæ Prælati, suprà ruinam potestatis cæterorum ad fastigium evehendi, eum constituendo fontem & Dominum omnis Jurisdictionis Spiritualis, ità, ut cæteri, nonnisi quantum ipsis ab illo concedi placuit, habeant, atque in eâ concessione ille sibi jus restringendæ, cùm libuisset, partis uniuscujusque reservavit: omnes Episcopi sint tantùm Coadjutores, & Vicarii Papæ: solus à Deo sit institutus, ille cæteros instituerit: sit in Ecclesia, quod Supremi Principes in Regno, cujus Magistratus eam tantùm habent Authoritatem, quam Princeps iis impertitur, illamque ità exercent, ut à Principe, cùm ei libuerit, restringi possit. Ignoramus, inquam, utrum illa tria vitia hoc propositum pepererint. Verùm non latet, illud esse sceleratissimum, Authorique suo magnum imposuisse pondus reddendæ DEO rationis. Mendacium sive facto, sive verbo proferatur, semper essentiali Veritati displicet, & Justitia Substantialis abominatur iniquitatem, quæ alienis spoliis aliquem exornat; omnemque reconciliationis viam claudit omni, qui damnum illatum, quantùm in se est, non resarcit, *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Quod extenditur ad eos, quibus fraus profuit, nisi persona læsa Jus suum cum notitia & libertate repudiet.

Quantùmvis Pontifici faveant spuriæ Decretales, satis illud non est visum, eæque in ejus gratiam interpolatæ sunt, per additionem clausulæ, *salva Autoritate Apostolica*, vel similium. Illæ Corruptiones indicatæ ac probatæ fuerunt in *Tractatibus* suprà laudatis. Felix primæ fraudis fortuna secundam peperit.

Cùm tanta ex illis suppositionibus commoda perceperit Ecclesia Romana, dici nequit, eam earum haud indiguisse, ejusque Privilegia satis per instrumenta legitima stabilita esse. Id tamen asserit BARONIUS, apud DOUJAT *Lib.* II. *Prænot Canon. Cap.* XXII. *n.* 4. Equidem ii, qui de illis Prærogativis edita opera egêre, plerùmque spuria laudant instrumenta, ut eas suffulciant: plurimæ penès nos ejus rei sunt probationes aliquandò produturæ.

Dici etiam nequit cum eodem BARONIO, illa Acta, quæ Authoritate, tùm cùm prodiêre, caruerunt: eam sortita esse ex usu, aut Confirmatione, quam à subsequentibus Pontificibus accepêre. Quamdiù enim ignota fuit suppositio, nullam usus Autoritatem tribuere valuit. Qui se illis submisêre, id propter reverentiam Pontificum, quorum nomen gerebant, fecerunt, aliud facturi, si fraudem ejusque principia, & iniquitatem, ac præjudicium sibi per eam illatum, cognovissent. Omnis acquisitio titulo falso innitens, caduca est, & falsitate cognita, corruit. *Illud* cernitur in Exemptionibus, falsis

Diploma-

Diplomatibus innitentibus. Idem obtinet circà Uniones, aut Divisiones Ecclesiarum simili fundamento nixas, quæ nullæ, falsitate probata, declarantur, si usus post detectam fraudem inchoatus est, aut tempore memoriam excedente, post illam notitiam perseveravit, etiam requireretur, ut Partes læsæ facultatem & libertatem habuissent jus suum persequendi & recuperandi. Quod de usu dictum est, pertinet ad Confirmationem Pontificiam, de qua, si eam invexit error, idem judicium ferri debet, ac de Confirmatione falsi instrumenti, quod legitimum videtur, quæ verò si, cognita suppositione, facta fuit, justitia carebit, nisi Partes læsæ cessione sui Juris in gratiam Confirmatoris, cum libertate consenserint.

Hoc autem factum falsum videtur, BENEDICTUM, Diaconum, dixisse, falsarum Decretalium Indices, sive extracta, quæ refert in sua Collectione trium Postremorum Librorum *Capitularium*, à Pontificibus confirmata fuisse. Nam, cùm dicit quædam *Capitula* à se collecta, à Pontificibus non fuisse confirmata, loquitur de iis, quæ desumpta sunt à Conciliis, quibus adfuêre Legati, & quæ suæ Collectionis initio refert. Id luculenter probat BALUSIUS in sua *Præfatione in Capitularia n.* II. *&* 12. ubi alios notat BARONII Errores, circà spurias Decretales ab eodem BENEDICTO laudatas. Gravissimus est, quòd ille Author affirmat, BENEDICTUM eorum Instrumentorum conditionem cognoscentem, abstinuisse à nuncupatione Pontificum, quibus tribuuntur, veritatis autem cæterarum, quas laudat, conscium, earum Authores nominavisse. Id refellit BALUSIUS, asserens BENEDICTUM *Quinquagies* circiter germanas Decretales laudare; unius verò Authorem solùm nuncupare, ejus scilicet, quæ à LEONE Magno, ad THEODORUM, Forojulienſem Episcopum, inscribitur; *Quindecies* autem circiter spurias laudare tantùm, quarum Authores non refert.

Cùm una è rationibus, quibus usus est BLONDELLUS, ad demonstrandam falsitatem Decretalium Pontificibus quatuor Priorum Sæculorum adscriptarum, sit observare, eas Authorum illis Pontificibus Posteriorum laciniis esse refertas, scilicet SS. Patrum, Pontificum, Imperatorum THEODOSII & JUSTINIANI, contendunt nonnulli, eum sic laborantem adversùs propositum suum, earum Authoritatem Epistolarum, quam labefactare nitebatur, stabilivisse, Romanamque Ecclesiam juvisse, cui commoda ex iis orta eripere intendebat. Idque probare conantur, observando ex BLONDELLI opera sequi, Falsarium Pontificibus non tribuisse nisi jura, quæ SS. Patres, Pontifices, atque Imperatores, ad eos pertinere fatentur. Talis est, præ cæteris, DOUJAT *n. 6. Cap. laudati.* Verùm hi Authores non attendunt, BLONDELLUM plura alia media, ad demonstrandam falsitatem, adhibuisse, ex quibus sequitur, illas Epistolas nullam à se ipsis Authoritatem habere; & proindè fidem ipsis denegandam, sive in eis, quæ continent, à nullis Authoribus Cœtaneis dicta, sive in eis, quæ ab Authoribus Posterioribus directa sunt; quoniam furtum hoc fraudem & stoliditatem falsarii luculenter arguit, qui Pontifices istorum Sæculorum loquentes induxit, quem admodùm Authores Posteriores, eisque mentem Propheticam indit, quâ usurpent verba Authorum, qui pluribus infrà Sæculis erant scripturi.

Ut observatio, quam refellimus, stabili fundamento niteretur, probandum esset, Pontifices, quibus falsarius HIERONYMI, AUGUSTINI, LEONIS, THEODOSII, JUSTINIANI, verba tribuit, eandem habuisse Authoritatem, quâ eorum Successores, istorum Patrum ætate, ejus Pontificis atque illorum Imperatorum, usi sunt; BLONDELLUM autem putavisse, Pontifices Sæculi v. & VI. non habuisse Authoritatem, quam sibi Pontifices *Quatuor* Priorum Sæculorum, in Spuriis Decretalibus vindicant. Cùm verba illis Pontificibus adscripta à Falsario, & cura, qua BLONDELLUS ostendit, hæc verba ab Authoribus Posterioribus esse desumpta, fortè patefacerent, BLONDELLUM hac inventione causæ suæ nocuisse, atque arma in se ipsum ministravisse. Sed nihilominùs constaret eum, qui sic loquentes inducit Pontifices, esse falsarium; maximè si illo tempore caruerint Potestate, quam sequentibus Sæculis adepti sunt.

Sed fortè Authores, quos refellimus, nihil aliud intendunt, nisi BLONDELLUM in Ecclesiæ Catholicæ utilitatem laboravisse, agnoscendo saltem Sæculo v. & VI. eam habuisse Pontifices Authoritatem, quam in supposititiis Epistolis tribuunt sibi Pontifices quatuor Priorum Sæculorum; hac enim opera confirmavit id, quod ejusdem Sectæ Hæretici ipsis non pertinere contendunt. Hæc si mens illorum fuit, eam dilucidiùs exponere debuissent.

Inter notas falsitatis, quædam omnibus Epistolis communes sunt. Tales sunt 1. Abesse à Codice DYONISII *Exigui*, qui se diligenter omnes Epistolas, quas in Ecclesiæ Romanæ *Scriniis* invenit, collegisse testatur. 2. Eandem materiam spectare, stiloque simplici, rudi, ac sibi simili, omnes conscriptas esse, quamvis Pontificibus quatuor Priorum Sæculorum adfingantur, qui eodem stilo uti non potuêre, nec eadem Latini sermonis forma, superstintque nonnullæ illorum Pontificum puriori stilo scriptæ Epistolæ: tales sunt Epistolæ Pontificum VICTORIS, CORNELII & STEPHANI, quæ apud EUSEBIUM referuntur, vel apud S. CYPRIANUM aliosve Authores. 3. Laudare *Scripturam* juxtà versionem *Hyeronymianam*, defunctis illis Pontificibus, excepto DAMASO, conditam. 4. Usque ad Sæculi VIII. finem ita latuisse, ut nullus Author, à quo laudentur, inveniatur. 5. De negotiis ætati, cui tribuuntur, peculiaribus tacere.

Aliæ sunt falsitatis Notæ quibusdam Epistolis speciales, quas omittemus, ne in partes descendamus à proposito nostro alienas. Quoad priores, hæc illis responsa opponuntur, quæ unà cum nostris replicationibus afferemus.

Illa esse inepta, generatim dici potest, propter rationes subjectas. Ad *primam* respondent adversarii GREGORII *Epistolas*, quæ extra dubitationem sunt, à *Codice Pontificiorum Decretorum* abesse; nec attendunt, eum Pontificem esse Codicis Compilatione centum annis & ampliùs juniorem. Prodiit enim *Codex*, juxtà JUSTELLUM an. CCCCXCIX. Mortuus est autem S. GREGORIUS ann. DCIV.

Respondent 2. Quasdam Epistolas Pontificum *Codici* anteriorum ab eo abesse, quamvis eas germanas inter omnes esse conveniat; tales sunt, inquiunt, Epistola S. CLEMENTIS *ad Corinthios*, Epistola JULII I. *ad Orientales*.

Attendere debuissent, has Epistolas, licèt à Codice DYONYSIANO absint, admitti, quoniam eas esse germanas aliundè constat: cæteras verò aliorum Pontificum Codici anteriorum, quæ omni probatione carent, jure rejici, sin autem admitti. Undè fit, ut multæ S. LEONIS recipiantur Epistolæ, quamvis in Codice non sint.

Ad *Secundam* respondent, Epistolas S. PETRI, S. JACOBI & S. PAULI communia habere argumenta, stilique simplicitatem. Hæc responsio non eis satisfacit, qui attendunt, Apostolos esse Cœtaneos, cujus Circumstantiæ ratione iisdem argumentis incumbunt: multò minùs iis, qui multoties legerunt atque evolverunt illas Epistolas, & multa deprehenderunt in stilo Discrimina, & judicium adverterunt PETRI de Epistolis PAULI, quo multa esse in ejus scriptis difficilia intellectu loca testatur. Porrò, Epistolæ quatuor Priorum Sæculorum Pontificibus adscriptæ, quæ variis prodire temporibus debuerunt, quibus variæ emersérunt hæreses, multæ circà Pascha controversiæ, circà Baptisma ab Hæreticis collatum, circà Peccatores ad Pœnitentiam admittendos aut secùs, aliaque gravia negotia, de iis loqui debuissent; vulgò enim in Epistolis de negotiis occurrentibus

agitur, maximè in Epistolis Pontificum, qui passim de negotiis insignibus sub suo Pontificatu exortis, atque à suis Decessoribus illibatis, loquuntur.

Respondent etiam, in materia Salutem & Mores spectante, stilum simplicem adfectari, ut populus uti possit Scriptis, eamque in infirmos & rudes indulgentiam, AUGUSTINO atque HIERONYMO probatam fuisse, cùm prior in Concionibus adhibuerit Sermonem suo tempore vulgarem, posterior multis locutionibus vulgaribus pepercerit, in emendatione Versionum Latinarum Scripturæ Sacræ. Falsum supponit hæc responsio, nam Epistolæ, de quibus agitur, plerùmque Disciplinam Ecclesiasticam respiciunt, quæ vulgò Prælatis mandata est. Sanè pars eorum major solemnitates Judiciorum ordinat, & vices accusatorum, testium, reorum, Judicum, & Pontificis in omnibus his rebus. Exemplum S. AUGUSTINI non congruit: ejus enim Epistolæ puro atque eleganti Sermone scriptæ sunt: de Epistolis autem, non de Concionibus Pontificum agimus. Ineptum quoque est id, quod ex *Hieronymo* affertur: nam quasdam locutiones vulgares Versionis Latinæ Scripturarum non emendavit, ideò quòd populus iis insuevisset, eique fortè emendatio displicuisset, ut verbis conceptis ait, in Præfationibus, aut Epistolis Bibliorum fronti præfixis. Ad *Tertiam* respondent, eos, qui illas descripsêre Epistolas, ipsis Versionem Hieronymianam, ætate sua vulgarem, inseruisse. Vix Cordatis arridebit hæc responsio: nam, illud factum fuisse, verosimiliùs negatur, quàm asseritur; quia bonæ fidei repugnat, quæ in *Amanuensibus* præsumi debet, donec contrarium invictè probetur. Præterea, Exempla Epistolarum variis in locis sæpè dissitis facta sunt, nec mutuum Commercium habuêre *Amanuenses*; qui ergò ad tantam mutationem conspirare potuissent? Antè HYERONYMUM multiplicata jam fuissent exempla: nam Opera Pontificum adeò insignium diffusa fuissent, quod fieri nequit, nisi per Exempla, quorum nonnulla etiamnùm superessent. Existimatio Instrumentorum tanti ponderis, ad eorum conservationem induxisset, quemadmodùm, ob eandem rationem, Genuinæ Epistolæ aliquorum ex iis Pontificibus conservatæ sunt, & sic mutationis extaret indicium. Cùm opinio aut persuasio, eas Epistolas Pontificibus, quibus adscribuntur, pertinere, unico *Pseudo-Isidori* testimonio inducta eas, ubi primùm Editæ sunt, penè, in infinitum multiplicaverit, ut testatur HINCMARUS *Rhemensis Cap.* 24. operis sui *de L. Capitibus*, dicens, *Germanias & Gallias iis à communicatione Collectionis earumdem Epistolarum per* RICULFUM *Moguntinum Archiepiscopum facta, exundare*, quid non præstitisset evidentia & certitudo veritatis in Regionibus, ad quas transmissæ, aut inscriptæ fuissent? Ad *Quartam* respondent, EVARISTUM commemorare Epistolam CLEMENTIS *ad* S. JACOBUM, idemque facere Concilium *Vasiense*; S. ATHANASIUM agnovisse Epistolam SIXTI II. Epistolas in locis, ad quæ dirigebantur, transmissas, tempore Persecutionum periisse, deque illis Epistolis intelligi posse, quod ait GELASIUS *Can.* 5. Dist. XV. recipiendas esse suorum Decessorum Decretales; PHOTIUM in sua *Bibliotheca*, Concilium *Triburiense* & plura *Gallicana*, aut *Germanica* Concilia, in gratiam Epistolarum CLEMENTIS, ANACLETI, ALEXANDRI, ac cæterorum, testimonium ferre. Non adtendunt adversarii, PHOTIUM laudatasque Synodos, Editioni Epistolarum à *Pseudo-Isidoro* factæ, qui earum Author esse videtur, esse posteriores; eorum itaque testimonium non evertere Quartam Notam falsitatis. Epistola *Evaristi* ex iis est, quæ supposititiæ asseruntur, ejus itaque testimonium in gratiam Epistolæ CLEMENTIS *ad* S. JACOBUM corruit. Quod affertur à GELASIO generalius est, atque restringi debet ad Epistolas, quæ tempore ipsius probationibus adjuvabantur. Testimonium ATHANASII in gratiam Epistolæ SIXTI II. sine probationibus adducitur, & præterea duæ sunt ejus Pontificis Epistolæ, quarum ea designari deberet, quam ille agnoscit Antistes. Quoad *Epistolam* S. CLEMENTIS *ad* S. JACOBUM, à Synodo *Vasiensi* ann. CCCCXLII. habita, laudatam, ejus suppositio cæteris est antiquior; siquidem à RUFINO *Aquileensi* Presbytero, è Græco in Latinum Sermonem exeunte Sæculo IV. conversa est, nec fabricata fuit ad exaltandos Pontifices, deprimendosque Episcopos, qui cæterarum finis est, stiloque altero exarata est. Nota falsitatis, quam gerit, est quòd significatur, eam post obitum S. PETRI, ejusque jussu, JACOBO, Fratri Domini, fuisse inscriptam, qui Hierosolymis defunctus est antè PETRUM octo annis. *Prænot. Canon. Lib. II. Cap. XXIV. n.* 4.

Non obstantibus his falsitatis Notis, plurimisque aliis, quas observant Autores, qui dedita opera discusserunt suppositionem Epistolarum Pontificibus quatuor priorum Sæculorum adscriptarum, receptæ tamen fuêre, atque ut legitimæ adhibitæ in omnibus Collectionibus Canonum post Sæculum VIII. quo prodiêre, conditis, in ipsis etiam, quæ authoritate publica confectæ sunt: sunt enim in Collectione GREGORIANA Capita *Quatuordecim* ex iis Epistolis desumpta, quæ laudantur in *Institutionibus Ecclesiasticis & Beneficialibus p.* 9. Eam dignitatem illibatam servavêre usque ad Sæculum XVI. quo *Centuriatores Magdeburgenses* earum conditionem in litem vocavêre, tùmque plures Catholici cum ERASMO, atque præ cæteris CONTIUS, in *Bituricensi* Academia Antecessor, qui in sua Editione Corporis Juris *Antuerpiæ* cusa Anno MDLXXVII. suppositionem probaverat, in *Præfatione*, quæ à Censoribus suppressa aut mutilata fuit. Cùm autem illi per imprudentiam quasdam reliquissent Notas, *Can.* 70. Dist. XVI. *Can.* 2. Dist. XXI. *Can.* 1. & 11. Caus. XXX. QUÆST. V. subjectas, quæ indicabant eum de illarum Epistolarum veritate dubitare, hæ Notæ cum multis aliis ejusdem generis, ab Editionibus sequentibus rejectæ sunt. De eo conqueritur CONTIUS *in Lib.* 1. *Lect. subseciv. Cap. X. sub finem*, & in suâ posteriori *Præfatione* eodem consilio notat, in *Gratiano* multos esse Canones Apocryphos & supposititios, vid. FLORENTEM *Part. I. Operum p.* 44. veras arbitrabatur esse Epistolas SYLVESTRI Pontificis, quarum suppositio deinceps probata fuit, ratione omnibus communi; scilicet, quia absunt à *Codice* DYONSII *Exigui*.

Quamvis ANT. AUGUSTINUS, Tarraconensis Archiepiscopus illis sæpè Epistolis tanquàm indubitatis, in sua *Epitome veteris Juris Canonici* usus sit, nihilominùs fassus est, *in Notis in Capitula Hadriani Cap.* 36. DAMASI Epistolam AURELIO *Carthaginensi* inscriptam, suspectam esse multis Eruditis; idemque sapere nonnullas alias, quæ Pontificibus DAMASO anterioribus adscribuntur, CONC. TOM. VI. *p.* 1583. Idem Autor *in fine Dialogi XX. Lib. I. de Emend. Grat.* confirmat quod diximus suprà, Notas CONTII, quibus significabat, se in *Præfatione* probavisse, Epistolas Pontificibus SYLVESTRO anterioribus adscriptas, suppositicias esse in Editionibus juxtà Correctionem Romanam factis. Idem dicit de Nota CONTII *Can. septuaginta* 12. Dist. XVI. subjecta, Canones *Nicænos* ab Epistolâ JULII desumptos suppositicios esse. Idem Autor DIAL. XIV. *Lib. II.* postquàm dixit, NICOLAUM I. ipsa verba Epistolarum illorum Pontificum retulisse, addit, eas sic laudari cœpisse, ab ætate HADRIANI I. & Imperatoris CAROLI, easque Autoribus anterioribus ignotas fuisse videri.

Nonnulli Autores Sæculo XV. dubitaverunt de veritate Epistolarum CLEMENTI & ANACLETO adscriptarum. Talis est *Nicolaus* CUSANUS in sua *Concordia*, *Lib. II. Cap. XXXVII. Lib. III. Cap. II.*

Admissio universalis earum Epistolarum à Sæculo IX. ad XVII. nullam eis authoritatem legitimam dedit, nisi quoad Res Morales, & quædam Capita Disciplinæ suppositionis proposito indifferentia, quod fuit exaltatio Pontificum cum Prælatorum Inferiorum præjudicio. Aliùs generis sunt præ cæteris, loca earum Epistolæ

Epistolarum, quæ sunt in Collectione GREGORII IX. *Cap.* 1. *de Elect. Cap.* 5. *de Jurejur. Cap.* 3. *de Pecul. Cleric. C.* 1. 2. 7. *de Accusat. C.* 3. 4. 5. 6. 7. *de Simonia C.* 7. *de R. J.* Hæc enim à GREGORIO IX. autoritatem acceperunt, cum sua fecerit, illa Collectioni suæ inserendo. Inter hæc loca, quæ Pontificibus Romanis falsò tribui videntur, quædam sunt, quæ à DEO DATO adscribuntur, ad Pontificatum evecto an. DCLXXIII. juxtà LABBÆUM, eaque habentur TIT. *de Simonia.* Is ergo unus est ex illis Pontificibus SIRICIO posterioribus, quibus supositæ sunt Epistolæ, vel Decreta. Ejus generis sunt quoque VIGILIUS, creatus an. DXL. & GREGORIUS IV. promotus ann. DCCCXXVII. Nonnulla ex locis, quæ ipsis falsò tribuuntur, apud *Gratianum* extant. C. 11. 12. CAUS. II. QUÆST. VI.

SECTIO II.

De FALSIS CONCILIIS *in* Corpore Juris *memoratis.*

QUoad Concilia, quæ falsò Pontificibus tribui videntur, tria sunt quæ sub SYLVESTRO habita feruntur. *Primum* collocatur an. CCCXVI. quæque in illo gesta dicuntur, apud LABBÆUM referuntur CONC. TOM. I. *p.* 1490. & 91. inter quæ nonnulla conficta manifestè aparent. Nempè, collatio Judæorum cum Christianis, qui illos convicerunt, tùm Scripturis, tùm Miraculis. *Alterum* est habitum anno CCCXXIV. in duas Actiones divisum, & XX. Canones continens, quorum plures à *Gratiano* collecti sunt, ut mox ostendetur. *Tertium* an. CCCXXV. celebratum, ad confirmandas Definitiones Concilii *Nicæni.* Secundi Acta habentur CONC. TOM. I. *p.* 1544. *ad* 1555. & circà illud hæc in margine notantur: *supposita videntur* HINCMANO, *ac plerisque Eruditis XX. Capita, quæ Isidorus suæ Collectioni intexuit.* DOUJAT *Præ-not. Canonic. Lib. II. C. XIV. n.* 4. loquens de his tribus Conciliis hæc habet de Secundo: *non pauca falsa occurrunt in eo Indicia.* De Tertio subdit, *nec minùs vacillat Sylvestrini Concilii fides, ut Baronius notat.* De hâc falsi suspicione silet LABBÆUS illud referens CONC. TOM. II. *p.* 410. sed hanc inferre licet ex *Notis* BINII. Iitorum Conciliorum Secundum à *Gratiano* citatur sub *Titulo Synodi Generalis I.* c. DIST. XCVIII. hujus Inscriptio est. *Sylvester Papa Generali Concilio præsidens.* Canon sic concipitur: *nullus aliqua ratione Transmarinum hominem penès vos in Clericatûs gradus suscipiat, nisi quinque aut eo amplius Episcoporum designatus sit Chirographis.* 2. *In C.* 15. *de Consecrat.* DIST. I. sic inscribitur: *Sylvester Papa in Generali Synodo residens dixit:* ejus verba sunt: *Nullus Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cæterò voluerit esse Sacerdotii.* Hunc Canonem non inveni loco cit. nec in ullo ex his tribus Conciliis. Prior autem occurit in Epilogo *Tertii Concilii*, sed paulò aliter, ut notatur in margine ejusdem Canonis. *Can.* 9. Secundi citatur *c.* 1. DIST. XXIV. sub hoc titulo *ex Decretis Sylvestri Papæ in Synodo Romana*, sed paulò aliter conceptus, sed idem sensus, ut patebit conferenti. Sic interpretanda videtur Correctio Romana huic Canoni subjecta, nempè verba Canonis non esse in Synodo Romana, sub Sylvestro. *c.* 14. & 15. ejusdem Synodi junguntur in *c.* 9. CAUS. II. QUÆST. I. *testimonium Clerici adversùs Laïcum nemo recipiat: nemo enim Clericum quemlibet in publico examinare præsumat, nisi in Ecclesia.* Quod prior pars dicit de Clerico, Synodus habet de Laico, nempè ejus testimonium non esse recipiendum adversùs Clericum. *C.* 4. ejusdem Concilii citari videtur à GELASIO *in C.* 27. CAUS. XII. QUÆST. II. hic enim loquens de divisione redituum Ecclesiæ in quatuor partes, ait, illam jam dudùm esse rationabiliter decretam; hæc autem præcipitur in *Can.* 4. citato. Sed fortè facta hæc à *Gelasio* ansam dedit Impostori hunc confingendi Canonem 4. CAUS. II. QUÆST. VII. *C.* 2. *&* 10. Apud eumdem *Gratianum* leguntur duo alii Canones eidem Synodo adscripti, & desumpti dicuntur ex Epilogo illius. Neuter est in Epilogo nec esse potest, cùm nullus sit Epilogus. Priorem non inveni in Synodo, sed infertur ex C. 3. relato in posteriori, in isto enim prohibetur, ne Clericus inferior Clericum superiorem accuset: Hinc autem sequitur, Laïcum arcendum ab accusatione Clerici, cùm sit Clerico inferior. Porrò c. 10. citatus, nonnihil à c. 3. hujus Synodi differt; 1. enim quem excludit ab accusatione, excludit etiam à Testimonio. 2. Invertit istius ordinem, incipiens à Clerico simplici, à quo ad superiores gradatim ascendit. *Can.* autem 3. incipit à superiori nempè Presbytero, & ad alios gradatim descendit. Idem *Can.* 3. habetur etiam in *c.* 2. CAUS. II. QUÆST. IV. cum hac inscriptione: *Sylvester Papa in Generali Synodo residens.* Agitur in eo de numero Testium ad judicium Clericorum. Pars est posterior c. 10. CAUS. II. QUÆST. VII. quæ præscribit, qui admittendi sint ad illorum accusationem. Quod in illo legitur de Summo Præsule à nemine judicando desumptum est ex c. 20. ejusdem Synodi id distertè dicente: *nemo dijudicet Primam Sedem:* Cujus effati, prima origo est in Synodo *Sinuessana* pro supposititia ab omnibus habita. De hac origine fusè egimus in Examine quinque priorum librorum Epitomes veteris Juris Pontificii, ut ostenderemus, hoc Effatum, sicuti & alia Italica, seu Ultramontana, falsarum Epistolarum aliorumque operum suppositorum in favorem Pontificum Romanorum, ope, introductum ac stabilitum esse.

Mirum videri poterit, quòd *Gratianus*, loquens DIST. LXXVII. de Interstitiis servandis in recipiendis Ordinibus, *Canonem II.* Sylvestrini Secundi, qui de his intervallis sigillatim loquitur, prætermiserit, nec non *C.* 3. Concilii Tertii ejusdem Pontificis, qui hujusmodi intervalla præscribit.

In observandis iis, quæ scitu necessaria visa sunt, circà tria Concilia Romana sub nomine SYLVESTRI, supposita paululùm immorati, quia plures Juris Textus hinc desumpti sunt, multùmque referat, qui sint, & in quo differunt ab Originali, quod in Collectione LABBÆANA habetur, cùm nostri Instituti pars non minima sit, has suppositiones detegere ac explicare.

De citatâ Synodo *Sinuessanâ* non agemus, etsi de illâ mentio in Jure fiat, tùm quia indè nullus Textus desumitur, tùm quia nec nomen ejus in Jure legitur; undè in *Indice* Conciliorum in *Decretis* relatorum omittitur. Sufficiet ergo notare, quòd *Can.* 7. DIST. XXI. solus sit, qui illius meminerit. NICOLAUS I. ea utitur, ad probandum, quòd Superior ab Inferiori judicandus non sit, refertque Convocationis causam, nec non verba pluriès repetita: *Papam à seipso judicandum.* Sed non obstante tanti Pontificis testimonio citantis hoc Concilium, ut legitimum, pro spurio ab omnibus habetur, ut testatur VAN-ESPEN *in eamdem* DISTINCTIONEM: Idemque testatur DOUJAT *in Præ-not. Canon* Lib. II. Cap. XIV. n. 2. his verbis, *nec est quòd anxiè Acta requiramus Sinuessani Concilii, ubi* MARCELLINUS, *Pontifex circà annum* CCCIII. *vel* CCCVIII. *Idolorum venerationem secutus tamdem sententiam in se ipsum protulisse scribitur:* cujus rei *apud Eruditos minùs certa est fides.* In margine, hunc locum vulgò dici ROCEA *de Mondragone* observat.

SECTIO III.

Observationes circà Effatum Celeberrimum in CORPORE JURIS *pluriès memoratum, hisque verbis, aliis-ve similibus, ut plurimùm, conceptum:* Episcopi in partem Sollicitudinis vocati sunt; solus Papa in plenitudinem potestatis; *illiusque Originem.*

RES maximi momenti videtur, ut, quæ ad illud Effatum pertinent, paucis saltem explicentur;

est

est enim veluti fundamentum cæterorum Italicorum Axiomatum circà potestatem Summi Pontificis. Undè illa hinc colligit FAGNANUS *in C. 1. de off. & potestate Judicis Ordinarii*, & inter alia, quòd Episcopi Jurisdictionem non à CHRISTO immediatè, sed à Summo Pontifice acceperint; ideòque illam posse pro voluntate istius restringi. Quàpropter observabimus circà illud effatum, qui Canones præcipuè Corpori Juris inserti, illius expressam mentionem faciant, quid de illo sentiendum: quæ illius origo.

Antiquiores Canones, in quibus legitur, sunt apud *Gratianum* CAUS. II. *Quæst. VI. C.* 11. 12. Prior tribuitur GREGORIO IV. circà annum DCCCV. posterior VIGILIO circà annum DXXXVIII. Cùm iste ergo anterior sit, ab illo incipiemus. Sic se habet: *qui se scit aliis esse præpositum, non molestè ferat, quem sibi esse prælatum. Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partem sint vocatæ Sollicitudinis, non in plenitudinem Potestatis.*

Correctores Romani monent anteà tributum JULIO, BALUSIUS verò in *Lib. V. Cap. XXVI. n. 9. de Concord. Sacerd. & Imperii*, testatur, aliis quoque Pontificibus tribui, indèque concludit; hunc Textum suppositititium videri, & ab ISIDORO confictum. In Confirmationem addit, in *Epistola* VIGILII, ut refertur in pluribus Codicibus optimæ notæ, non inveniri. Idem observat post illum VAN ESPEN *in Supplemento Partis I. p. 53. 1. Col.* citatque alium BALUSII locum, in quo idem testatur.

In Posteriori Textu GREGORIUS IV. agens de ALDRICO *Cænomanensi* Episcopo, apud se accusato, laudansque istius recursum ad Ecclesiam Romanam, de ista hæc habet: *quæ vices suas ita aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocatæ Sollicitudinis, non in plenitudinem Potestatis.*

BALUSIUS in priori loco citato hanc Epistolam suspectam habet, tùm quia in actis vel gestis ALDRICI, de quo ibidem agitur, non extet, tùm quia multa contineat absurda; testaturque alios illam putare esse suppositititiam. VAN ESPEN loco citato, alibique, subscribit huic sententiæ.

INNOCENTIUS III. in *Cap. 4. de usu & authoritate* alludit ad illud Effatum, illudque supponit, siquidem, observans, cur Papa semper & ubique Pallio utatur, alii verò nec semper, nec ubique; ait, hoc oriri ex eo quòd Papa vocatus sit in plenitudinem Potestatis, cæteri verò in partem Sollicitudinis. Hoc autem Pontifex desumpsit ex citatis Textibus *Decreti* GRATIANI sicuti & benè multa alia suæ Sedi faventia, quæ pro certis habuit, ex eo quòd essent in Collectione Canonum tunc pro Corpore Juris agnita. Hujus rei exempla non pauca VAN ESPEN affert in brevi suo Commentario ad *Decretum* GRATIANI. Alios Textus, qui prædicti Effati expressè meminerint, non invenimus, quàm citatos duos priores, qui pro fictitiis habentur; Tertius verò ex illis desumitur.

Hinc patet, cujus autoritatis sit, & quid de illo sentiendum, si consideretur ex illius Autoribus: si verò de eo judicetur ex verbo DEI scripto & non scripto, ut illi contrarium rejiciendum videtur, cùm deroget Dignitati Episcoporum, quos ex utroque constat esse Successores Apostolorum, qui à PETRO authoritatem suam non habuerunt, sed immediatè à CHRISTO. Sed de hoc fusiùs, cùm de Ecclesiâ ipsiusque Ministris. Interim observare sufficiet, ortum videri ex abusu verborum S. LEONIS ad ANASTASIUM, *Thessalonicensem*, Vicarium suum in Illyrico: hæc autem sunt, *Vices nostras ità tuæ credidimus charitati, ut in partem sis vocatus Sollicitudinis, non in plenitudinem Potestatis.* Abusus manifestus est: nam Vicarius, quam habet authoritatem, ut Vicarius illam accipit, ab eo, cujus est Vicarius, illamque precariò possidet, nec exercet illam suo nomine, sed nomine committentis, quem exhibet, nec tantam habere solet, quanta est in committente, ideòque jure dicitur de illo, *vocatum esse in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Hæc autem sollicitudo, in cujus partem vocaverat ANASTASIUM, non ea erat, quam Papa habet circà omnes Ecclesias; sed illa, quæ illi competebat ut Primas vel Patriarcha Illyrici. Distinguenda enim in illo quadruplex potestas. Nempè illa, quæ sibi pertinet in Diœcesi sua, ut illius Episcopus: Secunda, quæ sibi competit in Civitatibus Suburbicariis, quibus constat sua Metropolis: Tertia, quam habet, ut Patriarcha Occidentis: Quarta, quâ gaudet in Universa Ecclesia. Habita ergò ratione hujus quadruplicis potestatis, Vicarios habere potest quadruplicis generis, ANASTASIUS autem erat Vicarius *tertii* generis.

Has itaque ob causas ineptè applicatur singulis Episcopis, quod S. LEO dixit ANASTASIO, eòque magis, quòd, ubi sunt Ordinarii, non Vicarii in sua Diœcesi, autoritatem à Titulo suæ Ordinationis accipiunt, quantam Pontifex à suo; ideòque possunt in suâ Diœcesi, quodcumque ipsis non prohibetur: Cùm è contra Vicarius nihil potest aliud, quàm quod sibi committitur, atque non minùs illis injuriosum eos, nuncupari *Papæ Vicarios*, quàm injuriosum fuisset Apostolis, eos appellari *Vicarios* PETRI, cùm non minùs sint illorum Successores, quàm Papa Successor est PETRI.

Porrò, hæc conjectura, de origine prædicti Effati, eo verisimilior, apparet, quòd iisdem verbis concipiatur, quibus usus est S. LEO ergà ANASTASIUM Vicarium suum, quòdque PSEUDO-ISIDORUS confingens Epistolas Pontificibus sibi anterioribus, solitus sit sententias Prædecessorum illorum, vel subsequentium mutuare vel attribuere, quibus illas affingit Epistolas.

CAPUT X.

An DECISIONES ROTÆ *sint Pars* JURIS CANONICI: *ubi, occasione acceptâ, colligitur quod circà Celeberrimum illud Tribunal sciri debet.*

NIhil in Operibus de Jure Canonico ab Autoribus Ultramontanis confectis vulgatius est, quàm laudationes *Decisionum Rotæ*. Quænam igitur sit ejus autoritas, & cujus generis sit illud Tribunal, noscere magni refert. Hoc itaque nos movit ad agendum de utraque quæstione in Prolegomenis Corporis Juris in Regulas distributi.

Exordiemur à commemoratione Autorum, qui de iis egerunt, & ex quibus hæc dicenda hausimus. Eorum præcipui sunt GOMESIUS *in Regulas Cancellariæ*, maximè in *Præfatione*, ex LOTERIO *de Re Beneficiaria Lib. I.* illudque est Argumentum *Apparatus*, qui Præfationis vice, ejus Operi præfixus est. Cæteri sunt GONZALEZ *Tomo I. in* APPARATU *de origine & progressu Juris Canonici*, ubi *Decisiones* ROTÆ inter Res Juri Canonico pertinentes collocat. FAGNANUS, qui de illius Tribunalis authoritate agit, *in Caput 12. de Judiciis*, & passim in locis infrà laudatis, singularia quædam Notabilia de illo refert. His Autoribus adjiciemus TAMBURINUM *de Jure Abbatum*, qui ad Calcem *Tomi III.* collegit *Decisiones* ad Operis sui materiam accedentes, similemque dat Collectionem in fine Tractatûs specialis *de jure Abbatissarum.* Nonnullas quoque integras refert FAGNANUS sicuti TAMBURINUS, ex quibus exemplis discitur, quomodo fiant illæ Decisiones, atque elucidatur id, quod de Tribunali, à quo procedunt, ab Authoribus laudatis dicitur.

Circà originem hujus vocabuli ROTA, silent hi Autores, ea quippè valdè incerta est. CANGIUS eam à *Rota Porphyreticâ* derivat, quia Stratum Cameræ ex Porphyrite confectum erat, & in modum Rotæ sectum.

Alii

Alii ex eo quòd Auditores Sententiam ferentes, in Rotam disponantur. Alii quòd ii per vices operam suam conferant &c.

Omnes hi Autores consentiunt, eas Decisiones vim Legis, nisi inter Partes, non habere, quoad cæteros, esse Magistrales, id est, eæ sunt opiniones Doctorum, ob intrinsecam sibi præstantiam, ex eorum scientiâ, experientiâ, prudentiâ, integritate prodeuntem, cæteris anteponendorum, ideòque illæ communibus opinionibus prævalent. Curiæ inferiores Rotæ subjectæ ejus Decisiones sequi debent, maximè in Capitibus, quæ modo æquabili definire solet, quod significatur per hanc locutionem *stilum Rotæ sequi*. Ut enim observat Loterius, stilus hic non significat Processum seu ordinem Judiciarium, qui alius non est, quàm qui Jure Communi, cui Curiæ omnes subjacent, præscribitur; sed interpretationem Juris à Rota datam, sive solitum interpretandi modum, aut ejus usum. Item Autor ab hac obligatione excipit casum, quo Consuetudo specialis Lex-ve loci contrarium usum induxerunt.

Consentiunt etiam illi Autores, Rotam aliquandò saltem variare, quod sic eloquuntur, *Rotam quandòque rotare*. Atque ut eas variationes purgent, posteriores cogitationes prioribus esse sæpè potiores dicunt, occasionem discutiendæ rursùs Legis, ejus mentem penitiùs aperire, agnitamque veritatem errori detecto esse anteponendam; idemque obtinere circà interpretationes verò similiores, earum, quæ à verò remotiores videntur, respectu. Porrò, hæ rationes, quoad reliquos Magistros, cæterosque Judices, obtinere debent, iis, quæ non secùs, atque ipsis Rotæ *Auditoribus*, facultatem dant ab ejus Decisionibus recedendi. Itaque cùm erraviſſe Rotam detegunt, sensum-ve, quem Textibus quibusdam tribuit, genuino non accedere, vel minùs quàm eum, quem intelligunt, nedùm Rotæ Interpretationibus serviant, ab eis recedere valent.

In illis etiam Autoribus reperitur, Auditores *Rotæ* esse Judices ordinarios, quoad Processum, sive, ut illi loqui amant, *procedere tanquàm Ordinarios*; Judicium autem, sive Sententiam ferre, quatenùs Judices Delegatos. Hoc nascitur ex eo, quòd Pontifex, qui super omnibus negotiis aditur, ea his *Auditoribus* seorsim aut collectivè sumptis, remittit, ita tamen, ut seorsim sumpti, de Collegarum Sententia judicium ferre debeant. Illud verò ex eo, quòd aliundè ad eundem Processûs ordinem astringantur, quem cæteri sequi tenentur.

Omnes etiam in Encomiis hujus Tribunalis consentiunt, illud suprà cætera evehentes, ita tamen, ut *Auditores* ab ordine Judicum non eximant, quorum autoritas semper autoritati Legislatorum subjicitur, nisi hi illorum Sententias adprobent, atque eas in Leges Generales assumant, vel ipsis ita Juris dicendi facultatem impertiri dignentur, ut generatim omnes Decisiones vim Legis habeant. Nemo autem Pontificum hanc posteriorem prærogativam Rotæ tribuit; priorem verò adipiscuntur ejus *Decisiones*, cùm à Pontifice confirmantur.

In his omnibus consentiunt Autores laudati, quæ serie continuâ exhibenda esse duximus non relatis singulorum verbis, ne crebræ repetitiones perindè tædiosæ atque inutiles occurrerent.

Hæc insigniora seorsim à singulis dicuntur. Gomezius *p.* 8. & 9. refert mutationes in Rota factas: Præcipuæ sunt, Auditores quondam Partes duntaxat audiisse, atque causam unà cum suâ Sententiâ ad Pontificem retulisse, qui judicium cum Cardinalibus ferebat. Indè nomen *Auditorum* traxerunt, indè Corpus Juris Decretalibus, juxtà Rotæ consilium factis, est refertum. Deinceps occupationibus Pontificum plurimùm auctis, nec sinentibus, eos litium compositioni incumbere, Judicium ad Rotam traductum fuit. Antè Sixtum IV. Auditorum numerus vagus erat. Ille eos XII. fore decrevit an. 1472. usque ad XXI. ampliùs anteà creverant, quod tunc erat necessarium, quia duo erant Jurisdictionis gradus, seu duæ Instantiæ, cùm ab aliis ad alios provocare liceret. Cùm sæpiùs accidat, ipsos Litigantes, ad causæ suæ tractationem, non esse idoneos: ibi semper extitêre *Procuratores* atque *Advocati*, qui eorum desideria exponerent, modò viva voce, modò in scriptis, modò utràque viâ.

Antè Sixtum IV. *Auditores* admittebantur absque prævio coram Vice-Cancellario examine; eos recipiebat Camerarius, *Cappæ*, *Rochetti*, & *Bureti* datione. Eorum etiam Judex erat sub Alexandro VI. Ter singulis Hebdomadis Tribunal conscendebant; bis tantùm à Clemente VIII. sederunt.

Idem Autor *p.* 23. & 24. rationem magnæ autoritatis Decisionum Rotæ afferens, eam haurit ex eo, quòd eæ Præfecturæ non dantur, nisi viris Juris peritia plenissima, magnisque eruditionis suæ specimenibus conspicuis; quòd illi sententiam non ferant, nisi causa penitùs tùm per se ipsos, tùm ex relatione Advocatorum & Procuratorum perspecta, habitaque cum Collegis Collatione; denique, quòd assidua Tribunalis ejus frequentatione, velut aurum in fornace perficiantur. Gravium multitudo negotiorum ab eis componendorum, eos cæteris Judicibus exercitatiores reddit. Huic insigni experientiæ scientiæque excellenti accedit magna integritas, & prompta expeditio, ità, ut nullus sit locus, in quo meliùs & diligentiùs lites dirimantur. His de causis dicitur, Rotam esse Canonistarum Uberrimum Fontem, reliquarum Ecclesiasticarum Curiarum Matrem, & velut normam atque exemplar cæteris Tribunalibus proponi. Nihilominùs idem Autor veteres Rotæ Decisiones cum novitiis conferens observat, multùm abesse, ut hæ illis sint similes, pluraque contrarietatis exempla congerit *p.* 888. Hæ variationes eos purgant, qui Rotæ Decisionibus quoad omnia non obsequuntur, quamvis ei Curiæ subjiciantur. Gomezius Rotæ Auditor factus est ann. 1528. habuitque Successorem *Antonium Augustinum*, *Prænot. Canon. Lib. V. Cap. VIII. p.* 619.

Loterius, qui sedente Urbano VIII. ejusque Decessoribus vixit, de Rota loquitur modo ad præsentem ejus statum magis accedente, certissimaque est ejus relatio; nam assiduè ac diuturnè Tribunal illud coluit, atque, utpote Juris Peritissimus utriusque, in ejus Decisionum partem sæpè vocatus est, quas in Opere suo crebrò laudat. Sanè eam adhibet circumstantiam ad illud commendandum, jactans, se primùm *de Beneficiis*, juxtà Romanam Jurisprudentiam scripsisse; undè delineandæ Rotæ occasionem arripit. Inter alia multa, Tribunal illud antiquum esse observat, Remque Publicam ipsi majorem partem Decretalium in Corpore Juris contentarum debere, quæ ex ejus Conciliis & Commentariis, sivè memorialibus ad Decisionem Quæstionum in eo diremptarum factis, conditæ fuêre, n. 89. Apparatus, & *n.* 35. 36. *Lib. II. Quæst. IX.* Venales non sunt Dignitates, verùm virtuti conceduntur, nec sufficit esse in Jure Doctorem, sed triennalis Lectio publica requiritur; duplexque Examen subitur, alterum palàm, coram universa Curia, alterum privatim, coram Vice-Cancellario. Reditus Mille Aureorum esse debet: vita extrà reprehensionem: Natales honesti, ita, ut Curia Pontifici obstiterit, atque ab officio cessaverit, ubi Spurii ipsi obtrudebantur.

Valdè curant Auditores, ut negotium maxima perspicuitate atque integra fide informetur. *Factum* exponunt Procuratores, *Jus* discutiunt Advocati, quorum alii apud singulos Auditores perorant, alii scriptis rationes suas commendant, in quibus validiora sententiæ suæ momenta afferunt, cum responsionibus ad objectiones Adversarii: si Partes earum-ve Procuratores de *facto* consentiant, & quæstione, quæ in

judicium

judicium venit, ejus Summa conficitur Media, probationesque singulorum Litigantium continens, quæ Auditori Proponenti, seu *Referenti* datur: si discrepant Partes, eas conciliare nititur *Reformator*; & si difficultas gravior occurrat, Patribus communicari digna, de eâ cum eis colloquitur *Informator*, seu Referens, & Caput dirimendum determinat: tùm statuitur dies convocationis Patrum, atque intereà singuli domi de re imbuuntur, & unusquisque seorsim quæstionem discutit: die præstituta fit *Relatio*; opinionem suam profert unusquisque, ac, quatenùs valet, confirmat; quibus consentientibus, *Referens* sententiam constituit, juxtà consensum; sin verò pronuntiatur, *non liquet*, & nova discussio decernitur, post quam, si perseveret divisio, huic occurritur, Jure Suffragii *Referenti* concesso, quo caret propter suum referendi Munus, undè fit, ut in *Relatione* teneatur sententiam suam legere. Facta *Decisio* Partibus communicatur, ut quæ vel in Facto, vel in Jure se læsam putabit, injuriam exponat, & si ea non sit evidenter falsa, retractatur negotium.

Hanc nos Summam perspicuam, accuratam, & brevem facere studuimus: qui plura scire cupient, prolixiorem Autoris narrationem adire possunt.

Cæterùm LOTERIUS insigni, quoad Jurisprudentiam, fama fruitur, maximè in Italiâ: id significat Titulus *Perillustris* & *Excellentissimi*, quem ipsi tribuit BARBOSA in *Approbatione* Tomi II. *Eximii* in *Approbatione* Tom. I. & *Præstantissimi* in fronte utriusque Tomi.

Nihil speciale circà ROTAM dicit GONZALEZ, nisi quatenùs ad Curiam Romanam restringit, quod cæteri generatim de omnibus Curiis dicunt, Rotæ usum, sive stilum vim Legis habere, *Tom. I. p. 25. n. 58. sub finem.* Unicus ille locus est, in quo de Rotâ loquatur, nisi nos fallat memoria, qui sæpiùs ejus Opus legimus quoad argumenta in Rota agitata

FAGNANUS *in Cap. 12. de Judiciis, à numero 32. ad num. 35.* loquitur de Autoritate Rotæ, laudansque circà eam Autores in utramque partem, probat, illam egere speciali potestate, ad Interpretationem Decretorum Concilii *Tridentini*, in quæstionibus, quæ illam requirunt, atque observat, illam, quoties ea interpretatur, mentionem expressam facultatis specialis, quam à Pontifice, aut à Congregatione impetravit, facere; quandò verò hanc facultatem non accepit, casusque evenit, quo eâ indigeret, solere illam aut Congregationem consulere, vel ad eam Litigantes remittere.

Præterea observat, Rotam habere jus interpretandi non solùm verba, sed & ipsam Pontificis mentem, in Rescriptis sibi directis; eam esse in quasi-possessione id faciendi, Pontificemque declaravisse, se illud velle.

Idem Autor *in Cap. 18. de filiis Presb.* accepta occasione ab eo, quod ait hic Textus, de facultate dispensandi, quam habent Episcopi, quibusdam casibus exceptis, fusiùs discutit *Decisionem* ROTÆ circà eam facultatem, metuens, ne illa noceret opinioni, quam sequitur, Episcopum non posse dispensare de Canonibus Conciliorum, nisi in casibus ipsi nominatim concessis: timor autem ille nasci non potuit, nisi à persuasione, Decisiones Rotæ magni esse ponderis.

Idem *in Cap. 8. de officio Archid.* respondens Decisioni Rotæ, qua definitur, Abbatem, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem exercet in Territorio, posse dare Litteras Dimissorias Clericis Sæcularibus ibi commorantibus, dicit etiam rejectam fuisse tanquam Decretis Tridentinis adversam, & Declarationibus Congregationis Cardinalium ejus Concilii Interpretum, illiusque Decisionis impressionem ab hàc fuisse prohibitam.

Item de eadem Decisione loquitur in *Cap. 9. de Consecratione Ecclesiarum*, eamque exponit *n. 16. & 17.* postquàm retulit negotium Rotæ à CLEMENTE VIII. mandatum, & maturè discussum fuisse. Expositionis propositum est illam ab errore purgare.

Idem *in Cap. 5. qui sint filii legitimi*, refert *n. 5.* negotium quoddam quasi possessionis Legitimitatis agitatum fuisse in Rota, atque post magnas Controversias decisum, se autem sententiam suam promere rogato, Consultatione suâ labefactatam fuisse Decisionem, tùm Decisionem describit, suamque Consultationem.

Idem in *Cap. 8. de Excessibus Prælat, n. 58.* refert *Decisionem Rotæ*, quæ definit, Concilium Tridentinum, cùm permiserit Episcopo Seminario suo unire Beneficia Pontifici adfecta, permittere etiam hac concessione, unire Beneficia litigiosa; quia prior concessio, quæ major est, posteriorem, quæ minor est, continet; eamque Decisionem confirmat, ex eo, quòd utriusque Juris eadem sit species, respectu propositi consilii, ideòque Regulam, *minus in majori continetur*, in iis habere locum.

Denique ille Autor *in Cap. 18. de Privileg.* agens de Familiaribus, seu Commensalibus, qui utrorum Commensalium Privilegiis fruuntur, observat, *Auditores Rotæ* non esse ex illorum numero, nihilò magis quàm Cardinales; quoniam ad id requiritur servitium circà Personam Pontificis, & convictus ex sumptu ejusdem, quæ conditiones concurrere debent; neutra autem Auditoribus Rotæ, neque Cardinalibus congruit.

Decisiones à TAMBURINO collectæ locis suprà laudatis; confirmant plura Capita suprà observata. 1. Rotam dimittere Partes ad Congregationem Cardinalium Concilii *Tridentini* Interpretum, cùm nascitur dubitatio circà hæc Decreta; extat exemplum in *Decisione X. Collect. Tom. III. claudente.* 2. Decisiones Ratiociniis esse instructas, validisque authoritatibus nixas, addita solutione testimoniorum adversorum hujus Capitis, tot sunt probationes, quot *Decisiones* in illa Collectione, & in eâ, quæ est ad calcem Tom. *de Jure Abbatiss.* Undè sequitur, Causas in illo Tribunali sedulò discuti. 3. Quandòque retractantur præcedentes Decisiones, ut probat *Decisio CXIX. primæ Collectionis*, in quâ Decisio facta sub MERLINO, denuò discussa, cognitoque, eam omnibus requisitis conditionibus esse instructam, confirmatur. Plures aliæ idem faciunt: quales sunt omnes in quibus idem negotium retractatur; & quæritur, utrùm confirmari, an secùs debeat prior Definitio.

4. Auditores ex Mandato Pontificis Sententiam ferunt. *Decisio LXXXII. Collect. ejusdem* ejusmodi *Mandatum* expressè commemorat, cujus expositio docet præterea, quòd, ubi Mandatum alicui ex Auditoribus inscriptum fuit, ipsique ab uno è litigantibus oblatum, si alter aliud Mandatum alii Auditori offerat, prior negotii notionem habet, quamvis posterior Partes citaverit, antequàm à priore citarentur. Talisque est Rotæ usus à tempore memoriam superante. Hoc etiam probat, Auditores ex Mandato, notionem negotiorum ad suum Tribunal adductorum habere. Eadem expositio insuper docet, *Decanum* ROTÆ, Auditoris delegati, & legitimo impedimento detenti, vices supplere. Ex eadem expositione, quæ *Decisionis* inscriptioni conjuncta est, discitur, eum, cujus nomen *Decisionibus* singulis præfigitur, esse *Commissarium*, qui Decisioni præfuit: nam COCCINUS, cujus nomen illa gerit, ad negotium Commissarius erat, simulque Tribunalis Decanus, *Reverendo* COCCINO *Decano*, ut exhibetur in expositione, in qua COCCINUS ipse dicit, Mandatum sibi fuisse inscriptum. Cùm verò BURATUS, qui negotii notionem sibi vindicabat, quoniam in citatione prior erat, morbo detineretur, litigatorem, qui Mandatum aliud BURATO obtulerat, à se COCCINO, quatenùs *Decano*, rogavisse, ut ægri vice negotium informaret; se verò id noluisse, quoniam ex persona sua notionem habebat, ex alterius autem nomine processisset, si quatenùs Decanus id fecisset. Illa inscriptio, *coram eodem*, quæ sæpè legitur in fronte Decisionum, & hæc verba, *Coram me*, quæ in ipsarum Corpore occurrunt, idem significant, nempè eum, cujus Decisio nomen gerit in Inscriptione, aut

in

in Corpore, esse *Commissarium*, coram quo negotium informatum & decisum fuit. 5. Auditores ter in hebdomada pro Tribunali sedent, omnes enim Decisiones in utraque Collectione compilatæ, Lunæ, Mercurii, aut Veneris diebus latæ sunt.

6. Congregationes de Regularibus, de Causis Episcoporum, Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum, aliquandò ROTAM consulunt; plures *Decisiones* illud indicant.

Multa supersunt observanda in illis *Decisionibus*, quæ hìc omittimus, quoniam ea non spectant Capita in Indicibus sive Extractis superioribus commemorata. Adjiciemus duntaxat, eas *Subscriptione* carere, multas non esse contradictorias, ut potè quæ juxtà unius Partis informationem datæ sint; cæteræ sunt contradictoriæ, quæ utraque Parte informante datæ sunt. Hæ ab illis distinguuntur, his verbis, quibus clauduntur, *ita decisum, vel conclusum, vel resolutum utraque Parte informante. In illis dicitur, una Parte informante.* Illæ sæpiùs retractantur, cùm Pars, quæ audita non fuit, audientiam postulat, atque impetrat. Multæ versantur circà res merè temporales, nempè Successiones ab Intestato, Testamenta, Donationes. Quod mirum esse non debet, quoniam Pontifex, à quo Tribunal illud Jurisdictionem suam accipit, Princeps est Temporalis, non secùs ac Spiritualis. Partim, ob eandem causam, idem Tribunal noscit de Possessorio omnium Rerum Ecclesiasticarum, etiam Mixtarum, Patronatûs, Beneficiorum, Decimarum, Census & Procurationis, Oblationum.

TITULUS XXV.

Observationes circà Opera facta ad progressum in Studio Juris Canonici, sive Speculativo, sive Practico, faciliorem præstandum, ubi specialiter discutiuntur ea, quæ Jus illud in Regulas distributum continent.

CAPUT UNICUM.

Ubi confertur Methodus VIGELIANA, *cum Opere, quod in lucem damus.*

ABsolutâ Collatione Corporis Juris Ecclesiæ Latinæ cum Corpore Juris Ecclesiæ Græcæ, mutuâque Partium Corporis ejusdem Comparatione, item Collectionis GRATIANI, cum omnibus, quæ eam præcesserunt, aut secutæ sunt: & sic datâ justâ notione Juris utriusque & Partium, quibus constat, per observationem rerum eis communium, aut peculiarium; similem duximus instituendam esse Collationem Operum huic nostro affinium, ad procurandam illorum cognitionem observandumque eorum à nostro discrimen, aut similitudinem. Hoc aliis destructis ac depressis substituere, eique palmam dare nullatenùs intendimus, nihil Viro Juri operam danti, turpius reputantes, quàm oblivionem aut neglectum præcipui Præceptorum ejus, quo Jus suum cuique tribuendum esse, admonemur.

ARGUMENTUM, TITULUS ET PRÆFATIO *Operis ad nostrum magis accedentis.*

Primum illorum Operum, à quo exordiemur, est Liber NICOLAI VIGELII inscriptus, NICOLAI VIGELII *de Dreissa, Hessorum Jurisconsulti, Methodus Universi Juris Pontificii*, sive quia magis nostro instituto affinis est, sive quia valdè commendatur in Titulo, *absolutissima*. Plures ipsius factæ fuerunt Editiones; ea, qua utemur, est *Basileensis* anni MDCXVI. quæ dicitur in *Titulo*, methodo Juris controversi aucta; *nunc demùm Additionibus methodi Juris controversi aucta*. METHODUS hæc dividitur in *Quinque Libros*, in quibus Juri Canonico Jus Civile jungitur, ut ostendatur eorum discrimen aut similitudo. Opus Archiepiscopo *Moguntino* dicatum est, ut probat inscriptio & ipsius Libri, & Præfationis. In hac Autor consilium exponens, Theoriæ Praxi accommodandæ, necessitatem agnoscit, jungendorumque Principiorum Juris, Consuetudini Forensi, methodi condendæ in Scholis & in Jure utilis; reducendarum omnium Causarum in Quæstiones Juris, mutatis in Theses Hypothesibus, adjuvandorum Patronorum in reperiendis rationibus Partium litigantium, iisque facilè propugnandis, & Judicum in iis, ad Litium Definitionem, justè applicandis. Hoc sibi persuadens, sibi proponit expositionem Juris per Actiones sive Regulas, Exceptiones, Replicationes, Duplicationes, Triplicationes, & sic contendit, se omnibus profuturum; quippè Jus Actoris vulgò fundatur in aliquo Principio aut Regulâ Juris, cui Reus Exceptionem opponit; Prima autem Actoris responsio vocatur *Replicatio*; Secunda Rei, *Duplicatio*: Secunda Actoris, *Triplicatio*: & sic deinceps. Verba hæc, & res, quam significant, usurpata fuêre in Galliis, ut discitur ex *Artic.* III. TIT. XIV. *Constitutionis an.* MDCLXVII. Sic concepto. *Abrogamus usum Duplicationum, Triplicationum, additionum Primarum & Secundarum, aliarum-ve Scripturarum similium; vetamus, ne quilibet Judex eorum rationem habeat, aut eos in taxam admittat.* Hæc eadem verba explicantur à CANISIO *in Summâ* suâ *Juris Canonici Lib. IV. Tit. VI. §. ult. de Replicationib. & Duplicat.* inscripto. *Atquæ hæc quoad exceptiones Rei conventi, quæ nonnunquàm contrariis Exceptionibus rursùs ab ipso Actore retunduntur; quæ proprio nomine vocantur Replicationes, quasi per eas replicentur, id est, resolvantur Exceptiones Rei. Quæ si rursùs, aliis Exceptionibus à Reo impugnantur, vocantur Duplicationes, & contrà has solent dari Triplicationes. Rursùs contra Triplicationes, Quadruplicationes, & ita deinceps, Quæ tamen multiplicatio de Jure Canonico non admittitur, saltem quod ad testes anteà productos attinet, quos tertio refutare non licet, ne nimium extrahatur Judicium: de quibus rebus fusiùs agetur infrà suis locis.*

De *Regulâ* accipimus id, quod VIGELIUS de *Actione* dicit, quia in totius Operis curriculo REGULAM vocat id, quod in *Præfatione* ACTIONEM nuncupaverat. Ejusmodi rationes sive media ipsi adeò necessaria videntur ad litem, ut existimet iis fieri contestationem litis, quæ est fundamentum litis, *Licèt enim*, inquit, *omnes fateantur litis contestationem Judicii fundamentum esse; quid tamen litis contestatio sit, & quomodò contestanda, nemo intelligit, & ita in ipso Judicii Fundamento aberratur ab omnibus*: tùm adjicit, juxtà Legem SEVERI & ANTONINI, litem contestatam videri, cùm Judex, exposito in judicio negotio, causam audire cœperit; undè concludit, Contestationem fieri, cùm per Actionem, Exceptionem, Replicationem &c. Judex statum Causæ cognoscere cœperit, „ *Imperatores* SEVERUS & *Antoninus Augusti, Lis*, „ inquiunt, *tunc contestata videtur, cùm Judex per* „ *narrationem Judicii, causam audire cœperit*: quorum „ verborum sensus hic est, litem contestatam videri, „ cùm per Actionem, Exceptionem, Replicationem, „ & alia hujusmodi Causæ argumenta, in Jure utrim- „ que proposita, Judex id, in quo Causa constitit, „ seu statum Causæ, cognoscere cœperit; nec enim „ audire Causam aliò spectat, quàm ut Judex statum „ totius negotii cognoscat. Itaque juxtà illum, Lis seu Causa non censetur contestata, nisi perfectè informata sit, quod verbis sequentibus magis inculcat. *Quod igitur in Judicio Actio proponitur, excipitur, replicatur, duplicatur &c. omne eo pertinet, ut Judici Status negotii constare possit.* Circà quod aliter sensit, quàm cæteri, ut ostendetur agendo de Litis contestatione. GONZALEZ *in Cap. I. de Litis contestatione*, genuinum Legis ab Autore laudatæ sensum, ab ejus opinione longè diversum aperit.

Cùm posteà ostendisset Advocatos & Judices omnes Causas ad Quæstionem Juris reducere debere laudatisque hunc in finem CICERONE, veteribus Juris con-

consultis, atque Imperatoribus; & proindè Causas in Tribunalibus agitandas esse eadem methodo, quâ Quæstiones Juris in Scholis, objicit 1. Imperatores in Scriptis suis Circumstantiarum, Personarum ac Rerum, mentionem facere. Respondet, eos in Decisione, non hærere in specie Facti, sed transire ad Quæstionem Juris indè ortam, & rescribendo v. g. TITIUM, qui *Stychum* Servum antè Calendas Martias dare promiserat, ipso ante diem mortuo, sine dolo & fraude TITII, à promissione suâ liberari; definire, debitorem à debito liberari per interitum rei debitæ, antè diem solutionis, sine culpâ ac dolo accidentem.

Sibi objicit 2. Leges aliquandò præcipere Judicibus, ut faciliores aut severiores sint pro qualitate Personæ aut Causæ. Respondet, hoc non habere locum nisi in Causis, quarum Judicium voluntati ac prudentiæ Judicis permittitur; in his autem casibus contestationem Litis non esse necessariam, Judicemque Statui Causæ non alligari. Rectiùs, ut opinor, respondisset, si dixisset, Personæ aut Causæ qualitatem, tunc majorem aut minorem severitatem poscere, & sic illas etiam Causas ad Quæstiones Juris reduci.

Sub finem pollicetur, Juventutem, quæ suâ Methodo in Scholis utetur, ad pugnas Forenses aptiorem prodituram, & sic fore (quod in Præfatione primæ Editionis promiserat) ut instituantur Viri, qui plures Lites uno anno conficiant, quàm anteà decem annorum spatio, absolvebantur, certiorique modo id exequantur. Obiter asserit, se Operi suo inseruisse, quidquid in Jure Canonico reperit, quod ubique Pontificium vocat, perindè ac si à solo Summo Pontifice emanaret. Factum hoc facilè probari posset. Solum Argumentum Censurarum contrariæ Parti favet, perindè ut Materia Religiosorum. Hic iterat, quod jam in *Titulo* dixerat, se Jus Civile, cum Jure Canonico conferre, & declarat, se, sicut in suâ *Juris Civilis Methodo*, abstinuit à proferendâ sententiâ suâ circà Quæstiones, quas agitavit, similem in hac rationem secutum fuisse. Hoc quidem expressè non facit, satis tamen opinionem suam promit, per applicationem Textuum ad Juris Quæstiones, eos à genuino sensu in suum detorquendo, ut patebit ex pluribus exemplis mox referendis.

Nescimus quem successum habuerit hæc Methodus, discimus duntaxat ex initio Præfationis, eos qui Tribunalia Justitiæ frequentabant, coactos fuisse eam suspectam Principibusque odiosam facere. Undè ille protectioni unius ex iis Principibus eam committit, ipsamque à Criminationibus purgare nititur, propositis commodis, quæ ab eâ emersura sperat. Fortè ob novitatem initio neglectam ac rejectam, usus deinceps istam Methodum gratiorem fecit. Ut ut sit, constat Librum magnâ sui parte esse bonum, magnamque ex eo utilitatem hauriri posse, ad cognoscendam Sedem Argumentorum: & methodum ea tractandi, tam in Scholis, quàm in Foro.

Si Judicium de Opere feratur ex Præfatione, illud magna obscuritate magnaque implicatione laborat, ob Replicationes, Duplicationes, Triplicationes, quæ reduci potuissent ad Regulas, aut ad Exceptiones; quidquid enim non continetur sub Exceptione, ad Regulam pertinet; cùmque Exceptio generalis est, ipsa est species Regulæ, alii latiori Regulæ subordinata, & sæpè, sicut ipsæ Regulæ, suas infimas Exceptiones habet. Hæ observationes probabuntur, ubi Corpus Operis aggrediemur: sed priùs duo sunt præstanda; 1. Respondendum est objectioni adversùs id, quod diximus, de affinitate Operis illius, cum nostro, in eo, quòd Argumenta exponat per Regulas, & Exceptiones, quemadmodùm faciemus in nostro; scilicet, dici potest, Autorem, per *Exceptionem* intelligere *Defensionem*, sicut, per *Regulam*, intelligit *Actionem*, aut *Petitionem*: consilium ejus esse suppeditare Partibus, Actori ac Reo, vel Patronis eorum, rationes Jus suum propugnandi nec non Judicibus, media de illis certò ac justè definiendi. Nos autem per *Regulam* intelligimus *Principia Juris* Generalia ac Specialia, consequentias eorum immediatas, aut mediatas, proximas, aut remotas; per *Exceptiones* verò, casus sub *Regulis* propositis non contentos; nostrumque institutum esse, illas ordine naturali disponere; ità, ut continuâ serie, circà quodvis Argumentum ac partes ejus, reperiantur ea, quæ Jus docet. Scilicet 1. Rerum vocabula, & significationes. 2. Natura earum, similitudo earum, ac dissimilitudo cum rebus affinibus. 3. Variæ species illarum; 4. Earum causæ, quo sub nomine comprehenditur earum Finis, Forma, Personæ, quæ jus habent eas faciendi, Personæ, quarum gratiâ aut in quas fiunt, cum Actionibus vel omissionibus in quas cadunt; quod vulgò exprimitur in Scholis per *causas efficientes*, *materiales*, *formales*, *finales*; 5. Earum Effectus; 6. Earum Proprietates, & viæ, quibus destruuntur. Item laboramus non solùm ad Usum Forensem, sed etiam ad gratiam omnium, qui Decisionibus Juris methodicè ordinatis indigere possunt, sive Simplicium Fidelium, Jurisdictionem habentium, aut secùs; sive Ecclesiasticorum Virorum, tam Sæcularium, quàm Regularium, in Dignitate constitutorum aut secùs, ad alios de iis erudiendos, aut ad peculiarem suum profectum, tam pro Foro interiori, quàm pro Foro exteriori, Judiciario, aut Extrajudiciario: uno verbo, nos omnes Actiones observamus & exequimur, ob quas hæ Decisiones factæ fuerunt.

En objectio solvenda, quam illustrare & in sua extensione proponere curavimus, nullâ ex notabilioribus differentiis nostri Operis à VIGELIANA Methodo dissimulatâ. Jam respondemus, illa omnia discrimina non obstare, quominùs hæc Opera valdè affinia sint; nam Petitio, quæ justa est, semper fundatur in *Principio Juris*, quod vocari potest *Regula*, v. g. cùm quis petit rem, quam acquisivit, aut Testamento, aut Successione ab intestato, Donatione, aut Emptione, vel Permutatione; Actio ejus innititur omnibus principiis Juris, quæ docent, Testamentum, Successionem ab intestato, Donationem, Emptionem, Permutationem, esse Titulos Acquisitionis legitimos. Defensio autem nullam vim habet, nisi quatenùs Reus non est in casu *Regularum*, quæ Actionem legitimam faciunt. Nempè, vel quia Titulus Actoris nullus est; vel quia Reus bonâ fide præscripsit. Itaque Defensio legitima congruo nomine vocatur *Exceptio* sumpta, ex eo quòd casus, in quo Reus est, non continetur in *Regulâ* legitimæ Actionis.

Itaque, si Autor propositum suum ritè impleviſſet, pro *Regulâ* tradendo duntaxat Textus legitimos, adhuc subsistentes, atque Argumento congruos, similesque Textus pro Exceptionibus; aut monuisset de abrogatione, aut falsitate Textuum: si justas Divisiones fecisset, quarum membra in aliis contenta non essent; si semper dedisset Summam Textuum pro *Regulis* aut *Exceptionibus* laudatorum, eosque ubi opus erat, exposuisset, ad tollendas difficultates ex eorum obscuritate ortas; si eos perspicuè ac solidè conciliasset; multùm licèt mole minus sit, ad nostrum accessisset; in quo confidimus hæc omnia discendi ritè Juris Canonicis adjumenta reperiri.

Alterum Caput absolvendum priusquàm *Methodi* Corpus aggrediamur, est discussio Divisionis ejus, in quâ Autor, servato numero *Librorum* Decretalium, *Titulos*, eorum mutavit, sicut ordinem Rerum. Id probatur per

OBSERVATIONES circà DIVISIONEM Operis.

Quamvis Divisiones Operum, atque ordo Rerum sæpè arbitrarii sint in multis Capitibus, quia cùm Res multas facies habeant, vario modo disponi possunt, eos tamen, qui scribunt circà Opus publicâ autoritate consecratum, & nihil aliud intendunt, quàm illud utilius efficere, usumque ipsius faciliorem præstare, superflua amputando, vitia ejus emen-

emendando, illud meliùs digerendo; eos, inquam, videtur debere, quantùm fieri potest, ejus Divisionem Generalem conservare; Titulos singularum Partium, iisdem, aut æquipollentibus verbis, exprimere; Ordinem Generalem Rerum sequi; ut ope Methodi discatur id, quod est in Opere, ipsoque, quo ibi extat modo, eodem tempore quo discitur, id quod resecandum, adjiciendum, supplendum, aut mutandum est, vel omninò, vel aliquatenùs. Aliter, Methodus effectum præcipuo fini suo contrarium parit; scilicet perceptioni majoris fructûs *ex operis lectione*. Diximus, *quantùm fieri potest*; nam, si omnes omninò Divisiones & Subdivisiones, omnes Tituli, ordo rerum integer servandi essent, etiam cum vitiis gravissimis laborant, sæpè inutilis fieret Methodus, quia vitia retineret, quibus mederi propositum fuerat.

Hac observatione præmissâ, si conferantur Divisio generalis & specialis, Tituli, ordo Rerum hujus Methodi, cum Divisionibus, Subdivisionibus, Titulis & ordine Argumentorum Corporis Juris, vix excusari potest Autor in eo, quòd à Corpore Juris, quoad majorem horumce Capitum partem, ita recesserit, ut ipsi operam dedisse non appareat, nisi ex laudationibus Textuum, quæ non semper congruæ sunt, saltem quoad sensum; quod facilè probari potest per inductionem. Nam ex XIX. *Titulis* Libri I. *Quartus* duntaxat reperitur in 1. *Libro I. Decretalium*, aliisque præterea verbis, *de Rescriptis Principum & Decretalibus Epistolis*; Cæteri ad *Quintum* hujus Collectionis Librum pertinent. Argumentum præterea valdè diversum est *de Legibus, de Magistratibus, & Judiciis Publicis*. In *Decretalibus* autem *Libro* 1. agitur *de Fide Catholicâ, de Constitutionibus, de Consuetudinibus, de Rescriptis, de Postulatione, de Electione*, multisque aliis Rebus nullam affinitatem habentibus, cum Judiciis Publicis, quæ majore parte hujus Libri I. exarantur. Præterea, exercitium Judiciorum Publicorum non convenit nisi Judici Publico sive Magistratui Sæculari, per hoc enim intelliguntur Judicia, quæ ad vindictam publicam pœnis afflictivis & Capitalibus constantem, tendunt. Alicujus tantùm affinitatis ratione cum istis Judiciis, Judicia Criminalia Ecclesiastica, *Publica* dici possunt. Affinitas hæc in eo versatur, quòd eumdem finem habeant, scilicet coërcitionem Criminum scandalum parientium, cum hoc discrimine, quòd pœnæ in his spirituales sint; in illis verò temporales. Quamvis hic *Methodi* Liber I. ad exponendum Jus Publicum destinatus sit; ad illud tamen Autor in *Tit.* 1. *Libri V.* regreditur, ut Omissiones hujus Liber suppleat.

Expositis *in Libro I.* Judiciis *Publicis*, Autor *in Libro II.* de *Privatis* agit, in quo hoc singulare est, quòd Tractatus de Judiciis publicis, quæ vulgò dicuntur *Extraordinaria*, præcedat Tractatum de *privatis*, quæ vocantur *Ordinaria*: idcircò, quòd in iis procedatur viâ communi & ordinariâ, qua distinguuntur à Criminalibus, in quibus Extraordinariæ quædam Solemnitates observantur, quæ vulgarium cognitionem supponunt: scilicet Citationis, Dilationum, Probationum generaliter & specialiter consideratarum, quæ hauriuntur aut ab Instrumentis aut à Depositione Testium, aut à Confessione Rei, aut Jurejurando. Liber hic, cujus Argumenta & plures Tituli à *Libro II. Decretalium* desumpta sunt; aliquot habet ex *primo* ejusdem Collectionis, scilicet *Tertium de Postulantib. & Advocatis*. Quartum *de Procuratorib.* Vicesimum primum *de Compromissis*, & Vicesimum secundum *de Transactionib.* Titulum novum inscribit, *de Judice*, nempè *secundum*, agitque *Titulo XVII. de Officiis Judicis*. Occasione eorum, quæ circà ordinem cognitionum dicit in *prima parte* hujus Tituli, *de Ordine Cognitionum*, hunc Titulum immediatè collocat ante *Titulum de Appellat.* & post omnia, quæ ad probationes pertinent, quæ illi potiori ordine subjiciuntur in *Decretalibus*. Postquàm in Tit. VIII. egit de *Dilationibus*, agit in *Tit. IX.* de *Exceptionibus Dilatoriis*, quæ pertinent ad Dilationes: quod facit, ad exponendas singulas Exceptiones temporales, quæ Dilatoriæ dici possunt, quia Litis informationem suspendunt, sicut Dilationes. *Septem* eiusmodi distinguit, agitque solùm de *Quatuor*; Recusatione, Excommunicatione, Spoliatione, & defectu Satisdationis. In *Tit. VII.* agit *de Edendo*, ubi loquitur de editione Instrumentorum, de quibus fusè tractat. *Titulo XIII.* loquitur de *Appellatione*, priùsquàm agat de Sententiâ; quoniam secunda aut tertia Instantia per Sententiam absolvuntur, sicut prima, quod incongruum videtur. Liber III. inscribitur *de Re Ecclesiasticâ*; è *Titulis XV.* coalescit, quorum *tres* duntaxat iisdem verbis occurrunt in *Lib. III. Decretalium*, scilicet *de Præbendis & Dignitatibus, de Decimis, Primitiis, & Oblationibus, de Jure Patronatûs*. Alii partim ex *Lib. I. Decretal.* desumuntur: nempe Tit. *de Electione, de Prælatis, & aliis Personis Ecclesiasticis*, ubi agit de Prælatis inferioribus Archipresbitero, Archidiacono, & de Officialibus Ecclesiasticis; de Clericis & Monachis ordinandis, de Jurisdictione Episcoporum. Cæteri è *Libro V. Decretal.* translati sunt; Talis Tit. de *Privileg.* quidamque alii, qui ad Ecclesias sive plenas, sive vacantes, & ad bona ac jura Ecclesiastica pertinentes, quamdam connexionem & affinitatem habent, cum aliquot Titulis *Tertii*.

Liber IV. hujus *Methodi*, qui Titulis XXIV. constat, *Octo* tantùm è *Lib. IV. Decretalium* sumptos continet; nempe XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. è quibus XI. & XXI. iisdem verbis concipiuntur, atque in *Decretalibus*: Alii excerpti sunt, vel ex *Libro I.* talis est *Primus*, in quo disseritur *de Fide*; alii desumpti sunt ex *Lib. V.* talis est Titulus *de Pœnitentia*. Cæteri partim ex *Lib. I.* partim ex *Lib. III.* distracti sunt: talis sunt Tit. *de Sacramentis*, de quibus agitur in illis duobus *Libris*; extat enim in *Lib. I.* Titulus *de Sacramentis non iter.* multique ad Ordinationem pertinentes, & in Lib. III. unus est *de Consecratione Ecclesiæ*. Titulus *de Feriis & Festivis*, erutus est à Secundo Lib. II. Titulus de *Sepulturis* à *Lib. III.* Eamdem Sedem habent Tituli, *de Voto, de Jejunio, de Concubinis, de Divinis Officiis*; Disputatio ejus *de Jurejurando* in *Tit. de Voto*, ad *Lib. II.* pertinet. Hic Liber IV. inscribitur *de Actibus Ecclesiasticis*, quamvis Tit. *de Peccatis*, & Tit. *de Concubinis* ipsi inserti, valdè remotam habeant relationem ad Actus Ecclesiasticos. Titulus *de Concub.* partim è *Gratiano* desumptus est, partim è *Lib. V. Tit. de Arcusat.* Titulus *de Visitat.* continetur in Tit. de *Censib. Procuratoinib. de Exact.* qui est in Lib. III. Jam de *Sacramentis* egerat Autor Tit. ult. *Libri Tertii*, loquendo de bonis Ecclesiasticis corporalibus. De Criminibus fusè disputatur in *Libro V.*

Liber V. inscribitur *de reliquo Jure Pontificio*. Titulis XII. constat, quorum duo ultimi tantùm iisdem verbis in *Lib. V. Decretalium* concipiuntur, nempè *de Verb. significat.* & *de Regulis Juris*, sed verba exponuntur, Regulæque referuntur, juxtà ordinem alphabeticum; servatur autem in *Decretalibus* ordo Temporum, in dispositione Textuum, qui verba Juris Canonici exponunt, aut Regulas continent, exceptis *Regulis* Sexti, quæ arbitrario ordine congestæ sunt. Plures Tituli circà Contractus è *Libro III.* desumpti sunt; Materia Tituli *de Delictis* partim ex *Lib. V.* deducta est. In hoc prolixè de Criminibus disseritur. Materia Tituli *de Causis Juris lucrativis*. E *Libro III.* Tit. *de Testam. de Succeff. ab int. de Donation.* desumpta est; nam Testamentum, Successio ab intestato, Donatio, sunt acquirendi modi lucrativi, aut gratuiti. Titulus *de Censib.* Sedem habet in Lib. III. Materia Tituli *de Jure Personarum* partim accepta est à *Lib. I.* Tit. *de Filiis Presbyt. de Servis non ordin.* E *Lib. IV.* Tit. *de Desponf. Impub.* in quo agitur de potestate Parentum in Nuptias Filiorum suorum. Tit. *de Conjugio Servorum.* E *Libro V.* Tit. *de Filiis expositis*. Materia Tituli *de Rerum Jure*, distribuitur partim in *Lib. II.* Tit. *de Causâ propr. & possess.* partim in *Lib. V. de novi operis nunt.* Materia, Tituli de *Jure publico*, quæ Jura Dominorum spectat, & Jura Prin-

cipum, Tituli, Pedagiorum, Balliarum, Censûs, Belli, Torneamentorum, artis Ballistariorum & Sagittariorum, Universitatum, Collegiorum, Communitatum partim exponitur in *Lib. I. Tit. de Treugâ & Pace* & TIT. *de Syndico* partim in *Lib. III.* TIT. *de Censibus.* TIT. *de Immunit.* & in *Lib. V.* TIT. *de Magistr.* TIT. *de Balliſt. & Sagitt.* TIT. *de Torneam.*

Ex his observationibus sequitur, Autorem, inverso *Decretalium* ordine, vitia ipsius non emendavisse; cujus rei exemplum insigne præbet materia *Sacramentorum* dispersa partim in *Tertio*, ubi agitur de *Ordinatione*, partim in *Quarto*, in quo de *Sacramentis in genere* disseritur, tùm *de Eucharistiâ*, deindè *de Baptismo*, mox *de Confirmatione*, paulò post *de Extremâ* Unctione, quæ leviter attingitur quibusdam Titulis interjectis *de Pœnitentiâ*, quam aliquot Tituli ad neutrum argumentum spectantes, separant à Matrimonio, quod fusiùs, quàm ullum è cæteris Sacramentis, exponit.

Magno præterea vitio laborat hoc Opus, quòd, licèt Concilio Tridentino posterius, nihil è Jure, per illud Concilium constituto, continet.

Speramus nos, in discussione Operis, ostensuros, Autorem, qui Juris distributionem in Regulas suscepit, malè consilium suum executum fuisse, ac potiùs docuisse, quomodo id faciendum sit, quàm feciſſe, vel modo valdè imperfecto feciſſe. Nullibi monet, quis fuit sui Sæculi usus, quamvis tam pro Foro, quàm pro Scholis scripserit, (*Præfat.*) Tituli sæpè obscuri sunt. In quibusdam *Regulis* proponit Quæstiones, quod naturam Regulæ lædit, quæ nihil nisi certum continere debet.

OBSERVATIONES in LIBRUM I. in quo, de Jure ac Legibus in genere disseritur.

HIs in *Observationibus* intrà *Regulas* & *Exceptiones* stabimus, sub his aut illis collocantes quidquid ab Autore vocatur, *Replicationes*, *Duplicationes*, *Triplicationes*, quia, ut ostendemus, ad eas ultrò referuntur. Eamdem Rationem sequemur in Observationibus circà cæteros *Libros*, atque inter utrasque, sola exemplorum diversitas discrimen inducet.

Generalissima observatio est, multas esse Regulas, sive Actiones, quas Autor *Regularum* nomine donat, quamvis laudati Textus nullam contineant, sed tantùm Facta, aut Casus particulares, quæ Regulæ esse nequeunt: nam Regula, perindè ac Principia, multas semper consecutiones complectitur. Hæc observatio selectis exemplis probabitur in locis opportunis ac notabilibus. Ejusmodi observatio pertinet ad vitium frequens: cæteræ sunt particulares, & aliquot vitia specialia spectant.

Prima cadit in Regulam, *de Legislatione*, in quâ Autor ad pravum sensum detorquet *Cap. 3. de Constit.* à S. PAULO desumptum, & ab AUGUSTINO expositum. Dicit Apostolus, *translato Sacerdotio necesse esse, ut Legis translatio fiat.* Rationem affert AUGUSTINUS, quia simul ab eodem & sub eâdem Sponsione, utraque data sunt, ac conditione Adventûs MESSIÆ, & Consummationis Mysteriorum, quæ implenda erant, dùm apud Homines conversaretur; quâ conditione impletâ, oportuit Legem cum Sacerdotio Judaïco extingui: Autor autem sic interpretatur, translato Sacerdotio necesse fuit, ut Legum ferundarum jus pariter tranferretur; quibus verbis insinuatur, Jus Legis ferendæ Sacerdotio cohærere, undè fit, ut Jus illud Pontificis prærogativis annumerans, id confirmet hoc Textu. *Lib. III. Cap. XI. Reg. 4. de Papâ.*

Circà REGULAM V. *de Legum interpretatione* observandum est, eam esse falsam; *cessante Legis ratione, cessat Lex*; cùm enim ratio Legis non faciat Legem, sed præterea ad eam constituendam, requiratur autoritas ac voluntas, ut fatetur Autor *Cap. III. de Rationibus seu Regulis Juris*, non cessat Lex ob solam cessationem rationis Legis. *Cap. I. de Reg. Jur.* hanc observationem confirmat, *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Idem est de *Can. 7.* CAUS. I. QUÆST. VII. quem Autor ad probandam *Regulam* laudat; nam dicit, *cessante necessitate, Legem cessare debere*, id est, *revocari ab autoritate, quæ ipsam, ob necessitatem, condiderat.* Quatuor *Regulæ*, quas tradit, ad conciliationem Legum contrariarum *ibid.* QUÆST. XI. sunt utiles, sed expositione indigent.

PRIMA à *Gratiano* desumpta est, qui dicit, eas Leges ad concordiam adduci ex Causâ, Tempore & Loco, Autor adjicit exemplum uniuscujusque modi inveniendæ concordiæ. Primum ineptum est, quippè oporteret existere Canones Canonibus *Gangrensibus* relatis DIST. XXX. contrarios, atque utrosque invicem componi ex causâ, ob quam facti fuissent; nullum autem commemorat *Gratianus*, alia duo exempla congrua sunt. Nam 1. sunt Canones, qui Diaconos ad continentiam adstringant, & alii, qui eos liberos pronuntient. Porrò, hi conciliantur ex diversitate Temporis. 2. Quidam Canones, omnes Ministros Sacros jubent abstinere ab usu Matrimonii antè Ordinationem contracti: indè verò quidam id non exigunt; quod factum est ex diversitate Loci, cùm illi ad Latinam Ecclesiam; hi ad Græcam pertineant.

REGULA II. desumpta est ex Epistolâ ISIDORI ad MASSONEM, quæ supposititia est; itaque Regula illa nullam per se autoritatem habet, nec meretur eam accipere ab usu: nam si verbum, *antiquior* accipiatur in significatione naturali, agaturque de Canonibus contrariis à Conciliis ejusdem generis v. gr. Generalibus, emanantibus, falsum est, Canonem à Concilio vetustiore conditum, præferendum esse ei, qui posterioris Concilii fœtus est; cùm Regula constantissima doceat, Leges posteriores anterioribus derogare, est 1. *de Constit. in 6.* quâ in re nullum est discrimen inter Canonicas & Civiles Leges: CONTIUS autem, qui contrarium asserit, opinionem suam emendasset, si *Epistolæ* illius falsitatem cognovisset vid. *Cap. 28.* DIST. L. ubi illius verba referuntur. Sed si verbum illud in sensu metaphorico accipiatur, & quatenùs respondet verbo *potior*, aut *major*, vera erit *Regula*; quippè, cùm Concilia, quæ Canones contrarios fecerunt, inæquali autoritate pollent, ut fit, quandò unum Generale, aliud Locale est, vel si ambo Particularia sint, quandò unum est Nationale, alterum Provinciale; Canon à Concilio Superiore conditus, alteri cuilibet anteponendus est, & tunc *Regula* non indigna est, quæ authoritatem accipiat.

REGULA III. S. AUGUSTINUM Autorem habet, & laudatur *Can. 6.* DIST. XIX. Ibi conferuntur inter se Canonicæ Scripturæ, diciturque, eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis, præponendas esse iis, quas quædam non accipiunt; ex eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, eas esse præponendas, quas plures gravioresque accipiunt, iis, quas pauciores, minorisque autoritatis Ecclesiæ tenent. *Regula* hæc videtur esse fons præcedentis, quæ Conciliis applicavit, quod de Scripturis Canonicis AUGUSTINUS dixerat, scilicet, adhærendum esse majori autoritati legitimæ.

REGULA IV. quam Autor accersit ex *Can. 1. & 3.* DIST. XX. non in iis perspicuè exprimitur; nam illi Textus non loquuntur de casu, in quo Leges sibi adversantur, sed de eo, in quo non reperitur Decisio Quæstionum emergentium, & jubent, ut, Legibus deficientibus, recurratur ad Scripta SS. Patrum. Itaque, ut illi Argumento accommodentur, extendendum est ad casum contrarietatis, quod dicitur de casu silentii. Hæc extensio eò justior est, quòd Scripta Patrum non minùs idonea sint ad componendas contrarietates Legum sive Canonicarum, sive Divinarum, quàm ad supplendum defectum utrarumque. *Quæstio XII.* pertinens ad Institutionem Legum, earumque Confirmationem, videtur inutilis, quia sub *Quæstione VII.* continetur, quæ Legislationem spectat, ab Institutione Legum non diversam; saltem *Septimæ* subjici debuisset:

debuisset: discrimen evidentius fuisset, si in ea egisset Autor de Promulgatione & Acceptatione Legum necessariis, ut obligationem pariant. *Gratiani* verba, quæ laudat, id postulabant, cum utramque spectent.

OBSERVATIONES *in* CAPUT II. *quod Exceptiones continet contra Leges.*

REGULÆ propositæ, *Leges observandas esse*, Autor EXCEPTIONES XXI. refert, quarum copia idcircò solùm tanta est, quòd *Regula* sit imperfecta: sub eâ enim collocari debuisset, quidquid necessarium est, ut Lex obligare possit, scilicet Potestas legitima, Justitia, Utilitas publica: cæteræque Conditiones *Can.* 2. DIST. IV. enumeratæ, Promulgatio sufficiens, Acceptatio manifesta. Quippè pleræque harum *Exceptionum* nascuntur ex conditionibus in *Regula* omissis. Eas lustrare sufficeret, ad percipiendam inutilitatem ipsarum, si *Regulæ* debita integritas ac perfectio restituantur. Et quidem *Exceptio* 1. sumitur à defectu Potestatis. *Secunda* à defectu Justitiæ. *Tertia* est exemplum Legum injustarum ob contrarietatem ipsarum cum Lege Divinâ aut Naturali. Idem de *Quarta*, nam si Princeps Legem Ecclesiasticæ Legi contrariam in re merè Ecclesiasticâ condat, illa injusta est. Idem dicendum est de *Quinta* & *Sexta*, quia Lex contraria Libertati & Immunitati Ecclesiæ, facta ab eo, qui iis derogare non potest, est injusta.

Octava petitur à defectu unius qualitatis, Legi essentialis, quæ scilicet ad communem utilitatem vergere debet, quod Legi Personali convenire nequit, quæ propriè non est Lex, sed Dispensatio à Lege. Idem est de *Nonâ*; nam Legi essentiale est, ut jubeat aut vetet; quæcumque hortatur, aut suadet tantùm, non est Lex.

Vigesima sumitur à defectu promulgationis sufficientis; hanc enim secuta ignorantia nullam parit excusationem. *Vigesima prima* sumitur à defectu Potestatis: nam Lex non obligat extrà Districtum ejus, qui ipsam condidit, ideò quòd ejus Jurisdictio illo Districtu claudatur. Idem fit Judicium de *Decima tertia* & *Decima quarta*; nam si Leges Civiles non adstringunt Personas Ecclesiasticas, id fit, quia ipsæ se à Potestate Sæculari immunes contendunt, quoad Capita ab illis Legibus definita.

Reliquæ *Exceptiones* aliis vitiis laborant. *Decima* insinuat, Pontificem solum dispensare posse. Plures aliæ ad dispensationem pertinent; quæ sub *Decima* collocari debuissent, velut casus, aut exempla ad eam pertinentia: Talis est *Quinta*, quæ supponit, Pontificem à Legibus secum dispensare posse, *Decima-sexta* sumpta ex Potestate S. SPIRITUS in illas Leges; *Decima-nona* sumpta ex eo quòd Lex superior ab inferiore dispenset.

Inter has *XXI. Exceptiones*, quædam sunt *Replicationes*, quarum aliæ comprehenduntur in *Regula*: Talis est 1. ea, quæ *Exceptioni* 1. opponitur; is enim, qui Leges ferre potest, valet etiam alienas adoptare, &, quoad Subditos, parùm ipsorum refert, an eorum Prælatus Legem condiderit, an adoptaverit ab alio conditam. 2. Talis est *Prima*, quæ legitur in *Exceptione X.* quæ pertinet ad casum justæ Dispensationis. Autor, relatis causis, quæ Dispensationes justas faciunt, pro primâ Replicatione, addit, Dispensationem esse nullam, si nullâ causâ legitimâ fulciatur; undè sequitur, obligationem à Lege impositam perseverare. Idem judicium ferendum est de tribus aliis Replicationibus. Nullæ sunt Dispensationes, quæ lædunt Jus Naturale aut Præcepta Evangelica, aut jus tertii, cui sine injustitiâ offici nequit; ergo Lex subsistit.

Nihil dicemus de Duplicatione, de Secunda Replicatione, de Triplicatione &c. sufficiet observare, Autorem ibi sine legitimâ causâ distinguere casum, in quo quis inter duo Præcepta Legis Naturalis aut Divinæ situs est, quorum unum minus & aliud majus, & casum, quo istæ angustiæ non eamdem personam coarctant, sed duas; & contendere, quoad Primum personam unicam dispensari à minore Præcepto per obligationem observandi majoris; ut in Secundo personam minori peccato exposit[illegible] illud admittere non debere, ad propulsandum majus ab aliâ personâ: nam, si licet alicui peccatum exiguum facere, ad fugiendum majus, ei licebit etiam idem facere ergà alium, quia diligere debet proximum sicut seipsum. Adjiciemus hoc in loco, exemplo sensibili apparere, methodum argumenta discutiendi, per Exceptiones, Replicationes, Duplicationes, Triplicationes, ea obscuritate aspergere, nedùm illustret & prolixitatem augere, nedùm brevitatem pariat.

OBSERVATIONES *in* CAP. III. *&* IV. *continentia* OMNES JURIS SPECIES *in quibus distinguitur id, quod vim Legis obtinet, ab iis, quæ illâ carent.*

CAPUT III. est sine Regulis, Exceptionibus, Replic. &c. excepto loco, in quo de Privilegiis agitur, circà quæ dantur *una Regula*; *Exceptiones XI. Replicationes* & una *Duplicatio*. Cùm hic præcipuè agatur de *Regulis*, ac earum Comitatu, breviter de Regulâ hujus Capitis differemus; pleræque Exceptiones sub Regulâ collocari poterant, ei adjiciendo Clausulam, *sine justâ causâ*; nam illæ cadunt in casus, in quibus justæ causæ Privilegia tolli postulant, tales sunt 1. Is, in quo Privilegium tertio valdè noxium est. 2. Is, in quo cessat Privilegii causa, 3. Is, in quo Privilegio quis abusus est; 4. Is, in quo Privilegium alteri Privilegio derogat; 5. Is, in quo ipsi renunciatur. 6. Is, in quo per XXX. annos neglectus fuit usus Privilegii. 7. Vel si semel aliquid actum sit contra privilegium. 8. Is in quo Princeps contrarium privilegium largitus est, aut præcedens revocavit: quod locum tantùm habet, cùm justa est mutationis causa. 9. Is, in quo Privilegium jure meritò ab unâ re, aut persona, ad aliam extenditur. Et hæ sunt præcipuæ *Exceptiones* & *Replicationes*, quæ nihil aliud sunt, quàm exempla *Clausulæ*, quæ REGULÆ apponenda erat: Porrò, modus hic exponendi magis Naturalis, perspicuus, brevis, proindèque magis idoneus videtur, quàm Autoris methodus, silvâ Exceptionum, Replic. &c implicata.

Circà reliqua observabimus 1. Illum rectè componere Canones, quorum alii dicunt, Consuetudinem Legi cedere; alii vero Legi derogare; priores exponendo de Consuetudine Legem præcedente, posteriores de Consuetudine Legem subsequente, *de Jure non script. n.* 3. & dicendo, Conditiones suprà requisitas, ut justæ sint, Leges requiri quoque ad æquitatem Consuetudinis.

2. Decisiones Jurisconsultorum vocatas *Responsa Prudentum*, vim Legis quondam obtinuisse, sed nullum privatum Doctorem in Ecclesiâ ejusmodi honore illustratum fuisse; is quidem Cardinalium Decisionibus competere fertur, sed præter quàm quòd omnes non consentiant, eas vim Legis habere, Cardinales, qui eas ferunt, non, ut privati, loquuntur, sed quatenùs membra Tribunalis à Pontifice constituti, insuperque requiritur, ut à Pontifice Decisiones approbatæ sint, de *Respons. Prudent. n.* 2.

3. Juxtà VIGELIUM *rationes Juris*, ac *Regulæ Juris* unum & idem sunt: id insinuat per Titulum *de Rationibus, sive Reg. Juris*. Sed, hoc non obstante, negat eas vigorem Legis habere. Dignitatem atque autoritatem illam tribuere debebat *Rationibus*, quæ excerpuntur ex Textibus, ubi aliquandò sunt *Principia* Definitionis; aliquandò ejus *Summa*: Tales sunt omnes, quæ in utroque Jure, *Regularum Juris* nomine donantur.

4. Ad sanciendam Legem, non sola justa causa, seu Ratio Legis requiritur, sed cum eâ concurrere debent autoritas Legislatoris & consensus Populi. *ibid.* His conditionibus adjicienda erat voluntas Prælati.

5. Putat Autor, sententiam à Principe latam, habere vim Legis; quod ut probet, laudat *cap.* 19. *de Sent. & de Judic.* quo nihil tamen de illâ dicitur. Præterea, momentum sententiæ à circumstantiis particularibus, accipi potuit. Itaque, quamvis inter Partes vigeat, vim tamen Legis ergà cæteros habere non debet, nisi appareat, talem esse Principis voluntatem; & si tales sententiæ hodiè vim Legis obtineant, eam trahunt ex eo, quòd inter Leges relatæ sunt, in Collectionibus Principum jussu compositis.

6. Agendo de *Canonibus*, egregiam nactus erat occasionem loquendi de *Conciliis*, sed cùm de illis ageret tantùm in genere, atque, ut ostenderet eis competere vim Legis, maluit illum Tractatum alibi collocare, ubi de *Actibus Ecclesiasticis* disputatur.

7. Quamvis egerit de *Decretis Pontificum*, loquendo de Canonibus, ac probaverit, illa vim Legis habere, de *Pontificiis* præterea *Epistolis* differit in articulo *de Rescriptis Principum*, ubi præcipuè probandum suscipit, eas habere vim Legis, perindè ac Rescripta, & monere negligens extare *Rescripta Gratiæ*, præter *Rescripta Justitiæ*, de his solis loquitur; propositâque REGULA *illa vim Legis obtinere, non solum in causâ, pro quâ scripta sunt, sed etiam in quâcumque aliâ simili causâ*, EXCEPTIONES XXII. multasque *Replicationes* refert, quæ non cadunt, nisi in casus, in quibus Rescripta vitiis inficiuntur ipsa annullantibus, aût inutilia efficientibus. Porrò, hæ *Exceptiones* parùm congruæ videntur; *Regula* quippè non intelligitur nisi de Rescriptis certis & validis; itaque *Exceptiones* debent continere casus, in quibus Rescriptum, non obstante validitate atque autenticitate suâ, vim Legis non habet; v. g. cùm à Commissariis non fuit acceptatum aut executioni non missum; aut, si provocatum fuerit à sententiâ ex vigore ipsius latâ; aut, cùm judicium à Pontifice non fuit approbatum, aut emendatum fuit ex vi alterius Rescripti, aut tres sententiæ similes latæ non sunt, aut eæ errores intolerabiles contineant.

Rescriptum ex se ipso Lex esse nequit inter alias Personas, quàm inter Partes; est enim duntaxat Mandatum, seu Commissio judicii inter eas ferendi: solum Judicium ex illius vi latum, eam prærogativam habere potest. Rescriptum nihil decidit, Decisio fit Judicio: Decisio autem sola in Regulam assumi potest & consequenter habere vim Legis. Juxtà hæc, plures *Exceptiones* hujus *Capitis* inutiles judicabuntur.

Textus, qui dicunt Rescripta vim Legis habere, procul dubio de iis loquuntur, quibus definitæ sunt Quæstiones, & quæ Corpori Juris inserta fuêre Legislatoris jussu, qui sic declaravit voluntatem suam esse, ut ea Leges fierent. Absque hac voluntate debito modo manifestatâ, nullæ possunt esse Leges obligatoriæ: probatum id fuit, agendo *de autorisatione Collectionum.* Autor id fatetur in *Exceptione I.* probatque per Textus eo in loco laudatos.

EXCEPTIO II. Falsa est, in eo, quòd proponit, velut Principium generale, Rescripta contraria Prædecessorum Rescriptis, non habere vim Legis; quippè adversatur *Cap.* 1. *de Constitut. in 6.* Regulam vulgò approbatam continenti, scilicet, Legem posteriorem anteriori, cui contraria est, derogare.

EXCEPTIO III. Restring debet ad casum, quo pravus Pontifex malum Rescriptum dat, nisi notoriè suspensus aut excommunicatus sit; sola enim pravitas autoritatem Legum ferendarum non aufert.

EXCEPTIO IV. Nimis etiam patet; nam si, v. g. excommunicatus à Pontifice, Rescriptum impetraret, quo decideretur aliqua Juris quæstio, nihilominùs Rescriptum haberet vim Legis; sed si aliquid impetranti commodum contineret, is eo non frueretur.

EXCEPTIO V. Vera non est, si agatur de Rescripto quæstionem Juris definiente; nam Decisio potest esse vera, quamvis factum in Rescripto expositum, sit falsum; neque enim pendet à circumstantiis Temporis, Loci, Personarum.

EXCEPTIO VI. Falsa est in utroque casu, quoad Decisiones, quæ vim Legis generalis obtinent, in quibus Clausula, *si preces veritate nitantur*, necessaria esse nequit.

EXCEPTIO VII. Data pariter nullatenùs necessaria est in simili Rescripto.

EXCEPTIO XI. Recidit in *Secundam*, in eo, quòd dicit Rescriptum Juri contrarium, esse nullum; itaque ambæ ob eamdem rationem peccant: quoad id, quod adjicitur, Rescriptum esse quoque nullum, si bono publico adversetur, in eas recidit, de quibus actum est *Cap. II. circà Leges.* Cujus rei occasione observabimus, Rescriptum vim Legis habere non posse si careat aliquâ ex conditionibus ad Leges necessariis.

EXCEPTIO XII. Et subsequentes ad Rescripta Personalia pertinent, quibus applicari debet id, quod dictum est suprà de Legibus personalibus: ea memorari non debent inter Rescripta vim Legis generalis habentia.

EXCEPTIO XXI. Redit ad *Primam*; nam Rescriptum falsum pejus est Rescripto ambiguo, quod vim Legis non habet.

Nihil à nobis dicendum est in REGULAS, ad reliqua Capita argumenti Rescriptorum pertinentes.

Cæterùm, conferendo disputationem Autoris hîc de Rescriptis, cum iis, quæ circà ipsa collegimus in REGULIS nostris, evidens est 1. Multum abesse, ut retulerit quidquid de Rescriptis Corpus Juris suppeditat: 2. Argumentum confusè tractari, ob defectum Divisionum & Subdivisionum necessariarum.

OBSERVATIONES *in* CAP. V. *de* MAGISTRATIBUS *eorum* ORDINATIONE, OBLIGATIONIBUS, FUNCTIONIBUS, *Juris, & maximè* JURISDICTIONE.

TITULUS hic parùm Juri Canonico convenit, quòd de Magistratibus non loquitur ex professo, qui sunt Officiales à Principibus constituti, à quibus omnem suam potestatem tenent; tamen quod Autor de iis dicit, suam habet utilitatem, respectu Episcoporum, qui sunt Magistratus Ecclesiæ. Nam v. gr. principia, quæ exponit circà Jurisdictionem sive Ordinariam sive Delegatam Magistratuum, applicari debent ad Jurisdictionem Episcoporum, de quibus agitur infrà LIB. III. TIT. IX. solum incommodum hujus methodi est, quòd eadem res pluries tractatur in eodem Opere; quamvis consilium Autoris, quo sibi proposuit exponere Jus Civile cum Jure Canonico, ut ea, quæ sunt utrique Communia aut Peculiaria ostenderet, ipsum ad agendum de Magistratibus induxerit; repetitiones tamen vitare potuisset, loquendo solùm hîc de Jurisdictione, quæ ipsis peculiaris est, & de ea, quæ similis est Jurisdictioni Episcopali, alibi verò de Jurisdictione peculiari Episcoporum.

Multæ *Regulæ* hujus Capitis, ex iis sunt, quæ Textus tantùm indicant de Argumento loquentes, & qui, continentes Facta pluribus sæpè circumstantiis modificata, non sunt Regulæ; *Regulæ* enim sunt Decisiones aut principia Decisionum. Maxima utilitas harumce laudationum, est dare cognitionem locorum, ubi materia tractatur. Regulæ hîc, ut plurimùm sunt sine Exceptionibus, & proinde sine reliquo comitatu. Tales sunt, præ cæteris, *Regulæ* trium priorum Quæstionum. *Regulæ* circà Ordinationem, in quibus enumerantur qualitates à Magistratu excludentes, locum habent in quavis aliâ Dignitate.

Exponendo Jurisdictionem, cadit in vitium sibi creberrimum, unicam scilicet proponendo *Regulam* in re, quæ pluribus indigeret; undè oritur necessitas Replicationum, Duplicationum, quæ Argumentum implicant. Hoc incommodum vitavisset, dicens 1. Jurisdictionem esse *Ordinariam*, vel *Delegatam.* Ordinariam quidem posse delegari, Delegatam verò non posse, quibusdam casibus exceptis: 2. Subdelegationem permitti in his Casibus, quos continuâ serie retulisset: 3. Eamdem prohi-

prohiberi in illis casibus, quos enumerasset. 4. Quoties Delegatio prohibetur, toties Subdelegationem interdici, quod probasset exemplis in Jure relatis; 5. Quasdam personas Ordinariam Jurisdictionem exercere posse, non posse autem à Pontifice delegari. Sic perspicuè expositum fuit hoc argumentum in TRACTATU *de Jurisdictione*.

Pluribus Exceptionibus subjicit casus, quos sub unâ referre debuisset. Tales sunt 2. 4. 5. 6. 7. 8. quas in unicâ circà Suspicionem includere debuisset; nam delegatus à Judice suspecto, suspectus est; conservator conservatoris sui suspectus foret; Domesticus Partis, & alius quivis ipsi Subditus, foret suspectus; idem est de eo, qui similem litem haberet; Judex, à quo provocatum fuit, suspectus esset; Judex in casu appellationis, Judex nominatim ab alio postulatus, alteri litiganti suspectus est. Hoc modo statim percipitur, hos omnes casus propter Suspicionem prohiberi.

Aliæ *duodecim Exceptiones* cum suis Replicationibus & Duplicationibus ad *duas Regulas* reduci poterant, quarum una casus omnes, in quibus delegatio nulla est, complexa foret; alia verò omnes modos, quibus extinguitur. In singulis sub eodem prospectu collocatæ fuissent plurimæ res gravis momenti: id præstitum fuit in laudato tractatu.

Quod dictum fuit suprà, de casibus, in quibus Leges non obligant, applicandum est jussionibus Magistratuum.

Quod dicit Autor de usu Mitræ QUÆST. V. *n.* 3. non convenit Magistratibus, de quibus agit.

OBSERVATIONES *in* CAPUT VI. *in quo agitur de* JUDICIIS PUBLICIS *& de Rebus quibuscumque ad ea tam generatim, quàm speciatim pertinentibus.*

AUtor hîc proponit QUÆSTIONES *octo, quarum Tertia & Quarta* hic præcipuè discutientur. Agit in *Tertia* de causis aut peccatis, quæ Judiciis Publicis obnoxium aliquem faciunt. Proponit hanc REGULAM, *neminem puniri debere, qui sons non sit, nisi subsit causa, quæ contrarium petat*, neglectâ expositione hujus exceptionis, XVII. alias refert, quæ reducuntur ad circumstantias, quæ à peccato eximunt, aut illud minuunt, ità, ut non imputetur, quoad punitionem, aut vindictam publicam. 1. est, ut actio facta fuerit sine dolo, neque nocendi consilio, quod locum habet tantùm in fatuis, aut infantibus, aut cæcis, aut coactis, aut personis ex alienâ fraude, sive ex qualitatis ac virium potionis inscitia, ebriis. Sic exponendæ sunt *sex priores Exceptiones*, nec non *Octava*, cum Textibus, quibus fulciuntur, desumptis ex CAUS. XV. QUÆST. I. & ex verbis *Gratiani*. Idem est de eo, qui agit ex jussione Superioris, cui parere tenetur. REG. XXIV. *de Reg. Jur. in 6.* quoad Forum exterius restringendum est. Ad hanc rem pertinet *Octava Nona*, reducitur ad eas, quæ sumuntur ex defectu usûs rationis & pertinet ad belluas.

A *Primâ* excipiendus est casus, quo Lex facinus punit: *6.* 1. *de Homic. in 6.* ab *Undecima* casus hæreseos aut excommunicationis, quæ post mortem ligant.

Duodecima & duæ sequentes Falsæ sunt, ex quo accusatio Actori publico reservatur. In *Decima septima* laudat verba *Gratiani*, tamquàm pertinentia ad *Can. si quis Potestatem* 31. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. *Gratiani* verba cum Textu confundit in Replicatione generali, quæ valdè notabilis videtur, si locum habeat in omnibus Excusationibus seu Exceptionibus suprà memoratis; scilicet, eum, qui Delatorem corrumpit, pro convicto haberi in omni causâ, nisi agatur de Sanguine. Clausula hæc ab Autore omissa est.

Exceptio, cujus expositionem omisit Autor, quamvis nominatim exprimatur in *Regula*, quam laudat, nempè 23. *de Reg. Jur. in 6.* exponitur à CANISIO *in illam Regulam*. Ibi plura refert exempla punitionis puerorum Innocentium, præ odio criminis Paterni: tales sunt præsertim ii, qui nati sunt ex Patribus in hæresi defunctis, aut læsæ Majestatis reis, vel extrà legitimum Matrimonium maximè ex personis Deo dicatis.

Quarta Quæstio, in quâ differitur de Personis, quæ ad accusandum admittuntur, aut secùs, nullius est usus hodie; nam, ut dictum fuit, accusatio reservatur publico Actori. Itaque, *Regula* cum *Exceptionibus* XLV. & reliquo famulatûs, facta est inutilis. Præterea, credibile est eos, quorum interest, aut qui læsi fuêre, damni resarcitionem potuisse semper postulare, ut possunt hodiè, vel per se ipsos, vel per alios. Verba hæc Quæstionis, *quibus competant accusationes, seu Judicia publica*, significare videntur, accusationes esse Judicia publica, quorum sunt pars tantùm.

Quinta loquitur de iis, qui publicè accusari possunt, & reducitur ad duplex Personarum genus scilicet eas, quæ patraverunt crimen, & eas, quæ in illud influxerunt: Itaque omnes *Exceptiones* ab Autore observatæ, ut plurimùm ad *Regulam* pertinent; nihil enim aliud sunt, quàm casus Societatis in crimine.

Sextæ Quæstionis Titulus sic conceptus, *Per quos Judicia publica competant*, non exponit perspicuè sensum ejus; scilicet, an accusatio & defensio rei per Procuratorem fieri possint.

Septima Quæstio, quæ loquitur *de Judice delicti*, poterat inscribi *de Judice accusationis*.

REGULA *Tertia* falsa est, & *Cap.* 3. *de Accusatione* eam non probat; absit, ut S. GREGORIUS dixerit, accusationem fieri debere apud eos, quorum interest, quippè qui Judices esse nequeunt.

Quinta, dicens, accusationem publicam fieri non posse coram Magistratu Ecclesiastico, ostendit, Censuras, inter pœnas Judiciorum Publicorum numerari non debuisse, cùm ab illo solo Magistratu ferri valeant; id tamen Autor facit *Cap.* 8.

REGULA I. QUÆST. VIII. *de Judiciorum adjunctis*, sive de rebus ad publica Judicia pertinentibus, non est vera; ubi enim illorum Judiciorum opus est, à monitione Sontium sedulò abstinetur. *Secunda* non est in usu; nam minimè necessarium est initio discutere personam accusatoris, aut accusati.

OBSERVATIONES *in* CAPUT VII. *agens* DE POENIS.

Prima pars TITULI, *quid veniat in Judicia publica*, generalior est ratione consilii de Pœnis Sæcularibus agendi.

Pleræque hujus Capitis *Regulæ* indicant solùm Textus Juris, qui loquuntur de Pœnis, & qui in Regulas transferri possunt, juxtà dispositivum: res hæc conficienda superest: nondùm autem est absoluta. Divisio adhiberi potest ad Regularum distributionem. Pro *Regulâ* proponere debuisset, pœnam temperari debere, habitâ ratione Circumstantiarum, Personarum, Locorum, Temporum, aliarumve, quæ crimen aut minuunt, aut gravant, etiam in casibus, in quibus Leges pœnam determinant; quia sub eodem Personarum genere, quædam majores, quædam minores sunt; delectus autem fieri debet, circumstantiarum habitâ ratione v. gr. cùm pœna Capitis à Jure irrogatur, inter varia mortis genera Judex eligere debet; cùm exilium sancitur, Judex ipsius durationem, & distantiam loci determinare debet: cùm pœnis pecuniariis locus est, Judex summam definit. Eadem moderatione, quam adhibere tenetur, ubi pœna indeterminata est, uti debet, cùm genus ejus est determinatum, eam temperando pro qualitate delicti, ponderati, in omnibus suis circumstantiis, quæ persæpè magnâ varietate distinguuntur: Judex, qui dispensare potest à pœnâ per Legem latâ, ipsam minuere valet exequendo Legem, quâ fertur, ob eamdem rationem.

In *Regulis* circà Personam delinquentium, REGULA V. supponit degradationem esse semper necessariam, priusquàm Sæculari Potestati Clerici criminosi tradantur; contrarius est usus non solùm apud Gallos, sed

etiam in Hispaniâ ac Lusitaniâ, ubi sola depositio sufficit. GONZALES in *Cap. 10. de Judiciis n. 14. usque ad finem.*

Loquendo de circumstantiis Delictorum, observat contrarietatem inter Jus Civile & Jus Canonicum, in eo, quòd illud jubeat augeri pœnam, ubi delictum frequens est; hoc verò crimen impunitum tolerare, ubi Sontium numerus magnus est: laudatque Legem 16. §. *Fin. de pœnis, & Can.* 31. *&* 32. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. non tamen eos conciliat, quod fieri potest, dicendo, Legem loqui de casu, quo severitas ad restaurandam tranquillitatem necessaria est; Canones verò loqui de casu, quo severitas effectum contrarium pareret. Infrà in loco, ubi Autor dicit, Judicem Ecclesiasticum pœnam singularem ferre non debere, legi debuit *Sanguinis*, pro *Singularis*, sic postulat Textus ab eo relatus *Cap.* 4. *de Rapt.* legi.

OBSERVATIONES *Generales in* CAP. VIII. *&* IX. *quæ agunt de Censuris.*

Cùm plura sint genera CENSURARUM crebrò in Corpore Juris commemoratarum, quæ multas qualitates communes habent, Regulas proponere Autor debuisset circà Censuras generatim consideratas; Consilium ejus id postulabat, quippè quod sit tradere notitiam rerum per eorum genera, species, causas, effectus & proprietates. Omninò autem negligit hæc generalia Capita,

Alius finis Operis, quo facilius forè promittitur studium Juris, aperiendasque esse vias breves, perspicuas, ac certas, quibus perveniatur ad ea, quæ scitu digna sunt, postulabat ut *Regulis* daretur tanta extensio, quantam pati possunt: pleræque autem Regularum ejus restringuntur ad Casus speciales v. gr. à Censurarum natura exordiri debuisset, observare ea, quæ in illis singularia sunt, aut communia cum cæteris pœnis; dare Regulam circà varias Censurarum species, singulas complectentem; similem facere de omnibus causis communibus variis Censurarum speciebus, quas serie continuâ exposuisset, idem perficere circà effectus communes, & proprietates pariter communes; conficienda præterea erat Regula generalis de viis, quibus variæ Censurarum species extinguuntur; tùm singulæ speciatim erant enucleandæ per Regulas complectentes ea omnia, quæ ad unamquamque propriè pertinent, maximè ad Absolutionem, quæ determinata est. Discutienda erat unaquæque Censura præcipua juxtà eamdem methodum, & nedùm plerique casus particulares colligerentur, sive ii, qui sub Regula continentur, sive qui ab eâ excepti sunt, incumbendum erat Regulis generalibus præfatis, indicando duntaxat præcipuos casus singulares, ne nimiùm extenderetur delineatio Operis; sic enim nuncupari debet potiùs quàm Opus, methodus proposita.

OBSERVATIONES *Speciales in* CAP. VIII. *de* EXCOMMUNICATIONE.

Autor proponit dubium in REGULA III. QUÆST. II. Scilicet, *an pœna sit licita?* Cujus rationem affert, quòd tolerandi sint Mali, juxtà priores Textus *Caus. XXIII.* QUÆST. IV. inter quos verba *Gratiani* ponit. Triplicem Responsionem subjicit, cujus duo priora membra congrua non sunt; nempe ait, id habere locum 1. cum Mali Jurisdictioni Prælati non sunt obnoxii 2. Cùm occulta sunt crimina, tùnc enim Prælatus ea impunita relinquere cogitur, deficientibus Probationibus aut Jurisdictione. Textus autem allegati loquuntur de casibus, in quibus puniri possent, sed in quibus usus illius potestatis non expedit; quia coërcitio pacem Ecclesiasticam turbaret. Id patet ex Textibus, quos ad probandam responsionem tertiam subnectit, sumptam ex metu inducendarum turbarum, & divisionis ad schisma properantis.

Aliam dubitandi rationem affert, ex eo, quòd pœnæ inutiles; cui patrocinatur. *Can.* 19. CAU. XXIII. QUÆST. IV. junctis verbis GRATIANI, *est & alia*, ubi dicit correptionem esse inutilem, sive quia Prædestinati convertuntur absque correptione, ut cernitur in exemplo S. PETRI, qui delictum luxit à nemine reprehensus; sive quia pœnæ Reprobatos indurant, ut patet in exemplo PHARAONIS. Huic rationi dubitandi Autor respondet per *Can.* 20. 21. 22. *&* 23. & sequentem *Gratiani* sermonem, qui docent, correptionem & flagella, licèt aliquandò sine ipsis Deus peccatorem convertat, vulgò necessaria esse, tam Prædestinatis, quàm Reprobatis; quia illos ad pœnitendum inducunt, eorumque respectu sunt viæ ipsis ad perveniendum in Cœlum præparatæ, merente conversionem eorum pœnitentiâ: Reprobatos autem ex eis non proficere, quia contemnunt remedia sibi ad sanationem oblata.

Divisio Excommunicationis, quam deindè Autor proponit, valdè imperfecta est. Id probari potest per Collationem Tractatûs nostri de *Excommunicatione*, ubi plures alias retuli Divisiones, quin imò autem omittit Excommunicationem *Minorem*, quæ à receptione Sacramentorum excludit, & vulgò incurritur communicatione cum excommunicatis Excommunicatione *Majori*. Indè, transiens ad causas Excommunicationis, quam *Regula* dicit ferri non debere, nisi ob causam manifestam, XXXV. enumerat cum earum Exceptionibus. Illæ causæ sunt peccata, quorum alia Excommunicatione Majori coercentur, alia aliis Excommunicationibus. Utraque confundit, permiscendo casus 2. speciei cum casibus 1. v. gr. plerique casus Excommunicationis, de quibus loquuntur Canones Apostolorum, quos laudat; sunt Excommunicationis *Minoris*, Canones, quoque quos allegat ex *Causâ* XII. circà Excommunicationem, quæ incurritur communicando cum Excommunicatis, vulgò de *Minori* tantùm Excommunicatione loquuntur.

Monere debuisset, Excommunicationem *Majorem* causas multò graviores requirere; nempe peccata gravia: peccata autem minora *Minori* Excommunicationi esse obnoxia. Vitia hactenùs observata *hoc in Cap.* indicant, Autorem argumenti sui notitiam accuratam non habuisse. Id planè demonstrabunt vitia mox subjicienda, ex quibus præterea apparebit, Regulas ex Canonibus absque expositione desumtas, esse pernicioſas.

Primam Causam Excommunicationis esse dicit inobedientiam adversùs Decretum, aut jussionem Prælati, nec adjicit *justum*. Duos casus excepit; unum appellationis, alterum itineris Romam; perindè ac si hic non esset casus appellationis, quamvis nihil alius sit, quàm appellatio tacita.

Secunda est contumacia post Monitionem, veluti si non sufficeret Monitionem neglexisse in re gravi: scribendum erat, *Si monitus non corrigatur*.

Tertia est vis Prælato facta; nec distinguit eam, quæ justa est, ab ea, quæ injusta est, nec casum, quo aliter quàm Excommunicatione repelli potest, ab illo, quo non aliàs repelli potest.

Quarta est querela contrà Episcopum aut Ecclesiam, sine præcedenti Monitione intentata; quasi omissio rei non necessariæ, sed tantùm decentis, mereri posset Excommunicationem.

Quinta est violatio Immunitatis & Libertatis Ecclesiasticæ; quod restringendum est ad eam, quæ certa est: cùm probabile non sit Ecclesiam, optimam Matrem, suos Filios excommunicare velle, ob prætensa delicta: & quidem suprà dictum est, certam debere esse causam, perindè ac manifestam.

Sexta

Sexta & *Septima* restringi deberent ad casus, in quibus vis in personas Deo dicatas est criminosa, & omnes casus, quos sigillatim pro exceptione affert, velut exempla Casuum, in quibus vis delicto vacat, referendi erant.

8. *Octava* adjicere debuerat casum incendii, qui unus est ex obnoxiis Excommunicationi, ob contumeliam Locis Sacris inustam; cæteri sunt infractio & spoliatio.

Nona restringi debet ad casus vis injustæ: tales sunt ii, in quibus Excommunicatio justa est; tunc enim iniquum est cogere Prælatum ad absolvendum ab illâ. Sed si Excommunicatio sit manifestè injusta, aut vitiosa, videtur non iniquam esse coactionem adhibitam, ut revocetur, vel, ut absolutio detur *ad cautelam*.

Decima sumpta ex Communicatione cum Excommunicatis, restringenda erat ad casus prohibitos, quorum alii Excommunicatione Majori puniuntur; tales sunt casus societatis in crimine, propter quod lata fuit Excommunicatio, aut Communicationis in rebus Divinis. Alii Minori tantùm Excommunicatione puniuntur; tales sunt casus, in quibus Communicatio neque ad bonum corporis, neque ad animæ salutem necessaria est. Monendumque erat, excepto primo casu, Excommunicationem non habere locum, nisi cùm Excommunicatus denuntiatus est. Nisi hæc distinguantur, laudati Canones in errorem inducunt.

In *Undecima legendum est Excommunicatorem*, pro *Excommunicationem. Cap.* 11. *de Sent. Excomm. in 6.* ab Autore laudatum prohibet machinari aliquid adversùs personam aut bona Excommunicantis.

Duodecima restringi debet ad casus, in quibus Canones vetant conveniri Clericum coràm Judice Sæculari.

Decima-tertia non habet locum, nisi quandò Catholicus Catholicum convenit coram Judice non Catholico. Hic genuinus est sensus *Can.* 32. CAUS. II. QUÆST. VI. laudati ab Autore, qui alium pati nequit, cùm Hæretici Judices habent ex suâ Secta, ut semper obtinuit in locis, quæ hæresim toleraverunt, maximè in Africâ, quandò hic Canon conditus fuit, quod significatur his verbis, *ad Judicium alterius Fidei Judicis*.

Decima quarta restringenda est ad loca, casusque, in quibus interdictæ fuerunt appellationes Ultrà-marinæ.

Decima quinta restringi debet ad casum *Cap.* 1. *de Judiciis* laudati, quo reus conventus, qui se Judicio affuturum pollicitus est, non comparet, neque in Regulam generalem extendi debet, adversùs eos, qui fidem datam fallunt.

Decima sexta & *Decima septima* sumptæ ab homicidio, vel falso testimonio, redigendæ sunt ad Casus, in quibus ejusmodi crimina, per pœnitentiam non expiantur. *Can.* 20. CAUS. XXIV. QUÆST. III. Leviora sunt ea, quæ circà cæteras causas reprehendi possent, & idcircò omittenda.

A *Causis* Autor ad *Exceptiones* pergit, quæ sumptæ sunt ex defectu potestatis proveniente ex eo, quòd reus Excommunicatoris Jurisdictioni non sit subditus, sive quia ab ea immunis est, sive quia non residet in ejus Districtu, sive quia mortuus est ante Sententiam, sive quia est extrà Ecclesiam. Hæ igitur Exceptiones magis accedebant ad *Quæstionem sextam* de iis agentem, qui possunt excommunicari & ad *Septimam* de iis, qui excommunicare possunt. Et quidem in illis Quæstionibus, iterat id, quod in Exceptionibus dixit, exceptis iis, quæ leguntur, 1. In *Tertia* & *Quarta* spectantibus ad causas Excommunicationis, quæ suprà delibatæ fuerunt, ubi diximus, peccati gravitatem ac certitudinem requiri. 2. In *Septima*, quæ reduci potest ad defectum potestatis, provenientem ex eo, quòd nemo Judex & litigans esse possit; Prælatus autem, qui excommunicaret, ob crimen in se admissum, Judex foret & Pars; excipitur casus, quo læsa fuit Dignitas, & Jurisdictio Prælati ab alio exercetur. 3. In *Octava*, quæ pertinet ad casum, in quo satis pœnarum tulit reus, per depositionem, aut aliter. Dicere debuisset in *Quæstionem* VI. Excommunicationem non cadere nisi in eum, qui facinus patravit, nisi conscios sceleris Canon complectatur. Enumeratio horum, quam hìc facit, cernitur etiam *Cap.* 6. QUÆST. V. quæ loquitur de iis, qui possunt accusari, & idcircò ad eam remittere opus erat. Quod dicit de Universitatibus, eas debere excommunicari, ob delictum majoris partis, falsum est, & confutatur *Cap.* 5. *de Sent. Excomm. in* 6. quod laudat.

Ergà *Quæstionem* pro REGULA proponere debuisset, omnem Prælatum habentem Jurisdictionem in foro exteriori, posse excommunicare extrà casus à Jure exceptos; *Cap.* 12. *de major. & obed. Cap.* III. SESS. XXV. *Conc. Trid.* si Jurisdictionem habeat solùm ex Privilegio, aut Consuetudine, aut Præscriptione. Jus illud non habet, nisi Privilegium aut Consuetudo aut Præscriptio, illud ipsi tribuat. Cùm hæc Jurisdictio amittatur per quodcumque crimen, cui Excommunicatio annexa est; qualis est hæresis & per aliud quodvis, quod ab Officio suspendit, ii, qui crimen illud patraverunt, non possunt excommunicare: Autor proindè cum *Gratiano* fallitur, post eum dicendo, hæreticum posse excommunicare. v. *Can.* 5. 36. & 37. atque observationes *Gratiani* in ipsos, ubi concludere videtur, potestatem Jurisdictionis esse in Hæreticis ergà Hæreticos, ex eo, quòd retineant Dignitatem Ordinis, quod falsò infertur; hæc enim inamissibilis est, secùs est de alterâ.

Excipiendus est à *Regulâ tertiâ*, ferente, Clericos excommunicare non posse, casus, quo Juridictio Ecclesiastica ipsis ex Privilegio commissa esset; ejus enim natura finit, ut Laïcis ab Ecclesiâ delegetur; multi Principes eam vice Legatorum Apostolicorum exercuère, eam hodiè quatenùs Legatus exercet SICILIÆ REX.

Si Officialis Metropolitanus Episcopos Provinciæ excommunicare non potest, id oritur ex eo, quòd ejus Jurisdictio restricta fuit hoc in capite, per Canonem expressum: è contrario, per extensionem expressam, Ordinarius excommunicare potest eos, qui non sunt suæ Diœceseos, si ibi delinquant.

Episcopus hodiè non indiget consensu Metropolitani & Comprovincialium ad ferendum Anathema, id est Excommunicationem, terribili solemnitatum fulminationis apparatu stipatam.

Quæstio VIII. agens de tempore, quo Excommunicatio ferri debet, sub *Nonâ* locari potuisset, ubi agitur partim de rebus, quæ Excommunicationem præcedere debent; nam delictum una ex illis est.

Exceptio *Prima* Regulæ *Quæstionis* I. malè exponitur; quippe notorietas facti, de quâ loquitur *Cap.* 9. *de Sent. Excomm. in* 6. non excusat à faciendis Monitionibus, sed ab observatione intervallorum competentium. *Cap.* 26. *de Appell.* laudatum in *Exceptione II. ibid.* intelligitur de casu, in quo Excommunicatio crimini à Jure alligatur, & de eo, quo malitia criminis respondente gravitati pœnæ Excommunicationis: hæc sine Monitione ferri valet.

REGULA XIII. aptiùs locata fuisset sub *Quæstione* VII. in quâ agitur de Excommunicatore; hìc enim traditur modus, quo uti debeat facultate suâ.

Plures in *Quæstione* X. sunt *Regulæ* aut perperam conceptæ, aut falsæ. In iis Anathema distinguitur ab Excommunicatione, quoad effectus, REG. XI. REG. XV. Ibi insinuatur, id peculiare esse Anathemati, ut sejungat à Deo, & tradat Satanæ. Excommunicationem verò non separare à Corpore CHRISTI, sed tantùm à Fraternâ Societate, ac priorem effectum ab Anathemate produci: nullum tamen discrimen est inter Anathema, & Excommunicationem, nisi quòd aliquandò sumitur illud pro fulminatione Excommunicationis, ita ut adjiciat Excommunicationi solemnitates, ad terrendum reum inventas.

REG. XVIII. distinguit Excommunicatos ob Schisma, ab aliis Excommunicatis, in eo, quòd horum Oblationes accipiuntur, illorum rejiciuntur. *Can.* 3. CAUS. XXIV. QUÆST. II. laudatus ad probandam hanc Distinctionem eam, destruit.

Jura

Jura Temporalia, quibus privant REGULÆ XIX. & XX. solâ Potestate Ecclesiasticâ auferri nequeunt; Principis autoritas ad id requiritur. Insinuatur REG. XXII. unicum esse casum, quo Excommunicatio effectu careat, eum scilicet quo, pendente Appellatione, lata est; tot sunt autem, quot sunt casus nullitatis manifestæ provenientis ex defectu delicti aut potestatis in Judice, aut ex eo quòd errorem intolerabilem contineat.

Inter Exceptiones Generales REGULARUM XXVI. *Quæstionis* X. de quâ agitur, quædam reperiuntur vitiosæ; talis est *Secunda*, quæ insinuat, Excommunicationem carere effectu, cùm illicita est; non addito, *& invalida*.

Idem est de Replicatione ad *Exceptionem* IV. ubi dicitur, eum, qui communicat cum Excommunicato ob crimen atrox, eamdem Excommunicationem incurrere. Textus autem 55. *de Sent. Excomm.* ad hoc probandum laudatus, agit de casu, quo cum Excommunicato communicatur in crimine, propter quod excommunicatus fuit. *Cap.* 17. *de restitut.* perperam laudatur REG. XXVIII. ad ostendendum, Jurisdictionem in quasdam personas probari non posse per Excommunicationem, cui obtemperaverint; loquitur enim de obedientiâ scrupulosâ, quæ dies aliquot tantùm duravit; talis autem submissio timidam potiùs aut religiosam conscientiam ejus, qui paret, arguit, quàm jus imperantis.

Excommunicatio potest esse usurpatio Jurisdictionis; itaque, ad decernendum de jure eam ferendi, anteà probandum est, ferentem fuisse in quasi-possessione Jurisdictionis. REGULA XX. dicens, mulctam esse remedium subsidiarium Excommunicationis, malè concipitur: dicendum erat, eam vice Excommunicationis decerni posse; & hic sensus est *C.* 7. *de Sent. Excomm. in* 6. §. 4. laudati ab Autore. Observare autem debuisset, eam, cùm Excommunicationis locum tenet, in Excommunicatoris commodum converti non debere.

OBSERVATIONES *in* CAP. IX. *circà* INTERDICTUM.

Autor ad Caput præcedens remittit, quoad causas INTERDICTI, & jus illud ferendi, sicque confirmat id, quod jam observavimus, debuisse illum de Censuris gegeratim loqui, & annotare id, quod ipsis commune est, scilicet, eas justam causam requirere, nempè peccatum mortale, & justam potestatem, quæ est Jurisdictio in foro exteriori.

Cùm Excommunicatio omnium Censurarum gravissima sit, monere debuisset, causas ad Excommunicationem necessarias non requiri ad Interdictum; sed minora peccata ad hoc sufficere, & sic, applicando ad Interdictum, quod speciatim de causis Excommunicationis dixit, servandam esse proportionem, quam utriusque Censuræ inæqualitas exigit, quod difficilè fieri potest; nam Censuræ non habent locum nisi in casibus expressis, & proindè consecutio ab unâ ad aliam non valet, præsertim à majori ad minorem, qualis est Excommunicatio Major respectu Interdicti, & speciatim dùm agitur de causa ubi, sicut id, quod sufficit ad Interdictum, non sufficit ad Excommunicationem, id quod ad Excommunicationem necessarium est, non exigitur ad Interdictum. Undè fit, ut remissio hîc facta ab Autore, inepta sit; ideòque rectiùs egisset, colligendo quosdam casus à Jure Interdicto punitos, sicut plures ex iis retulerat, qui Excommunicatione plectuntur. Plerique utriusque generis referentur in Tractatu *de Censuris*.

OBSERVATIONES *in* PUBLICA JUDICIA, *de quibus* CAP. X. *disseritur*.

Videtur, Autorem continuò de *Pœnis Ecclesiasticis* loqui debuisse, quippè haud minor ratio postulabat, eas exponi, quàm discuti *Censuras*. Saltem observandum erat, alias esse Pœnas, quibus Ecclesia Sontes coercet in Judiciis Criminalibus, & indicanda loca, in quibus de iis loqui statuerat. Depositio ab Ordine, Privatio Beneficiorum, Pœnitentia publica multorum annorum, laboriosis atque abjectis Exercitationibus referta, Carcer perpetuus, aut diuturnus, sunt pœnæ haud exiguæ. Eximius est ordo hujus Capitis necnon ejus divisio, eadem est excellentia CAP. XI. XII. XIII. XIV. quæ loquuntur de Judiciorum Publicorum Appendicibus, scilicet de Pœnis culparum in illorum Judiciorum prosecutione accidentium, de Absolutione, Condemnatione, de Restitutione Rei, Informatione, Denuntiatione, Purgatione. Fusiùs tractatur Absolutio, respectu reliquarum rerum. Quædam sunt vitia in *Regulis* & in *Exceptionibus*, quæ breviter notabuntur juxtà *Capitis* ordinem.

Cùm dixisset actus aut Accusatorem, aut Reum, aut Judicem spectare: ab Accusatore exorditur, circà quem observat, eum inscribere nomen debere, & sic ad pœnam Talionis se astringere, à quâ plures casus excipiuntur. Duo posteriores ad Denuntiatorem, & Opponentem pertinent, qui non sunt Accusatores: ideòque non continentur sub *Regulâ* ad Accusatorem restrictâ: itaque, si à Denuntiatore & ab Opponente inscriptio non exigitur, id non fit per Exceptionem à Regulâ, sed quia non sunt Accusatores: obligatio autem ad inscriptionem peculiaris est Accusatoribus, *Cap.* 10. REG. I. *Except.* 4. *&* 5. REGULA hæc & *Quinque subsequentes* ad unicam contrahi potuissent, sub quâ omnia Accusatoris officia relata fuissent & sigillatim enucleata. Officia hæc, præter inscriptionem, sunt, accusare in scriptis, probare crimen objectum, & non prævaricari, neque tergiversari in probatione, aut persecutione.

Divisio Autoris exigebat, ut de Officiis Accusati, seu Rei ageret: scilicet, obligatione vitandi in defensione suâ fraudem, mendacium & perjurium, & parendi Judici. De Judicis autem Muneribus & Officiis aliorum ejus respectu, loquitur; de Munere Judicis, qui contumacem punire debet, eum capiendum & custodiendum curare, eumque ab Officio suspendere; de Officio aliorum, qui Reum nec receptare, nec occultare debent.

Hæc Judicis Officia, cum cæteris, quæ deinceps attingit, sub unâ *Regulâ* collocandâ erant, atque enumeranda: *Novem* autem *Regulas* condidit. Quod dicit in *Secunda*, Episcopum condemnari non debere, absque Pontificis participatione, è spuriis Decretalibus desumptum est. Quod dicit in *Sexta*, Rei depositionem adversùs conscios sceleris non audiri extrà casus læsæ Majestatis, Hæreseos, aut Simoniæ, non observatur hodiè, & jure meritò; Salutis enim Publicæ, interest, cognosci & puniri conscios, quod fieri nequit, nisi Rei crimen confessi depositio audiatur.

OBSERVATIONES *in* CAP. XI. *&* XII. *quorum illud de* POENIS DELICTORUM *in* ACCUSATIONE ADMISSORUM, *hoc de* SENTENTIÆ EXECUTIONE *agit*.

Delicta hæc sunt, *Calumnia*, quæ justè præsumitur, ubi crimen non fuit probatum, *Prævaricatio*, quæ est occultatio probationum sceleris, ex clandestina conspiratione cum Accusato proveniens; & *Tergiversatio*, quæ est accusationis desertio sine causâ legitima. Sic Autor *Capitis* Argumentum proponere, atque exponere debuisset.

Agendo de Pœnis Calumniatorum, eas sub unicâ *Regulâ* enumerare debuisset. Sex autem Pœnas in *Regulas* VI. distribuit; scilicet 1. Eam, quam Accusatus luisset, si fuisset convictus; 2. Depositionem; 3. Infamiam; 4. Excommunicationem Majorem; 5. Pœnitentiam; 6. Linguæ amputationem. Porrò, has sub unâ *Regulâ* facilè complexus fuisset, dicen-

dicendo, Jus alias pœnas in Calumniatores non fere quàm *Sex* &c.

Quod dicit in fine *de Tergiversatione*, eam Accusationis, aut Inquisitionis viâ puniri posse, ad calumniam & prævaricationem extendi potest. Duæ Replicationes, quas *Exceptioni* REGULÆ IV. in Tergiversatorem subjicit, in *Exceptione* includi poterant, dicendo, discessionem ab Accusatione pœnis non esse obnoxiam, cùm fit post abolitionem criminum, quæ ab Accusatore arguebantur, & postquàm in hunc finem abolitio ritè facta est.

CAPUT XII.

CUm dicit, Sententiam executioni mandari debere, statim atque lata est, intelligere debet, Sententiam legitimè latam; itaque *Exceptio I. & II.* inutiles sunt; quippè, quæ contineant conditiones ad justitiam Sententiæ requisitas, cùm nihil magis ad hoc necessarium sit, quàm Potestas in Judice. Porrò, si damnaverit is, qui condemnandi jus non habet, tunc deficit Potestas: id est, si Judex ad vocandas quasdam Personas obligatus, eas ad Judicium non vocaverit. Prima Replicatio ejusque Duplicatio & Replicatio *Secundæ*, quas *Exceptioni III.* subjicit, sumptæ ex Appellatione à Sententiâ, continentur in *Exceptione*, adjiciendo, *dummodò Appellatio licita sit.*

Quod dicit, Appellationem non habere locum, cùm notorium est crimen; exponi debet per ejus observationem *Cap. XIV.* licèt crimen notorium sit, probandam tamen esse notorietatem, & statuendum circà ipsam: itaque si non admittatur Appellatio à damnatione ob crimen notorium, appellari potest à Sententiâ circà notorietatem statuente.

Quod dicit, provocari non posse à Sententiâ in crimen confessum; restringi debet ad casum, quo punitio non excedit rationem. Quod dicit in *Exceptione V.* Sententiam non posse executioni mandari antè degradationem, ex diuturno tempore non observatur in multis locis, ubi degradatio abrogata est.

OBSERVATIONES *in* CAP. XIII. *ubi agitur de* REMISSIONE POENARUM, CAUSIS EJUS, & CONSECUTIONIBUS.

Propositâ REGULÂ, *neminem sine causâ absolvendum esse*, tres refert causas, 1. Pœnitentiam, 2. Satisfactionem, quâ intelligenda est reparatio damni illati; alioquin sub pœnitentiâ contineretur. 3. Iniquitatem Sententiæ. *Novemque Exceptiones* generales ab his causis colligit, è quibus aliquot Exceptionum nomen ferre nequeunt, cùm sint duntaxat casus, in quibus causæ non reperiuntur. Talis 1. Is, quo satisfactum non fuit, & ablatum non restitutum: sed Replicationes hujus Exceptionis sunt veræ Exceptiones; scilicet, cùm data fuit cautio satisfactionis: cùm crimen non est manifestum vel dubium est, aut periculum mortis imminet. Talis est 2. Exceptio petita à perseverantiâ in errore, aut in peccato, quæ pœnitentiam excludit: 3. Casus, quo Pœnitens, ante absolutionem moritur: fatendum tamen est cum Autore, pœnitentem absolutionem meritum esse, & post mortem absolvendum esse, non excepto Hæretico, qui pejoris non est conditionis, quàm cæteri Excommunicati, qui absolvi debent, si pœnitentes defuncti sint: itaque Autor eum excipere non debuit. Talis est *Exceptio IV.* nempè si tempus pœnitentiæ non est completum; hoc enim in casu deest causa. *Quinta* & *Sexta* falsæ sunt, si Excommunicatus ante furorem & lethargiam, pœnitentiæ signa dederit.

Septima Octava, & *Nona* non sunt in usu, quippè non denegatur Absolutio in morte iis, qui pœnitentiæ notas edunt; & Matrimonium cum Religiosis, aut aliis Personis Deo dicatis, exolevit & non toleratur.

Quod dicit in *Octavâ*, S. Virginem MARIAM exceptam fuisse, à casu Virginum post Votum virginitatis nubentium, ineptum videtur; Canones enim in ejusmodi Virgines conditi, nuptiis VIRGINIS multùm posteriores sunt, latique duntaxat in nuptias nefastas, & criminosè consummatas, nullam itaque relationem habent ad MARIÆ matrimonium. Agendo in *Quæstione III.* de Jure absolvendi, multas res in *Regulâ I.* includit, quas pluribus tradi poscebat perspicuitas, &, quo neglecto, vitare non potuit Argumenti confusionem ab Exceptionum multitudine, & Replicationum Duplic. &c. ortam. Præterea, Argumenti limites transgressus est; nam, ab Excommunicatione per Judicium, sive ab Homine, transit ad eam, quæ est à Jure, atque ipso facto incurritur: tales sunt eæ, quas Pontifici reservatas esse dicit. Aliundè, proposito integro non satisfacit; quippè quod ad reliquarum pœnarum remissionem extenditur, perindè atque ad Excommunicationem; aliarum *Regularum* pleræque eodem vitio laborant.

Quod dicit, Pontificem absolvere posse eos, qui ab aliis Judicibus excommunicati sunt; verum non est, nisi in casu Appellationis, quo excepto, juxtà vias ordinarias absolvere non potest in præjudicium aliorum, quibus absolutio Jure Communi reservatur.

Majorem lucem *Regulæ II.* tribuere poterat, meâ observatione Personarum, quæ possunt absolvere; nempè Episcopi, Officialis, seu Vicarii Generalis, Capituli vacationis tempore; omnis Judicis sive Ordinarii sive Delegati; omnis denique Presbyteri approbati, addendo, hunc non posse, nisi in foro interiori; cæteros autem in utroque foro posse absolvere, posito quòd jus habeant administrandi Sacramenti Pœnitentiæ.

Regula III. falsa est, quoad illum, qui committitur ab eo, qui jus absolvendi non habet, nisi delegatum.

Quarta Imperfecta est, nam extendi debebat ad omnes, qui Jurisdictionem, quâcumque viâ sive criminali, sive non criminali amittunt.

Quartæ quæstio de tempore Absolutionis, continetur in *Prima*, ubi dicitur, absolvi non debere sine causâ; indè enim sequitur, cognitionem causæ præviam esse Absolutioni, sive sine discussione acquiratur, v. gr. cùm nullitas manifesta est; sive discussionem requirat. Quod dictum est *ibid.* de Pœnitentiæ vel Satisfactionis necessitate ad Absolutionem, ostendit quoque, utramque huic esse præviam, aut saltem futuræ satisfactionis cautionem. Quoad injustitiam manifestam, quæ Censuram evidenter nullam facit, dubium non est, quin à petendâ Absolutione liberet, nisi fortè ab Absolutione *ad cautelam*, cui tunc inserenda est conditio, *in quantùm indiges*, & hæc est summa REG. I. II. & III.

Quarta falsa est; nam post mortem accipi potest Absolutio, cùm pœnitentiæ signa ante ipsam data sunt. *Quinta* indicat solùm Canones, qui loquuntur de die, quo dabatur Absolutio Solemnis, earum solemnitatum omissâ expositione.

REGULÆ SEX *Quæstionis V.* nihil aliud ferè continent, quàm indicationem Canonum, qui absolvendi modum spectant, ejusque appendicem, nempè 1. Jusjurandum, aut saltem meram promissionem obediendi Ecclesiæ. 2. Jusjurandum petendæ Absolutionis à Pontifice, quoties ab alio datur Absolutio casuum ipsi reservatorum. 3. Obligationem non absolvendi per gratiam. 4. Impositionem manuum in vestibulo Ecclesiæ; si non agatur de Clericis. 5. Cæteras solemnitates. 6. Eas, quæ Absolutioni Hæretici sunt peculiares.

QUÆSTIO VI. in quâ de Effectibus & Consequentiis Absolutionis disseritur, REGULIS VIII. exponitur, quarum *Quarta* & *Sexta* in *Prima* includuntur; nam, si Absolutio non restituat in statum priorem, nisi cùm valida est, & pœnitentia peracta est, oportet

eum,

eum, qui antè pœnitentiæ finem absolutus est, eam perficere, & eum qui ob falsam expositionem aut sine causâ absolutus est, pro Excommunicato haberi.

Si *Regulæ* 1. detur extensio necessaria, *Sex* priores *Exceptiones* sibi subjectas continebit: sic ergo concipienda erat: *Absolutio restituit in statum pristinum, si integra, libera, data cum causâ, & ex vera expositione, denique absoluta sit.* Quippe *Exceptio* 1. sumitur à Casu, quo Absolutio non est integra; 2. à Casu, quo est coacta; 3. à Casu, quo veritas dissimulata fuit; 4. à Casu, quo causâ justâ caret; 5. à Casu, quo datur sub conditione sistendi coram Superiore, cujus vice Absolutio datur. 6. à Casu, quo ante peractam pœnitentiam quis absolutus est.

Exceptio VII. sumpta ex eo quòd infamia post Absolutionem subsistat, infrà convertitur in *Regulam VIII.* à quâ excipitur casus, quo Absolutio datur per restitutionem in integrum.

OBSERVATIONES *in* CAP. XIV. *de* REMEDIIS ACCUSATIONI SUBSIDIARIIS.

Tria numerat Autor; scilicet 1. Notorietatem, quæ tribuit Judici jus procedendi ex officio, & locum habet cùm crimen ità notum est, ut nullâ tergiversatione celari possit: à *Regulâ* excipit casum, quo crimen publicâ tantùm famâ evulgatum est, & eum, quo defensioni locus est; sed Exceptionum nomen his casibus non convenit, qui Regulæ sunt genuinæ consecutiones, cùm in illis crimen non sit notorium. Quod addit, videtur æquius; scilicet, cùm de notorietate disceptari possit, oportere eam discuti, & de controversiâ statui: ut enim observat CANISIUS *de Accusat.* quamvis Homicidium coram universâ Plebe aut numerosâ patratum fuerit, fieri potest, ut non sit criminosum, aut minus sit, quàm videtur; quia fortè involuntarium est, propter necessitatem tuendæ vitæ suæ: ad Officium itaque Judicis pertinet, ut discutiat id, quod velut notorium proponitur.

Alia duo remedia subsidiaria sunt Inquisitio, cui fama prævia esse debet; & Denuntiatio, quæ necessaria non est, clamante famâ, quæ vicem Accusatoris gerit. Autor à Denuntiatione exorsus, observat, esse casus, in quibus inadmissibilis est, sive ratione Denuntiatoris, qui est vel infamis, aut excommunicatus, aut facinorosus, aut denunciati inimicus: sive ratione factorum eam præcedentium; qualis esset conspiratio Denuntiatorum in denuntiatum: sive ratione denuntiati. v. gr. cum bonâ famâ commendatus est, & irreprehensibilis habetur, singulis divisionis membris exempla subjicere debuisset, ut mox præstitimus. Cùm juxtà CANISIUM, triplex sit Denuntiatio, nempe *Civilis*, quæ fiebat per Officialem publicum ad hoc præpositum; *Canonica*, quâ Inferiores adversùs Superiores utuntur; *Evangelica*, quæ adhibetur in delictis occultis. Autor hac distinctione omissâ, incertos Lectores facit, de quâ Denuntiatione loquatur. Itaque à divisione Denuntiationis exordiri debuisset, quantacumque sit hujus connexio cum Inquisitione; ab eâ segregare debuisset id, quod dicit de denuntiante & denuntiato in *Quæstionibus* sequentibus circà Inquisitionem, quam dividere debuisset in *Generalem & Particularem*, ut distinguerentur ea, quæ unicuique particularia sunt: v. gr. Inquisitioni *Particulari* speciale est, ut fiat in Personas determinatas, famosas, & rumore publico criminis alicujus accusatas; ut iis communicentur capita, de quibus inquirendum est adversùs eas; ut Inquisitioni intersint; reprobetur testimonium omnium, qui iis suspecti sunt, ut inquiri fas sit adversùs eos, quoties agitur de scelebus atrocibus, de quibus inquirere licet ex sola confessione unius è sociis contrà alios, quos criminis conscios & participes asserit. Huic etiam Inquisitioni peculiare est, ut, licèt denuntiatus bonam famam habuerit, ad eam opponendam non nisi initio admittatur, neque etiam, si crimen confessus sit: ad eam quoque pertinet, ut contrà Prælatum denuntiatum inquiri non possit, nisi præter diffamationem scandalum aut scandali periculum sit. Hæ observationes partim ab Autore, partim à CANISIO desumptæ sunt. Quoad Inquisitionem *Generalem*, illa ad omne delicti genus extenditur. Judicis Officium est eam, prout expedire duxerit, facere; illa viam ad Particularem sternit.

Inter REGULAS QUÆSTIONIS V. *de modo inquirendi*, multa Testes respiciunt, & pertinent ad Tractatum *de Judiciis & probationem per Testes.* Plures quoque ex ipsis, *Regularum* nomine digna non sunt, sive quia ad Casus Particulares duntaxat pertinent; sive quia loca solùm indicant, in quibus Argumentum tractatur. His tribus remediis subsidiariis Accusationis, Autor subjicit Purgationem, quæ locum habet cùm accusatus, aut denuntiatus, contrà quem Inquisitio facta est, justâ oneratur suspicione criminis, cujus convinci nequit, aut vitii infamantis, quod probari non potest.

Regula hæc juxtà ipsum *Septem* patitur *Exceptiones*, quarum tamen plures sunt inutiles, quia excluduntur à Regulâ: tales sunt 1. ea, in quâ suspicio non est fundata; 2. quæ crimen notorium excipit, à Regulâ disertè excluſum; 3. *Quinta*, quæ excipit casum, quo deest Accusator; sufficit autem juxtà Regulam, ut sit Denuntiatio, aut Inquisitio. 4. *Sexta* sumpta ex defectu natalium, qui unum est ex vitiis diffamantibus in Regulâ comprehensis; 5. *Septima* nam Monialis accusari & denuntiari, fierique adversùs eam inquisitio potest probationibus convincentibus non repertis, & proindè subjacet Regulæ; 6. *Octava* sumpta ex eò quòd Persona ultrò purgationem non offert: nam purgatio necessaria est, ut docet REGULA I. *Quæstionis V.* Quod dicit in *Quarta* de Purgatione Vulgari, poscebat, ut initium sumeret à divisione Purgationis, in *Vulgarem* & *Canonicam*, atque observaret, primam ab Ecclesiâ Universali reprobatam semper fuisse, ut criminosam, ideòque nullam ipsius habendam esse rationem.

Quod dicit in *Tertia*, pendente lite, Purgationi non esse locum, disertè continetur in *Regulâ*, quia antè finem processûs, non apparet Reum non posse convinci, quamvis contrà eum probabiles existant suspiciones.

Ratio Exceptionis *Quartæ*, scilicet, si Reus jam purgatus fuerit; sumi potest ex eo, quod per hanc purgationem apparuit, illum ab illatâ culpâ immunem esse. Quod diximus modò de Purgatione, acceptum est ex QUÆST. I. quæ inscribitur *de Purgationis Causis.*

Quidquid dicitur in *Secunda* circà locum & Personam, coram quâ fieri debet, ad hæc duo redigitur; 1. fieri debet coram Judice delicti: 2. palàm, quia suspicio, quæ removeri debet, publica est.

Ad unicam Regulam reduci possunt REGULÆ IX. *Quæstionis III. de modo Purgationis faciendæ*; nempè ea fieri debet per Jusjurandum Rei, & quinque aut Septem Personarum fide dignarum, quæ jurant de credulitate; Reus autem de veritate. Autor distinguit purgationem per Sacram Communionem à purgatione vulgari, ad quam pertinet, quia Deum tentat, sicut cæteræ hujus generis; cùm Servus, ubi agitur de peccato, ejusdem sit conditionis ac liber, excipiendus non erat à prohibitione Purgationis vulgaris.

Ratio Regulæ unicæ *Quæstionis IV.* exponentis id, quod præcedere debet Purgationem, nempè suspensionem ab Officio & Beneficio, sumpta est ex diffamatione, quæ durat usque ad Purgationem, & eò justiorem suspensionem reddit, quòd suspectus Purgationem abnuens pro victo reputatur, *Regula I. Quæst. V.* agente de consequentiis Purgationis aut factæ, aut omissæ. Suspensio cessat per Purgationem, quæ

quæ restituit in statum pristinum. *Reg. III. ibid.* Cùm plures Personæ criminis ejusdem suspicione involvuntur, Purgatio ab uno facta aliorum nomine & consensu, eumdem effectum, quoad ipsos, parit.

Si suspectus monitus, ut suspicionis causas præcidat, id non præstiterit, iterùm suspendi debet juxtà *Regulam I. Quæst. II.* quæ agit de rebus purgationi affinibus. *Regula II. ibid.* nihil dicit, quod non contineatur in *Regula* I. Quæstionis; nam crimina notoria & ea, quæ probata sunt, excludunt à purgatione; cui locus non est, nisi cùm crimen probari nequit.

OBSERVATIONES *in* CAP. XV. *de* JUDICIIS PUBLICIS *speciatim sumptis.*

Per Judicia publica Autor hìc intelligit Crimina, quorum alia Capitalia sunt, alia non Capitalia. *Caput* hoc ad Crimina Capitalia pertinet, nempè Crimen Læsæ Majestatis, Vim publicam, Raptum Mulierum, Homicidium, Adulterium, sub quo Incestum, Stuprum & Sacrilegium complectitur; Falsum, Magiam.

Fusiùs de quatuor ultimis speciebus differit, quàm de cæteris: indicat Canones de iis loquentes: notat causas eorum, aut species, effectus, consecutiones, pœnas accusationis, quoad Judicem & Accusatorem. Argumentum in *Quæstiones* distribuitur, quæ solvuntur enumeratione casuum, cum Exceptionibus. Aliquandò distribuitur in Regulas, quæ nihil, præter casus singulares, continent, sine Exceptionibus.

LÆSÆ MAJESTATIS.

De Crimine Læsæ Majestatis agens, quinque causas accusationis hujus criminis enumerat, nempè conspirationem in Principem, aut in Rem-Publicam; facinus in Magistratum, vel ejus Officiales; rerum Christianis noxiarum suppeditationem Hostibus Fidei; Maledictionem in Papam; Contumeliam Principi aut Magistratui inustam: *Cap.* 1. *de Maledicis* loquitur solùm de casu, quo proferuntur verba Ecclesiæ Romanæ contumeliosa, nec dicit, hoc crimine lædi Majestatem; pœna, quâ crimen ejusmodi punitur, id non probat, quæ nihil aliud est, quàm mera suspensio ab Officio aut Beneficio. Porrò, Læsæ Majestatis crimen Depositionem & Excommunicationem meretur; perperàm igitur laudatur hoc *Caput* ad probandum, Maledictionem in Papam, Majestatem lædere. *Exceptio* gerulis in gratiam ejus, qui conspirationem & Conscios prodit, non est justa, hæc enim revelatio à pœna tantùm, non verò ab accusatione criminis liberat. QUÆSTIO II. agens de illis, qui crimine hoc postulari queunt, *Regulâ* 1. numerat filios eorum, qui convicti & damnati fuerunt; quod locum habet solùm ergà pœnam: & *Regulâ II.* eum, qui pro damnato obsecrat. *Quæst. III.* quoad pœnas hujus criminis, remittit ad Canones aut Leges *Quæstione I.* laudatas. *Quæstio IV.* indicat solùm Textus de Præmiis Delatoris loquentes.

VIS PUBLICA, AUT PRIVATA.

Quod dicit de causâ hujus Judicii, sub unicâ *Regulâ* collocari potest; nempè solum Magistratum vi & coactione uti posse, sive per se ipsum, sive per alios, atque adversùs eum solùm, in quem autoritatem habet. Nihil dicit QUÆST. II. quod alii cuilibet crimini non conveniat: scilicet, punitionem ipsius ad Judicem Loci pertinere. *Quæst. III.* loquens de pœnis hujus criminis, indicat Textus, qui illud Excommunicatione, aut pœnis sæcularibus afficiunt.

RAPTUS MULIERUM.

De causis hujus Judicii differitur in *Quæstione I.* cujus summa hæc est: is, qui rapit Mulierem, in quam nullum jus legitimum habet, eâque abutitur, Raptûs reus est, nisi Mulier consenserit; & is, qui ducit virginem Deo dicatam, pro Raptore habetur. *Causæ* earumque *Exceptiones* perspicuè aperiuntur, removenturque difficultates. Exceptio *tertia* communis est omni sceleri Capitali, cujus pœna vitatur, confugiendo ad Ecclesiam.

QUÆST. II. *Qui possint hujus criminis postulari?* est extensio Regulæ ad Socios sceleris. In Regulam unicam contrahi possunt tres Regulæ *Quæstionis III. de pœnis Raptûs*: nempè, Jus Canonicum hoc facinus Excommunicatione, aut Pœnitentiâ solùm; Jus verò Civile morte afficit.

REGULA I. QUÆST. IV. *de consequentiis Raptûs*, expositione indiget; puella enim rapta, & vim passa, Corporis Castitatem amittit, salvâ puritate animæ; itaque falsum est absolutè loquendo, Castitatem Raptæ non esse ablatam, & singuli Textus ab Autore laudati contrarium probant, quoad Corpus.

Secunda falsa est ex aliquo sensu, ut cernitur initio QUÆST. V. CAUS. III. nam Virgines in odium Christianæ Religionis vim, cui nullatenùs consenserint, passæ, meritò superant alias Virgines; duplicem coronam sperare debent: cùm autem S. LEO loco laudato dicit, eas aliis adæquare se non debere; id suadet, ad majorem humilitatem ipsis insinuandam, & eliciendum gemitum super tantâ jacturâ.

Tertia non est vera, nisi in Foro interiori, in quo Raptor injuriam puellæ, erepto ipsius honore inustam, resarcire tenetur; sed falsa est in Foro exteriori, cùm Leges eum inhabilem faciunt ad ducendam ejusmodi Mulierem, prohibentque ipsam ac Parentes ejus assensum ad tales nuptias præbere.

HOMICIDIUM.

Hìc proponuntur *Regulæ* & *Exceptiones* expositione indigentes, sine quâ falsæ aut periculosæ sunt. Agendo de causis hujus Judicii, pro Regulâ generali proponere debuisset, *Quemlibet extrà casus permissos occidentem, huic Judicio obnoxium esse*: tùm eos casus retulisset, qui sunt, 1. Casus inculpatæ tutelæ à Jure Naturali approbati. 2. Ii, in quibus autoritate publicâ fit occisio, v. gr. in Bello, & in administratione Justitiæ Criminalis.

Distinguendi erant Casus, in quibus Homicidium imputatur, quamvis patratum non fuerit; tales sunt. 1. Is, quo quis arma sumpsit & perexit in locum, ut occideret; 2. Casus Abortûs antè animationem Fœtûs procurati; 3. Potionis sterilitatem inducentis.

Distinguendi erant etiam ii, in quibus homicidium per imprudentiam, aut negligentiam culpabilem patratum fuit, quales sunt ii, qui vitari potuissent, si diligentia necessaria adhibita fuisset.

Denique, distinguendi erant casus, in quibus peccata quædam homicidio comparantur, sive quia ejus malitiam æquant, sive quia ipsi occasionem præbere possunt, sive quia præsumptionem pariunt, consensum ei præbitum fuisse, sive quia occiditur anima: tales sunt, inter alios, qui sequuntur. 1. In quo quis cùm à morte liberare aliquem potuisset absque suo periculo, non liberat. 2. In quo Fratrem quis odio habet, aut de illo detrahit, aut in quo malum alicui persuadet.

Harum Distinctionum Beneficio varii casus discernuntur, quorum alii sunt vera homicidia, aut flagitiosa, aut inculpata; alii malitiam ejus, aut similitudinem cum eo habent; alii homicidii imputationem patiuntur. Sic omnes Exceptiones comprehenduntur sub Regulis & exponuntur, ita, ut unusquisque Studiosorum Juris eas suo Marte facere, errorem-que vitare possit.

Autor deindè ad Exceptiones transiens, dicit, posteriores *Causas*, de quibus egit iis non determinatis, non habere locum, nisi in Foro interiori; ipsas tamen recensuerat inter justas accusationis Causas, quæ ad Forum exterius duntaxat pertinet.

Quod insinuat in Exceptione *Prima*, homicidium fortuitò patratum non esse justam accusationis causam, falsum est, cùm homicidium prævideri potuit ac debuit. v. gr. cùm Parentes pueros suos in cubili suo collocant, mortuosque eos reperiunt cum signis suffocationis; hoc enim in casu puniuntur ut Homicidæ, licèt mitiùs, quàm si eos consultò oppressissent; distinguere debuisset inter casum voluntarium & involuntarium.

Quod dicit in REGULA *Secunda*, eum, qui occidit aliquem, ad se aut alium tuendum non reputari homicidam, non est verum, nisi in casu. *Can. ult.* CAUS. XIII. QUÆST. II. quo scilicet opprimit latro vitam perindè ac bona aggressus, à cujus impetu se quis cum liberis, uxore ac Parentibus eripere non poterat. Casus hic jure excipitur, quia unicuique licet conservationi suæ, *Suorum*que invigilare, ut nominatim fert *Canon*; proximi autem Parentes eodem in periculo versantes, multò cariores sunt, quàm bona. Extrà hunc casum aut alium similem, si ad tuendum alium quis occiderit quempiam, is à crimine non vacaret, posito quòd cum alio lacessitus non fuisset; is enim non est legitimæ tutelæ casus, à culpâ immunis declaratus in Concilio Viennensi CLEMENTINA *de Homicidio*, quæ illud Homicidio per furiosum patrato exæquat.

Exceptio IV. falsa est; nulla enim est Lex Principum, quæ Excommunicatos occidere permittat.

Quinta & *Sexta* sunt pernicioſæ, quippè Angelus tenebrarum Angeli lucis speciem ementitus, Devotis inspirare potest, Dei interesse, ut quasdam personas occidant, earumque cædem in nomine Dei imperare. QUÆST. II. *De iis, qui homicidii postulari possunt*, reducitur ad *Primam*, quinam homicidæ dici debeant, aut sint. *Regulæ VII.* quibus solvitur atque exponitur, ad hanc rediguntur: accusari possunt quicumque in homicidium influunt. *Canones* hìc laudati Homicidas tantùm vocant eos, de quibus loquuntur, ideò quòd aliquatenùs cædis sint participes.

In QUÆSTIONE III. *De pœnis homicidii*, sub *Regulis VIII.* Autor casus variorum homicidii generum colligit, & pœnas, quibus singula afficiuntur, ita ut unaquæque *Regula* unicum homicidii genus spectet, exceptâ *Primâ*, quæ de homicidio generatim loquitur. Hos omnes casus in Regulam unicam contrahere potuisset, dicendo, variis pœnis affici homicidium, ratione habitâ circumstantiarum ipsius; id probant collectæ *Regulæ*.

QUÆST. IV. nihil continet præter Decisionem casûs Irregularitatis ex homicidio provenientis; scilicet, hac in re Clericus se reputare Irregularem debet, in dubio, an is, quem percussit, ex vulnere mortuus sit. Eximiam occasionem nactus erat exponendæ hujus speciei Irregularitatis ex homicidio nascentis, & quæ est una ex pœnis ipsius; de hoc tamen casu loquitur duntaxat, tanquàm adjuncto.

PLAGIUM.

Nihil aliud dicit Autor de *Plagio* nisi, Plagiarios morte affici; nec monet Plagiarium, eum esse, qui Personas liberas subripit.

ADULTERIUM & STUPRUM.

Sub his verbis, quæ certas duntaxat obscœnitatis species designant, Autor de cæteris disserit, Incestu, Fornicatione, Sodomiâ, Conjunctione qualibet extrà Matrimonium, amore dissoluto Uxoris propriæ. Ut ritè ordinarentur ea, quæ dicit in *Primâ* Quæstione, ubi agit de causis hujus Judicii, id est accusationis Adulterii aut Stupri, observare debuisset, crimina obscœnitatis, sub illis duobus, aut eorum nomine latissimè sumpto comprehendi posse: tùm dixisset, omnem Conjunctionem extrà legitimum Matrimonium illicitam esse; eam verò, quæ est contra naturam tam inter ipsos Conjugatos prohiberi, quàm inter cæteros; deindè gradatim species lustraviſſet à minùs gravibus ad graviores, loquendo 1. de Fornicatione; 2. de Stupro; 3. de Adulterio; 4. de Incestu; 5. de Peccatis contrà naturam, Sodomia, & Bestialitate. Mera fornicatio huic *Titulo* convenire non videtur; quia non est causa Judicii publici: idem est de amore perverso uxoris, de cohabitatione cum uxore Adulterâ, extrà casum publicum, undè nascitur suspicio, virum esse criminis conjugis suæ conscium.

Exceptio ultima *Causæ IX.* falsa est; nam maritus, qui aliam uxorem, dimissâ priore, ducit, est in casu Bigamiæ actualis.

Cùm ex Exceptionibus generalibus VIII. Causarum II. suprà relatarum, sola *Octava* vera sit, ut ipse fatetur, generatim statuere debuisset, ex omnibus Exceptionibus seu Excusationibus criminum obscœnitatis, quæ leguntur in Jure, quas retulerat, unicam esse legitimam, nempè ignorantiam facti, quâ maritus cum aliâ muliere sive conjugatâ, sive cognatâ, sive virgine, concumbit, bonâ fide, credens se cum verâ uxore cohabitare.

Quod dicit in *Regulâ I.* QUÆST. II. maritum Adulterii postulare non posse uxorem, si Adulterio sit ipse maculatus, exolevit. Idem est de eo, quod dicit in *Tertia*, solos Cognatos ad accusationem incestûs admitti.

In QUÆST. III. de pœnis, Autor loquitur de duabus aliis spurcitiæ speciebus: nempè Sacrilegio à Presbytero aut Moniali admisso, & Incesto Spirituali Sacerdotis cum filiâ spirituali sive per Baptismum, sive per Pœnitentiam susceptâ. Alteram speciem nomine peculiari carentem adjicit, nempè contubernium mulieris cum servis suis. 1. Trium Regularum QUÆST. IV. de adjunctis accusationis Adulterii, nihil huic Judicio peculiare continet: nam Juramentum Accusatoris in omnibus Causis Criminalibus requiritur.

Idem est de *Tertia*; nam Confessio unius è sociis coram ipsius Judice facta, probationis vim non habet adversùs alios, qui aliis Judicibus subjacent: aliud dicendum esset, si coram eodem Judice, atque eodem Judicio procederetur. Vid. GONZALEM. *Cap. V. de Adulteriis.*

FALSUM.

Autor agens de causis, ob quas criminis falsi quis accusari potest, incipit à genere, cujus Definitionem omittit, quod faciendum erat, dicendo post JUSTINIANUM, *Falsum* esse imitationem & corruptionem Veri: indè transit ad species, quarum generaliores sunt suppressio veritatis in casibus, in quibus ea exponi debet, & expressio rei veritatem lædentis. Hæ duæ Falsum tantùm continent, quod committitur aut verbo, aut scripto: Reliquæ species Falsi comprehenduntur sub falso facti consistentis in adulteratione Monetæ sive in Imagine, sive in pondere, sive in materiâ. 2. In adulteratione Mensurarum & Ponderum, 3. Mercium, miscendo malas cum bonis. 4. In subrogatione speciei minùs bonæ, speciei meliori, in Contractibus Venditionis aut Permutationis, 5. In corruptione Instrumentorum Publicorum. Alia est species criminis Falsi, consistens in usu falsi sive Instrumenti, sive Monetæ, sive Mercis, in præjudicium tertii. His speciebus adjicienda est suppositio Personarum.

Autor referens causas hujus accusationis, primam omittere debuisset, quæ reperitur in omnibus aliis, velut genus in speciebus: cùm dolus falsum criminale efficiat, de ipso loqui debuisset in prima causa, & ordine cæteras disponere neglexit; quo tamen nihil magis est necessarium in ejus Methodo. Plures affert, quæ affinitatem cum Falso habere non videntur, ideòque monere debuisset, hoc crimine se astringere eum, qui se, vel alios objicit periculo in illud cadendi, quales sunt ii, qui falsas Epistolas non lacerant, aut iis, ad quos pertinent, non restituunt; ii, qui Rescripta Pontificia accipiunt ab alio, quàm ab ipso, aut Ministris ejus; ii, qui pecuniam accipiunt ad accusandum aut deponendum, aut neutrum faciendum; Testes, qui alterutri Parti detegunt suam depositionem, quâ utraque abuti potest. Gestatio vestis virilis à muliere, inducit in errorem, perindè ac crimen falsi. Fortè hæc est ratio *Causarum* 3. 4. 7. 11. 12.

REGULÆ V.

REGULÆ V. QUÆST. II. circà pœnas Criminis Falsi indicant solùm Canones & Leges, de eo agentes, & reduci potuissent ad Regulam unicam, quæ complexa esset omnes Casus, qui sigillatim exponuntur in singulis. Quod dicitur in 1. Crimen falsi par esse homicidio, restringi debet ad Casum *Canonis* 81. CAUS. I. QUÆST. III. laudati ab Autore.

MAGIA.

Quod continetur in *Quæstione Prima* de Causis accusationis hujus Criminis, nihil aliud est, quàm congeries Casuum Argumento magis aut minùs affinium, & promiscuè, ac sine expositione relatorum. Sunt Casus XIX. in quibus omnia reducuntur ad Prædictionem aut Inquisitionem futuri; ad Procurationem boni aut mali per invocationem expressam aut tacitam Dæmonis, & ad varios modos, quibus hæc fiunt. Plerique Casus ad Divinationem pertinent; quales sunt 1. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 16. Qui eam exercent, variè vocantur: Divinus, Ariolus, Aruspex, Augur, Astrologus, Mathematicus, Genethliacus, Sortilegus, Necromanticus, Hydromanticus, Salitor; hæc vocabula exponuntur *Cap. I.* CAUS. XXVI. QUÆST. III. & à praxibus Paganorum derivantur. Ii, qui bonum aut malum, Dæmonis ope, procurant, vocantur Incantantores, Prestigiatores, Magi: de ipsis agitur Casibus 2. 3. 13. 15. Tres novissimi pertinent ad participationem Idolothytorum.

Et hæc sunt, quæ circà *Caput.* 15. de Criminibus, aut Judiciis publicis inscriptum, observanda duximus. Autor hoc Argumentum discutiendo, congruum neglexit ordinem, postulantem, ut à gravioribus Criminibus exorsus, ad leviora gradatim transiret: quippè Magia atrocior est Crimine Læsæ Majestatis, cùm illa Præcepta Primæ Tabulæ violet; hoc autem adversatur Præceptis Secundæ, inter quæ homicidium præcedit raptum Mulierum, de quo Autor differit priusquàm de homicidio.

OBSERVATIONES *in* CAP. XVI. *de* SIMONIA.

Quamvis Autor de Judiciis publicis speciatim consideratis dicturum se proposuerit, & consequenter locutus sit de Criminibus octo, quæ his Judiciis obnoxia sunt, insinuat in Præfatione hujus Capitis, Simoniam, Hæresim & Usuram, de quibus acturus est, ad hæc Judicia non pertinere; cùm enim dixisset, se Octo species Judiciorum publicorum exposuisse, adjicit supereſſe, ut loquatur de Simonia &c. nec dicit eas esse, reliquas Judiciorum publicorum Species, quorum expositionem suscepit, rerum hîc connexionis, & perspicuitatis in cohærentiâ Argumentorum defectus, levissimus est præ vitiis tam generalibus, quàm specialibus hujus Dispusationis de Simoniâ.

1. Hic novum occurrit exemplum, Autorem executum non esse, quod pollicitus erat; nempè se Operi suo inserturum quidquid in Jure Canonico reperit.

2. Nihil est generale hoc in Capite præter Definitionem Simoniæ, quamquàm integritate necessariâ careat, quippe Simonia extenditur ad res Temporales Spiritualibus annexas, de quibus tamen silet definitio.

3. Omissâ distributione Simoniæ in varias Species contentas sub Divisione ipsius in eam, quæ Jure Divino, & eam, quæ Jure Ecclesiastico prohibetur, & aliis indè nascentibus; scilicet, in eam, quæ prohibetur ideò quòd mala sit in se ipsâ, & eam quæ mala est tantùm, quia prohibita; in eam, quæ circà Sacramenta, eorumque Cærimonias, & eam, quæ circà Beneficia versatur; in eam, quæ pertinet ad Benedictiones, Consecrationesve Ecclesiarum, aliorumque Locorum Cultui Divino destinatorum; in eam, quæ ad Benedictiones Vestium, Ornamentorum, Vasorum Sacrorum, & eam, quæ ad Sepulturam, aliasve Preces publicas tam pro Mortuis, quàm pro Vivis offerendas pertinet; in eam, quæ Decimas, Primitias & Oblationes, & eam, quæ Visitationem, Dispensationem, aliasve Gratias spectat; in eam, quæ circà Jurisdictionem Contentiosam, & eam, quæ circà Voluntariam Jurisdictionem versatur: in eam, quæ verè est Simonia, & eam, quæ nihil nisi speciem ejus ac nomen habet; in Simoniam Realem, Simoniam merè Consentionalem, & Simoniam partim Realem, partim Consentionalem: neglectis, inquam, his Divisionibus, per quas exponuntur Causæ, quibus Simoniæ accusatio innititur, transit ad eas Causas, quibus plures annumerat, quæ ad illas non pertinent, ut patebit, ubi de vitiis specialibus dicemus.

4. Relatis duntaxat CAUSIS XX. accusationis Simoniæ, quamvis tot sint, quot Casus Simoniæ, quorum numerus amplissimus est, subjicit Exceptiones XXXII. quarum pleræque, Autore ipso fatente, falsæ sunt, hæ autem ad illas Causas pertinent. Hæc vitia diligenter evitata sunt in REGULIS nostris *circà Simoniam.*

Vitia Singularia sunt in CAUSIS VII. VIII. X. XVI. XIX. quæ Casus exhibent minimè Simoniacos: pecuniam à Discipulis exigere; Bona Ecclesiastica in suos usus convertere; debita sua gratuitò non solvere; emere Ecclesiam, si hoc verbo intelligatur, Locus, seu ædificium, in quo ad Officium Divinum celebrandum convenitur, converti ob quæstum, accipere propter commodum privatum Administrationem Ecclesiæ.

Causæ IX. XI. & XV. continent Casus Acceptionis Personarum. In iis dicitur de Collatione Ordinum per gratiam; de eâ, quæ fit quoque per gratiam Personis Indignis; de Reconciliatione Hominis, qui non est verè pœnitens, qui quidem Casus nullatenùs Simoniaci sunt, aut si Casus ejusmodi Simoniaci sint, interpretativè tantùm sunt, id est, cùm sic concilietur favor, atque eliciantur Officia Personarum, quibus aut quarum respectu, aliis indulgetur; spes hæc pecuniæ numeratæ æquivalet.

Tres Replicationes & duæ Duplicationes, quæ ad exponendam *Exceptionem I.* subjiciuntur, saltem inutiles sunt, & sufficiebat dicere, quòd si pecunia ad Ordinationem aut Electionem *Titii* data, ipso inscio, in alterutram influxerit, eâ, uti non possit absque dispensatione; sed possit, si pecunia non influxerit, ut accidit, cum pecunia datur ab aliquo inimico, ad vitiandam Ordinationem, aut Electionem, quam futuram prævidet.

Exceptio II. continet Casum Simoniæ ex parte Personæ pecuniam ad Ordinationem numerantis, & ex parte accipientis; solus Ordinator ob suam ignorantiam ab eâ immunis est.

Exceptiones IV. V. VI. VIII. usque ad XVI. XVIII. ad XXI. XXIV. XXV. XXIX. ad XXXII. reprobantur ab Autore, & proindè veros Casus Simoniæ continent. Quod dicit in *Quæstione II.* quemlibet ad Simoniæ accusationem admitti, etiam Mulierem, non est in usu, ex quo accusatio publico Actori reservata est.

Quæstio III. deciditur per *Primam;* quippè omnes Simoniaci Simoniæ accusari possunt. Porrò omnes, qui impingunt in Casus in Causis atque Exceptionibus memoratos, sunt Simoniaci, sivè tanquàm Autores Simoniæ, aut quatenùs ejus Participes: itaque *Regulæ VIII.* vel continentur in Casibus *Quæstionis I.* vel novos adjiciunt: pleræque indicant solùm Canones de Argumento loquentes, & Casus particulares spectant.

Regulæ VIII. Quæst. IV. ad unicam reduci possunt, dicendo scilicet, alias non esse pœnas in Corpore Juris adversùs Simoniam latas, quàm sequentes, Depositionem, Excommunicationem, Restitutionem simpli, vel dupli; cùm præter has, aliæ sint pœnæ, enumeratio Autoris est imperfecta, sicut pleræque ejus Collectiones in aliis rebus, ita, ut ejus *Regulæ* nomen hoc non mereantur, ob defectum generalitatis in Regulis requisitæ.

Regula I. Quæst. V. de adjunctis, pertinet ad *Quartam* estque Suspensio administrationis Rerum Divinarum, quæ aliquandò ab Excommunicatione eumdem effectum pariente separatur.

Regula II. Quæ fert Mediatorem posse testimonium dicere

dicere in accusatione Criminis, cujus particeps est, ad cæteros conscios quoslibet extenditur.

Regula I. Quæst. VI. de Consecutionibus Judicii Simoniæ, pertinet etiam ad *Quæstionem IV.* nam infamia una est è pœnis Simoniæ, omissa in *Quæst. IV.* Idem est de *Tertia*, quæ loquitur de Restitutione pecuniæ acceptæ, ejusque applicatione ad Ecclesiam; nam pœnis annumeratur. *Secunda* pertinet ad effectus Simoniæ. In hac dicitur, Ordinationem à Simoniaco factam, quamvis ipsa Simonica non sit, nocere ei, qui Ordines accipit. *Quarta* indicat Textus agentes de Præmiis, quæ Simoniacorum Delatoribus debentur.

Agens de Remediis Subsidiariis accusationi Simoniæ, omittit Denunciationem, quæ in eâ locum habet, perindè atque Correptio secreta, Inquisitio & Purgatio, quas commemorat.

OBSERVATIONES *in* CAPUT XVII. *de* HÆRESI *generatim consideratâ.*

Autor principiò Criminis hujus accusationem purgat, refellendo objectionem, qua dicitur, *Malos ad bonum cogendos non esse*, multosque Textus CAUS. XXIII. QUÆST. IV. & V. contrarium probantes laudat. Hanc objectionem neglexit, cùm de reliquorum Criminum accusatione ageret, hujus discriminis rationem afferre debuisset.

Tùm dicit, accusationem hanc esse privilegiatam. Addere debuisset, cur putavit sufficere laudationem Textûs id probantis.

QUÆSTIO III.

QUÆST. III. de Causis hujus Judicii, in fronte collocat Hæresim, de quâ nemo unquàm generatim postulatur, sed tantùm de aliquo errore verbo generali *Hæreseos* designato. Quoad hujus Definitionem, remittit ad plures Textus, quos laudat; satius fuisset de iis deduci Definitionem, quæ conditionibus omnibus accuratæ Definitionis satisfaceret; & deindè referri aliquot è Casibus in Jure commemoratis, quibus illa conveniret: sic cognovisset plures ex iis, quos colligit, ad Hæresim non pertinere: tales sunt, v. gr. quotquot Apostasiam spectant, CAUS. II. XVIII. XIX. tales etiam ii, qui pertinent ad Schisma, CAUS. X. & XI. talis est etiam Casus Simoniæ CAUS. XVII. talis ille, quo Episcopus Hæreticum hæredem instituit, CAUS. XXI. Indè enim inferri potest solùm imprudens benevolentia in Hæreticum, si aliundè appareat Episcopum Doctrinâ, Moribusque esse Catholicum.

CAUSA VIII. falsa est, Hæreticum quippè non est arbitrari, VIRGINEM MARIAM in Peccato Originali conceptam fuisse; nulla est enim Definitio infallibilis, quæ contrarium statuat; imò impossibile videtur ejusmodi Definitionem fieri, cùm nullum ejus sit fundamentum sufficiens in Scripturis neque in Traditione.

CAUSA XX. expositione indiget; nam *Cap. 5. de Hæret.* sumptum à Concilio Africano, non dicit, Episcopum, qui Hæreticum hæredem instituit, esse Hæreticum, sed tantùm eum excommunicari debere, Nomenque ipsius inter Dei Sacerdotes non esse recitandum. Circà *Exceptionem* I. observandum est, mortem non extinguere crimen Hæreseos, & proindè, eum, qui moritur in Hæresi, Hæreticorum pœnis affici, nisi priusquàm moreretur, signa pœnitentiæ dederit, & casus improvisus eum absolutione privaverit. *Exceptio* II. docet, Hæreticum relapsum (qualis est is, qui post pœnitentiam in Hæresim relabitur) puniri tanquàm si in Hæresi decessisset, & quamvis Sacramenta antè mortem acceperit, privari omnibus Bonis Spiritualibus, quibus privantur in Hæresi morientes. Hic rigor non obtinet extrà Regiones INQUISITIONI subditas.

QUÆSTIO IV.

QUÆSTIO IV. continetur in *Tertia*: quotquot enim ceciderint in unum è Casibus, de quibus loquitur, Hæretici reputantur, & consequenter, Hæreseos accusari possunt: itaque, generatim, circà hanc Quæstionem, dicendum, accusationem Hæreseos habere locum adversùs omnes, qui Hæresi participant; tales sunt præcipuè ii, de quibus loquuntur *Quinque* REGULÆ Quæstionis. Accusatio hæc non viget in Locis, ubi Hæresis toleratur.

QUÆSTIO V.

Hic de Inquisitione & Accusatione promiscuè agitur, & quæritur, ad quem pertinent, & coràm quo fieri hæc debeat. Id insinuare videtur, Inquisitionem ad alium pertinere, quàm ad Judicem Inquisitionis; unus tamen atque idem Judex est, ut probant Regulæ *Tres*, quæ docent, Judicem Ecclesiasticum esse Judicem Inquisitionis; Judicium hoc, pertinere ad Episcopum modo Quadraginta annos excesserit; nullam esse hoc in Capite exemptionem; Inquisitores à Pontifice deputatos jus habere Episcopo assistendi, modò annos XL. compleverint; si Ordinarius hæreseos suspectus sit, notionem ad Pontificem reservari.

QUÆSTIO VI.

In *Regula* I. QUÆSTIONIS VI. *de pœnis Hæreseos*, dicitur, Schisma severiùs quàm Hæresim puniri, laudaturque, ad id probandum, *Can. 21.* CAUS. XXIV. QUÆST. I. S. AUGUSTINUS idem disertè dicit, atque ostendit exemplis è Scripturâ Sacrâ desumptis, nempè ab EXODI *Cap.* XXII. ubi adoratio Vituli aurei, quæ, ratione habitâ Beneficiorum ingentium ab Israële acceptorum & expectatorum, atrocissima erat Idololatria, punitur solùm ut peccatum grave; à JEREMIA *Cap.* XXVI. ubi combustio Libri Prophetiarum *Jeremiæ*, punitur bello & longâ captivitate; & à *Cap.* XVI. NUMER. ubi Schisma CORE, DATAN & ABIRON, contrà MOYSEM, ità punitur, 1. Absorpti sunt tres Rebelles. 2. Tùm consumptione per ignem cæleste, omnes qui eis adhæserant.

Regula II. attentione digna est, in eo, quòd dicit, Hæresim duriùs in Religiosis, quàm in Laïcis prohiberi: sumpta est è *Cap. 8. de Hæret. in 6. §. ult.*

Eamdem attentionem meretur *Reg.* III. ferens, Hæreticos morte afficiendos non esse. Per illam exponenda est *Septima*, dicens, Hæreticos Excommunicatos tradi Judici Sæculari, prout ipsi libuerit, puniendos. *Octava Regulam* utramque confirmat, aliam non statuens pœnam in Hæreticos pertinaces, quàm carcerem perpetuum.

Regula IV. & V. conveniunt in eo, quòd ferant, Relapsum per abjurationem, graviùs puniendum esse, quàm Hæreticum, qui nunquàm abjuravit. Juxtà *Quartam* is, qui abjuravit, ob levem contrà se præsumptionem, non est Relapsus: talis censetur is, qui ad Hæresim rediit, factâ ob gravem præsumptionem vel convictionem abjuratione: *Quinta* de Relapso post hanc ultimam abjurationem loquens, inter Relapsos numerat eos, qui, postquàm sic abjuraverint, cum Hæreticis communicant.

QUÆSTIO VII.

Autor loquens in hac *Quæstione* de Solemnitatibus, sive procedendi formâ in Judiciis contrà Hæreticos, & de aliis rebus adjunctis, eas eligere debuisset, quæ ipsis sunt Peculiares; (hoc præstitum fuit in expositione DECALOGI per Textus Juris). Saltem monere debuisset, quid huic Judicio sit peculiare, idque à rebus, cum aliis Judiciis Communibus, segregare.

Multæ præterea *Regulæ* indicant solùm Textus, in quibus de argumento agitur.

Huic Judicio speciale non est, ut Reus in carcerem mittatur, custodiatur, Ministri jusjurandum præstent, Contumax pro victo habeatur, Testimonium Excommunicatorum & Conscorum admittatur, nihil per studium gerant Judices, creditâ sibi potestate non abutantur, de rebus tantùm sibi competentibus satagant, Judex Sæcularis Ecclesiasticum Judicem adjuvet: hæc tamen magnam partem Regularum implent.

Regula III. continet *Quintam*; nam depositiones Testium, quas hæc revelari vetat, sunt pars Processûs,

quem

quem *Tertia* communicare prohibet. Omisit in *Quinta* restrictionem magni momenti; nempè si periculosum sit.

QUÆSTIO VIII.

Inter Regulas circà consecutiones hujus Judicii, multæ pertinent ad *Sextam*: tales sunt eæ, quæ circà pœnas versantur; porrò, major ipsorum pars reducitur ad pœnas proscriptionis Bonorum aut Excommunicationis; hæc tamen *Quæstio* non est inutilis, cùm alterius defectum suppleat.

REGULA VII. & XX. quæ dicunt Sacrificia oblata, & Sacramenta administrata ab Hæreticis, esse nulla, expositione indigent. *Reg. I.* includitur in ultimâ *Quæstionis VII.* nam executio Judiciorum contrà Hæreticos, unum est ex auxiliis, quibus Magistratus Ecclesiasticum Judicem juvare debent quoad Hæreticos.

Juxtà *Regul. XX.* Hæreticorum conditio pejor est, quàm Excommunicatorum; quibus appellatio conceditur; iis enim sua defensio permittitur. Appellatio autem est defensionis species.

REG. III. IV. & V. pertinent ad proscriptionem Bonorum, quæ solâ Principis autoritate decerni potest; idem est de privatione Paternæ Potestatis, de quâ loquitur REG. XXII. REGULÆ VII. X. XII. XIV. XVII. XX. pertinent ad Excommunicationem, quæ privat juribus, à quibus illæ Hæreticos excludunt. Sexta, quæ statuit pœnas in *Inquisitores* ab officio recedentes, una est ex iis, quæ versantur circà adjuncta Judicii in Hæreticos. Idem est de XXI. loquente de Privilegio Cruciatorum contrà Hæresim.

REG. XI. quæ vim in Hæreticos adhiberi prohibet, iisque sua bona adimi sine causa, valdè adversatur ei, quàm retulimus, agendo de Excommunicatione; quâ occisio Hæreticorum permittitur. Textus hìc laudatus observationem nostram in *Regulas III. IV. & V.* confirmat, nempè in eo, quod Hæreticorum punitionem temporalem spectat in eorum Persona, Bonis, & juribus, Legibus Civilibus inhærendum esse.

REG. XVI. sumpta è *Capite 4. de Hæreticis*, ferens, Libros ejus, qui damnatus est, unâ cum eo damnatos esse, restringi debet ad Libros, in quibus agitur de Argumento, circà quod erravit; hæc enim damnatio cadit solùm in Errores, propter quos damnatus est; alii Libri forsitan boni sunt, & ad eos Damnationem extendi iniquum est, quæ, cùm sit odiosa, ab uno Casu ad alium extendi non debet.

QUÆST. IX.

Agens de remediis subsidiariis accusationi Hæreseos, unum tantùm affert huic Judicio peculiare, scilicet *Primum*, seu Visitationem annuam ad inquisitionem contrà hoc Crimen: aliud, quod est Purgatio contrà Personas suspectas, Crimini cuilibet commune est.

OBSERVATIONES *in* CAP. XVIII. *de* HÆRESI *speciatim sumptâ.*

Sub verbo *Hæreseos* Autor complectitur *Judaïsmum, Mahumetismum, Apostasiam, Hypocrisim*, perindè ac Hæresim. Quamvis in Corpore Juris nominatim commemoretur magnus Hæreticorum numerus, *Manichæorum* tantùm & *Beguardorum* mentionem facit Autor, ob rationes, quæ difficilè divinari possunt. Quod dicit de Hypocritis QUÆST. VI. tres specialiter Schismaticos ibi nominatos spectat. Itaque Schismaticos cùm Hypocritis confundit; vel sub eodem vocabulo comprehendit. Inter *Manichæos* & *Beguardos*, APOSTATAS locat. Hæ Generales Observationes in hoc Caput, crebram observationem confirmant: nempè Autorem distinctam Argumentorum, de quibus disseruit, ideam non habuisse. Ex Observationibus, quæ fient in singulas *Quæstiones* & *Regulas* subjectas, percipietur, eum perindè fuisse rudem Methodi distribuendi in Regulas Juris Canonici; major quippè fructus ejus Methodi est, complecti sub Regulis quascumque res, quibus applicari possunt.

QUÆST. I. *de* JUDÆIS & SARACENIS.

Prima Regulâ circà prohibitionem Matrimonii inter Christianos, & Judæos, locum habet in Mahumetanis, in Paganis, in Hæreticis, in Apostatis. Idem est de *Sexta*, quæ committi Judæis Officia publica vetat, & quidem Paganis applicatur in QUÆST. II. REG. III. *Secunda* Judæis inhibens, ne Christianos, sive facto, sive verbo contemnant, extenditur ad Mahumetanos, Paganos, Apostatas, quibus in Provinciis Christianis habitare conceditur. Quod dicitur in REG. III. Judæos & Saracenos prohibendos non esse, quominùs Cœrimonias suas peragant, Festaque celebrent in Locis, ubi ipsis habitare licet seorsim, aut promiscuè cum Christianis, extenditur ad Hæreticos, quoad Provincias, in quibus Hæresis toleratur: quoad Saracenos observanda est restrictio, quam CLEMENT. *de Judæis* apponit, vetando, ne ipsis invocatio publica Mahumetis permittatur, nihilò magis quàm Processiones ad Loca, in quibus aliquis eorum, quem *Sanctum* nuncupaverint, sepultus est. In *Quarta* duæ res interdicuntur ergà Judæos; 1. Vis in ipsos. 2. Coactio ad suscipiendam Religionem CHRISTI. Utraque Definitio locum habet ergà Mahumetistas & Paganos, ubi cùm Christianis habitant. Idem est de subjectis exceptionibus, 1. De Casu, quo Fidem amplexi fuerint. 2. De Casu, quo vim Christianis intulerint. In *Septima* Judæis interdicitur Constructio novarum Synagogarum, & permittitur collapsarum Reædificatio; utrumque applicari potest Mahumetanis, Paganis & Hæreticis, ubicumque ipsis inter Christianos habitare licet.

Nona, quæ prohibet, ne Bonis suis spolientur Judæi, qui Baptismum acceperint, habet locum in cæteris Infidelibus prædictis. Perindè est de REG. *X. & XI.* quæ vetant Judæis Servos Christianos habere, famulisve Christianis uti. Dicendum est de Servis Mahumetanorum aut Paganorum, quod dicitur REG. XII. de Servis Judæorum, ipsos per Baptismum liberos fieri.

REG. XV. Judæorum prædia Decimarum præstationi subjiciens, locum habet ergà Bona cæterorum Infidelium inter Christianos commorantium. Præceptum *Regulæ XVII.* circà separationem Liberorum Judæorum à Parentibus, extendi potest ad Liberos aliorum Infidelium Christianam Religionem non colentium.

QUÆSTIO II. *de* PAGANIS.

REGULÆ I. &. II. ferentes, eos, qui Judæis prædicant, uti posse alimentis sibi ab illis oblatis, Virisque ad id Munus idoneis concedendam esse prædicandi licentiam, ad reliquos Infideles applicanda est.

QUÆSTIONES III. IV. V. *de* MANICHÆIS, APOSTATIS & BEGUARDIS.

Nihil hic attentione dignum est, nisi BEGUINAS non comprehendi in Damnatione *Beguardorum.*

OBSERVATIONES *in* CAPUT XIX. *de* USURA.

Autor in *Quæstione I.* loquens de rationibus accusationis hujus criminis, duas refert, quarum *Secunda* falsa est; scilicet, omne commercium aut negotium est illicitum, omnis negotiatio prohibita est.

Indè transiens ad *Secundam*, in quâ discutit causas, quo verbo intelligit peccata, quæ hujus accusationis Materia sunt, Usuram inter causas numerat, quod tam absurdum videtur, quàm si dixisset, Usuram esse primam causam accusationis Usuræ: tùm ipsam definit, dicendo, eam consistere in aliqua re ultrà sortem principalem.

Secunda est, si aliquid ultrà sortem exigatur, quod mera repetitio est.

Tertia Causa est, si is, qui mutuò dedit sine stipulatione fœnoris, reddere nolit parabolam Juramenti, nisi qui mutuò accepit, sibi præter pecuniam mutuò datam, aliquod emolumentum præstet. Verba hæc, *Parabolam* &c. expositione

indigent, & significant Chirographum juramento confirmatum.

Aliæ causæ pertinent ad Usuram dissimulatam, vel interpretativam: scilicet 1. Contractus Emptionis & Venditionis, in quibus augetur pretium ob dilatam solutionem, aut minuitur ob anticipatam: præsumitur his vocabulis fieri Mutuum, cujus lucrum Usuræ vicem gerit; Exceptiones sunt lucrum cessans. 2. Contractus Antichreticus, quo prædium oppigneratur, cujus fructus, emolumenti ob hunc fundum dati locum tenent; Exceptiones sunt damnum emergens. Exceptiones generales harum causarum falsæ sunt, Exceptâ *Octavâ* sumptâ ex constitutione Censûs annui. *Tertia* & *Quarta* non versantur præcisè circà Usuram, sed circà Restitutionem. Et quidem Autor omnes respuit præter *Tertiam* & *Octavam*, quas exponit, & *Quartam* circà Mutuum inimico factum, aut alii cuicumque, quem occidere licet, quæ locum habuit tantùm in Lege Mosaïca; & *Quintam* sumptam è casu, quo mutuatur Usurarius, quæ reprobanda est: & *Octavam*, quæ sola accurata est. Loquens in QUÆST. III. de iis, quos accusatio hæc involvit, hæredes solos commemorat, à quibus tamen sola restitutio exigi potest: accusationis autem finis præcipuus est vindicta seu pœna.

QUÆSTIO IV. DE POENIS USURÆ.

Autor *Primò* pœnas aut refert, aut indicat in REGULIS X. quas circà hoc proponit. Continuâ serie tradit omnes, quæ omnibus Usurariis sunt communes; nempè 1. Restitutionem, quæ accuratè loquendo, non est pœna, sed reparatio damni: 2. Excommunicationem, quam restringit ad Casum, quo Usurarius non restituit: generalis tamen est ergà Usurarios manifestos: sed hæc minor est duntaxat; illa verò major, distinctionem hanc observare Autor debuerat 3. Denegatio Sacramenti Pœnitentiæ; 4. Interdictum Sepulturæ: hæ pœnæ manifestum duntaxat Usurarium restituere recusantem respiciunt; 5. Pœnæ latæ in Rapinam, cui Usura comparatur. Cæteræ pertinent aut ad Clericum Usurarium, adversùs quem sancitur Depositio (*cap. 7. de Usur.* eum duntaxat ab Officio suspendit & Beneficio) aut Judæum Usurarium, qui communione Civili inter Christianos privatur: aut eos, qui Statuta condunt, aut servant, Usuræ faventia, qui excommunicantur; aut eos, qui dicunt, Usuram non esse peccatum, qui Hæretici reputantur: aut eos, qui domum locant Extraneis Usuram exercentibus.

Unum est Verbum circà QUÆST. V. *De adjunctis hujus Judicii*, scilicet, obligatio edendi Libros Rationum, quæ locum habet in pluribus aliis judiciis; nempè iis, in quibus reddendæ sunt rationes. Idem est de QUÆST. VI. *De consequentiis hujus Judicii*; nempè exclusione appellationis quoad condemnatum, privatione juris testandi.

Perindè est de QUÆST. VII. *Circà remedia Subsidiaria accusationi hujus criminis, Primum* est, ut Magistratus ex Officio & sine accusatione persequatur Usurarios, 2. Usurarius, qui non restituit, uti nequeat Pontificio Rescripto, ad repetitionem usurarum, quas alii Fœneratori solverit.

LIBER II. Methodi VIGELIANÆ Juris Canonici DE JUDICIIS PRIVATIS *inscriptus*.

OBSERVATIONES *in Divisionem hujus Libri.*

Priusquàm de *Libri* hujus Divisione loquar, observandum est, tantam esse ipsius cum *Primo* connexionem, ut, quæ hic dicuntur, Prioris doctrinam illustrent, ejusque defectus suppleant, & vicissim hic ab illo eadem ferè præsidia mutuetur. Argumentum utriusque unius ejusdemque generis est; ambo sunt species generales Judiciorum, quorum alia Criminalia sunt, alia Civilia. Reperitur hîc enumeratio solemnitatum, seu rationum procedendi in Priore omissa; item reperiuntur principia in Priore suppositа. Quamvis Judicia publica sint majoris momenti, quia Criminum coërcitio bonum publicum immediatè respicit, & quietem publicam procurat sceleribus turbatam, Judicia privata in eo illis præpollent, quòd, cùm magis crebra sint, eorum commodum aliquatenùs majus est; imò, cùm lites inimicitias pariant, quæ sæpè Criminibus occasionem aperiunt, Judicia Civilia obviam eunt sceleribus, ad quæ coërcenda, cætera Judicia instituta sunt. Junctis ambobus Libris exurgit Summa Tractatûs perfecti de Judiciis tam generatim, quàm figillatim consideratis, Criminalibus & Civilibus, Ecclesiasticis & Sæcularibus; secùs est de Methodo, sive modo tractandi singula Materiæ capita. Iisdem ferè vitiis turget LIBER *Secundus*, quæ observata fuêre in Primo. Regulæ, ut plurimùm, minorem legitimâ extensionem habent: eædem nimis multiplicantur: in Exceptionibus ponitur id, quod ad Regulas integritati debitæ restitutas pertinet: multæ quoque sunt inutiles, quia, quod in eis quæritur, aut in præcedentibus, aut in subsequentibus enucleatur. Probabitur hoc in Observationibus in unumquodque Caput, Quæstiones ejus, Regulas atque Exceptiones. Aliter sentiendum est de ordine, qui justus, ac naturalis videtur: quidquid enim ad Judicia pertinet, reducitur:

1. Ad Personas, quæ in eis concurrunt; nempè, Judicem, Assessores, Postulantes seu Advocatos, Procuratores, Defensores, Actorem, Reum.

2. Ad Res, de quibus inter Partes disceptatur.

3. Ad Actus Judiciarios; nempè Citationem, seu Assignationem; Libelli oblationem, seu Petitionem; Concessionem dilationum; Exceptiones, Cautiones; Contestationem Causæ; Juramentum Calumniæ; Probationes; Discussionem aut Cognitionem ipsarum; Delationem ad Superiorem, ubi difficultates exoriuntur ad eum consulendum impellentes; Sententiam.

4. Ad consequentias Judiciorum; scilicet, Appellationem; rem judicatam; Actionem judicati; Exceptionem; Executionem Sententiæ; Missionem in Possessionem; Publicationem bonorum debitoris; solutionem impensarum litis; Exceptionem, unumquemque Legi parere, quam aliis imponit.

5. Ad Remedia subsidiaria Judiciorum; nempè, Compromissa, & Transactiones.

Porrò, hæc omnia eodem ordine continentur sub Autoris Divisione.

Inter Quæstiones particulares in singula Capita hujus Libri, tres, ut plurimùm, absunt, quæ in superiore agitantur; scilicet, variæ Causæ diversorum Judiciorum, de quibus in illo agitur, Pœnæ, & adjuncta. Verbum hoc, *Judicium*, hìc sumitur in propria significatione, non verò in sensu, quem obtinebat in superiore, nempè, pro Crimine.

OBSERVATIONES *in* CAP I. GENERALEM DESCRIPTIONEM JUDICIORUM *continens.*

Quod dicit in QUÆST. I. de fine Judiciorum, nempè, illa instituta esse ad compescendos Malos, & procurandam pacem publicam, Judiciis Civilibus hîc exponendis non convenit.

Secùs est de REGULIS *Quæstionis II.* circà Locum, in quo Judiciis vacandum est, quæ utrique Judiciorum speciei conveniunt: scilicet.

1. In Civitatibus & Locis frequentibus; modò sint intrà Diœcesim Episcopi, aut Superioris in casu appellationis, nisi fortè consuetudo contrarium induxerit, vel Episcopus à Sede suâ pulsus fuerit.

2. In loco commissionis ergà Judicem Delegatum.

3. Extrà Ecclesias & Cæmeteria, à quibus, ob rationem specialem, excluduntur Judicia Criminalia, nempè, ob effusionem Humani Sanguinis, à quâ abhorret Ecclesia. REGULÆ V. Autoris ad tres memoratas reducuntur.

QUÆSTIO III. *circà* TEMPUS IN QUO JUDICIIS VACANDUM EST.

Regula, Exceptio, Replicatio, Duplicatio hic ab Autore adhibitæ, ad hæc pauca contrahuntur. Judiciis non est vacandum tempore ad honorem Divinum, aut Sanctorum Cultum consecrato, nisi contrarium suadeat necessitas, neque in Feriis ad Homines recreandos institutis, nisi Partes hoc commodum abnuant: hoc autem in Judiciis Criminalibus habet locum.

QUÆST. IV. *circà* DURATIONEM JUDIDIORUM.

Juris Civilis Dispositio trienne spatium præscribebat: Jus vetus absolvi litem quàm brevissimo tempore præcipiebat: Ecclesiastica negotia confici jubet Concilium *Tridentinum* infrà biennium, *Cap. XX. Sess. XXIV. de Reform.* Alioquin recursum ad Judicem Superiorem, tanquàm ob denegatam justitiam permittebat. Autor id non observat. REG. III. QUÆST. V. *de Judiciorum adjunctis*, hodie non obtinet, ut probat Canon laudatus, in Secunda, qui jubet, ut actus Judicarii Scriptis mandentur.

Doctrina hujus Capitis in Judicio per Delegationem celebrato, locum habet, perindè atque in cæteris: hoc insinuat Autor, QUÆST. II. Judicem Delegatum complectendo.

OBSERVATIONES *in* CAP. II. *de* JUDICE QUÆST. II. *de dando Judice, & Foro Competenti.*

De multis promiscuè rebus Autor differit, quæ figillatim exponendæ fuerant, quarum ut detur notio perspicua & accurata, sic illæ distinguendæ sunt. 1. Institutio Judicis, sive Ordinarii sive Delegati. 2. Forum Competens. 3. Judex Suspectus. Hæc autem insignibus differentiis donantur, quæ perspicuè enucleari nequeunt, nisi singulæ seorsùm discutiantur; nam v. gr. ratio, propter quam Judex suspectus sit, eum non efficit incompetentem: quod sufficit, ut Judex incompetens fiat, eum non reddit inhabilem ad Judicis officium: Suspicio non objicitur, nisi Judici competenti: incompetentia non habet locum nisi in eo, qui Judex esse potest, & est reipsà; & de viro judicandi incapaci dici nequit, eum esse incompetentem, aut suspectum: ad rectum proindè ordinem pertinet, ut distinguantur vitia, quæ incapacitatem pariunt; à defectibus, qui incompetentem efficiunt: Hique ab iis, quæ suspicionem duntaxat inducunt. Sic Autor vitavisset istas Replicationes & Duplicationes, quæ confusionem generant, pauciscque Exceptionibus circà singula Capita indiguisset.

Inter vitia, quæ incapacitatem ad Judicis Munus operantur, quædam sunt Juris Naturalis; videlicet Surdus & Mutus à nativitate, Infans, aut Furiosus, aut Stupidus Judices esse nequeunt; & hi nullam patiuntur exceptionem.

Alia sunt Juris Humani, dispensationisque Exceptionem patiuntur. Sic Mulier, aut Servus, aut Infamis, vel Peregrinus, aut Excommunicatus, aut Infidelis, aut non Catholicus, arcentur ab hoc officio, quandiù subsistunt hæc vitia, aut ab iis dispensatum non fuit; Provisio aut Commissio ad Judicis Munus, est nulla, & consequenter actus Judicis ab ejusmodi Personis profecti, sunt nulli.

Ii, qui nullo ex vitiis prædictis laborantes, præficiuntur, ut sint Judices alicujus Regionis, sunt Judices Competentes, quoad omnia Judicia Civilia & Criminalia, quæ ibi exoriuntur; de iis intelligendum est id quod Autor, dicit eos, qui Tribunal ipsorum declinant, teneri ad probandam incompetentiam, quia hi sunt in Casu Exceptionis, quæ sola probatione indiget; cæteri sunt in Casu Regulæ cognitæ Juris. Quæ diximus, ad Judicem Ordinarium restringi debent. Secùs est de Judice Delegato, quem cognoscere non tenentur litigantes, nisi postquàm sufficienter potestatis suæ, fidem fecit.

Quemadmodùm recusatio non habet locum, nisi adversùs Judicem competentem, qui eum recusant, ut suspectum, tenentur pariter probare Causas Suspicionis, quam contrà illum gerunt, quâ in re Judici Ordinario similis est Judex Delegatus.

Suspicionis Causæ, deducuntur ex eo, quòd Judex, aut Litigans sit, aut Cognatus Litigantium, aut Domesticus, aut Dominus, aut Inimicus. Hæ Causæ ab utroque Litigatore contrà Judices, quos ipse pro Suspectis habuerit, tam in Secunda Instantiâ, quàm in Primâ; tam in casu Reconventionis, quàm in alio quolibet, allegari possunt. Recusatio proponi debet antè litis contestationem, nisi fortè suspicionis Causæ post illam emerserint, aut cognitæ fuerint.

Hæ sunt Observationes, quas necessarias duximus ad secernendum ea, quæ Autor permiscuit; ipsæ generales sunt; Argumentumque integrum QUÆST. II. respiciunt: indè indicare non potuimus loca, in quæ cadunt. Nunc ad Particulares transeundum est, quæ loca particularia attingunt. Exceptio X. locum habet in Foro Interiori, in quo unicè consideratur vita Judicis, non verò potestas ejus; cùm è contra in Foro Exteriori, de potestate, non de moribus Judicis, agatur: Undè judicare in illo valet, atque etiam damnare Personas minùs apud Deum, vel etiam coram Hominibus noxias, quàm ipse sit.

Hodiè restringenda est *Exceptio XIII.* ad Excommunicatum Denunciatum. *Exceptio XIV.* ad Judicem Delegatum pertinet, à quo inchoatâ negotii auditione, Delegans de illo noscere nequit. *Except. XV.* ad Casus, in quibus Delegans tenetur ad delegandum. *Except. XVI.* loquitur de Casu, quo plures delegati conjunctim judicare debent. *Except. XVII.* de Casibus, in quibus plures ita delegantur, ut singuli seorsim judicare possint; quo casu, judicio ab uno lato, cæterorum facultas evanescit.

Exceptio XVIII. dicens, Personas Miserabiles, ut Pupilli & Viduæ, Imperatorem aut Pontificem Judicem habere in Possessorio, significat, illud Privilegium nasci ex eo, quòd sub protectione Principis aut Temporalis, aut Spiritualis sint: illudque à Primo ad Secundum manavisse; quippe Lex laudata longè antiquior est, quàm Canones *ibid.* allegati. Concessum fuit illud Privilegium, ad propulsandam vim ab ejusmodi Personis circà possessionem. *Except. XIX.* simile Privilegium Regulam in Exceptionem convertit. Regula fert, ut Judex Sæcularis cognoscat de Causis realibus saltem, cùm litigantes sunt Laici. *Actor sequitur Forum rei.* Ex Privilegio Judex Ecclesiasticus earum notionem habet, cùm Clerici sunt Actores. Exceptio est, quandò agitur de *Feudo*, & quandò dubium est, an res ad Clericum aut *Laïcum* pertineat.

Except. XX. Juxtà Pœnitentes Publici gaudebant prædicto Privilegio Clericali. *Canon. 16.* CAUS. XI. QUÆST. I. laudatus in Exceptione XXI. non dicit, Reum conveniri debere in Domicilio; sed conveniri debere coram Judice suo, nempè Judice Provinciæ, si Laïcus, aut Episcopo, si Clericus sit. Altera pars Exceptionis perspicuè enucleari potest absque impedimento Replicationis & Duplicationis per *Cap. 20. de For. Comp.* supponit hoc, competentiam Judicis sumi à loco Delicti, aut Contractûs, aut Domicilii, aut Situs fundi controversi, & casum excipit, quo Reus Romæ degit; nihil enim Autor adjicit, quod in hac Summâ non contineatur, modò observetur Contrahentes aliquandò se adstringere, ad agnoscendum Judicem Locorum, quos incolent, cedente die Promissionis, aut aliùs cujuslibet obligationis, quo in Casu Reus conveniri potest coram Judice Domicilii sui, perindè ac coram Judice loci Contractûs.

Except. XXII. non habet locum, nisi in Actionibus Personalibus, in quibus Superior ab Inferiore judi-

cari non debet, neque par à pari. *Except. XXIII.* falsa est in eo, quòd dicit Christianum ab Ecclesiastico Judice judicari debere. Sumpta est è quodam loco PAULI malè intellecto. *Except. XXV.* exolevit; sumitur ex Legibus, quæ olim Actori ac Reo permittebant Causam apud Judicem Ecclesiasticum deferre.

Except. XXVI. Continet Exceptionem in gratiam Officialium Sedis Apostolicæ, quæ restringenda videtur ad casum delicti circà ipsorum Officium.

Except. XXVII. Jus Patronatûs inter Causas merè Ecclesiasticas numerat, quod falsum est, quoad Possessorium. *Except. XXVIII.* quæ reservat Pontifici cognitionem Controversiarum circà Religionem, non ubique obtinet, saltem quoad primam instantiam. Idem est de Causis privilegii, quæ ratione Possessorii ad alios Judices, quàm Pontificem, pertinent.

Except. XXIX. Controversiæ circà Natalia, cùm sunt incidentes in negotiis Civilibus, hodiè definiuntur ab eo, qui de Principali judicat.

Except. XXX. Multa deinceps Autor dicit in Replicationibus generalibus, nec non in Duplicationibus, quæ remittenda fuissent ad *Cap. IX.* ubi agit de *Exceptionibus dilatoriis*, & *Cap. X.* ubi loquitur de Reconventione; ibi quippè sedem naturalem habent, ideòque nostras Observationes circà ipsa illùc rejicimus, ad vitandas iterationes, in quas lapsus est. Quoad reliqua, paucis dabo, quæ observanda sunt. Quod dicit in Replicatione *Prima*, non est in usu; nam, si plures Personæ diversarum Provinciarum Incolæ, aliæ ab aliis mutuò fundum vindicent, Judex loci, in quo situs est, de Controversiâ cognoscit. Si de crimine agatur ab ejusmodi Personis admisso, Judex loci, in quo patratum fuit, illius notionem habet.

Perindè est de casu expresso in *Secunda*, scilicet Judex, qui negotium audire cœpit, ejus notionem habet, quamvis Reus Jurisdictionem mutaverit post citationem: nec non de eo, quo fundus alienatur Judicii mutandi causa, quâ tamen alienatione non obstante, negotium ad priorem Judicem pertinet.

Quod dicit in Replicatione *Quarta*, expositum fuit in *Exceptione XXI.* Quidquid dicit in Replicatione *Quinta*, ad hoc redigitur; scilicet, Ecclesiastico Judice negligente aut recusante justitiam reddere, judicium ad Superiorem Ecclesiasticum, non verò ad Judicem Sæcularem devolvitur. Falsa est & contraria rebus præcedentibus Replicatio, quâ dicitur, extare casus, in quibus declinari potest Ecclesiastica Jurisdictio. Præterea, ut observatum fuit circà *Except. XXV.* hodiè non licet Causas ad Ecclesiasticum Judicem deferre, quoties libuerit, & in quocumque eorum statu.

Jàm diximus in *Except. XX.* esse Causas Ecclesiasticas incidentes, quæ definiuntur à Judice Sæculari: contrarium asseritur in Replicatione *Septima*. Pro certo affirmat in *Octava*, Clericum privilegio fori nunquàm renuntiare posse; præsertim tamen, ob hanc Renuntiationem, magna copia negotiorum olim Judici Ecclesiastico obnoxiorum, ad Judicem Sæcularem transiit.

In *Nona*, Quinque casus assignat, in quibus prorogatio Jurisdictionis Judicis à Partibus non habet locum; eò notabiliores illi sunt, quòd hæc prorogatio Juri Communi adversatur.

Quod dicit in Replicatione *Undecima*, Exceptionem declinatoriam proponi debere antè contestationem litis, ut plurimùm verum est.

Exceptiones XXX. docent Replicationes cum Duplicationibus, quibus Autor doctrinam suam circà Competentiam Judicum exponit. Reduci potuissent ad quatuor hujus Competentiæ causas, de quibus loquitur *Cap. 20. de For. compet.* Seorsim expositâ Regulâ cum suis Exceptionibus, ordo sincerus ac perspicuus fuisset, hac ratione multas iterationes vitavisset, & aliena resecuisset; faciliorem præterea disputationis hujus intellectum præstitisset, captuique Studiosorum accommodavisset, qui eam nullo negotio memoriæ mandavissent.

QUÆST. III. *de* OFFICIIS JUDICUM.

De quibusdam illorum Officiorum tantùm loquitur, quæ singula suis Regulis seorsim tradit: omnia simul colligenda erant, subque unicâ Regulâ collocanda. Quod dicit in *Quarta*, Priorem EXTRAVAG. COMMUN. *de Hæreticis*, derogare Legi, quæ præcipit Judici litis informationem, reservatâ sibi Sententiâ, committenti, ut assistat contestationi Causæ, medio informationis, & fini, restringendum est ad Casum Hæreseos, de quo loquitur; quo in casu jubet, ut, si Judicis occupationes eum ita distineant, ut informationi ter interesse nequeat, sufficiet, ut semel adsit.

OBSERVATIONES *in* CAP. III. *de* ADVOCATIS.

Propositâ REGULA *Monachos & Clericos ab Advocati Munere excludi*, Autor *Exceptiones VII.* subjicit: sed Canones, quos laudat in his Exceptionibus, loquuntur solùm de Clericis; extensio autem à Clericis ad Monachos peccat: hoc enim Officium minùs Monachis convenit, quàm Clericis. Præterea, Canones, qui illud Monachis aliquandò concedunt, loquuntur solùm de casu, in quo Monasterii utilitas & Abbas id præcipiunt. *Can.* 35. CAUS. XVI. Quæst. V. duas regulas magni momenti omittit, 1. hac in re perindè esse de Canonicis Regularibus, ac de Monachis. *Cap.* 2. *de postulando.* 2. In eodem argumento postulationem permitti omnibus, quibus nominatim non interdicitur.

Tres affert Exceptiones generales Legum, quæ Munus Advocati quibusdam personis nominatim interdicunt; 1. Si pro suis negotiis postulaverint; 2. Si pro Patre, Patrono, similibusve personis: 3. Si ex Superiorum jussu. Porrò, hæ Exceptiones locum habere non videntur, quoad Excommunicatos, nisi Rei fuerint in Causa; quippè, qui in judicio stare non possint, nisi quatenùs Rei. Regula autem docet, neminem alieno nomine facere posse, quod suo nequit. *67. de Reg. Jur. in 6.*

Quoad *Tertiam*, ea locum habere potest, si Superior, qui præcipit Excommunicato, ut pro aliis postulet, habeat jus dispensandi cum Excommunicatis, à Canonibus, qui eos, nisi Rei fuerint, in Judicio stare vetant. Cùm Excommunicatio non sortiatur effectum in Foro exteriori, nisi postquàm denuntiata fuit; ad Excommunicatos denuntiatos restringendum est, quod hîc de Excommunicatis dicit. REGULA III. *Quæstionis III.* loquitur de casu, in quo quis, ex Superioris jussu, postulandi Munus pro aliquo suscipit; quod fit ubi hic Advocatum non habet.

Quod dicit in *Quæstione V.* peculiare est Clericis Advocati Munus obeuntibus: Dignitas Statûs Clericalis exigit, ut Officio gratis fungantur.

OBSERVATIONES *in* CAP. XIV. *de* PROCURATORIBUS.

CAPUT hoc inchoat ab Exceptionibus, quarum pleræque numeroso famulatu Replicationum, Duplicationum, Triplicationum stipantur; quæ tenebras potiùs, quàm lucem, pariunt.

Cùm Exceptiones supponant Regulas, aliquot in fronte Capitis collocare debuisset, subjectis duntaxat iis Exceptionibus, quæ congruæ fuissent; si nihil Autori circà nomen Procuratoris suppetebat, hujus saltem verbi Definitionem dare debuisset, talemque ut Procuratori cuilibet conveniret: indè transire ad varias species tam generatim, quàm sigillatim, cum Exceptionibus singularum, si quæ fuissent, exponendas. Sic ex indigestâ congerie regulare ædificium struxisset.

I. Regula Generalis indicat personas, quæ possunt esse Procuratores: eas nempè, quæ à Legibus non excluduntur: Autor id supponit in omnibus Exceptionibus, quæ Personarum à Procuratoris Munere prohibitarum mentionem faciunt. Idem facit ergà cæteras, quorum Exceptiones refert: exempla dabimus in Observationibus circa Exceptiones notabiliores, eas maxi-

maximè, quæ Replicationes, Duplicationes, Triplicationes habent, quas ad Regulas reducere conabimur.

II. Reg. General. Pertinet ad formam Procurationum, quæ nullæ sunt, si conditionum substantialium aliqua deficiat.

III. Reg. General. Quædam sunt negotia, in quibus Procuratio generalis sufficit: quædam specialem requirunt. Quoad hæc, non semper exigitur Procuratio negotium propositum nominatim, atque unicè exprimens; verùm sufficit generalis cum Clausulâ, *cum liberâ rerum administratione*, vel cum Clausulâ speciali ad hoc negotium, vel cum Clausulâ, quæ extendit ad omnia negotia Procurationem specialem requirentia. Id quod dictum est de uno ex illis negotiis exempli vice, nuncupato, ita restringendum, modò majora aut graviora non sint casibus expressis: sufficit etiam, ut quis in rem suam Procurator fuerit constitutus.

IV. Reg. Procurationes, ad quædam Capita limitatæ, non extenduntur ad alia: itaque, si quis ad agendum, seù petendum, sit constitutus, defendere non potest.

Hæ duæ posteriores Regulæ continent summam *Exceptionum II. & III.* cum ipsarum Replicationibus &c.

Inter *Except. V.* usque ad XIII. quæ spectant Personas, à Procuratoris Officio exclusas, sola *Septima* enucleatione indiget. In ipsa agitur de Procuratore, qui potest aut nequit nominare Procuratorem. Obscuritas ex Duplicationibus, Replicationibus &c. oritur, quibus resectis ipsa evanescit; quod ut prorsùs fiat, distinguendi sunt Casus Prioris generis à Casibus Secundi. Illi sunt. 1. Si litis contestatio facta fuerit; 2. Si Constituens Procuratori suo potestatem hanc tribuat actu speciali, vel ipso mandato. 3. Si Procurator in rem suam constitutus fuerit à Sociis, aut Cohæredibus, vel Condebitoribus, aut Concreditoribus; 4. Si sit Procurator extrajudiciarius, nisi agatur de Matrimonio *Cap. 9. de Procurat. in 6.*

In casibus, qui prædictis contrarii sunt, Procurator alium Procuratorem constituere nequit, quibus adjiciendi sunt, 1. Ii, in quibus Mandatum nullum est, aut revocatum, aut extinctum, 2. Ii, in quibus Procurator abdicavit. 3. Ii, in quibus Procuratori merum ministerium, aut simplex executio committitur.

Quod dictum est de *Except. VII.* extenditur ad *Exc. XIV.* quæ pertinet ad Casus, in quibus plures sunt Procuratores; nam perspicuè exponi possunt absque Replic. Duplic. si tres in classes dividantur: *Prima* est eorum, in quibus Procuratores constituti sunt, ut agant conjunctim; & tunc nihil singuli sigillatim agere possunt, exceptis negotiis spiritualibus vel Electione, Postulatione, Provisione, in quibus Judex eum eligere debet, qui magis idoneus sibi videtur; quia ejusmodi negotia celerem confectionem poscunt: *Secunda* est eorum, in quibus ita constituuntur, ut aliis alii subsituantur; & tunc vincit diligentior: *Tertia* est eorum, in quibus variis temporibus Procuratores constituti sunt; & tunc novissimus anteponitur prioribus, quorum potestas ultimi nominatione extinguitur.

Exceptio adversùs Procuratorem in Jure competens, proponi debet antè contestationem litis, nisi agatur de falso mandato.

QUÆST. II. *de* REVOCATIONE PROCURATORIS *& Resumptione negotii per se, aut per alium gerendi.*

Autor CAP. VIII. adjicere debuisset *C. 2. & 3. de Procurat. in 6.* quod non minùs ad argumentum pertinet, quàm hæc duo ab ipso laudata. Docent ea, Procuratorem perpetuum, qui per litis contestationem Dominus ejus factus est, revocari non posse, nisi ob legitimas rationes, quæ coram Judice proponendæ, atque ab illo discutiendæ sunt; sed si constitutus fuerit ad tempus absentiæ constituentis, & hic reversus, negotii curam suscipiat, ille eo solo revocatur; ista autem resumptio non trahit revocationem Procuratoris sine restrictione nominati, nisi eum constituens expressè vel tacitè revocaverit.

QUÆSTIO III. *de* POTESTATE, *atque* OFFICIO PROCURATORIS.

Quatuor hujus Quæstionis *Regulæ* nihil continent, quod in *Exceptione VII.* expositum non fuerit, circà casus Procurationem specialem requirentes.

QUÆST. IV. & V. *de* OBLIGATIONIBUS *respectivis ex* PROCURATIONE *nascentibus inter Constituentem & Constitutum.*

Qui litem alienam suscipit, eam persequi tenetur, & curare ut Judicium adipiscatur; alioquin damnum resarcire debet, quod indè Constituens patietur: sed, si Judicium Constituenti adversum fuit, & Procurator provocaverit, persequi non tenetur. Si hoc in casu Judicii adversi, Procurator non provocet, aut Constituentem de Judicio lato docere negligat, de damno pariter tenetur. Constituens Procuratori suo refundere debet omnes impensas & sumptus ratione sui negotii facta.

OBSERVATIONES *in* CAP. V. *circà* ACTOREM, REUM & REM LITIGIOSAM.

Majorem copiam Regularum circà Actorem & Reum colligere debuisset ac potuisset Autor. Multæ sunt in Jure, quoad hoc argumentum, cujus momentum gravissimum est. *Prima* est, quòd uterque sit ejusdem conditionis, quibusdam casibus exceptis, in quibus contrarium suadet ratio *Cap. 2. de mutuis petitionibus.* Hujus Regulæ exemplum occurrit in *Tertia* apud Autorem; nempè, si alteruter Judicem corrumpat, Excommunicationem Pontifici reservatam incurrit. *Exceptionis* exemplum suppetit in *Except. I.* Autoris: in dubio Reus Actori præfertur; id ratio requirit, nam Reus habet possessionem, quæ conditionem ejus potiorem facit, quàm Actoris, juxtà Regulam, *in dubio melior est conditio possidentis*; undè fit, ut probationis onus incumbat Actori, qui, si non attulerit sufficientem, absolvitur Reus, *Actore non probante, Reus absolvendus.* REGULA IV. hujus *Capitis* Exceptionem similem patitur; *quod non licet Reo, non licet Actori*; nam Exceptio est, si obscurus fuerit Actoris Libellus, eum Actor ipse exponere potest, non verò Reus, qui illum in commodum suum converteret.

Simile est exemplum in Regulâ omissâ ab Autore; *Actor sequitur forum Rei*, quæ pertinet ad Actiones Personales: nam, si uterque eumdem Judicem non habeat, oportet, ut Reus coram suo Judice conveniatur, quoniam Judex Actoris Jurisdictionem in Reum non habet.

In quibusdam Actionibus uterque Litigantium Actoris & Rei personam sustinet; tales sunt Familiæ erciscundæ, communi dividundo, finium regundorum.

Probandi onus ad Reum recidit, cùm ipse Facta objicit, velut Præscriptionem, aut Solutionem.

Regula, *Qui ad agendum admittitur, ad excipiendum multò magis admittendus est*; hujus Capitis argumento congruit. Exceptio est defensio, quæ Actione favorabilior est; undè fit, ut maritus, quem uxor deseruit, habet jus eam repellendi, si illa se recipi petat, quia jus habebat separationem postulandi.

Mirum videtur, Autorem, qui sæpè plures affert Exceptiones, quàm Regulas, nullam subjecisse tribus Regulis à se propositis.

Cùm sint Personæ, quæ in Jure agere non possint, ut ex adverso, quædam, adversùs quas agere non sit possibile, quia se defendere non valent, Autor potuisset ac debuisset colligere Regulas, quæ genus utrumque spectant, aut indicare locum, in quo de illis acturus erat.

Loquens de *Re litigiosâ*, duas statuit Regulas cum

Excep-

Exceptionibus. Exceptio Prioris restringenda erat ad casum, quo Actor assensum præbet alienationi rei litigiosæ, pro aliâ ejusdem pretii: cùm enim contendat illam esse suam, jure conqueritur, si Reus illam sine consensu suo alienaverit; quippè, quæ sibi fortè magis placeat, quàm res subroganda. *Reg. 27. in 6.* in sensu contrario accepta hanc considerationem confirmat: *scienti & consentienti non fit injuria sive dolus.* Indè partim nata est Regula, *ne lite pendente quid innovetur.*

Secunda Regula pertinet ad Sequestrationem rei litigiosæ; de quâ dicitur, eam non habere locum, nisi in casibus in Jure expressis: duorum qui referuntur; nempè, dissipationis & appellationis executionem suspendentis; prior limitatur, posterior minimè: restrictio est in favorem Possessoris Triennalis in Quæstione de Beneficio. Hic probatur id, quod diximus, Replicationem sub Regulâ reponere, vel Exceptionem Exceptioni generali imponere.

Agendum erat de missione in Possessionem ad custodiam rei litigiosæ, quæ est Depositi species, ad ejus conservationem inventa, ut Sequestratio, à quâ non differt, nisi quia hæc fit in manu tertiâ, illa verò datur uni è Litigantibus. Non refert missionem hanc esse Actum Judiciarium: ejusdem conditionis est Sequestratio. Nec etiam refert, missionem hanc esse pœnam contumaciæ Judiciariæ; nam Sequestratio est etiam pœna dissipationis fructuum & fundi lite pendente.

OBSERVATIONES *in* CAP. VI. *de* CITATIONE *& CONSEQUENTIIS ipsius.*

Autor absolutâ disputatione de Personis, quæ Judicium constituunt, & de Re litigiosâ, transit ad Actus Judiciarios, monetque nonnullos præcedere Contestationem Causæ, nempè, Citationem, Contumaciam, sivè Absentiam Rei, Libelli Oblationem, Dilationes, Exceptiones Dilatorias, & Reconventionem. Tùm de Citatione loquitur, circà quam discutit ejus præcedentia; modum eam significandi; effectus ejus, seu consectaria; ubi de Edicto peremptorio differit, & Quæstionem in Regulas, Exceptiones & Replicationes distribuit.

QUÆSTIO I. *de Præcedentibus* CITATIONEM.

Quòd dicit *n.* 1. exolevit post abrogationem Servitutis. Libertus egebat licentiâ Judicis, ad revocandum in Jus Patronum, aut Patronam, ejus Parentes, aut Liberos. *Exceptio Prima* inepta est; nam qui Litteris Principis libertatem consequebatur, eam non debebat Domino pristino; proindè ratio hujus veniæ eum non comprehendit. Idem est de *Secunda*, nam Libertus Collegii, non est Libertus privatorum, ex quibus Collegium coalescebat. Quod dicit *n.* 2. pertinet ad Citationis adjuncta, aut Citationem ipsam, sive ipsius formam.

QUÆST. II. *de modo Citationis faciendæ.*

Hìc locus erat Edicti peremptorii, quod est *Citatio* tenens locum trium vulgarium, & quâ Citato tantùm temporis datur, quantùm tribus vulgaribus. Citatio significari debebat Personæ, si præsens erat, vel ejus Domicilio; aut Ecclesiæ, cùm absens erat. Hæ circumstantiæ omittuntur ab Autore.

QUÆST. III. *de Effectibus, & de Edicto peremptorio.*

Quæstio hæc, qui inseritur Edictum peremptorium, paululùm implicata est: eam perspicuè tractare potuisset, omnia reducendo, 1. Ad absentiam involuntariam, qualis est absentia Rei, quem legitimum Impedimentum sive Morbus, aut Captivitas, aut Pestis distinet &c.

2. Ad absentiam voluntariam, quæ fit vel cum justâ causâ; qualis est incompetentia Judicis, aut distantia major, quàm legitima; vel Locus ob Bellum, aut Pestem, aut incursionem Barbaricam, seu Latrocinia, aut inundationem, non securus; vel Dies indebitus, aut prohibitus.

3. Ad absentiam justâ causâ destitutam, quæ Contumacia propriè dicitur, & talis est, quoties Citatio valida est, & citatus nullo impedimento legitimo distentus, aut excusatione fretus non comparet.

4. Ad pœnas Contumaciæ, nempè hinc missionem Actoris in Possessionem, vel Excommunicationem Rei, si hic contumax sit; indè absolutionem Rei, si Actor sit contumax.

5. Ad Effectus Citationis legitimæ: quâ Jurisdictio prorogatur, seu conservatur; ità, ut si Citatus in alium locum se conferat, Jurisdictioni Citantis, obnoxius semper maneat, & comparere teneatur statim, ac poterit, & proindè si legitimè impeditus fuerit, statim atque impedimentum sublatum fuerit.

6. Ad Personas, quibus non licet alias vocare in Jus, & eas, quæ vocari non possunt; de nonnullis utriusque generis dictum est in QUÆST. IV.

OBSERVATIONES *in* CAP. VII. *de* LIBELLI OBLATIONE, *& de* EDITIONE INSTRUMENTORUM.

Tres priores Regulæ *Primæ Partis* ad unicam contrahi potuissent, quâ diceretur, Libellum in Scriptis fieri debere: non requiri hodiè, ut nomen Actionis in eo exprimatur; sed Factum ita exponendum esse, ut noscatur quænam illa sit, & ipsius causa.

4ª. Est illarum Consecutio; nam cùm omne Jus Actoris ex ejus Actione pendeat, sequitur, absolvendum esse Reum, si illa non sit congrua,

Quod dicit in *Secunda Parte*, Reum non teneri ad edendum Actori Instrumenta sua, nisi agatur de Instrumentis utrique communibus, & hoc in Casu sufficere, ut edat illa, quæ ad litem spectant, ad *Caput XIII.* pertinet, in quo de probatione per Instrumenta disseritur.

OBSERVATIONES *in* CAP. VIII. *de* DILATIONIBUS.

Exordiri debuisset Autor à distinctione duplicis generis Dilationum. Aliæ sunt *à Jure*, & quoniam *à Judice* non pendent, Causæ cognitionem non requirunt: earum duratio in Jure determinatur, nec non casus, in quibus locum habent.

Aliæ sunt *ab Homine*, & harum concessio pertinet ad Judicem, qui durationem ipsarum præfigere debet, habitâ ratione Circumstantiarum, causæ, Personarum, & Loci. Cùm casus, in quibus Dilationes à Jure dantur, earumque duratio præscribitur, pauciſſimi sint, vulgò dicitur, Dilationes esse arbitrarias, non quòd eas ad libitum dare possit, sed eæ pendent ex ejus voluntate per Regulas Juris temperatâ: horum casuum magna est copia, & tot sunt, quot sunt Actus Judiciarii, in quorum singulis Litigantes indigere possunt Dilatione. Illi numerantur apud GONZALEM *in Cap. 4. de Dilation.*

Dilationes nec breviores, nec diuturniores esse debent: hæ nocent Actori, cujus petitionis effectus tardatur; illæ Reo, qui tempore ad parandas defensiones indiget. Idcircò longiores dandæ sunt Reo, quàm Actori, qui litem meditatus, eam inchoare non debuit, nisi post adeptas Actionis probationes.

Quamvis, juxtà consilium Autoris suprà expositum, hìc loqui debuisset tantùm de Dilationibus, quæ contestationem litis præcedunt, de cæteris tamen disserit, & cum his permiscet, sicut alia multa in his Notis observata, quæ eò magis necessariæ videntur, quòd

quòd sine illarum ope difficilis sit intellectus eorum, quæ dicit circà Dilationes in suis Quæstionibus V. in *Regulis*, *Except.* &c. quibus Quæstiones enucleat. Et quidem ad Dilationes *ab Homine*, restringendum est, quod dicit in *Quæstione* I. nempè, Dilationes Causæ cognitionem requirere; quippè, quæ necessaria non sit, quoad Dilationes à Jure. Inter *Quatuor* causas Dilationum, duæ Posteriores ad dilationes contestationem litis supponentes, pertinent; nam ibi agitur de Dilationibus, ad probationum adeptionem, & de iis, quarum opus est Procuratori, ad consulendum Constituentem, cujus consilio nonnumquàm indiget, quoad Actus, tam contestatione litis Posteriores, quàm Anteriores.

Tres priores *Regulæ* QUÆST. III. pertinent ad Dilationes datas & præstitutas à Jure: aliæ duæ loquuntur de Dilationibus datis à Judice, qui eas in Judicio & è Tribunali concedere debet.

Quod dicit, unicam Dilationem eidem personæ concedendam, exponitur in *Quæstione* IV. & restringitur ad eamdem Instantiam: restringi etiam debuisset ad eumdem Actum Judiciarium; nam, ut dictum est, ad singulos Actus concedi possunt Dilationes.

OBSERVATIONES *in* CAP. IX. *de* EXCEPTIONIBUS DILATORIIS.

Quoad effectum conveniunt *Exceptiones Dilatoriæ*, cum Dilationibus in eo, quòd Judicium differant; sed earum natura valdè discrepat: illæ etenim sunt Oppositiones, seu Objectiones ab uno Litigantium propositæ, quæ sumuntur ab omnibus, quæ Judicium constituunt, aut in eo reperiuntur, scilicet Personis, Re litigiosâ, & Actibus Judiciariis. Discrepant etiam à Dilationibus in eo, quòd antè litis contestationem proponendæ sint; plures autem Dilationes post ipsam poscuntur, ut observatum fuit *Cap.* VIII. Fatendum quidem est, nonnullas ex his Exceptionibus allegari posse post contestationem; sed id tantùm licet, quòd tùm exoriantur, aut earum notitia acquiratur, vel id ita esse præsumatur. Multæ autem Dilationes pertinent ad Actus Judiciarios contestationi litis Posteriores, & proindè ante illam postulari nequeunt.

Quod diximus de extensione Exceptionum Dilatoriarum ad omnia, quæ in Judicio includuntur, evidenter patet ex illarum divisione, quam tradit Autor REG. IV. QUÆST. I. & ex aliis *Quæstionibus*, in quibus earum plures sigillatim exponit. Proindè hoc in *Capite* reperiuntur ea, quæ forte in præcedentibus omissa sunt; illa autem supplent ea, quæ in hoc desunt. Expedit itaque, ut cum hoc 8. priora Capita conferantur, quæ collatio docebit, alia multa objici posse Judici, præter suspicionem, quæ illum recusationi obnoxium facit: nempè 1. Nullitatem Provisionum ejus *Cap.* II. fusiùs expositam. 2. Ejus incompetentiam. *ibid.* 3. Suspensionem aut Interdictionem, aut Excommunicationem, quæ illas continet *ibid.* memoratas. Et sic percipietur ejusdem Collationis necessitas.

Hic iterari non debet id, quod suprà dictum fuit, de triplici illâ Exceptione contrà Judicem. Quoad alteram Exceptionem à suspicione desumptam, observabimus, Autorem de eâ loqui in QUÆST. II. hujus *Capitis* IX. & discutere quænam sint causæ recusationis; quis ipsius Judex; quinam effectus, aut consecutiones; quænam remedia & adjuncta. Quoad causas suspicionis remittit ad *Cap.* II. laudatum, ubi potestatem illarum duntaxat refert, & præterea cum interruptione; tùm duas affert Exceptiones Regulæ, quæ recusationem Judicis suspecti concedit, 1. est, licentiam hanc non habere locum quoad Judicem, à quo non admittitur appellatio: hæc diserte continetur in *Cap.* 12. *de Appellat.* 2. Idem statuit, nempè si Judex datus sit, prohibitione appellationis novissimâ exceptione relatâ, adjicit, eam reprobari *Cap.* 36. *de Appellat. eod. tit.* quod nihilominùs Exceptioni I. adversatur, quàm II. nam, loquens de Judice delegato cum Clausulâ, *Appellatione remotâ*, sicut ipsum *Caput* 12. decidit, Judicem delegatum recusari posse ob causam Cognationis vel Affinitatis. *Caput* hoc à LUCIO III. conditum est posteriori ALEXANDRO III. qui *Capitis* 12. Autor est, itaque huic derogat.

Deindè, loquens de Judice Suspicionis, tres constituit in *Articulo Secundo*, unumque in *Tertio*: 1. Arbitros, posito quòd suspectus non habeat Collegas; nam, si adsint Collegæ, ipsi de recusatione cognoscere debent; 2. Si Judex suspectus, sit Judex Delegatus, cognitio ad Delegantem pertinet: quod verum non est, nisi in Casu, quo Delegatus Collegas non habeat, qui circà recusationem statuere possint. Omissâ hac restrictione, Autor fallitur. 3. Episcopus suspicionis Judex est in Casu, quo ejus Officialis recusatur, *Cap.* 4. *de Offic. Deleg. in* 6. 4. Episcopi Vicarii, cùm Episcopus suspectus est. Autor laudat *Cap.* 36. CAUS. II. QUÆST. VI. in quo Concilium *Milevitanum* jubet, ut si Clerici de suo Episcopo conquerantur, ad Episcopos vicinos confugiant, qui querelam discutient ex consensu ejus, adversùs quem feretur. Casus suspicionis includi potest in numero Casuum querelæ. *Canon* hic exolevit.

Judex recusatus tempus Arbitris præfigere potest, quo elapso, procedit *Cap.* 2. *de Appellat. in* 6. Si Judex Ordinarius declaretur suspectus, consentiente Recusatore, negotium delegare potest *Cap.* 61. *de Appellat.* non potest autem si sit Delegatus, *Cap.* 5. *de Offic. Delegati in* 6.

Rationem hujus discriminis afferre Autor debuisset: alia nobis non occurrit, nisi quòd Delegatus, per recusationem amittit omnem Jurisdictionem; Ordinarius eam non omninò amittit, sed tantùm ejus exercitium, quoad Causam, in quâ suspectus est; ideòque potest ipsâ uti, si recusans consentiat.

Per *Caput* 12. *de Appell.* probare potuisset quod dicit de affinitate Appellationis cum recusatione: hanc enim prohibet in Casibus, in quibus Appellatio removetur. *Can. si quis*, CAUS. II. QUÆST. VI. ad id probandum laudatus, ad rem non facit: nullus est enim *Canon* sic incipiens, qui loquatur de Recusatione.

QUÆST. III. EXCEPTIO EXCOMMUNICATIONIS.

Disputatio Autoris hìc ferè prorsùs inutilis est, ex quo Excommunicatio effectum non habet in Foro exteriori, nisi post denunciationem; nam Denunciatio rara est: rarius est, ut Excommunicatus Denunciatus aliquam Actionem intentet; hæc autem Exceptio citò tollitur per absolutionem, *ad cautelam*, datam ad standum in Judicio. Methodus argumentum tractandi per Exceptiones Replic. &c parùm allicit Lectorem. Nosse sufficiet, Excommunicationem Majorem solùm obstare, quominùs aliquis agat in Jure, & cùm illa multis ex Capitibus nulla esse possit; nempè, ex defectu potestatis, justæ causæ, Monitionum, aliarum-ve Solemnitatum requisitarum, facilè eluditur hæc Exceptio. Indè sumptæ sunt Exceptiones, Replic: &c. prædictæ.

QUÆST. IV. EXCEPTIO SPOLIATIONIS.

Autor exponens hanc Exceptionem, duabus Regulis, in priore, quæ præcipua est, & cui multas Replicationes subnectit, multa omittit scitu necessaria, & ea, quæ dicit, implicat. Observare debuisset, eam non habere locum, nisi in Immobilibus: ipsam extendi ad Judicem, qui, Causâ non cognitâ, & neglectis solemnitatibus, spoliat: necessarium esse, ut Spoliatus actualem habuerit possessionem tempore spoliationis & veram vim passus sit: non requiri, ut Reus à re petitâ

titâ ejectus fuerit ab Actore; sed sufficere, ut aliâ quâlibet ab ipso spoliatus fuerit. Licèt ea non habeat locum in rebus Incorporalibus, qualia sunt Jura ad Beneficia, ad Decimas, aut similia; nihilominùs, si Possessor actualis Ecclesiæ aut Capellæ, ab ipsâ ejiciatur, eum esse in Casu hujus Exceptionis: eam adeò favorabilem esse, ut Invasor eâ uti possit, si à possessione suâ per vim ejectus fuerit; si Possessor spoliatus præ omnibus restitui debeat, id fieri, quòd cum ejus Adversario eodem modo agendum sit, quo ipse cum Spoliato egit; & quia, si Adversarii rationes audirentur circà jus ipsius ad rem, ageretur de Petitorio tùm, cùm agi debet solùm de Possessorio. *vid.* GONZALEM *in Cap. 7. de Restitut. Spoliat.* ubi fusè disserit de hac Exceptione, & statuit Principia, sine quibus vix intelligi possunt ea, quæ Autor dicit in hac *Regula Prima*: circà quam præterea, observandum est discrimen, quod inter Civile & Criminale Judicium ponit; nempè, in Judicio Civili, Spoliatum non posse restitutionem petere, nisi cùm ab Actore spoliatus fuit: posse autem in Judicio Criminali, etiamsi ab alio spoliatus fuerit.

Regula Secunda exponit effectum hujus Exceptionis, qui est restitutio Spoliati in Possessionem, & non Manutentio plena, nisi hæc proposita fuerit per Reconventionem: hujus differentiæ rationem annotare debuisset Autor, nempè, Reconventio est actio, cujus finis est recuperatio rei detentæ, Exceptio autem spoliationis tendit ad recuperationem amissæ possessionis.

QUÆST. V. *Exceptio petita à Satisdatione.*

Quod dicit Autor, Actorem teneri ad Satisdandum de contestandâ lite intrà biennium, aut de restituendo duplo damni, quod indè patitur Reus, si ipse deficiat, abrogatum videtur. Quod adjicit, Actorem cavere debere de certâ Summâ Reo solvendâ, si dejiciatur ab Actione, locum habet solùm in quibusdam Casibus, qui varii sunt variis in Locis.

Absolvendo id, quod dicere instituerat circà Exceptiones Dilatorias, quæ præcedunt litis contestationem, indicare debuisset loca, in quibus loquitur de Exceptionibus, quæ illam sequuntur, & pertinent ad Actus Judiciarios subsequentes, nempè ad probationes in genere, & in specie, nec non eas, quæ pertinent ad Contractus, vel Obligationes, & exponuntur *Lib. V. Cap. IX.* quædam locum habent in Judiciis.

OBSERVATIONES *in* CAP. X. *de* RECONVENTIONE.

Quod Autor de Reconventione dicit, & quod adjicere debuisset, contineri potest in Definitione *Reconventionis*; hæc enim nihil aliud est, quàm repetitio facta à Reo coram Judice Ordinario, vel Delegato, apud quem conventus est, pendente eadem Instantiâ, & quæ tendit ad compensationem: indè verò sequitur 1. Excommunicatum reconvenire non posse, quia non potest agere in Jure, 2. si is qui fundo quopiam v. gr. Tusculano, spoliatus fuit ab aliâ Personâ, quam alio fundo spoliaverat, ab eâ conveniatur ad restitutionem hujus fundi, potest & ipse eam reconvenire, ad repetitionem fundi Tusculani: namque agere potest, & hîc compensatio locum habet, 3. Reconventio non obtinet in Judiciis apud Arbitros, quippè qui Judices, nec Ordinarii nec Delegati sint, & Jurisdictionem privatam duntaxat habeant inter Partes, cùm Judices propriè dicti auctoritatem publicam gerant. 4 Reconventio fieri nequit apud alium Judicem, quàm eum, coram quo Reus conventus fuit 5. Ea non habet locum apud Judicem appellationis, si omissa fuerit coram primo Judice, quia appellatio novam Instantiam instituit. 6. Fieri potest post litis contestationem, quia Instantiam hæc non claudit, sed potiùs inchoat: 7. Reconventio non habet locum in Judicio Criminali, extrà ordinem informato, quia Judicium Criminale non vocatur Actio sed Accusatio. 8. Si Actor, qui Rescriptum Delegatorium impetravit, hoc Rescripto privetur jure Appellationis, Reconventio judicari debet Appellatione remotâ: nam Actoris & Rei par est conditio, & quod non licet uni, alteri quoque non licet: *Cap. 2. de mutuis petit. & Reg. 32. de Reg. Jur. in 6.* quæ locum habet in Reo perindè atque in Actore; cùm nulla est ratio ex illius parte, quæ conditionem ejus meliorem faciat, quàm Actoris; nulla est autem in Casu proposito; quippè æquum est, ut sicut Reo prodest Clausula, *appellatione remotâ*, cùm secundùm ipsum judicatum est, ita & ipsi noceat, cùm damnatur. *Qui sentit commodum, debet sentire & incommodum.* GONZALEZ hoc Argumentum fusè exponit *in Cap. 1. de mutuis petit.* à quo hasce additiones desumpsimus, ad omissiones Autoris supplendas. Observat, duplicem esse Reconventionis effectum 1. Jurisdictionem Judicis prorogat, cùm unus tantùm è Litigatoribus ipsi obnoxius est, quod operatur, modò fiat antè Judicium. 2. Unà cum petitione Actoris discutitur, modò fiat ante contestationem litis. Ex his observationibus patet, *Cap. X.* supplere ea, quæ desunt in V. circà Actorem & Reum.

OBSERVATIONES *in* CAP. XI. *circà* CONTESTATIONEM LITIS ET JURAMENTUM CALUMNIÆ.

REGULÆ III. Autoris circà Litis contestationem, sufficientem hujus Argumenti notionem non tradunt: nam docent duntaxat, 1. Eam fieri per petitionem & responsionem in Jure, 2. Eam adeò necessariam esse, ut sine ipsa Judicium nullum sit, nisi Judex ex Officio procedat, 3. Eam fieri debere intrà viginti dies, 4. Responsionem Rei negativam esse debere, ita ut, si Actioni meram Exceptionem opponat, non sit contestatio, multominùs, si mera positio sine petitione ab Actore proposita fuerit. Plures omittit Casus, in quibus necessaria non est contestatio; nempè, cùm litigatur cum Pontifice *Cap. 1. de Transact.* cùm agitur de Causis Summariis, quæ conficiendæ sunt simpliciter, & de plano, sine strepitu & forma Judicii *Clem. 2. de Verbor. signific.* ubi hi Casus enumerantur. Plures ejus effectus omittit, qui sunt, prorogare Jurisdictionem Judicis; prorogare jus Actoris, & quoad hoc, Præscriptionem interrumpere; rem litigiosam facere; constituere Possessorem, in malâ fide; facere Procuratorem Dominum litis, seu prorogare ejus facultatem.

Silet omninò circà Exceptiones, quæ litis Contestationem impediunt; nempè, rem judicatam, transactionem, solutionem, & circà eas, quæ hoc effectu carent *Cap. 1. de litis Contest. in 6.* GONZALEZ & FAGNANUS *in Cap. 1. de litis contestatione* disserunt de omnibus his, & similibus rebus omissis ab Autore. Posterior *n. 55.* tradit Definitionem *Positionis*, qua exponitur quidquid de illâ sciendum est; nempè, positio est simplex assertio facti, ad Causam pertinentis cum Juramento, & in Scriptis proposita, ut propter responsionem ab Adversario Judici interroganti factam, alter ab obligatione probandi liberetur. Similiter legitur Definitio Contestationis cum ejus expositione *n. 5. & seq.* ipsa est fundamentum Litis, quam inchoat Actio proposita in Jure, & Rei responsio congrua subsequens.

Omnes Regulæ & Exceptiones ab Autore collectæ circà *Juramentum Calumniæ*, comprehendi possunt in Definitione illius Juramenti, dicendo, illud fieri ad asserendum, sibi persuasam esse justitiam Causæ, quam vel suo nomine quis propugnat, vel alieno, tamquàm Procurator, aut Advocatus, nullamque in eâ

eâ propugnandâ malam rationem adhibendam fore.

Confirmatur hæc Definitio per Textus ab Autore collectos, & eos, quos GONZALEZ laudat in suo Commentario *in Caput 7. de Juramento* Calumniæ, ubi Juris ut iusque Canonici ac Civilis doctrinam circà hanc rem fusè exponit.

Definitio hæc docet, 1. quatenùs hoc Juramentum ab aliis discrepet, quoad materiam suam; nempè 1. Lites, & finem, scilicet remedium oppressionis in litibus frequentis. 2. Nullum esse genus Causarum Spiritualium aut Temporalium, Civilium aut Criminalium, huic Juramento non obnoxium. 3. Ministros litium, Procuratorem, Advocatum, huic Juramento teneri, non secùs ac præcipuas personas, Actorem & Reum. 4. Nullam esse circà illud Exceptionem; Collegium per Syndicum illud præstare debet; Episcopi perindè ac cæteri, quamvis diverso modo. 5. Cùm finis ejus habeat locum non minùs in Secunda, Tertia, & Quarta Instantiis, quàm in Primâ, in singulis illud deberi. 6. Juramentum proferendæ veritatis, & Juramentum abstinendi ab omni malitiâ continentur in Juramento Calumniæ; nam falsitas aut mendacium & calliditas, quæ *malitiæ* verbo designantur, sunt modi opprimendi.

Quæ supersunt scitu necessaria, & in Definitione non continentur, leviora sunt & consistunt 1. in Remissione Juramenti Calumniæ à Parte, quæ, cum proprio suo commodo, quod finis est hujus Juramenti, renuntiare possit, hoc Adversario indulgere potest. Ex hac potestate secuta est abrogatio hujus Juramenti multis in Regionibus. 2. In jure Judicis, exigendi Malitiæ Juramentum in quocumque Causæ statu. 3. In pœnis recusatæ præstationis Juramenti; nempè, quoad Actorem, privatio juris agendi; quoad Reum, privatio juris defendendi. 4. In hujus Juramenti inutilitate, quoad validitatem Processûs. 5. In libertate illud differendi, donec à Judice exigatur.

OBSERVATIONES *in* CAP. XII. *de* PROBATIONIBUS.

Autor REG. I. loquens de obligatione probandi post contestationem litis, id quod in Judicium venit, sex refert Exceptiones, quæ, ipso fatente, vel falsæ sunt, vel ineptæ ad judiciorum argumentum. Quod dicit, notorietatem ab onere probandi liberare, verum non est, nisi postquàm probata, & per Sententiam agnita fuit *Cap.* 14. *Lib.* 1. Exceptio *Secunda*, petita ex eo, quòd res Judici nota sit, falsa est, nisi hanc notitiam via Judiciaria sit adeptus, quæ, cùm probationem supponat, exceptio inutilis est.

Exceptio *Tertia*, sumpta ex Confessione Rei, non habet locum nisi in Jure facta fuerit. *Quarta* petita ex dignitate personæ rem affirmantis, falsa est, etiam quoad Pontificem; ubicumque rejicitur. CLEMENT. *de Probat.*

Quinta sumpta ex dubia Testis reprobatione falsitatem agnoscit.

Sexta pariter falsa est; nam cùm Judex, aut Litigantium alter Jusjurandum Adversario defert, illud probationis vicem obtinet; nec nisi deficientibus aliis probationibus deferri debet.

Omisit Exceptionem constantem; nempè, quod Jure Communi debetur, probatione non indiget. Hinc Episcopus, Parochus, Dominus, Magistratus, non tenentur probare Jurisdictionem sibi in suo districtu à jure tributam; sufficit, ut appareat, personas, res, & loca, esse in districtu, ut illorum autoritati subjiciantur. Autor posteà discutiens, ad quem onus probandi pertineat, hanc omissionem supplet in Regula, quam circà id tradit; vel potiùs in Exceptione *Primæ*, nempè, præsumptio in gratiam Affirmantis adversùs Negantem, probationis onus in hunc transfert; quippè præsumptio hæc est de Jure, & indè effectum suum trahit. Regula fert, eum, qui affirmat, probationis obligationem suscipere, non verò eum, qui negat. Ratio Regulæ est, quòd nulla sit probatio meræ negationis, & sola affirmatio probari possit. Procul dubio de merâ negatione Autor intelligendus est, nempè ea, quâ negatur nihil affirmando. v. gr. cùm dicitur non contraxi, non manumisi, non præbui assensum. Aliud est de negatione determinata ad certum locum, certum tempus, aut certam qualitatem; tali enim negatione affirmatur aliquid indirectè, & quoad circumstantias, & hâc ratione probari possunt, v. gr. si quis neget se Beneficium resignavisse *Lutetiæ* mense Septembri, affirmat, actum sibi attributum, posito quòd verus sit, factum non fuisse *Parisiis*, & mense Septembri; idque probare potest, ostendendo, se tunc alibi commoratum fuisse: aut lethargo fuisse oppressum, aut rationis usum aliter amisisse. Indè fit, ut quilibet Reus Exceptionem opponens, licèt neget rem petitam deberi, nihilominùs Exceptionem probare teneatur, quia negando aliquid affirmat, nempè, se solvisse, vel transegisse, rem judicatam fuisse, vel se præscripsisse, vel Actorem acceptum tulisse, vel actum esse nullum, aut falsum. *Cap.* 14. *de Fide Instrum. Cap.* 14. *de solutione.* Quædam ex his exemplis referuntur ab Autore, qui deinceps adjicit, quòd, cùm præsumptio, quæ favet Affirmanti, eum à probatione liberet, si hæc præsumptio alia graviori destruatur, Affirmans in obligationem probandi recidit; quod hoc exemplo illustrari potest; *Mævius* queritur se indebitum solvisse *Titio*; hic se accepisse negat, & suo mendacio destruit præsumptionem, quam ex solutione elicere poterat, ad probandum pecuniam sibi fuisse debitam, & proindè rursùs oneraturcobligatione probandi pecuniam sibi deberi, posito quòd hoc ipsum affirmet. *Cap.* 4. *de Solut.* extendit ad præsumptionem nullam, quod de præsumptione destructâ, per aliam, dixit: illius exemplum affert Confessionem sine Causæ expressione factam, cujus nullitatem probat ex nullitate petitionis, cujus causa expressa non fuit.

Alias deindè refert exceptiones, in quibus is, qui negat, aliquid aliud affirmat, & sic probare tenetur; illæ sumuntur. 1. A Judiciis mixtis v. gr. communi dividundo, familiæ erciscundæ, finium regundorum, in quibus Causis litigantes utramque personam Actoris & Rei sustinent. 2. Ab aliis casibus, in quibus Negans est Actor, quorum exemplum affert casum, quo uxor marito impotentiam objicit, qui se consummavisse asseverat, illa negat. Idem foret, si maritus uxorem de impotentia accusaret, ob nimiam arctitudinem absolutam, aut relativam, ad quem probatio pertineret.

Quodcumque dicit in hac Regulâ contrahi potest ad hæc verba: Actori probationis onus incumbit: quod si transeat ad Reum, id fit ob Capita, in quibus Reus est quoque Actor. Modus hic exprimendæ Regulæ brevior est, & lucidior, nec minùs certus; nullus enim est casus, in quo Reus probare teneatur, nisi aliquo sensu Actor sit; nam v. gr. in quolibet casu Exceptionis peremptoriæ, petit, se manu teneri in jure per Exceptionem acquisito, & in Casibus, in quibus Actori præsumptio favet, hic probare tenetur, personas, res & loca esse in suo districtu; posito quòd illud negetur ab Adversario, quod accidere potest, quoad Pagos in extremitate districtûs constitutos.

Transiens Autor *Regulâ Tertiâ* ad ea, quæ in probationibus adhiberi possunt, exorditur à rumore vulgi, seù famâ, quæ probationis vim non habet, nisi aliis fulciatur adminiculis. Dicit *Regula Quarta* Testes & Scripta, Indicia, aliave Argumenta, vim Probationum habere; tùm de præsumptione disserit circà quam 6. Regulas tradit. In X. dicit, Judicis Offi-

cium esse inspicere, quid ad Probationem uniuscujusque negotii sufficiat. Denique varia Causarum genera enumerat, circà quæ indicat Textus loquentes de Probationibus, quæ in iis admittendæ sunt usque *ad Reg. XXIII.*

Ut ordine congruo disponerentur hæ *Regulæ XXI.* à præcipuis initium faciendum erat, nempè ab Instrumentis; tùm ad Testes pergendum; dein, ad Indicia; indè, ad Præsumptiones; denique, ad rumorem publicum: tunc, expositis, quæ sufficientiam, aut insufficientiam Probationum spectant, indicandæ erant Probationes uniuscujusque generis Causarum, pro dignitate singularum.

REGULA XXIV. Quod hîc dicit, Probationi testimoniali peculiare est, & rejiciendum erat ad *Cap. XIV. de Testibus.*

REGULA XXV. hîc loquitur de eventu Probationis. Dicit primùm, eum, qui probat, Causam obtinere; Adversarium verò damnari, prout Causa postulaverit, ad restituendum Simplum aut Duplum. Tres subjicit Exceptiones. *Prima*: nisi hic contrariam Probationem suscipiat; hæc Exceptio quinque Replicationibus restringitur, 1. Si agatur de delicto probato *Cap. 2. de Probat.* 2. Si depositiones publicatæ fuerint. 3. Si Probationi renunciatum fuerit. 4. Si Probatio posterior anteriorem vincere nequeat. 5. Si Probatio sit definita, qualis est ea, quæ fit per Confessionem in Jure; per Juramentum delatum, aut relatum; vel per rem judicatam, aliudve simile momentum controversiæ decisorium; *6.* Adjici potest, si præsumptio tantam vim habeat, ut omnem Probationem contrariam excludat. Ejusmodi præsumptiones dicuntur *Juris & de Jure*: talis olim erat præsumptio Matrimonii deducta ex copula carnali inter Personas desponsatas. Has præsumptiones approbat Jus & jubet, ut Factum sic præsumptum, pro certo habeatur; talis est præsumptio Professionis Religiosæ nascens ex gestatione habitûs Professorum, & exercitio actuum Religiosorum cum habitu ultrà tempus Probationis *Cap. 4. de Regular.*

Exceptio Secunda: si Probatio destruatur per Exceptionem, sive objectionem fortiorem, undè fit, ut, si probetur aliquem Hæreseos minimè Suspectum instante morte, Hæreticos vocavisse, ut consolationem ab illis acciperet per manuum impositionem, is idcircò non reputetur Hæreticus, positò quòd videatur mentem sanam non habuisse: si verò Hæreseos suspectus erat, non admittitur hæc excusatio, posito quòd Hæretici nonnisi Personis ratione utentibus hanc consolationem impertire soliti sint. *Cap. 3. de Hæret. in 6. Exceptione Tertia*, Excipitur Casus, quo præsumptio gravis adversùs Probationem militat; *Cap. 10. de Præsumpt.* quo in casu vincit præsumptio, nisi Factum præsumptioni contrarium perfectè probatum fuerit. Exceptio hæc continetur in Secunda; & ex utrâque junctâ consequitur id, quod priùs observatum fuit in hanc *Regulam XXV.* extrà Casus, in quibus non admittitur Probatio rei contrariæ iis, quæ probata sunt, Probationem majorem Lites definire.

REGULA XXVI. nihil continet, quod non sit in præcedentibus; quippè jam diximus, eum, qui non probat, Causa cadere; Confessionem Rei liberare Actorem à probandi necessitate, Juramentum delatum & præstitum, Probationis locum tenere, sed non esse deferendum nisi deficientibus cæteris, cùm sit tantùm subsidiarium.

Autor, hoc in Capite, de Probationibus in genere differens, multa miscuit, quæ ad species pertinent: tale est quodcumque dicit de Præsumptione, de Juramento, de Confessione, de Testibus, de Instrumentis, quod reservandum erat ad Capita sequentia, in quibus agit *de Probationibus in specie.*

Plures aliæ Regulæ circà Probationes generatim consideratas in Jure occurrunt; multas refert *Fagnanus Tom. I. p. 40. Tom. II. p. 133. de Probat. 147. de Probantib. 166. de Jurejur. Tom. III. p. 33. de Candest. Desponſ. pag. 86. 87. qui Filii Legit.* Scilicet ex multis semi-Probationibus exurgit Probatio perfecta: Probationes contrariæ, quæ conciliari non possunt, se mutuò destruunt: Probationum inæqualium fortior vincit; Probatio dubia aut æquivoca non liberat ab obligatione probandi, & interpretationem accipit contrà Allegantem: in Causâ summariâ Probatio perfecta non est necessaria; levis autem sufficit: Probatio perfecta non destruitur, nisi per aliam similiter perfectam; præsumptio cedit veritati; Itaque Probationes ab hac deductæ, vincunt Probationes à præsumptione quæsitas: ubi agitur de Crimine, Probationes luce clariores esse debent; Consuetudo, quæ Probationes vulgò receptas antiquat, aut, quæ iis aliquatenùs derogat, nulla est, maximè si Juramenti adjectionem requirat; quippè quæ bonis moribus adversetur, Juramentum sine necessitate exigendo. Idem *Fagn. in Cap. 2. de probat.* idem dicere debuisset de Legibus, quæ Clericis dabant licentiam se, Jurejurando interposito, purgare à Criminibus, quæ per Testes fide dignos poterant probari; quia objiciunt periculo pejerandi, & quoad Clericos, antequàm discutiat probationem legitimam per Testes, adeò necessariam in materia Criminali *Cap. 12. de Prob.* istas Leges commemorat, & reprobat. Idem Autor in *Cap. 2. hoc Tit.* ostendit, neminem se restringere debere ad unicam Probationis speciem, & Bonum publicum, quod alia Probationum genera introduxit, non pati, ut quis eorum usum respuat.

Observationes in CAP. XIII. *de* PROBATIONE *per* INSTRUMENTA.

Si *Regulæ I.* inseruisset Autor omnes conditiones requisitas, ut Instrumentum sive Privatum, sive Publicum, sit in formâ probante, pleræque Exceptionum XIII. inutiles fuissent, quippè quæ desumantur ex defectu alicujus harum conditionum: porrò eæ pendent, tam ex usu Loci, quàm ex Jure Communi.

Ut igitur sub una Regula collocetur, quod in illis continetur, dicere sufficeret, quodlibet Instrumentum, juxtà receptum in Provincia Jus, confectum, Probationis vires habere; etenim Jus illorum formam non præscribit, nisi, ut probatoria sint. *Cap. 5. & 9. de Fide Instrum.* loquuntur de Instrumentis privatis, cætera de Instrumentis publicis. *Quatuor* aliæ *Regulæ*, quæ pertinent ad Locum & Tempus, quo Instrumenta edenda sunt vel ad eorum innovationem, vel ad Probationem amissionis ipsorum, nihil tradunt quod momento careat; sed junctâ, etiam *Primâ*, non tradunt omnia, quæ circà hoc scitu necessaria sunt; adjiciendæ sunt *Regulæ XXII. XXIII. Capitis XII.* CUJACIUS; GONZALEZ, FAGNANUS, plures alias circà idem Argumentum Regulas referunt, quæ spectant vel Instrumenta falsa, vel communicationem Actuum; vel Comparationem Probationis per Instrumenta, cum Probatione per Testes. Illæ Regulæ collectæ sunt in *Tractatu de Judiciis*, eæque enucleatæ, quæ expositione indigebant. Sufficiet observare, duos priores asserere, Probationem per Instrumenta, non esse fortiorem Probatione per duos Testes, & vicissim juxtà CUJACIUM *in Cap. 10. de Fide Instrum.* Probatio per quatuor Testes vincere debet Probationem per unicum Instrumentum; sed indè non sequitur, Probationem per Testes plures, quàm duos, esse admissibilem contrà id, quod continetur in Instrumento, quod ut legitimum agnitum est; nam quædam sunt Facta, ad quorum Probationem, Leges requirunt Scriptum formâ legitimâ vestitum. Secùs est si validitas Instrumenti controvertatur. v. gr. Si captatum fuit, per vim extortum, aut per seductionem confectum; si falsum sit; aut aliis vitiis laboret.

laboret, quæ nonnisi per Testes probari queant: tunc enim hæc probatio admitti debet adversùs Actum. Probatio per Instrumenta necessaria non est, nisi quandò eam requirit Lex: probatio testimonialis sufficit quotiès non reprobatur.

GONZALEZ contendit idcircò Titulum *de Testib.* anté Titulum *de Fide Instrum.* & immediatè post Titulum *de Probat.* collocatum fuisse, quòd Compilatores Textuum Juris & Pontifices aut Principes, qui Compilationibus autoritatem dedêre, arbitrati sunt, probationem testimonialem efficaciorem esse probatione per Instrumenta. Peccat hæc consequentia; nam hæc autoritus Tituli *de Testib.* provenire potest ex eo, quòd probatio testimonialis communior sit probatione per Instrumenta, cùm innumera sint facta, quæ scriptis non mandentur, in quibus proindè probatio testimonialis necessaria est, & probatio per Instrumenta impossibilis. Prætereà, probatio testimonialis locum habet in Instrumentis: quippè quæ contineant testimonium voluntatis Partium, & Depositionem Testium, qui illud subscribunt, & Personæ publicæ, quæ Instrumentum conficit. Idcircò idem Autor *in Cap.* 10. *de Fide Instrum.* consultò discutiens quæstionem, an probatio per Instrumenta vincat probationem testimonialem, asserit vincere, si Instrumentum sit Publicum, à viro non suspecto profectum, & formâ legitimâ donatum *n.* 14. usque ad finem.

Regula contenta *Cap.* 14. *ejusd. Tit.* ad rem etiam facit. Dicitur in *Capite*, Cautionem, cujus causa non exprimitur, esse nullam; sed expressa causa valere, donec falsitas causæ probata fuerit. *Cap.* 4. *de Solution.* hìc etiam applicari potest, posito quòd ex scripto appareat, pecuniam acceptam fuisse, & is, qui solvit, probet, se illam non debuisse, aut is, qui negat, sibi solutam fuisse, probet, eam sibi debere; nam, primo Casu, admittitur probatio adversùs Confessionem debiti, quam fecit is, qui pecuniam accepit, ad probandam solutionem sibi factam contrà denegationem numerationis pecuniæ ab illo factam. *Vide* GONZALEM *in Cap. istud. n.* 8.

OBSERVATIONES *in* CAP. XIV. *circà Probationem per* TESTES.

Hìc Autor magis diffusus est, quàm circà aliam quamcumque probationem. Id postulavit amplissima copia Textuum de hac loquentium, quæ superat numerum collectivè sumptum eorum, qui de cæteris probationibus tam ingenere, quàm in specie, agunt. Exorditur à productione & discussione Testium, undè transit ad coactionem, breviterque delibatis adjunctis & consecutionibus productionis, & discussionis, prolixè differit de Reprobationibus adversùs Testes, quarum refert LVIII. cum quibusdam Replicationibus. Omnes Exceptiones *Regulæ I.* reducuntur ad Impedimenta legitima. Itaque eos Autor Regulæ conjungere potuisset, dicendo, Testes edendos esse coram Judice, & ab eo discutiendos nisi legitimo Impedimento distineantur, tùm observando continuâ serie, quænam illa sint Impedimenta, nempè, distantia Locorum, morbus, senectus, infirmitas, aut paupertas Testium, qualitas Personæ sumpta vel è sexu, vel è statu, vel ex dignitate.

Textus, qui Clericos, & speciatim Episcopum, liberat à necessitate sistendi se apud Judicem Sæcularem, ad deponendum, supposititius est. Quod dicit de Muliere, non ubique admittitur, nisi Dignitas ejus aut Clausura exigat, ut illa domi examinetur. Loquendo REG. II. de Commissariis ad audiendas Causas, distinguere debuisset Casum, quo hi sunt in districtu Judicis, ab eo, quo extrà districtum ipsius commorantur: nam, in hoc, Judex Loci delegandus est; in illo autem, delegari potest quisquis ad id munus idoneus est. De illo Casu intelligendum est *Cap.* 8. *de Testib. & attestat.*

Exceptiones hujus Regulæ non obtinent in Judiciis Criminalibus, in quibus Testium cum Reo collatio, quæ apud Gallos dicitur *Confrontation*, necessaria est: idem est de *Reg. II.* quæ pertinet ad Commissarios, ad receptionem & discussionem Testium, vid. GONZALEM *in Cap. VIII.* REGULA III. & IV. Spectant tempus, quo Testes produci nequeunt: nempè 1. antè litis Contestationem. 2. Post Publicationem, Depositionem. Utraque plures habet Exceptiones, quæ ad unicam aut duas reducuntur, si considerantur, quoad causam ipsarum Exceptiones *Primæ* reducuntur ad Casus periculi, ne post litis contestationem Testes audiri nequeant, & Casus, in quibus necessaria non est contestatio, quia Causæ, de plano judicandæ sunt. Exceptiones *Regulæ II.* rediguntur ad Casus, in quibus depositiones rite receptæ non fuerunt, aut non satis sufficienter discussæ, & eos, in quibus agitur de aliis negotiis. REGULA V. ferens, audiendos non esse Testes nisi jejunos, extenditur ad Judices, qui jejuni quoque esse debebant; verùm ea exolevit.

REGULA VI. VII. VIII. indicant solùm Textus, qui loquuntur de injustâ Testium citatione, de exhibitione Testium citatorum, & de pœnis eorum, qui depositionem, aut discussionem Testium impediunt. Satius fuisset illorum summam dare, nempè Testes vocandi non sunt, nisi cùm status Causæ id postulat; providendum est, ut eorum sumptus in itinere, mansione, & reditu, suppeditentur; & excommunicandi sunt Laïci, suspendendi autem Clerici, etiamsi sint Episcopi *Cap.* 11. *de Rescript. in 6. §. ult. Cap.* 37. *& 43. de Testib. sub finem.* Hanc circà rem Rei Exceptiones XIV. Regulæ IX. quæ pertinet ad coactionem Testium, rediguntur ad Casus, in quibus excusatur quis à deponendo omninò, vel à deponendo apud Judicem Sæcularem. Decima tertia spectans Judicia Criminalia, falsa est, ut probatum fuit in *Tractatu de Monitoriis*, proindè, quinque Replicationes, quas hic Autor, velut restrictiones hujus Exceptionis affert, in Regulâ includuntur, bonum publicum illud sic exigit. *Decima Quarta* Expositione indiget: falsum est, Cognatos compelli posse ad deponendum adversùs Cognatos, in Casibus, in quibus per Leges dispensantur; possunt in Casu, quo Leges ad id eos obligant. Personæ, quas Leges, in quibusdam negotiis, à depositione dispensant, ad eam tenentur, cùm sine ipsâ veritas detegi nequit. Idcircò, Canones, qui dispensant Episcopos, atque etiam Clericos à deponendo coram Judice Sæculari, abrogati sunt in multis Regionibus. Canones *Regulæ* X. sunt fundamentum usus Monitoriorum. Canones laudati in Exceptione REG. XI. qui dispensant Episcopum à præstando Juramento in Casu depositionis, abrogati sunt. *Reg. XVI.* quæ vetat, adhiberi fidem depositioni Personarum vilium atque abjectarum, si absque gehennâ deposuerint, antiquata est; Leges & Canones ejusmodi prohibitionem ferentes exolevêre.

Quod dicit de prohibitione admittendi plures quàm *Tres* editiones Testium, nisi Producens in *Quarta* asserat cum jurejurando, Testium productorum se notitiam antehàc non habuisse, aut ipsos priùs edere legitimè impeditum se fuisse, expositione indiget, quæ reperitur apud GONZALEM *in Cap.* 15. *de Test. & Attest.*

Regulæ circà consecutiones discussionis Testium, indicant solùm Textus de Argumento loquentes. In *Regulis VIII.* circà reprobationem Testium, nullum servat ordinem, multasque iterationes inutiles fecit; quæcumque enim desumuntur ex eo, quòd Testes non habeant qualitates requisitas, uno verbo comprehendi poterant, dicendo, quemlibet Testem illarum aliquâ carentem esse reprobabilem, & quoad illarum enumerationem, ad superiora remittendum erat

erat. Quoad ordinem, reprobationes in plures Classes dividendæ erant, quibus singulæ pro affinitate suâ subjectæ forent. Prima Classis eas contineret, quæ à testimonio prorsùs excludunt, v. gr. infamiam, crimina atrocia, damnationem propter alia, Excommunicationem. Alia Classis, Reprobationes excludentes à depositione ergà certas personas, v. gr. inimicitias, famulitium, servitutem, liberti conditionem, consanguinitatem: alia, eas, quæ Testem suspectum faciunt, v. gr. si ipsius in negotio interfit, sive quia Socius est, sive quia partes adversarii suscepit, ut Advocatus; si negotium simile habeat, vel si deponere nequeat, nisi suspicionem incurrat, ut Judex: Alia, personas, quarum testimonium admittitur in quibusdam Judiciis, in aliis reprobatur: Sic admittuntur Cognati, si de Impedimento consanguinitatis agatur; mulieres in Judicio Civili, secùs in Extraordinario.

Quod dicit passim, quasdam Reprobationes in quibusdam casibus esse legitimas, in aliis inanes, idque à Judicis Decisione pendere, in fronte, aut in calce disputationis hujus erat collocandum.

Circà hanc rem laudat multos Canones abrogatos: tales sunt 1. Ii, qui Laïcos excludunt à depositione contrà Clericos. 2. Ii, qui jubent, ut unico testimonio stetur, cùm à quibusdam personis, Episcopo vel Pontifice profectum est. 3. Ii, qui Monachorum testimonium reprobant adversùs Clericos.

Non semel asserit, neminem posse reprobare testimonium eius, cujus depositione in aliquo negotio usus sit; nec excipit casum, quo in intervallo reprobabilis ille factus est. Monere debuisset, causas pleraspue, quæ Accusatorem inadmissibilem, & Judicem recusabilem faciunt, Testem quoque reprobabilem facere, & proindè remittere ad Tractatum præcedentem in illis causis, ubi dixit de Accusatore & Judice. Multæ sunt similitudines & differentiæ inter probationem testimonialem, & probationem instrumentalem; ambæ mutuò conferendæ erant, ad notanda earum communia, vel peculiaria attributa. Hoc executi sumus in nostro Opere. Præcipua Capita sunt, falsitatem, suspicionem falsitatis, contradictionem, contrarietatem, corruptionem, suppressionem iniquam, in utraque probatione locum habere: vitia hæc proponi possunt in quocumque statu Causæ, & in qualibet Instantia: scriptum per scriptum refellitur; sicut Testis per Testem: si nova Instrumenta detegantur, aut amissa, vel detenta recuperentur, ea possunt adhiberi, etiam post Judicium: idem est de Testibus recèns advenientibus, & de iis, qui cogniti vel detecti fuêre post litem, modò probentur hæ circumstantiæ. Probitas constans, aut præsumpta Testis, fidem ejus testimonio tribuit; similis probitas Præpositorum ad describendos Actus publicos, Instrumentis pondus adjicit: utraque probatio à Principe & à Solemnitatibus ab ipso institutis, autoritatem accipit.

Unicum Instrumentum sufficit. Duo saltem requiruntur Testes. Retractationi obnoxia est depositio, non item Enunciatio Instrumenti. Depositio obscura ab ipso Teste est enucleanda; obscuritas Instrumenti in præjudicium loquentis accipitur, *contrà eum, qui potuit legem apertiùs dicere, interpretatio est facienda.*

OBSERVATIONES *circà* CAP. XV. *de* CONFESSIONE JUDICIARIA.

Cùm Secundus hujus Operis Liber ad Judicia Civilia seu Privata pertineat, hìc solùm agi debet de Confessione, quoad negotium Civile. Nihilominùs tres novissimæ Exceptiones *Regulæ I.* nempè 6. 7. 8. loquuntur de Confessione in Re Criminali.

Quinque Priores Exceptiones sub unicâ Regulâ collocare potuisset, ac debuisset, dicendo, eum, qui confitetur apud Judicem competentem, pro judicato haberi, si Confessio spontanea, sine errore facti constans, absoluta sit, & restitutioni in integrum non sit locus. Sic continuò cernerentur, tùm effectus Confessionis Judiciariæ, tùm conditiones requisitæ, ut ipsum sortiatur.

Regula II. est consecutio 1. nam si Reus confessus, pro judicato habetur, oportet, ut is, qui ritè interrogatus, silet, cogatur ad solvendum, quia silentium hac in re Confessioni æquivalet, juxtà regulam, *Qui tacet consentire videtur*, intelligendam de eo, qui non respondet, etsi teneatur ad respondendum. *Exceptio I.* subauditur in Regula, nam Reus absens, etiam contumax, ritè interrogari nequit.

De materia Exceptionis I. locuti sumus, ubi de probatione negationis: quod enim diximus de negatione merâ, sive eâ, quæ nullam affirmationem continet, ideòque probari nequit, argumento affine est; nam positio negativa, ad quam Reus interrogatus tenetur respondere, ex iis est, quæ probationem directam non suscipiunt, quàpropter ad Confessionem Rei recurritur.

Notandum est in *Regulâ III.* responsionem obscuram, & respondendi recusationem idem esse, & proindè pro judicato haberi, non solùm eum, qui confitetur, sed etiam eos, qui vel silent, vel obscurè loquuntur.

Observatum est suprà, circà divisionem hujus Operis, Autorem invertisse ordinem TITULI *de confessis*, hunc postponendo *Titulis de Probat. de Testib. de Fide Instrum.* quos præcedit in Corpore Juris. Momentum videtur fuisse, quòd Confessio sit probatio necessaria Actori, qui Actionem aliter tueri nequit, *Decretalium* autem Compilatores hunc Titulum Titulo *de Probationibus* præposuerunt, quia, confitente Reo, Actor probatione non indiget.

Cùm Autor omiserit majorem partem eorum, quæ pertinent ad Confessionem in Judicio Criminali, necessarium videtur, ut istàs Omissiones suppleamus, adjiciendo nimirùm 1. Reum, qui crimen confessus est, interrogandum non esse circà Conscios, qui si editi fuerint, ob id tantùm castigandi non sunt, nisi agatur de Crimine Læsæ Majestatis, aut aliis flagitiis atrocibus in Jure expressis *Cap. I. de confessis*, & apud GONZALEM *in illud*, qui notat, ubique contrarium observari. 2. Si quis scelus incidenter in Instantiâ confiteatur, pœnâ ordinariâ non est afficiendus, nisi in subsequente Inquisitione convincatur *Cap. 2. ibid. 3.* Si Reus crimen, post Inquisitionem juridicam in ipsum factam, confiteatur, suam Confessionem impugnare non potest, idcircò quòd antè inquisitionem diffamatus non erat, vel quòd Delegatus ipsi non communicavit Capita, de quibus in ipsum inquirendum erat. *Cap. 1. de Accusat. in 6.* 4. Confessio per gehennam extorta, vim probationis habet in Judicio Capitali, undè fit, ut Canones Reos ad eliciendam Confessionem criminis torqueri probent. *Cap. 6. de Reg. Jur.* juncta vulgari Canonistarum interpretatione. Vid. præ Cæteris T*amburin. de Jure Abbatum Tom. III. Quæst. 10. de Praxi Criminali*, ubi de gehennâ præfata differit; FAGNAN. *in Cap. 1. de Relig. & veñer.* qui per occasionem solùm de illâ loquitur, eamque probans, dicit, Confessionem sic extortam pro merâ veritate haberi. *n.* 46.

OBSERVATIONES *in* CAP. XVI. *de* JUREJURANDO

De probatione per Præsumptionem [illegible]endum fuisse, priusquàm Juramentum tractaretur; ordo Collectionis *Decretalium* id requirebat: sed cùm Autor, dispu-

disputando de Probationibus in Jure, præcipuas collegerit Regulas ad Præsumptionem pertinentes, ad hanc in specie exponendam probationem redire noluit.

Quamvis hìc agatur solùm de Jurejurando, quatenùs probatorium est in Judiciis, oportuissetque solùm illud considerare sub hoc respectu, Autor hìc collegit quidquid in Jure reperit, circà Juramentum, quàm latissimè patet, spectatum, Moralemque Tractatum instituit. Ab hoc vitio cavimus in *Tractatu de Judiciis*, in quo nihil dictum fuit circà Juramentum, nisi quod illud, quatenùs probatorium, respicit. Reliqua *Tit. de Jurejurando*, & quæ alibi occurrunt rejecta sunt in expositionem *Decalogi* per Canones, ubi fusè disseruimus de Jurejurando in Interpretatione *Præcepti II.*

Porrò, ut sermo restringatur ad Juramentum probatorium, observandum est, ex *Regulis IX.* hujus *Cap.* solam *Tertiam* Argumento congruere. Sumpta est ex *Cap. ult.* TIT. *de Jurejurando*, qui alium Textum circà hanc rem non continet; & quidem hujus Textûs expositioni præcipuè CANISIUS incubuit in suâ *Summâ Lib. IV. Tit. XII.* ubi, definito Jurejurando, & diviso in Promissorium & Assertorium, insinuat, Assertorium, vel simpliciter esse Assertorium, vel Assertorium & Decisorium simul; quod fit, quotiès adhibetur, ad definiendam controversiam judicialem, vel extrajudicialem. Tùm distinguit tres Species Juramenti Decisorii, nempè Voluntarium, Judiciarium, & Necessarium: per *Voluntarium* intelligitur id, quod alius alteri defert, per conventionem voluntariam inter eos factam: Juramentum hoc vim transactionis habet. *Judiciarium* illud est, quod Litigantes, pendente lite, sibi mutuò deferunt, aut referunt, approbante Judice; is, ad quem defertur, potest illud referre, nisi Judex jubeat, ut ille ipse Juramentum præstet. Per Juramentum *Necessarium*, intelligitur id, quòd à Judice præcipitur, cùm Actor sufficientibus probationibus non juvatur, sed uniçà præsumptione; quo in casu Jusjurandum vulgò defertur Reo, nisi circumstantiæ Judicem inducant, ut deferat Actori, quâ in re servatur in Civili Judicio eadem procedendi ratio, quæ obtinet in Criminali, in quo, si Accusator non probet sufficienter, superfint tamen suspiciones in Reum, hic obligatur ad Purgationem cum Juramento. Utraque videtur contraria Regulæ, *Actore non probante, Reus absolvitur*; minimè tamen repugnat: nam Regula restringenda est ad Casum, quo probationes omninò deficiunt; præsumptio autem & suspiciones sunt semi-probationes vid. GONZALEM *in Caput ult. de Jurejur. & Cap. 2. de Prob.* ubi discutit, an sint Casus, in quibus Judex teneatur Juramentum Reo deferre, cùm Actor non probat, relatisque utrimque rationibus, tales extare contendit; scilicet, eos, in quibus probatio non est plena & sufficiens, ita, ut jus Actoris dubium sit, ideoque Jusjurandum hoc vocari *Suppletorium*, seù probationem subsidiariam; & *Necessarium*, ratione obligationis ex parte Judicis illud deferre debentis, & ex parte Rei, qui proferre illud debet: Verum extare Causas, in quibus hoc defuit: talia sunt Judicia Criminalia, quæ probationes requirunt luce clariores, & negotia Civilia magni momenti, item extare circumstantias, in quibus, allatis probationibus insufficientibus, Actori deferendum est Juramentum, nempè bonam famam & dignitatem, quæ eum fide digniorem faciunt. Cùm hæc probatio subsidiaria, non sit melioris conditionis, quàm cæteræ probationes, sequitur, Sententiam secundùm hanc probationem dictam, retractari debere, si postea emerserint Instrumenta illi contraria. Vid. CANISIUM *ibid.*

Non levis est difficultas, quæ ex fine *Cap. ult. de Jurejur.* pluriès laudati, elicitur. GREGORIUS IX. ibi insinuat, existere casus, in quibus Actore non probante, præsumptio ipsi Reo non favet; quod falsum videtur: nam merus probationis defectus semper gignit præsumptionem, Reum nihil debere: sed probabile est, Pontificem loqui de præsumptione proveniente ex eo, quòd probatio contrà Reum non est sufficiens, quo in casu fieri potest, ut illi Juramentum deferatur. Sed quomodò hoc conciliabilitur cum eis, quæ dicta sunt, dimidiam probationem Actoris inducere præsumptionem in gratiam Actionis? Fortè dicendum est, tunc præsumptionem utrique favere; sed eam, quæ Reo patrocinatur, vulgò graviorem esse, ideòque eum mereri, qui cæteris paribus præferatur.

OBSERVATIONES *in* CAP. XVII. *de* ORDINE COGNITIONUM *aliisque* OFFICIIS JUDICIS.

His discussis probationibus tam generatim, quàm sigillatim, ad hanc materiam Autor transit, neglecto ordine Collectionum *Decretalium*, in quo Titulus hic antè Titulum *de Probat.* etiam 7. aut 8. interjectis, collocatur. Nihil dicit ad defendendam hanc transpositionem, sed eam feciſſe videtur, quia præcipuum ex Officiis Judicis est, ut ordinem præscriptum in cognitione Causarum servet. Id infertur ex eo, quòd sub eodem Titulo agat de quibusdam aliis Officiis Judicis; non reservavit autem ea, quæ commemorantur in Titulis, qui præcedunt Titulum de *Ordin. Cognit.* & iis, qui sequuntur, usque ad Tit. *de Jurejurando.* Fortè quòd ipsi visa sint pertinere ad rationem procedendi, eique inseparabiliter cohærere; illud autem, de quo agitur, Titulo de ordine cognitionum, & ea, quæ ipsi adjiciuntur, hic pertinent ad Judicia. Ut ut sit de vero momento hujus transpositionis, scire satis est, utramque dispositionem posse defendi. Quoad Regulas IV. ab Autore traditas, eæ bonæ sunt, & usûs quotidiani: justum est, 1. discutere possessionem, antequàm agatur de proprietate, quoniam hæc acquiritur per Possessionem. 2. In concursu duarum rerum judicandarum, minor cedere debet majori, cùm hujus Definitio alteri præjudicium infert. 3. Indè sequitur, inchoandum esse à Judicio Causæ, à cujus Decisione pendet alterius Judicii Definitio; itaque Regula *Tertia* includitur in *Secunda* & vicissim. 4. Cùm Exceptio peremptoria est, judicium Actionis pendet à Judicio Exceptionis; undè Regula *Quarta* est consecutio duarum præcedentium. Non secùs est, si dilatoria sit, & Judicium defensionem Rei adjuvet; talis est Exceptio spoliationis.

Ratio ordinis in his Regulis præscripti, est, quòd Decisio unius è Causis simul concurrentibus, ad alterius Definitionem viam sternat. Eximiæ sunt & magni momenti Regulæ subsequentes, quæ ad alia Judicis Officia pertinent, vel ad agendi rationem in dubio, vel ad relationes aut ad formam & pronuntiationem Sententiæ.

REG. XI. dicens, judicandum esse secundùm Transactiones, reducitur ad *Quartam*, quatenùs ea respicit Exceptiones peremptorias; nam Transactio una ex iis est.

Ultima Exceptio *Reg. XIII.* restringi debet ad negotia spiritualia, quæ per solos Canones diriguntur; nam in aliis, quæ Legibus obnoxia sunt, qualia sunt temporalia, Judex secundum Leges judicare debet. Aliæ Regulæ usque ad XXII. locum habent in Interpretatione Legum, perindè ac Contractuum, & pertinent ad superiorem Tractatum de Interpretatione Legum.

Exceptio XV. reducitur ad *Reg. II. in 6.* nam Actor, cui objicitur conditio servilis, Reus est in refutatione hujus objectionis: ergo pertinet ad Regulam, quòd in dubio favendum sit Reo.

REG. XVII. & XX. solùm quoad verba differunt, & significant, in dubio mitiorem partem esse eligendam.

REG. XXIV. pertinet ad relationes, de quibus agitur, nempè eas, quibus Judex Principem docet ſta-

tum negotii, rationes Partium, & suas. Secùs est de REGULIS XXIII. XXV. XXVI. XXVII. Textus in his laudati sunt diserti. Quod dicitur *Reg.* XXVII. non admitti appellationem à Sententiâ secundùm responsum Principis prolatâ, locum non habet, nisi cùm relatio communicata fuit Partibus, ipsæque consenserunt, ut mitteretur. *Cap. 68. de Appellat. recusat. & relationib.* unicum est hoc in Titulo de Relationibus loquens. Tres Textus laudati *Reg. XXVIII.* accepti sunt ab Epistolis falsò adscriptis Pontificibus, SIXTO, DAMASO, & ELEUTHERIO; Quod in iis fertur, Episcopum judicari non posse inconsulto Pontifice, adversatur Disciplinæ illius ætatis, & multorum Sæculorum sequentium.

Exceptio *Regulæ XXXII.* dicentis, Sententiam scripto mandari debere, falsa est, Canonque laudatus abrogatus est, per *Cap* 11. *de Probat.* complectens omnes Sententias Ecclesiasticas sive adversùs Clericos, sive adversùs alios. Quod dicit, Sententiam esse ultimum Judicis Munus, verum non est, nisi quoad Definitionem Causæ; quippè ad ipsum præterea pertinet, ut Sententiæ executionem procuret. Vide *Exceptionem XIX.* REGULÆ I. QUÆST. IV. *Cap. V. Lib.* I.

OBSERVATIONES *in* CAP. XIII. *de* APPELL.

Postquàm de Actibus Judicialibus, qui præcedunt aut sequuntur litis contestatione n, quorum novissimus est Sententia, disseruit Autor, ad Judiciorum consecutiones transit, quarum præcipua est Appellatio Judicialis, cui soli incumbit, neglectâ prorsùs Appellatione Extrajudiciaria, quæ argumento aliena est. *Caput* hoc in Quæstiones VIII. dividitur. *Secunda* pertinet ad causas appellationis. Omnes reducuntur ad malè judicatum, cujus refert Exceptiones XXXIV. quarum plures suas Replicationes habent. Aliæ vel falsæ sunt, Autore ipso fatente, vel ab usu alienæ, vel malè probatæ. Ad hæc Capita redigentur Observationes in illas Exceptiones, sed priùs monitum Lectorem velim, Exceptiones Replicationibus restrictas, sub Titulis singularibus exponi debuisse, quoties numerus Replicationum magnus est. Hinc, neglectis subdivisionibus, expositio obscura est necessariò: tales sunt maximè XVI. & XX. promiscuè & perturbatè Exceptiones congestæ sunt, quas ordine congruo infrà notando disponere potuisset.

Canones Africani laudati in *Prima* non loquuntur de Arbitris, sed de Episcopis Provinciæ, qui à Partibus Judices electi fuerant, à quibus provocare non licebat; non quòd veri non essent Judices, sed quia Partes ipsorum electione, pollicebantur, se ipsorum Judicio adhæsuras. Hi Canones sunt 33. & 34. CAUS. II. QUÆST. VI. Canon 34. quem laudat etiam in Replicatione *Secunda*, mutilatus est, & in eo deficit negatio. Vide Notas Correctorum Romanorum.

Exceptiones II. III. IV. exolevêre; nam hodie licet provocare à Judicio Episcopi nec non à Sententiâ Primatis, vel Metropolitani, & à Sententiâ Concilii Provincialis, etiam unanimi.

Quinta, Ad rem non facit, Auditor quippè in eâ memoratus, non est Judex. Idem est de *Nona* ob eamdem rationem; nam Executor non est Judex: querelæ tamen locus est, si ejusmodi Officiales potestatem suam prætergrediantur.

Septima, Non est in usu, si agatur de Judice inferiore; nam si talis Judex Officialem suum condemnet, hic appellare potest.

Idem est de *Decima*, nam licet intercedere resignationi, seu aperturæ testamenti, cùm hæc injustè præcepta est.

Sensus *Undecimæ* est, non licere provocare à Legibus aut Canonibus universaliter receptis. Casus singularis est. Episcopus Parisiensis instabat executioni quarumdam Legum, tam Sæcularium, quàm Ecclesiasticarum contrà Judæos. LUDOVICUS *Junior*, qui lucrum aliquod ex earum neglectu capiebat, ad ALEXANDRUM III. provocavit, qui definivit, appellationem ob rationem prædictam non esse admissibilem.

Inter Exceptiones sequentes, perindè atque inter præcedentes, multæ sunt, in quibus appellatio non prohibetur, sed ejus effectus suspensivus tollitur: tales sunt X. XI. XII. XIII. XIV. XV. ubi enumerantur Casus, in quibus Judicium executioni mittitur, non obstante appellatione. Res patet in appellationibus Disciplinam Regularem, aut Censuras spectantibus.

Decima sexta, Quæ pertinet ad prohibitionem appellandi antè Sententiam definitivam, *Quinque* Exceptiones habet ad unam generalem reducendas, nempè, ob gravamen ex Sententiâ interlocutoriâ ortum; quæ locum habet in omnibus petitionibus incidentibus: tot suppetunt harum petitionum exempla, quot sunt hic Replicationes. Gravamen in injustâ harum petitionum repudiatione, aut concessione consistit. Mentio hìc Sententiarum interlocutoriarum facta, ostendit, Autorem eas suprà ad præparandum Lectoris animum commemorare debuisse, ubi de Sententiâ disseruit.

Quod dicit in *Decima septima*, provocari posse ab omni gravamine futuro, quod contingere potest in lite actu pendente, continetur in omni appellatione; nam Judex, à quo appellatur, nihil, appellatione pendente, innovare valet, quin attentatum perpetret.

Decima nona expositione indiget: nam, licèt crimen sit notorium aut confessum à Reo, iniquum esse potest Judicium ratione pœnæ: itaque interdùm appellationi locus est Præterea notorietas facti non est semper res constans, *Cap.* 14. *de Appell.*

Vicesima, circà Rescripta, in quibus appellatio interdicitur, restringenda est ad casus, in quibus appellatio manifestè injusta est, aut futilis; vel sensus est, Judicium executioni admittendum, *appellatione remotâ*: alioquin prohibitio iniqua esset, præberetque occasionem opprimendi unum è Litigantibus, quippè Judex sit delegatus, innoxiumque condemnare potest, vel rem litigiosam alii, quàm Domino addicere, omni prorsùs remedio Gravatis ablato. Si dicatur his superesse querelam ad Superiorem, quæ appellationi subsidiaria est: respondemus, appellationem esse remedium ordinarium, facile & certum; querelam autem Superiori oblatam, esse remedium extraordinarium, difficile & incertum, quoad Receptionem; quippè Princeps aut Pontifex, à quibus solis ejusmodi commissiones emanant, difficillimè adiri possunt, & querelam nequidem visam repudiare solent.

Longiùs progrederentur Observationes, quæ fieri possent in singulas Exceptiones reliquas. Generatim sufficit dicere, has & præcedentes complecti casus, in quibus appellatio non habet locum; quorum alii sumuntur. 1. Vel ex parte Judicis, à quo provocari nequit; vel quia Arbiter est duntaxat; vel quia supremam Jurisdictionem exercet; vel quia apellatio removetur ejus Delegatione; vel quia revocavit gravamen; vel quia non est Judex; sed v. g. Auditor, vel Executor. 2. Alii ex parte Litigantium, qui polliciti sunt, se non provocaturos; vel qui appellationi propositæ renuntiaverunt, vel eam deseruerunt; vel qui siluerunt tempore ad petendos Apostolos concesso aut ad persequendum præstituto; vel qui solemnitatem neglexerunt, vel qui tempore statuto non appellaverunt; vel qui jus illud aliâ quâcumque culpâ amiserunt. 3. Alii ex parte appellationum præcedentium, si duas consecutivas Sententia similis reprobaverit. 4. Alii ex natura Causæ, quæ requirit, ut Judicium executioni mittatur, vel sine appellatione, vel non obstante ipsâ: tales sunt Causæ Summariæ, vel Provisionis, vel Disciplinæ vel correctionis, tales etiam illæ, quæ notoriæ, seu manifestæ in Jure vocantur.

Divisio hæc lucem procurat, occurritque tædio ex casuum, quorum connexio non percipitur, multiplicitate nascenti. Sic etiam vitantur iterationes, quæ fiunt, vel iisdem, vel æquipollentibus verbis.

QUÆST.

QUÆST. III. *Quis habeat jus provocandi.*

Cùm ratio Appellationis desumatur ex gravamine per Sententiam illato, cùmque tertius ad Judicium non vocatus per Sententiam gravari possit, jure dicit Autor, quemlibet, cujus interest, ne illa executionem sortiatur, habere jus ab eâ provocandi; Vid. CUJACIUM & GONZALEM in *Cap. 17. de Sent. & Re judicatâ*, ubi respondent Regulæ; *Res inter alios acta, tertio non nocet*; eamque restringunt ad Casum, quo tertii non interest; quod congruis exemplis illustrant.

QUÆST. IV. *Ad quem sit provocandum.*

Ad pensandas Regulas XVII. Autoris, earumque Exceptiones, Replicat. Duplicat, sciendum est 1. perindè esse de Appellatione ac de Devolutione; ac utraque introducta fuit, ut corrigatur, seù emendetur factum inferioris, si perperàm judicavit, vel suppleatur ejus defectus, seu negligentia; si Justitiam denegavit. Porrò in devolutione jus hoc ad Superiorem immediatum transit; undè sequitur, Appellationem, *omisso medio* ad Pontificem, Ordini legitimo repugnare; & quidem vetustissimi Textus, quibus illa juvatur, è Spuriis Decretalibus eruti sunt: & hoc sit *Regulæ* I. trutina.

2. Cùm Judex omnem prorsùs Jurisdictionem suam in quædam Judicia, Delegato suo impertitus est, ab hoc ad Superiorem Delegantis provocandum est; quia Delegatus Delegantem exhibet, ejusque Vicarius est, & proindè idem est utriusque Tribunal.

Ab hac Regulâ excipitur Princeps in Temporalibus, & Pontifex in Spiritualibus; quippè qui, non obstante delegatione, Delegati semper manent Superiores, ratione Supremæ Autoritatis suæ; Itaque ad Pontificem & Principem restringenda est *Regula* II. ferens à Delegato appellari ad Delegantem.

3. Si Delegatus utriusque, Principis & Pontificis, qui solus Universum negotium subdelegare potest, nullâ re sibi reservatâ, usus fuerit eâ facultate, Appellatio ad illos pertingit; quia hujusmodi Subdelegatus perfectè representat Subdelegantem, cujus vices gerit, & cujus nomine judicat; ideòque, sicuti à Delegato Principis vel Pontificis ad illos appellandum fuisset, si sua usus fuisset per seipsum facultate; ita ad eosdem appellandum est à Subdelegato, cui tota potestas transmissa est.

4. Idem est cùm Subdelegati aliquot, etiamsi reservata fuerit aliqua pars Jurisdictionis, procedunt cum uno ex Condelegatis; quia, cùm Jurisdictio delegata, sit nobilior, quàm subdelegata, hæc ab illâ trahitur; itaque, perindè est de hoc Casu, ac si Subdelegantes omnem prorsùs Jurisdictionem suam transfudissent in Subdelegatos. Secundùm hæc Judicium ferri debet de Exceptionibus, Replicationibus, Duplicationibus, *Regulæ* II. circà hoc adi GONZALEM *in Cap. 27. de Officio Judicis Delegati.* Observatio hæc producenda est ad *Regulam* X. dicentem, appellari ad Archiepiscopum, ab iis, quæ cum Capitulo gessit Episcopus, quatenùs Prælegatus.

5. Cùm Vicarius Officialis omnem Jurisdictionem Contentiosam Episcopi accipiat, ab eo non appellatur ad Episcopum. Ejusdem conditionis est Vicemgerens, atque Officialis, ob eamdem rationem.

6. Cùm Jurisdictio Temporalis & Jurisdictio Spiritualis sint mutuò independentes, à Judice Civili ad Tribunal merè Ecclesiasticum non est Appellatio, & viciſsim. Juxtà hæc exponendæ sunt REG. IX. XIII. XIV.

7. Is, in quo, velut in fronte, sedem habet Jurisdictio, prohibere potest Appellationem à Judicibus unius Provinciæ, vel alicujus Districtûs ad Judices alterius; undè fit, ut quondam Provinciarum quarumdam Concilia Appellatione remotâ judicaverint; REG. IV. QUÆST. II. Indè Appellationes Ultra-Marinæ prohibitæ sunt. REG. XVI. QUÆST. IV. VI. VII. VIII.

8. Cùm Delegati Pontificis ipsi immediati sint, ad eum appellandum est à Judicio Arbitrorum, qui de controversiis inter illos emergentibus aut recusantibus contrà illos propositis definiunt.

9. Quoniam Sententiæ Executor partem duntaxat Jurisdictonis obtinet, oportet, ut si appelletur ab executione, Appellatio feratur apud Judicem, qui Sententiam tulit.

Exceptio generalis harum Regularum restringi debet ad Loca & Tempora, in quibus Hæresis non toleratur; nam tunc, si Catholicus sit Actor, & Judex Hæreticorum eorum Sectæ adhæreat, necessarium est, ut apud illos litem exerceat; &, si ab eorum Judicio provocaverit, Judex Superior ejusdem Sectæ cognoscat de Appellatione, vel unà cum Catholicis, si Tribunal mixtum constitutum fuerit, vel seorsim extrà hunc Casum.

QUÆST. V. *De tempore, intrà quod appellandum est, ejusque duratione.*

Autor dicit, principiò datos fuisse dies *Duos*, tùm *Tres*, postea *Novem*, denique *Decem.* Pro Regulâ affirmat, tempus illud numerari à die Judicii. Plures excipit Casus, quorum *Secundus* duntaxat verus est, & usu receptus; nempè is, in quo Pontifex Sententiam diriget ad Principem, ut illam confirmet, & pœnæ locum assignet. Cùm Sententia effectum sortiri nequeat, priusquàm notificata fuerit, videtur tempus ad Appellationem datum, nonnisi à die notificationis esse numerandum; aliàs tempus illud frustrà daretur, cùm ad deliberandum detur, an apellare expediat.

QUÆST. VI. *Modus & Forma* APPELLATIONIS.

Cùm attendimus, Appellationem esse unum ex Actibus Judicialibus Insignioribus, videtur eam Scripto tradi semper debere, post *Caput* 11. *de Probat.* quo cavetur, ut ejusmodi Actus Scripto semper conficiantur. Sed *Cap.* 1. *de Appell. in 6.* insinuat, eam posse aliter fieri; frustrà enim præcepisset, ut Appellationes ad Apostolicam Sedem semper Scripto fierent. *Cap. 59. de Appell.* id jam constituisse videtur quoad Appellationes interlocutorias, jubendo, ut causa Appellationis exponatur apud Judicem, qui interlocutus est: Sed, cùm hæc expositio sine Scripto fieri possit, nihil certum ex hoc Textu elici potest. Et *Cap.* 1. citatum, dat locum sentiendi, Appellationem interlocutoriam Scripto non tradi, cùm id specialiter jubeat quoad eas, quæ ad Sedem Apostolicam feruntur, *Clementina de Appellatione* supponit quoque, Appellationem viva voce fieri posse, quandòquidem jubet, ut in conspectu majoris partis Judicum fiat. Usus hic à Jure Civili originem traxit; *Can. ult.* 2. QUÆST. VI. §. 33. Litigatoribus id permittitur quoad Casus, in quibus id negotium requiret. Non repugnat viva voce & Scripto Appellationem insimul fieri 1. Viva voce coram Judice *à quo*; 2. Scripto tradi Judici *ad quem*, ut ab eo impetrentur litteræ, quibus illa admittitur.

QUÆST. VII. *Officia Appellantis consectaria Appellationis.*

Adjicere debuisset, *& Judicum*, sive ejus *à quo*, sive ejus *ad quem* fertur: etenim de utriusque Officiis loquitur. Pleræque ex Regulis XXII. quibus Argumentum enucleatur, indicant solùm Textus de re subjectâ loquentes; plures autem sunt, quorum substantiam duobus verbis exhibere potuisset.

Amplitudo Argumenti *Regulæ* XIII. postulabat, eam sub Titulo singulari tractari, ut lucem necessariam acciperet. Prohibitio innovandi pendente Appellatione, circà quam *Exceptiones* XXI. tradit, pauciori-

bus enucleari potest, si consideretur ex parte Actoris, ex parte Rei, & ex parte Judicis, à quo provocatum est. Hoc ostendemus ubi locum attigerimus.

Regulam V. ad Appellationem interlocutoriam restringere debuisset, cujus solius causa ab Appellante enuncianda est apud Judicem, à quo lata fuit.

Sextam breviare potuisset, dicendo, causam Appellationis non debere probari coram Judice, à quo appellatum fuit; &, junctâ *Septimâ* adjicere, *verùm apud Judicem, ad quem fuit provocatum.*

Dicendum erat *Reg.* II. annum aut biennium dari ad persequendam Appellationem; non verò remittere oportebat ad Textus, quibus hoc tempus præfigitur. *Reg.* II. & X. ad eamdem materiam Apostolorum; sive veniæ appellandi pertinent.

Reg. XII. quæ Suffraganeo, cujus querelam Metropolitanus repudiat, aperit viam invocandi Concilium Provinciale; sic agnoscit Superioritatem Concilii hujus in Metropolitanum. Textus laudatus, ex Decretali Spuriâ ALEXANDRI I. an. CXVI. desumptus est.

Ad Intelligentiam Doctrinæ *Reg.* XIII. observandum est, quòd, *Innovare*, sit agere contrà Appellationem, proindè executio Sententiæ, cujus Appellatio non est suspensiva, non est Innovatio 2. *Attentatus* vocatur quodcumque fit contrà Appellationem: hoc autem genus attentatûs nullum est ipso jure, ob defectum potestatis in Judice, qui illum perpetrat, aut in Parte, quæ illum procurat; Textus autem, qui dicunt, eum esse revocandum, loquuntur de revocatione Facti, non de revocatione Juris. 3. Tempus datum ad appellandum habet privilegium temporis, intrà quod Appellatio pendet, & quo durante innovatio interdicta est. 4. Si Appellatio interlocutoria Jurisdictionem ejus, à quo lata fuerit, non suspendat, nisi postquàm Judex Superior capessere incœpit notionem veritatis Causæ Appellationis, quidquid præcedit non reputatur innovatio vel attentatus; quia hoc in Casu primus Judex exutus nondùm est suâ Jurisdictione circà idem negotium; Posterior autem eâ nondùm potitur. Vid. GONZALEM *in Cap.* 1. *de Appellat.* fusiùs exponentem id, cujus Summam dedimus. Vide eumdem *in Cap.* 19. *de Elect. n.* 11. 5. Quùm Appellatio nulla est ob defectum formæ, aut potestatis, aut causæ; quod fit contra Appellationem non est nullum; sicut Matrimonium posterius, quod initur, pendente nullitate prioris, non est nullum juxtâ Regulam, non *præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.* 6. Quandò Appellans contrà Appellationem suam agit, Actus ejus non vocantur nec censentur attentatus; quippè qui renuntiare possit Appellationi & Judicio assentiri, ut reipsà facit per illos Actus: sed, cùm Judex Appellationem labefactat, exequendo Judicium integrum, aut partem ejus, aut processum continuando post Appellationem suspensivam, incidit in Casum attentatûs. Idem est de Actibus possessoriis ab Actore factis, pendente Appellatione à Judice, quod ipsi addicit Possessionem, posito quòd suspensiva sit.

Hisce observationibus præmissis, haud ægrè disponere possumus ex ordine Exceptiones & Replicationes Regulæ unicæ hujus Quæstionis; nullæ enim sunt, quæ non reducantur ad aliquod ex observatis Capitibus, quod si fiat, ordo congruus nascetur. Sunt Exceptiones XXI. & plures Replicationes.

Loquendo de probationibus per Instrumenta, aut Testes, aut Jusjurandum, diximus, eas allegari posse in Casu Appellationis, quæ omissæ fuerunt in prima Instantia. Itaque *Regula* XIV. est consequentia illius observationis. Aliud est de Exceptionibus, quæ novæ sunt, & ferunt novam Appellationi inseri non posse Actionem; v. gr. non posse peti Possessionem, si agebatur de proprietate, vel Proprietatem si de possessione Controversia erat, nisi Appellatio sit ad Pontificem. Hanc Exceptionem attigimus *in Cap.* 17. *de Ord. Cognit.*

Regula XV. ferens, Sententiam Interlocutoriam, à qua non fuit appellatum, revocari posse per Judicium Appellationis à Sententiâ definitivâ, vera non est, nisi cùm hoc incompatibile est cum Sententiâ interlocutoriâ; id disertè dicitur in *Cap.* 12. *de Appellat.* ab Autore laudato.

Regula XVI. est consequentia *Reg.* XXV. *Quæstionis* II. quæ docet renuntiationem Appellationi hanc perimere; nam, cùm hæc Appellatio judicari non debeat, iniquum foret punire Appellantem ratione Appellationis ipsius; puniendus esset potiùs Judex, qui Actum non subsistentem cassavisset.

Regula XVII. hìc ad Casum unicum restricta, ad omnes congeneres extendi debet, ob paritatem rationis, hinc enim Sententia, quæ obligat ad residendum in Beneficio, eodem Beneficio non privat; itaque Beneficium illud quasi vacans conferri non potest: aliunde, etiamsi Beneficio privaret, ejus effectum sisteret Appellatio; itaque conferri non potest antè Confirmationem Sententiæ per Judicium Supremum, aut acceptatum à Partibus.

Exceptio finalis *Regulæ* XX. contraria videtur *Reg.* XXII. quæ dicit, Judicem inferiorem non puniri ob malejudicatum, nisi suppetant probationes, eum fuisse corruptum; illa enim fert, Judicium Causæ Principalis remittendum non esse ad illum Judicem, si Appellationem interlocutoriam malejudicatam permiserit; quod est punitio ejusmodi Permissionis. Tolli potest illa speciosa contradictio, dicendo, Judicem, in Casu hujus Exceptionis, proprie non puniri, sed pro suspecto haberi, ob suum obsequium ergà Appellantem, cui sine justâ causâ Appellationem indulsit. Canones laudati, qui jubent remitti Causam ad Judicem inferiorem, cùm Appellatio fundamento caret, loquuntur de Appellatione interlocutoriâ, vel duntaxat de executione primi Judicii, quæ ad primum Judicem pertinet.

QUÆST. VIII. *Remedia Appellationi subsidiaria.*

Autor omisit in suis Regulis Supplicationem ad Principem ad revisionem litium à Supremâ Jurisdictione definitarum. Ea cum Appellatione convenit in eo, quòd negotium ad Superiorem deferat, sine suspensione tamen executionis Judicii, sicut Appellatio, quæ est merè devolutiva, in quo differt à Restitutione in integrum, quæ suspendit executionem Judicii. Autor, loquendo de hoc Posteriore remedio, non observat precisè effectum ejus, qui fusè exponitur à GONZALE *in Tit. de Restitut. in integrum*, ubi docet, remedium hoc latiùs, quàm Appellationem, patere; quippè quod adhibeatur in Casibus, in quibus Appellatio non admittitur, nempè in Judiciis Supremis. v. gr. Principis aut Magistratuum, quibus hoc Jus, concessit, *C.* 5. *&* 10. excipit in *Regulâ* I. circà hanc restitutionem, Casum, in quo agitur de libertate.

Accusatio aut Denuntiatio Electi, de quâ loquitur in *Reg.* II. Appellationis extrajudicialis locum tenet: *Tertia* continet rationem, ob quam, ubi Appellatio alteri è Litigantibus conceditur aut denegatur, idem sit Juris quoad ejus Adversarium; nempè, quia alius subire debet Legem, quam alteri imponit. *Quarta* pertinet ad Appellationem tacitam ad Pontificem, quæ fit proficiscendo Romam, aut illùc mittendo Procuratorem, ad obtinendam Judicii reformationem: Arreptio itineris ad Judicem Appellationis est etiam consequentia Appellationis, quam commemorat. *Regula* III. QUÆST. IV. hujus Capitis, laudans *Can.* 22. CAU. XXIV. QUÆST. VI. è *Codice* THEODOSIANO erutum.

Observationibus in hoc *Caput* inseri potuissent permulta, circà Culpas, quibus amittitur Jus Appellationis, & maximè eam, quæ fit aperiendo Epistolas Judicis, à quo, ad Judicium, ad quem appellatur, inscriptas, quibus hic docetur de statu negotii. Commemoratur hæc culpa

culpa in *Cap.* 31. *de Offic. Judicis*, quod benè exponitur à GONZALE. Longè plura dicenda essent circà *Apostolos*, sive Litteras Dimissorias, aut veniam appellandi, quo tempore, & quomodò dandi sint, Officia Judicis circà eos, tempus ad appellandum, aut inchoandam, vel finiendam Appellationis persecutionem, præstitutum. Hæc à GONZALE exponuntur *in C.* 5. *de Appell.* Id etiam nos executi sumus in REGULIS *circà Judicia*; proindè superfluum esset hunc laborem hîc resumere.

Cap. XIX. de Sententiâ & de Re judicata.

Autor jam locutus est de Sententiâ sub finem *Cap. XVII.* sed tantùm ratione Judicis propter aliquot circumstantias: cætera post appellationem rejicit. Cùm sint Sententiæ circà Appellationem & Res judicatæ, à quibus appellare non licet, idcircò quòd ultimum prolatum Judicium irrevocabile, & irreformabile sit; fortassis, ob hanc rationem, Autor disputationem de appellatione, disputationi de Sententia præmisit, quod sufficit ad tuendam hujus Tituli transpositionem, contrà exemplum Collectorum *Decretalium*, etiam Pontificum. *Caput* hoc, quamvis prolixum, divisione caret; habetque REGULAM *unicam*, cum *Exceptionibus XXXII.* quæ multis Replicationibus, Triplicationibus &c. luci valdè nocentibus stipantur. *Regula* fert, Sententiam aut Rem judicatam dare Actionem & Exceptionem, remque judicatam pro veritate haberi. Pleræque *Exceptiones* versantur circà varias species vitiorum, quæ Sententiam *nullam* faciunt; quarum alia sunt in Judice, cui desunt requisitæ dotes, quarum mentionem Autor fecit *Cap.* 11. *hujus Lib.* quasque hîc resumit; vel qui potestatem suam excedit, noscendo de Rebus aut Personis, in quas Jurisdictionem non habet; vel qui judicat eo tempore, quo potestas ipsius expiravit, aut per appellationem, vel evocationem suspenditur.

Alia sunt in probationibus, quæ falsæ sunt, eo quòd nitantur v. g. super Instrumentis falsis, aut falsis Testibus: alia sunt in Processu, in quo Judiciarius ordo, vel solemnitates substantiales neglectæ fuêre: Alia, in verbis Sententiæ, quæ damnant & absolvunt: Alia petuntur ex neglectu Regularum fundamentalium, quibus Sententiæ conguere debent; nempè Legum & Canonum: Alia ex parte materiæ Sententiæ cadentis in Res minimè controversas: Alia ex parte Actoris, cui plura conceduntur, quàm petierit, vel Rei, qui inauditus damnatur: Alia ex parte conditionum Sententiæ, quibus non fit satis; vel ex tempore, quo lata fuit nempè nocturno, *Cap.* 24. *de Off. Jud. Deleg.* & GONZAL. *ibid.* Hæ autem Exceptiones complectuntur Casus, in quibus Sententia effectu caret; Reliquæ pertinent ad casus, in quibus ille suspenditur per appellationem expressam aut tacitam, & eos, in quibus auxilium Principis invocatur, vel ad restitutionem in integrum, vel ad revisionem Causæ, vel ad annihilationem Judicii per supremam ipsius autoritatem: Ii, quibus horum remediorum usum vis eripit, recuperatâ libertate audiuntur, perindè ac si illa adhibuissent.

His Observationibus generalibus præmissis, in quibus hujus Capitis summam dedimus, ordinemque legitimum instituimus; observandum est in *Exceptionem I.* à Judicis incompetentia quæsitam, per Judicem *incompetentem* intelligi eum, ad cujus Tribunal negotium litigiosum non pertinet; non verò eum, qui aliqua dotium requisitarum caret; sive quia malè provisus est, sive quia defectus habet, quibus ligatur, atque à judicandi Officio arcetur. Autor secundo sensu illum accipit, ut patet ex Replicatione secunda, nempè, si Judex publicè pro Judice competenti habebatur; fieri quippè nequit in primo casu, ut Judex incompetens, vulgò pro competente habeatur, cùm lites, quæ alicujus Tribunalis Jurisdictioni obnoxiæ sint, à plerisque Incolis, ut plurimùm, cognoscantur; facilè autem fieri potest, ut aliquis pro legitimè provisо habeatur, qui vitiis inficitur ejus Provisionem nullam facientibus, atque is sui Muneris exercitium liberum habere existimetur, cujus facultates ligantur per occultos defectus.

Observandum in *Except. II.* ab Hæresi petitam, ipsi non esse locum in Locis, ubi toleratur Hæresis. In *Except. III.* Excommunicationem Judicis potestatem non ligare, nisi denuntiata sit.

Except. IV. sumitur ex eo, quòd Judices, qui communem Sententiam ferunt, non sunt concordes. *Caput ultim. de Sent.* quod laudatur, agit de casu, qui hodie non accidit, eo nempè, quo duo Judices Ordinarii seorsim de eodem negotio discrepantes Sententias proferunt, & tunc Sententia, quæ favet Reo, aliam vincit, nisi materia ex se favorabilis sit, putà Matrimonii, Dotis, Libertatis, Testamenti aliûsve rei similis, vid. GONZALEM *in illud.* Si unà judicent, vincit Sententia numeri majoris: si Judices Delegati ex æquo dividantur, Delegans æquilibrium tollere debet: si idem accidat inter Arbitros, utraque Sententia est nulla, nisi aliter conventum sit in Compromisso.

Except. VI. sumitur ex absentiâ Partis judicatæ. Quæcumque traduntur hîc in multis Replicationibus, Duplicationibus &c. ad hæc rediguntur, quòd, si absentia justa sit, aut absens non fuerit legitimè citatus, aut legitimum Procuratorem mittere non potuerit, Sententia nulla est; si verò legitimè citatus, noluerit in Jus venire, aut Procuratorem constituere, valet Sententia. Quoad reliqua, repetenda sunt ea, quæ circà Citationem, & Procurationes, dicta sunt.

Observandum est in *Except. VII. & VIII.* Judicem, qui noscit de Accessorio, vel qui utitur suâ potestate adversùs eos, qui ipsum Jurisdictionem suam exercentem turbant, Jurisdictionis suæ limites non excedere, quamvis neutrum Caput in ejus Commissione contineatur.

Except. IX. Duabus præcedentibus præmitti debuisset, quarum continet principium & genus: Et quidem Autor ad eas remittere cogitur: hæc fert, Partes posse prorogare Jurisdictionem Judicis Delegati in Res, de quibus ipsius Commissio non loquitur, circà quas fit Arbiter.

Observandum est in *Except. XI.* discrimen, quod inter Sententiam Legibus contrariam, & Sententiam contrariam Juri Litigantis iisdem Legibus innixo, statuit, à GONZALE tradi, atque exponi *in Cap.* 1. *& 9. de Sent. & Reg. judic.* Contemptus expressus Legum, qui reperitur in prima eam proculdubio pejoris conditionis facit, quàm secundam, quæ potest excusari ex præsumptione, quòd Judex arbitratus sit, casum Partis damnatæ non esse in Lege, adversùs quam judicavit. Cùm Consuetudo vim Legis habeat, hîc sub Legis verbo comprehendi debet. Quod Autor insinuat in Replicatione tertia Juris Canonici, Sanctiones esse Juri Civili præferendas in Causis Clericorum, restringendum est ad casus, in quibus non agitur de temporali, quod per Jus Civile ordinatur.

Circà *Except. XII.* observamus, Replicationem ipsius significare, in illâ agi de Sententiâ juri litigantis contrariâ; indè enim dicitur, quòd post elapsos triginta annos à morte Judicis, adversùs illam reclamare non possit gravatus; aliundè videtur, Sententiam Legibus diametraliter oppositam, proindeque errorem Juris continentem, perpetuò impugnari posse, posito quòd triginta annorum possessio iniquæ Sententiæ adjecta, rem sic possessam acquirat, oportet, ut Possessor Sententiæ vitium ignoraverit; quia nulla est præscriptio sine bonâ fide; præterea numerandi sunt triginta anni præfati à die Sententiæ, non ab obitu Judicis.

Except. XIII. continet principium XV. & XVI. si causa Sententiæ sit falsa atque probari possit contrarium enuntiationis ejus, Sententia nulla est, ut patet in

Sen-

Sententiis Divortii ob falsa impedimenta latis; undè fit, ut semper admittantur Opponentes, qui eas nullitatis arguunt. Ob hoc principium, nullum declaratur Judicium quodvis, ex falsorum Instrumentorum aut falsarum Depositionum motivo, latum, cùm falsitas probata est.

Exceptionis XIV. Replicatio *Secundæ* jungi debuisset Exceptioni, dicendo, Judicium latum adversus Sententiam, quæ rei judicatæ vim acquisivit, esse nullum, si litigans hanc rationem objecit. *Cap.* 20. *de Sent. & Re judic.*

In *Except.* XIX. circà nullitatem Sententiæ per sordes latæ, laudare debuisset *Cap.* 1. *de Sent. & Re Judic. in 6.* conditum adversùs Judices Ecclesiasticos, qui integritatem suam labefactari sinunt.

Except. XXIII. pertinet ad nullitatem Sententiæ per Judicem Inferiorem latæ, post evocationem factam à Judice Superiori. *Cap.* 56. *de Appell.* laudatum ad eam fulciendam, loquitur de reservatione, quâ sibi INNOCENTIUS III. attribuerat Collationem Cancellariæ Ecclesiæ *Mediolanensis*, ad se devolutam, ob negligentiam Archiepiscoporum; & docet, ad asseverandam hanc Collationem, Pontificem sibi reservasse notionem eorum, quæ ad illam pertinebant: proindè nihil in illa evocatione odiosum erat, quippè quæ facta erat solùm ad conservationem Jurium Evocantis, aliique Judices, qui de controversia statuere possent, præter Commissarios Pontificios, non extabant. Textus hic non est omnium vetustissimus circà evocationem Causarum à Pontifice; *Cap.* 4. *ut lite pendente, nihil innovetur*, de eâ loquitur, conditum à CÆLESTINO III. Prædecessore INNOCENTII III. Porrò, negotium illud Pontificis notione dignum erat, quippè Romæ ortum, varieque à Senatoribus, atque à Judicibus Capitolinis decisum. Vid. CUJAC. *in hoc Caput*, ibi dicit, nullum esse Textum, qui de intricatiore negotio loquatur. Horum Textuum Prior asserit, evocationem fortiùs astringere, quàm Appellationem.

Except. XXIV. & XXV. desumuntur ex eo, quòd Sententia sit lata post Appellationem aut ejus æquipollens, nempè implorationem protectionis Superioris ergà negotium litigiosum. Posterius hoc remedium adversùs Sententiam sic restringi debet, quia nihil operaretur, si de protectione generali accipiatur.

Except. XXVI. est prima earum, quæ pertinent ad suspensionem effectûs Sententiæ, per Appellationem ab ipsâ. Circà hanc Autor iterat quod suprà dixit de conditionibus requisitis, ut valida sit, licèt illùc remittere satis fuisset. Jungendo Exceptionem hanc & Sequentem præcedentibus, percipitur, Appellationem expressam, aut tacitam variè operari, prout præcedit aut sequitur Sententiam, quam primo Casu annihilat, secundo suspendit duntaxat, & ad Judicem Superiorem transfert, ab eo deinceps, prout Jus postulabit, infirmandam aut confirmandam.

Observandum est circà *Except.* XXVII. iter ad Romam susceptum Sententiam immediatè sequens, esse genus Appellationis hodiè obsoletum.

Except. XXVIII. pertinet ad implorationem Autoritatis Superioris, vel per viam Supplicationis, aut Libelli Civilis, aut per viam restitutionis in integrum, vel per viam Syndicatûs, aut instigationis, quæ spectat ad Sententias per sordes latas. Hæc Implorationum genera commemorantur à CANISIO *Lib.* IV. *Tit.* XVI. XVII. ejus *Summæ*.

Hoc in loco debuisset Autor conferre Sententiam Diffinitivam cum Interlocutoriâ, earumque communia aut peculiaria annotare, vel saltem præcipua discrimina colligere; quæ sunt 1. Interlocutoriam ferri inter initium & finem litis: Appellantem exponere debere Appellationis suæ rationem apud Judicem, à quo appellat: Judicem posse Sententiam suam suam revocare: necessarium non esse, ut Appellatio Scriptis tradatur, nisi ad Pontificem lata fuerit.

OBSERVATIONES *in* CAPUT XX. *circà Executionem Rei judicatæ, Impensas litis, Salaria Judicum atque Ministrorum &c.*

Quinque REGULÆ *Partis* I. bonæ sunt, sed quædam Exceptiones expositione indigent; nam 1. *Prima* Exceptio *Regulæ* I. videtur falsa, si producatur ad Casus, in quibus iniquitas Sententiæ manifesta est, talisve, ut eam Executor constantem existimet; hoc ostensum fuit in Tractatu *de Judiciis*. Ratio est, quòd tunc Executor ex eorum numero esset, qui consentiunt malo, dùm obtemperaret Jussioni injustæ. *Quinta* idem argumentum respicit, viamque suggerit, quâ talis executio eo in Casu vitari possit.

Quod asseritur in fine Regulæ, locum habet solùm in Jure Canonico; nam, juxtà Jus Civile, Executor cognoscit de nullitate Sententiæ ex dolo proveniente. Hoc *in Cap.* 5. ab Autore laudatum traditur, à CUJACIO, qui observat, Pontificem ibi Jus Novum constituere, remittendo ad Delegantem notionem hujus nullitatis, quod significatur per hæc verba, *de cætero*.

Quod dicitur in *Regulâ* II. Judicem Delegatum per se ipsum exequi posse, locum habet, non solùm, priùsquam executionem Ordinario mandaverit, sed etiam posteà, posito quòd Ordinarius aut recuset, aut nequeat exequi.

Quod adjicitur, hujus executionis onus Ordinario imponi à Lege, obtinet, sivè ipse judicaverit, sivè Sententia lata fuerit ab eo, qui jus exequendi non habet, quales sunt Arbitri, aut Judices dati, qui meram notionem habent; quia carent Jurisdictione, quæ necessaria est ad cognoscendum. Vid. GONZALEM *in Cap.* 7. & 9. *de Offic. Jud. Deleg.* fusiùs hæc disputantem.

Duæ Exceptiones *Regulæ* III. Sententias Interlocutorias solùm respiciunt; nempè eas, quibus præcipitur, vel Absolutio *ad Cautelam* ab Excommunicatione, vel Restitutio Spoliati; quòd autem per ejusmodi Sententias definitur, Rei judicatæ nomen non meretur, quod non convenit propriè nisi Rei per Sententiam Definitivam decisæ. *Regula* IV. pertinet ad tempus quadrimestre Parti damnatæ datum, ad executionem judicati, & facultatem Judici concessam tempus prorogandi, aut abbreviandi, prout requirent Circumstantiæ. Dilatio hæc est Beneficium Juris, quod temperari debet secundùm exigentiam. *Cap.* 15. *de Sent. & Re Judic.* locum habet solùm in Actione Personali: quoad Realem, Jus nullum perscribit tempus; sed cùm possessor damnatus statim possessione cedere nequit, tempus ad hoc necessarium postulare potest. Autor hunc Casum neglexit: omisit etiam monere, *Cap.* 15. laudatum extendere ad Purgationem Canonicam id, quod circà solutionem docet; nempè, eum, qui damnatur ad præstandam Purgationem intrà viginti aut triginta dies, quique spatio huic se subjicit, omittendo Appellationem intrà decem dies Sententiæ proximos, non magis admitti, si posteà conqueratur de brevitate termini, quàm Debitorem, qui damnatus ad solvendum infrà eumdem diem, per decem dies obticuisset.

Quod dicit in *Tribus* Regulis circà Expensas, contrahi potest in *Unicam* nempè: quemcumque, qui culpâ suâ ad sumptus faciendos Adversarium suum cogit, ad restituendas expensas damnari debere. Indemnitas hæc debetur in Foro interiori, etiam antè damnationem. Regulæ circà salarium Judicum, & Officialium eorum, indicant solùm Textus de eo loquentes. Sola *Prima*, propriè loquendo, Judices attingit; *Secunda*, quæ loquitur de Taxâ Litterarum Cancellariæ, pertinet ad Officiales eorum.

OBSER-

OBSERVATIONES *in reliquum* CAPUT XX. *circà Missionem in Possessionem ad conservationem Rei litigiosæ.*

Hìc occurrit Appendix, cujus mentionem inscriptio Capitis non facit. Argumentum magis convenit *Capiti VI.* in quo agitur de Contumaciâ, quàm huic; nam Missio proposita, est pœna Contumaciæ: eam hìc Autor collocavit, quia executionis species est; verùm hæc ratio eum non purgat; nam Regulæ, per quas illam exponit, solius Contumaciæ mentionem faciunt, nec rectè pœna à delicto separatur: præterea, executio, de quâ est agendum, est executio Sententiæ, quæ liti finem imponit; undè fit, ut eam non aggrediatur, nisi post expositam Sententiam. Aliud est præterea hujus Appendicis vitium, cui inseruntur Regulæ, circà Sequestrationem fundorum & fructuum; hæc autem locum non habet, nisi pendente lite; nam fit ad conservationem rei litigiosæ, quæ talis esse desinit per Sententiam definitivam. Præterea, Sequestratio opponitur missioni in possessionem; hæc enim datur Actori; illa fit in manu tertia: imò Sequestratio locum habet ergà personas; nam puellæ, mulieres conjugatæ, pueri, sequestrantur in quibusdam Casibus; Missio autem in Possessionem non fit, nisi in bonis mobilibus aut immobilibus. Præter hæc vitia ordinis, alia reperiuntur in Exceptionibus & in Replicationibus, quas in Regulis includere potuisset; ea observabuntur in discussione Regularum. *Tredecim* numero sunt, quarum *Prima* est *Duodecima* hujus Capitis, cujus omnes Regulæ sub continuâ numerorum serie collocantur. Observare debuisset, primam Exceptionem in gratiam Beneficiorum litigiosorum introductam fuisse à Concilio *Lugdunensi*, ob hanc rationem, quòd, cùm Beneficia canonicè possideri nequeant sine Institutione Canonicâ, æquum non est, si Reus sit contumax, ut Actor, qui fortè legitimo Titulo caret, mittatur in Possessionem. CUJACIUS hoc notat, & probat *in Titul. de eo, qui mittitur &c. Secundæ*, quæ pertinet ad Reum contumacem, qui satisdat, se adfuturum, & Causam defensurum, adjicere debuisset, eum non recipi, nisi intrà annum: ad cujus expositionem circumstantiæ, remittere potuisset ad REG. XIX.

Decima-tertia supponit, Judicem mittere in Possessionem bonorum extrà Territorium suum sitorum: Textus laudatus id probat.

Distinctio constituta *Reg. XIV. & XV.* inter Actionem Realem & Actionem Personalem, est justa, & constat in eo, quòd, in hac, Actor mitti possit in Possessionem omnium bonorum Rei pro ratâ debiti: in Actione autem Reali, mittatur solùm in Possessionem rei vindicatæ, *Cap. 5. ut lite non contest.*

Reg. XVI. Argumento aliena est, quippè quæ non loquatur de missione in possessionem, sed de obligatione Clerici Beneficiati contumacis, ad satisfaciendum Creditoribus suis & fructibus sui Beneficii.

Regula XVII. non habet locum nisi in Casibus memoratis in *Cap. 5. ut lite non cont.* hæc requirit discussionem summariam antè missionem in possessionem.

Suprà diximus, quæ ratio habenda sit *Regulæ XVIII.* quæ indicat Textus sequestrationem præcipientes, cùm timetur, ne fundi fructus-ve dissipentur. Doctrina *Reg. XIX.* atque Exceptionum & Replicationum ejus, ad tria reducitur, 1. cùm missio in possessionem sit pœna Contumaciæ, nulla autem sit Contumacia, cùm Citatus sistere se non potuit, neque per se ipsum, neque per Procuratorem; illa locum non habet in Casu absentiæ justæ: 2. Si Contumax intrà annum redierit & satisdet, se in Judicio staturum, refundatque expensas, possessionem suam recuperat, à quâ Actor repellitur: 3. Si missio in possessionem facta fuerit à Delegato Pontificis, redux Contumax non potest redintegrari, nisi à Pontifice, posito quòd Delegatus defunctus sit.

Regula XX. Exceptionesque ejus ac Replicationes comprehendi possunt, sub hac observatione, Actorem in Possessionem missum ob Contumaciam Rei, verum & unicum Possessorem fieri, si anno integro perseveret in possessione; Reo autem non supereſt, nisi jus ad proprietatem: hoc autem locum habet, etiamsi Actor per vim prohibitus fuisset, quominùs realiter possideret; sed si possessio Actoris interrupta fuit, per reditum Rei intrà annum, cautionem standi in Judicio & refusionem impensarum, hic possessionem recuperare debet: perindè est, si per hunc non steterit, quominùs hasce Conditiones impleret. Duæ posteriores Regulæ loquuntur de duobus aliis remediis contrà Contumaciam. *Prima* loquitur de Sequestratione, quam diximus nihil ferè commune habere cum missione in possessionem ob Contumaciam Rei. *Secunda*, de cognitione Causæ, inaudito Contumace: de his Casibus agitur in *Cap. 5. de lite non contest. &c.*

CUJACIUS eos omnes enumerat in expositione hujus Textûs, item GONZALEZ.

OBSERVATIONES *in* CAP. XXI. *circà Compromissum.*

In *Decretalium* Collectione Titulus *de Arbitris* collocatur eos inter, qui pertinent ad præparatoria Judiciorum, aut Res Judiciis anteriores; & meritò: nam per Compromissa obviam itur litibus, quos definiunt Judicia. Satius tamen esse putavit Autor rejicere materiam Compromissorum post Judicia, idcircò quòd eumdem effectum habeant, ac Judicia, controversias humanis sopiendo; ideòque hæc vocat remedia Judiciis similia. Idem sentit de Transactionibus, quas Collectores *Decretalium* Judiciis præmisêre, de quibus disputatur in *Capite sequenti*, hujus *Libri II.* ultimo. Quæ dicuntur hìc, pertinent solùm ad Compromissum Judiciarium, quo intelligitur illud, quod quibusdam personis à Partibus, quarum interest, electis, tribuit facultatem dirimendi controversias in eo expressas. Locus ubi hoc Argumentum tractat, eum ad hoc induxit. Quoad Compromissum Extrajudiciale, de eo loquitur *Lib. III. Cap. X.* REG. II. III. tale est illud, quo Collegia, quæ concordare nequeunt, ad eligendum, conferendum, præsentandum, aut aliquid gravis momenti faciendum, aliquod è Membris suis, aliosve eligunt, ad faciendum Actum, cùm promissione ratum habendi, quod factum fuerit. Jus loquitur solùm de Casu Electionis, sed quod in eo dicitur, ad alios Casus extenditur.

Sub *Tribus* REGULIS comprehendit Doctrinam suam de Compromisso Judiciario. *Prima* est; illud obligatorium esse, & dare Actionem & Exceptionem. *Secunda*: Partes teneri obtemperari Sententiæ ab Arbitris latæ. Utraque plures Exceptiones & Replicationes habet, sine quibus Argumentum clariùs exponere potuisset ac debuisset, illud in aliquot Capita dividendo; nempè, quinam Arbitri esse possint; quinam Arbitros eligere; quænam sint obligationes horum & illorum; quid per Compromissum intelligatur, & in eo contineatur: ductoque initio ab ultimo Capite, quod continet nomen, naturam, materiam & formam rei propositæ, potuisset ac debuisset observare, *Compromissum* accepisse nomen à promissione, quâ Partes spondent, se staturos Sententiæ ab eis dictæ, quos ad dirimendam controversiam elegerunt, & soluturos pœnam, cui se subjiciunt, si recusaverint parere. Cùm nomen è naturâ rei deductum sit, illud exponendo, hanc aperuisset. Quoad *Materiam*, dicendum erat, eam nihil aliud esse, quàm Disceptationes, quas Partes conficere cupiunt, circà unum, aut plura negotia, sed quædam negotia ob gravitatem suam Compromisso non esse obnoxia, Restitutionem in integrum, Matrimonium,

Libertæ

Libertatem, Crimina, Exemptiones. Pro *Formâ* assignare debuisset quod Arbitris præscribitur à Partibus quoad Locum, Tempus, Modum definiendi; eorum Officium in casu æquilibrii, aliûsve divisionis, quæ sistit aut impedit Judicium. Idem est de casibus, in quibus aliquis eorum judicandi fit incapax, v. gr. Morbi, Captivitatis, Dementiæ, Mortis.

Quoad *Personas*, quæ compromittere possunt, observare potuisset ac debuisset, jus illud ad omnes & singulos pertinere, qui ab eo non excluduntur per Leges: hæ autem neminem excludunt nominatim; sed exclusio hæc includitur in prohibitione administrationis bonorum suorum, quæ quidem exclusio præcipuè continet personas in alienâ potestate constitutas, vel à Judice interdictas.

Eadem Regula obtinet quoad personas, quæ possunt esse Arbitri, omnes scilicet, qui à Lege nominatim, aut tacitè non excluduntur. Quoad alios Autor commemorat Servos, Feminas, à quibus excipit eas, quæ Jurisdictionem habent, Judices Ordinarios, & competentes negotiorum controversorum.

Officia Compromittentium enucleantur in *Regula III* Idem est de Officiis Arbitrorum. Utraque nascuntur à Compromisso continente Legem, quam utrique sequi debent: undè fit, ut, si nullum sit, v. gr. cùm fit à personis incapacibus, aut in gratiam personarum incapacium, evanescunt cæterorum obligationes. Evanescunt pariter obligationes Compromittentium, cùm Arbitri recedunt à formâ Compromissi, quippè quæ sint conditionales; conditio autem est, si electi Arbitri servaverint limites potestatis, quam acceperunt. Ex nullitate Compromissi deducuntur Exceptiones *Regulæ I.* Replicationes oriuntur ex validitate. Ex validitate Sententiæ petitur veritas *Regulæ II.* Ex ejusdem Sententiæ nullitate proveniunt Exceptiones Regulæ.

Insinuatur in *Excep. XIII. Regulæ I.* Compromissum non esse obligatorium, cùm nulla pœna ipsi apponitur. Contrarium ostendit *Cap. 9. de Arbitris*, laudatum; nam dicit, compromissum sine pœna obligare ad præstandam indemnitatem; pœnale verò insuper ad pœnam obligare. *Regula III.* docet, Compromissum alterius nomine factum, dare jus agendi adversùs eum, qui illud fecit, sive Dominum, sive Procuratorem.

OBSERVATIONES *in* CAP. XXII. *circà* TRANSACTIONES.

Loquendo suprà de Exceptionibus peremptoriis, Transactionem ipsis annumeravimus; & observavimus, eam, perindè ac illas, habere vim rei judicatæ: quia litem definit in gratiam ejus, cui favet, adversùs eum, cui contraria est. Autor exponit argumentum eodem sensu per *Regulam*, id, quod diximus, continentem, & *Quinque* Exceptiones petitas vel ex circumstantiis, in quibus Transactio nulla est ob Simoniam, alindve simile vitium, vel ex eo, quòd materia non est transactionis capax, ut Matrimonium, vel ex eo, quòd transactioni non paruit Adversarius, juxtà *Reg. 75. in 6.* quæ dicit, *frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cùm fidem à se præstitam servare recusat.*

Methodi VIGELIANÆ *Juris Canonici* LIBER TERTIUS *de Re Ecclesiasticâ, & primò de Ecclesiis generatim.*

OBSERVATIONES *in Divisionem.*

Autor locutus de Jure generatim, & specialiter de Jure Publico continente facultatem Legum ferendarum, interpretandarum, exequendarum, constituendorum hunc in finem Magistratuum, coërcendorum scelerum, & proindè instituendæ notionis in ipsâ, quæ vocatur Judicium Publicum suas habens solemnitates ac pœnas; tùm de Jure Privato pertinente ad Judicia Privata, suis quoque solemnitatibus instructa, sive præcedentibus, sive comitantibus, sive sequentibus; transit ad Jus Rerum Ecclesiasticarum, quæ sunt præcipua horum Judiciorum materia, &, sub Rerum Ecclesiasticarum vocabulo, complectitur Ecclesiam, quæ includit 1. Ecclesiam Universalem, quæ est Societas Fidelium, extrà quàm non est Salus: 2. Ecclesias. Particulares, ex quibus Universalis Ecclesia coalescit: 3. Personas Ecclesiasticas, Clericos & Religiosos, Prælatos & Inferiores: 4. Bona Ecclesiastica merè Spiritualia, aut merè Temporalia, aut Mixta, partim Spiritualia, partim Temporalia: 5. Loca destinata Cultui Divino, quem exercent illæ Personæ, & cujus sumptus, perindè ac Personarum alimenta, ex illis Bonis eruuntur.

Cùm hæc verba *Ecclesia*, *Ecclesiastici*, habeant omnes significationes, quas mox illis attribuimus, eas exponere ac determinare Autor debuisset: sic faciliùs, agnosceretur quænam sit materia hujus *Libri*, quæ divisio, ordo & connexio ipsius. Decimas, Primitias, & Oblationes inter Bona Spiritualia numerando, id observandum curare debuisset in *Inscriptione*, eam sic concipiendo, *de Jure Decimarum*, ad instar Tituli *de Jure Patronatûs.*

Agendo de Collatione Præbendarum & Dignitatum, in Titulo *de Præb. & Dignit.* Inscriptioni adjicere debuisset hæc verba, *earumque Collatione*: ad significandum 1. Loqui se de modo providendi Beneficiis inferioribus, sicut locutus erat de modo providendi Prælaturis, Tit. *de Electione Prælatorum.*

Adjicienda erant Titulo *de Clericis & Monachis ordinandis* hæc verba, *eorumque qualitatibus*, ad instar Tituli *de temporibus ordinat. & qualit. ordinandorum*, in *Decretalibus* quamvis de actibus Ecclesiasticis non loquatur nisi in *Libro IV.* eos hìc complectitur in divisione *Libri III. Cap. I. & III. in principio.*

OBSERVATIONES *in* CAP. I. *circà Ecclesias generatim.*

Doctrina hujus Capitis reducitur 1. ad significationem hujus verbi ECCLESIA, indicando Locum, quo illa reperitur, & Prærogativam Ecclesiæ Universalis, quæ est una & unica Salutis via. 2. Ad *divisionem* Ecclesiarum, circà quam dicit, eam fieri non posse sine autoritate Episcopi aut Pontificis. 3. Ad earum *Unionem*, circà quam observat aliquot casus, in quibus & autoritatem, quâ illa fieri debet, attingit. De solemnitatibus observandis nihil dicit. 4. Ad *Translationem*, alias-ve mutationes, quæ fiunt in Ecclesia, ubi inserit quidquid generalissimum circà Ecclesiam reperit, quod sine ordine congerit, satis habens, ut plurimùm, indicare Textus de argumento loquentes. Cùm per Secularisationem aut Regularisationem, per Usurpationem, per Præscriptionem, Lites, Contractus, Privilegia, Immunitates, fiant Mutationes in Ecclesiis, hìc loquitur de his omnibus rebus, sed breviùs, quàm par est, ut sufficienter Lectorem circà illas erudiat, multò minùs ut inferat quidquid Jus circà illas docet. Exempla sensibilia extant in *Reg. XIX. XX.* quæ loquuntur de Præscriptione, & in *Reg. XXIV. XXV. XXVI.* quæ agunt de Immunitatibus; nam illæ silent de Titulo, & bonâ Fide necessariis in Præscriptione, perseverantibusque per totum tempus requisitum; item de Rebus impræscriptibilibus; undè Autor remittit ad alia loca, in quibus agit de Præscriptione. Aliæ Regulæ non loquuntur de pœnis contrà Violatores Immunitatum Bonorum & Locorum, quæ illis fruuntur, neque de Absolutione ab illis pœnis, nec de omnibus Locis, quibus Immunitas attributa est; nempè Cæmeteriis, Atrio, Circuitui. 30. aut 40. passuum nec de Judice Immunitatis, de limitatione Immunitatis Bonorum Ecclesiæ quoad onera extraordinaria.

OBSERVATIONES *in* CAP. II. *de Ecclesiâ vacante.*

Autor hìc loquitur de Prælaturis vacantibus, quæ, durante vacatione, reguntur à Collegio, cujus Caput est Prælatus defunctus aut captivus. Plures nihilominùs Regulas colligit, quæ applicari possunt Parochiis vacantibus: tales sunt eæ, quæ loquuntur de Administran-

nistrantibus selectis ad regendas Ecclesias, quamdiù vacabunt. Vid. REG. III. Exceptio prima REG. II. quæ redigit potestatem Capituli ad casus, in quibus illud à Pontifice non est interdictum, restringi debet ad Interdictum Canonicum, tam in causa, quàm in formâ. Exceptio *Secunda* non habet locum, nisi in casu *Cap.* 11. *de major. & ob.* ibi agitur de Clero Ecclesiæ Tituli Cardinalis, in quâ, ob rationes speciales, Pontifex illum excludit à Juribus Correctionis, Excommunicationis & Suspensionis.

Primæ Replicationi Exceptionis *Tertiæ*, circà Collationem Capitulo & Episcopo communem, adjiciendum erat, *tam quatenùs Episcopus, quàm quatenùs Canonicus.* Secunda Replicatio extendi debuisset ad confirmationem Electionum. Exceptio *Quarta* restringi debet ad suum casum; nempè ad Capitulum Ecclesiæ Romanæ, sive Collegium Cardinalium.

Reservatio memorata in REG. V. vix est in usu. Dicit, solum Pontificem dare Administratores Ecclesiis Cathedralibus, & Adjutores Episcopis munera sua obire legitimè impeditis. REG. VII. est Exceptio *Sextæ*; hæc exponit potestatem Administratoris: Illa excipit Collationem Beneficiorum. REG. VIII. pertinet quoque ad *Sextam*, quippè quæ loquatur de obligatione Administratoris, ad procurandam Electionem Prælati Ecclesiæ, cujus administrationem habet.

REG. III. usque XX. pertinent ad Administratorem & Oeconomum; hic Temporalia procurat; Administratori competit Præfectura in Temporalia & Regimen Spiritualium,

Pleræque è REGULIS XIII. hujus Capitis, *Regulæ* nomen non merentur, quippè quæ non egrediantur casus speciales; Regulæ autem, per quas argumentum aliquod exponendum suscipitur, magnam Casuum copiam complecti debent, perindè ac principia, quorum illæ locum tenent.

OBSERVATIONES *in* CAP. III. *de* CLERICIS *&* MONACHIS *generatim spectatis; & in* CAP. VI. *de illorum Ordinatione.*

Hæc duo Capita jungimus, quia paucissima dicenda sunt de *Tertio*, quod indicat solùm Textus pertinentes ad Definitionem verborum, *Clericus & Monachus*; Definitionem utriusque rei per nomen significatæ, discrimen inter illos existens, Genera eorum, Species, Gradus, Divisionem, Officia & Munera; ita, ut in his Textibus habeatur consilium Tractatûs adimplendum.

CAP. IV. dividitur in *Quæstiones VIII.* quarum aliæ fusiùs enucleantur: tales sunt *Secunda* circà Qualitates Ordinandorum, & *Tertia* agens de Jure conferendi Ordines. His duabus inhærebimus: sed priùs observandum est, Autorem in hoc in Capite permiscere Ordinationem cum Institutione, seù Receptione in Ecclesia, aut Monasterio. Id evidenter patet in Regulis *Quatuor* Quæstionis I. in quâ quæritur, quot Clerici ordinandi sint? REG. I. fert, Episcopum determinare debere numerum Clericorum uniuscujusque Ecclesiæ, secundùm facultates ipsius. Exceptio secunda nostram observationem confirmat; nam supponit, Regulam intelligi de Religiosis, perindè ac de Clericis. Porrò, via, quâ quis Monasterio addicitur, est mera Institutio, seu Receptio, & non Ordinatio. Idem est de Exceptione alia, ferente, augendum esse numerum Clericorum pro ratâ augmenti facultatum. REG. II. supponit numerum Clericorum & Monachorum (quoad hoc enim nullum est in hac Quæstione discrimen inter utrosque) definiendum esse juxtà reditus; nemo autem non videt, Ordinationem fieri ad normam necessitatis, non verò redituum Ecclesiæ. Aliæ confusionis hujus probationes occurrent inferiùs.

Observandum est præterea, confusionem illam esse magni momenti, multæ enim qualitates ad Ordinationem necessariæ, non requiruntur ad Receptionem in Monasterio. Tales sunt, præ cæteris, bona Fama, perpetua exemptio à quibusdam criminibus atrocibus, esse è Diœcesi oriundus, conditionis liberæ, legitimorum natalium, pœnitentiam publicam non subiisse, non esse bigamum, nullum Officium mansuetudini contrarium, aut turpem professionem exercuisse, & multæ similes, sine quibus nullus admitti debet ad Ordines, licèt admitti queat in Monasterio. Itaque Autor secernere debuisset ea, quæ pertinent ad Institutionem, vel Receptionem in Monasterio, ab iis, quæ respiciunt Ordinationem, cùm hæc longè plures qualitates exigat, quæ ad illam non requiruntur. Discrimen ortum ex eo, quòd status Clericalis sit status Perfectionis, ac Monasticus, status Pœnitentiæ. Post has observationes, dicimus in Quæstionem II. qualitates Ordinandorum hìc explicari per REGULAS XLV. quarum pleræque suas habent Exceptiones ac Replicationes. Ex hoc numero sunt illæ, quæ respiciunt defectum conditionis liberæ, aut natalium, aut ætatis requisitæ, aut unitatis Matrimonii, quoad Conjugatos. Loquendo de qualitatibus, quarum defectus ab Ordinibus excludit, Autor defectus innoxios miscet cum criminalibus, vel, ut vulgò loqui amant, Irregularitates ex defectu provenientes, cum eis, quæ nascuntur ex delicto; illas distingui ordo poscebat, idcircò quòd sint diversi generis. Illarum Regularum enumerationem non suscipiemus, quia Tractatum longiorem dedimus circà Irregularitatem, in quo genus utrumque dilucidè exponitur, & singulæ alterutrius species ordine congruo disponuntur, aliæ sub nomine *defectûs*, aliæ sub nomine *Criminis*, initio ducto à gravioribus, factoque ad cæteras progressu secundùm illarum qualitatem. Usum quoque præsentem annotavimus, quod ab Autore, neque hìc præstatur, nec alibi.

QUÆSTIO III.

Capita 3. & 6. de Institutione, quæ Ordinationi Autor applicat REG. II. pertinent ad Collationem Beneficiorum, quæ ad alios, quàm Episcopum pertinere potest, ad quem solum pertinet Ordinatio, quoad Ordines Majores. Idem est de *Cap.* 5. *&* 11. laudatis REG. III. circà Ordinationem, quæ loquuntur de Collatione Præbendarum. Idem cernitur in REG. IV. ubi CAP. 2. *& ultim. ne Sede vacante*, applicantur Ordinationi, cùm tamen loquantur de Collatione Beneficiorum, quæ, Sede vacante, pertinere potest, aut secùs, ad Capitulum. Idem dicendum de *Can.* 5. DIST. LI. & *Can.* 17. CAUS. VII. QUÆST. I. loquentibus de Electione factâ à Prædecessore, quæ est species Resignationis in favorem, & de laudatis REG. V. circà Ordinationem. Idem est de *Can.* 1. 6. *&* 7. CAUS. XVI. QUÆST. II. loquentibus de Institutione Sacerdotum in Ecclesiis, quæ ab Abbatibus pendent, qui ad Ordinationem applicantur.

Can. ultimus DIST. V. loquitur de concursu Cleri & Populi ad Electionem Episcopi: hunc ejus Ordinationi accommodat REG. VIII. *Cap.* 4. *&* 5. *de Jure Patr.* loquuntur de Collatione Beneficiorum, quam Laicis interdicunt: hæc ab Autore applicantur Ordinationi.

In *Quinque* prioribus Exceptionibus harum Regularum, Autor confundit potestatem conferendi Ordines, cum exercitio illius potestatis. Exceptiones pertinent ad usum, qui interdicitur Episcopo, 1. Si resignavit Episcopatum. 2. Si sit Excommunicatus: 3. Simoniacus. 4. Hæreticus. 5. Suspensus, propter Ordinationem Personarum indignarum ab eo celebratam.

Si Episcopus à Collatione Ordinum sic legitimè impeditus, eam celebraverit, Ordinatio illicita est, ob defectum Jurisdictionis, quæ ligata est, & dispositionum requisitarum ad Sacramentorum administrationem;

nem; sed valida est ratione Caracteris inamissibilis.

Exceptio *Sexta*, ob defectum Jurisdictionis, prohibet Ordinationem omnium & singulorum, qui non sunt ex Districtu Episcopi. Defectus hic tollitur per consensum Episcopi, cujus interest, qui si Ordinationem præcesserit, hæc licita est, secùs illicita, & quibusdam pœnis obnoxia, tam in conferentem Ordines, quàm in accipientem: si consensus Ordinationem sequatur, Episcopo læso ratum habente quod gestum fuit, Ordinator & Ordinatus recuperant Ordinum suorum exercitium.

Tertia Replicatio hujus Exceptionis continet Exemplum Ordinationis pro Institutione sumptæ; nam *Canon* 3. CAUS. IX. QUÆST. III. laudatus ab Autore, ad probandum, Superiorem Episcopi negligentis Ordinationem celebrare, defectum ejus supplendi vim habere, loquitur de Institutione Oeconomi. Hæc autem Institutio ad Jurisdictionem pertinet & in his, quæ Jurisdictionis sunt, Superior supplet negligentiam Inferioris, non autem in his, quæ Ordinis sunt, ut Ordinatio.

QUÆST. IV. & V. *circà Locum & Tempus Ordinationis.*

Canon 6. DIST. LXXV. & *Can.* 28. & 32. CAUS. XVI. QUÆST. I. laudati ab Autore, ut ostendat Episcopum, ubicùmque libuerit, Ordinationem celebrare posse, docent, Prior, Episcopum, dare posse, ubi voluerit, Ordines Diaconatui inferiores; cæteri, eum posse conferre Sacerdotium Monachis, Ecclesiæ, cui necessarii erunt, addicendis.

Perseverat Ordinationem cum Beneficiorum Collatione confundere in REG. VI. QUÆST. V. dicendo, fieri debere Ordinationem intrà Sex Menses, & remittendo hunc in finem ad REG. XXVI. *Except. I. Cap.* 7. quod loquitur de Collatione Præbendarum.

QUÆSTIO VI. *de Rebus Ordinationem præcedentibus.*

Laudati Canones in REG. V. VI. VII. X. non loquuntur de Ordinatione, sed de Receptione Religiosorum. Ii, qui laudantur in REG. IX. pertinent ad Collationem Beneficiorum Patronatûs. Pleræque ex reliquis, indicant solùm Textus, in quibus agitur de ipsarum Argumento.

QUÆST. VII. VIII. *Modus Ordinationis faciendæ, Adjuncta, Eventus & Consectaria ipsius.*

Quod dicitur in REGULA I. QUÆST. VII. de Ordinatione absque Titulo, exponitur *Quæst.* VIII. Reg. IX. REG. II. III. IV. indicant solùm Textus Argumento ipsarum affines, nempè loquentes de Testimonio in illa adhibendo, de legendis Ordinato Conciliorum Decretis, de libro circà munera ejus ipsi tradendo.

Caput 42. *de Simoniâ* laudatum in REG. V. non loquitur de Ordinatione, sed de aliis Cærimoniis, quæ sine exactione peragendæ sunt, & maximè de Juramento, seu Sponsione, quæ exigitur ab Abbatibus in eorum Benedictione, cujus etiam mentionem facit *Cap.* 3. *de major. & Obed.* REG. II. *Quæst. VIII.* nihil dicit de Ordinatione, sed loquitur de Præsentatione. à Patrono, & de Institutione ab Episcopo faciendis.

Cæterùm, in fine hujus Capitis observandum est, quòd nomen Ordinationis ideò fortè sæpiùs hìc occurrit pro Institutione, seu Receptione in Ecclesia aut in Monasterio, quòd sint Textus, in quibus accipitur sub illo sensu. Tale est *Cap.* 3. *de Jure Patr. Cap.* 22. *ibid.* ubi verbum *ordinare* adhibetur, pro *providere*, fortè etiam quòd Beneficia olim conferebantur per Ordinationem, cùm Sæculorum X. aut XI. spatio fuerint tantùm Officia in Ecclesiâ, quibus Episcopus addicebat eos, quibus Ordines conferebat.

OBSERVATIONES *in* CAP. V. *circà Officia & Munera Clericorum, quibus non fungendo, Clericatum amittunt.*

Hic sunt REG. CXIX. quæ, ut plurimùm, Textus duntaxat indicant loquentes de his obligationibus, sive Officiis, quamvis Inscriptio Monachos non comprehendat; plures ex his Regulis eos respiciunt, sive unà cum Clericis, sive seorsim scriptos. Utræque perturbatè referuntur, Tituloque non respondent; nam paucæ sunt, quarum transgressio per depositionem puniatur: Titulus autem significat & suadet, per negligentiam & omissionem eorum, quæ continentur in Regulis, incurri depositionem, quandòquidem amissio Clericatûs nihil aliud est, quàm depositio. Horum verborum loco, *Clericatus amittitur*, Scribendum fuisset, *Clericatui fit injuria.*

Priusquàm ad Argumenti enucleationem pergeretur, colligendi erant Textus Juris, qui præcipiunt Clericis, ut sedulò omnia sua Officia impleant laudabili modo, quippè qui, exemplo suo, Laicos inducere debeant, ut suis diligenter fungantur. Cùm Pietas sit Spiritus, Scientia verò Corpus Clericatûs, initium ducendum erat ab Officiis, quæ pertinent ad Pietatem, à quibus ad reliqua descenderetur. REGULÆ XXIX. usque XXXIV. respiciunt Mores. Idem est de Regulis à XLIV. usque ad C. Connexio Scientiæ cum obligatione ad docendum, postulabat, ut Regulæ ad hanc pertinentes, subjicerentur iis, quæ de illâ loquuntur; inter autem utrasque jacent Regulæ circà correctionem, modum eam faciendi, cantum Officii nocturni ac diurni, modum canendi.

Decem Regulæ circà Scientiam, contrâhi debuissent ad unicam complectentem id, quod Clerici scire aut nescire tenentur, legere aut non legere; scire imprimis Scripturas Sacras, Canones, SS. Patres, Libros ad Officium Divinum spectantes, Administrationem Sacramentorum, Sacrificium Missæ, Grammaticam & Humaniores Litteras. Aliquatenùs fusè hanc obligationem exposuimus in Tractatu de *Irregularitate*, TITULO *de Scientiæ defectu*, ubi magna reperitur copia rerum hìc ab Autore omissarum: circà quod observare juvat, permulta ex iis, quæ dixit suprà de qualitatibus requisitis in Ordinandis, pertinere ad hoc Caput, quia post Ordinum Receptionem, illas qualitates conservare & fovere debent.

REG. XVI. & XXII. de Monachis sigillatim loquentes, rejiciendæ erant ad finem Collectionis illarum Regularum, ubi colligitur id, quod Monachorum Officiis peculiare est.

Attentione digna est Exceptio *Regulæ XX.* in quâ declaratur, simplices Curatos, qui non habent Capellas à se dependentes, à Sacerdotibus perpetuis administratas, obnoxios non esse interdicto, quo Clerici prohibentur operam dare Legibus & Medicinæ, etiam in Scholis publicis. Hujus Exceptionis ratio videtur esse, quòd utrâque scientiâ indigeant, ad ferendam opem pauperibus Parochianis in morbis, & in controversiis, quæ inter eos nascuntur circà Temporalia. *Vid. Cap. ult. ne Cler. vel Monach. & Cap.* 1. *ejusdem Tit. in* 6. vide etiam FAGNANUM *in priorem Textum*, ubi multas rationes objicit adversùs illud interdictum, quæ rediguntur ad necessitatem peritiæ Juris Civilis & ad intelligentiam Juris Canonici, pluresque Textus ex illo Jure accersitos laudat, qui propterea intelligi nequeunt, nisi repetantur Leges, à quibus deprompti sunt. Ibi quosdam Autores allegat, qui contendunt, interdictum illud abrogatum fuisse Præfatione Collectionis GREGORII IX. qui jubet, ut illud adhibeatur in Judiciis & in Scholis, hoc enim, servato interdicto, utiliter fieri nequit. Adi etiam GONZALEM *in eumdem Textum*, qui affert unam rationem illius prohibitionis, quæ cùm cessaverit, hæc quoque cessare debet.

Ineptæ sunt pleræque Exceptiones *Regulæ XXIII.* circà

circà prohibitionem Clericis & Monachis, *Tit. ne Clerici vel Monachi*, factam, ne suscipiant negotia Secularia. Talis est 1. *Secunda*, quæ excipit negotia Ecclesiastica non Sæcularia, & negotia Sæcularia Personarum Ecclesiasticarum, quibus aliàs Clerici se immiscere non debent. Putà conductionem Feudorum, sive earum Beneficiis annexa sint, sive sint ex earum Patrimonio. 2. *Tertia*, quæ excipit negotia justa; ipsi enim Laïci negotiis iniquis se immiscere non debent. 3. *Quinta*, quæ excipit Casum, quo Clerici excipiunt vinum aut frumentum pro pecunia, quam mutuò dederunt; hac enim in re nihil sæculare est, sed opus charitatis, quod omnes Christianos deceat, Vid. *Can.* 5. CAUS. XIV. QUÆST. V.

REG. XXVI. confirmat id, quod diximus in *Secundam* Exceptionem *Regulæ* XXIII. nam illa unicum casum approbat, quo Clericus conductor esse possit, eum nempè, quo prædia Ecclesiæ suæ conducit.

REG. XXVII. & XXVIII. ex earum numero sunt, quæ ad finem rejiciendæ erant, ubi agitur de Monachis; eæ enim docent, Monachos non posse esse Executores Testamentarios, neque Fidejussores. Idem est de REG. XLIII. quæ ipsis prohibet judicare Clericos.

Exceptio III. *Regulæ* XL. expositione indiget; Regula fert, Inferiorem Superiori suo obedire debere: excipitur, nisi Prior rem illicitam, vel indebitam præceperit. Porrò, inter illos casus extant quidam, in quibus non solùm Inferior non tenetur ad parendum, sed etiam hoc ipsi non licet. v. gr. cùm jussio Legi Divinæ aut Naturali adversatur. Alii sunt Casus, in quibus jussio Superioris Legi duntaxat Humanæ adversatur, à quâ dispensare potest; his enim in casibus, licitum est obedire, imò id fieri debet, quotiès ingruit periculum alicujus rei pejoris, quàm sit obedientia præceptioni rei indebitæ, eamque ob causam Superiori prohibitæ: tales olim casus extiterunt tempore *Gratiarum Expectativarum*, & *Reservationum Beneficialium*. Replicatio hujus Exceptionis Commentarium quoque postulat. Fert illa, obediendum esse, cùm Superior præcipit, non malum, sed omissionem boni: sunt enim casus, in quibus nefas sit omittere bonum. Tales sunt ii, in quibus jubet DEUS bonum, jubet confiteri nomen suum, adorare, in quibusdam occasionibus prædicare. Apostoli erant in hoc casu, cùm Principes Sacerdotum illos vetuerunt, ne CHRISTUM annuntiarent.

Excipiendi sunt à REG. XLI. casus corruptelæ. Fert illa, non licere Ecclesiasticis implorare auxilium Laïcorum, in casibus correctionis à suo Prælato.

REG. XLII. nimis generalis est. Dicit, Clericos nihil facere debere sine consilio Superioris; & excipiuntur solùm casus Inspirationis Divinæ. Restringenda illa est ad res magni momenti: *Can.* 7. CAUS. XVI. QUÆST. I. laudatus, id insinuat per exemplum *Roboami*, qui Regnum suum amisit, ob neglectum in re gravi Senatûs sui consilium.

REG. à XLIV. ad C. pertinent ad bonum, seu virtutes, quibus Clerici studere debent, malum & vitia, quæ fugienda sunt ab iis. Inter has Regulas, multæ inutiles videntur: tales sunt omnes, quæ loquuntur de virtutibus præceptis, aut vitiis prohibitis ergà omnes Fideles: quod enim præcipitur aut interdicitur simplicibus Fidelibus, à fortiori jubetur, aut vetatur, Clericis. Proindè nobis videtur, ejusmodi Regulas omitti debuisse, monendo, quam ob rationem id fieret; nihil itaque circà illas observabimus, nisi quod Ecclesiasticis Personis est peculiare. Omnes Regulæ à XLIV. ad LIII. pertinent ad Hospitalitatem: & convivia, quæ Clerici apud se mutuò instituunt, nihil porrò ipsis peculiare videtur, præter prohibitionem canendi potatorias Cantilenas. REG. LIII. REG. LIV. ferens, eos debere se omnibus utiles præstare, & nemini nocere, eos specialiter tangit. Idem est de eo, quod legitur in LV. de intercessione pro Sontibus, & maximè pro iis, qui damnati sunt ad supplicium. Idem est de Doctrinâ *Regul.* LVII. usque ad LXVI. de fugienda familiaritate cum mulieribus, de vitando earum colloquio, osculis, cohabitatione cum ipsis, nisi proximè cognatæ sint; ut non ducant uxorem, si in Ordinibus Sacris constituti sint, & abstineant à Matrimonio antè susceptionem Ordinum contracto; quoad cæteros, ut non ducant uxores turpes, tales-ve ut nascatu Irregularitas; ut non sint soli cum illis; ut non utantur communi balneo; ut Monasteria Monialium non adeant frequentiùs sine necessitate; ut non habeant Commatres.

Argumentum REG. LXVII. LXVIII. peculiare est Ecclesiasticis: dicitur, eos teneri ad residendum in suâ Ecclesiâ, nisi à Residentiâ sint excusati, ob aliquam è causis rationabilibus, quæ hìc enumerantur; & migrare non posse ab unâ Ecclesiâ ad aliam, quod fieri nequit, nisi reclentiam negligendo, aut mutando Ecclesiam contrà Regulam ferentem, unumquemque manere debere in suæ Ordinationis Titulo. Verùm, hoc Argumentum latiùs patet, quàm ut possit sub duabus Regulis coarctari: undè hìc habemus exemplum sensibile observationis nostræ, multùm abesse, ut Autor Operi suo inseruerit omnes Canones Corporis Juris. His Regulis subnectit Replicationem Exceptionum à se collectarum, quæ confirmat observationem totiès factam, Replicationes esse partem Regulæ, proindèque Methodum illam perspicuitati officere; nam oportet, ut Servus, qui ordinatus fuit ad servitium Ecclesiæ, teneatur ad servitium Ecclesiæ, teneatur ad residendum in ea, & consequenter ab illâ ad aliam transire nequeat. Prætereà, nobis non occurrit, quo pacto hæc Replicatio, quæ generalis esse dicitur ab Autore, nomen illud mereatur, cùm singularem casum respiciat. Monachos complexus est in his duabus Regulis, ipsi autem, quoad Residentiam & Mutationem Loci, valdè discrepant à Clericis; illos enim obedientiæ votum astringit ad manendum in Monasteriis, quibus addicuntur à suis Superioribus; exire non possunt absque licentia Superioris immediati: Clerici autem residere tenentur ratione Munerum Personalium Beneficio suo cohærentium, quibus expletis, quò libuerit, commeare possunt. Translatio Religiosi in Monasterium aliûs Ordinis, plures includit Voti dispensationes; nulla autem ejusmodi dispensatio requiritur in translatione unius Clerici ad aliud Beneficium. Translatio à vitâ minùs austerâ, ad vitam rigidiorem, locum habet solùm in Religiosis. Satius itaque fuisset ad calcem Capitis rejicere quod hìc de Monachis dicitur: Idem est de *Regulâ* LXIX. quæ loquitur de reditu Religiosorum ad Sæculum, ejusque Exceptionibus & reliquâ catervâ, quâ stipatur, quæ prorsùs inutilis evadit, si Regula restringatur, ut debet, ad Religiosum validè professum; illæ enim desumuntur à nullitate Professionis: itaque satis fuisset observare conditiones requisitas ad validitatem Professionis.

Regulæ LXX. & LXXI. de Clericis peregrinantibus reducuntur ad REG. LXVII. & LXXVIII. quæ pertinent ad Residentiam: illæ adjiciunt simpliciter, eos indigere Litteris Commendatiis & Testimonialibus, quæ hodiè vocantur, *Exeat*. Exceptio hujus conditionis est periculosa: sumitur hæc à Divinâ Inspiratione: necessariæ sunt probationes, quæ discutiantur à Prælato, aut saltem à Confessario.

Regulæ LXXIII. usque ad LXXVIII. respiciunt Irregularitatem ob defectum mansuetudinis, quæ nascitur influendo ad homicidium, aut mutilationem sive criminalem sive innoxiam; v. gr. eam, quæ fit per exercitium Justitiæ Criminalis, vel per Militarem Professionem. Illa exposita fuit in Tractatu *de Irregularitate*, ubi docuimus, influxum voluntarium & proximum esse debere in mortem, aut mutilationem sive justam, sive injustam: cùm igitur in casibus exceptis à REG. LXXIII. deficiant hæ conditiones, cùm neque homicidium neque mutilatio sit in primo, neque influxus proximus

ximus in altero, juſtæ ſunt hæ Exceptiones. Idem eſt de caſibus exceptis in LXXIV. ob defectum voluntatis, qui ab homicidio eximit; ejuſdem ſunt conditionis caſus excepti in REG. LXXV. neceſſitas eos excuſabiles facit, maximè ſi jungatur permiſſio Eccleſiæ expreſſa aut tacita.

Prohibitiones REGULARUM LXXVI. ad LXXVIII. fiunt ratione occaſionis proximæ agendi adverſùs manſuetudinem Clericis præſcriptam: vetantur, ne geſtent arma, ſint ſeditioſi, cupiant vindictam.

Diſcordia, invidia, maledicentia, calumnia, aſſentatio, proditio, juramentum non neceſſarium, ſcurrilitas, verba obſcœna, profeſſio mimica, ſpectaculorum frequentatio, quæ interdicuntur Clericis à REG. LXXIX. ad LXXXVII. prohibentur, quoque ſimplicibus Fidelibus. Idem eſt de ebrioſitate & Popinarum frequentatione Clericis vetitâ, REG. XCVII. XCVIII. Idem dicendum eſt de REG. XCIV. XCV. circà cupiditatem immodicam alimentorum, aut diſpenſationem ab alimentis craſſioribus in caſu neceſſitatis.

REG. LXXXVII. ad XCIII. Clericis peculiares ſunt, eiſque prohibent, venationem, comas longiores, luxuriam veſtium, irregularitatem inceſſûs, lautitiam cibi.

REG. XCVI. ex earum numero eſt, quæ reſpiciunt Monachos: hæc loquitur de abſtinentiâ à carnibus, ſed eos ſolùm reſpicit, qui tale votum emiſerunt.

REG. CI. quæ peculiaris videtur Monachis, qui rei cujuſlibet poſſeſſionem privatam abdicant, quam retinent Clerici, Clericos tamen complectitur, ideò quòd aliquot Canones certis temporibus & locis prohibuerint, eos propria poſſidere; & ſic conficta ſit atque obſcura; quàpropter ſecernendum eſt id, quod ſolis Monachis convenit, ſcilicet nihil proprium poſſidere poſſe, etiam cum diſpenſatione, ab eo, quod ſolis Clericis convenit: nempè, hodie, nulli ſunt, qui excludantur à jure poſſidendi bona ſibi propria: olim verò extiterunt Clerici, qui facultatem hanc non habuerunt, niſi viverent ex ſuo Patrimonio, repudiatis Eccleſiaſticis Bonis. Itaque Autor ex quibuſdam caſibus ſingularibus Regulam conficit, indèque ſumit occaſionem complectendi Clericos & Monachos ſub Regulâ reſpiciente abdicationem proprietatis, quæ generalis eſt quoad Monachos, eorumque ſtatui ſubſtantialis, valdè autem particularis, quoad Clericos, & eorum profeſſioni accidentalis, aut aliena.

Regulæ ſequentes, circà Monachos, nihil continent, quod obſervationes poſtulet. Quoad Exceptionem generalem, quâ clauditur hoc Caput, Autor ſupponit ſe probaviſſe, Clericos aut Monachos, qui non obſervant id, quod in Regulis præcedentibus præcipitur, depoſitione dignos eſſe: ex magnâ autem Canonum laudatorum copiâ, pauciſſimi ſunt, qui illam pœnam ferant: prætereà, multa ſunt ex illis Officiis haud ita gravia, ut mereantur ii, qui ea negligunt, aut non perſolvunt, pœnam depoſitionis graviſſimam luere. Id patet ex ſummâ mox exhibitâ plurium Regularum, pleniùſque percipietur ex lectione omnium. Adde, quòd delicta Monachorum non Clericorum, qui frequentiſſimi erant in Sæculis, à quibus deſumpti ſunt Canones laudati in Regulis, non puniuntur per depoſitionem, quæ ſolis Clericis convenit. Noſtrarum obſervationum veritas circà caſus, in quibus incurritur depoſitionis pœna, facilè innoteſcet ex Collectione, quam dedimus in Tractatu de DEPOSITIONE, *Gallicanis Uſibus circà Cenſuras* inſerto.

Hâc ſuppoſitione velut conſtante, Autor Exceptionem generalem affert, rigorem hunc non habere locum, cùm Reus pœnitentiam peregit. Huic Exceptioni ſubjiciuntur ſex Replicationes, veluti totidem Exceptiones. 1. Si Pœnitentia ficta ſit. 2. Si agatur de Crimine publico. 3. Aut Hæreſeos. 4. Aut Homicidii. 5. Si Pœnitens ad Ordines Superiores aſcendere velit. 6. Si relapſus ſit; verùm hic caſus rejicitur. Hæc omnia deſumpta, ſunt ex DIST. L.

OBSERVATIONES *in* CAP. VI. *circà* PRIVILEGIA, *& Bona* CLERICORUM *&* MONACHORUM.

Argumentum vaſtum eſt: tria quippè ſunt Privilegia valdè patentia, nempè, Fori, Canonis, & Bonorum: nihilominùs ſub REGULIS XXI. continetur, quarum pleræque ſunt breves; itaque non niſi imperfectè illud tractari potuit. Plures etiam ex his *Regulis* Textus ſolùm indicant ad argumentum ſuum pertinentes: tales ſunt *Quatuor* priores de Privilegio Bonorum loquentes, aut de Privilegio Canonis, circà quas in Corpore Juris occurrit ampliſſimus Canonum numerus; quod patet ex Tractatu noſtro *de Immunitatibus*, imprimis verò ex Tractatu *de Privilegio Canonis* excuſo in *Gallicanis Uſibus circà Cenſuras*. Tales ſunt etiam REGULÆ VII. VIII. IX. XII. XIII. XV. XXI.

Hæ Regulæ non omnes Sedem congruam obtinent; quædam ex eis, quæ pertinent ad Bona, à quibus exorſus eſt, reperiuntur poſt Privilegium Canonis, & Privilegium Fori. Eæ obſervabuntur in Notis particularibus mox adjiciendis; quâ in re novum exemplum ſuppetit, Methodum VIGELII magis in ejus voto, quàm in ejus mente fuiſſe, ſi judicium ex Opere feratur.

Cùm dignitas Clericorum ſit fons, à quo manant eorum Privilegia, Autor exordiri debuiſſet à Regulis eam dignitatem reſpicientibus: talis eſt XV. Canones huic fini aptiores reperire potuiſſet. REG. I. quæ dicit, Clericos eſſe ſal Terræ, ſufficientem notionem dignitatis Clericatûs non dat.

Sub REG. II. quæ agit de Immunitate Bonorum Clericalium, & Monachalium, ponitur Exceptio, quæ falſa eſt, quoad Monachos, qui non habent bona Patrimonialia; quoad alia Bona, remittere oportebat ad REG. XXIV. CAP. I. hujus *Lib. III.* quæ de illorum Bonorum Immunitate loquitur REG. III. & IV. quæ loquuntur de Privilegio Canonis, quo intelligitur Excommunicatio *ipſo facto*, quæ incurritur ob vexationes Perſonis DEO per ſuum ſtatum dicatis, factas, nihil docent ex iis, quæ ſcitu neceſſaria ſunt, & exponenda erant. Id præſtitimus per Regulas & Exceptiones in *Tractatu laudato*, ubi referuntur ejus origo, natura, extenſio: ii, qui illo fruuntur, aut fecùs; mutationes, quas paſſum eſt; quis, quomodò, & quandò ab illâ Excommunicatione abſolvere poſſit.

REG. V. & VI. quæ loquuntur de diſpoſitione Bonorum Clericorum & Monachorum, multas continent Exceptiones, Replicationes, Duplicationes materiam obnubilantes potiùs, quàm illuſtrantes. Simplicior fuiſſet ratio, inchoando ab obſervatione diſcriminis inter Monachos & Clericos intercedentis, dicendo, Monachos illo in ſtatu perſeverantes de nullâ re poſſe diſponere, quia nullam habent voluntatem, nec Bona ſibi propria: quòd ſi antè Profeſſionem habuerint Liberos & Bona, poſſunt ac debent de his in illorum favorem diſponere: Si Epiſcopi fiant, & tempore Epiſcopatûs acquirant bona, de iis diſponere poſſunt, quemadmodùm cæteri Epiſcopi. Extrà hos duos caſus, ſucceſſio ab inteſtato locum non habet, quoad illorum Bona. Ex adverſo, cùm Clerici voluntatis ſuæ dominium habeant, nec non Bona propria, teſtamenti factionem habent, poſſuntque alienare, quovis modo.

Sic abſolutis, quæ pertinent ad Monachos circà has duas *Regulas*, & expoſitâ capacitate Clericorum ſub eodem reſpectu, horum Bona dividere oportuiſſet in Patrimonialia & Eccleſiaſtica, & dicere, ipſis, perindè ac Laïcis, competere liberam diſpoſitionem Patrimonialium: quoad alia, quædam ſunt, quorum illi meram habent Adminiſtrationem, ea nempè, quorum proprietas ad Eccleſiam pertinet; & alia, de quibus diſponere poſſunt in ſuos uſus, & eorum, quorum ſervitio utuntur, & Cognatorum ſuorum pauperum: tales ſunt fructus illis ad alimenta conceſſi: tales ſunt etiam reliquiæ ex illis fructibus congeſtæ, quarum etiam uſum habent.

Tùm

Tùm ostenderetur, eos de Bonis Ecclesiasticis primi generis non posse disponere, sed, quoad Bona secundi generis, illis eam facultatem, quandiù vixerint, competere, excercendam juxtà mentem Canonum, per quos usus ille conceditur; sed morientes, tenentur illa relinquere Ecclesiæ, in cujus Ministerio illa acquisiverunt, reservatis tamen duntaxat iis, quæ vel necessaria erunt ad remuneranda Domesticorum suorum servitia, aut juvandos Cognatos, vel eroganda Pauperibus, aut Locis. Cùm inter acquisitiones à Clericis partas, dùm serviunt Ecclesiæ, quædam ex illo Ministerio non proveniant, sed Bonis Patrimonialibus annumerandæ sint; quale est id, quod à Propinquis suis, quatenùs propinquis, accipiunt, ab amicis, quatenùs amicis, aut quod emunt ex fructibus sui Patrimonii; separandæ sunt hæ acquisitiones à Bonis Ecclesiasticis per Clericos partis ratione Ministerii ipsorum: tales sunt res iis relictæ intuitu Ecclesiæ; tales sunt, ut plurimum, Donationes ab alienis factæ; tales etiam sunt res destinatæ ad ornamenta, ad reparationes, ad decorationem Locorum Sacrorum, ad Salutem animæ Donatorum, aut aliarum Personarum, quibus Donatores refrigerium procurare cupierunt. Cùm Clerici Beneficia possederunt in diversis Ecclesiis, Bona, durante Ministerio, acquisita, & ab iis defunctis relicta, dividuntur inter illos, pro ratâ rerum in singulis acquisitarum, quod infertur ex tempore, quo illas possederunt & ex illarum pinguedine. REG. VIII. ratio hæc exponendi doctrinam ab Autore in REG. V. traditam, magis perspicua videtur, quam ea, quâ ipse usus est.

Quoad *Reg. VI.* Quod dicitur, principio Ecclesiam vulgò Clerico succedere; verum esse nequit, nisi respectu Bonorum ex ejus servitio partorum: nam cætera ad eorum Cognatos ordinariò pertinent, Reliquum Regulæ expositioni *Quintæ* insertum fuit.

Quod dicitur in *Reg. IX.* pertinet ad *Quintam*; nam Servus manumissus per Clericatum, immunis erat à Patronatu sui Manumissoris; itaque Bona, quæ moriens intestatus relinquebat, erant Ecclesiæ, sicut Bona aliorum Clericorum ingenuorum, Vid. *Gonzal. in Cap. 2. de Succeff. ab intestat.* Debuisset observare Privilegium Parochorum, qui Testamenta recipere possunt, cum duobus aut tribus Testibus, sicut Notarii.

REG. X. ad usque XVIII. respiciunt Privilegium Fori, de quo fine ordine differitur; undè nascitur obscuritas, ad quam vitandam, dividendæ erant Causæ, in quas illud cadere potest, in Personales, Reales, & Mixtos: Personales, in Civiles, & Criminales. Hæ in Capitales Reales, in Possessorias, & Petitorias: in Principales, & Incidentes, in merè Sæculares, & merè Ecclesiasticas. Tùm, circà singulas species præfatas, discutiendum erat quodnam sit Privilegium Clericorum & Monachorum, & quatenùs cum Clericis conveniant. Et quidem id nos exequendum duximus in Tractatu *de Judiciis*.

Harum Divisionum ope occurritur ambagibus ampli numeri Exceptionum, Replic. Duplic. &c. quarum aliæ admittuntur, aliæ reprobantur: nonnullæ dubiæ sunt. Extant Exempla in REG. X. XI. XIII.

Quædam præterea jacienda erant Principia circà Originem Privilegii, Interpretationem ipsius, Cessationem, quorum ope solvuntur dubia emergentia. Principium I. est, Privilegiatum, qui Privilegium suum non astruit, Jure Communi censeri non Privilegiatum; proindè, si is, qui se Clericum asserit, suam conditionem non probet, tractatur ut Laïcus. II. Ejus est interpretari Privilegium, qui illud concessit; itaque, posito quòd (ut constare videtur) Privilegium *Fori*, sit Beneficium Principis, ejus interpretatio pertinet ad Principem in dubiis occurrentibus. III. Privilegium amittitur per actiones, quæ indignitatem inducunt, nec non per revocationem, aut restrictiones, seu modificationes, quas illi apponit Concedens; itaque Privilegium *Fori* amitti potest ob Scelera, quæ inhonorant statum, ad cujus honorem datum fuit. Princeps potest etiam illi derogare, subjiciendo Clericos Jurisdictioni Magistratûs in multis Casibus, præsertim Sæcularibus, quorum notionem habebat Judex Ecclesiasticus.

IV. In amissione Privilegii per actiones atroces, quædam reperitur abdicatio. Itaque, licet existimare, Clericos illi renunciare posse, quemadmodùm possunt illud amittere. Applicatio horum Principiorum ad Regulas laudatas facillima est.

REG. XX. quæ fert, Clericos non esse Legibus obnoxios; nisi quatenùs illæ sunt ipsis favorabiles, pernicioſissima est, Contrarium probatum fuit, quoties occasio se obtulit.

Pleræque Exceptionum generalium, quibus claditur hoc CAP. 17. sunt in *Regulis* præcedentibus. Demùm Autor, fatendo Privilegium hoc amitti per actiones, quæ Clericatûs amissionem merentur, remittit ad ea, quæ circà illas actiones dixit CAP. V. quarum, ut observatum fuit, magna est copia, quæ non producit illum effectum.

OBSERVATIONES *in* CAP. VII. *circà Beneficia quæ omnia comprehenduntur hîc sub verbis* PRÆBENDARUM, *&* DIGNITATUM.

Hoc in Capite major, quàm alibi, Methodi habita fuit ratio. Dividitur in *Tres Partes* præcipuas, quæ singulæ suas quoque habent. Agitur in *Prima* de Acquisitione Beneficiorum: in *Secunda* de Amissione ipsorum: in *Tertia* de eorum Incremento, Diminutione, Divisione, Permutatione. Nihilominùs hic sunt vitia gravia, circà aliud, quàm Divisionem, versantia.

Prima Pars cæteris amplior est: in hâc differitur de Causis acquisitionis, quarum aliæ *Remotæ* sunt, ut Mandata, Ordinatio; aliæ *Proximæ*, ut Collatio, sub quâ Autor complectitur Provisionem, Præsentationem, Institutionem, Electionem. Idcircò Divisio hujus *Partis*, cujus Argumentum sub nomine *Collationis* enucleat, est exemplar Divisionis Secundæ. Unumquodque Membrum suo *Titulo* distinguitur; nempè Causæ Collationis; Personæ, quibus conferendum est; ad quem pertineat jus conferendi; quid conferendum sit; quantum & quomodò; antecedentia Collationis; adjuncta ipsius; consectaria; Actiones; seu Petitiones Beneficiales, cui concedantur; quis earum Judex; adjuncta; eventus; & consecutiones. *Tertia* brevissima est, & continetur sub unico Titulo *de reliquo Jure Præbendarum.* Cæterùm, nulla datur Definitio Beneficiorum, neque Divisio in varias species.

Per *Causas Collationis*, intelligit rationes, ob quas fit Collatio. Duas tantùm commemorat, nempè Promotionem ad Ordines Sacros, & Mandata Apostolica, quibus præcipuè inhæret. Cùm hæc à Concilio *Tridentino* fuerint abrogata, satius fuisset, iis leviter perstrictis, immorari circà priorem Causam, quæ semper viget. His Causis adjicere debuisset Præsentationem, quæ obligat etiam ad conferendum.

Cui Beneficia conferenda sint?

Omnes Regulæ circà Personas, quibus conferendum est, ad unicam generalem contrahi debuissent, in quâ diceretur, Beneficia non esse conferenda Personis, quæ ab iis excluduntur per Canones, & posse conferri aliis, servato Ordine, quem præstituunt, circà modum id faciendi, & qualitates, quas requirunt sive generatim, quoad omnes, sive sigillatim, quoad singulas species diversas.

Ratio *Regulæ* est: quòd Canones circà capacitatem habendi Beneficia, sunt prohibitivi; itaque, capaces ea possidendi haberi debent, quicumque non declarantur incapaces, & consequenter admittendi quotquot ab iis non excluduntur. Quâ in re eadem est conditio Beneficiorum ac Ordinum, ad quos ascendere possunt omnes, qui non prohibentur illos suscipere; quod oritur ex eo quòd

Beneficia sint accessoria Ordinum, & constituta ad sustentationem eorum, qui Ordinum muneribus funguntur. Ob eandem causam impedimenta ad Ordines, sunt impedimenta ad Beneficia, & vocantur *Irregularitates*, quia personæ, in quibus sunt, ad illos promoveri nequeunt, nisi violatis Regulis, per quas ab iis excluduntur.

Cùm itaque solus defectus qualitatum à Canonibus requisitarum, ad Beneficia, ab iis excludat; ad cognoscendos illos, quibus ea conferri debent, aut non conferri, continuâ serie observandum est, quænam sint illæ qualitates; quod ut fiat juxtà ordinem genuinum, dividendæ sunt hæ in plures Classes, quarum aliæ pertinent ad Ingenium, aliæ ad Cor, aliæ ad Corpus, aliæ ad Libertatem, aut mansuetudinem, aut unionem perfectam Matrimonii, aut Natalia, aut bonam famam. Sic divisæ fuerunt Irregularitates. Referuntur ad Cor omnia peccata ex Corde provenientia. Crimina, quæ excludunt ab Ordinibus & Beneficiis sunt vitia Cordis, cujus mundities est prima qualitas requisita ad illos & illa. Ad hæc vitia revocari potest pluralitas Beneficiorum absque causâ legitimâ; nam avaritia, ambitio, cupiditas deliciarum vitæ, sunt ejus fons. Idem est de omnibus viis Criminalibus, quibus ad illa pervenitur, v. gr. Simonia, Confidentia, obsequium in malo, preces illicitæ. Harum viarum mentio fit in *Reg. LIX.* circà Causas Actionis Beneficiariæ. Idem est de pluribus aliis defectibus irritantibus, quoniam illa petitur ex nullitate Provisionum; undè fit, ut enumeratio illorum defectuum illic instituta, melius collocata fuisset in Regulis, quæ loquuntur de iis, quibus conferenda sunt Beneficia, nihil dicendo in illa Regulâ, nisi, Actionem Beneficiariam peti ex Jure, quod quis habet in Beneficio, & ex incapacitate Adversarii, circà quam consulerentur Regulæ mox laudatæ & sequentes.

Cùm multa sint dicenda circà incapacitatem Beneficiatorum provenientem ex eo, quòd hi alia Beneficia habeant; de hâc Autor agere sigillatim debuisset, omniaque reducere ad casus, in quibus illa cessat absque dispensatione, & eos, in quibus ista necessaria est ac licita, atque eos, in quibus illa illicita est. Methodum hanc trademus post Notas necessarias in unamquamque cæterarum Regularum circà eos, quibus conferendum est. Sunt XIV. nempè, à IV. ad XVII.

REGULÆ IV. oportuisset jungere Personas *Incapaces*, per quas intelligendæ sunt eæ, quæ habent defectus involuntarios, ac innoxios, & Personas *Indignas*, quæ sunt eæ, quarum vitia voluntaria sunt & criminosa, mores depravati, ignorantia supina. Adversùs *Regulam V.* objici possunt Textus, qui loquuntur de Præbendis Laïcalibus *Cap. 2. de Institut.* GONZALEZ *ibid.*

REG. VI. quæ Clericos Sæculares excludit à Beneficiis Regularibus, loquitur de Collatione in Titulum.

REG. VII. loquitur de defectu ætatis, qui generaliter ab omni Beneficio excludit; scilicet ætas minor, quàm septennis. Alii defectus ætatis pendent ex qualitate Beneficii.

REG. IX. rejici debebat ad *Tertiam Partem*, quæ loquitur de divisione Beneficiorum in duas Partes.

Insinuatur, in *Reg. X.* quòd, ut Beneficium absenti dari possit; oporteat, ut ille habeat Procuratorem in loco Beneficii; verba, *per alium*, id suadent; quippè absurdum foret illa applicare Collatori; nam forent inutilia, cùm evidens sit, ad Collatorem pertinere, ut conferat. Canones laudati in hac *Regula*, & in XI. facti sunt duntaxat, ad declarandum, præsentiam & nobilitatem non requiri in Collatario; quia nullus est Textus, qui excludat absentes & Plebeios. Ab *Regula XI.* excipiendi sunt Casus, in quibus Fundatio aut Statuta Collegii nobilitatem exigunt. Ob eamdem Causam conditi fuerunt Canones REG. XIV. qui declarant, Clericos Minores non esse incapaces Beneficiorum.

REG. XII. loquitur de qualitate, quæ non requiritur, nisi quoad certa Beneficia, & quoad certos casus Collationis ipsorum: nam constat eos, qui habent jus providendi Beneficiis, eorum non esse incapaces, nisi quatenùs illa ipsi sibimet darent, vel se eligendo, vel se præsentando, aut sibi conferendo.

Canones laudati in REG. XIII. non prohibent conferri Beneficia divitibus, sed eos monent, quòd, cùm vivere possint ex propriis bonis, æquum sit, ut reditus Beneficiorum in alios sanctos usus erogent; non verò in suam sustentationem impendant.

Quod legitur in REG. XV. & XVI. circà Hæreticos, Conscios ipsorum, Liberosque usque ad secundam generationem, fusè expositum fuit in laudato Tractatu *de Irregularitate*, cum multis aliis defectibus, qui excludunt à Beneficiis; atque omittuntur hîc ab Autore.

Jam verò tradimus hîc, quod polliciti sumus circà *Regulam VIII.* prolixè agentem de pluralitate Beneficiorum, cui tenebras offundit multitudo Exceptionum & Replicationum.

Nihil est in illa quod sub divisione proposita non includatur. Diximus, extare casus, in quibus Beneficia sunt exigui reditûs; ita, ut neutrum sine altero sufficere valeat, ad honestam exhibitionem; 2. Cùm Beneficia unita sunt. 3. Cùm aliud possidetur in Titulum; aliud verò in Commendam temporalem: hi casus à prohibitione excipiuntur.

Alii sunt Casus, in quibus Dispensatio requiritur: tales sunt omnes reliqui, qui non excipiuntur. Dispensatio hæc licita est, cùm legitima existit causa sumpta ex urgenti necessitate, vel ex evidenti utilitate Ecclesiæ. Extrà hos casus, pluralitas prohibetur, maximè quotiès concedi non potest sine notabili detrimento Cultûs Divini, aut sine animarum periculo.

Etiam, cùm licita est Dispensatio pluralitatis Beneficiorum, hæc semper odiosa est, &, quatenùs talis, restringenda; undè fit, ut, qui obtinet licentiam tenendi plura Beneficia, duo tantùm simplicia possidere queat, requiritur etiam, ut non sint sub eodem tecto. Si cum aliquo fuit dispensatum, ut plures Dignitates tenere posset, nequit tamen habere duos Episcopatus, neque unam Dignitatem cum Episcopatu. Si quis habeat Dispensationem ad tenendum duas Parochias, illa reducitur ad duas Priores, quæ recipientur; ita, ut, si una ex ipsis vacaverit, alia ipsi substitui non possit. Si quis obtinuit Dispensationem ab aliquâ Irregularitate, & deinceps Dispensationem ad tenendum plura Beneficia, posterior prioris mentionem facere debet, aliàs nulla est, vid. GONZALEM *in Cap. 28. de Præbend.*

Ad quem pertineat Jus conferendi?

QUÆSTIO hæc distribuitur in REGULAS X. quæ ut ordine legitimo disponantur, & facilioris intellectûs evadant, observandum est, quòd, quamdiù Episcopi contulêre Ordines, addicendo alicui Ecclesiæ, aut Monasterio, vel Hospitali, vel Oratorio, vel Capellæ, vel alii Loco Pio, ad eos ibi exercendos; nemo alius nisi Episcopus contulit Beneficia suæ Diœceseos: indè nata est Regula, Episcopum esse Collatorem natum istorum Beneficiorum. Sed post introductionem ordinationis absolutæ, vel sine addictione certæ Ecclesiæ, & consequenter sine Titulo Beneficii, horum Collatio ad alios, quàm Episcopum, pertinere incœpit; quoniam licitum fuit Rectoribus Ecclesiarum particularium, ipsis addicere eos, qui sic ordinati fuerant, & hac addictione iis conferebant Sedes, quæ deinceps Beneficia vocatæ fuerunt. Alia ratio tribuit Episcopo jus conferendi Beneficia suæ Diœceseos: quia nimirùm ipse est Primus Ovium Pastor; cæteri earum curam gerunt ejus imperio subordinatam tantùm, eique rationem reddunt, sicut ipse Deo reddit rationem de animabus

Animabus Pastorum, perindè ac de Animabus Ovium: æquum est igitur, ut suos Cooperatores & Coadjutores in Curâ animarum eligat. Ille præterea est Director Cultûs & Officii Divini; ejus est igitur præficere personas, ad illud celebrandum destinatas. Cùm Exemptiones imminuant multiplicem hanc Episcopi potestatem quoad Exemptos, ejusque partem ad eorum Superiores, vel ad Collegium transtulerint; accidit, ut illi Superiores sine, vel cum Collegio, aut Collegium sine Superioribus, contulerint Sedes, quarum concessio erat juris Episcopalis. Hac viâ primùm Monasteria, tùm Capitula acquisierunt jus conferendi. Quoad Collegia non exempta, Collatio ad ea transiit, ob negligentiam Episcoporum vel multiplicitatem negotiorum. Ex Consiliariis Episcoporum in delectu Membrorum sui Corporis, aut ex Sociis in eodem delectu, evaserunt soli Electores. Consuetudo & Præscriptio eos in quasi Possessione istius juris constituit & confirmavit, eamque servaverunt. Undè oritur distinctio duplicis generis Collatorum in unaquâque Diœcesi, aliud Superiorum, aliud Inferiorum; & cùm hi jus suum ab illis acceperint, hæc prærogativa Superioribus fuit conservata, ut, si conferant tempore dato Inferioribus ad conferendum, hi autem sine querela tempus elabi sinant, Collatio firma sit & stabilis.

Fundationes quoque multis Privatis aut Collegiis tribuerunt jus conferendi. Privilegium hoc est merces, quâ Ecclesia Fundatorum Liberalitatem remunerari dignata est. Sunt Laici, qui, perindè atque Ecclesiastici, fruantur hoc honore, *Cap. ult. de Concess. Præbend.*

Cùm Pontifices asseruerint, se esse Pastores omnium Pastorum, Ordinarios Ordinariorum, uno verbo Episcopos Ecclesiæ Universalis, sibique hac ratione competere Plenitudinem omnis Jurisdictionis Ecclesiasticæ, seque esse illius Fontem, à quibus in cæteros manat; illi sibi arrogaverunt Jus conferendi omnia Beneficia, ubicumque sita forent, & consequenter mandandi, ut omnibus, qui sibi placuissent, darentur; sibi illa reservandi, ac de iis, prout libuerit, disponendi: undè apud eos remansit jus Præventionis, quo fruuntur; & quædam Reservationes, quæ sunt etiam in usu.

Omnes Collatores præfati, sunt Collatores Ordinarii, suoque proprio nomine conferunt; eatenùsque inter se discrepant, quòd alii jus illud habeant ex natura suæ Dignitatis; alii, vel ex Privilegio, vel ex Consuetudine, vel ex Præscriptione, vel ex aliquo Titulo singulari.

Alii sunt Collatores, qui jus illud per Commissionem exercent: tales sunt Vicarii Generales Episcoporum; magni Vicarii Abbatum; Legati Pontificis; Procuratores speciali mandato constituti: omnes hæ Collatorum species alieno nomine conferunt, suntque vel *Ordinarii*: v. gr. cùm delegantur ad conferendum, aut omnia Beneficia Collationis Delegantis, aut aliquod genus; vel sunt *Delegati*: tales sunt ii, qui delegantur tantùm, ad conferendum aliquot Beneficia determinata, quamvis Deleganti aliorum Collatio competat: utrique possunt præveniri à Delegante, qui eos tantùm delegavit, ut suum defectum supplerent.

Ad occurrendum malis, quæ ex longioribus vacationibus Beneficiorum oriuntur, Canones definierunt tempus, quo elapso, Collatio pertinet ad Superiorem.

Post has observationes, abstinere possemus à discutiendis sigillatim *Regulis*, & à notando Ordinis defectu. De utroque Capite nihilominùs breviter loquemur.

Reg. XVII. Autor orditur à Laicis, in quibus agnoscit jus conferendi, si Episcopus consenserit. *Can.* 36. 37. 38. 39. CAUS. XVI. QUÆST. VII. laudati non loquuntur de Collatione, ad quam faciendam Laici non indigent Episcopi consensu. Sed de Præsentatione, quæ effectum suum sortiri non potest, nisi admittatur ab Episcopo; cùm hoc jus non sit in Laicis, nisi ex Privilegio; oportuisset priùs loqui de Episcopo, & Jure Communi, in omni tempore, & in omni Regione Collatore.

REG. XVIII. *Can.* 11. CAUS. XVI. QUÆST. VII. loquitur de Collatione Parochiarum & Præbendarum, quas dicit conferri non posse, nisi ab Episcopo, nominatim excludendo Archidiaconum, & Archipresbyterum, Præpositum, seu Decanum.

REG. XIX. & XX. pertinent, ad Sedis vacationem, de quâ suprà *Cap.* 11. Quod legitur in *Cap. 7. de Rescript.* laudato in REG. XX. attentionem meretur: scilicet, Capitulo Sedis vacantis significari potest gratia Expectativa, ad Episcopum inscripta: is autem, qui deinceps eligitur, eam tenetur exequi sine novâ notificatione; quod provenit ex eo, quòd Capitulum tunc Episcopum repræsentet. Vid. GONZAL. *ibid.*

REG. XXI. loquens de Jure conferendi pertinente ad Pontificem, ejus tantùm facit mentionem, quod habet in Beneficia vacantia *in Curia*, nec exponit, in quo illud consistat, nempè in affectandâ ad Pontificem Collatione omnium Beneficiorum vacantium in loco, ubi residet Pontifex, & viginti circùm leucis: *Sex* affert *Exceptiones*, quarum *Prima* satis enucleata non est. Ea videri debet in CLEMENT. I. *Ut lite pendente, nihil innovetur.* Sedulò, collegimus & accuratissimâ Methodo disposuimus quod Juris Textus circà hanc Reservationem docent.

REG. XXII. supponens, Legatum habere Jus conferendi, docet, eum posse sibi reservare Beneficia Patronatûs Ecclesiastici, si sit Legatus *à latere*; secùs, non posse nisi specialem permissionem à Pontifice impetraverit: potestatem utriusque extingui unà cum Legatione, quoad negotia integra: non posse eum secundam reservationem facere, pendente primâ: non posse reservare Ecclesiam cathedralem, aut Regularem, aut Collegiatam; neque Dignitates Electivas. REG. XXVI. etiam loquitur de eo, quod non potest Legatus, quoad Collationem.

REG. XXIV. XXV. loquuntur de Jure conferendi Delegato, & XXIII. de Concollatoribus. Quod dicit, loquendo de Exceptionibus Generalibus, respicit Devolutionem Collationis ad Superiorem, eò quòd inferior non contulit intrà Sex menses, aut contulit personis vel indignis, vel incapacibus; Idem est de REG. XXVII. de Devolutione: ea ex professò tractavimus & inseruimus quidquid circà illam in Jure reperitur.

Quid Conferendum sit?

Quæstionem hanc solvit REGULIS XVIII. quæ incipiunt à XXVIII. usque ad XLV. Dicit in XXVIII. neque conferenda, neque promittenda esse Beneficia nondùm vacantia; quod exponit per multas Exceptiones, Replicationes &c. non necessarias: nam Exceptiones reducuntur ad casus, in quibus Beneficia vacant Jure, & non pertinent ad Regulam, quæ extenditur ad omnia Beneficia, quæ nullo modo vacant, neque Jure, neque facto. Porrò, cùm Replicationes sint pro Regulâ adversùs Exceptiones, si Regulæ sua lux atque extensio restituantur; Replicationes fiunt inutiles, sicut Exceptiones, quibus cadentibus, evanescunt Duplicationes Exceptionibus respondentes.

REG. XXIX. argumento aliena est; nam loquitur de Pensionibus; hic autem agitur de Collatione Beneficiorum.

Pleræque ex Regulis reliquis ad unicam reducuntur: nempè, Mandata Apostolica, cùm forent odiosa, restringi debebant ad Beneficii genus nominatim expressum, scilicet simplex, Præbendam, Dignitatem, & ad Minora istius generis; v. gr. si loquebantur de Dignitate, restringenda erant ad

Collativas: si loquebantur de Beneficio, non extendebantur ad Pensiones, neque ad Hospitalia, neque ad Beneficia, quorum Impetrans non erat capax: verbum *Ecclesiæ*, non complectebatur Cathedralem: Mandata, quæ dabant Beneficium vacans, non extendebantur ad Beneficia aliis debita: si eodem tempore plura vacarent, quæ nemini deberentur, minus duntaxat affectabatur Mandatario: si Collatori mandatum fuisset, ut conferret primum Beneficium vacans, aut suæ Collationis, aut alterius, pluribus vacantibus, unum ex suâ Collatione debebat: si teneretur dare Beneficium suæ Collationis, illud dare non poterat, quod ad Superiorem erat devolutum.

Quantum, quandò conferendum: Antecedentia Collationem.

TRES QUÆSTIONES sequentes, quæ pertinent ad quantitatem rei conferendæ, Locum ubi conferendum, & res præmittendas Collationi, docent 1. Reditus oneri ac Dignitati proportionandos esse, quod ab Argumento Collationis Beneficiorum alienum est; 2. Conferendum esse sine diminutione. 3. Collationem neglectam per Sex menses, ad Superiorem devolvi. 4. Beneficium Patronatûs conferri posse sine præsentatione Patroni. 5. Si Patronatus ad Ecclesiam Collegiatam pertineat; Prælatus præsentare debet cum Capituli consensu: si Capitulum dissentiat, Collatio est annullabilis. 6. Collatio fieri non debet sine consilio ejus, qui consulendus est, nisi valdè à Loco dissitus sit, aut defunctus. 7. Non est conferendum juxtà preces Hæreticorum. 8. Collatio gratuita esse debet. Denique, ubi Collatio non est libera, velut in casibus REG. IV. V. VI. VII. implendæ sunt conditiones, quibus illa est obnoxia: proindè *Quatuor* illæ *Regulæ* ad unicam rediguntur.

Primæ trium Regularum circà adjuncta Collationis restringi debet ad casum necessitatis, & eum, quo Collator Beneficio servitutem imponere potest. Dispositio Textûs laudati odiosa est, & restringenda ad casum expressum, nempè eum, qui fuit observatus. Vid. *Cap. 6. & 11. de Præb.* & GONZALEM *ibid.* REG. II. exolevit; item taxa, de quâ loquitur III.

Consectaria Collationis, & de Actionibus Beneficiariis.

Quamvis multa sint consequentia Collationem, Autor hîc tantùm loquitur de obligatione accipiendi Ordinem annexum Beneficio, & de petitione Beneficiorum in Jure; circà quam observandum est, eam nasci vel ex Jure remoto, vel ex proximo ad Beneficia: prius nascitur ex Præsentatione, vel Expectativâ; posterius ex Collatione, sive imperfectâ, quæ vocatur *Institutio*, sive perfectâ, quæ vocatur *Collatio*, sive ex aliâ quâvis Provisione, imprimis ex Electione & Confirmatione ipsius. De causis hujus petitionis differitur in REG. LIX. *& sequent*: Exceptiones ejus sumuntur ex amissione Jurium; Replicationes pertinent ad casus in *Regulâ* comprehensos. Duplicationes Exceptionibus respondent. Argumento Regulæ & Exceptionum ritè enucleato, corruit totus ille apparatus Replicationum & Duplicationum.

Cui competat Actio BENEFICIARIA?

Loquendo in Quæstione præcedente, de causis hujus Actionis, indicatæ sunt Personæ, quibus illa competit: nam tales sunt eæ, quæ Jus habent remotum, aut proximum ad Beneficia: undè fit, ut, in discussione hujus Quæstionis, exponendi sint casus, in quibus plures Personæ concurrunt ad idem Beneficium, agiturque de Prælatione aliûs, alteri. Tres sunt casus. *Primus*: is, in quo Capitulum plures Personas in numerum Canonicorum adsciscit, cum sponsione primam Præbendam vacaturam iis conferendi; & tunc ii, qui autoritate Apostolica recepti sunt, anteferuntur iis, qui recepti sunt autoritate Capituli, inter quos ponuntur illi, quos admisit cum licentiâ Pontificis. Casus hic rarus est, & exponitur in *Reg.* LX. *Secundus* est, cùm plures extant Mandatarii ad primum Beneficium vacans in eâdem Ecclesiâ, & tunc is, cujus Mandatum anterius est, præfertur aliis, nisi aliquis eorum habeat clausulam *Anteferri*. Genus hoc desiit esse in usu: exponitur in REGULIS LXI. LXII. LXIII. *Tertius* est is, quo Patronus Laïcus successivè, aut simul, plures Clericos ad idem Beneficium præsentat; & tunc prælatio datur ei, qui Institutionem antè alios accipit; species hujus casûs, quem exponit REG. LXIV: est in praxi.

REG. LX. pertinet ad Beneficii accessorium, scilicet Præbendam debitam Canonicatui: cæteræ Beneficium respiciunt.

De Judice Actionis Beneficiariæ, Adjunctis ejus, & Consectariis.

Tres Quæstiones jungimus, idcircò quòd de singulis unicum verbum sit dicendum, nempè. 1. Judex Loci, in quo situm est Beneficium, cognoscere debet de Actionibus Beneficiariis, nisi extent circumstantiæ, quarum cognitio pertineat ad Superiorem v. gr. si agatur de Dispensatione Pontificiâ REG. LXV. 2. Mandata sunt odiosa, *Cap. 4. de Præb. in 6.* laudato in REG. LXVI. Possessionis Quæstio antè Petitorium proposita, definiri debet, antequàm agatur de Petitorio. Duo anni concessi sunt ad illud prosequendum & judicandum REG. LXVII. 3. in Quæstione circà denegationem Provisionum, eas Judex dare potest ei, quem iniquam repulsam passum fuisse judicat, CLEMENT. 3. *de Rescript.* REG. LXVIII.

Et hæ sunt Observationes in primam Partem hujus Capitis, quæ respicit acquisitionem Beneficiorum, sub nomine *Collationis* contentam: è quibus patet, multa esse vitia, tùm ex parte ordinis, tùm ex repetitionibus, vel ex parte Exceptionum, Replicationum, Duplicationum inutilium, vel ex parte rerum abrogatarum.

De amittendis Præbendis & Dignitatibus.

Hæc sunt observanda circà secundam Partem, de Amissione Beneficiorum, incipientem à REG. LXXI. Exceptio hujus Regulæ non est accurata; nam Officium, non est Beneficium: Regula autem loquitur de Beneficiis, de quibus dicit, illa non posse auferri sine causâ; proindè Officia excipi non debent.

Causæ Amissionis Beneficiorum.

Exponendo Quæstionem hanc per Regulas XXXIII. plures affert argumento alienas. Tales sunt eæ, quæ respiciunt nullitatem Provisionum: hæc enim obstat acquisitioni; amissio autem acquisitionem legitimam supponit. Proindè, hæ Regulæ, quæ pertinent ad acquisitionem, malè collocantur sub amissione, posito quòd sub illâ fuerint omissæ; aut inutiliter iterantur, si contineantur sub acquisitione. Ut iis, in hac Quæstione, uteretur, dicendum erat, crimina & defectus, quæ Provisiones irritant, privare Beneficiis, cùm emergunt post Provisionem; vel privationem mereri. Quoad crimina, allegare debuisset: 1. Omnia, quæ Beneficii vacationem, ipso facto, operantur: ea collecta sunt in Regulis circà Irregularitatem. 2. Ea, quæ per privationem puni-

puniuntur, eodem loco enumerata. Quoad defectus, Matrimonium allegare potuisset, quod, sicut impedit validitatem Provisionum, cùm præcedit, vacationem operatur, cum subsequitur; agiturque de Clericis in Minoribus, aut simplicem Tonsuram habentibus. Idem est de Professione Religiosâ. Fundamentum est in Regula: *Eadem est ratio contrariorum*; undè natum est. 1. *Cap. de Reg. Jur. Per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur.*

Quoad alios defectus, qui acquisitionem Beneficiorum sequi possunt, Unicus est, nempè, defectus mansuetudinis, qui amissionis Beneficiorum causa esse possit: contrahitur per armorum professionem, per exercitium Justitiæ Criminalis, aut artis Chirurgiæ, quæ ferro utitur & mutilat. Cùm hoc genus defectûs sit voluntarium, & vitæ Clericali contrarium, Beneficiorum amissionem operari potest: reliqui, nempè Dementia, Surditas, Cæcitas, manuum tremor, Paralysis, Lepra, hunc effectum non operantur. Amissio Beneficiorum est gravis pœna, quæ proindè locum habere non debet, nisi cùm delictum grave est. Juxtà hoc sentiendum est de Regulis, quæ pertinent ad Beneficiorum Amissionem, per delicta, non verò per meros defectus productam. Inter illa delicta, quædam tantæ sunt pravitatis, ut, per seipsa, pœnam mereantur; alia, quæ non merentur illam, nisi accedente Contumaciâ, quæ certum signum est pertinaciæ in delicto. Undè fit, ut sint Casus Privationis, *ipso facto*, & Casus Privationis, per Sententiam.

Ex his principiis sequitur, 1. Reg. LXXII. ad rem non facere, quæ dicit, eum, qui Beneficium legitimâ viâ non acquisivit, illud amittere; cùm amissio propriè non cadat, nisi in res validè acquisitas.

2. Reg. LXXIII. esse falsam, quoad defectus, qui non operantur Amissionem Beneficiorum benè acquisitorum, quamvis, si præcessissent, validæ acquisitioni obstaculo fuissent.

3. Reg. LXXIV. esse falsam, quoad Casus, in quibus Collatores, Præsentantes, Eligentes, erant in quasi possessione conferendi, præsentandi, eligendi: nam actus ab illis profectus validus est, quamvis deindè proprietatem illius Juris amittant. Quoad casus, in quibus ejusmodi personæ non habuissent quasi Possessionem, Regula est aliena; quoniam Provisio fuisset nulla.

4. Falsa est Reg. LXXV. quatenùs dicit, amitti Beneficium ob furorem perpetuum: si enim præcesserit, invalida fuit acquisitio; si successerit, injusta foret amissio.

5. Reg. LXXVI. est iteratio doctrinæ præcedentis adversùs pluralitatem Beneficiorum. Idem est de Reg. LXXVIII. circà eamdem pluralitatem.

6. Falsum est, Beneficium cessare cum causâ, ob quam datum est; falsa proindè Reg. LXVIII. quæ id asserit. Textus laudatus agit de Privilegiis, quæ cum suâ causâ cessare debent.

7. Cessatio à Divinis, etiam absque causâ legitimâ, Beneficii vacationem non operatur; imò laudatum *Cap.* 8. *de Offic. Ordin. in 6.* non jubet, ut privatio per Sententiam feratur Reg. LXXIX.

8. Non residentia, de quâ loquitur Reg. LXXX. unum est è delictis, quæ non merentur Privationem Beneficiorum, nisi accedente Contumaciâ, per Monitionum contemptum manifestatâ.

Pleræque reliquarum Regularum hujus Quæstionis ex iis sunt, quæ Argumento sunt alienæ, ideò quòd, vel loquantur de Depositione ab Ordine, & sic longiùs progrediuntur, vel de Suspensione Temporali à perceptione redituum, quæ pœna valdè discrepat à Privatione Beneficiorum.

Reg. CII. quæ loquitur de Cessione, aut Resignatione, plures habet Exceptiones, & aliquot Replicationes, quæ inutiles evadunt, si Regula restringatur ad Resignationem ritè factam, & admissam antè revocationem. Reg. CIII. loquitur de Casu Resignationis tacitæ.

Quod legitur in his Regulis, extenditur ad Permutationem, quæ est Resignatio mutua, & ad Translationem ab unâ Ecclesiâ ad aliam, cujus acceptatio demissionem prioris includit.

Præfatæ Regulæ XXXIII. reducuntur ad duas generales. Una est, amitti Beneficia, vel *ipso facto*, patrando crimina, quibus hæc pœna cohæret, vel Sententiâ latâ post Confessionem, aut Convictionem Rei: alia est, amitti Beneficia per Resignationem expressam, aut tacitam, sub hac includendo Professionem Religiosam, Matrimonium nec non Collationem Beneficii, cui Possessor consensum præbuit.

Ad Quem pertineat Jus auferendi Beneficia?

Autor observare debuisset, ex Regulis præcedentium Quæstionum sequi, Jus auferendi Beneficia pertinere ad Legislatores, qui privationem Beneficiorum, vel *ipso facto*, vel per Sententiam sanciunt, & ad Judices, qui Leges exequuntur: nam vidimus Ecclesiasticas Leges hoc duplex genus privationis tulisse; & Judices eas executioni per Sententiam suam mittere, per quam, aut Beneficiis exuunt, aut exutos declarant Reos, pro variâ Legum dispositione. Præterea, observare debuisset, amisso Jure ferendarum Legum, aut judicandi, vel exercitio horum Jurium, unà amitti Jus auferendi Beneficia.

Ex his observationibus cernitur. 1. Quòd, ut Reg. CV. vera sit, supponendum est, Principes condere non posse Leges privantes, neque Magistratus eamdem pœnam imponere posse Leges exequendo. 2. Fatendum esse, Episcopo, sive tamquàm Legislatori, sive tamquàm Judici, competere Jus auferendi Beneficia. 3. Hæreticos & Excommunicatos non habere Jus illud, nisi ab Ecclesiâ tolerati sint: undè nascitur veritas Reg. CVI. & CVII.

Quid, & Quantum amittatur?

Quod legitur in *Tribus Regulis* hujus Quæstionis, respicit Amissionem ex Beneficiorum pluralitate ortam; & reducitur ad unicum Principium; nempè, is, qui novum Beneficium acquirit, anteriora amittit, scilicet unum, aut duo, aut tria, pro numero, quem possidebat.

Antecedentia Amissionem seu Privationem Beneficiorum, ejusque Consectaria.

Has duas Quæstiones connectimus, quarum solutio docet, Episcopum juxtà *Can.* 2. Dist. LXVII. & *Cap.* 5. *de his quæ fiunt à Prælat. sine &c.* non posse deponere Sacerdotem sine consensu Capituli; & juxtà *Can.* 7. Dist. LXXXI. Episcopum deposito Presbytero assignare debere locum ad peragendam pœnitentiam. Utraque res parùm argumento affinis est; quod est amissio Beneficiorum.

Præterea *Can.* 2. laudatus, non loquitur de Capitulo, sed de Episcopis, qui cum Episcopo concurrere debent ad depositionem Presbyteri. Et hæc sunt observanda circà *Secundam Partem* hujus *Cap. VII.* quæ non minoribus ac paucioribus vitiis turget, quàm Prima, licèt multò brevior sit.

Pars Tertia *de reliquo Jure Præbendarum.*

Regulæ indicant solùm sedem materiæ propositæ, nempè Textus loquentes de Incremento, aut Diminutione, Alienatione, Permutatione, Reservatione fructuum, Acceptione Possessionis Præbendarum, exceptâ Reg. CXV. quæ, loquens de Sectione, adjicit Textibus eam prohibentibus, plures Exceptiones: 1. Casuum,

in

in quibus, Præbendâ in duas Partes divisâ, unaquæque sufficit ad alendum Possessorem. 2. Casuum, in quibus Judex, addicto Beneficio uni Litigantium, Pensionem alteri assignat, quod fit solùm ad tempus 3. Casus est, cùm Episcopus Hæreticus, cui alius propter Hæresim fuit substitutus, convertitur, eique assignatur pars Episcopatûs; quod argumento parùm congruit. Tres alii Casus sectionis reprobantur.

Regula ultima, loquens de invasione Præbendæ, pertinet potiùs ad *Primam Partem*; quippè acquisitionem respiciat: fortè etiam pertinet ad *Secundam*, ratione pœnæ huic usurpationi annexæ; ideòque ibi collocata fuit REG. LXXVII.

OBSERVATIONES *in* CAP. VIII. *circà* EPISCOPOS *atque alios* PRÆLATOS

Adjicere oportebat Titulo hæc verba, *generatim spectatos*; hoc enim Caput nec non *Cap. IX. & X.* loquuntur de Prælatis in genere, nec nisi in *Cap. XI.* figillatim discuti incipit unaquæque species Prælatorum, ut patet ex Titulo & materia Capitis illius.

Prælati, qui Episcopis in Titulo junguntur, non sunt soli Prælati illis Superiores (id monet Præfatio) verùm etiam Inferiores; argumentum hujus Capitis & duorum sequentium id probat.

Dividitur in *Quæstiones X.* In *quatuor* prioribus indicantur solùm loca Corporis Juris, in quibus de illis agitur. Idem fit in plerisque Regulis, per quas cæteræ Quæstiones deciduntur & sæpè nullus est ordo genuinus inter Regulas. Nullæ sunt generales, sed respiciunt tantùm Partem materiæ Quæstionis. Quæstio IX. loquens de Jure supplendi defectum Prælatorum Inferiorum, ultimo loco poni debuisset: nam *Decima* agit de Re, ad quam Jus illud extenditur, nempè de potestate Prælatorum in Res Ecclesiasticas, & de eorum Privilegio: imò satius fuisset de eo Jure non differere, nisi post Tractatum de Electione; quoniam locum habet in Electionibus, perindè atque in Collationibus, Præsentationibus, aliisve Actibus Ecclesiasticis & Facultatibus illos faciendi.

QUÆSTIONES I. II. III. IV.

In *Quatuor* prioribus Quæstionibus, disputatur de origine verbi *Episcopus*; de significatione ipsius, variis Episcoporum speciebus; & discrimine Episcoporum à Chorepiscopis. Id annotatum fuit, ne similitudo nominis, æquivocationem pareret

QUÆST. V. *Dignitas Episcoporum.*

Quinta de Episcoporum Dignitate, reducitur ad prærogativam in eo sitam, quòd sint Successores Apostolorum; quippè quæ reliquas omnes contineat.

QUÆSTIO VI. *de Gradibus Dignitatis Episcopalis.*

Argumentum *Sextæ* idem prorsùs videtur, ac *Tertiæ*: nam Gradus Episcoporum sunt discrimina inter eos intercedentia, in eo consistentia; quòd alii sunt simplices Episcopi; alii Archiepiscopi, priorum Superiores immediati; alii Primates, Superiores Archiepiscoporum; alii Patriarchæ, Superiores Primatum; alius denique Papa, qui omnium est Caput, & eatenùs Superior singularum specierum, sicut uniuscujusque individui, seu membri.

Autor non loquitur nominatim nisi de Gradibus inter Patriarchas Romæ, Constantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ, Hyerosolimarum; quod fortè venit ex eo, quòd hæ Sedes solæ sint, quorum ordo sit determinatus; & præterea, cæteræ Sedium species includuntur sub Sedibus Patriarcharum, qui sibi subjectos habent Primates, Archiepiscopos & simplices Episcopos.

Quod dicit in REG. II. Sedem Romanam esse eminentissimam, & primam omnium, includitur in eo, quod dictum fuit, Papam esse Caput; hæc enim qualitas ipsi Primariam Sedem attribuit. REG. IV. præcedere debuisset *Tertiam*: nam prioritas Sessionis, quæ vulgò in simplicibus Episcopis ex anterioritate Consecrationis æstimatur, sicut in Archiepiscopis prioritas Provisionis, aut Receptionis ipsorum, ordinem Suffragiorum, & Subscriptionum constituit.

Quod dicitur hâc in *Regula*, prærogativam Dignitatis accipi à tempore Ordinationis, locum habet solùm ergà eos, qui meram habent Ordinis Dignitatem, v. g. simplices Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos: nam inter eos, qui aliâ, præter Ordinem, Dignitate potiuntur, illa huic cedit; undè fit, ut Archiepiscopi, Archipresbiteri, Archidiaconi, præcedant Episcopos, Presbyteros, Diaconos anteriùs ordinatos.

Quod legitur in *Reg. V.* oppositionem unius è Partibus, quarum interest, impedire pactum & conventionem circà Primatiam, fundatur in Regula, *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.*

QUÆSTIO VII. *De loco Episcopatûs.*

QUATUOR REGULÆ, quæ huic *Quæstioni* subsunt, expositione indigent. Ab omnibus excipiendi sunt casus urgentis necessitatis, aut evidentis utilitatis. Nam, 1. si Regio multos habuerit Incolas: pauciores verò Civitates, cur non constituerentur Episcopatus in minoribus Oppidis, quæ ab invicem remota essent, & quorum intervallum plurimis Pagis, aut Burgis, esset refertum? 2. Magnus est numerus Civitatum, quæ caruerunt Episcopo pluribus Sæculis, & tandem Episcopum adeptæ sunt; 3. si Urbs Episcopum occidat; nonnè satius est Sedem ad aliud ejusdem Diœceseos Oppidum transferre, quàm Episcopatum supprimere. 4. Cùm Provinciæ vastiores, rarissimos habent Incolas, Episcopatus vicini esse nequeunt, nisi inutiliter, atque indecenter multiplicentur.

QUÆST. VIII. *Officia Episcoporum.*

Nullus est ordo inter REGULAS LXXI. hujus *Quæstionis*. Primo loco proponendæ erant Regulæ pertinentes ad Officia Episcoporum ergà Clerum & Populum, & continuâ serie colligendæ; tùm eæ, quæ respiciunt Officia Episcoporum ergà Personas Ecclesiasticas, Sæculares, & Regulares, initio ducto ab Officiis ergà Capitulum, quibus subjicerentur Officia ergà Parochos; denique Officia ergà Monachos & Moniales. A Personis, ad Bona Ecclesiastica pergendum, & ab his, ad Loca. Sic argumentum hoc distinximus in Tractatu *de Jurisdictione*.

Loquendo de singulis muneribus sive communibus, sive specialibus, jungi oportuisset quidquid ad illa pertinet, quod neglectum fuit. v. gr. delibato Instructionis officio, transit ad officium Correctionis & Coërcitionis; deindè plures subnectit Regulas, circà munus instruendi: tales sunt imprimis REG. XXI. XXII. de Magistris, Doctoribus, aliisve Personis, quas Episcopi constituere debent, ad docendum, inceptâ disputatione *de Officiis ergà Monachos*, sub Titulo speciali, per *Regulas V.* ad alia munera transit sub eodem Titulo. Officia quoad Pontificem permiscuè traduntur, cum Officiis ergà Diœcesanos. Officia circà Bona Ecclesiastica, cum Officiis ergà Personas miscentur, etiam ea, quæ facere debent Episcopi, cum iis, quæ vitare tenentur: denique, Officia Episcopo, merisque Fidelibus communia, cum muneribus illi peculiaribus.

Inutile est afferre probationes horum vitiorum, quæ facilè apparebunt cuilibet legenti has Regulas. Ex eadem lectione patebit, Regulas absque necessitate multiplicari, exponendo singulas alicujus Officii

Officii partes per Regulas particulares. Sunt etiam aliquot, quibus magna subjicitur copia Exceptionum, Replicationum, Duplicationum &c. inutilium, & caliginem, potiùs, quàm lumen, parientium: talis est REG. XLIX. circà Residentiam Episcoporum extrà casus necessitatis, vel utilitatis, eorum absentiam requirentes, quæ justa esse desinit, statim atque cessant causæ illam excusantes. Nihil est hac in Regula, quod non reducatur ad obligationem residendi extrà casus legitimi impedimenti, qui illam suspendunt dumtaxat, quamdiù durant. Methodus hæc exponendi simplex est & perspicua, VIGELIANA autem intricatior & obscurior.

Multæ reperiuntur, quæ, nisi restringantur, falsæ sunt: talis est v. gr. *Reg. XXIII.* dicens, Episcopum novos Census imponere non posse, neque veteres augere: hæc enim vera non est; nisi quatenùs id fieret absque justâ causâ: nam, si novam Parochiam exigat, imponere potest Ecclesiæ Decimas percipienti, onus Portionis Congruæ, quam non solvebat, si verò ea, quam Curato jam constituto solvebat, non sit sufficiens, eam augere potest. Idem est de *Reg. XV.* ferente, Episcopum non posse eximere Ecclesiam à subjectione alterius, à quâ pendet: nam, si duæ Ecclesiæ sint unitæ, ita, ut una alteri subjecta sit, Episcopus earum unionem dissolvere potest, & tunc cessat dependentia. Idem dicendum de *Reg. XXV.* in quâ dicitur, Episcopum non debere Cognatis & Amicis suis credere Officia Ecclesiastica: nam, si digniores sint cæteris, anteferri debent. Laudatus autem Textus non prohibet nisi acceptionem Personarum, ex carnali affectu provenientem. REG. XIV. ejusque Exceptio, falsæ sunt, si accipiantur in omni suâ extensione: nam falsum est, Episcopum nihil posse sine consensu Capituli; laudatique Textus id non probant; sed potiùs, esse res quasdam, in quibus solo consilio Capituli indiget, alias verò, in quibus requiritur consensus. Regula tamen dicit, *sine consensu Capituli nihil administret*: Exceptio eam restringit ad casus, in quibus consuetudo praxim contrariam induxit; Textus autem laudatus ad illam probandam, loquitur solùm de aliquot casibus requirentibus solum consilium.

Quædam Regulæ exoleverunt; talis est XLV. dicens, Episcopum non posse uti Dalmaticâ, sine licentiâ Pontificis.

Quædam malè concipiuntur ratione Exceptionis appositæ: talis est XLIII. dicens, Episcopum alienam Parochiam usurpare non debere; casus præscriptionis excipitur; porrò, Usurpator nunquàm præscribit, obstante scilicet malâ fide. Dicendum erat, Episcopum, qui Parochiam in alterius districtu possidet, eam restituere debere, nisi præscriptio ei patrocinetur.

Prima *Quinque Regularum* circà Jura & Officia Episcoporum ergà Monasteria & Monachos, indicat solùm Textus de iis prolixè loquentes. *Quatuor* sequentes reducuntur ad prohibitionem illos vexandi, sive quoad Temporalia, sive quoad Spiritualia. Reliqua Officia circà idem argumentum, aliis in locis observantur, quæ ab Autore indicari debuissent.

QUÆST. IX. *circà Officium & Jus Prælati Superioris supplendæ negligentiæ Prælatorum Inferiorum.*

Jus, sub negligentiâ, cæteras Inferiorum Prælatorum culpas complectitur; nempè iniquam repulsam, & pravam electionem.

Autor eorum impotentiam adjicit, duabus superioribus omissis. Quadruplex itaque defectûs supplendi genus; negligentia; repulsa; electio indigna; impotentia. Duo priora supplentur, faciendo quod, per negligentiam, omissum fuerat, vel iniquè denegatum. v. gr. cùm providetur Sedi, quam Collatores, Electores & Præsentatores ultrà legitimum tempus vacare passi sunt. Suppletur tertium, cùm Bono Ministro traditur locus pravo datus, sic dignam & capacem personam substituendo indignæ & incapaci, cui provisum fuerat. Suppletur quartum, Personæ infirmæ, & ad obeunda munera sua inhabili, Coadjutorem dando.

Quartum suppetit remedium circà casum repulsæ, hanc pro concessione accipiendo: *Cap. de suppl. negl.* ejus exemplum suppeditat: videlicet Abbatis pro benedicto habiti; cùm Episcopus ritè requisitus tribus vicibus, eum non benedicit, Jus à Benedictione dispensat, concedendo Abbati licentiam fungendi suis muneribus, perindè ac si benedictus foret.

QUÆST. X. *circà Potestatem, Bona & Privilegia Episcoporum & aliorum Prælatorum.*

Pleræque Regulæ hujus Quæstionis exigui usûs sunt. Erectio Beneficiorum hodiè vigens, eas inutiles, quoad praxim, fecit. Episcopus non habet administrationem Bonorum Ecclesiasticorum: desiit habere portionem Legatorum Piorum: Bona ejus Patrimonialia, separata sunt à Bonis ejus Ecclesiæ: non est hodiè necessarium conficere Inventaria utrorumque: acquisitiones, quas comparat semper ab acquisitionibus Ecclesiæ distinguuntur: reservatio Causarum Episcopalium ad Pontificem, ubique ferè abolevit Canones, qui earum notionem Conciliis Provincialibus tribuunt, & qui ad praxim in solâ Galliâ reducuntur, quamvis sæpiùs iis derogetur: Domus Episcopalis amisit Jus Asyli in multis Regionibus: necessitas illum monendi, priùsquam in Jus vocetur, sublata est.

OBSERVATIONES *in* CAP. IX. *circà Jurisdictionem Prælatorum.*

Argumentum, hoc est consequutio Quæstionis ultimæ *Capitis* præcedentis; nam Jurisdictio pertinet ad potestatem. Dividitur in Tres Partes; 1. de modo eam acquirendi. 2. Eam tuendi, 3. eam amittendi. *Prima* & *Tertia* valdè connexæ sunt; unus enim acquirit, quod alius amittit: itaque, ipsæ defectus suos mutuò supplere possunt. Consequenter addi potest viis, per quas acquiritur Jurisdictio, erectio Ecclesiæ inferioris in Episcopatum; unio Ecclesiæ unius Diœceseos, cum Ecclesiâ Diœceseos alterius; Sectio Episcopatûs in plures, ejusque erectio in Archiepiscopatum; translatio domicilii ab unâ Diœcesi in aliam, sive peregrinatio ab unâ Diœcesi in aliam propter negotia. His enim mutationibus, Ecclesia in Episcopatum erecta, quæ desinit esse obnoxia Jurisdictioni veteris Episcopatûs, transit sub Jurisdictionem novi; Ecclesia unita Ecclesiæ alterius Diœceseos, eique subjecta, transit sub Jurisdictionem Ordinarii illius Ecclesiæ; per divisionem prædictam, Episcopus evadens Archiepiscopus, acquirit Jurisdictionem Archiepiscopalem in novos Episcopatus & amittit Jurisdictionem, quam habebat in Parochias sibi quondam subjectas, quæ transit ad novos Episcopos. Diœcesani, qui domicilium in aliam Diœcesim transferunt, illùcque Bona sua conferunt, Prælati ejus loci fiunt Diœcesani: per Incolatum in alienâ Diœcesi, quamvis cum voto reditûs in pristinam, peregrinus fit Diœcesanus posterioris.

Pars Prima, de viis, per quas acquiritur Jurisdictio.

Quod dicitur in *Regulâ I.* de Electione ad Prælaturam, extenditur ad aliam quamlibet Provisionem: hâc autem viâ Jurisdictio non acquiritur immediatè, sed dignitas, cui illa cohæret.

Omnes Exceptiones, quæ leguntur sub *Regula II.* quæ præscriptionem collocat in fronte viarum, per quas

quas Jurisdictio immediatè acquiritur, desumuntur ex defectu conditionum requisitarum ad præscriptionem; proindè inutiles sunt; quandò enim dicitur, præscriptione acquiri Jurisdictionem, agitur de præscriptione legitimâ.

Titulus, quem, Autor antè *Regulas* sequentes collocat, significare videtur, eum sermonem de causis acquisitionis Jurisdictionis intermittere. Nihilominùs hæ Regulæ ad idem argumentum reducuntur; nam colligit in *Tertia* casus, in quibus Diœcesani Suffraganeorum Jurisdictioni Archiepiscopi sunt obnoxii, & hic exercitium Jurisdictionis acquirit in ipsos. Hos casus non debuisset colligere, sed rejicere in locum, ubi loquitur de Archiepiscopis & dicere duntaxat, hâc in Regulâ extare casus, qui Suffraganeorum Diœcesanos subjiciunt Archiepiscopi Jurisdictioni, & hunc aliquam in ipsos Jurisdictionem acquirere, quoad exercitium. *Quarta* loquitur de Exemptione, quæ Diœcesanos Episcopi subjicit alii Prælato; quâ proindè Prælatus hic Jurisdictionem in illos acquirit. Enumeratio Exemptionum ibi instituta, rejici debuisset in locum, ubi de Privilegiis agitur. Idem est de eo, quod dicitur in Replicationibus generalibus hujus Regulæ, & præcedentium, quod reducitur ad casus, in quibus cessat Exemptio, cujus discussio huic loco non congruebat. Satis vasta & gravis est Exemptionum materia, ut seorsim tractaretur: & quidem id præstitimus in speciali Tractatu *de Privilegiis*. REG. V. de Jure dispensandi, argumento est aliena.

Duæ Regulæ circà modum tuendæ Jurisdictionis, loquuntur solùm de pœnis, quas incurrunt ii, qui illam impediunt, vel se subjicere recusant, priores Excommunicationi, posteriores Depositioni sunt obnoxii.

OBSERVATIONES *in* CAP. X. *de Electione Prælatorum.*

Secernere debuisset id, quod Prælatis Regularibus peculiare est; quos videlicet esse Professos oportet, ut eligantur & eligant. Adjice, ætatem XXV. annorum sufficere, quoad illas Prælaturas; Electum indigere consensu Superioris, ad consentiendum Prælaturæ aliùs Ordinis. Quoad Abbatissas, extant Regulæ speciales in *Cap.* 43. *de Elect. in 6.* Abbates possunt *eligi* ad alias Abbatias & Episcopatus; Episcopi autem *postulari* duntaxat possunt ad alios Episcopatus.

Secernenda quoque erant ea, quæ Postulationem attinent, ab iis, quæ Electionem respiciunt; atque ab hac incipiendo, illam ad calcem Tractatûs *de Electione* ejicere oportuisset; quoniam est Electio gratiosa, quæ, cùm dispensatione Superioris indigeat, vocatur *Postulatio*; de ipsâ loquendo, rebus tantùm ipsi peculiaribus inhærendum fuisset, nempè defectibus, qui illam requirunt, vel qui illam excludunt; ejus formæ, & numero votorum necessario, cùm illa concurrit cum Electione, vel ab hac separatur; effectui postulationis Superiori oblatæ, qui est impedire revocationem ejus. Utrumque præstitimus in Tractatu *de Electione*. Divisio ejus, quem hic Autor tradit, luculenta est, fitque in *Quæstiones IX.* videlicet 1. Quis possit eligi. 2. Quis eligere. 3. Per quem Jus illud exerceri possit. 4. Quandò; 5. Ubi. 6. Antecedentia Electionem. 7. Modus eam faciendi, & Adjuncta, 8. Ejus Consectaria. 9. Affinia. *Quæst.* III. V. VI. & IX. duobus aut tribus verbis continentur: *Quæst.* I. II. & VIII. latiùs patent, & meritò; cùm sint longè majoris momenti.

QUÆSTIO I.

Prima, loquens de Qualitatibus in Eligendo requisitis, solvi potuisset, per unicam Regulam, & remissionem ad ea, quæ dicta sunt circà qualitates requisitas ad Ordines & Beneficia. *Regula* est, Leges, quæ illas dotes definiunt, esse prohibitivas; ejus autem generis Leges admittere omnes, quoscumque non excludunt: porrò, Personæ, quæ excluduntur ab Electione passivâ, eædem sunt, quæ excluduntur ab Ordinibus & Beneficiis; eæ nempè, quæ, ratione hujus exclusionis, *Irregulares* vocantur, de quibus locuti sumus minutissimè in Tractatu *de Irregularitate* considerata in speciebus suis; quæ non magis ad Ordines pertinent, quàm ad Beneficia, in quibus Electio locum habet: nam Prælaturæ, quæ sunt electivæ, requirunt Ordines; & Beneficia, quæ verè electiva sunt, eosdem requirunt. Quod dictum fuit de Irregularitate, locum habet quoad omnes Censuras personales, quæ sub hoc respectu eumdem effectum operantur.

Si inter dotes ad Ordines requisitas, quædam non requirerentur ad Beneficia electiva; vel, è contra, quædam necessariæ essent ad Beneficia hæc, non verò necessariæ ad Ordines, quod quidem nos latet, satis fuisset illas observare.

QUÆSTIO II.

Priusquàm hujus Quæstionis Regulæ discutiantur, tria, quæ ibi omittuntur, sunt observanda; scilicet 1. Jus eligendi pertinere ad membra Collegii, cui dandum est Caput, aliud-ve Membrum substituendum loco defuncti, aut segregati, aut cedentis, aut translati; quod æquissimum est, cùm uniuscujusque ex illis interfit in illa electione. 2. Si quis eorum isto jure careat, id cautum fuisse per aliquam Legem prohibitivam, quæ illum excludit. 3. Cùm jus eligendi spirituale sit, oportere, ut omnes, qui suspensi sunt ab hujusmodi jure, vel qui illud in perpetuum amiserunt, vel pro unâ vice, sint ex iis, quos à jure eligendi Leges excludunt; proindè cùm Irregularitas Censuræ personalis, Excommunicationis Majoris, Suspensionis totalis, aut ab Officio, vel à Muneribus Beneficii, operentur hunc effectum, sequitur, eos, qui aliquâ Irregularitate implicantur, aut Censurâ innodantur, non posse eligere: idem juris est quoad omnes, qui actiones patraverunt eligendi jure *ipso facto* privantes.

His igitur de causis, omnes Regulæ hìc ab Autore collectæ rediguntur ad aliquod ex observatis Capitibus, & singuli Canones, quos laudat, sunt prohibitivi, vel in verbis, vel in sensu: quantulacumque afferatur attentio, statim id legenti patet; itaque, sufficeret observare, Exceptiones *Regulæ I.* loqui de iis, qui excluduntur à jure eligendi, & sub hoc respectu, discrepare ab aliis Regulis, quæ illorum mentionem ipsæmet faciunt: nullum esse ordinem in enumeratione, quæ legitur in utrisque: multa esse, quæ pertinent ad alias Quæstiones; quod enim dicitur de Procuratoribus, pertinet ad *Tertiam*; quod dicitur de Loco, pertinet ad *Quintam*; quod dicitur de Compromisso, pertinet ad *Septimam*: quod dicitur de amissione juris eligendi, ob Electionem personæ indignæ, aut incapacis, pertinet ad *Octavam*: quod dicitur de Devolutione, pertinet ad *Quartam*.

Ad disponendas ordine genuino Personas, quæ excluduntur à jure eligendi, incipere oportet à Populo, sive Laïcis, qui hodie sunt prorsùs incapaces, ratione sui statûs; tùm pergendum ad Clericos aliarum Ecclesiarum, qui excluduntur, quoniam non sunt ex Collegio; indè, ad Impuberes, qui non habent ætatem; deindè ad Personas justæ ætatis, quæ non habent Ordinem requisitum; tùm ad eos, qui habentes qualitatem utramque, sunt absentes, & Procuratores non nominarunt; Indè transeundum ad eos, qui aliquâ Censurâ, aut Irregularitate innodantur; & quorum jus propterea suspenditur, denique ad Collegium, quod jus suum amisit, vel propter Electionem tempore legitimo neglectam, vel propter Electionem Personæ indignæ, ratione Morum, vel ignorantiæ, aut incapacis, ratione defectuum suorum, non criminalium, vel quia jus suum in alios trans-

transfudit per Compromissum; vel quia suspensum est ab Actibus, qui fiunt in communi; vel quia lapsum est in aliquod è Criminibus illo jure privantibus, putà Hæresim, Schisma, Simoniam, Læsam Majestatem.

QUÆSTIO III.

Hîc colligenda erant omnia, quæ respiciunt Procuratores, ad eligendum constitutos; circà quos requiritur, ut habeant Mandatum speciale; sint è Collegio; & capaces eligendi ipsi suo nomine proprio; quid faciendum sit, cùm plures sunt; casus, in quibus illi constitui nequeunt.

QUÆSTIO. IV.

Omnes Exceptiones & Replicationes *Regulæ I.* sunt inutiles, & comprehendi debent in Regula, quæ dicit, Electionem totiès habere locum, quotiès Sedes verè vacaverit, quod accidit non solùm in Casu mortis, sed etiam depositionis & abdicationis, sive expressæ, sivè tacitæ, quæ fit per Professionem Religiosam, aut per Translationem. Regulam restringimus ad veram vacationem; nam interpretativa non sufficit: talis est ea, quæ provenit ex suspensione perpetuâ, sivè totali, sivè ab Officiis Pontificialibus, vel ex captivitate, vel ex furore.

Hoc peculiare est Vacationi per mortem, quòd expectandum sit, donec Prælatus sit sepultus, imò sunt Canones, qui prohibeant eligere antè tertium à Depositione, aut Sepulturâ, diem; sed abrogati sunt REG. II. III.

Idem dicendum de REG. IV. ac de I. fert illa, Electionem fieri debere intrà tres menses: adjiciendum est, *salvo Casu legitimi impedimenti*, ex illo enim Casu trahuntur Exceptiones. Itaque, converti debent in exempla legitimi obstaculi; nam tempus adversùs eos non currit, qui justè impediuntur; & ad judicandum de justitiâ impedimenti, discutienda sunt exempla allegata. Porrò in *Primâ* agitur de alia Electione celebrandâ, non à Collegio, quod Jus suum amittit ob negligentiam suam, sed à Superiore, ad quem Jus est devolutum, & cui idcircò spatium trimestre competit. Idem est de *Tertia*; nam Electio, quæ fit ab Electoribus, post cassationem primæ, ob defectum occultum Electi, sibi ignotum, est nova Electio, ad quam tres Menses rursùs concedendi sunt. Exemplum, quod in Exceptione II. legitur, est congruum; nam sumitur ex morâ à Superiore proveniente, sine cujus permissione procedi non poterat ad Electionem.

REG. V. Expositione indiget: dicit, procedi non debere ad novam Electionem, pendente appellatione circà primam, nam plura sunt genera appellationis circà Electionem: alia est *Extrajudiciaria*, quæ fit appellando ab omni Electione, quæ non erit Canonica, vel quæ fit alio modo, quàm qui proponitur ab Appellantibus; appellatio hæc non suspendit Electionem, sed fit, ut hæc sit Canonica, vel fiat modo proposito, suumque effectum non parit, nisi postquàm Electio facta fuit contrà formam appellationis. Appellatio hæc exolevit. Præterea, ex quo Concilium *Lateranense* IV. formam Electionis præscripsit, ejusmodi Appellatio futilis esset, in secundo casu, posito quòd forma proposita adversaretur formæ Concilii.

Alia appellatio est *Judiciaria*, & locum habet in casu Controversiæ circà Electionem, aut jam perfectam, aut inchoatam. Appellatio hæc annihilat Electionem, quæ fit priusquàm prima Instantia sit absoluta. Vid. *Cap.* 11. *&* 19. *de Elect. &* GONZAL. *ibid.*

QUÆSTIO. V. VI.

Pro certo asserendum est, Electionem fieri debere in loco, ubi coëunt vulgò Comitia Capitularia, & cùm hic locus Ecclesiæ Cathedrali sit contiguus, vel aliqua pars istius Ecclesiæ destinata ad tales Conventus; dicitur, eam fieri debere in Ecclesiâ Cathedrali: sic intelligendum est *Cap.* 25. *de Appell.*

Suprà diximus, Electionem nonnunquàm pendere à licentiâ Superioris, *Reg. II. Quæst. VI.* Exemplum hujus Juris suppeditat circà Electionem Patriarcharum, quæ celebrari non potest sine licentiâ Pontificis. *Cap.* 3. *de Elect. Extrav. Comm.* alia suppetunt exempla in Textibus collectis in Tractatu *de Electione*, ut ostenderetur, esse Regiones, in queis licentia Principis est necessaria.

Inter res Electioni prævias, Autor huic permissioni & convocationi Electorum, jungere debuisset conventum Electorum, qui sunt in loco, qui fit ad præstituendum diem, quo Electio celebrabitur, nec non Nominationem plurium Personarum, è quibus una est eligenda: idem est de punitione eorum, qui Electionem impediunt. Itaque *Reg. XIX. Quæst. VIII.* collocari debuisset sub *Quæst. VI.*

QUÆSTIO. VII.

Hîc erat locus loquendi de Compromisso ad eligendum, quod est secundus é tribus modis eligendi approbatis à Concilio *Lateranensi IV.* & colligendi id, quod de illo Jus dicit in aliis Textibus, videlicet 1. Oportet, ut omnes vocem habentes in Capitulo consentiant Compromisso: illud debet concurrere cum Scrutinio, si inter illos ita convenerit: æquum est, ut Compromissarii sint in numero impari: licitum est convenire, quòd in casu discordiæ, Compromissarius eliget eum, qui Concurrentes numero Suffragiorum vincit, quamvis non habeat majorem partem votorum Eligentium: quod fit à Compromissariis, est irritum, si potestatem suam egrediantur, aut eligant post revocationem Compromissi factam, priusquàm processum inciperent, seu rebus integris; si elegerint Personam indignam, aut incapacem; si eligant post elapsos tres Menses: posito quòd eorum Electio sit nulla, Jus ad Capitulum revertitur, nisi nullitas ex temporis lapsu proveniret.

Ad restituendum ordinem rebus, quæ Electioni adjunctæ sunt, considerandum est 1. Quot requirantur Suffragia, seu Vota. 2. Qualia esse debeant. 3. Eorum Publicatio. 4. Eorum Collatio. 5. Electio. 6. & ipsius Promulgatio.

Circà primum Caput dicendum est, majorem Partem votorum omnium Capitulantium requiri, posito quòd illa conferant in Personam capacem & dignam. Aliàs Jus devolvitur ad Minorem, & Electio, quam facit hæc, est rata, modò Electus habeat qualitates requisitas, & forma fuerit observata: ad hoc reducitur id, quod legitur in REG. V. ejusque Exceptionibus XI. cætera aut superflua sunt vel obsoleta. Sublata est necessitas, majorem Partem esse etiam saniorem. Hodiè numerantur voces; ponderari desierunt. Itaque Exceptio I. falsa est, item falsa est Replicatio hujus Exceptionis: nam Electio Monachi facta à minori parte semper nulla est; Textus laudatus id nominatim dicit.

Replicatio Exceptionis IV. perperàm concipitur dicitur quòd, si Pars, quæ eligit Personam solùm postulabilem, dupla sit alterius, Electio hæc illam vincit, quæ facta est à minori. Dicendum erat, quòd, si Postulatio superet Electionem tertiâ parte votorum Capitulantium, ipsa Electioni præferenda sit.

Exceptio VIII. est etiam falsa: nam, postquàm Electio facta fuit à minori Parte Capitulantium, cæteri eam ratam habere nequeunt, illam approbando, *Cap.* 29. *de Elect. Cap.* 42. 48. *ibid.*

Quoad Electionem Pontificis, semper requiruntur duo trientia Cardinalium.

Suffragia occulta esse debent; absoluta; determinata ad unicam personam certam; & gratuita; collata ob meritum; minimè verò per gratiam.

Quod dicitur de Secreto, non repugnat Textibus, qui clandestinas Electiones reprobant; nam Electio non est clandestina, nisi cùm non promulgatur: Secretum durat solùm, donec omnia Suffragia sint collecta, quo peracto, necessariò illa publicanda sunt, ut noscatur, an consentiant Electores; quod si accidat, Collatio non est necessaria; an verò dividantur, quo in casu discutiendum est, an aliquis ex Electis tot votis juvetur, quot necessaria sunt ad Electionem validam, atque an illa Suffragia habeant qualitates requisitas: si de utroque constet, quod detegitur per Collationem, declarandum esse Electionem validam, esseque in favorem hujus aut illius; si contrarium ex Collatione appareat, declaratur, non esse Electionem, quo in casu proceditur ad novum Scrutinium, donec una Electio valida fiat; quo in casu validitatis Electionis, sive primæ, sive posterioris, oportet, ut unus è Collegio ipsam promulget, & pronuntiet in nomine reliquorum. Porrò, hæ sunt conditiones requisitæ ad Electionem completam, ordine genuino dispositæ, ad supplendum id, quod deest Collectioni Autoris. Ex his Conditionibus sequitur, Electionem non posse fieri per sortem. Cùm sors cadere possit in aliquem carentem dotibus necessariis, vel minùs, quàm par sit, illas habentem.

QUÆST. VIII. *Eventus & Consectaria Electionis.*

Principio Autor exponere debuisset generaliter omnia, quæ collocat sub hoc Titulo, quem valdè ampliavit. Eorum summam subjicio, 1. Notificatio Electionis facta Electo. 2. Tempus Electo datum, ad acceptandum, petendamve acceptandi licentiam, si non sit sui juris; 3. Appellatio ab Electione. 4. Ejus Confirmatio. 5. Postulatio Exceptionis adversùs utramque, & contrà Confirmationem. 6. Consecratio. 7. Pallium. 8. Communia horum Actuum, vel plurium ex iis.

Quatuor dantur *Regulæ* circà Caput I. quæ docent, Electionem esse præsentandam Electo, consensumque ipsius exquirendum; Si præsens sit, datur illi mensis ad deliberandum; si absens & remotus sit, expectatur sex menses; si Religiosus sit, ei certum tempus præstituitur, distantiæ ipsius ab ejus Superiore proportionatum, quo elapso, necdùm impetratâ veniâ, quâ indiget, jure suo cadit. *Regula IV.* non loquitur de Electione, sed de Ordinatione Beneficiatorum, quorum Ministerium Ecclesiæ necessarium est, & qui coguntur ad consentiendum, sub pœnâ Privationis sui Beneficii, nisi aliundè Ecclesiæ sint utiles.

Ab hac *Regulâ* usque ad XVIII. differitur de Appellatione, seu oppositione Electioni. Loqui solùm oportebat de oppositione Electioni jam factæ: adjicitur tamen ea, quæ fit adversùs Electionem futuram, & eam, quæ fit actu. Autor hìc operam insumit in iis colligendis, quæ necessaria sunt ad Appellationem generatim spectatam; circà quæ Lector remittendus erat ad id, quod dictum est suo loco. Quod dicit de Appellatione, sivè ab Electione futurâ, sivè ab inchoatâ, exigui usus est; quoniam ejusmodi Appellationes sunt abrogatæ. Speciale est Electioni, pendente Appellatione Judiciaria confectæ, ut nulla sit, quamvis conferri soleat Matrimonio, quod, lite circà priores nuptias pendente, celebratum, ratum est & subsistit, postquàm Matrimonium prius nullum fuit declararum: Discrimen ex eo proveniens, quòd Ecclesia existimavit, interdictum celebrandi Matrimonii novi, pendente controversia circà validitatem prioris, tanti non esse momenti, ut impedimentum dirimens fieri debeat, secùs autem judicavit de prohibitione novam Electionem celebrandi, antè cassationem prioris.

Quòd dicit REG. XVIII. in casu oppositionis executioni Electionis factæ, 1. Discutiendam esse qualitatem Personarum, quæ illam proponunt, 2. earum momenta, locum habet in Confirmatione, de quâ differitur à REG. XXI. usque ad XXX. inclusivè. Omisit dicere, nullum esse tempus præstitutum, ad obtinendam Confirmationem, & vitia personæ, quæ aliquem incapacem Electionis passivæ faciunt, operari etiam incapacitatem accipiendæ Confirmationis. Omisit quoque id, quod Abbatissarum Confirmationi peculiare est. *Can.* 5. DIST. LXV. quem laudat. REG. XXIII. non loquitur de vero Primate, sed de Metropolitano, qui in Africâ *Primas* vocabatur: *Can.* 4. laudatus *ibid.* continet exemplum derogationis factæ à S. LEONE juribus Metropolitanorum, eos astringendo ad petendam licentiam à Primate consecrandorum Suffraganeorum suorum, quo in capite à Primatibus erant independentes.

Ultima Exceptio *Regulæ* XXIX. est inepta: nam Pontificis Electio non indiget Confirmatione, ejusque Coronatio est mera Cærimonia, quæ nullam habet affinitatem cum Confirmatione.

Reg. XXXI. XXXII. XXXIII. respiciunt Postulationem, de quâ seorsim agendum fuisset, & observandum, quod illi peculiare est, juxtà nostram notam hìc in principio.

Reg. XXXIV. pertinet ad objectiones, quæ adversùs Electionem proponi possunt: ex *undecim*, quas colligit, præter generales, è Quæstionibus præcedentibus deductas, nulla est, quæ ad has non reducatur; nam 1. *Prima* sumpta ex eo, quòd Pontifex Electionem prohibuit, pertinet ad casus, in quibus Electores potestate caruerunt. 2. Electio facta contrà Canones aut Consuetudinem, pertinet ad omnes casus, in quibus observati non fuerunt Textus laudati, in Quæstionibus VIII. præcedentibus. 3. Electus ambitiosus non habet qualitates requisitas. 4. Appellatio suspendit Electorum potestatem. 5. Idem est effectus Compromissi. *Objectio* VI. VII. VIII. & XI. sunt alienæ, aut falsæ; namque, non licet Electoribus variare post Electionem. Crimen posterius Electioni non nocet, sed Confirmationi & Consecrationi. *Object.* IX. non cadit in Electionem, nisi cùm cassatio Confirmationis causam habet in nullitate Electionis. *Object.* X. sumpta est ex defectu potestatis in Electo, ad consentiendum, qui v. gr. in alienâ potestate constitutus est, quales sunt Religiosi.

REG. à XXXV. usque ad XLVIII. pertinent ad Consecrationem. Observandum erat, omnia vitia & crimina, quæ ab Electione & Confirmatione passivis excludunt, excludere quoque à fortiori, à Consecratione: hanc Jure Communi pertinere ad eum, cujus est confirmare: Ex quo Electio non fit ab Episcopis Provinciæ, consensum illorum non requiri ad Consecrationem; proindè, quod legitur sub finem *Reg.* XXXIX. dissentientibus Episcopis pluralitatem votorum vincere, ex multis retrò Sæculis abrogatum est.

Reg. XXXVII. locum habet in Confirmatione, quæ delegari potest, perindè ac Consecratio.

Nota in REG. XXIII. producenda est ad REG. XXXVIII. in quâ laudantur iidem Canones.

REG. à XLIX. ad LIX. quod legitur in L. peculiare est Concessioni Pallii collatæ cum Confirmatione, & Consecratione; nempè oppositio alicujus criminis, eam non retardat; nisi Opponens juret, se credere, crimen esse verum; caveat, se illud infrà duos menses probaturum, seque talionis pœnæ subjiciat.

Textus REG. LVIII. qui probant, Archiepiscopum uti posse Pallio in totâ sua Provinciâ, non probant, Primatem aut Patriarcham eodem jure frui posse in Primatiâ, aut Patriarchatu, quamvis utrumque Territorium idem sit eorum respectu, ac Provincia respectu Archiepiscopi: agitur enim de Privilegio, quod strictam interpretationem accipere debet.

REGULÆ VIII. novissimæ Quæstionis hujus, quarum argumentum promiscuum est, aliis ad Electionem, aliis ad Consecrationem, sive Ordinationem, vel ad casus dispensationis circà utramque, aliis ad Confirmationem pertinentibus, nihil continent, quod non facilè referatur ad aliquam è Quæstionibus præcedentibus, vel ad aliquam partem hujus: sed id tanti non est momenti, ut in hoc operam ludamus; sufficiet observare, 1. *Primam*, nimis generalem esse; nempè, sumptus Electionis accipi è Bonis Ecclesiæ: nam expensæ,

sæ, quas Electores absentes patiuntur, ut se ad Locum conferant, sunt Electionis sumptus, neque probabile est, eos deduci debere ex Bonis Ecclesiæ; quippè agitur de fruitione unius ex eorum Juribus, quod eos specialiter tangit, & de unâ ex eorum obligationibus, cujus gratiâ, perindè ac reliquarum, habent reditus sui Beneficii. *Cap.* 45. *de Electione* sic intelligi debet, dicendo in REGULA II. quòd, ubi cum dispensatione conferuntur Ecclesiæ iis, qui non habent ætatem requisitam ad eas administrandas, ipsarum regimini præficiendi sint Clerici, non verò Laici; adjiciendum erat verbum, *idonei*, expressum in Textu, *Cap.* 2. *de ætate & qualit.* REG. III. respicit obligationem ad residentiam, & punitionem ejus, qui Officio suo deest, scilicet Excommunicationem. *Can.* 35. *Apost.* REG. IV. continet Exceptionem in gratiam ejus, qui impeditur, quominùs resideat *ibid.* REG. V. præcipit confici Instrumenta Electionis, Confirmationis & Consecrationis, & produci debet ad Ordinationem Clericorum Episcopis inferiorum. Suprà vidimus, Electionem vitiosam privare jure eligendi, cùm nullitas est culpabilis; hoc iteratur REG. VI. Duplex Exceptio REG. VII. potest inferi ipsi *Regulæ*, hanc sic concipiendo: Is, qui suadente ambitione, aut cupiditate, se Prælato injustè deposito substitui sinit, infamis est, & fit incapax honorum Ecclesiasticorum. REG. VIII. insinuat, Ordinationem personæ, quæ non habet ætatem requisitam, esse irritam; quod innuunt hæc verba, *inutiliter ordinatur.* quod falsum.

QUÆSTIO IX.

Collatio locum Electionis non obtinet, nisi cùm dispositio Beneficii electivi devoluta est ad superiorem Prælatum; in cæteris casibus similis est Electioni, cùm fit à Collegio. De alia Provisione idem ac de Collatione dicendum.

Cùm multa sint peculiaria & notabilia in Electione Pontificis, oportuisset illa conjungere, ut majorem attentionem allicerent. 1. Illa est nulla, nisi duo trientia votorum Electo faveant. 2. Excommunicatio, Suspensio, Infamia, non privant jure Suffragii. 3. Electioni non debet accedere Confirmatio. 4. Electus semper potest administrare, statim atque electus est.

OBSERVATIONES *in* CAP. XI. *de* PRÆLATIS, *aliisque* PERSONIS ECCLESIASTICIS.

Numerantur inter Prælatos, CHRISTUS, SPIRITUS S. APOSTOLI, & specialiter SS. PETRUS & PAULUS. JESUS CHRISTUS, ut *Caput* invisibile Ecclesiæ: SPIRITUS S. ut *Anima* ipsius: APOSTOLI, ut *Fundatores*; SS. PETRUS & PAULUS, ut Primi illorum. Indè transitur ad *Pontificem*, qui est ejus Caput visibile; deindè ad *Legatum*, qui eum repræsentat; tùm ad *Cardinales*, qui sunt ejus *Coadjutores*, quos sequuntur *Patriarchæ*, qui hic confunduntur cum *Primatibus*; tùm *Archiepiscopi*, seù Metropolitani. Hic omittuntur *Episcopi*, quibus adjici debuissent, *Magnus Vicarius* & *Officialis*, de quibus non fit mentio, nisi post Tractatum de omnibus Prælatis Clericis Sæcularibus, Corepiscopis, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, Presbyteris, Parochis Diaconis, Subdiaconis, Acolytis, Exorcistis, Lectoribus, Psalmistis aut Cantoribus, Primicerio, Thesaurario, Sacrista, Custode, Ostiario, Officiali, Oeconomo, aut vice-Domino.

Curati immediatè sequi debebant Archipresbyteros, qui sæpè sunt Curati, vel in hos inspectionem, seù præfecturam specialem habent. Ostiarii Lectoribus, subjiciendi erant; nam Ostioratus unus est ex Ordinibus Minoribus, perindè ac Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus.

A Prælatis Clericis Sæcularibus Autor pergit ad Prælatos Regulares, Abbatem, Præpositum, Priorem, varios Ordines Mendicantes, imprimis Prædicatores, Fratres Minores, & non Mendicantes, Monachos Nigros, Templarios, & Hospitalarios, Eremitas: omittuntur Canonici Regulares. Succedere immediatè debuissent Feminæ Deo dicatæ, quæ vocantur Ecclesiasticæ, & *Sanctimoniales*, idcircò, quòd separatæ sint à Sæculo: nihilominùs tamen eorum non fit mentio, Abbatissæ, Priorissæ, & Diaconissæ, non memorantur, nisi post Domos Pauperum, Ægrotorum, Peregrinorum Leprosorum, vel Orphanorum, quæ pertinent ad Bona Ecclesiæ, de quibus agitur in *Cap. XII.* sequenti; quippè quæ sint illorum pars.

Enumeratio omnium rerum, quæ hujus Capitis argumentum sunt, ostendit, illud cæteris quibuslibet amplius esse debere; latiùs tamen non patet, quia pleræque *Regulæ* indicant solùm Sedem materiæ propositæ. Nulla in cæteris est Exceptio, vel Replicatio &c. exceptis aliquot, QUÆST. IX. *de Archiepiscop.* QUÆST. IV. *de Parocho* QUÆST. XXV. *de Vicario.* QUÆST. XXVII. *de Abbate.* Idcircò, jam observato vitio ordinis in divisione, circà Quæstiones singulas annotare sufficiet omissiones graviores, malumque delectum rerum ibi collectarum, si fortè factus fuerit.

QUÆSTIO I.

Loquendo de JESU CHRISTO velut Ecclesiæ Capite, colligere debuisset ejus qualitates & operationes, sub hoc respectu; & dicere, illum ipsam regere; esse cum illa, & fore usque ad Consummationem Sæculi; influere in omne Corpus & ejus Membra; præesse ejus Comitiis, eam illuminare, protegere, tueri, fovere, victricem hostium efficere; non sinere, ut Portæ Inferi adversùs eam prævaleant; eam dirigere in usu facultatum, quas ei concessit, nempè gignendi sibi Fratres Cohæredes, eos confirmandi in Fide, nutriendi Carne sua & Sanguine suo; itaque idcircò ipsum præsentem super Altaribus faciendi, eos sanandi, communicandi hanc potestatem per Ordinationem, Leges ferendi ad Animarum Salutem, ligandi & solvendi, sub Lege Judicia sua Judiciis Cœlestibus conformandi. Hæc omnia, aliave similia, CHRISTO, quatenùs Capiti, directè conveniunt, secùs est de illis rebus, de quibus loquuntur REGULÆ X. *Quæstionis*, exceptis *primâ*, quæ dicit, illum esse Fundamentum ædificii, & *ultimâ*, quæ indicat loca de ipsius Gratiâ loquentia.

Quinta, quæ argumento affinis est, malè concipitur: dicit, CHRISTUM quotidiè immolari, cùm sumitur Corpus ejus & Sanguis; quòd insinuat, Immolationem fieri per Communionem; fit verò per Consecrationem, quæ Sanguinem à Corpore, per vim verborum separat.

QUÆSTIO II.

DUÆ REGULÆ hujus Quæstionis nihil dicunt, quod SPIRITUI S. conveniat, quatenùs est Anima Ecclesiæ, ita, ut illi attribuatur, quod hæc facit: *Visum est Spiritui Sancto & nobis*, & hæ expressiones Conciliorum dicentium, *se congregata esse in Spiritu Sancto, eumque Canonum suorum esse Autorem.* Non desunt in Corpore Juris Textus loquentes de hâc prærogativâ Ecclesiæ & Ministrorum ejus.

QUÆSTIO III.

Idem est de his duabus Regulis, quæ non conveniunt *Apostolis*, quatenùs Ecclesiæ Prælati sunt; nam loquuntur tantùm de eorum Baptismo & de jure possidendi Bona propria. Textus loquentes de Fundatione Ecclesiarum per *Apostolos*, & de honore, quo fulgent Episcopi, quatenùs eorum Successores, ad rem faciebant.

QUÆSTIO IV.

REGULÆ I. II. & III. conveniunt argumento, in eo, quòd ibi dicitur SS. PETRUM & PAULUM Ecclesiam Romanam fundavisse; eos esse ipsius Patres & veros Pasto-

res: hæc sunt verba *Cap. 17. de elect in 6.* laudati in REG. I. S. PAULUM prædicavisse Evangelium Gentibus; Socium Apostolatûs factum fuisse à SS. PETRO, JOANNE & JACOBO *ibid.* Sed ibi omissa fuit observatio, *Can.* 37. CAUS. II. QUÆST. VII. qui dicere fingitur, PETRUM in celsiori gradu, quàm PAULUM fuisse, non id dicere, sed è contrà incertum relinquere, cui debita sit Prælatio; & *Can.* 33. *ibid.* concludere, S. PAULUM non fuisse inæqualem S. PETRO, ex eo quòd ille hunc reprehendere ausus sit. Hi duo Canones legi merentur, exponuntur per *Cap.* 17. *in 6.* cujus Doctrina de æqualitate amborum è *Can.* 37. laudato ferè ad verbum sumitur. Quod Autor laudat in REG. III. sumptum ex *Can.* 4. CAUS. XXIV. QUÆST. I. acceptum est à *Gratiano*, quem sæpè allegat pro Textu, cujus autoritas longè superior est autoritati *Gratiani*. Reliquæ Regulæ Argumento sunt alienæ.

QUÆSTIO V.

Hæc est *Quæst. 1.* circà visibilis Ecclesiæ Prælatos, quæ perti et ad Primum omnium, eorumque Caput, & præsertim ejus Prærogativas & Electionem: ad hæc duo Capita reducuntur REGULÆ XXVII. Id quod ad alterum Caput attinet, collectum fuit in calce *Capitis* præcedentis, sub unicâ Regulâ, seu observatione. Hic incipit à REGULA XX. & porrigitur usque ad XXVII. Inter alias Regulas, quæ priorem articulum respiciunt, plures extant expositione indigentes, & quædam suppositiciis Textibus innitentes. Sensus REG. II. quæ fert, Papam esse *Summum* Pontificem non verò Ponticem *Universalem*; eum esse *primum & maximum* omnium, non verò Pontificem *immediatum* uniuscujusque Ecclesiæ. Quod in REG. III. dicitur, Papam esse suprà Imperatorem, ad Spiritualia restringendum est; nam, quoad Temporalia, subditus esse potest Imperatori, & fuit olim pluribus sæculis. REG. IV. ferens, Pontificem habere jus condendi Leges, falsa esset, si cæteros Episcopos ab eodem Jure excluderet. Quod legitur in REG. V. disceptandum non esse de Judicio Pontificio, locum habet solùm ergà illud, quod ab Ecclesiâ Universali acceptatum fuit, vel ergà Judicia, circà negotia Privatorum, qui appellare nequeunt ab iis, quæ à supremâ Jurisdictione emanant.

REG. VI. continet Officium Pontificis, potiùsquam Prærogativam, nimirùm quòd Sententia ejus debet esse justissima Jus suum cuique tribuens.

REG. VII. innititur falsæ Donationi *Constantini*, quæ supponit, hunc donavisse Pontifici Urbem Romam cum Ditione sua, sive autoritate eam rege di: quod eo magis est falsum, quòd per Sæcula VIII. & amplius à morte illius Imperatoris, Roma Successorum ejus Ditioni fuit subdita.

REG. VIII. quæ tribuit Pontifici regimen Imperii vacantis, est sequela istius suppositionis, quæ talem prætensionem peperit.

REG. IX. quæ omnes Principes Pontifici subjicit in Temporalibus, reprobatur ab omnibus Principibus Supremis, qui nullum Feudum ex ejus Sede dependens occupant.

REG. X. quæ dicit, unumquemque fugere debere Inimicos Pontificis; restringenda est ad Casus, in quibus inimicitia manifestè injusta est: nam, si legitimæ suppeterent probationes, eam esse justam, iniquum foret Pontificias partes amplecti.

REG. XI. supponit, Pontificem esse infallibilem; neque enim astringi possumus, ad credendum, quod ille credit, si potest errare: porrò, Prærogativa hæc meritò denegatur à plurimis.

Textus laudatus in REG. XII. suppositicius est, sumptus ex pseudo-Concilio SILVESTRO attributo: dicit, Ecclesiam Romanam errare non posse. REGULÆ XIII. XIV. & XV. loquuntur de Pontificis obligationibus; nempè cæteros zelo, studioque Religionis, vincere; Hæreses destruere; vigilare in omnes Ecclesiæ necessitates.

Excipienda est prima Instantia Controversiarum circà Fidem pertinens ad Episcopos, qui de iis possunt definire antè Pontificem, nisi eas ipsi remittere velint REG. XVI.

REG. XVII. supponit, Pontificem esse omnibus Conciliis Superiorem; quod meritò denegatur.

REG. XVIII. supponens, Pontificem à Decretis Prædecessorum suorum esse independentem, innititur dicto, *Par in Parem imperium non habet*, quod illum ab eorum nexu non solvit apud Deum, cùm Ecclesiæ utilitas requirit, ut illa observentur. Idem dicendum est de potestate dispensandi ab illis Decretis, quæ non habet locum, nisi, cùm urgens necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas dispensationem requirunt, qua in re tenetur exemplum cæteris præstare, qui potestatis ejusdem sunt participes.

QUÆSTIO VI.

Distinguere opus erat principio triplex Legatorum Pontificiorum genus; nempè Legatos *à Latere*, simplices Legatos, & Legatos *natos*; & monere, de quibus sermo erat instituendus. Omissâ distinctione hâc intelligi nequeunt *Regulæ*, ferentes, Minorem cedere Majori debere; generalem speciali. Sunt etiam Regulæ communes omnibus Legatis missis, nempè fidem iis non deberi, nisi potestatem suam probent, per Litteras suæ Commissionis; eos ad quos mittuntur, vel, qui eos popos erunt, eorum sumptus suppeditare debere, eos posse Jurisdictionem suam exercere extrà Loca, in quibus degunt, modò mittantur quoque in illa Loca; Statuta ab ipsis condita post finitam eorum Legationem, subsistere; impediendam non esse Jurisdictionem Legati. Sunt etiam, quæ Legato facultates tribuant, soli Legato *à Latere* convenientes; tales sunt eæ, quæ exponuntur in *Quinque* prioribus *Regulis*. Hæ Regulæ collocari debuissent post Regulas communes, idcircò quòd uni Legatorum speciei sint peculiares; quod autem generale est, specialibus præmitti debet.

In Regulis circà Legatos *à Latere*, omissa fuit mentio Prærogativæ eorum, ferendi ornamenta Sedis Apostolicæ, quæ tanta est, ut ipsi Patriarchæ suam Crucem erectam gestandi jus non habeant in loco, ubi Legatus his utitur ornamentis. *Cap.* 23. *de Privileg.*

Loquendo de Prærogativis, quæ Legatis sunt communes observandum fuisset, eas Proconsulibus conferri, & ex hac Collatione percipi, qualis sit autoritas ipsorum.

REG. VI. restringi debet ad Casum, in quo Legatus mittitur, etiam in alium, quàm ejus residentiæ, Locum, secùs illic suam Jurisdictionem exercere non posset, (de contentiosâ agitur) nam ibi non haberet.

QUÆSTIO. VII.

Opportunus erat hîc locus, in quo colligerentur omnes Prærogativæ Cardinalium, vel indicarentur loca, in quibus nonnullæ earum commemoratæ sunt, putà, habere jus eligendi Pontificis; Jurisdictionem quasi Episcopalem in suo Titulo; esse Consilium & Senatum Pontificis, & sub hoc respectu partem habere in omnibus Ecclesiæ negotiis etiam gravissimis, (infinitæ sunt probationes hujus Privilegii in Corpore Juris, in quo Textus innumeri sunt, ferentes Clausulam, *de consensu Fratrum nostrorum*;) esse præcipuos Apostolicæ Sedis Legatos; primum post Pontificem locum habere.

QUÆSTIO. VIII.

Confunduntur hîc Primates & Patriarchæ. Falsum est, eos nomine tenus differre; nam Patriarchæ subditos habent sibi Primates; eorum Electionem confirmare debent; ipsos consecrare; vocare ad Concilium Patriarchale; à Primatibus ad Patriarchas provocatur. Hi autem habent jus illos judicandi & deponendi. Primates eadem Jura exercent in Archiepiscopos, sibi subditos. Nihil hîc dicitur de illis Juribus, quæ scitu magis necessaria sunt, quàm ea, quæ traduntur hîc circà Patriarchas & Primates, Primatibus applicando quod respicit Patriarchas, his autem ea, quæ ad Primates pertinent. Textus laudati in *Regulis*, id immeritò factum fuisse probant.

Obser-

Observare opus fuisset, pauca fieri verba de veris Primatibus in Jure; quod ibi dicitur de Primatibus, vulgò respicit Metropolitanos Afros, *Primates*, dictos, ratione Primæ Sedis in Provinciâ.

QUÆST. IX.

Hîc plura insignia Archiepiscoporum jura omissa sunt, videlicet, consecrandi Suffraganeos suos; confirmandi eorum Electiones; eos judicandi cum Concilio Provinciæ; cogendi Concilium; ipsi præsidendi; admittendi appellationem ab illorum Sententiâ; supplendi eorum defectum, maximè quoad Beneficiorum Collationem; gestandi Pallium in Provincia & Crucem erectam; visitandi Provinciam; Statuta visitationis conficiendi.

REGULÆ II. & III. conveniunt Episcopis, qui eligi non poterant, nisi Diaconi essent, non secùs atque Archiepiscopis; &, sicut in eadem Provinciâ Duo Metropolitani consistere nequeunt, ita neque duo Episcopi in eadem Diœcesi.

Idem est de REG. IV. nam Episcopi Provinciæ concurrere debebant ad Consecrationem suorum Suffraganeorum, sicut ad Consecrationem Archiepiscopi. Exceptio REGULÆ VI. includenda erat in *Regula*, hanc ita concipiendo. Suffraganei nihil extrà suam Diœcesim facere possunt absque consilio & consensu Archiepiscopi, quoad negotia, quæ ad Provinciam pertinent.

Idem est de Exceptionibus VII. REGULÆ VII. reducuntur ad Regulam amplitudini, seu integritati debitæ restitutam; videlicet, Archiepiscopus nihil facere, potest, quoad negotia communia Provinciæ, sine participatione Suffraganeorum suorum. Ratio utriusque Regulæ est, quòd Archiepiscopus ejusque Suffraganei Collegium, seu Corpus constituant, cujus commoda communia sunt; ille autem est ejus Caput, hi verò Membra. Ob rationem contrariam, Archiepiscopus immiscere se non debet negotiis peculiaribus Diœceseon Suffraganeorum suorum; neque hi negotiis, illi peculiaribus; nihil quoad hæc, inter eos commune est REG. VIII. quæ dicit, Archiepiscopum non habere Jurisdictionem in Diœcesanos Suffraganeorum suorum; accipienda est de Jurisdictone immediata: namque mediata illi competit, quotiès Suffraganei perperàm utuntur Jurisdictione suâ in Diœcesanos, aut ipsâ uti negligunt: indè nascuntur Jus Appellationis, ex cujus vigore citare, judicare & punire potest illos Diœcesanos; nec non Jus Visitationis, quod complectitur facultatem illos corrigendi, si Ordinarius hoc neglexerit.

QUÆST. X. *de* COREPISCOPIS.

Poscebat ordo, ut hic disputaretur de Episcopis, qui sunt Pastores primi Ordinis, ab iis diversi, quos in Quæstionibus præcedentibus vidimus; vel remitteretur ad CAPUT VIII. in quo de illis disseritur, unà observando, nihil novi circà illos supereſſe, quia nihil habent, quod ad Superiores ipsorum, mox inspectos, non pertineat, & qualitates utrosque distinguentes in Superioribus sunt, non verò in Episcopis. Quoad COREPISCOPOS, duplex eorum genus erat distinguendum. Alii erant Episcopi, sed ad ordinem & conditionem Presbyterorum redacti, quibusdam exceptis muneribus Episcopalibus, quorum habebant exercitium in aliquâ Episcopatûs parte; scilicet, administratione Confirmationis, Collatione Ordinum Minorum, Præfecturâ & Jurisdictione in Parochos illius districtûs, jure eos visitandi, consecrandi Ecclesias &c: quod in triplici casu accidebat; 1. Si Episcopi electi & consecrati ad quasdam Ecclesias, ab eis repudiarentur, aut ejicerentur. 2. Si canonicè consecrati non fuissent, quamvis rata foret Consecratio. Exemplum habemus in ARMENTARIO, Episcopo Reiensi, qui à duobus Episcopis fuerat consecratus: 3. Si Ecclesia Episcopalis ab Hæreticis destructa fuisset, aliisve Infidelibus, qui omnia Jurisdictionis Loca invasissent. Cæteri simplices erant Sacerdotes, constituti, ut certo Paræciarum numero invigilarent, inclusis Parochis perindè atque Incolis; quâ in re Successores habuerunt Decanos Rurales. Prima species Corepiscoporum abrogata fuit: altera hodie etiamnùm subsistit, verùm alio sub nomine.

Hujus distinctionis ope, facilè exponuntur omnes Textus loquentes de Corepiscopis, & de eorum discrimine ab Episcopis: tales sunt, præ cæteris ii, qui laudantur in *duabus Regulis* hujus Quæstionis.

QUÆST. XI. ARCHIDIACONI.

Autor loquitur de *Archidiaconis*, priusquàm agat de Presbyteris; quamvis hi, ratione Ordinis, aliis sint Superiores, atque nonnulli de Archipresbyteris successerint Corepiscopis, qui immediatè præcedunt; hac in re sequutus *Decretalium* Collectores, qui *Titulum de Offic. Archidiac.* præmiserunt TIT. *de Off. Archipresbyteri.*

Sub REGULIS. XXV. comprehendit omnes facultates & Jura Archidiaconorum. Enumeratio, quam tradit, sufficit ad perspicuam & distinctam notionem eorum, nec non eorum dignitatis: sed ordo non semper rectus est. Præmissis Nomine & Dignitate, loqui debuisset de eorum Electione, & continuâ serie disponere ea, quæ pertinent ad Facultates, & Officia Archidiaconorum extrà Ecclesias; ad Personas & Loca, in quæ Jurisdictionem habent; ad Jus visitandi eis proprium; ad missionem in possessionem Dignitatum & Beneficiorum; ad eorum potestatem circà Ordinandos; denique, ad eorum potestatem in Ecclesiis.

REG. VIII. contraria videtur *Decimæ*. Prior jubet, ut Visitationem faciant unoquoque triennio: Posterior vetat, ne eam plusquàm semel quotannis faciant, quod insinuat, eos teneri ad visitandum singulis annis. Sed nulla est contrarietas; quippè prior intelligenda est de visitatione Diœceseos in nomine Episcopi; altera, de visitatione districtûs eorum particularis, proprio eorum nomine. Vel, si quæ sit, oritur ex usuum diversitate.

Institutio corporalis, de quâ REG. XVIII. loquitur, continet missionem in possessionem, seu Intronisationem Abbatum, atque Abbatissarum; saltem hæ duæ regulæ conjungendæ erant.

REG. XXIII. quæ vetat, ne Archidiaconi Dimissoria dent ad Ordines, conjungi debuisset REG. XIX. & XX. quæ illis attribuunt scrutinium Ordinandorum: eorumque Præsentationem Episcopo ad Ordines.

REG. XXIV. & XXV. præmitti debuissent *Tertiæ*: nam illæ de Electione & Ordinatione Archidiaconi loquuntur, hæc autem de ipsius Jurisdictione.

REG. XIII. est æquivoca: insinuat, Archidiaconum habere Jus ordinandi Acolytos, *Ordinare*: æquivocatio hæc abest à Textu, qui significat, officium Archidiaconi quoad Acolytos, esse assignare munus suum singulis; uni Candelabrum; alii Thuribulum &c. tradendo. Regula hæc una est ex iis, quæ respiciunt potestatem & Jura Archidiaconi intrà Ecclesias. Cæteræ sunt XI. & XII. Hæ tres Regulæ ad calcem rejiciendæ erant; ideò quòd respiciant interius Ecclesiæ, quod pertinet ad Archipresbyterum: itaque, quod in eis dicitur, non tangit Archidiaconos, nisi ex accidenti; videlicet casus, in quibus consuetudo ipsi ejusmodi facultates acquisivit, quæ, Jure Communi, sunt pars Officii Archipresbyteri, qui sequitur.

QUÆST. XII. ARCHIPRESBYTERI.

Generatim dici potest, Autorem, post exposita Archipresbyteri Nomina, duas species distinguere debuisse; alios Urbis, & maximè Cathedralis; alios Ruris, ideò *Rurales* dictos: referre qualitates his & illis communes; nempè, eos sumi debere è numero Presbyterorum, vel saltem Diaconorum, sub lege tamen, quoad hosce, Ordinem Presbyteratûs suscipiendi: observare munera illis communia; nempè, præsidendi Presbyteris, sive Curatis, qui probabiliter sunt ii, qui Cardinales in REGULIS VIII. & IX. vocantur, ideò

ideò quòd essent præcipui Presbyterorum; vigilandi, ut hi Officio suo fungantur in celebratione Officii divini & Missæ; benedicendi Fontes; admittendi Pœnitentes; administrandi Extremam Unctionem Curatis aliisque Sacerdotibus ægrotis: tùm colligere munera peculiaria Archipresbyteri Cathedralis; nempè, faciendi, absente Episcopo, quod Episcopus in hac Ecclesia feciſſet, si fuisset præsens; imprimis celebrandi Missam solemnem, cùmque hoc munere fungitur Episcopus, curandi, ut Sacerdotes ipsi interſint, ad obeundas functiones, quas iis assignaverit; denique munera specialia Archipresbytero Rurali; nempè, visitandi Parochos sui districtûs, emendandi mores, & tollendi corruptelas à Sacerdotibus, aliis Clericis & Plebe. En observationes generales, quarum ope disponi & enucleari possunt REGULÆ XII. hujus *Quæstionis*. Ecce observationes speciales. Dicimus in *Primam*, quòd, secundùm GONZALEM *in Cap. 1. de Offic Archipresb. & 2.* Archipresbyteri nomen *Decanorum* acceperunt, ex eo quòd in Locis frequentibus 10. Presbyteris præficiebantur.

Dicimus in *Tertiam*, eumdem Autorem *ibid. num. 1.* probare, hoc *Caput* Concilio *Toletano* attributum, desumptum esse ex Epistolâ S. ISIDORI ad LEUDIFREDUM & hæc verba; *ut Archipresbyter sciat, se subesse Archidiacono*, in illa deesse. (Plures alii antè & post illum annotaverunt, hanc Clausulam adjectam fuisse per manum Archidiaconorum amicam;) & *num. 3.* ostendit, subjectionem Archipresbyteri Archidiacono, contrariam esse Canonibus & rationi, & fuisse introductam per usum provenientem ex hujus autoritate in Temporale, cujus ratione Archipresbyter ab eo pendebat, & Canones vetustissimos, quibus hic usus confirmetur, ex Conciliis, aliisve monumentis Hispanicis fuisse desumptos.

Notamus in *Quartam*, Textus dicentes, Archipresbyterum vices Episcopi gerere absentis, aut impediti, loqui de Archipresbytero Cathedralis: & per munera ipsi, sub illo respectu, attributa, distinguuntur Canones, qui de illo loquuntur, ab aliis, qui de aliis Archipresbyteris sermonem faciunt.

Dicimus in *Quintam*, eam duobus verbis munera & Jura Archipresbyteri comprehendere; *Præest Presbyteris & Presbyteralibus Officiis*. Collocari debuisset in fronte Regularum, in quibus de illis muneribus disseritur: aliæ Regulæ simul junctæ exponunt illius sensum.

In *Sextam*, Archipresbyter Officio divino præest, undè fit, ut Collectam sive Orationem pronuntiet.

In *Septimam*, Cùm sit Sacerdotum Caput, ipse præscribit Ordinem Communionis in Missa solemni Episcopi, aut suâ.

Dicimus in *Octavam*, *Nonam & Decimam*, quòd propter eamdem rationem invigilet eorum moribus, publicam celebret Missam, eam-ve committat in præcipuis Festis: statuat Officia Sacerdotum in Missâ Episcopi. Verbum hoc *Missificante*, notabile est, propter vim suam & energiam.

In *Undecimam*, legendum esse Textum laudatum, in quo munera, quæ illa enumerat, cum suis circumstantiis referuntur.

Duodecima sola est, quæ mentionem expressam faciat Archipresbyteri Ruralis, & aperit originem nominis, *Plebanus*, Archipresbyterum denotantis, & ex eo ducti, quòd præsit numerosæ Plebi, à pluribus Curatis gubernatæ

QUÆST. XIII. PRESBYTERI.

Autor hîc multas congerit Regulas, quæ ad sequentem Quæstionem *de Parochis* perinent. Talis est *Quinta*, quæ dicit, Presbyteros esse Senatum Episcopi; *Decima*, quæ jubet, Sacerdotem Plebis regimini præpositum, habere secum Clericum, à quo in Cantu, aliisque muneribus, adjuvetur; *Undecima*, quæ prohibet Sacerdotem, ad Missam suam alienum Parœcianum admittere: *Decima Septima*, quæ jubet, ut Presbyteri Sanctum Chrisma ab Episcopo accipiant: *Vicesima Secunda*, præcipiens, ut Sacerdos Hostias paratas habeat semper in ægrorum usum: *Vicesima Tertia*, constituendos esse Presbyteros in Castellis, Oppidulis, & Pagis, undè ab Episcopis differunt, qui solis Civitatibus præficiendi sunt: *Vicesima Nona* jubens, ut Episcopus Sacerdotem ordinans, ei tradat Ritualem, Librum Curialem.

Ordinando Regulas, quæ simplices Presbyteros respiciunt, post expositum eorum nomen atque ejus originem, loqui debuisset de illorum Ordinatione. Ideòque *Secundæ* subjicere immediatè potuisset REGULAS XXIII. XXIV. XXVII. XXVIII. XXIX. quæ Ordinationem spectant, & dicunt, Sacerdotium non esse conferendum viro non baptisato, neque Subdiacono; Presbyterum Stolâ indutum esse debere in sua Ordinatione; Episcopum ei manus imponentem Orationem fundere debere; item debere ei tradere *Libellum Officialem*, quo intelligi potest tam Missalis, quàm Ritualis, & tunc cerimonia hæc convenit Ordinationi simplicis Sacerdotis.

Loqui deinceps opus erat de ejus Obligationibus; videlicet, servandi continentiam, gerendi Stolam, non assistendi secundis nuptiis, dandi monitiones vitæ. Harum fit mentio in REG. III. IV. XII. XIII. XIV. XX. XXI.

Tunc, de Functionibus, quæ illis præcipiuntur, aut permittuntur, aut interdicuntur. De his disseritur in REGULIS VI. VII. VIII. XVI. XVIII. XIX. quæ eum prohibent consecrare Virgines, Chrisma conficere, Pœnitentes publicos absolvere, Altaria consecrare, benedicere Populo, confirmare Pueros, Episcopo præsente offerre, & distribuere panem sanctificatum in eadem circumstantiâ.

Inter hæc munera prohibita, primum licebat, cùm ei assentiebatur Episcopus. *Can.* 2. CAUS. XXVI. QUÆST. VI. quem Autor laudat REG. VI. idem erat, quoad reconciliationem Pœnitentium *Can.* 14. CAUS. XXVI. QUÆST. VI. hæc etiam licita erat absente Episcopo, si cogeret necessitas, *idid.* licebat Sacerdoti prædicare, etiam præsente Episcopo *Can. 6.* QUÆST. IX. qui plurium aliorum Munerum Sacerdoti concessorum facit mentionem. Idem est de *Can. 6. ibid. & Can.* 24. DIST. XCIV. dicente, Presbyterum validè facere quidquid facit Episcopus, exceptâ Ordinatione, quod restringendum est ad eos Ordines, quæ sunt Institutionis Divinæ.

Idem dicendum quoad omnia munera, quæ Sacerdoti, nonnisi præsente Episcopo, interdicuntur; nam Canones, qui hanc circumstantiam notant, adjiciunt, contrarium obtinere Episcopo absente: vel saltem id indigitant.

Quòad munera præcepta, dicendum est, hujus generis esse omnia, ad quæ adstringuntur, per suum Ordinationis Titulum; nempè Missam celebrare, Confessiones excipere, baptisare, Extremam Unctionem dare, Communionem administrare, aliaque similia, ad quorum nonnulla, Episcopi approbatione indigent.

Quod insinuatur ab Autore REG. VI. Presbyterum Sanctum Chrisma, consentiente Episcopo, conficere posse; repugnat Canoni laudato, qui contrarium expressè asserit.

QUÆST. XIV. *Curati, seu Parochi.*

Jungendæ sunt huic Quæstioni Regulæ præcedentes, quas ostendimus ad hancce pertinere. REGULÆ V. hîc collectæ eximiæ sunt, respiciuntque dotes, quas illi Provisionis suæ tempore habere debent, nempè, Subdiaconatum, 25. annos inchoatos; ipsorum obligationes, quarum prima est residentia; promotio ad Sacerdotium intrà annum sub pœnâ amissionis Parochiæ, extrà Casus dispensationis, aut legitimi impedimenti. REG. IV. loquitur de hac obligatione, & quinque Exceptiones habet, quæ ad duas præfatas reducuntur. *Prima* Exceptionum Autoris cadit in

pœnam

pœnam, quæ non incurritur *ipso facto*, quoad Curatos Ecclesiarum Collegiatarum; contrarium verò effectum habet, quoad cæteros. *Quinta* reprobatur ab Autore; nempè, vitari pœnam, cùm anno elapso eadem Parochia rursùs impetratur, quod tolerari non potest, quin eludatur Lex, fiatque inutilis: *Tertia* sumpta ex eo, quòd annus integer non sit elapsus, ad rem non facit, cùm de anno completo agatur.

Laudatus in REG. V. Textus, legi meretur; is remedium affert corruptelæ gravissimæ circà Commendas Curarum, quæ dabantur ad compendium Commendatarii, qui non habebat qualitates ad possidendum in Titulum requisitas; Commenda diù durabat, & fortè non cessabat, nisi cùm alia occurrebat Parochia, quæ eidem Personæ in Commendam daretur, eumdem ob finem.

QUÆST. XV. XVI. *Diaconi, Subdiaconi.*

Has Quæstiones connectimus, circà quas pauca dicenda sunt: Regulæ nihil nisi vulgare & cognitum continent nempè, utrosque teneri ad continentiam, perindè ac Sacerdotes, & cùm hi subjiciantur Episcopo, Subdiaconi Diaconis, & Diaconi Presbyteris subsunt. De eorum Origine disseritur DIST. XXI. & de eorum Ordinatione DIST. XXIII. Habent illi functiones distinctas quoad Missam, magis aut minùs insignes pro majori, aut minori Ordinis sui dignitate. Idem est de eorum Vestibus, dùm Sacris funguntur. Impedimenta, quæ excludunt à Sacerdotio, arcent à Diaconatu & Subdiaconatu. Ambo hi Ordines sunt Sacri, perindè ac Sacerdotium.

Diaconus nihil habet speciale, nisi quòd Stolam transversam gerat à sinistrâ ad dexteram, gerat Albam tempore Oblationis aut Missæ, & canendo vel recitando Lectiones; sedeat post Presbyterum, extrà Casus, in quibus Metropolitani locum tenet; olim Septem duntaxat in singulis Ecclesiis esse potuerint; non possit uti Caligis, quæ vocantur Compages; non potuerit, nec possit obire functiones Ordinibus Superioribus reservatas, extrà quosdam casus necessitatis, nempè, baptisare, & distribuere Sanguinem CHRISTI. *Can.* 13. 18. DIST. XCIII. custodiæ Episcopi invigilaverit.

Peculiaria Subdiaconi sunt; accipere Oblationes Fidelium, easque Diacono remittere; ferre Calicem & Patenam ad Altare, eosque Diacono tradere; præparare aquam cum Urceolis & Mantili. Admissus non est in locum, in quo Vasa Sacra asservabantur, nisi ex quo Subdiaconatus inter Sacros Ordines fuit relatus; ipsi prohibetur gestare Stolam & relinquere curam ostiorum, nec non distribuere res à Sacerdotibus consecratas.

QUÆST. à XVII. *ad* XXV. *Acolyti, Exorcistæ, Lectores, Psalmistæ, Primicerius, Thesaurarius, Sacristæ, Custos, Ostiarius.*

Has quæstiones conglobamus, idcircò quòd Autor indicet solùm Textus horum Ordinum, vel Officiorum mentionem facientes; quàpropter sufficiet observare, 1. prohiberi Acolyto id, quod suprà Subdiacono fuit interdictum, nempè distributionem rerum à Sacerdotibus consecratarum. 2. Exorcismus Baptismi, de quo loquitur REG. V. hujus Quæstionis, non est is, qui fiebat ab Exorcistâ, qui Dæmones à Personis corporaliter possessis ejiciebat. 3. REG. III. interdicit Lectori usum Stolæ, quem REG. V. *Quæst. VI.* prohibuit Subdiacono. REG. III. *Quæst.* XIX. eum pariter prohibet Psalmistæ. REG. IV. circà Lectores præcipit, ut XXV. annos nati sint. Et REG. X. circà Subdiaconum XX. annos solùm requirit, quamvis Subdiaconatus Lectoratui sit superior.

QUÆST. XXVI. *de Vicario & Officiali.*

Multiplex Vicariorum genus distinguere oportebat, ad sternendam viam Regulis, quæ de iis loquuntur, omissâ distinctione. Pontifex habet Vicarium pro Urbe Româ: Episcopi Vicarios habent ad exercitium Jurisdictionis voluntariæ, sicut Officiales, ad exercitium Jurisdictionis contentiosæ. Dignitarii & Canonici, quorum Præbendis unitæ sunt Parochiæ, Vicarios habent in illis Parochiis. Curati, seu Parochi, duas Vicariorum species habent: alios, quibus Munera sua in Casu absentiæ committunt; alios, quorum auxilio utuntur in iisdem functionibus, cùm magna est Paræcianorum copia, vel plurimorum nimia distantia ab Ecclesia Parochiali. Inter illas Vicariorum species, quidam sunt perpetui: & hi revocari nequeunt à Successoribus eorum, qui ipsos instituerunt aut elegerunt. Tales sunt, juxtà Canonum mentem, ii, qui instituuntur in Paræciis, quæ Dignitatibus, aut Præbendis, aut Monasteriis, aliisve Corporibus unitæ sunt.

Hi Vicarii, perindè ac Curati Paræciarum non unitarum, habent etiam Vicariorum duplicem speciem, alii sunt illorum Adjutores duntaxat, alii locum illorum tenent & sunt Vicarii Primarii, vocanturque *Deservientes.* Idem est de Vicariâ perpetuâ, ac de Cura, seu Parochiâ; ambæ sunt incompatibiles. Sine his observationibus vix utiles esse possunt hujus *Quæstionis* REGULÆ XI.

Prima Regula est imperfecta, dicendo, quòd, regulariter loquendo, liceat uti Vicario: adjiciendum erat in *Casibus legitimi impedimenti, aut nimiarum occupationum, quæ sine auxilio impleri nequeunt*: indè nascuntur Exceptiones. *Except. I.* respuit eos, qui plures habent Dignitates, sine justâ causâ & legitimâ autoritate: nam talium Beneficiorum pluralitas vetita est; ideòque Dignitatem unam dimittere oportet, & per seipsum ministrare in aliâ, quæ retinetur; agitur enim de munere Personali. *Except. II.* refertur ad primam: ambæ spectant Casum defectûs impedimenti legitimi. *Except. III.* falsa est: nam licet, in Casu justi impedimenti, ministrare in Parochia per Vicarium; Autor perperàm intellexit Canonem, qui Presbyteros amovibiles constitui vetat in Parochiis, Ministrorum perpetuorum loco. Replicatio continetur in *Regulâ* amplitudini suæ restitutâ.

Quod dicitur in REG. II. Vicarium non posse substituere Vicarium sine licentiâ speciali; restringi debet ad Casus, in quibus Vicarium sibi similem substitueret: nam Vicarius Generalis, quoad aliquod negotiorum genus, delegare potest quædam ex iis; & Delegatus, est Vicarius, ideo quòd vices gerat. Legendum est in REG. *III. Vicarias*, pro *Vicarios*: præterquàm quòd enim Textus laudatus loquitur nominatim de *Vicariâ*, & non de *Vicario*, falsum est, eum, qui satis negotiorum habet ad distinendas plures Personas, non posse habere plures Vicarios, tales sunt Metropolitani, qui plures habent Suffraganeos; Episcopi, quorum Diœcesis latè patet; Parochi, quarum Ecclesiæ Plebe copiosâ abundant.

REG. IV. V. VI. respiciunt Vicarios perpetuos, qui similes sunt Curatis; nequeunt possidere Curas, neque revocari, neque deserere servitium Parochiæ suæ & percipere ejus reditus. Idem est de REG. XI. quæ prohibet unire Personatum cum Vicariâ, ratione incompatibilitatis Officiorum. Nomen *Personæ* tribuitur ei, cujus Vicarius locum tenet. REG. VIII. & IX. reducuntur ad unicam; nempè, esse res, quæ Commissionem specialem poscunt; ideòque non continentur in Commissione generali. REG. VII. quæ loquitur solùm de Vicario Pontificis, locum habet ergà quemlibet alium, cujus Commissio certo loco circumscribitur.

REG. X. locum habet quoad Vicarium quemvis, qui alienam Jurisdictionem exercet, qui non est particeps delicti, cujus ratione Delegans excommunicatus est, & qui proindè nihil amittere potest nisi id, quod ab hoc acceperat, quo, per excommunicationem exuitur.

QUÆSTIO XXVII. ABBAS.

Autor confundit Ordinationem, quæ est Benedictio Abbatis electi, cum Electione. Multas res scitu dignas omittit. REGULÆ XI. per quas Argumentum exponit, non disponuntur juxtà ordinem naturalem, non incipiendo, ut facto opus erat, à qualitatibus Jure Communi requisitis ad Abbates (nempè esse ex ipso Monasterio & non extraneo, undè sequitur, Clericum Sæcularem ab eis excludi, ita, ut postulari tantùm possit, perindè ac Monachus extraneus; bonis moribus esse commendatum; bonæ conversationis in Monasterio:) & aliis dotibus, quæ enumerantur in *Can.* 3. 4. CAUS. XVIII. QUÆST. II. quos laudat. Post sermonem de Electione, & de iis, per quos fieri debeat: videlicet, per Conventum; loqui opus erat de Ordinatione, quæ fit ab Episcopo. His duobus Capitibus subjici debebant ea, quæ pertinent ad Abbatis Officia; nempè, manere cum Religiosis; non pati, ut vagi sint; obedientiam sibi conciliare; non admittere Monachos alienos; coïre quotannis cum aliis Abbatibus; non habere plures Cellulas, neque plura Monasteria, quæ sint ab invicem independentia; subesse Episcopo, si agatur de Abbate, qui non est Exemptus.

Cùm Abbas reus fuit per violationem Officiorum suorum, post illorum enumerationem, differendum erat de punitione Abbatis; per quem exerceri debeat; quæ pœna sit illi infligenda: Plura non reperiuntur in illis *Regulis*, quarum Summam attulimus cum methodo, quâ disponi possint, ut debitum ordinem obtineant, valdè discrepantem ab eo, quem hîc habent.

Sola *Regula* III. Exceptiones habet: ea pertinet ad Electores. *Exceptio* I. respicit Casum, quo Jus eligendi amiserunt ob sua crimina; *Except.* II. Casum, quo Abbas in Superiorem dandus est Monialibus. *Can.* 11. CAUS. XVIII. non loquitur de Abbate, sed de Superiore; verùm hîc Superior denominari potest Abbas, sicut in Titulo vocatur Præpositus: Moniales, de quibus loquitur, subditæ erant Episcopo; ideòque Episcopus eis Superiorem providere tenebatur.

QUÆST. XXVIII. *Usque ad* XXXV.

Regulæ, quæ hîc colliguntur, indicant solùm Textus Argumento Quæstionis congruos. Sufficiet observare, per Monachos *Nigros* intelligi BENEDICTOS: Privilegium Templariorum & Hospitalariorum celebrandi semel in anno in Locis interdictis, transiisse in Jus Commune, & notabile incrementum accepisse, *Cap.* 24. *de Sent. Excomm. in 6.* plures alios in Corpore Juris extare Textus circà Argumentum uniuscujusque Quæstionis, quàm qui hîc indicantur. Illi collecti atque expositi sunt in nostris Regulis circà *Religiosos.*

QUÆST. XXXVI. *circà Feminas Ecclesiasticas & Moniales.* XXXVII. *Abbatissam.* XXXVIII. *Diaconissam.*

Regulæ duarum novissimarum Quæstionum ferè singulæ indicant solùm Textus Argumento affines; multi tamen omittuntur: idem ferè est de Regulis XIX. *Quæst.* XXXVI. multùm abest, ut in eâ laudentur omnes Textus, qui ad Ecclesiasticas mulieres pertinent; nihil enim hîc occurrit circà *Canonissas*, & nihilominùs in Corpore Juris multi Canones de ipsis loquuntur, ut patet ex nostro *Tractatu de Canonissis.*

Contenta in his Regulis rectiùs ordinari potuissent, ea reducendo ad ea, quæ respiciunt 1. Earum nomina, *Sanctimonialium*, *Monialium*, *Religiosarum.* 2. Receptionem earum, 3. earum Professionem per impositionem Veli; 4. Consecrationem. 5. Earum Superiorem; 6. Earum Visitationem; Officia sive communia cum Monachis, sive ipsis peculiaria. 7. Punitionem eorum, qui eas corrumpunt.

Pleræque Regulæ versantur circà Officia, quorum præcipua sunt. 1. Ut earum Monasteria à Claustris Monachorum sint remota. 2. Ut vitent colloquia & confabulationes cum illis. 3. Ne cantent Officium in eodem Choro cum Clericis, nec cum Monachis. 4. Ne cubent in eodem Lecto cum viris quibuscumque. 5. Ne Domos separatas habeant. 6. Ne tangant Ornamenta Altaris, neque Vasa Sacra, 7. Ne Thus circà Altare gerant, 8. Ne Viros in Conventu doceant. 9. Ne nubant. 10. Orent & ferant Vestes conditioni suæ congruas. 11. Ne egrediantur. REG. XV. ferens, observandum esse, quoad Moniales, id, quod præcipitur ergà Monachos, restringi debet ad ea, quæ præcipiuntur *Cap. ult. de Statu Monach.* à quo illa desumpta est, quod nominatim excipit omnia capita, quæ Religiosarum statui non sunt apta: quoad reliqua generaliter affirmare possumus, idem esse de Monialibus ac de Monachis, quoad ea, quæ pertinent ad substantiam Statûs Religiosi in Tribus Votis consistentem.

Textus laudatus in REG. II. desumptus est à Concilio *Hispalensi*, quod Moniales Provinciæ Monachorum directioni subjecit, cum necessariis cautionibus, ad præmuniendos utrosque adversùs periculum mutuæ frequentationis. Is legi meretur.

OBSERVATIONES *in* CAP. XII. *de Bonis Ecclesiæ in genere.*

Per *Bona Ecclesiastica* intelligitur hîc, quidquid pertinet ad Loca Divino Cultui, Piis-ve Operibus consecrata. Nomen, *Ecclesia*, hîc generale est, & complectitur omnia ejusmodi Locorum genera; nempè, Monasteria, vel Domus Religiosas, sub queis continentur Hospitalia, variæque eorum species; Capellas; Oratoria; necnon Ecclesias Cathedrales, Collegiatas, Parochiales. Quæ pertinent ad hæc Loca, sunt Mobilia, vel Immobilia. Fructus Naturales, vel Civiles Immobilium, sunt bona Mobilia. Pecunia, quamvis ex naturâ suâ sit Mobilis, fit nihilominùs bonum Immobile, si convertatur in jus pensionem annuam pariens. Cùm beneficia sint Officia, quibus annexi sunt aut certi fundi, vel certi reditus ex illis fundis provenientes, aut certa jura percipiendi aliquos fructus, putà Jus Decimarum percipiendarum, aut Oblationum, aut Primitiarum; Beneficia numerantur inter Ecclesiastica bona, sed duntaxat quatenùs habent Temporale, quod in eis merum est accessorium: proindè Textus, qui de Beneficiorum distributione loquuntur, alieni sunt Argumento hujus *Capitis*, quod bona Ecclesiastica in seipsis considerat.

Secùs est de Textibus, qui loquuntur de Juribus Beneficiorum: nam Jus administrandi certa bona unum est ex præcipuis Juribus Ecclesiasticis; & duplex est: aliud speciale unicuique Beneficiato competens, & limitatum ad portionem bonorum, quæ ejus Beneficio annexa sunt, quibus uti debet sicut diligens Paterfamilias, invigilando eorum conservationi, ac etiam incremento, prout poterit: aliud generale est, & pertinet ad solos Prælatos, qui Jurisdictionem habent in Beneficia in suo districtu sita; tales sunt imprimis Episcopi, qui, ratione suæ Jurisdictionis Episcopalis, Summam habent Præfecturam in omnia bona Beneficiorum suæ Diœceseos; undè nascitur Jus cogendi Beneficiatos ad conficiendum Inventarium bonorum, ac Jurium Beneficiorum, quod deponatur & servetur in Chartulariis suis; Jus exigendi rationem bonorum Fabricarum; Jus assistendi rationibus redituum Hospitalium; examinandi causas alienationum, hasque confirmandi, prout expedire duxerint.

Cùm Jus utrumque administrandi bona Ecclesiastica, sit Beneficiorum Appendix, pertinere solùm debet

debet ad Clericos Sæculares, aut Regulares, Beneficiorum Possessores: non verò Laïcis, qui sunt Beneficiorum incapaces. Prætereà, Laïci ab eorum bonorum possessione excluduntur, ratione destinationis ipsorum ad servitium Divinum, quod non persolvunt, nec persolvere possunt.

Hæ necessariæ nobis visæ sunt Observationes, ad ordinandas, atque intelligendas hujus Capitis Regulas XVIII. nam eæ referuntur ad administrationem, distributionem, & possessionem bonorum Ecclesiæ; sed non sufficiunt ad REG. XI. explicandam, quæ fusiùs disserit de alienatione, quam Exceptionibus XLIII. enucleat, & magnâ Replicationum vel etiam Duplic. copiâ. Porrò, hic apparatus magis est idoneus ad afferendam caliginem, quàm lucem huic Argumento; idcircò redimus ad observationes, & damus Summam omnium rerum, quæ ad alienationem pertinent.

Jus alienandi, est appendix Juris administrandi: nam quilibet Administrator, non potest in quibusdam casibus bonam administrationem facere sine alienatione, quia utilitas Domini id interdùm requirit; puta, si agatur de fundis sterilibus, aut parùm fructuosis, vel de collocatione pecuniæ ad quæstum ipsius; indè nascitur Tutoris & Curatoris potestas alienandi, cùm eorum interest, quorum bona administrant. Leges quæ alienationem prohibent, id vulgò statuunt ratione boni, vel publici vel privati Possessorum. In primo casu, alienatio licita esse nequit, nisi publica utilitas eam fieri poscat. Bonum publicum vel est Profanum, vel Sacrum, & pertinet ad Religionem, & tunc licere debet alienare, cùm Religionis interest, ut id fiat; vel non licere, cùm Religionis interesse contrarium est. Porrò, quod modò diximus de bonis Sacris, unicè convenit Bonis Ecclesiasticis, idcircò quòd omnia servitio Divino destinata sint, quod exigit 1. ut sint Ministri, qui illud persolvant. 2. Loca, in quibus id fiat. 3. Vasa, Ornamenta, & res aliæ, sine quibus perfici nequit cum dignitate & decentiâ. 4. Ut illi Ministri honestè exhibeantur. 5. Loca ædificentur, decorentur, cùm opus erit. 6. Pauperes & aliæ Personæ miseræ juventur, consolentur, visitentur, & eripiantur à tribulatione, ut is, qui levamen hoc illis procurat, benedicatur & glorificetur, juxtà hoc dictum egregium, JACOBI I. 27 *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum:* Quod significat, opera charitatis, sine quâ Deus coli nequit, esse præcipuas actiones Religionis; quod etiam docemur per verba CHRISTI; *Misericordiam volo & non Sacrificium.* Indè factum est, ut Ecclesia semper Bona sua erogaverit ad opem & solatium Personarum, quæ miseriâ, dolore atque ærumnis quatiuntur; non secùs atque ad Fabricæ curam, & alimenta Ministrorum Sacrorum; indè vetus divisio bonorum Ecclesiasticorum in *Quatuor Partes*, quarum una pertinebat ad Episcopum, alia ad Clerum, alia ad Pauperes, alia ad Fabricam.

Cùm destinatio Bonorum Ecclesiæ, ea venerabilia magnique momenti faciat, conservationi ipsorum providere oportuit, non solùm per strictissimam prohibitionem illa usurpandi, sed etiam illa alienandi extrà Casus necessitatis. Regulas quoque statuere opus fuit, ex quibus dijudicaretur, an alienatio necessaria foret; & solemnitates præscribere, quæ hanc à dolo, fraude & captione potegerent; nec non reservare judicium de necessitate ad Prælatos, qui præfecturam habent in hæc bona. Ad hæc Principia reducuntur omnes Textus laudati in *Regula* XI. ejusque Appendicibus. Regulæ & Replicationes respiciunt Casus, in quibus alienatio non est licita: Exceptiones, & Duplicationes definiunt Casus, in queis alienatio licita est.

Quamvis omnes casus liciti, dividi possint in plures Classes; videlicet 1. casus, in quibus Ecclesiæ necessitas id poscit: v. gr. cùm ære alieno laborat, vel pecuniâ indiget ad extruenda ædificia diruta, sivè ad faciendas Reparationes magni sumptûs; 2. Casus, in quibus id Ecclesiæ requirit utilitas; putà, cùm vendit, aut permutat fundos steriles, ad acquirendos fertiles; 3. Casus, in quibus commodum id postulat; v. gr. cùm fundi remoti permutantur, aut venduntur, ad eos emendos, qui sunt viciniores. 4. Casus Charitatis; putà, cùm vendit, aut pignori subjicit ad longum tempus fundos suos, ad alendos Pauperes, vel redimendos Captivos. Hæ tamen Quatuor Classes reduci possunt ad casus necessitatis; nam Ecclesia tenetur opitulari Pauperibus & lucro suo providere. Porrò, casus secundi & tertii generis, sunt quæstuosi; idem dicendum de casibus alienationis, quæ fit ad remunerationem servitiorum Ecclesiæ præstitorum. Præcipuæ requisitarum solemnitatum, sunt inquisitio de commodo, aut incommodo, citatio Personarum, quarum interest, discussio rationum in utramque partem, consensus Beneficiatorum, ad quos bona pertinent.

Inter Prælatos, ad quos pertinet jus autorisandi alienationes, alii potestatem hanc habent Jure Communi; tales sunt Episcopi, quibus competit Jurisdictio in bona ab Ecclesiâ dependentia, nec non in Personas Ecclesiasticas Diœceseos: alii habent ex Privilegio, quales sunt Abbates Exempti, qui, Exemptione remotâ, subjicerentur illi Jurisdictioni, sed qui ex Privilegii vigore, eam exercent in certo districtûs loco Episcopatûs.

Horum Principiorum applicationem ad ea, quæ sub hâc continentur Regulâ, non aggredimur, longiùs nos ferret hæc enumeratio.

REG. XII. XIII. XIV. XV. XVI. respiciunt Consectaria alienationis sive justæ, sive injustæ; scilicet pœnas adversùs Alienatorem injustum, nempè suspensionem, aut excommunicationem; nullitatem Actûs; obligationem vindicandi rem Ecclesiæ restituendam; denique indemnem faciendi Emptorem evictum. Cùm alienatio injusta est, Acquirens contineri debet intrà limites Contractûs ipsius.

Duæ Regulæ novissimæ loquuntur de Precario, sed brevissimè: quæ desunt hîc circà hunc Contractum & bona Ecclesiastica, supplebuntur per *Cap.* VII. *Lib.* V. quod respicit Contractus. Vix divinari potest, quam ob causam hîc de Precario locutus sit potiùs, quam de aliis Contractibus magis usitatis, per quos fit vulgò alienatio bonorum Ecclesiasticorum; sed parvi refert id cognoscere.

OBSERVATIONES *in* CAP. XIII. *de Decimis, Primitiis, Oblationibus.*

Autor ab institutione Decimarum orditur, & meritò, laudatque Textus dicentes, eam esse Juris Divini, sivè quia ad Christianorum Decimas Legis præcepta circà Judæorum Decimas prorogant, quarum nostræ sunt mera imitatio, ut evidenter patet ex pluribus differentiis inter utrasque intercedentibus; sivè quia inter nos institutæ sunt ad sustentationem Ministrorum Sacrorum, sumptusque necessarios ad Servitium Divinum: quæ duo Capita Jure Naturali ac Divino præcipiuntur.

Deindè, plures Textus laudat loquentes de Privilegiis, quæ à Decimarum Præstatione plura Personarum genera liberant; vel quæ aliis attribuunt Jus Decimarum, quàm Curatis & Episcopis, qui tenent locum Sacerdotum, eorumque Principum, & sunt Ordinarii Legis Novæ Ministri. Tales sunt Religiosi, atque etiam Laïci. Hæc autem Privilegia conceduntur à Pontifice, aut ab Episcopis, qui non dispensant à Jure Divino, nihilòmagis, quàm Summus Sacerdos, & Principes Sacerdotum; qui erant figura Pontificis & Episcoporum. Alios prætereà Textus laudat, qui docent,

cent, Consuetudinem unam esse è Regulis Decimarum, non solùm quoad modum eas solvendi, sed etiam quoad Jus eas percipiendi; & alios, qui idem de Præscriptione statuunt. Itaque Autor hîc, non secùs ac alibi, Regulas tradit contrarias; nempè Decimas institutas Jure Divino, attamen subjici Consuetudini, Præscriptioni, ac Dispensationi Ecclesiasticæ, quæ simul cohærere nequeunt: neque eas conciliare satagit.

Sequitur etiam communem Canonistarum errorem, qui Decimas inter Res Incorporales aut Spirituales collocant. Quamvis sint Corporales, perindè ac cætera bona, quæ vocant Corporalia, & ratio, propter quam sic vocantur, locum habeat, quoad reliqua bona, nempè quòd Servitio Divino consecratæ sint, atque alimentis Ministrorum, qui illo funguntur, vel quòd in Decimis attendatur solum Jus illas percipiendi, quo in casu Census, Procurationes, Exactiones, Rebus Incorporalibus annumerare deberent, istæ enim sunt mera jura, & tamen à Canonistis inter Res Incorporales non ponuntur.

Exponendo Argumentum per REGULAS XXVII. eas solo numero distinguit. Debuisset eas dividere respectivè ad discrimen argumenti ipsarum, colligendo, Primò eas, quæ respiciunt nomen, institutionem, naturam & divisionem; tùm eas, quæ pertinent ad singulas species, deindè eas, quæ loquuntur de Personis ad illa Jura solvenda obligatis; indè transeundo ad Personas, quibus illa debentur Jure Communi, aut Privilegio, aut Consuetudine, aut Præscriptione. Loquendo de Privilegiis, sivè non solvendi, sivè percipiendi, distinguere opus erat Privilegium totale, à Privilegio partiali: (nonnulli enim aliquâ solùm parte exempti sunt; & quidam certas duntaxat species, vel aliquam earum partem percipiendi jus habent) & loqui de iis, qui possunt vel nequeunt hæc Privilegia concedere; desinendo per Regulas, quæ sanciunt pœnas in eos, qui non solvunt, & in eos qui Jure percipiendi abutuntur.

Loquendo de speciebus, principio dividendæ erant in Prædiales, Personales & Mixtas, de utrisque participantes. Prædiales in Antiquas & Novales; Grossas & Minutas: & distinguendum erat id, quod Colono convenit, ab iis, quæ Dominum tangunt. Conferendæ erant hæ Decimæ cum Personalibus, & notanda omnia ambarum discrimina.

Loquendo de Nomine, distinguendæ erant à Decimis vulgaribus, Decimæ quæ solvuntur Pontifici, tam de Decimis, quàm de aliis reditibus Ecclesiasticis.

Loquendo de institutione, referre oportebat Textus, qui loquuntur de potestate Consuetudinis, Canonum, Legum Sæcularium, Legum Naturalis & Divinæ circà Decimas.

Colligendo discrimina inter Prædiales & Personales, dicendum erat, illas valdè antiquas esse, & procul dubio ferè universales: eas solvi Parocho Locorum, in quibus fundi siti sunt, earum quotitatem esse inæqualem in variis Regionibus; quosdam habere Privilegium eas non solvendi, aut ex paucioribus fructuum speciebus; alios habere Privilegium eas percipiendi; eas subsistere etiamnùm ferè ubique, eas præstari, non deductis impensis, & antè aliud quodlibet Jus. Personales autem non incœpisse nisi circà Sæculum XI. ubique non fuisse receptas; ferè ubique esse abolitas: solutas fuisse Curato Domicilii; nullam fuisse exemptionem eas solvendi, ubi vigebant, nec Privilegium eas percipiendi in præjudicium Curati; solutas fuisse ex mero lucro; quotitatem esse æqualem, nempè Decimam partem.

Necessariæ nobis visæ sunt hæ observationes ad interpretationem & ordinationem Regularum, & eorum, quæ continentur in illarum Appendicibus & Exceptiones, Replicationes, Duplicationes, Triplicationes, intelligendas. Ab enumeratione abstinemus, ad vitandam prolixitatem; sufficiet adjicere, multas esse, quæ Textus cognatos solummodò indicent; hæ verò alia non indigent observatione, nisi adeundos esse Textus laudatos.

Quoad REG. VI. VIII. X. quæ longâ catervâ stipantur, recordari oportet id, quod sæpiùs fuit notatum, Exceptiones includi plerùmque in Regulâ amplitudini suæ restitutâ, idem est de Replicationibus & Triplicationibus. Duplicationes verò ingrediuntur in Exceptiones pleniùs expositas. Quod dicitur de Exceptionibus, patet ex REG. VI. quæ quatuor suas Exceptiones includit, si ad amplitudinem debitam extendatur, dicendo, Decimas prædiales Jure Communi deberi Curato Parochiæ, in quâ siti sunt fundi; & posse ad alios pertinere jure particulari: nempè ex concessione Episcopi, Consuetudine, Præscriptione, aut alio quovis legitimo Titulo, puta Privilegio Pontificio, transactione, permutatione.

REG. VIII. cum sua cohorte, reducitur ad hæc; omnes, qui habent prædia fructifera, eorum Decimam debere, nisi Privilegio exempti sint, quo in casu Privilegii tenor, exemptionis norma, & mensura est: Privilegium hoc principio concessum fuit omnibus Clericis, aut Religiosis in communi viventibus. Initio restringebatur ad bona, quæ suis manibus & sumptibus incolebant: strictè illud interpretandum erat, ideò quòd ratione præjudicii Curatorum, odiosum erat; sed tractu temporis crevit per gratiam Pontificum, qui illud ità ampliaverunt, ut coacti fuerint eorum Successores ad illud revocandum, aut temperandum in gratiam Curatorum, qui rebus ad vitam necessariis carerent. Præterea, conferendo Regulam utramque & Textus in eis laudatos, percipitur, immunitatem à solvendâ Decimâ acquiriri solùm per Privilegium, nisi fortè per redemptionem, quæ vocatur *Abbonatio*; jus autem illam percipiendi acquiri, præterea, per Consuetudinem, & Præscriptionem.

REG. X. complectitur Decimam Personalem & Decimam Prædialem, dicendo, solvendam esse Decimam omnis Fructûs. Verbum generale extenditur tam ad Fructum Civilem, de quo præstatur Personalis, quàm ad Naturalem, de quo solvitur Prædialis: brevis hæc Exceptio ostendit, quam ob rem Autor allatis *Novem* Exceptionibus Regulæ, omnes reprobet.

EXCEPTIO II. conservari potest, eam restringendo ad Fructus Civiles, quorum Decima soluta non fuit per Annos 40. sunt etiam quidam fructus Naturales, in quibus locum habet; indè nascitur Decima insolita, cujus exactio multis in Regionibus prohibetur.

PRIMITIÆ.

QUINQUE REGULÆ circà *Primitias* nullius ferè utilitatis sunt hodiè nisi, quoad historiam: nam exoleverunt illæ. Ad Episcopum, Sacerdotes, & Diaconos pertinebant. Earum institutio est antiqua: nam de ipsis mentio fit in Canonibus *Apostolorum*, velut de re usitatâ. Pauci Textus de illis loquuntur, multi autem de Decimis, quod non aliundè provenit, quàm ex eo, quòd usus Decimarum ferè universalis & perpetuus est; eadem verò Primitiarum fortuna non fuerit.

OBLATIONES.

REGULÆ XIV. circà *Oblationes* reducuntur ad quatuor Capita. 1. Quidnam intelligatur per hoc verbum, *Oblationes*. 2. Quid sit offerendum. 3. Quis offerre debeat. 4. Ad quem Oblationes pertineant. Singula sub unicâ Regulâ comprehendi queunt; v. gr. dici potest in primum Caput, Canones dare nomen *Oblationum*, omnibus, quæ DEO sunt consecrata, Personis, Rebus, Locis, Mobilibus, Immobilibus; undè factum est, ut pueri Deo à Parentibus suis dicati, vocarentur *Oblati*, & sint adhuc Religiosi, qui nuncupantur *Oblati*; ut omnia bona Ecclesiastica appellentur

lentur Oblationes Fidelium; sed hoc nomen specialiùs convenit iis, quæ offeruntur ad Altare, in eâ parte Missæ, quæ idcircò *Offertorium* vocatur.

Nihil dicendum circà Secundum Caput nisi, nihil esse Deo offerendum, nisi quod legitimè partum sit, & in dispositione personæ offerentis.

Ergà Tertium Caput dici potest, solos Peccatores publicos & Excommunicatos publicos excludi à jure offerendi: de his personis intelligendæ sunt Regulæ XXXVIII. usque ad XLIII. Exceptio ultimæ producitur ad præcedentes; nempè, si ejusmodi personæ pœnitentiam egerint, vel ejus signa certa ediderint.

Generatim dicendum est in Quartum Caput, Oblationes Jure Communi pertinere ad Ministros Sacros Locorum, in quibus fiunt, salvâ portione Episcopi aut Curati, ex iis deducendâ, quæ fiunt in Ecclesiis à suâ immediatè dependentibus. Si conferantur Regulæ cum observationibus, nihil in illis reperietur, quod hic dictum non fuerit, sed breviùs, lucidiùs & meliori ordine.

OBSERVATIONES *in* CAP. XIV. *de* JURE PATRONATUS.

Quamvis Patronatus sæpè annexus sit Dominio Nobili, aut Plebeio, nihilominùs valdè rationabile est, eum inter Res Incorporales collocare, de quibus hic etiamnùm agitur; nam illæ sub nomine *Jurium* designantur: jura autem sunt incorporalia, maximè in materiâ spirituali.

Quæstiones III. quæ proponuntur circà hoc argumentum, ejus integritatem non complectuntur.

Regulæ uniuscujusque non respondent etiam amplitudini Quæstionis. v. gr. Autor loquens de causis Juris Patronatûs in Prima *Quæstione I.* duas tantùm assignat; nempè ædificationem Ecclesiæ, consentiente Episcopo, factam, & successionem: porrò, aliæ multæ sunt, nempè Consuetudo, Præscriptio, Privilegium, Donatio, Emptio, aut Permutatio prædii, cui annexum est. Præterea triplex genus personarum illud acquirere possunt per fundationem Ecclesiæ, scilicet 1. Is, qui dat solum, 2. Qui eam construit 3. Qui eam dotat. Quod dicit, illud acquiri non posse per cessionem, non est verum, nisi cùm illud possidetur ex Privilegio personali, vel Patronatus est familiaris, & successor novissimus ex familiâ non potest illud in alios transferre, cùm, extinctâ familiâ, extinguatur.

QUÆSTIO II.

Quæstio II. quæ respicit Personas, ad quas Jus Patronatûs pertinet, verbis tenùs ferè à *Primâ* discrepat, nam ii, in quibus sunt causæ prædictæ, illi ipsi sunt, ad quos hoc Jus pertinet; & quidem nihil adjicitur, nisi probationes, quæ confirmant id, quod in *Prima* dictum fuit. Idcircò Autor de *Secunda* & *Tertia* Causâ loquens, remittit ad REG. I. & II. *Quæst. II.* Textus, quos laudat in REG. II. in quâ dicit, Patronatum non posse per cessionem acquiri, contrarium probant; maximè *Cap. 5. de Jure Patron.* prout refertur apud GONZALEM, ubi clauditur per hæc verba, *Patronatum autem de autoritate & assensu Episcopi certum est à Laico in eodem Jure conferri*; vel nihil probant; nam prohibent Collationem per Patronos Laicos, vel Præsentationem per Advocatos Ecclesiarum, qui non habent Jus præsentandi.

Quod dicit in duabus Exceptionibus, includitur in Regulâ, quæ fert, Jus Patronatûs cedi posse, ejusque momentum est. Quod addit *Exceptioni I.* consensum Episcopi necessarium esse ad cessionem hujus Juris Loco Religioso, falsum est; cùm hoc Jus est legitimum. Replicatio duæque Exceptiones sunt inutiles. Quoad Regulam observationibus superioribus junctam, nempè, acquiri posse Jus illud per cessionem, & hanc non indigere autorisatione Episcopi, posse etiam acquiri per præscriptionem.

Si Patronatus Ecclesiasticus sit, donari non potest nisi servatis solemnitatibus alienationis; illud enim Jus est bonum Ecclesiasticum insigne, & Donatio est alienationis species.

QUÆST. III. *Jura Patronorum.*

Novem Regulæ priores loquuntur de Jure præsentandi. *Prima* continet *Sex Exceptiones & duas Replicationes*, quæ inutiles evadunt, si Regulæ debita amplitudo reddatur; videlicet, ut Patronus hoc Jus utiliter exerceat, oportet, ut Ecclesia sit vacans, isque tempore præstituto personam requisitis Jure Communi, vel Fundatione, qualitatibus instructam Episcopo præsentet. Si quæ ex his conditionibus desit, Præsentatio inutilis est; dari quippè nequit Beneficium hominis viventis, neque etiam illius Successor designari potest: tempus est determinatum; ergo illo utendum est. Si Patronus, præsentationis loco, conferat, nihil agit: Institutio vulgò ad Episcopum pertinet. Parendum est Canonibus & Legi Fundationis ab Ecclesiâ approbatæ, proindè necessarium est, ut Præsentatus habeat qualitates Canonibus, vel Fundatione requisitas.

Exceptio III. falsa est; nam, cùm Episcopus Ordines conferebat ei, quem Parochus, aliusve Beneficiatus præsentaverat, Patronus, qui non consenserat, poterat præsentare; cùm Beneficium rursùs vacabat. *Cap. 30. de Jure Patr.* Except. VI. restringi debet ad casum, quo Patroni litigantes non præsentaverunt; nam si præsentaverint, is, quem præsentaverit Patronus, qui erat in quasi-possessione, manutenebitur in præjudicium Provisi ab Episcopo.

REG. V. falsa est, in eo quòd dicit, Patronum Liberos suos præsentare non posse. *Cap. 15. de Jure Patr.* non prohibet eos præsentare, sed iis conferre. Vid. GONZALEM *ibid.*

Exceptio I. Regulæ VII. quæ fert, Episcopum conferre posse, si Præsentatio à majori Patronorum parte facta, nequeat admitti sine scandalo, justa esse non videtur: vel enim scandalum nascitur ex eo quòd Præsentatus à majori parte publicè reputatur indignus; & tunc Præsentatus à minori parte admitti debet: vel nascitur ex discordiâ, cujus ratione metuitur, ne Partes, quarum interest, inter se dimicent, aut vim adhibeant ad sustinendum Præsentatum utrinque; & tunc videtur aliud non esse Officium Episcopi, quàm regimini Ecclesiæ providere per Desservientem. Turbationis periculum non extinguit Jus præsentandi à majori parte, sed Superiorem tantummodò inducit ad suspendendam ejus fruitionem, donec Contendentes ad pacem adducere possit. Observandum est, quòd si Collegium præsentet, idem sit tùm de Præsentatione, ac de Electione: si verò Præsentatio plures ad privatos pertineat, pars major, quæ ad validitatem Præsentationis necessaria est, non est ea, quæ major est, ratione numeri omnium Præsentatorum collectivè sumpti, sed ea, quæ singulas vincit partes, ita, ut si decem Præsentatores concurrant, tresque personæ nominentur, quorum alius habeat quatuor vota, cæteri tria seorsim, ille satis habet votorum ad vincendos alios.

Remedium in casibus discordiæ præscriptum per REG. VIII. desiit esse in praxi; nam tunc providetur ei, quem major pars votorum adjuvat, nisi indignus sit; vel Magistratus turbis occurrit, si fieri possit; vel eorum consecutiones sistit: itur quoque obviàm discordiæ, per divisionem Præsentationum inter Patronos, quarum vulgarior, est alternativa, cujus mentio fit in CLEMENT. *de Jure Patron.* Textus hic est vetustissimus circà alternativam Provisionum.

Regulæ XI. sequentes loquuntur de Juribus, quæ vel Patroni habent, vel non habent: posterioris generis

Jura

Jura sunt, 1. Instituere, aut destituere. 2. Administrare bona. 3. Eadem in suos usus convertere. 4. Cedere Jus suum præsentandi, aut suam Ecclesiam. 5. Dividere Ecclesiam inter Cohæredes. Vid. REG. X. XI. XII. XV. XIX. Quidvis à præsentato exigere. REG. VI. Nocere Juris Episcopi per alienationem Juris præsentandi. REG. XX.

Jura Patronis competentia sunt, habere Sedem distinctam in Ecclesiâ; adjuvari ab Ecclesiâ, si egeni fiant, idem est de eorum Successoribus; invigilare conservationi bonorum; Ecclesiam quoque protegere in omnibus occasionibus, in quibus auxilio indiget.

OBSERVATIONES *in* CAP. XV. *de Rebus aut Bonis Ecclesiasticis Corporalibus speciatim consideratis.*

Inter Bona Incorporalia, de quibus modò disseruit, collocare potuisset non solùm Privilegia supra delibata, sed etiam omnia Jura Honorifica, veluti Prioritatem Sedis inter Ecclesias, Immunitates, Exemptionem à quocumque opere servili, iis simili, quæ Festis diebus intermitti debent, & omnia Jura utilia, quæ illis debentur, Censum, Procurationes, &c. quoniam hæc Jura sunt incorporalia.

Loquendo de Bonis Corporalibus, sermonem ad Ecclesias, earumque accessoria restringit: adjicere debuisset Prædia, Domos, Horrea, & alia Bona Corporalia, circà quæ versantur omnes Ecclesiastici Contractus.

Caput hoc in *Quæstiones* XI. dividit, quas *Regulis* LX. solvit, quibus nullam Exceptionem, nullasque proindè Replicationes subjicit.

QUÆST. I. *De ædificandis Ecclesiis.*

Titulus, seu Inscriptio hæc est imperfecta; hîc enim non solùm de constructione Ecclesiarum agitur, verùm etiam de rebus, quæ in eis fieri debent, aut secùs. Inter Regulas XXXI. quibus hæc Quæstio solvitur, plures à praxi alienæ sunt: scilicet, *Nona*, quæ vetat, aliquam dicari Ecclesiam sine jussu Pontificis: *Duodecima*, quæ jubet, ut circà Ecclesias Majores relinquatur ambitus 50. passuum, & circà Minores 30. passuum: *Decima-tertia*, ut juxtà Ecclesiam ædificetur Claustrum: *Decima-quarta*, ne juxtà Ecclesiæ Claustrum, seu Vestibulum, ædificentur Domus, ad aliorum, quàm Clericorum, usum: *Vicesima-quarta*, quæ jubet, ut Monachi habeant solùm Capellas interiores: Item *Reg.* XXVI. XXVII. XXVIII. quæ Mulieribus ingressum Ecclesiarum interdicunt, dum solita patiuntur effluvia, vel tempore earum partui proximo, vel post pollutiones nocturnas involuntarias. Item ab usu aliena est *Regula* VIII. loquens de quotitate contributionis ad novas Ecclesias.

REG. XXXI. præmitti debuisset iis, quæ loquuntur de rebus in Ecclesiâ faciendis, aut non faciendis; & quod legitur in iisdem, colligendum erat, velut exempla rerum, quas facere, vel non facere oportet. *Quatuor Priores* loquuntur de causis ædificandarum Ecclesiarum, nempè 1. Sanctorum Protectionem allicere, non verò emolumentum captare. 2. Subvenire populo, qui Ecclesiâ indiget. 3. Providere necessitati partis plebis, quæ propter lepram ab Ecclesiarum frequentatione arcetur. 4. Vel quæ ratione nimiæ distantiæ non potest convenire.

REG. XVIII. sequi debuisset *Reg.* VI. & VII. illa enim fert, Ecclesiam ejusque dotem esse sub Episcopi Jurisdictione; hæ autem loquuntur de Dote.

REG. XVI. restringi debuisset ad Privilegia, quæ respiciunt Personas: Ratio allegata in Textu id requirit.

REG. XIX. præmitti debuisset *Regulis* IX. & X. quoniam illa Consecrationem præcipit, cujus faciendæ modum hæ præscribunt.

REG. VIII. & XI. respiciunt solum, in quo Ecclesia extruitur. Quod *Regula* VIII. dicit de Consecrarione soli, ab usu recessit.

QUÆST. II. III. IV. V. VI. *de Oratoriis privatis, de Altaribus, de Sacristiâ, Campanis, & Imaginibus Sanctorum.*

Nihil observandum est, nisi *Regulam* XXXIII. quæ *Secunda* est QUÆST. II. collocari posse sub QUÆST. V. quoniam respicit Campanas, perindè atque Oratoria; REG. XXXVI. quæ est *tertia* QUÆST III. dicere de Altaribus consecratis sine Reliquiis, & proindè malè consecratis, id quod *Regula* XXI. dicit de Ecclesiis superfluis; nempè, illas esse destruendas: *Reg.* XXXVII. ab usu sublatam esse in eo, quòd dicit, Personas non consecratas non posse in Sacristiam intrare.

QUÆST. VII. VIII. IX. *de Sacramentis, Aquâ Benedictâ & Reliquiis Sanctorum.*

TITULUS VII. nimis generalis est; nam, loco disputationis de Sacramentis, quam Titulus promittit, loquitur solùm de Eucharistiâ, & Sancto Chrismate, quæ in Ecclesiis servantur.

Cùm dicitur REG. XLIV. requiri Aquam Benedictam Sabbato Sancto antè *Sacramentum*; hoc verbo intelligitur Sanctum Chrisma, quod Aquæ posteà infunditur.

REG. XLV. non observatur in eo, quòd dicit, Reliquias non esse exponendas, nisi à Pontifice fuerint approbatæ. Quod dicitur in REG. XLIX. Autoritatem Principis esse necessariam ad translationem Reliquiarum, restringi debet ad casus, in quibus metuitur emotio popularis.

QUÆST. X. XI. *de Vasis & Vestimentis Ecclesiæ, & de Lignis Ecclesiæ destructæ, vel ad Ecclesiam dicatis.*

REG. LV. quæ dicit, Vestes Sacras tangi non debere, nisi à Ministris Sacris, non est in praxi. Idem est de *Reg.* LIX. comburendas esse Vestes Sacras, quæ detritæ sunt. Existimatum fuit, eas res Benedictionem suam amittere, cùm vetustas iis uti prohibet, sicut Vasa Sacra Consecrationem suam amittunt, cùm franguntur. Idem dicendum de Lignis, quæ benedicuntur cum Ecclesiis, ad quarum constructionem adhibita fuêre.

Methodi VIGELIANÆ *Juris Canonici. Liber* IV. *de Actibus Ecclesiasticis.*

Hujus LIBRI Argumentum eximium Theologum requirebat, quippè quod ferè integrum Theologicum sit; porrò qualitas hæc non reperiebatur in Autore; nam duplici defectu tam curæ, & diligentiæ, quoad Sententias, quàm ordinis, quoad Divisiones, significat, se longè minorem operam Theologiæ dedisse, quàm Juri Canonico & Juri Civili. Ambo hæc vitia præcipuè insectabimur in Observationibus sequentibus.

OBSERVATIONES *in* CAP. I. *de Fide, de Doctrinâ Christianâ, de Concionibus & Præcibus.*

Exordiri debuisset à Fide in genere, colligendo principio *Regulas* IX. quas deinceps tradit, sub Titulo *de vi & effectu Fidei*, & sub Titulo de *rebus Fidem & Doctrinam Christianam antecedentibus.*

Toto Capite passim Doctrinam cum Fide miscet; quasi verò omnia docenda pertinerent ad Fidem, quamvis ex iis rebus innumera sint, quæ Disciplinam duntaxat respiciunt & nihilòminùs docendæ sunt: aliundè multa sunt circà Argumentum Fidei, aut Morum, quæ credi non oportet, ideò quòd neque certò, neque perspicuè revelata sint, nec ab Ecclesiâ Universali definita. Etquidem loquendo, in Primâ Parte, de iis, quæ credenda sunt, & de iis, quæ

quæ sunt docenda, remittit ad Libros Sacros, qui legendi sunt; ad Canones Apostolorum, ad *Quatuor* priora Concilia Generalia, ad reliqua Concilia, & maximè ad Generale VI. ad Decreta & Rescripta. Porrò, inter Canones Apostolorum, Canones Conciliorum, Decreta Pontificum, multæ sunt res, quæ Fidem non respiciunt, & plurimæ, quæ ad eam pertinent. Vid. *Sex Priores Regulas.* In *tribus* sequentibus ejusdem Quæstionis, Conceptionem immaculatam Virginis, eodem ordine, quo Trinitatem Sacram collocat.

Agens de causis Justificationis, & remissionis peccatorum, Justificationem tribuit virtutibus, quæ ad ipsam præparant solùm, atque adducunt: itaque, Justificationis causas proximas, nempè Gratiam JESU CHRISTI, Charitatem, Sacramenta, confundit cum remotis causis scilicet omnibus virtutibus Moralibus & duabus Theologalibus, Fide & Spe, quæ à Charitate separatæ, justificare nequeunt. Confundit, prætereà, causas, quæ Justificationem impetrant, cum illis, quæ illam operantur; proindè pleræque Regularum Autoris, si juxtà has distinctiones exponantur, sunt ambiguæ. Tales sunt 1. *Reg. XIII.* quæ dicit, Charitatem Ecclesiæ remittere peccata; id enim non facit, nisi impetrando Gratiam CHRISTI, sive Charitatem, quæ justificat. 2. *Reg. XIV.* quæ dicit, Continentiam & Virginitatem operari Salutem; hunc enim effectum, non nisi unione suâ cum Charitate, producunt. 3. *Reg. XV.* quæ dicit, bona opera justificare; hoc non faciunt à Charitate separata; 4. *Reg. XVI.* quæ justificationem Eleemosynæ tribuit. 5. Idem est de *Regulis XVIII. XIX. XX. XXI.* quæ illam tribuunt recitationi Dominicæ Orationis, zelo offerendi se pro Populo, morti in Bello adversùs Infideles, patiendæ: 6. *Reg. XXXII.* & *XXXIII.* eam tribuentes Verbo Dei, & bonæ puerorum institutioni.

Confundit quoque expiationem pœnæ, cum justificatione, aut remissione culpæ. Exempla occurrunt in omnibus *Regulis*, quæ de igne Purgatorii loquuntur, & de operibus, quæ Viventes pro Defunctis faciunt: hæc enim solam pœnæ remissionem operantur, sicut & ignis: undè observare opus est, hæc opera, quæ Mortuos justificare nequeunt, ad Viventium justificationem conferre, quandò Charitas illa producit. Quòd si cura, quâ Defunctus suæ Sepulturæ providit, & si quod à Viventibus eandem ob causam fit, illum non justificant; id ex eo oritur, quòd, post Judicium Speciale, nulla fiat remissio peccati, quoad culpam.

Quod dicitur in *Regula XXXIV.* de Eucharistiâ & de Baptismo, extendi debet ad omnia Sacramenta, quæ justificant, vel accidentaliter, si Viventium Sacramenta sint, nempè Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium; aut ex suâ Institutione, si sint Sacramenta Mortuorum; scilicet Pœnitentia, & Baptismus. Quod dicit in *Reg. XXXV.* Indulgentias justificare, falsum est, nisi loquatur de Indulgentiis Sacramento Pœnitentiæ junctis; & tunc, non ipsæ Indulgentiæ justificant, sed Sacramentum, omnisque illarum effectus est, excitare ad studiosiorem præparationem ad Sacramentum, per desiderium obtinendi remissionem pœnæ ex Indulgentiâ. Quod ibi supponit, Indulgentiam dari per viam Judicii, falsum quoque est: ea enim datur absque cognitione causæ, & datur æqualiter omnibus, qui confitentur peccata sua, & contriti sunt, sivè parùm, sivè multùm, sivè eorum peccatorum numerus major, aut minor sit. Porrò omne Judicium causæ cognitionem requirit; & Sententia Absolutionis causæ respondere debet, perindè ac Sententia Condemnationis.

Exceptiones generales harum Regularum, quas deindè congerit, desumuntur, ut plurimùm, ex defectu qualitatum, quibus Justificationem attribuit; tales sunt: *Except. I. II. III. IV.* scilicet, Justificationem non obtineri sine Pœnitentiâ, sine Confessione, sine Restitutione. *Quarta* hæc Exceptio plures habet Replicationes, sumptas à legitimis excusationibus restitutionis. Idem est *de Except. V. VI. VII. VIII.* nempè, si omisit Peccator veniam delictorum suorum implorare, aut Pœnitentiam sibi, propter illa, injunctam implere, aut Eleemosinam facere, vel jejunare in casibus obligationis; si non habeat Charitatem.

Idem dicendum est de *Except. IX.* & *X.* videlicet, si neglexit Baptismum suscipere, vel Corpus & Sanguinem CHRISTI in casibus obligationis & possibilitatis accipere. Idem de *Except. XI.* quæ dicit, Defuncto non proficere bona opera, quæ pro illo fiunt, nisi, dùm viveret, hoc refrigerium meritus sit; hoc enim meritum, est conditio necessaria, ad applicationem hujus levamenti.

Quod dicit in *Excep. I.* de irremissibilitate peccatorum adversùs Spiritum Sanctum, non est verum, nisi de peccato Impœnitentiæ finalis. Idem est de eo, quod legitur in Replicatione *Except. finalis*, circà reviviscentiam peccatorum per relapsum; cùm Dei dona sint sine pœnitentia, constat, remissionem concessam non revocari; sed hanc veniam peccata posteriora aggravantem, ea majori pœnâ digna efficere.

Quod dicit, CHRISTUM & SPIRITUM remittere peccata, non excludit Ministerium Sacerdotum, apud quos illa deponi debent; Vid. *Reg. XXXVI.* Restringendum est ad remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ id, quod dicit, Hæreticos non remittere peccata; nam ea remittere possunt baptisando, Eucharistiam distribuendo, & alia Sacramenta, quæ sine Jurisdictione conferri possunt; Vid. *Reg. XXXVIII.*

Quod dicit in *Reg. XXXIX.* bona opera non conferre ad remissionem peccatorum, repugnat *Reg. XV.* in quâ dixit, illa justificare.

De Charitate loquitur, à *Reg. IV. ad LX.* inclusivè, & loca solùm indicat, in quibus traduntur ejus definitio, & Tituli honorabiles Unctionis interioris, Aquæ vitalis; ejus divisio in perfectam & imperfectam; ejus species; nempè, ergà Deum, Proximum & seipsum; ordo in ea servandus; ejus proprietas & effectus, scilicet 1. Ejus necessitas ad remissionem peccatorum 2. Privilegium Charitatis perfectæ, impeccabilitatem operari, & liberare à cupiditate. 3. Vis ejus ad resistendum peccato. 4. Suavitas ejus, quæ omnes difficultates tollit. 5. Ejus prærogativa, esse viam excellentiorem, quâ accedatur ad Deum; esse fontem omnis boni: extinguere sitim perturbationum; bona opera utilia ad Salutem efficere; patientiam in omnibus probationibus producere, & constantiam in bono. 6. Imperfectio ejus, quæ amissibilis est, qualis est in Reprobis, & fuit in Adamo, atque in ipsis Prædestinatis, qui cadunt interdùm, ut resurgant.

Reg. LXI. ad XCI. quæ sunt etiam sub Titulo, *de proprietatibus & effectibus Charitatis*, loquuntur de plerisque virtutibus Moralibus, & de quibusdam vitiis: de mercede illarum & horum pœnâ: undè patet, eas malè collocari sub hoc Titulo; cùm neutræ sint Charitatis proprietates.

NOVEM sequuntur REGULÆ circà FIDEM: *Quinque* loquuntur de vi ipsius, atque effectibus, qui sunt, justificare, cùm animatur per Charitatem; confirmare Fidelem, eumque objecto suo vincire; ejus necessitas ad bonam conscientiam & bona opera. Quod legitur in *Reg. IV. id quod non est ex fide, esse peccatum*; non de Fide Divinâ, sed de Conscientiâ intelligendum, quæ credit, aliquam actionem esse bonam, & statuit, eam esse faciendam. *Quatuor* reliquæ respiciunt accidentia Fidei & Doctrinæ Christianæ; nempè, Symbolum esse prædicandum; Laïcos non debere disputare circà Fidem; quod intelligitur de publicâ disputatione; Pontificii Officii esse Institutionem novorum Ordinum Religionis, (quod remotam cum Fide relationem habet); quomodò cogi possit ad Fidem.

Suprà notavimus, has *Novem* Regulas meliùs collocandas fuisse initio Capitis; fortè Autor ratus omnia, quæ præcedunt ad materiam Fidei pertinere; putavit, hìc loquendum esse de viribus & accidentibus Fidei.

Quinque Regulæ sequentes, *de Lectione Librorum Sacrorum* inscriptæ, pertinent ad accidentia Fidei; numeri series id significat: connexionem quoque habent cum Prædicationibus, quæ præsertim ex Libris Sacris hauriendæ sunt, perindè ac Doctrina Fidei: indicant solùm Textus, qui rationes hujus lectionis afferunt, aut qui legendos à non legendis Libris secernunt, aut tempus, quo illi in Officio legendi sint, præstituunt: docent Vetus Testamentum juxtà Hæbraïcam Linguam esse interpretandum, & Novum juxtà Græcam, & si in illis Libris nonnulla parùm intelligibilia occurrant, faciendum esse, quod legitur DIST. IX. Can. *Ego solus*, & *Can. Si ad Scriptur.* nempè mentem captivare ad obsequium Fidei sine metu erroris.

DE CONCIONIBUS.

REGULÆ XII. hujus *Quæstionis* reducuntur ad Personas, quæ jus habent concionandi; ad qualitates, quibus instructæ esse debent; ad Prælatum, qui jus illas mittendi habet; ad jura & officia Auditorum; ad modum, quo uti debent Prædicatores in suis Monitionibus. *Quatuor* priores Regulæ primum Caput respiciunt, & includuntur in *Prima*, quæ Prædicationem interdicit eis, qui non habent Ordinem ad eam requisitum; indè enim sequitur, Feminas, Laïcos, Religiosos, qui non sunt Clerici, ab illo munere excludi; *Exceptio* I. & II. includuntur in *Regulâ* suæ integritati restitutâ. *Excepr.* III. sumpta ex Inspiratione interiori, illusioni subjacet. *Excepr.* IV. ad rem non facit; nam Controversiæ circà ingressum in Religionem, non sunt Prædicationes.

Reg. VI. quinto loco poni debuisset; loquitur de qualitatibus Prædicatorum, ad quas pertinet Ordinatio, in *Quatuor* prioribus memorata.

Textus *Reg. V.* loquentis de nominatione Prædicatorum, respicit institutionem Curatorum, ad præsentationem Monachorum, Curatorum Primitivorum; proindè remotam habet affinitatem cum argumento.

Regulæ VII. VIII. IX. X. respiciunt jura & officia Auditorum. *Septima* dicit, ad Prædicationem admittendos esse omnes, qui audire cupiunt. *Tres* reliquæ docent, magnam attentionem esse afferendam; Evangelium erecto Corpore esse audiendum; exeundum non esse à Concione, priusquàm finita sit. Ultima hæc Regula videtur abrogata, exceptis casibus, in quibus exiri nequit sine turba vel scandalo.

Officia, quæ Prædicatores Auditoribus inculcare debent, sunt in *Reg.* XI. & XII. nempè solvendi decimas, & sibi mutuam opem ferendi.

DE ORATIONE, *seù* PRECIBUS.

REG. VII. jungenda erat *Primæ*: ambæ loquuntur de Oratione Dominicâ: hæc eam recitari jubet post Officium Nocturnum, & Vesperas. *Septima*, eam peccata leviora delere dicit, si emendatio concurrat.

REG. X. connectenda erat *Secundæ*: utraque Missam respicit: hæc de Præfatione ipsius; illæ de Secretâ loquitur. REG. VIII. *Quartæ* subjicienda erat, quippè, quæ ad modum orandi pertineat, perindè ac *Tertia*, quæ dicit corde & ore orandum esse: *Quarta* autem flexis genibus orandum esse dicit, exceptis Diebus Dominicis & Quinquagesimâ Paschali; fert enim Conjugatos ex mutuo consensu abstinere debere, ut vacent Orationi publicæ, quæ Diebus Festis fit, undè natus est antiquus usus Continentiæ in illis diebus.

REG. V. VI. respiciunt eos, pro quibus orandum est, aut non orandum.

REG. IX. indicat eos, cum quibus orare non licet, nempè Excommunicatos, & Clericos depositos. Hodie cum Excommunicato, nisi denuntiatus sit, orare possumus, & Clericus depositus à Precibus publicis non excluditur. *Regulam IX.* expositimus antè V. & VI. ideò quòd breviter id fieri poterat, aliæ longiorem enucleationem requirunt: Ferunt, orandum esse 1. pro Sæculari Potestate: proindè, pro Principe & Magistratibus. 2. Pro Defunctis; circà quod afferuntur sex Exceptiones, quæ ad unicam reducuntur; nempè, Peccatores publici, qui sine ullo pœnitentiæ signo defuncti sunt. Personæ nominatim exceptæ, sunt, 1. Rei supplicio addicti; usus autem pro illis orandi viget. 2. Ii, qui cœsi sunt in flagranti delicto. 3. Ii, qui se ipsos occiderunt, 4. Clerici, qui cœsi sunt, vel in Bello vel in jurgio, aut in Ludis Paganorum. 5. Excommunicati sine Absolutione mortui. 6. Infideles, si neque baptisati, neque mortui sint pro nomine CHRISTI: addendum est, neque baptisari optaverint. Quoad hoc ultimum personarum genus, cùm non sint ex Ecclesiæ Corpore, in quod per Fidem aut Baptismum intratur, constat, Ecclesiam pro eis orare non debere post eorum mortem; quoad cæteros; si pœnitentiæ signa antè mortem ediderint, Ecclesia patitur, pro eis etiam publicas fieri Preces; privatæ enim nequidem prohibentur, quoad eos, qui sensibiles pœnitentiæ notas non emiserunt, quoniam fortè eos interiùs pœnituit.

OBSERVATIONES *in* CAP. II. *de* OFFICIIS *&* MYSTERIIS *Sacris.*

Dividitur in VII. Quæstiones. *Sex* priores Officia Divina respiciunt, per quæ intelliguntur Horæ Canoniales. *Septima*, ad Missam pertinet. Illæ loquuntur de Personis, ad quas Officiorum Divinorum celebratio pertinet; de iis, quæ ad eam admitti debent; de loco, de tempore, de modo, quibus illa fieri debeat, & de eorum Consectariis. Supponitur, Ordines ad Officiorum Divinorum celebrationem esse necessarios REG. I. ideòque ab hac arcentur ii, qui à Promotione ad Ordines, & consequenter ab Ordinum exercitio, excluduntur; quæ enim uni obstant, alterum impediunt; nempè, Suspensio, Depositio, Concubinatus publicus, Lepra, Irregularitas ob crimen, vel ob defectum, Simonia, Hæresis: REG. II. III. IV. V. IX. inter Suspensos, quidam sibi tantùm, non aliis suspensi sunt. De illis loquitur *Reg.* quæ ad Officiorum celebrationem admittit Clericos, quorum mores pravi sunt. Inter Personas legitimè impeditas, quædam ad tempus duntaxat: tales sunt, *Reg.* VI. & VII. quæ de Corporis impuritate transitoriâ loquuntur. Quod dicitur *Reg.* XIII. de Monachis respectivè ad celebrationem Officiorum, est repetitio eorum, quæ dicta sunt, quoad Conciones. Exceptiones ostendunt, agi solùm de celebratione publicâ; nam agnoscunt, Monachos Ordinibus carentes, Officia inter se celebrare posse. Quod ibi dicitur & in *Reg.* I. de necessitate Ordinum, ad celebrationem Officiorum, respicit solùm munera aliquem Ordinem requirentia: hodie sufficit, ut celebrationi Præsidens sit Sacerdos.

Reg. XV. quæ fert, eos, qui Mysteria inchoaverunt, teneri ad ea perficienda, Missam respicit: itaque, rejicienda erat ad Quæstionem VII.

Reg. unica Quæst. II. quæ ab assistentiâ ad Officia solos Excommunicatos & Interdictos removet, ostendit discrimina inter assistentiam, & celebrationem, cùm plures alios *Reg.* I. *Quæstiones* à celebratione excludant.

In *Reg.* I. *Quæst.* III. Hospitalia inter Oratoria publica numerantur; nam, ab aliis propter Consuetudinem, excipiuntur. CLEMENTINA *de Religiosis Domibus*, hìc laudata, non loquitur de Consuetudine Officia in eis celebrandi, sed de eâ, quæ illorum curam, seu administrationem, Ministris Sacris attribuit.

Reg. II. & III. quæ dicunt, Officia Divina non esse celebranda in Locis pollutis aut interdictis, extenditur ad Oratoria privata, quæ benedicta sunt, perindè atque ad Oratoria publica, aut Ecclesias.

Reg.

Reg. III. & *IV. Quæst. IV.* quæ dicunt, eumdem ordinem esse ubique observandum quoad Officia, & in Ecclesiis Suffraganeorum, formam Officii Metropoleos esse usurpandam; non ubique obtinet: secùs est de *Reg. V.* quæ dicit, Ecclesiasticos Sæculares & Regulares, Commensales Cardinalium aut Episcoporum, eadem Officia recitare debere, quibus hi utuntur.

Reg. V. VI. VIII. pertinent ad *Quæst. VII.* quæ Missam respicit. Dicitur, canendum esse *Gloria in Excelsis*, Dic Jovis Hebdomadæ Sanctæ; dicendum esse *Sursùm Corda*, in Præfatione; novem esse Præfationes, quæ suo tempore usurpari debeant; Sacerdotem habere secum debere, dùm celebrat, alium Presbyterum, qui suum defectum suppleat: hæc novissima non est in praxi. Sunt præterea aliæ Præfationes in usu.

Reg. X. circà æqualitatem in cantu Psalmorum non observatur. *Canones* 13. & 14. DIST. XII. laudati ad id probandum, desumpti sunt è Conciliis Particularibus *Toletano* & *Braccarensi*, quæ Leges Universales condere non poterant, quæque, quoad hoc, ab aliis Ecclesiis adoptata non sunt.

Idem est de *Reg. IX.* quæ dicit, Clericis reservandum esse in Ecclesiâ locum distinctum, ab eo, quem Laici occupant.

Reg. I. Quæst. VI. respicit effectum Missæ quoad Defunctos; id patet ex *Can.* 23. *C.* 13. QUÆST. II. ibi laudato.

Canones laudati in *Reg. II.* dicentes, nihil exigendum neque accipiendum esse pro Divinis Officiis, loquuntur de administratione Sacramentorum, non verò de Officiis Divinis: Ii sunt *Can. 99. usque ad* 106.

Secunda Pars hujus Capitis dividitur in OCTO Quæstiones; earum Argumentum est. 1. Origo Missæ. 2. Personæ, quæ possunt illam celebrare. 3. Locus 4. Tempus, quo illa celebranda sit. 5. Quoties. 6. Modus. 7. Antecedentia. 8. Adjuncta. Pleræque Regulæ indicant solùm Textus Argumento suo respondentes. Multa hìc reperiuntur, quæ expositione indigent: sed priùs observandum est, hanc materiam rectiùs collocandam fuisse, ubi agitur de Eucharistiâ, cujus Missa est pars; nam Eucharistia est Sacrificium, & Sacramentum, & in omnibus Missis Sacramentum Sacrificio jungitur per Communionem; id autem, quod in Communione accipitur, est sequela Sacrificii. Autor Officiis Divinis Missam conjunxit: *Decretalium* Collectores imitatur, qui sub eodem Titulo Missam, atque Officia Divina, collocaverunt, ideò quòd illa horum sit pars præcipua; & præterea, sufficiens numerus Textuum illis non occurrebat, circà Eucharistiam quatinùs Sacrificium, ut Titulum specialem constituerent, sub quo collocarentur ii, qui ad Sacrificium pertinent.

Textus laudatus in *Quæst. I.* est 47. DIST. I. *de Consecratione*, Is non dicit, S. JACOBUM instituisse Missam; sed esse Autorem primæ Liturgiæ, id est ordinis Precum, Lectionum & Cæremoniarum, quæ in illa fiunt, & S. BASILIUM ejus exemplum secutum, aliam valdè celebrem in Ecclesiâ confecisse.

Cap. 11. *de Celebrat. Missar.* laudatum in *Quæst. II.* docet, offerri Sacrificium, ad ea persolvenda, quæ Deo debentur.

Reg. III. quæ est *Prima* Quæstionis II. respicit Missam solemnem, quæ reservabatur Episcopo.

Reg. IV. significat, extitisse Diaconos, qui contendebant, se Missam celebrare posse ex vigore sui Ordinis. Textus contrarium ostendit; quippè docet, Diaconum, qui delictum hoc patraverat, confessum esse, se munus sibi non competens usurpavisse: pœna autem, quâ punitus fuit, nempè Suspensio à Diaconatu ad 2. aut 3. annos, & exclusio perpetua à Sacerdotio; nec non consilium ingrediendi in Monasterium, quod illi datum fuit, ejus Sententiam confirmarunt.

Reg. V. post *Sextam* ponenda erat, quæ dicit, nullum celebrare Missam debere in peccato mortali; Prior enim hujus exemplum continet, nec non *Septima* & *Octava*, quæ loquuntur de Presbytero, qui se inebriavit, aut Simoniam commisit; *Quinta* autem loquitur de Concubinario, qui à celebrandâ Missâ abstinere debet. Simonia quoque ab illo munere excludebat, quia operabatur Irregularitatem tam ratione atrocitatis criminis, quàm ratione Censuræ, quæ ex tunc illi cohærebat.

Cap. 11. *de Accus.* laudatum in *Reg. VII.* non dicit, licere Presbytero nimiùm poto, etiam post mediam noctem, celebrare hoc die Missam, modò antè ipsam dormierit; sed vituperat solùm, quasi magni criminis reum, Sacerdotem, qui id fecerat: porrò, eum reprehendit, non solùm, quia Missam non jejunus dixerat; sed multò magis, quòd celebraverat post talem excessum: itaque Autor, qui Textum hunc laudat solùm, quoad violationem jejunii, eum non laudat, nisi quoad partem ipsius. Alius Textus laudatus *ibid.* nempè 49. DIST. I. *de Consecrat.* ab hoc jejunio excipit Diem Jovis in Cœnâ Domini, ad honorandum id, quod JESUS CHRISTUS in illo die fecit, Missam celebrando & communicando Apostolos post Cœnam.

Regulis VIII. circà locum, in quo Missa celebranda est, adjiciendæ sunt *Reg. III. Quæst. II.* quæ respicit locum, in quo Divina Officia celebranda sunt. Dicunt, hoc fieri debere in Locis benedictis, aut consecratis, quæ neque polluta, neque interdicta sint: ad hæc reducuntur ferè omnes OCTO *Regulæ*. Et quidem *Prima* earum dicit, Loca, in quibus Missa celebratur, consecrata aut benedicta esse debere. Ejus Exceptiones sumptæ à necessitate, vel ex privilegio Altaris portatilis, locum habent quoad Officia Divina; possunt enim celebrari, necessitate urgente, extrà Loca benedicta, & ubicumque Altaria portatilia possunt esse in usu. *Exceptio II.* in gratiam Episcoporum, qui super Altari portatili celebrare possunt, locum habet ergà plures Ordines Religiosos, qui idem privilegium impetrarunt. Privilegium hoc à Concilio Tridentino abolitum est.

Reg. XII. XIII. reducuntur ad prohibitionem celebrandi Missam in Locis pollutis, aut non benedictis; is enim, in quo Paganus sepultus fuit, pollutus est; & Sepulchra sunt Loca non benedicta.

Reg. X. quæ dicit, Missam in Monasteriis celebrandam non esse; falsa est, nisi restringatur ad Missas publicas & solemnes, quibus Plebs interesset; quod interiorem Monasteriorum pacem turbaret: hìc est sensus *Can.* 2. CAU. XVIII. QUÆST. II. *ibid.* laudati, junctâ notâ *Correctorum Romanorum*, qui observant, illud esse epitomen *Can.* 3. sequentis, & Missas publicas solùm prohibentis. Quod dicitur in *Regula*, Sacerdotem non debere celebrare ad idem Altare, super quo Episcopus eadem ipsâ die Missam celebravit, non observatur hodie.

Can. 52. DIST. I. de *Consecr.* laudatus in *Reg. XII.* non dicit, Missam celebrari debere, tam in Ecclesiâ Metropolitanâ, quàm in aliis Ecclesiis; sed, eam in Ecclesiis Provinciæ eodem modo celebrandam esse, atque in Ecclesiâ Metropolitanâ, quod multis in Locis exolevit.

Sensus *Cap.* 12. *de Celebr. Miss.* laudati in *Reg. XVI.* est, ex quo plures Missas celebrare eadem die prohibitum fuit, non licere Episcopo Missam dicere in aliâ Ecclesiâ, in quâ Sanctum Chrisma conficit, non obstante Consuetudine contrariâ, & quâcumque obligatione faciendi alias cærimonias in aliis Ecclesiis, antè Chrismatis confectionem. *Reg. XVII.* circà tempus, quo Missa celebranda sit, ferens, id fieri debere horâ Nonâ, non observatur hodie, neque quoad Missam publicam, neque quoad Missas privatas. Secùs est de *Reg. XVIII.* quæ pertinet ad numerum Missarum, quas eadem die celebrare licet; & dicit, sufficere, ut una dicatur, excepto die Natalis Domini,

& casu necessitatis: talis est hodie casus, in quo idem Curatus habet plures Parochias, aut plures Ecclesias ab invicem distantes; in quibus nemo alius præter ipsum Missam Dominicis & Festis diebus dicere possit, deficientibus Sacerdotibus, quibus hoc munus committi possit.

Reg. XIX. quæ respicit modum celebrandi Missam, & dicit, id in singulis Ecclesiis eodem modo fieri debere, quo in Ecclesiâ Metropolitanâ, non est in praxi: atque etiamsi observaretur, locum haberet solùm quoad Ecclesias Provinciæ. Eadem est ac *Reg.* XVI.

Item exolevit *Reg.* XX. quæ respicit antecedentia Celebrationem, nempè extrudendos esse ab Ecclesiâ Parochianos extraneos.

Quod legitur in *Reg.* XXI. licere Missam celebrare sine Pallio & Sandaliis, spectat eos, qui jus habent Pallii gerendi; & quidem *Cap.* 7. hîc laudatum loquitur de Archiepiscopis, & supponit, esse dies & functiones, in quibus illud non gerunt, cùm eo uti non possint, nisi diebus in Privilegio expressis, & extrà Officia tristitiæ; Itaque, collocari hoc non debuisset in Regulâ generali. Secùs est de *Regulis* XXII. ad XXVIII. XXXI. Earum Doctrina generalis est; scilicet 1. Verba Consecrationis Vini, addita verbis Evangelistarum, justè adjecta fuisse, *Novi & æterni Testamenti, Mysterium Fidei. Cap. 6. de Celebrat. Miss.* in quo INNOCENTIUS III. hoc probat. 2. In Feriis omitti *Gloria in Ecclesiis*, & *Credo*, etiamsi celebrando Missam *de Beatâ*, dicatur Præfatio ejus Festivitatibus peculiaris; & hoc, ut sit discrimen inter Festum & Commemorationem, *Cap.* 4. *de Celebr. Missar.*

3. Decem sunt Præfationes ad Missas destinatæ. 4. Orationes præscriptæ dicendæ sunt in Missâ. Hic est sensus generalis *Cap.* 1. *Extrav. Commun.* 5. Orandum est pro Defunctis in omnibus Missis; 6. Non sunt recitanda nomina, quæ Ecclesia generatim comprehendit, *Can.* 72. DIST. I. *de Consecr.* 7. non decet ut, relictâ Missâ diei, aliæ semper audiantur. 8. Nemo debet ascendere ad Altare cum baculo, & capite cooperto: sunt Ecclesiæ, in quibus hoc ultimum non servatur: permittitur etiam Sacerdotibus, qui sine baculo consistere nequeunt ad Altare, eo uti adminiculo; sed hæc venia solum habet solùm in Capellis interioribus. Quod dicitur, de non celebranda Missâ Capite cooperto, non ubique servatur quoad nonnullas Missæ partes. *Regulæ* XXIX. & XXX. respiciunt duntaxat Missas Parochiales, in quibus promulgandæ sunt Festivitates in hebdomada occurrentes, & fit Oblatio.

OBSERVATIONES *circà* CAP. III. *de Sacramentis in genere & speciatim* EUCHARISTIA, BAPTISMO, CONFIRMATIONE.

De Baptismo loqui debuisset, priusquàm de Confirmatione, quæ est ipsius perfectio, & priusquàm de *Eucharistiâ*: nam Baptismus est janua Sacramentorum *Cap.* 3. *de Presb. non bapt.* Extremam Unctionem post Pœnitentiam ponere debuisset, cujus illa est supplementum, & complementum. Chrisma confundit cum S. Oleo, quod est Materia Unctionis Extremæ, sicut Chrisma est pars Materiæ Confirmationis.

QUÆSTIO. I.

Quod dicit de Sacramentis in genere, valdè imperfectum est: ibi enim nec de numero illorum, nec de Materiâ, nec de Formâ, nec de intentione Ministri, nec de differentia effectuum ipsorum loquitur. Divisio, quam tradit, in Sacramenta *Necessitatis*, & Sacramenta *Dignitatis*, non est completa: nam Confirmatio, Extrema Unctio, Matrimonium, sub neutro membro continentur. Loquendo de prohibitione Sacramenta iterandi, illa notare debuisset, quæ iterari nequeunt; & causam hujus discriminis, sumptam ex Caractere indelebili per alia impresso, non verò per alia. Exceptio *Regulæ* VI. expositione indiget: nam verba hæc, *Jus administrandi*, sunt æquivoca, cùm possint accipi pro potestate Ordinis, quæ sufficit ad validitatem Sacramentorum, quæ Caracterem imprimunt; vel pro potestate Jurisdictionis, necessariâ ad conferendâ licitè omnia Sacramenta, ita tamen ut ejus defectus alia Sacramenta non irritet, nisi Pœnitentiam & Matrimonium. Itaque, Exceptio hæc falsa est, si per *Jus administrandi*, Autor intelligat potestatem Jurisdictionis, & contendat, hujus defectum annullare Sacramenta, quæ non iterantur propter rationem suprà observatam.

Exceptio I. *Reg.* VII. falsa est cum suis duabus Replicationibus, in eo quòd significant, Simoniacos, atque Hæreticos non habere potestatem conferendi Sacramenta, nisi agatur de Pœnitentiâ in casu necessitatis; aut de Baptismo in quolibet casu: habent enim potestatem conferendi validè omnia Sacramenta, quæ validè conferri possunt sine Jurisdictione.

Exceptio III. *ibid.* restringi debet ad alium quemvis effectum, quàm Caracterem, qui Personæ indignæ, à Persona pariter indignâ, imprimitur.

Differendo de Eucharistiâ, exponere debuisset, in quo illa essentialiter ab aliis Sacramentis differat; nempè, quòd alia sunt tantùm Sacramenta in Collatione, & Receptione, cùm non sint signa sensibilia rei invisibilis, quàm operantur, nisi tùm, cùm administrantur; & proindè, Sacramenta solùm transitoria sunt, quæ desinunt representare id, quod operantur, statim atque recepta sunt, & non subsistunt, nisi ratione sui effectûs: Eucharistia autem est Sacramentum permanens, continens id, quod repræsentat, quamdiù subsistunt Species; & proindè, Sacramentum est, priusquàm recipiatur, & subsistit, quatenùs Sacramentum, postquàm recepta est; donec Species consumptæ sint. Hic sensus est *Regulæ* VI. quæ dicit, partes hujus Sacramenti esse visibiles & invisibiles, antequàm recipiatur. Visibiles, quoad Species; invisibiles, quoad res, quas tegunt, continentque.

Can. 87. DIST. II. *de Consecr.* laudatus in *Quinta*, quæ dicit: CHRISTUS ipse comedens comeditur; Conviva & Convivium: verus non videtur quoad litteram, nisi posito quòd CHRISTUS cum Apostolis suis communicaverit, quo in casu fuit Comedens & Comestus, Conviva & Convivium.

QUÆSTIO II.

Canon 29. *ibid.* laudatus in *Regula* I. non dicit id, quod dicere fingitur ab Autore: nam solùm prohibet Eucharistiam ægrotis ferendam à Laïcis, aut mulieribus procurare; &, juxtà Autorem, prohibet facere, ut alius Sacerdos offerat: quod à nullo Canone interdicitur.

Priusquàm ad alias Regulas transeamus, observandum est, Autorem in hujus, ac sequentium Quæstionum Inscriptione, nec non in earum Corpore, confundere Sacrificium & Sacramentum, loquendo de Sacrificio sub nomine Sacramenti; nam ubique utitur his verbis, *Offerre Sacramentum*, & *illud accipere*; horum loco, *offerre Sacrificium*, & *accipere Sacramentum*. Porrò, hac mixtione cogitur applicare Sacramento id, quod soli Sacrificio convenit, applicare Sacrificio id, quod Sacramento peculiare est; idcircò gnari necessitatis discernendi res adeò graves, credimus, nihil nos utiliùs facere posse, quàm incumbere observationi Regularum, in quibus occurrit hæc confusio, vel quibus illa imputari potest, juxtà pravum sensum, quem personæ rudiores, aut parùm attentæ iis dare possent.

Obser-

Observare etiam opus est, Autorem potuisse usurpare verbum *Offerre*, pro *Administrare*; sed, si res ita se haberet, cur exigit *Reg.* X. eum, qui offert, jejunum esse; quandòquidem pransi Communionem dare possunt, & ea sæpiùs datur ægrotis, non solùm post Prandium, sed etiam post Cœnam? Cur tot collegisset *Quæst.* III. Textus, qui loquuntur de Oblatione Deo factâ? Regulæ loquentes de Consecratione Eucharistiæ, de Elevatione Hostiæ, de Cessatione Missæ die Parasceves; nonnè hanc Oblationem respiciunt?

Primum exemplorum promissorum occurrit in *Reg.* 1. hujus *Quæst.* antè Observationem hanc expositâ; nam Autor videtur applicavisse Sacrificio Canonem, qui loquitur de Sacramento.

Aliud extat in *Reg.* XI. quæ malum Ministrum respicit, qui semper validè offert, non obstante pravitate suâ: pravus autem, qui accipit Eucharistiam, eam semper accipit sine fructu, quem in bonis operatur.

Quoad *Reg.* XII. ea aliundè peccat; nam dicendo, Hæreticos non debere accipere Sacramentum, sub Titulo, *Quis offerre & accipere Sacramentum debeat*, insinuatur, Hæreticos debere offerre Sacrificium.

QUÆSTIO III.

Regula XII. quæ est *Prima* hujus *Quæst.* nimiùm generalis est; fert enim, omnes, generaliter loquendo, offerre, & accipere debere: quod falsum est ergà eos, qui non sunt Sacerdotes, aut non sunt baptizati. Inter *Novem* Exceptiones, quædam non habent locum in iis, qui offerunt; nempè, ut non sint Comœdi; ut abstinuerint ab usu Matrimonii die præcedente; ut non habeant impuritatem corporis, cui sexus est obnoxius. Si, per *Interdictum*, intelligatur suspensio, cui Laici non subjacent; pars Exceptionis I. quæ loquitur de *Interdictis*, Communicantium vulgo non convenit, sed peculiaris est Sacerdotibus, qui à Celebratione Missæ suspensi esse possunt.

QUÆST. IV. *Quid, & Quantum offerendum, & sumendum.*

Novem REGULÆ hujus *Quæstionis*, quamvis extensæ ad Communionem, non convenirent ei, qui offert, qui tenetur offerre panem & vinum aquâ mixtum; nihil aliud offerre; non offerre panem fermentatum; non offerre uvas, sivè separatas, sivè mixtas cum vino; non offerre lac pro vino, nec panem vino madidum; non offerre panem sine vino & aquâ; offerre unicam Hostiam pro se, pro cæteris autem totidem, quot Plebi necessariæ sunt. Hæ Regulæ incipiunt à *Reg.* XIV. & clauduntur per XXI.

QUÆST. V. *Expositio* EUCHARISTIÆ *& verborum ejus.*

Regula XXII. & REG. XXV. & XXVI. sibi mutuam lucem afferunt, & docent, Corpus JESU CHRISTI non comedi carnaliter, prout est in seipso, sed spiritualiter, prout est sub Speciebus, quæ eum non continent sub propriâ formâ. Alia est manducatio spiritualis; ea nempè, quæ fit per fidem junctam desiderio communicandi. Vide Textus ab Autore laudatos, DIST. II. *de Consecr.* ubi plures alii reperiuntur, qui res easdem docent.

Reg. XXIII. exponit XXIV. quod enim dicit, de vino aquâ diluto, illud transubstantiari in Sanguinem JESU CHRISTI, docet, panem transubstantiari in Corpus ejus. Itaque, post Consecrationem, Substantia panis non offertur; sed ejus Species, ut dicitur in REG. XXIV.

QUÆST. VI. *Modus offerendi, & accipiendi* EUCHARISTIAM; *Antecedentia, & Adjuncta.*

Hîc Sermo fit de de Dispositionibus ad offerendum & accipiendum Eucharistiam; quarum aliæ peculiares sunt Communioni; putà continentia conjugalis, quæ Conjugatis non Sacerdotibus convenit: aliæ, Sacramento & Sacrificio communes sunt: nempè, probatio congrua, remissio contumeliarum, puritas Corporis & Cordis.

Quædam Regulæ aliud respiciunt, quàm has dispositiones: nempè, Adorationem Hostiæ in ejus Elevatione, quod pertinet ad Oblationem Eucharistiæ Deo, non verò ad Administrationem ipsius Communicantibus; item qualitatem Vasorum, in quibus Eucharistiam offerre oportet; Venerationem, quæ illi debetur, cum ad ægros defertur.

QUÆST. VII. *Quandò, & quotiès offerendum, & sumendum sit.*

Reg. XXXVI. & XLI. dicunt, Ter in unoquoque anno communicandum esse, in Paschate, Pentecoste, & in Natali Domini. *Reg.* XXXVIII. XXXIX. XL. approbant Communionem Die Cœnæ Domini, Diebus Dominicis, & Quotidianam. *Reg.* XLII. Sacerdoti præcipit, ut communicet totiès, quotiès Missam celebrat. *Reg.* XXXVII. vetat, Missam dici duabus diebus Paschа præcedentibus. Hæ duæ Regulæ ostendunt, Autorem loqui de Oblatione Eucharistiæ, quæ fit Deo, & non simpliciter de præsentatione, quæ fit Communicantibus. Quod dicit de Missa non celebrandâ Sabbato Sancto, non est in usu.

QUÆST. VIII. *Consectaria Eucharistiæ.*

Hîc loquitur 1. de reliquiis Specierum consecratarum, quæ consumendæ sunt à Ministris, qui aliquamdiù à cibo abstinere debent post consumptionem, ne sacra misceatur esca, cum alimentis profanis, REGULIS XLIII. & XLVI. Legendum est, in hac *Jejunio* pro jurejurando, DIST. XXIII. *de Consecr. Can.* 1.

2. De Oratione, quæ sequitur Oblationem, & de pace, quæ danda est post hanc. *Reg.* XLIV. XLV. ostendunt, Autorem loqui de Oblatione Deo factâ. 3. De pœnâ ejus, qui Sanguinem effundit, & illius, qui Eucharistiam præ ebrietate evomit, *Reg.* XLVII. XLVIII. & de pœnâ eorum, qui non communicant *Reg.* LXI. 4. de ejus effectibus, qui sunt, operari remissionem peccatorum in iis, qui aliquot omiserunt in Confessione, aut confiteri non potuerunt, animam Deo conglutinare; non verò CHRISTUM in Corpus convertere, quâ in re discrepat ab aliis cibis, quæ convertuntur in substantiam Corporis; benedicere Deo; evehere in Cœlum *Reg.* XLIX. LIII. LIV. LV.

5. De ejus prærogativis; esse Commemorationem Passionis Dominicæ & non iterationem ipsius; significare Immolationem Corporis & Sanguinis CHRISTI, & sub singulis partium suarum, CHRISTUM totum continere, *Reg.* L. LI. LII.

En omnes Regulæ hujus Quæstionis, quæ ordinem hunc accipere debuissent.

DE BAPTISMO.

Tertia & postrema *Pars* hujus *Capitis* respicit Baptismum; cujus Argumentum dividitur in *Quæstiones* IX. videlicet 1. Baptismus in genere, Substantia, necessitas, atque effectus ejus. 2. Ii, quibus ille administrandus est; 3. Quis eum conferre debeat; 4. Ubi. 5. Quandò. 6. Antecedentia. 7. Modus conferendi & Adjuncta. 8. Consectaria. 9. Figura, quæ magis ad illum accessit. Ordo & consilium hoc bona sunt: secùs est interdùm de executione.

QUÆSTIO I.

Exordiri debuisset à Regulis, quæ substantiam Baptismi respiciunt; nempè *Decima & Undecima*, quæ dicunt, Baptismum tribus rebus componi, aquâ, verbo, & spiritu: prior est materia: altera, est forma; Tertia, causa præcipua, quæ eum efficacem facit; tùm pergere ad dispositiones, quibuscum accipiendus est, quarum præcipua, est voluntas eum accipiendi: nam sine hâc nullus est; aliæ necessariæ non sunt, nisi quoad effectus, qui eas sequi debebant, velut earum fœtus ipsis proportionati. Harum dispositionum nobilior est pœnitentia, sine quâ nulla est peccati remissio; & cùm Fides, Spes, & Charitas in pœnitentiâ contineantur; illæ etiam sunt ex earum dispositionum numero. Effectus, quorum mentionem facit Autor, sunt 1. Remittere Peccatum Originale, & Peccata Actualia REGULA II. 2. Baptisatum in virum cœlestem mutare *Reg. III.* 3. cum CHRISTO incorporare *Reg. IV.* 4. Ei conferre gratiam majorem, aut minorem, pro variis Recipientium dispositionibus *Reg. V.* Quod dicitur deinceps gratiam hanc crescere aut decrescere, non pertinet ad Baptismum; 5. Minuere Diaboli potestatem ergà Baptisatum *Reg. VI.* 6. Concupiscentiam debilitare *Reg. VII.* Autor omisit *Characterem*, qui est etiam effectus Baptismi. Quod legitur in *Octava*, Baptismum non accipere magis nec minus, restringi debet per hanc Clausulam, *ex Parte Ministri*, quæ sumitur ex *Can.* 47. DIST. IV. *de Consecr.* ubi S. AUGUSTINUS dicit, dignitatem, excellentiam, zelum, & eminentiam scientiæ, prudentiæ, aliarumque virtutum Ministri, non augere effectum Baptismi. *Reg. IX.* loquitur de necessitate Baptismi, & quatuor Casus excipit: *Primus* est, cùm Fides supplevit Baptismo, qui accipi non potuit; votum hujus adjiciendum erat Fidei. *Secundus*, quo Deus interiùs baptisat, quod hominibus valdè ignotum est: *Tertius & Quartus* sunt Casus Martyrii & voti, seu desiderii Baptismatis, quandò hoc recipi non potest. Hic postremus casus, idem est, ac primus. Textus laudati *ibid.* eumdem Autorem habent S. AUGUSTINUM in Libris *de Baptismo*, nempè *Can.* 34. & 149. DIST. IV. *de Consecr.*

Ex *Exceptionibus IX.* quæ leguntur in *Regula II.* & quæ primum effectum Baptismi respiciunt, plures ad rem non faciunt, scilicet, *Prima*, sumpta ex Baptismo *Joannis*: hîc enim agitur de Baptismo CHRISTI. *Quarta* sumpta ex infidelitate, aliove peccato posteriori. *Septima* sumpta ex eo, quòd Baptismus datus sit extrà Ecclesiam, falsa est: aliæ trahuntur ex defectu dispositionum requisitarum, quas hujus *Quæst.* principio observavimus. Quod dicitur in *Regula I.* pertinet ad necessitatem Baptismi, de quâ consulò agitur in *Reg. IX. Reg. XII.* circà punitionem Sacerdotis, qui Baptismum denegat, pertinet ad *Quæst. VIII.* quæ loquitur de pœnis delictorum ratione Baptismi commissorum.

REG. XIII. pertinet ad QUÆST. VII. nam vasculum, quo aqua super Baptisandum effunditur, pertinet ad formam baptisandi.

QUÆSTIO II.

Quinque hujus *Quæst.* REGULÆ circà eos, qui baptisandi sunt, indicant solùm Textus, qui de Argumento singulorum loquuntur; omnes esse baptisandos tam Infantes, quàm Adultos, sive sanos, sive ægros; & quid faciendum sit ergà furiosos, eos qui dormiunt, aut baptisari nolunt, & ergà malos.

Quod dictum fuit suprà, respicit Adultos, ergà quos, sicut ergà Infantes, nullum est à multis Sæculis tempus determinatum: fatui, si tales sint à nativitate, aut ab infantiâ, ejusdem sunt conditionis, ac pueri: si tales sint ex casu infantiæ posteriori, & se Baptismum cupere anteà significaverint, baptisari possunt durante hac ægritudine. Idem est de iis, qui dormiunt, qui validè baptisantur, si antè somnum id optaverint. Qui coacti aut inviti baptisantur, nequidem Characterem accipiunt; sed si Baptismum accipiant ob metum, validus est Baptismus, sed fructu caret, ob perversam intentionem Baptisatorum.

QUÆSTIO III. IV. V. VI.

Jus baptisandi solemniter ad solos Episcopum, Presbyterum, & Diaconum pertinet; verùm hic non potest nec debet id facere, nisi deficiente Presbytero Curato. Sacerdos olim non potuit, Episcopo præsente, nisi ex hujus consensu. Hæretici, & alii quilibet Peccatores, non baptisant licitè; sed eorum Baptismus validus est, modò factus fuerit juxtà formam ad validitatem requisitam.

Quod dicitur in QUÆST. IV. V. VI. circà locum, tempus, & solemnitates, non respicit validitatem. Iis Ministri se conformare debent, quamdiù vigent Ecclesiæ Leges, quæ ea præcipiunt; tales sunt 1. non baptisare solemniter in domibus privatis, nec in Monasteriis, sed tantùm in Paræcia Baptisandorum. 2. Rogantes, ejus Paræciæ censentur, in quâ Baptismum poscunt. Secùs est de Regulis, quæ respiciunt tempus, & de iis, quæ Baptismi antecedentia præstituunt; exceptis doctrinâ, & probatione arbitrariâ, quoad qualitatem & durationem temporis. Pœnitentia ad Baptismum requisita, est Pœnitentiæ virtus, & non Pœnitentiæ Sacramentum, quæ Baptisatis est peculiaris. Illæ Regulæ exoleverunt.

Regulæ XL. & XLI. pertinent ad *Quæst. 6.* certo enim tempore antè Baptismum is, qui Baptismum petebat, dare suum nomen debebat; etiam, antè Baptismum aquâ benedicitur. *Reg. LIV.* quæ indicat Textus, qui exponunt Exorcismos & Exsufflationes, subjicienda erat XLII. quæ loquitur de Exorcismis. *Reg. XLV.* sola est in *Quæst. VII.* propositâ, quæ loquatur de re Baptismo substantiali; nempè, de Invocatione Sanctæ Trinitatis. Aliæ Regulæ respiciunt cerimonias merè accidentales; nempè Patrinos, sponsionem Baptisati, Exorcismos, renuntiationem Dæmoni &c. Orationes quæ super eum funduntur; cerimonias Salis benedicti, Salivæ Unctionis.

Quod *Reg. LII.* dicit de Unctione super frontem, respicit Confirmationem, saltem ex multis sæculis. Idem est de *Reg. LVII.* quæ est in *Quæst. VIII.* sub quâ aliæ non occurrunt Regulæ attentione dignæ; nisi LX. & LXI. quæ Baptismi iterationem spectant.

LX. quæ dicit, Baptismum non esse iterandum, (quod de Baptismo valido ac certo intelligendum est) XV. Exceptiones continet, quarum multæ aut ex verâ aut ex specioså nullitate Baptismi desumptæ sunt. Inter eas Exceptiones, *Sex* ab Autore rejiciuntur, & *Duæ* præterea reprobari debuissent. Sumuntur ex eo, quòd, vel omissa fuit trina immersio, vel adhibita aqua non consecrata. Exceptiones legitimæ, sunt, sibi ipsi Baptismum contulisse, omisisse id, quod substantiale est, vel partem ejus. v. gr. Invocationem Sanctæ Trinitatis, vel hæc verba, *Ego te baptiso*, quæ ab ALEXANDRO III. definita sunt, esse necessaria ad validitatem Baptismi, dubitare rationabiliter de existentiâ aut validitate Baptismi: his in casibus Baptismus non iteratur, vel quia nullus fuit Baptismus, vel quia justa est suspicio nullitatis; & tunc securior pars est amplectenda. Aliæ Exceptiones desumptæ sunt ex spuriis nullitatibus suprà observatis.

Reg. LXI. indicat Textum, qui loquitur de pœna iterationis damnatæ in LX. Nulla est, quæ damnationis hujus rationem afferat, desumptam ex Caractere per Baptismum producto. Circà has Regulas immorari coacti fuimus, ob defectum ordinis inter Exceptiones *Reg. LX.* ejusque vitia.

PARS IV. & V. CAP. V. *De* CONFIRMATIONE *& Sancto* CHRISMATE.

Quod dicitur de *Confirmatione*, non sufficit ad erudiendum circà hoc Sacramentum: Nihil enim traditur

ditur hîc de ipsius Materia principali, quæ est manuum impositio: nec de ejus Formâ; *Ego signo te Chrismate Salutis in nomine Patris &c.* nec de ejus Effectibus, qui sunt, incrementum gratiæ sanctificantis; jus ad auxilia necessaria, ut perfecti Officia Christiani impleantur; & impressio Caracteris, propter quem iterari non potest; nec de ejus Fine, qui est corroborare in periculis amittendæ Fidei: nec de ejus necessitate, seu obligatione illam accipiendi; & nihilòminùs omnia hæc probantur per Canones Corpori Juris insertos, ut patebit in nostris REGULIS circà hoc Sacramentum. Hac omissione Autor defuit consilio suo hujusmodi Canones methodicè exponendi.

Cùm Unctio sit finis generalis Sancti Chrismatis, Olei Infirmorum & Olei Cathecumenorum; Autor tria hæc, sub verbo *Unctionis Sacræ* complectitur: magna tamen intercedunt discrimina. Extat enim Balsamum in Chrismate, & hoc non adhibetur solum, nisi in Confirmatione, Consecratione Episcopi, Calicis, & Patenæ: Cætera sunt meri Olei species, ad varios usus destinatæ; nam Oleum Infirmorum, ad solum Extremæ Unctionis Sacramentum destinatur, quamvis adhibeatur in Benedictione Campanarum. Quoad Oleum Cathecumenorum, quamvis illud benedicatur ad Baptismum, usurpatur, non solùm in Baptismo, perindè ac Chrisma: sed etiam cum Chrismate adhibetur, ad Benedictionem Fontium Baptismalium, in Consecratione Ecclesiæ & Altaris. Vid. BELLOTIUM *in Ritus Ecclesiæ Laudunensis* p. 798. *n.* 98. Itaque id, de quo loquitur VIGELIUS, usurpatur in *Quatuor* Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, Ordinatione, Extremâ Unctione, & in pluribus Benedictionibus & Consecrationibus; quod tamen hic dicit, solum Extremæ Unctionis Sacramentum respicit. *Reg. III. IV. V. VI.* quæ dicunt, Sacerdotis esse, ut illam conferat; Episcopum quoque eam dare posse; aut, quæ indicant Textus docentes, quibus illa conferenda sit, quandò, & quomodò; 2. Ordinationem in Consecratione Episcopi, 3. Consecrationem Altaris, & Benedictionem Fontium *Reg. VIII. & X.*

REG. I. tribuit *Chrismati* nomen *Sacramenti*, quod propriè non convenit nisi signis sensibilibus, quæ gratiam conferunt, itaque benignè accipienda est denominatio, & intelligendum *Sacramenti*, verbum, prout signum sensibile rei sacræ denotat.

REG. IX. quæ dicit, Presbyteros Sanctum Chrisma ab Episcopo petere debere, sub hoc verbo complectitur Oleum Infirmorum & Cathecumenorum, necessarium ad Baptismum & Extremam Unctionem. *Tres* tantùm sunt in Corpore Juris *Textus*, qui de Extremâ Unctione loquuntur. *Can.* 3. DIST. XCV. *Cap. unic. de Sacr. unit. c.* 14. *de verb. signif.* sed quod in eis legitur, sufficit ad discendum, quod scitu dignum est; nempè ejus Materiam, Formam, Effectum, Ministrum, necessitatem, dispositiones, quas requirit, ut docuimus in Regulis circà hoc Sacramentum, ubi etiam referuntur, quæ de illo dicta sunt à *Concilio Tridentino* SESS. XIV.

Cernitur in PONTIFICALI ROM. *Part.* 3. *Cap.* 4. Officium Benedictionis & Confectionis Sanctorum Oleorum, *p.* 487. *Editionis Paris.* An. MDCLXXXIII.

OBSERVATIONES *in* CAP. IV. *de* CONSECRATIONIBUS *&* BENEDICTIONIBUS.

Hîc multas res valdè invicem discrepantes Autor confundit. 1. Benedictionem, cum Consecratione; quæ differunt in eo, quòd hæc non fiat sine Unctione, quæ non requiritur in Benedictione: indè est quòd de Ornamentis Ecclesiæ, & Vestibus Ministrorum Sacrorum, non dicitur, illa consecrari; sed tantummodò benedici. Idem est de Ecclesiis, quarum aliæ benedictæ, aliæ consecratæ sunt. Item Oratoria vulgò duntaxat benedicta sunt, sivè publica, sivè privata sint: perindè est de Capellis Domesticis, quæ numquàm sunt consecratæ, sed simpliciter benedictæ: idem obtinet circà Aquam, Sal, Panem, Abbates, Abbatissas, Cruces, Imagines, &c. Consecrationem Sacramentalem, qualis est Consecratio Episcoporum, & Eucharistiæ, confundit, cum Consecratione, simplici cerimonia Ecclesiastica, quæ adhibetur ergà Ecclesias, Altaria, Calices, Patenas, Reges, Reginas, &c.

Ecclesiarum Consecrationem confundit, cum ipsarum Reconciliatione, quæ semper sine Unctione fit. Unctio autem semper adhibetur in Consecratione Ecclesiarum; Reconciliatio fieri potest per simplices Presbyteros; Consecratio autem ad solos Episcopos pertinet. Reconciliantur Ecclesiæ benedictæ, perindè ac consecratæ: Reconciliantur Cæmeteria, quæ numquàm consecratæ fuêre, eodem modò, quo Ecclesiæ consecratæ.

Hæc omnia distincta sunt in nostris REGULIS *circà Ecclesias*, in quibus prolixè disseritur, de earum Consecratione Pollutione, Reconciliatione, &, præ cæteris rebus, ostensum fuit, Pollutionem non destruere Consecrationem, quæ non perit nisi per ruinam, aut totalem, aut majoris partis, & Reconsecrationem valdè à Reconciliatione discrepare.

His Observationibus præmissis, ab enumeratione abstinere possemus; verùm pauca delibabimus ex singulis *Regulis*; quæ gravibus peccatis turgent.

REG. II. Magnam habet affinitatem cum *Reg. LX. de Baptismo.* Quod in hanc dictum fuit, ad illius expositionem inservit; ideòque ad eam remittemus. In utraque agitur de iteratione rei, quæ, ubi ritè facta, iterari non potest, & quæ, si nulla sit, ob defectum alicujus rei ad ipsius validitatem requisitæ, refici potest, & tunc non iteratur realiter; quod enim irritum est, pro infecto haberi debet. Idem est de casu, in quo sufficientes probationes non extant, cerimoniam factam fuisse, vel legitima est suspicio, eam malè factam fuisse.

Affinitas hæc patrocinatur remissioni, quam fecimus, ad aliam *Regulam*; sed cùm illa non sit totalis, atque esse nequeat, ideò quòd Baptismus sit Institutionis Divinæ, & Consecratio Ecclesiarum, Altarium, Calicum, Patenarum, sit Institutionis Ecclesiasticæ; observandum est, hinc confici, quòd Ecclesia jubere potest, ut hæc, etsi ritè facta, quibusdam in casibus iteraretur (tales sunt omnes casus Pollutionis, quibus illa medetur, per Reconciliationem) jubere enim posset, ut res consecratæ sic suam Consecrationem amitterent; quod facere nequit ergà Baptismum, qui, ratione Caracteris indelebilis, quem imprimit, numquàm, si ritè acceptus fuerit, iterari potest, quocumque in casu.

Observandum est etiam, Ecclesiam, nedùm jussisse, ut Loca consecrata suam Consecrationem in Casibus Pollutionis amitterent, illaque revocaretur, sed id prohibuisse perspicuè, illos distinguendo à Casibus destructionis & reædificationis.

Principio hujus *Regulæ* occurrit exemplum confusionis observatæ ergà Consecrationem & Benedictionem: nam rebus consecrandis annumerat Vasa & Ornamenta, quæ solummodò benedicuntur.

Quod dicitur in hâc Regulâ & in Reg. IV. Altaria suam Consecrationem amittere, per fractionem in loco, ubi sunt Reliquiæ, & cùm hæ è suo loco eruuntur; verum est quoad eos, qui sentiunt illa validè non consecrari sine Reliquiis: secùs quoad alios. Vide SANBOVIUM, *Resolut. Tom. I. Cas.* 258.

Conjungere debuisset quidquid in Regulis suis nempè *Reg. II. & V.* dicit, circà Pollutionem: nempè 1. Eam nasci ex violentâ Sanguinis Humani effusione: 2. Ex Criminibus Impuritatis. 3. Ex Sepultura Infidelium, Hæreticorum, & Excommunicatorum in Locis Sacris; hi denunciati esse debent. 4. Loca polluta reconciliari, per aspersionem Aquæ solemniter benedictæ, cum vino & cinere, *Cap.* 4. *&* 5. *de Consecr. Eccles.* Hac in Regula Reconciliatio cum Consecratione confunditur, in quâ præterea adhibentur Thus, Chrisma, Oleum Cathecumenorum PONTIF. ROMAN. *de Eccles. Consecr. pag.* 258. Idem fit

in REG. XIII. quæ dicit, Oleum non benedictum, per mixtionem cum benedicto, fieri benedictum: quod ad Vinum consecratum extendi nequit.

REG. XIV. quæ dicit generatim, Consecrationem fieri in Loco sacro; vera esse nequit de omni Consecratione; quia supponit Ecclesiæ Consecrationem.

Reg. XV. & XVII. restringi debent ad Consecrationem Chrismatis & Sanctorum Oleorum, quæ, propriè loquendo, est simplex Benedictio, & sola, quæ annua sit

Reg. XVI. & XVIII. restringi debent ad Consecrationem Ecclesiæ, quæ fieri potest Diebus Feriatis, sicut in Dominicis, & cujus Solemnitas Octo dies durat. Consecratio Episcopi fit solùm Die Dominico.

Reg. XVII. convenit Consecrationi Ecclesiæ, & Consecrationi Episcoporum, quæ fieri debent à Jejuno: idem est de aliâ qualibet, quam comitatur, aut sequitur, Sacrificium: talis est Consecratio Altarium sivè fixorum, sivè portatilium. Idem est de Benedictione Abbatum & Abbatissarum. Hoc Ecclesiarum Consecrationi, quoad jejunium, peculiare est, quòd is, qui eam facturus est, & ii, qui eam poscunt, die præcedenti jejunare teneantur; PONTIF. ROM. *de Consecr. Eccles.*

Reg. XIX. Soli Ecclesiarum Consecrationi convenit; in eo quòd dicit, adhiberi in Consecratione non solùm Preces, sed etiam Sal. Textus laudatus in *Reg.* XX. respicit solùm Consecrationem Ecclesiarum, de quâ dicit, eam sine Missâ fieri non debere, sed hoc non est peculiare huic Consecrationi, sed etiam convenit Consecrationi Episcoporum, & Altarium, atque etiam Benedictioni Abbatum, & Abbatissarum.

Reg. XXI. quæ dicit, licentiam Pontificis, ad Ecclesiarum Consecrationem, requiri; generaliter falsa est, & ab usu aliena. XXII. solam respicit Eucharistiam, in quâ, post Consecrationem solæ remanent Species panis & vini: aliæ Consecrationes nullam neque in rebus, neque in personis, mutationem substantialem operantur.

XXIII. pertinet ad omne Consecrationis genus: omnes enim gratuitæ esse debent, sicut administratio Sacramentorum, & celebratio Missæ. Quod dicit XXIV. eum, qui Ecclesiæ Consecrationem procurat, ad eam dotandam teneri; ad Benedictionem Capellarum, sive privatarum, sive publicarum, extenditur.

Autor, non animadvertens, inter res, de quibus locutus est, agendo de Consecratione, multas esse, quæ solùm benedicantur, ut cernitur in *Pontificali* & *Ritualibus*; novissimas Regulas insumit in expositione Benedictionis; & declarat, se id facere propter ejus affinitatem cum Consecratione: *Reg.* XXV. in quâ dicit, Abbatissas non benedici: quod falsum, sicuti quod addit, Abbates non benedici, nisi Privilegiati sint; nam, Benedictio Abbatum & benedicendæ Abbatissæ, de jure Communi est, & PONTIF. ROM. præscribit formam. Omissa fuit negatio in *Reg.* XXVII. quæ dicit, Inferiorem posse Superiorem benedicere: verò simile non est, Autorem contradixisse S. PAULO: præterea illa est in *Can.* 6. DIST. XXI. quem laudat. Quod dicit in XXIX. Benedictionem fieri debere à jejuno, & horâ tertiâ; non nisi ei convenit, quam præcedit, aut comitatur, aut sequitur, Missa: quales sunt, Benedictiones Abbatum, aut Abbatissarum, & Panis benedicendi, qui affertur in Missâ; aliæ fiunt quâlibet horâ, & post prandium.

OBSERVATIONES *in* CAP. V. *de* POENITENTIA.

Principiò colligendum erat quidquid Pœnitentiam generatim respicit, & convenit Pœnitentiæ, quatenùs Virtuti, & Pœnitentiæ, quatenùs Sacramento: utrique commune est hoc, ut sit dolor sincerus ob peccatum commissum, & voluntas ultrà non committendi, ac satisfaciendi pro commisso. Sub titulo *de Pœnitentiâ in genere*, colligere opus erat omnes Canones, qui Pœnitentiæ statum respiciunt, sub Lege Naturæ, & sub Lege Mosaicâ; atque identidem observare id, quod ad Pœnitentiam virtutem, pertinet, ad Sacramenti Dignitatem evectum fuisse per Legem Novam, quæ huic virtuti, tunc ad remissionem peccatorum sufficienti, adjecit obligationem Confessionis, & parendi Judicio ejus, qui illam excipit, sivè quoad Confessionem, sive quoad Absolutionem.

Antè Institutionem Sacramenti, nulla erat obligatio confitendi apud Sacerdotem peccata sua, tam interiora, quàm exteriora: remissio à nullius Sacerdotis Judicio pendebat; quotus quisque peccator sibi Pœnitentias imponere debebat, sivè congruas satisfactiones, sivè ad non recidendum, sivè ad expiandum peccata commissa. Obligatio, proportionandi Pœnitentiam peccato sivè interiùs, sivè exteriùs omni tempore viguit. Idem est de obligatione reparandi scandali, quod peccati publicitas peperit: hujus gnarus DAVID, publicam Pœnitentiam egit, ob peccata sua publica: *Ninivitæ* idem egerunt. Nova Lex hac in re non differt ab aliis, nisi quoad modum & Electionem formæ, quâ fieri debeat; in eâ præstituitur, & dirigitur juxtà qualitatem peccatorum, ita, ut liberum non fuerit eligere pœnas sibi imponendas, eorumve durationem determinare; priùs autem peccatori licebat eligere media, quæ apta duxerat, ad expiationem suorum Criminum, illorumque usum ac durationem definire, modò usque ad mortem produceret ob Dei offensam; atque attentionem ad vitandum sedulò omnes occasiones relapsûs.

Expositis iis, quæ ad Pœnitentiam in genere spectant, nec non Communibus proprietatibus Pœnitentiæ virtutis, & Pœnitentiæ Sacramenti; continuâ serie colligi debuisset id, quod Pœnitentiæ Sacramento peculiare est; ejus Institutio, Materia, Forma, Minister, necessitas, effectus. Omnes Canones, qui docent CHRISTUM dedisse suis Apostolis atque, in eorum personâ, omnibus Presbyteris, potestatem remittendi peccata, aut retinendi, solvendi, aut ligandi, & laudant loca Novi Testamenti, quæ probant hoc factum, pertinent ad institutionem hujus Sacramenti. Ejus *Materiæ* applicandi sunt omnes Canones, qui loquuntur de iis, quæ vulgò *Actus Pœnitentis* vocantur; nempè Contritio, Confessio, Satisfactio. Ad *Formam*, pertinent omnes, qui loquuntur de verbis, quibus peccata remittuntur. Omnes, qui agunt de *Personis*, quæ habent potestatem absolvendi à peccatis confessis, respiciunt *Ministrum*. Denique omnes, qui loquuntur de remissione peccatorum, ex vigore Clavium, spectant *Effectus* hujus Sacramenti, qui consistunt in eo, quòd tribuatur cum Gratiâ Sanctificanti, quæ peccatum repellit, jus ad auxilia necessaria ad vitandum relapsum, quorum principium est amor justitiæ, & desiderium satisfaciendi pro peccatis remissis.

Loquendo de *Contritione*, colligere opus erat summam Canonum loquentium de Charitate, quæ debet esse motivum doloris, in quo consistit Contritio. Cùm amor Creaturæ peccatum committat, amor Creatoris læsi detestationem peccati operari debet: magna est illorum Canonum copia in DIST. I. II. III. *De Pœnit.* Aptiores ad Argumentum ii sunt, qui docent, Charitatem justificare, & justitiam unà cum illâ nasci & crescere. His Canonibus jungendi erant, qui loquuntur de aliis conditionibus Contritionis; nempè, quòd ea extendi debeat ad omnia peccata lethalia commissa, & includere propositum serium ultrà non peccandi. Continuâ serie colligendi erant omnes Canones, qui respiciunt *Confessionem*, incipiendo ab iis, qui loquuntur de ejus necessitate; tùm pergendo ad eos, qui agunt de conditionibus requisitis ad ejus validitatem: nempè, ut sit integra, ita, ut nullum omittatur è peccatis mortalibus commissis; sincera sit ac sine tergiversatione; fiat cum dolore, & apud eumdem

eumdem Confessarium, qui habeat Jurisdictionem in Pœnitentem, eosque disponendo, ita, ut unaquæque conditio seorsim, ac sine interruptione tractaretur.

Loquendo de *Satisfactione*, tres illius species distinguere opus erat; aliæ pendent ab electione Pœnitentis; aliæ injunguntur à *Canonibus*, quæ vocantur *Pœnitentiales*; postremæ à Confessario imponuntur: Quoad pœnitentias Canonicas, observandum erat, quòd, post antiquationem Pœnitentiæ publicæ, hi Canones inserviant tantùm ad temperandas Pœnitentias, quas injungit Confessarius, juxtà proportionem inter illas & peccata, ita, ut majores aut minores sint prout majora aut minora sunt peccata; ideòque olim duriùs aut mitiùs castigabantur. Quoad Pœnitentias injunctas à Confessario, tales extitère semper quoad peccata, circà quæ nihil statuerant Canones specialiter; ac post abrogationem Canonum Pœnitentialium: omnes Pœnitentiæ sunt hujus generis, sub lege eas Canonibus conformandi, quoad fieri poterit.

Quoad Formam hujus Sacramenti, mentio ejus expressa non apparet in Canonibus Corpori Juris insertis: ex illis tantùm inferri potest, eam exprimere debere effectum hujus Sacramenti, sicut Forma Baptismi, de quâ plures ex his Canonibus locuti sunt. Non idem est, quoad Ministrum; multi Textus enim de eo loquuntur: alii generatim respiciunt qualitates, quibus instructus esse debet, ad munus hoc ritè obeundum; ab his incipiendum erat: alii pertinent ad qualitatem specialem, quæ illi necessaria est, ad audiendos validè Pœnitentes, qui ipsum adeunt, nempè, Sacerdotium, & Jurisdictionem, quæ eum proprium eorum Sacerdotem facit, & quæ vel Ordinaria est, proveniens ex Beneficio, aut Delegata, proveniens ex Commissione Episcopi; qualitas proprii Sacerdotis in suâ origine soli Curato conveniebat; undè vulgò de illo intelligitur *Cap. Omnis utriusque sexûs*, quod ad Confessionem annuam Sacerdoti proprio faciendam adstringit; de illo etiam sicut de Pœnitentiario, intelligendus est *Can. fin.* DIST. V. de *Pœnit.* qui dicit, nullum accipere debere Pœnitentem alterius curæ commissum, sine hujus consensu, nisi sit ignorans, & sic nocere possit; quod extenditur ad alium quemlibet casum, in quo periculum est apud Confessarium ordinarium. Lex Naturalis & Divina tunc Ecclesiam induxerunt, ut prorogaret Jurisdictionem istius aliûs Confessarii, in Pœnitentes Confessarii ordinarii,

Ex his Observationibus generalibus percipitur defectus ordinis & Divisionis in *Regulis LXXXVIII.* per quas Autor Pœnitentiam exponit. Observationes speciales circà insigniores ex suis Regulis, ostendent, quinam sint alii hujus Capitis defectus.

Definitiones indicatæ *Reg. I.* sunt imperfectæ quoad Pœnitentiam virtutem, & Sacramentum; nam solam Pœnitentiam virtutem respiciunt. Adjiciendum est quod Sacramento convenit, definiendo Pœnitentiam, verum dolorem ob peccata, junctum proposito non peccandi ultrà, & faciendi quod CHRISTUS præcepit ad remissionem peccatorum.

Reg. II. III. IV. quæ loquuntur de Pœnitentiæ divisionibus, aut indicant Textus de iis loquentes, sunt imperfectæ; nam præcipua omittitur, quæ fit in *Pœnitentiam Virtutem, & Pœnitentiam Sacramentum.*

REG. VI. laudans *Can.* 13. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. ut ostendat, quo Jure Pœnitentia sit introducta, insinuat, eam solùm à JESU CHRISTO esse institutam; & sic esse tantùm Juris Evangelii: suprà auetm ostendimus, eam esse Juris Naturalis, & Juris Divini, Veteris & Novi, & Juris Ecclesiastici.

REG. VII. Hac expressione, *Causæ Pœnitentiales*, confundit Forum Interius, in quo omnia occulta sunt, & sine Judicii formâ transiguntur, cum Foro Exteriori, in quo negotia discutiuntur cum solemnitatibus, & ferunt nomen *Causarum. Can.* 2. CAUS. IX. QUÆST. II. laudatus, idem est atque ille, quem suprà laudavi. *Can. fin.* DIST. V. *de Pœnit.* Hæ VII. Regulæ sunt sub Titulo *de Pœnitentiâ*: adjicere debuisset *in genere*: sin minùs, Titulus non est congruus. Sequentes *Regulæ XLI.* sunt sub Titulo *de Pœnitentiâ agendâ*, qui sufficientem non exhibet notionem rerum, quas continet, nam igi agitur de Contritione, Confessione & Absolutione, Satisfactione publicâ, & occultâ: per has Autor incipit & desinit; quæ ratio arguit, vel inscitiam Methodi servandæ, vel magnam negligentiam in eâ servandâ.

Suscipit enumerationem peccatorum Pœnitentiæ subjacentium, quæ necessaria non videtur; quod enim legitur ad calcem DECRETI *de Canonibus Pœnitentialibus*, sufficienter erudit circà hoc Argumentum, remittere solùm oportebat ad eum locum. Publicam cum Occultâ confundit, miscendo id, quod unam respicit, cum iis, quæ ad aliam pertinent; undè fit, ut multæ Regulæ falsæ videantur, ideo quòd ad certum Pœnitentiæ genus non restringantur.

Autor hanc Partem exordiri debuisset à *Reg. XXI.* quæ loquitur de tribus Actibus Pœnitentis, Contritione, Confessione, & Satisfactione. *Reg. XXII.* continet errorem *Gratiani* circà necessitatem Confessionis, quam dubiam existimat; nec eum arguit. *Reg. XXIII. ad XXX.* publicam Pœnitentiam respiciunt, sicut *Reg. XX.* præcedentes. Canon, quem laudat *Reg. XXXI.* quæ est *Secunda* de Confessione, erroneus est, in eo quòd dicat, sufficere Confessionem Deo factam, & Græcos sic opinari; nec monet de hoc errore. In *Regula XXXII.* Exceptio pro Regulâ, & Regula pro Exceptione traduntur; nam olim Regula erat, unumquemque apud Superiorem immediatum confiteri debere, & electio in aliquot casibus solùm licita erat; nempè, si hic Superior ignarus erat, si consentiebat; si Superior ejus concedebat licentiam alium adeundi. Prior Textus hic laudatus nempè 88. DIST. I. *de Pœnit.* confundit Confessionem *Necessitatis*, quæ fieri debet apud Sacerdotem ab Ecclesiâ commissum ad illam excipiendam, & quæ remissionem peccatorum infallibiter operatur, si ritè facta fuerit & Absolutio consecuta sit, cum Confessione *Devotionis*, & *humilitatis*, quæ fieri potest non solùm ad aurem Sacerdotis, sed etiam coram Laïcis; & cujus effectus est, disponere ad Contritionem perfectam, quæ Sacramenti voto juncta justificat & Deo reconciliat.

Regulæ Sequentes usque ad XLIII. respiciunt Confessionem, & bonæ sunt. *Reg. XXXVIII.* loquitur de necessitate confitendi circumstantias etiam aggravantes, & *Can.* 1. DIST. V. *de Pœnit.* laudatus, id probat. XLIII. restringi debet ad Casus Pontifici reservatos, ergà quos dare potest commissionem generalem audiendi Confessiones, quoad reliquos, Ordinarius eorum Absolutionem committere debet in suo districtu.

Reg. XLIV. quæ loquitur de *Absolutione*, annumeratur iis, quæ pertinent ad Confessionem; quia pendet à bonâ Confessione, & denegari, aut differri debet juxtà Dispositiones Pœnitentis: denegari, si restituere nolit, aut perseveret in voluntate peccandi; differri, si nondùm habeat dolorem necessarium indigeatque præparatione ad illam secundùm monita Confessarii. *Reg. LXV.* confirmat quod dictum est de denegatione Absolutionis in casu impœnitentiæ, nam si Impœnitens puniri debet, à fortiori excludendus est ab Absolutione.

Reg. XLVI applicari potest Absolutioni; nam, per hanc principaliter Pœnitentia remittit peccata. Exceptiones VIII. hujus Regulæ desumptæ sunt ex Pœtentiæ falsitate, proveniente ex defectu veri doloris, aut spei aut fidei, Ecclesiam ligare & solvere posse, aut Confessionis; vel falsæ sunt: talis est ea, quæ sumitur ex eo, quòd peccatum commissum, sit adversùs Spiritum Sanctum, aut ex eo, quòd Pœnitens resistere non possit

possit peccato, vel relapsus sit; nam relapsio non potest impedire remissionem peccatorum præcedentem, sed dubium gignere circà veritatem pœnitentiæ.

Reg. XLVII. restringi debet, sicut XLVI. ad pœnitentiam veram; nam falsa, non facit, ut omnia cum gaudio tolerentur.

Reg. XLVIII. LIX. & L. respiciunt pœnitentiam Publicam, quæ sola excludebat à Jure exercendi Ordines, per septem annos; à Jure Matrimonium ineundi, aut Matrimonio utendi; à Jure administrandi negotia Sæcularia, &, eâ completâ, regrediendi ad illa.

Exceptio *Quinquagesimæ* est absurda, excipit negotia, quæ exerceri possunt sine peccato; porrò alia negotia omnibus Fidelibus interdicuntur; itaque nullum est, quoad hoc, inter eos ac Pœnitentes discrimen. Titulus, sub quo *Regulæ* XXXVIII. sequentes collocatæ sunt, est insufficiens; nam promittit solùm id, quod respicit aut denegationem, aut impositionem pœnitentiæ; Regulæ autem de pluribus aliis rebus loquuntur; nempè Confessione, Absolutione & Satisfactione, quarum prima & secunda obscurè designantur per verbum *Pœnitentia*, quod vulgò significat satisfactionem, aut præceptam per Canones, aut injunctam per Confessarios, quæ, aut publica est, aut occulta. Inter Textus laudatos in Regulis, multi abrogati sunt: tales sunt 1. omnes qui Pœnitentiam denegari jubent quibusdam Peccatoribus quælibet signa pœnitentiæ edidissent. Nulla sunt hodie peccata, quorum Absolutio denegetur, iis, qui sufficientes pœnitentiæ notas emittunt. 2. Qui Pœnitentiæ durationem ad certum annorum numerum circumscribunt, cum certis exercitationibus specialibus, difficilibus, ac laboriosis. 3. Ii, qui à Pœnitentiâ excludunt personas, quæ, post eam semel peractam, lapsæ erant in eadem, vel in alia atrocia peccata. Secùs est de Canonibus, qui Absolutionem Impœnitentibus denegari præcipiunt, & loquuntur de signis, sivè actibus, per quos illi dignoscuntur, & de iis, qui docent, durationem satisfactionis durationi peccati, & gravitatem illius, hujus gravitati proportionandas esse, necnon, in satisfactionis impositione, rationem habendam esse Contritionis, illam minuendam, aut augendam, prout major aut minor est Contritio, juxtà veterem Disciplinam, quæ Pœnitentiam prorogabat ergà Pœnitentes negligentes, & contrahebat ergà ferventes.

OBSERVATIONES *in* CAP. VI. *de* PECCATIS *quæ sunt* MATERIA POENITENTIÆ.

Ordo hujus *Capitis* rectus est; nempè, definitio, divisio, collatio peccatorum inter se, eorum causa, eorum subjectum, effectus, species, eorum correctio & punitio: sed res eædem sub variis nominibus recurrunt; nam Divisiones & species idem sunt; cùm hæ sint membra Divisionum; causæ ingrediuntur in eo, quod affert sub Divisionibus & speciebus; nam pro causis peccatorum assignat suggestionem, delectationem & consensum, quæ sunt varia genera aut species peccati. *Can.* 71. DIST. I. *de Pœnit. Can.* 21. DIST. II. *ibid.* quos Autor laudat loquendo de Divisionibus *Quæst.* II. Pœnæ, ad effectus pertinent: Unicum verbum circà causas profert: circà subjectum, indicat solùm Textus, qui loquuntur de peccati definitione: *Gratiani* verba laudat pro Textu, ea vocando *Can.* I. CAU. XV. QUÆST. I. In Divisionibus, omittit Divisionem in peccata Omissionis, & peccata Actionis. *Quatuor* species peccatorum, de quibus loquitur REG. II. eædem sunt, ac *tres*, quæ referuntur REG. III. nempè, Cogitatio, cui consensus datus est; Actio, & Habitus. Cùm peccata voluntatis opponuntur delictis infirmitatis, aut fragilitatis, *malitia*, intelligitur per *voluntatem*. Divisio hæc est eadem, ac Divisio in peccata carnis & peccata animæ. Quod dicitur in *Reg.* I. *Quæst.* III. magnitudinem peccati æstimari ex qualitatæ personæ; non est verum, nisi triplici in casu. *Primus*: cùm mutat speciem, v. gr. 1. in Impuritate, qualitas Cognati, quæ præter hoc, peccatum aggravat ratione proximitatis; Ordo Sacer; Votum Solemne Castitatis. 2. In homicidio, proximitas Cognationis, Pater, Frater, Mater, Soror, Superioritas Regis, Magistratûs, Domini, unio intima Mariti atque Uxoris.

Secundus Casus est: cùm aggravat peccatum, aut ratione ingratitudinis adversùs Deum, à quo Superiores magis acceperunt, quàm Inferiores; aut ratione scandali, quod gignitur ergà Inferiorem, per peccatum Superioris. Quod de *Personâ* dictum fuit, locum habet in *Re*, cujus qualitas interdùm speciem mutat, aut culpam aggravat; sicut in latrocinio, si bonum sit Sacrum, aut in Loco Sacro, vel publicum, vel pertineat ad Dominum, cui servitium præstatur, quibus in casibus latrocinium est diversæ speciei, *Prima* est Sacrilegium, *Secunda*, Peculatus, *Tertia*, furtum Domesticum.

Quod dicitur *Reg.* II. Fornicationem esse peccatorum majus post Hæresim, falsum est, & *Can.* 15. CAU. XXXII. QUÆST. VII. laudatus, id non dicit. De Juramento dicitur in *Reg.* III. & IV. quod Perjurio convenit; nam Juramentum per Creaturas, aut per Creatorem, non est peccatum, nihilòmagis, quàm Juramentum per Evangelia, aut per Deum.

Reg. I. *Quæst.* V. expositione indiget, & intelligenda est de iis, qui nati ex Deo, agunt per Spiritum, quem in suâ nativitate acceperunt.

Quod legitur in *Regula* I. *Quæst.* VI. quemlibet Peccatorem esse extrà Ecclesiam; falsum est: nam peccata, quæ hunc effectum operantur, alia non sunt, quàm peccata contrà Fidem, quæ illius est aditus; vel contrà unitatem Ecclesiæ, per cujus amorem in illâ manetur, vel quibus Excommunicatio annexa est. *Can.* 70. DIST. I. *de Pœnit.* laudatus, loquitur de Ecclesiâ, quæ est sine maculâ & rugâ, quod soli Triumphanti convenit, ad quam Peccator, nisi anteà fuerit Sanctus, pertinere non potest. Idem est quoad falsitatem, de eo, quod dicit secunda, Relapsum bona operâ præcedentia interimere. Nam illa tantùm exponit periculo pereundi, positâ perseverantiâ in peccato.

QUÆSTIO VII.

Autor Infidelitatem cæteris peccatorum speciebus præmittit, & de hoc peccato interpretatur hæc verba, *quod non est ex fide peccatum est*, accipiendo hoc verbum, *Fides*, pro virtute Theologali, quæ illo nomine designatur. Quamvis S. PAULUS illud adhibeat, ad significandum *Judicium*, seu *dictamen Conscientiæ*.

Cùm dicitur *Reg.* II. peccatum esse jurare per Creaturas; fortè intelligitur Juramentum, quod fieret ad illas honorandas, earum testimonium, quasi Divinites essent, invocando; non verò Juramentum, quod fit in honorem ejus, qui eas condidit, & quem repræsentant, agnoscendo, eum esse Cordium Scrutatorem.

Exceptiones V. quæ dicunt, Mendacium esse peccatum, falsæ sunt, aut argumento non congruæ; hinc enim Mendacium malum est per seipsum; itaque nullus est Casus, in quo permitti possit, undè *Can.* 14. CAUS. XXII. QUÆST. II. de Mendaciis jocosis, & de officiosis, quæ sola licita videri possent, expressè dicit, illâ culpâ non vacare, desumptus est è S. AUGUSTINO. Vid. §. *Duo sunt*, qui ostendit, Autorem eum laudare non debuisse, ut Mendacium jocosum excusaret; damnat quoque Mendacium, quod dicitur *sine dolo malo*; nam Mendacium officiosum hoc dolo vacat. Autor illud immerito excusat in *Except.* I. sicut excusat aliud in *Secunda*: Aliundè *Quarta* non convenit argumento; nam Patrinus, qui Infantem ad Baptismum præsentat, non mentitur, cùm respondet, Infantem credere; cùm hic habeat Fidem Ecclesiæ, in cujus personâ credit.

Reg. VI. nimis generalis est: nam, si aliquis sit casus,

in quo

in quo non peccetur, servando Juramentum illicitum, ut plurimùm illud impleri nequit sine peccato. Tales sunt omnes Casus, in quibus Juramentum iniquum est, ob læsionem Dei, aut proximi. Idem est de *Reg. X.* quæ dicit, errorem & ignorantiam non esse peccata: hoc enim falsum est, quoad omnes Casus, in quibus error & ignorantia sunt vincibiles, & respiciunt id, quod sciri debet; tunc enim voluntariæ sunt, & Officio contrariæ.

QUÆST. VIII. CORRECTIO *seù* PUNITIO PECCATORUM.

Propositâ *Regulâ*, punienda esse peccata, *Decem Casus* excipit, qui reducuntur ad *Quatuor* genera. *Primum* est eorum, in quibus non est peccatum, sivè quia remissum fuit, sivè factum, vel per errorem, seù ignorantiam invincibilem, aut per metum cadentem in virum constantem. *Secundum* est eorum, in quibus peccata juridicè non sunt probata, deficientibus Accusatore, vel Judice competente, vel probationibus sufficientibus. *Tertium* eorum, in quibus punitio congrua non foret, ratione aliquarum circumstantiarum; puta, periculi labefactandæ pacis Ecclesiasticæ propter multitudinem Sontium, vel suspicionis adversùs Judicem, qui, si læsus fuisset, Judex & Pars simul esset.

Quartum est eorum, in quibus punitio solùm imminui debet, ratione circumstantiarum, quæ peccatum minuunt; velut error, ignorantia levis, metus levis, aut mediocris, docilitas Rei.

Reliquæ Regulæ aliâ non indigent observatione, nisi *Secundam* & *Quartam* affinitatem habere, cum *Exceptione I. & II.* REG. I. nam respiciunt peccata multitudinis.

OBSERVATIONES *in* CAP. VII. *de* ELEEMOSINA JEJUNIO, *&* MARTYRIO.

Connectere potuisset hoc Caput præcedenti, dicendo, opera, de quibus disputaturus est, ex iis esse, quæ Confessarius imponere potest pœnitentiæ vice, & quæ Pœnitens sibi in eumdem finem imponere debet, ad supplendum id, quod deest pœnitentiæ à Confessario præceptæ: nullam tradit Regulam circà *Martyrium*, cujus fit mentio in Inscriptione.

Eleemosinæ accommodare potuisset omnes Textus loquentes de Misericordiâ, quæ omnibus Proximi necessitatibus spiritualibus & corporalibus subvenit; vid. *Can.* 10. 11. 12. 13. DIST. XLV.

Divisio, de quâ agitur in REG. I. non est justa; nam Tertium Membrum includitur in Secundo; quippè, corrigere delinquentes, reducere devios, pertinent ad Eleemosinam spiritualem, sicut remittere injurias; Itaque ad Duo Membra illa reducenda est, nempè Eleemosinam corporalem, & spiritualem, vid. *Can.* 12. *&* 13. laudatos.

REG. II. Hoc in loco colligendæ erant omnes species Eleemosinæ, de quibus loquuntur Canones, istique indicandi. Autor loquitur solùm de remissione debitorum, quæ est una ex ejus speciebus. *Can.* 70. 71. 72. CAUS. XII. QUÆST. II. laudati REG. III. legi merentur: loquuntur de causis seu momentis adhibendi ad redemptionem Captivorum & aliorum Pauperum opitulationem, id quod Ecclesia pretiosissimum habet. *Can.* 10. CAUS. XXXI. QUÆST. I. laudatus REG. IV. docet, Viduas, quæ adjuvari debent, eas esse, quæ Christianam vitam ducunt; quod ad alios Pauperes producendum est.

Verbum *Injusti* adhibitum in REG. V. est æquivocum significans generatim omnes Peccatores, & specialiter eos, qui alios vexant, aut nocent. *Can.* 11. CAUS. XIV. QUÆST. V. loquitur de omnibus Peccatoribus, & dicit, illorum Eleemosinas Deo non placere.

Cap. 2. *de Raptor.* laudatum REG. VI. loquitur de casu, in quo Usurpator boni profani, aut Ecclesiastici, non restituit, cùm poterat; &, ratione hujus circumstantiæ, prohibet, accipi ejus Eleemosinas à Clericis, qui exemplo suo inspirare debent horrorem ab injustitiâ, quæ bonum opus ex alienâ jacturâ facere studet. Nihilominùs videtur, quòd, si Eleemosinas erogaret Clericis Ecclesiarum, quarum bona invasisset, illæ accipiendæ essent velut restitutio.

REG. VII. restringenda est ad Eleemosinas, quæ fiunt ad Altare; sin minùs; illa severior foret: cùm prohibeat accipi Eleemosinas Excommunicatorum, qui hac in re duriùs tractarentur, quàm Infideles, quarum Eleemosinæ accipi possunt. *Can.* 3. CAUS. XXIV. QUÆST. II. laudatus *ibid.* id insinuat; sed fateri cogimur *Cap.* 54. *de Sent. Excomm.* huic expositioni contrarium videri.

Textus laudati in REG. VIII. non loquuntur de lucris turpibus, non tamen injustis, qualis est quæstus Scenicorum, Astrologorum, Meretricum, Concubinarum; sed de iniquis acquisitionibus, provenientibus è Furto, Latrocinio, Rapinâ, Concussione, Simoniâ, Usurâ. Textus hi sunt *Can.* 27. CAUS. I. QUÆST. I. & plerique *Can.* QUÆST. V. CAUS. XIV. *Can.* 14. *ibid.* nimis generalis est. Additio *Gratiani* nostræ distinctioni consonat. Idem est de eo, quod legitur in fine *Can.* 15. nempè Officiales Magistratuum accipere pecuniam ab utraque Parte, quamvis nihil ipsis debeatur, & talem Consuetudinem tolerari; eos verò, cùm pietati magis se devoverint, ex bonis sic partis, tanquàm ad se pertinentibus, Eleemosinas facere.

Can. 19. DIST. III. *de Pœnit.* laudatus REG. IX. dicit, miserendum esse sui ipsius, & misericordiam ergà seipsum exercendam esse, priusquàm ergà alios; hinc Autor concludit Pœnitentiam Eleemosinæ præmittendam esse. Aliquantulùm immorati sumus circà Regulas de Eleemosinâ, quoniam omnes circà praxim versantur. Nihil diximus de defectu ordinis, qui levior est.

Loquendo de Jejunio, Autor colligere debuisset id, quod Jejunio commune est; sive naturali, in abstinentia ab omni cibo consistenti, quodque Communioni peculiare est; sivè aliis quibuslibet, quorum aliud consistit in abstinentiâ à Carnibus, ideòque vocatur *Semijejunium*: talis est abstinentia dierum *Veneris & Sabbati*, *S. Marci*, *Rogationum*: aliud, huic abstinentiæ adjicit unitatem prandii: item, observare eorum effectus generales. Item, loqui debuisset de actibus aliis, quàm Communio, qui fieri debent à Jejunis; puta, Jusjurandum; Administratio & Receptio Confirmationis.

Loqui debuisset de Diebus, in quibus Jejunium prohibetur; nempè, Dominica, Natali Domini, Feria 5. Hebdomadæ Sanctæ: & observare, Diem hunc à Jejunio non esse hodie immunem. Loquendo de Diebus abstinentiæ, observare debuisset, omnes particularitates hujus Jejunii; idemque facere, loquendo de aliis Jejunii diebus. Omisit loqui de Vigiliâ Assumptionis, cùm loquutus est de Vigilia Apostolorum. Jejunium Vigiliæ Pentecostes hodiè non est devotionis, ut dicit Autor, sed obligationis.

Regula, quam sequimur hodie circà Septimanam, in quâ celebratur Jejunium Quatuor Temporum, his verbis continetur, *post Pen. Crux*, *Lux*, *Cineres*, id est, Septimanæ post Pentecosten, post Exaltationem S. Crucis, post S. Luciam, & post Cineres: itaque REG. VII. exolevit. Vitia hæc, & quædam alia vitavimus in REGULIS nostris *circà Jejunium.* Iis, quæ dicit de Jejunio spirituali, sive à peccato, REG. XXII. adjicere debuisset, illud comitari debere Jejunium materiale.

OBSERVA-

OBSERVATIONES *in* CAP. VIII. *de* FERIIS *&* FESTIVITATIBUS.

Quidquid Autor hic dicit, sub REGULIS XIX. continetur, quæ indicant solùm aliquot Textus, ad suum Argumentum pertinentes. *Quinque* priores respiciunt Festivitates in genere. *Prima* non observatur, quoad cessationem operum servilium; nam, sub hoc respectu, Festivitas incipit à mediâ nocte, & desinit ad mediam noctem sequentem. Idem est de Secunda Parte Secundæ. Nam in solâ Quinquagesimâ Paschali, & Diebus Dominicis genua non flectuntur ad Officium Divinum, imò hæc praxis solum Clerum respicit. *Secunda* non est in praxi: jejunatur Die Festo, cum utrumque coincidit. Quod dicitur de Dominicis, in eis Balneorum usum concedi; ad alias Festivitates extenditur.

Aliæ Regulæ non indigent observatione. Conferendo contenta hoc in Capite, cum REGULIS nostris *circà Festivitates in genere, & in specie*, ubi accuratissimè collegimus ea, quæ ad hoc Argumentum pertinent, jungendo id, quod singulis Capitibus pecculiare est, & omnibus commune, cùm necessariis Notis Criticis, Historicis, Chronologicis & Geographicis, percipietur quantùm hoc Caput sit imperfectum.

OBSERVATIONES *in* CAP. IX. *de* SEPULTURIS.

Argumentum hoc accurratiùs discutitur & distribuitur in partes minutiores. Dividitur in quatuor Quæstiones; scilicet 1. Quinam habeant jus sepeliendi. 2. Sepulturæ locus. 3. Modus & Adjuncta. 4. Antecedentia & Consectaria.

Agendo de Loco, differit de eo, quod pertinet ad eos, qui sacræ Sepulturæ jus habent, & eos, qui non habent: & cùm locus, in quo sepeliendum est, ad aliquem pertineat, agitur consequenter de iis, qui habent jus sepeliendi. Quod itaque deest in *Quæst.* I. suppletur in *II.* Similem ob rationem *Quæst. III.* supplet ea, quæ desunt in II. nam Preces, Sacrificium, Oblationes, pertinent ad modum Sepulturæ sacræ, de quâ hic agitur: multæ autem Personæ ab iis Cærimoniis excluduntur,

Idem dicendum est de *Quæst. IV.* nam Sepulturæ sacræ prævium est, ut is, pro quo illa petitur, ad eam jus habeat, & is, à quo petitur, habeat jus illius faciendæ. Sepulturæ etiam Consectarium est, ut ii, qui sepeliendi jus habent solùm ex privilegio, indemnes faciant eos, quibus Jure communi competit; indè nata est *quarta Canonica*, quæ debetur ei, qui habebat jus sepeliendi eos, qui alibi sepeliuntur. Connexio Quæstionum inter se, est causa permixtionis illarum invicem.

QUÆSTIO. I.

Hic statuendum erat, jus sepeliendi pertinere ad Parochum Jure Communi; ad alios autem Jure Speciali tantùm: undè fit, ut teneantur dividere cum illo id, quod sibi relictum est occasione Sepulturæ; proindè id, quod dicit, de Monachis, producendum erat ad alios omnes, qui Defuncti non sunt Curati. Jus particulare, per quod acquiritur generatim potestas sepeliendi, nihil aliud est, quàm Privilegium, aut Consuetudo. Nemo hoc Jure uti potest, nisi 1. Per electionem Defuncti. 2. Aut Patris ejus vel Matris, si infrà pubertatem decesserit, & sic ferat Consuetudo; aliàs sepeliri debet, aut in Parochiâ, aut in Tumulo avito, aut in loco, quem ipse elegerit, posito quòd talis electionis sit capax: 3. vel per electionem Mariti, mortuâ uxore, non electo sepulchro; vel uxoris defuncto similiter marito: 4. vel cum Majores Defuncti sepulchrum habebant extrà Paræciam, & hic mortuus est, alio loco non electo.

QUÆSTIO. II.

Loquendo de iis, qui sacræ Sepulturæ jus habent, dicendum erat, illud solis competere Fidelibus, & singulis; nisi quis eo nominatim spolietur per aliquem Canonem, aut Sententiam: tùm enumerandæ erant Personæ sic privatæ, quam enumerationem sequeretur Regula, quæ dicit, omnem Fidelem in Ecclesiæ Communione defunctum, ipso Jure frui debere post mortem; idemque obtinere ergà eos, qui excluſi exteriùs, habent tamen ejusmodi jus; quales sunt ii, qui moriuntur Excommunicati, aut Interdicti, postquàm signa pœnitentiæ dederunt, nec Absolutionem sibi procurare potuerunt. Extat Regula hæc in REG. V. VI. VII. VIII. IX. X. hujus *Quæst.* & in *Reg. III. Quæst. III.* Leges, quæ certas Personas Sepulturâ privant, quamvis signa pœnitentiæ ediderint v. gr. percussos in Duello, aut supplicio affectos, loquuntur de Sepulturâ solemni.

Reg. I. quæ *Exceptiones IX.* habet, nullam patietur, si amplitudini suæ restituatur, quisque Sepulturam suam eligere potest, cùm voluntatis & judicii necessarii capax est. Pars prima *Cap. I. de Sepult.* hanc Regulam confirmat; quippè quod agnoscat potestatem eligendi Sepulturam, in quâlibet Personâ *electionis capaci*. Sic intelligenda est ejus expressio generalis. *Cap.* 10. *ibid.* non dicit in dispositivo, eos qui sunt infrà pubertatem non posse eligere Sepulturam suam: sed id insinuatur solùm in præfatione, seu expositione. *Cap.* 4. *de Sepult. in* 6. supponit, Impuberes habere hanc facultatem, cùm non permittat Patri eam pro eis eligere, nisi cùm talis est Consuetudo. Reductio aliarum Exceptionum ad Regulam facilis est.

Reg. IX. malè refertur: Textus in eâ laudatus loquitur de casu, quo Monasterium ex vigore pacti expressi cum Curato, obtinuit indultum suum eos sepeliendi, qui illic Sepulturam eligent. In alterum observandum est, Ecclesiam, cui solvuntur Decimæ Personales, esse Paræcialem; sed Decimas Prædiales interdùm præstari Ecclesiæ alterius Parochiæ, ratione situs Prædiorum.

Reg. XII. malè concipitur, dicens, ubi sepultus est Hæreticus, alium sepeliri non debere. Textus laudati sensus est, Catholicum sepeliri non posse, ubi Hæreticus fuit sepultus. Quod fit ex eo, quòd hæc Sepultura Ecclesiam polluerit.

QUÆSTIO. III.

Observandum est in *Except. I. & II. Reg. III.* hodie Excommunicationem atque Interdictum non excludere à Sepulturâ, nisi Censura denunciata fuerit. In *Except. III. IV.* & alias, sumptas ex Criminis aut Impœnitentiæ publicitate, eas non habere locum, nisi post sententiam declaratoriam, Defunctum esse in casu. VI. sumpta ex eo, quòd viscera Defuncti ex ejus corpore sint ablata, non est in praxi, nihilòminùs quàm Excommunicatio ipsi annexa.

QUÆSTIO IV.

Observandum est in *Regulas III. & IV.* quæ loquuntur de exenteratione seu exhumatione Mortuorum, extare casus, in quibus illa præcipitur; alios, in quibus licita est. Si spoliatur Persona sacrâ Sepulturâ indigna, ut Infidelis, Excommunicatus, aut Interdictus denunciatus, sic sunt exenterandi, si distingui possint ab aliis Mortuis; sed, si mortuus sepeliatur in loco, cui tale jus non competebat, aut si sepeliatur solùm ad tempus, exenterari possunt, si requisierint Personæ, quarum interest, & in casu usurpationis alieni juris, Invasores coguntur ad restituendum quidquid fuit receptum ratione, aut occasione Sepulturæ.

Regulæ Quinque novissimæ non nisi remotam habent cum Sepulturâ relationem. Quoad Regulam, quæ loquitur de Portione Canonicâ, debitâ Paræciæ Defuncti, cum in aliâ Ecclesiâ sepelitur; observandum est, eam solvi Parochiæ Domicilii ordinarii; eam esse

esse quasi mercedem operarum Parochi, in procurandis Defuncto omnibus auxiliis spiritualibus, quibus antè morbum, & durante morbo, indiguit; Quotitatem pendere à Consuetudine Locorum, alia enim sunt, in quibus datur semissis eorum, quæ data sunt, vel occasione Sepulturæ, vel pro eâ: alia, in quibus datur triens; alia, in quibus datur quarta; & cum hæc quotitas sit aliis frequentior, *Portio Canonica* vulgò dicitur *quarta funeraria*. Nomen *Canonica* dicitur ex eo, quòd per *Canones* instituta fuerit: vocatur *Justitia*, non solùm, quia justè debita est; sed etiam, quia funera, quorum illa est portio, *justa* nuncupantur apud Veteres: comparatur *Falcidiæ*, quæ est quarta debita Patri super Legatis ab ejus Filio factis; comparatio justa est; nam Portio Canonica est quarta, quæ deducitur ex Legatis Piis, factis ratione aut occasione Sepulturæ; Parochiani autem sunt Filii Spirituales Curati, & cùm causa hujus *quartæ* pia sit, ea deducitur à Legatis Piis à *quartâ Falcidiâ* immunibus, ob rationem contrariam. Inter Ecclesias, quæ jus habent sepeliendi, quædam immunes sunt à solutione *quartæ*, sivè ex Privilegio, sivè ex Præscriptione, sive ex Consuetudine; hujus beneficio, Paræciæ eam non solvunt, ob Mortuos qui Sepulturam in earum Ecclesiis eligunt, vel ideò, quòd sui Majores in eis sepulti sint; vel alicujus devotionis particularis ratione. Post Concilii *Tridentini* promulgationem, nullum Monasterium, quod anteà *quartam* à 40. annis solvebat, impetrare valet privilegium eam non solvendi; sed ejus exemptionem acquirere potuerunt per præscriptionem; soli privilegio Concilium derogat *Cap.* 12. SESS. XXV. *de Reform.*

Sunt Ecclesiæ Cathedrales, quæ fruuntur jure percipiendi quartam funerariam in Parochiarum præjudicium; sivè quia jus hoc præscripserunt; sivè quia illud sibi reservaverunt in erectione Parochiarum. Omnes hæ observationes desumptæ sunt à GONZALE *in Cap.* 8. *de Sepult.* qui etiam docet, quòd si aliquis Sepulturam extrà Parochiam suam eligat, atque extrà locum tumuli Majorum suorum, huic Ecclesiæ non solvitur quarta, sed Parochiæ Defuncti; quod nascitur ex eo, quòd Ecclesia recens electa, succedat oneri Ecclesiæ, in quâ Majores sepulti sunt, quæ cùm deberet quartam huic Parochiæ, alia eam quoque illi debet.

OBSERVATIONES *in* CAP. X. *de* VOTO & JUREJURANDO.

Unicum est verbum circà *Jusjurandum*, nempè, hoc vel illicitum est, vel coactum, & ab utroque impetrari potest Dispensatio, nisi servari possit absque Salutis Æternæ dispendio. Pauca hæc non sunt accurata; nam, cùm Jusjurandum *nullum* est, non obligat; & tale est, cùm adversatur Legi Dei, aut Legi Humanæ, quæ annihilat Contractum, qui per Jusjurandum confirmatur; Legis prohibitione contemptâ. Id ostendemus in *expositione* DECALOGI *per Canones*.

Quoad *Votum*, Autor omisit ejus Definitionem, & Divisiones necessarias ad intelligentiam Doctrinæ suæ. Complectitur in *Regula* I. junctis Exceptionibus XXIII. & aliquot Replicationibus, id, quod Jus dicit de vinculo Voti; undè caligo potiùs, quàm lux nascitur. Dicere debuisset, Votum esse Sponsionem, vel Donationem actualem Deo factam, cum maturâ deliberatione, alicujus rei, cujus Vovens liberam dispositionem habet. Enucleando hanc Definitionem, inseruisset quidquid sub Exceptionibus collocat, aut collocare potuisset; indè enim sequitur, eum, qui est infrà ætatem discretionis, vovere non posse; eum, qui est in alienâ potestate v. gr. Filium-familias, Servum, Monachum, Uxorem, vovere non posse, sine consensu eorum, quibus subjacent: idem est quoad eos, qui bonorum aut personæ, aut actionum suarum liberam non habent dispositionem, qui Voto obligare nequeunt, nec bona, nec personam nec actiones. Undè fit, ut Personæ suprà memoratæ excludantur etiam à jure vovendi aliquam ex his tribus rebus; ut Conjuges nequeant vovere continentiam, nisi ex mutuo consensu, neque peregrinationem Matrimonii juribus obstantem; ut idem sit de Episcopo, de Abbate, qui diutiùs abesse non valentes, quin Gregi suo noceant, non possunt longiora vovere itinera. His præmissis, facile erit ad alias Exceptiones producere id, quod de præfatis dictum est.

Qui de Voto differunt, loqui solent prolixè de potestate illud irritandi, quæ ad Superiorem pertinet, quoad ejus Subditos, & de potestate dispensandi, quæ communis est Episcopo & Pontifici: agunt etiam de jure vovendi Filios ad servitium Divinum, sivè in Statu Religioso, sivè in Clericatu, quod olim habuerunt Patres: dividunt Votum in Personale & Reale: hoc, Bonum; illud, Personam affectat: Reale, ad Hæredes transit. Hoc est fundamentum *Regulæ* II.

Distinguunt Votum *simplex* à Voto *solemni*: per hoc, Persona se Domino actualiter tradit: simplex, est mera sponsio; undè fit, ut, si post simplex continentiæ Votum, persona nupserit, cessat Votum, quia Donatio, quæ fit in Matrimonio, prævalet Sponsioni, quæ fit per Votum simplex; si verò solemnia Vota fecerit, subsequens Matrimonium nullum est, quia Donatio anterior vincit subsequentem. His principiis innititur *Reg.* III. quæ dicit, rem devotam esse in potestate Voventis, donec Votum perfectum sit: nam promissio non exuit dominio rei. *Reg.* IV. malè concipitur; namque insinuat, malum esse non vovere; Votum autem est merè voluntarium, sed ejus executio necessaria est, *vovere voluntatis*, *implere necessitatis*. Dicendum erat, malum magnum esse non implere Votum suum; sed nullum esse non vovere.

OBSERVATIONES *in* CAP. XI. *de* SPONSALIBUS, *quo verbo significantur* AFFIDATIO, *vel* DESPONSATIO, *quæ inter Christianos nihil aliud est, quàm Celebratio Matrimonii.*

Nullum est Sacramentum, neque Argumentum speciale, circà quod Autor diffusior sit; nam *Capita* XII. insumit, quorum unumquodque dividitur in plures Quæstiones: sed quamvis loquatur de Sacramento, nihil tamen dicit, quod propiùs respiciat Sacramentum, ejus Materiam, Formam, Ministrum ejus effectus sivè speciales, sivè communes cum aliis Sacramentis Vivorum: si fortè de aliquâ ex his rebus sermonem faciat, semper omittit observare, ad quid pertineant, magnam enumerationem aggreditur eorum, quæ pertinent ad Contractum. Sed ejus Methodus res clariores obnubilat, congerendo Exceptiones super Exceptiones, sæpè Replicationibus Duplicationibus, Triplicationibus, Quadruplicationibus, stipatas. Hujus caliginis exemplum sensibile occurrit hoc in Capite, quod Affidationem & Desponsationem continet. Id ostendemus, postquàm observaverimus, Autorem *Caput* hoc inscribere debuisse *de Matrimonio*: id requirebat consilium, quod in fronte collocavit, quippè, se locuturum dicit de Matrimonio contrahendo, de contracto, de Matrimonio dissolvendo, de dissoluto, de secundis Nuptiis, denique de Concubinis. Hinc naturaliter ad Sponsalia descendebat, quæ dixisset nihil aliud esse, quàm exordium Matrimonii contrahendi, cùm aliud non sint, quàm Nuptiarum futurarum repromissio.

Observare etiam juvat, eum separare debuisseid, quod hanc præcisè Sponsionem respicit, ab eis, quæ ad ejus Consummationem pertinent, quæ sunt Desponsatio, quâ Matrimonium contrahitur; quâ in re secutus fuisset Compilatores *Decretalium*, qui Sponsalia distinxerunt à Matrimonio in Inscriptione

Tituli I. *Lib.* IV. circà ſolum Matrimonium verſantis: ſic, eum conceperunt *de Sponſalibus, & Matrimonio*; hac diſtinctione expreſsâ ſignificantes, ſe prius verbum *Sponſalia*, accipere pro mera promiſſione, ſicut verbum *Matrimonium*, pro Contractu Nuptiarum.

Denique obſervandum eſt, Sponſalium Diviſionem, in Sponſalia *de Præſenti*, & Sponſalia *de Futuro*, non eſſe accuratam: nam verbum *Spondere*, à quo *Sponſalia*, ſignificat promittere; promiſſio autem ſemper reſpicit futurum, in quo differt ab aliis Contractibus, qui tradunt actualiter id, quod eorum materia eſt; è quorum numero eſt Matrimonium: itaque, convenienter appellari nequit *Sponſalia de præſenti*; nam hæc expreſſio contradictionem involvit, cùm ſignificet, Partes, ſe promittere, & tradere ſe ſimul eodem tempore: porrò ſi ſit Donatio, non eſt Promiſſio, & ſi ſit Promiſſio, non eſt Donatio. Quod obſervavimus circà verbum *Sponſalia*, locum habet quoque ergà verbum *Sponſa*, quod ſignificat *Promiſſam, & Uxorem*: Promiſſam, ſi jungantur verba *de futuro*: Uxorem, ſi adjiciantur verba *de præſenti*. Confuſio hæc orta eſſe videtur ex eo, quòd antequàm Matrimonium foret Sacramentum, Partes vocabantur *Sponſus & Sponſa*, uſque ad conſummationem, & pactum aliquandò fiebat per verba, quæ tempus præſens ſignificabant, & tunc erant Sponſus & Sponſa *de præſenti*; interdùm per verba, quæ futurum ſignificabant, & hoc in caſu erant Sponſi *de futuro*: deinceps, Matrimonio ad Sacramenti dignitatem evecto, eadem locutio conſervata fuit; quamvis Matrimonium fieret cum Cærimoniis Sacris, quæ non adhibebantur in Sponſalibus. Sic exponendum eſt id, quod Autor dicit in *Quæſt.* III. Canones uſurpare verba hæc, *Sponſalia & Nuptias*, velut Synomina & probationes, quas è *Gratiano* deſumit, & quæ oſtendunt, Sponſos vocari Conjuges antè conſummationem, ſivè conventio per verba de præſenti, ſive per verba de futuro inita ſit.

His obſervatis; jam ad promiſſum exemplum devenimus: illud eſt in *Quarta*, quæ loquitur de cauſa Sponſaliorum. Poſteaquàm Autor dixit, conſenſum eſſe Sponſalium, ſicut & Matrimonii, ſubſtantiam, ſed non omnem conſenſum ſufficere ad hunc effectum; exponit id, quod reſpicit conſenſum per *Exceptiones XI.* & in *Primâ*, ſumptâ ex eo quòd Perſonæ prohibeantur contrahere inter ſe Sponſalia & Matrimonium, congerit Replicationes Duplicationes, Triplicationes, Quadruplicationes, ſine quibus Argumentum luculenter exponere potuiſſet, ſtatuendo pro Principio ac Regulâ, 1. Sponſalia cum Matrimonio convenire in omnibus, excepto quòd fiebant poſt ſeptem annos completos, Matrimonium requirit Duodecim annos completos in Puellis, & Quatuodecim in Maſculis. 2. Sponſalia ſub conditione fieri poſſunt, modò hæc non ſit contraria ſubſtantiæ Matrimonii, & conditio ſuſpendit conventionem, ita, ut hæc corruat, ſi conditio non impleatur; nulla autem eſt conditio, quæ Matrimonium ſuſpendat, & ſi apponantur, vel Matrimonium eſt nullum, v. gr. cùm conditio ejus ſubſtantiæ contraria eſt; vel habentur pro non appoſitis.

3. Sponſalia fieri poſſunt ad tempus determinatum, quo elapſo, evaneſcit obligatio. Multa olim fuêre Loca, in quibus 40. diebus duntaxat conſiſterent. Hodie in Galliis annua ſunt tantùm, Matrimonium ex natura ſuâ perpetuum eſt.

4. Sponſalia diſſolutioni obnoxia ſunt, non ſolùm per conditionis defectum, & temporis lapſum, ſed etiam 1. per Impedimentum ſubſequens. Putà Affinitatem, Cognationem Spiritualem, Impotentiam. 2. Per Fornicationem. 3. Lepram, 4. Paralyſim. 5. Difformitatem. 6. Matrimonium ſubſequens cum aliis Perſonis. 7. Votum ſimplex. 8. Receptionem Ordinis Sacri. 9. Conſenſum reciprocum. 10. Mutationem voluntatis in unâ ex Partibus. Porrò Matrimonium ſemper indiſſolubile eſt, quilibet ſequatur eventus.

5. Hodiè compelli non poſſunt Affidati, ad implendam Sponſalium obligationem: ſunt autem viæ quibus Conjugati cogantur ad implendam obligationem reciprocam.

6. Poſt Concilium *Tridentinum*, Impedimentum honeſtatis publicæ è Sponſalibus proveniens, ad primum gradum contractum eſt; & ea, quæ nulla ſunt, undecùmque naſcatur nullitas, non operantur hoc Impedimentum: nihil autem in Matrimonio immutatum fuit, quoad hæc Duo Capita.

7. Unicus Teſtis ad Sponſalium diſſolutionem ſufficit; duo requiruntur quoad Matrimonium.

8. In priore Caſu, per viam denunciationis; in poſteriore, per viam accuſationis proceditur.

Nihil eſt in Exceptionibus & earum ſequelâ, Sponſalibus peculiare, quod non reperiatur in prædictis diſcriminibus: cætera communia ſunt Nuptiis & Sponſalibus. Tales ſunt v. gr. nullitates, quæ proveniunt vel ex defectu ætatis, vel ex defectu libertatis in conſenſu; & ratihabitio, quæ fit per conſenſum ſubſequentem, ætatem, & Sponſalia, aut Matrimonium. Cauſæ, quæ privant libertate neceſſariâ ad Matrimonium, adimunt eam, quæ requiritur ad Sponſalia; nempè vis, & ſeductio; illa ad utrumque vinculum recuperatur iiſdem viis, quæ ſunt ceſſatio harum cauſarum: idem remedium in utroque caſu adhibetur, nempè, ſequeſtratio Partium, quæ periculo ſeductionis aut coactionis ſubjacent. Eadem Impedimenta, exceptâ ætate, eædem Regulæ, Canones & Leges: Idem Judex Eccleſiaſticus aut Sæcularis pro qualitate materiæ. Ratio harum ſimilitudinum eſt evidens; nam Sponſalia ſunt Matrimonium inchoatum; & Matrimonium, Sponſalia completa. Cæterùm id, quod hucuſque de Sponſalibus diximus occaſione Compilationis Autoris hoc in Capite, adeò ſcitu neceſſarium eſt, ut ſufficienter edifci nequeat id, quod ad ea pertinet, ſi quantulacumque ex obſervationibus omittatur. Sic diſtinguendum eſt id, quod Sponſalibus peculiare eſt, ab eis, quæ iis communia ſunt, cum Matrimonio; & proindè id, quod dicendum erat, ab eis, quæ rejicienda erant in Capita, in quibus agit ſeorſim de Matrimonio.

REGULÆ *Quæſtionis V.* quæ eſt circà Uſus & Pœnas Sponſalium, parùm utiles ſunt: nam Excommunicatio triennalis, de quâ loquitur *Reg. II.* abrogata eſt. Actio contrà Perſonam, quæ Sponſalia perficere recuſat, hodie reſolvitur in id, quod intereſt.

OBSERVATIONES *in* CAP. XII. *de* NUPTIIS, *ſeù de* MATRIMONIO.

Dividitur in *Quæſtiones VI.* verſantes circà Definitionem, Etymologiam, Diviſionem, Finem, Uſum & Dignitatem Matrimonii, Oppoſita, Eventus & Conſectaria; ubi agitur, de Solemnitatibus, de Effectibus, & Pœnis. *Regulæ* in ſingulas indicant ſolùm Textus Argumento affines.

Loquendo de Etymologiâ Nominum Matrimonio impoſitorum, omittitur Etymologia *Conjugii*, deſumpta ex *jugo* Partibus communi.

Prima Diviſio falſa eſt; nam Matrimonium *Inchoatum* nihil aliud eſt, quàm *Affidatio*, quæ eſt ſolùm via, quâ pervenitur ad Matrimonium; Nuptiæ conſiſtunt in Deſponſatione, quæ vocatur Matrimonium ratum, ſeu completum & ſtabile.

Secunda Diviſio expoſitione indiget; Matrimonium *Ratum & Legitimum* illud eſt, quod Canonibus & Legibus congruit. Matrimonium *Ratum & non Legitimum* illud eſt, quod ſecundùm Canones, non verò ſecundùm Leges eſt. Hæc duo Membra reſpiciunt ſolùm Chriſtianorum Matrimonia, quæ, ut validâ ſint, Canonibus & Legibus conformari debent in eis, quæ ſubſtantialia ſunt. Ipſorum contrarietas cum alterutrâ Regulâ circà Accidentalia, eorum validitati non obſtat; undè fit, ut plura Matrimonia Sacros effectus habeant & careant effectibus Civilibus, qui reſpiciunt Conventiones

Matri-

Matrimoniales : plura hujus rei ſunt exempla in Galliis. *Declarat. an.* MDCXXXIX. *art.* 5. *&* 6.

Matrimonium *Legitimum*, *& non Ratum*, eſt id, quod ſecundùm Leges contrahitur ; non verò ſecundùm Canones, qui ſubſtantiam ordinant: nempè Materiam, & Formam, quibus locum non habentibus in Matrimonio Infidelium, oportet, ut eorum Matrimonium *Legitimum* eſſe poſſit, licèt *Ratum* non ſit.

Quod dicitur de *Fine*, imperfectum eſt ; nam Matrimonium inſtitutum fuit, non ſolùm ad procreationem Liberorum, ſed etiam ad prævenienda peccata incontinentiæ, & ad reciproca auxilia Partium, quoad hanc vitam, & quoad futuram. Vid. REG. I. QUÆST. IV. *Regula* ſequens, quæ dicit, Matrimonium eſſe bonum Concupiſcentiæ uſum, pertinet ad primum finem ; nam uſus Matrimonii relatus ad procreationem Liberorum, eſt primus bonus uſus Concupiſcentiæ ; ſecundus bonus uſus eſt, eam continere intrà limites Matrimonii. REG. III. meliùs collocata fuiſſet ſub QUÆST. V. in quâ Virginitas opponitur Matrimonio ; hæc autem Regula loquitur de comparatione Matrimonii cum Virginitate: Præterea, Regula hæc nec finem, nec uſum, nec dignitatem Matrimonii reſpicit, quod eſt Argumentum QUÆST. IV.

QUÆSTIO VI.

Loquendo de Solemnitatibus Matrimonii, colligere debuiſſet omnia, quæ reſpiciunt Sacramentum, ejus Exiſtentiam, Materiam, Formam, Miniſtrum ; at loquitur ſolùm de Benedictione: tùm, diſſerendo de ejus effectibus, loqui debuiſſet de ejus effectu communi cum cæteris Sacramentis Viventium, nempè incremento Gratiæ Sanctificantis, & effectu peculiari ipſius, ſcilicet jure ad auxilia neceſſaria, ut ſanctè impleantur obligationes, quas imponit. Hoc etiam in loco colligendi erant omnes Textus, qui loquuntur de proclamationibus Bannorum Matrimonii, unicum laudat REG. IV. Impedimenta miſcet cum Solemnitatibus REG. II. III. V.

OBSERVATIONES *in* CAP. XIII. *&* XIV. *de* IMPEDIMENTIS MATRIMONII *ſub nomine Exceptionum adversùs Matrimonium, ſumptarum ex perſonâ Contrahentium.*

Cùm pleræque Regulæ hujus Capitis plures reſtrictiones patiantur ſub nomine Exceptionum, expoſita Impedimenta deſignare debuiſſet vulgari vocabulo, ad vitandam confuſionem, quæ naſcitur ex uſu crebro verbi æquivoci, adhibiti interdùm, ad ſignificandum Matrimonii obſtaculum, aliàs ad deſignandum id, quod in Regulis non continetur.

Quamvis, inter Impedimenta, quædam annihilent Matrimonium, quædam illicitum faciant duntaxat, Autor utraque permiſcet, & eodem modo tractat.

Confundit pravas intentiones, quæ ſunt res interiores & abſconditæ, quas Eccleſia cognoſcere non poteſt, cum Impedimentis, quæ ſunt res exteriores ſubditæ cognitioni Eccleſiæ. Utrumque vitii genus his duobus Capitibus commune eſt, in quibus de iiſdem Impedimentis, ſub nomine Exceptionum, & cum pari confuſione diſputatur, quàpropter illa conjunximus.

His duobus Capitibus etiam jungendæ ſunt REG. II. III. IV. V. QUÆST. VI. *Capitis XII.* ubi agitur de Impedimento temporis prohibiti ; de Impedimento publicationis, & de Impedimentis in genere, ſub nomine Impedimentorum ; quâ in re novum ſe offert exemplum Obſervationis noſtræ, Autorem non habuiſſe ideas diſtinctas Materiæ Sacramentorum.

Præter hæc vitia, Capita hæc caligine & implicatione laborant, provenientibus ex Exceptionibus & Replicationibus : occurrunt quoque repetitiones inutiles. Utriuſque defectûs vitandi causâ, remittere debuiſſet ad ea, quæ dixit de conſenſu requiſito ad Sponſalia, id, quod adjicit circà conſenſum neceſſarium ad Matrimonium, ubi rectè expoſuit id, quod utrique commune eſt ; item monere, quòd, cùm conſenſus Canonicus & legitimus eſſe debeat, oportet, ut habeat conditiones & qualitates à Canonibus & Legibus præſtitutas ; defectum cujuſlibet earum ipſum nullum & illicitum ſimul efficere, vel ſimpliciter illicitum ; eas conditiones eſſe Impedimenta, quoad eos, qui eis carent: tùm loqui opus erat, de Impedimentis in genere, & obſervare quod omnibus commune eſt ; nempè, illicitum facere Matrimonium ; aut pleriſque ; ſcilicet, illud inſuper annihilare ; vel eſſe è Jure Humano, & proindè obnoxia diſpenſationi, abrogationi, varietati, ſivè quoad Tempora, ſivè quoad Loca ; vel nonnullis. v. gr. eſſe è Jure Naturali, vel ex Jure Divino Evangelico, & proindè indiſpenſabilia, invariabilia, & inabrogabilia, eademque in omnibus Locis & Temporibus : talia ſunt error, metus, vis, impotentia, vinculum ex Matrimonio conſtante & valido proveniens, & aliquot Conſanguinitatis gradus. Sic aliquas vitaviſſet repetitiones, quæ occurrunt in Replicationibus, & conſiſtentes in diſpenſatione, quæ tollit Impedimentum ergà Perſonas impetrantes, & circà quam fallitur, eam ſoli tribuendo Pontifici. Poſt has obſervationes generales, loqui debuiſſet de Impedimentis dirimentibus, quæ Matrimonium annihilant, & illicitum faciunt ; idque continuâ ſerie exequi ; deinceps, colligere ea, quæ reſpiciunt Impedimenta merè prohibitiva, quæ illicitum faciunt tantùm.

Cùm ſint Impedimenta, quæ relationes ſpeciales inter ſe habent, ob rationem obſervatam, oportebat colligere id, quod commune habent, priuſquàm ſingula ſeorſim enuclearentur : tales ſunt Conſanguinitas & Affinitas, Impotentia, & Servitus, error circà utrumque, non ſecùs ac circà Perſonam ; Impedimentum naſcens ex cohabitatione vetitâ, & Impedimentum proveniens ex Adulterio juncto Matrimonio ſequenti, vel promiſſioni Matrimonii, vel Conjugicidio, omnia Impedimenta, quæ conſenſum tollunt, ignorantia, error, ſeductio, metus, vis, dementia.

Generatim dici debuiſſet, ac potuiſſet, de Conſanguinitate & Affinitate, priuſquàm ad ſingulas tranſiretur ; hanc juxtà illam, cujus imitatio eſt, ordinari ; *Septem* gradus habuiſſe, cùm illa *Septem* habebat ; contractam fuiſſe ad *Quatuor*, cùm *Tres* ab aliâ dempti ſunt ; modum eos computandi eumdem eſſe in Affinitate, atque in Conſanguinitate, nempè aſcendendo, & deſcendendo in Lineâ Directâ, tot gradus, quot Perſonas, quâ in re Jus Canonicum cum Civili coincidit ; in Lineâ autem Collaterali, tot gradus inter Perſonas, quot gradus inter illas & ſtipitem, ſi in pari diſtantiâ ſint conſtitutæ ; ſin verò in diversâ, tot gradus, quot inter remotiorem à ſtipite & ſtipitem : denique, autoritatem, quæ ea conſtituit, ea extendere & contrahere, prout neceſſarium videtur ad publicam utilitatem, & ab iis in neceſſitate diſpenſare.

Obſervari potuiſſet ac debuiſſet, circà Impotentiam, & Servitutem, pendere à Parte læsâ, utrùm Matrimonium irritari faciat, an ſubſiſtere ſinat : de ejus intereſſe agitur, illud perſequi aut abdicare poteſt, conqueri non poteſt, niſi defectum ignoraverit, quâ in re idem eſt de errore circà Perſonam, ac de errore circà illa duo Impedimenta.

Impedimentum naſcens ex Conjunctione illicitâ, duplex eſt ; aliud ſimplicis Affinitatis ; aliud Conſanguinitatis : talis eſt conjunctio Spuriorum cum Liberis legitimis. Impedimentum hoc convenit cum Impedimento, quod vulgò dicitur Impedimentum *Criminis*, quia naſcitur ex Criminibus ſuprà memoratis.

Commune est omni Impedimento, quòd cessare potest cum dispensatione aut sine dispensatione; ut, Impedimento sublato, Matrimonium ratum haberi possit per renovationem consensûs Partium; si Impedimentum fuit occultum, renovatio occulta sufficit ad ratihabitionem, publica verò esse debet, cùm Impedimentum publicum fuit aut deinceps evasit. Impedimenta indispensabilia tolli nequeunt. Alia cessant vel cum suâ causâ, vel per dispensationem.

Et quidem defectus Ætatis, per lapsum temporis; dementia, per sanitatem; defectus consensûs Partium, aut Parentum, per consensum subsequentem; ignorantia, error, per cognitionem; seductio, metus, vis, per cessationem causarum; differentia Religionis, per conversionem; Clandestinitas, per Promulgationem, aut Dispensationem; Servitus, per Manumissionem, aut consensum Personæ liberæ; Impedimentum Impotentiæ, per consensum Partis læsæ; Impedimenta Ordinis Sacri, Professionis Religiosæ, Cognationis, Affinitatis, Cognationis spiritualis, Honestatis publicæ, Cognationis Legalis, per Dispensationem.

Inter Impedimenta merè prohibitiva, nulla sunt indispensabilia; cùm omnia sint purè Humana, sivè Ecclesiastica, sivè Sæcularia. Quod generatim circà hæc duo Capita dixi, locum habet ergà *Cap. XV.* quod continet Replicationes generales Exceptionum præcedentium. Autor vitare non poterat hæc vitia generalia & specialia, sine speciali discussione uniuscujusque Impedimenti, & Collectione eorum, quæ cuique peculiaria sunt: Postquàm observavi ea, quæ omnibus communia sunt, aut plerisque, aut quibusdam, & viæ, quibus supplerentur utrique defectus; patere videtur, quòd longè difficiliùs notarentur menda, quæ irrepserunt in citationibus, quàm ejus Tractatus de Impedimentis reficeretur. Itaque cogor remittere ad meas REGULAS, circà eadem *Impedimenta, considerata in communi & in omnibus suis speciebus.* Observationibus adjicio, quòd mixtura Replicationum, quas reprobat, cum iis, quas admittit, sit quoque vitium grave. Error & ignorantia circà Impedimentum, non tollunt Impedimentum; bona fides Contrahentium tantùm excusatione dignos facit; diuturnitas possessionis inturbatæ, justitiam excusationis eorum auget, & utraque juncta simul, sunt justæ excusationis causæ. Bona fides præsumitur, cum solemnitates præscriptæ, observatæ fuerunt, & tunc Liberi ex Matrimonio nullo nati, reputantur legitimi, etiamsi Partes Impedimentum cognoverint. E contrà, omissis sinè dispensatione solemnitatibus, Liberi reputantur illegitimi, etiamsi parentes Impedimentum ignoraverint; itaque Parentum negligentia Liberis nocet, & diligentia prodest.

OBSERVATIONES *in* CAP. XVI. *de* JURE MATRIMONII CONTRACTI, *quamdiù constat.*

REG. I. malè concipitur; dicendum erat, usum Matrimonii esse Jus præcipuum Matrimonii ritè contracti; finem hujus usûs esse Liberorum procreationem, eorumque bonam institutionem; & remedium incontinentiæ, quam intrà justos limites coërcet: jungenda erat REG. XII., quæ dicit, Conjugum jus æquale esse; nam paritas hæc Officium Conjugale præsertim hoc in usu constans respicit.

REG. II. restringi debet ad Bonorum administrationem, & regimen familiæ; in utroque Maritus est Caput Uxoris; indè nascitur jus correctionis, quod in Uxorem habet. Quod dicit REG. III. de Marito, ipsum ægritudines Uxoris ferre debere; extenditur ad Mulierem, quæ Mariti infirmitates nec non defectus patienter tolerare debet.

Agendo prolixè de Officio Conjugali, XV. Casus excipit ab obligatione illud solvendi, quos inter nonnulli sunt inutiles: tales sunt ii, qui Matrimonium irritum respiciunt; nam de Matrimonio valido agitur. Quoad casus dubii circà validitatem, dicendum erat, Partem, quæ gravibus de causis dubitat, non debere exigere, sed tantùm alii solvere, qui non habet easdem rationes: & Textibus 44. *de Sent. Excomm. &* 13. *de Restitut.* Spoliatorum, adjicere *Caput* 2. *de Secund. Nuptiis*, quod eosdem casus respicit; non verò novam Exceptionem ex eo eruere. Exceptio IV. ejusque Replicatio non sunt in praxi, quippè rarum est, Episcopos esse conjugatos; & tunc ad continentiam adstringuntur, atque ab Uxore evelluntur. Excepp. VIII. usque ad XV. hodie sunt devotionis, & non obligationis. Eæ respiciunt tempus Partûs, Menstruorum, Jejunii, Communionis, Festivitatum, Processionum, & Diem Benedictionis Nuptialis.

Casus, qui alterutrius Infidelitatem respiciunt, vel Impedimentum affinitatis, per viam illicitam, aut Cognationis spiritualis, justi sunt: idem est de Replicationibus; nempè, cum Incestus, per ignorantiam commissus fuit, aut per fraudem alterius, vel cum spiritualis Cognatio in iisdem circumstantiis contracta fuit: quibus adjicienda est, necessitas Baptismi proprii Filii.

Quod dicit REG. VI. redditionem Officii Conjugalis pari gradu ambulare cum Continentiâ, expositione indiget; nempè, Deum illi dare meritum Continentiæ Conjugalis. *Can.* 5. CAUS. XXXIII. QUÆST. V. qui desumptus est ex S. AUGUSTINO.

REG. VII. repugnare videtur præcedenti nam dici de Continentiâ nequit id, quod de Conjunctione Conjugali asseritur, eam non esse opus Spiritûs Sancti, nec ejus præsentia honorari. *Canoni* 4. qui sumptus est ab ORIGENE, contraria tamen non est; nam loquitur de Conjunctione in seipsa considerata, & non de Conjunctione Christianâ, quæ, sicut aliud quodvis opus bonum, est opus gratiæ, perindè atque hominis.

REG. VIII. & IX. respiciunt continentiam antè Communionem, quam diximus esse devotionis.

REG. X. & XI. fundantur in REG. XII. nempè jus Conjunctionis Conjugalis est jus commune; itaque unus ei renuntiare non potest, nisi alter consentiat.

REG. XIII. est sequela *Secundæ*; nam qualitas Capitis Maritum obligat ad superandam Uxoris virtutem, eamque exemplo suo regendam; observatio hæc, pluresque aliæ præcedentes ostendunt, hujus Capitis Regulas rectè non fuisse ordinatas.

Autor Regulam conficere debuisset, circà amissionem Juris Conjugalis per Impedimenta subsequentia, Impotentiæ, Affinitatis, Cognationis Spiritualis, Voti, Professionis Religiosæ, Ordinis Sacri; & annotare, quòd in his omnibus casibus, Reus non potest exigere: sed tenetur reddere, extrà casum Impotentiæ.

OBSERVATIONES *in* CAP. XVII. *de Actione in adhæsionem.*

Jus hoc est sequela præcedentis; nam si Maritus sit Uxori, & Uxor Marito, oportet, ut, si alius alium sine justâ causâ deserat, Pars deserta habeat jus petendi in Jure, ut alia ad se redeat; & quidem hoc est fundamentum *Regulæ*, quæ *Septem* habet *Exceptiones*: quædam hîc sunt inutiles: nempè, eæ, quæ respiciunt casus nullitatis Matrimonii, & eæ, in quibus de Sponsalibus agitur tantùm; nam si Matrimonium sit nullum, aut initum non fuerit; Conjuncti non possunt petere, ut unio redintegretur, in casu separationis; sed tantùm, ut declaretur, non esse Matrimonium, vel esse nullum; tales sunt *Quatuor* priores.

Quinta,

Quinta, ſumpta ex notorietate Adulterii ab altero Conjugum commiſſi, non ubique admittitur; multa enim ſunt Loca, in quibus illa non diſpenſat à petendâ ſeparatione, & probandâ notorietate. *Sexta* & *Septima*, quæ reſpiciunt caſus, in quibus Pars requiſita non poteſt reverti, abſque periculo, ne malè afficiatur, juſtæ ſunt, & ferunt, Actorem teneri ad dandum fidejuſſorem ſecuritatis; verùm, ſi ſævitia tanta ſit, ut cautio non ſufficiat, non oportet jubere reunionem.

QUÆST. II. Reſponſio ad hanc Quæſtionem, quæ loquitur de hujus Actionis Judice, non eſt ſufficiens; quippè quæ Juriſdictionem ſoli Epiſcopo attribuat. In quibuſdam caſibus pertinent quoque ad Magiſtratum: nempè, quotiès ſeparatio Corporis ſeparationem Bonorum trahit.

QUÆST. III. Adjuncta reſpicientis REG. I. loquitur de Probatione; generatim dicere debuiſſet, Actori probationis onus incumbere, niſi, agatur de Impotentiâ manifeſtâ Rei; quo in caſu, hic contrarium probare tenetur. *Secunda* indicat, nonnullas è probationibus, quæ in cauſis matrimonialibus adhibentur; admittitur teſtimonium Cognatorum, cùm non eſt ſuſpectum: ea non loquitur de viſitatione Partium in caſu Impotentiæ, nec de purgatione, quæ pariter admittuntur. *Tertia* loquitur de Impedimento prohibitivo, nempè de Matrimonii interdicto ineundi, pendente Lite circà prius Matrimonium: hæc non reſpicit Actionem in adhæſionem, ſed Actionem ad diſſolutionem. *Quarta* de Juramento ſecuritatis à Marito, qui recipit eam, quam dimiſerat, de quâ dictum fuit ſuprà.

QUÆST. IV. *Regula* I. non convenit Argumento; nam hìc de Actione in adhæſionem agitur; ea autem, de Actione ad diſſolutionem loquitur: præterea, quotiès unus ex Conjugatis alteri ſe rurſùs uniri poſtulat, petit conſequenter, ſe in poſſeſſionem ſuam redintegrari. *Cap. II. de Sponſal.* laudatum in REG. II. reſpicit caſum, in quo Pater detinet uxores Liberorum ſuorum, eoſque invicem frui prohibet.

OBSERVATIONES *in* CAP. XVIII. *de* MATRIMONII DISSOLUTIONE.

Autor miſcet id, quod reſpicit Matrimonii diſſolutionem, cum iis, quæ reſpiciunt cohabitationem; quarum rerum alia non habet locum, niſi in caſu nullitatis; alia reſpicit caſum diſcordiæ inter Conjugatos. Hæc duo valdè diſcrepantia, ſeparari debuiſſent, & jungi nequeunt ſine confuſione. Cauſæ diſſolutionis Matrimonium præcedunt (exceptâ Profeſſione Religioſâ, quæ aliquandò ſequitur Matrimonium non conſummatum, illudque irritat) & nihil aliud ſunt, quàm Impedimenta dirimentia, de quibus actum fuit CAP. XIII. XIV. & totidem ſunt, quot ejuſmodi Impedimenta: Cauſæ ſeparationis, Matrimonium ſequuntur, ſuntque, ut plurimùm, Adulterium, Hæreſis, Sollicitatio ad Crimen, Sevitiæ.

REG. III. *Cap. XVI.* quæ continet caſus à redditione officii exceptos, hic ſuam applicationem habet; quippè, qui totidem ſint cauſæ ſeparationis à thoro. Idem eſt de CAP. XVII. *Cauſ. I.* ibi ſunt *Exceptiones VII.* quæ Argumento accommodari queunt, quâ in re habemus exemplum repetitionum non neceſſariarum; nam ſufficiebat dicere, Exceptiones in locis laudatis memoratas, continere cauſas ſeparationis, de quâ hic agendum erat, & illùc remittere. Plura ſimilia exempla præbet id, quod dicit, de cauſis ſumptis ex Impedimentis; circà quas ſatis fuiſſet obſervare, Matrimonium ſæpè diſſolvi horum Impedimentorum ratione, verùm ejuſmodi diſſolutionem ſpecioſam eſſe duntaxat, & realiter nihil aliud eſſe, quàm declarationem, nullum fuiſſe Matrimonium; & remittere ad ea, quæ dixerat circà hæc Impedimenta. Reducendo itaque diſputationem ad cauſas veræ diſſolutionis, & cauſas ſeparationis à thoro, exordiri debuiſſet à morte, quæ diſſolvit Matrimonium, ſivè conſummatum ſivè non; tùm loqui de Profeſſione Religioſâ, quæ ſolvit Matrimonium non conſummatum; & obſervare, nullas eſſe alias veræ diſſolutionis cauſas, quàm has duas; ſic multas repetitiones vitaviſſet: indè tranſiens ad cauſas ſeparationis, atque ab Adulterio, earum præcipuâ, incipiens, ut facto opus eſt, colligere debuiſſet caſus, in quibus effectum hunc parit: deindè caſus, in quibus eum non habet: idem perficere debuiſſet circà reliquas cauſas, ſecernendo veras à falſis, & utraſque ex ordine colligendo; cùm id promiſcuè fieri nequeat ſine confuſione.

Quod de Hæreſi dicit *n.* 4. extenditur ad Apoſtaſiam: ratio eſt eadem, illaque eſt cauſa ſeparationis, non diſſolutionis. *n.* 5. falſum eſt, Parricidium eſſe cauſam ſeparationis. Quod dicit *n.* 6. de Voto, quod Matrimonium præceſſit, pertinet ad Impedimenta; & quod adjicit de Voto ſubſequente, eſt in REG. V. *Cap. VI.* Divortium annumerare non debuiſſet cauſis particularibus ſeparationis; nihil enim aliud eſt, quàm ſeparatio, & locum habet in unoquoque caſu ſeparationis.

Num. 1. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 19. 23. falſæ cauſæ ſumptæ ex abjuratione Matrimonii, lite circà ſtatum unius è Conjugibus, Servitute ſubſequente, Exilio, Relegatione, longâ Abſentiâ, Impotentiâ ſubſequente, Furore, Infirmitate, Pœnitentiâ publicâ alterutri impoſitâ, Matrimonio ſubſequente boni finis gratiâ, quilibet is fuerit.

Quod dicit de Impotentiâ antecedente, Argumento alienum eſt, inſufficiens & parùm accuratum: dividere oportebat Impotentiam in antecedentem, & ſubſequentem; naturalem, & ex maleficio; manifeſtam, & dubiam; abſolutam, & relativam: & annotare id, quod ſingulis ſpeciebus peculiare eſt. Antecedens, annihilat Matrimonium; ſubſequens, nequidem ſeparationis cauſa eſt: ea, quæ naſcitur ex maleficio, ſemper relativa eſt, aut talis præſumitur: ideòque perſonæ ſeparatæ, ad alias Nuptias tranſire poſſunt, ſicut in alio quolibet Impotentiæ relativæ caſu. Quandò Impotentia manifeſta eſt, non ſtatuitur cohabitatio triennalis: hæc neceſſaria non eſt, niſi cùm Impotentia dubia eſt. Dubio locus eſt, quoad Impotentiam naturalem, & ex maleficio. Quoad relativam & abſolutam, hæc ab omni prorſùs Matrimonio excludit; undè fit, ut, ſi quis eorum, qui abſolutè impotentes erant, aliud conjugium ineat, & Liberos procreet, hoc poſterius nullum declaratur, & primum reſtituitur: Sententia erronea nullam in priore Matrimonio mutationem induxit.

Num. 16. ineptum erat collocare Sententiam inter cauſas particulares ſeparationis; quippè, quæ unam ex iis ſemper ſupponat, & quoad ſingulas locum habeat, & ſi deficiat cauſa, Sententia iniqua eſt.

Num. 17. Sollicitatio ad crimen eſt juſta ſeparationis cauſa: propter hujus ſollicitationis periculum, mutatio Religionis inter cauſas ſeparationis ponitur.

Num. 18. falſum eſt, quòd, ſi Matrimonium perveniat ad ſtatum, à quo incipere non potuiſſet, mutatio ſit cauſa diſſolutionis, aut ſeparationis; nam conſtat 1. nullum ex Impedimentis, quæ obſtitiſſent Matrimonio, ſi præceſſiſſent, illud annihilare, ſi ſubſequantur; 2. multi ſunt Caſus, qui poſt Matrimonium obvenire poſſunt, & non ſunt juſtæ ſeparationis cauſæ, quamvis ab eo avertiſſent, ſi præceſſiſſent; tales ſunt ii, qui Sponſalia diſſolvunt, Lepra, Paraliſis, Cœcitas, Surditas, Deformitas, Humores frigidi, Dementia.

Num. 20. reſpicit Impedimentum Vinculi, quod, ſi poſt Secundum Matrimonium certificetur, ejus nullitatem trahit, & proindè Argumento alienum eſt.

Num. 21. meram repetitionem continet & falsus est, si agatur de Impotentiâ relativâ, aut naturali, aut ex maleficio.

Num. 22. machinatio in vitam conjugis, ut plurimùm, sequela est Adulterii, vel Cupiditatis immodicæ, alium sibi adsciscendi: idem de hoc casu est, ac de sollicitatione ad crimen, quæ est machinatio in vitam spiritualem.

OBSERVATIONES *in* CAP. XIX. *de Actione ad dissolutionem Matrimonii ejusque Accusatione.*

Observare juvat in hoc Caput & in præcedens, quòd, inter Christianos, Divortium Matrimonium dissolvens prohibeatur, iique hoc in Capite differant à Paganis, & Judæis, inter quos licitum erat. *Divortium* nuncupamus separationem Conjugum, quæ eos invicem colligatos relinquit. Ad hanc separationem justa causa requiritur, Ecclesiæque autoritas: alia sinè alterâ non sufficit. Ecclesia Conjuges copulat; æquum est, ut illos dividat: unio justa est, & publica; oportet, ut separatio similis sit: talis esse nequit sine justâ causâ: Partes nequeunt esse Judices in suâ Causâ: oportet igitur, ut Judicem habeant, quod nemini magis, quàm Ecclesiastico convenit. Præterea, causæ pleræque separationis, sunt crimina: putà Hæresis, Adulterium, Discordia, Sævitiæ, Machinatio in vitam Conjugis: proindè separatio est pœna: requiritur Ministerium alicujus, qui illam pronuntiet, aut declaret, eam in circumstantiis occurrentibus habere locum: notorietas à Judicis interventu dispensare non potest, quippè quæ probari debeat. Principia hæc necessaria sunt ad intelligenda hæc duo Capita, sed maximè postremum hoc.

Hìc aliquot repetitiones occurrunt, & ordo negligitur in quibusdam Quæstionibus. Sponsalia quoque cum Matrimonio confunduntur, quamvis agatur solùm de Matrimonio: confunditur etiam vera Matrimonii dissolutio, cum eâ, quæ specioſa est tantùm, & cum simplici Conjugum separatione. *Caput* in QUÆSTIONES IV. dividitur. *Quæst. I.* respicit causas Actionis, quæ sunt eædem, ac dissolutionis causæ; idem est, quoad exceptiones, ut fatetur Autor, ideòque remittit ad Caput præcedens, adjiciendo solùm quasdam Exceptiones generales & communes. Prima est, si agatur de Matrimonio contrahendo; tunc enim Accusatio non habet locum, sed mera denunciatio. Verùm hæc Exceptio non convenit Argumento; nam hoc Caput, nec non præcedens, respiciunt Matrimonium contractum.

Secunda est, si Conjugum alter ab alio relictus fuerit; tunc enim restituendus est, priusquàm discutiatur causa, ob quam, separationem postulat; nisi 1. agatur de Cognatione, quam Desertor probare paratus sit, & præstet Juramentum de calumniâ. 2. Persona deserta Adulterium commiserit post separationem, quod in Jure confiteatur; sic enim juri suo renunciavit; 3. Nisi agatur de Matrimonio Infidelium, quorum, altero ad Fidem converso, alius cum ipso cohabitare recusat sine contumeliâ Creatoris; nam tunc Fidelis autoritate privatâ discedere potest.

Tertia est, si Reus sine culpâ suâ absit. Exponendo has Exceptiones, inseruimus Replicationes, quibus illæ evaserunt clariores.

Quæst. II. Ad quem pertineat jus accusandi Matrimonii? Respondetur: illud ad Cognatos potiùs, quàm ad Extraneos pertinere: hæc eis prælatio debetur ratione specialis interesse ipsorum. Accusatio fit vulgò per denunciationem Impedimentorum, sivè antè, sivè post Matrimonium, quæ, ut plurimùm, magis à Cognatis, quàm ab Extraneis cognoscuntur. Accusatio locum habet solùm, cùm silent Partes, & in casibus nullitatis Matrimonii. Quoad causas separationis, ipsæ Partes se invicem accusant, cùm earum præcipuè interſit.

REG. I. *Quæst. III.* respicientis Judicem, malè concipitur: dicendum erat, in Judice requiri scientiam Canonum; non verò, peritos Canonistas esse Judices ejusmodi Causarum. De notitia Legum silet, putans, has Causas judicandas juxtà Canones: quod falsum; cùm contrarium agnoscant ipsi Canones: 2. restringi debet ad suum tenorem expressum, nempè Judicium hoc pertinere ad Episcopum, non verò ad Abbatem. Magistratus Politicus hoc jus ab Ecclesiâ vindicat, cùm separatio Corporis inducit separationem Bonorum, quod vulgò fit, cùm jungitur separationi habitationis, sæpè necessariæ, ad vitandos perniciosos effectus separationis Corporis statutæ in Jure.

Quæst. IV. respiciens accessoria Actionis, & probationem ejus, nihil ferè novi continet. Facta videtur ad majorem explicationem.

Reg. VI. conjungenda erat *Reg. II.* Ambæ respiciunt probationes Impotentiæ.

Reg. III. IV. VII. pertinent ad probationes Consanguinitatis; earum doctrina ad alias Cognationis species extenditur. *Quinque* Exceptiones REG. IV. reducuntur ad Qualitates Testium, quæ relatæ sunt *Lib. II.* videlicet. 1. Ut Juramentum præstent; duo sint ad minùs; fide digni sint; stabiles in suâ depositione, ejusque sufficientem rationem reddant. Idem est de testimonio in casu Cognationis, ac de Accusatione Matrimonii: in simili casu Cognati aliis anteponuntur.

REG. quæ respicit Judicem Dotis, pertinet ad QUÆST. II. *Cap.* 20. quod legitur in fine *de Denunciatione*, observatum fuit in QUÆST. I. hujus CAP. XIX.

OBSERVATIONES *in* CAP. XX. *de Jure Matrimonii dissoluti.*

Quod observatum fuit suprà, circà verbum hoc, *dissolvere*, suam, hìc, applicationem habet; cùm eodem sensu adhibeatur.

Caput hoc, magis Civile, quàm Spirituale respicit, Conventiones potiùs, quàm Sacramentum; proindè, Argumentum minùs ad Canones, quàm ad Leges pertinet: hæ enim Conventiones definire debent, & providere earum executioni, ad quam pertinet Jus Matrimonii: nempè, restitutio Dotis & Donationis propter Nuptias. Circà hæc, ut circà alias quaslibet, nihil ad Decisionem Canonicam pertinet, nisi quod Animam tangit, an sit peccatum, nec-ne; quatenùs illud coràm Deo, atque Hominibus reparandum sit, ubi scandalum peperit; quandò damna præstanda veniant, aut secùs; an pœnæ contrariæ, aut conformes sint Legi Divinæ. In *Prima* Capitis hujus QUÆST. extant exempla rerum pertinentium ad Jus Canonicum quoad Divortium; in cæteris autem referuntur res ad Jus Civile competentes. Prioris generis exempla sunt, 1. pœnæ spirituales latæ in Divortium injustum ob defectum causæ, vel autoritatis legitimæ REG. I. II. 2. Judicium de justitiâ aut injustitiâ Causarum. 3. Retractatio Judicii erronei, per Ecclesiam lati REG. IV. 4. Legitimitas Liberorum antè, vel post Divortium natorum REG. III. 5. Validitas Secundi Matrimonii post Divortium contracti REG. V. nam judicium de vinculo, Ecclesiæ competit. Itaque, posito quòd Matrimonium prius manifestò nullum sit, aut contractum, omissis solemnitatibus ab Ecclesiâ præstitutis, Liberi sunt illegitimi; si prius ab Ecclesiâ nullum fuerit declaratum, posterius validum est: si Ecclesia decepta fuerit, ipsa errorem suum emendare debet.

REG. VI. continet exemplum posterioris generis; nempè divisionem Bonorum constante Matrimonio partorum. Legum Officium est, statuere, atque ordinare, quandò locum habeat. Cùm amissio Dotis & Donationis, sit pœna temporalis, quemadmodùm amissio Bonorum, stante Communione, acquisitorum, temporalis est; utriusque Capitis Definitio pertinet ad Leges: undè fit, ut *Sex* Regulæ subsequentes exempla similia suppeditent; nam loquuntur de casibus, in queis

Uxor

Uxor Dotem & Donationem amittit, & de iis, in quibus Dotem recuperat, & Donationem lucratur. Canones his in *Regulis* laudati, desumpti sunt ex Legibus Civilibus, & ad eas confirmandas conditi fuêre. *Reg.* IX: quæ dicit, Judicem Ecclesiasticum de restitutione Dotis cognoscere posse, & Canon ibi laudatus, exolevêre; Judex Sæcularis jus suum recuperavit. Principes, qui hunc Casum Ecclesiæ dimiserant, expedire duxerunt, ut sui Judices de eo cognoscerent. Duæ novissimæ, quæ respiciunt Donationem propter Nuptias, Jus Civile respiciunt.

OBSERVATIONES *in* CAP. XXI. *de Secundis* NUPTIIS.

Secundæ NUPTIÆ contrahi possunt, vel antè prioris Matrimonii dissolutionem, vel post: quod non accidit, nisi per mortem alterius Conjugis, si Matrimonium sit consummatum; vel Professionem Religiosam, si nondùm sit consummatum. Autor plures admittit casus dissolutionis; quâ in re procul dubio fallitur. Ii notabuntur, postquàm monuerimus, secundum Matrimonium, post dissolutionem primi, validum semper fuisse; idemque obtinere, quoad alia subsequentia: Interdictum autem à quibusdam Canonibus latum, nusquàm fuisse, nisi Impedimentum prohibitivum, quod ex multis retrò Sæculis fuit sublatum. Quoad alia Impedimenta prohibitiva, quæ vigent, quoad prius Matrimonium, ea locum habent ergà posterius, sicut omnia Impedimenta dirimentia, quæ etiamnùm vigent. Nullum est, quoad Capita hæc, discrimen inter prius & posterius: unicum supereſt, videlicet, quòd non benedicatur posterius; quod restringendum est ad Benedictionem accidentalem, nempè eam, quæ sequitur Conjunctionem Conjugalem, quam operantur & pariunt, juxtà opinionem probabiliorem, consensus Partium, & verba Ministri.

Hi sunt errores Autoris, seù veri seù specioſi, qui sunt in Exceptione II. *Quæst.* II. Primus, est in Secunda Replicatione: dicit, Sponsam, non Uxorem, dimissam, rursùs nubere posse. Si per, *Sponsam*, intelligat *Conjugem*, ut intelligunt *Canones* 32.33.34. CAU. XXVII. QUÆST. II. ubi agitur de casu, quo Conjux *Titii* rapta fuit à *Mævio*, qui eam cognovit; Canones dicunt, eam rursùs nubere posse, si à marito dimittatur: quod restringendum est ad Casum mortis mariti. Restrictio adjecta id insinuat; nempè, si Raptoris sceleri non consensit. Idem est de prohibitione Raptori factâ uxorem ducendi, quæ est sequela Pœnitentiæ publicæ, cui Raptus erat obnoxius.

Secundus Error, est in Secunda Replicatione: dicit, Incestum ab altero Conjugum cum aliùs Cognatâ commissum solvere Matrimonium, quoad innoxiam Partem. *Can.* 23. CAU. XXXII. QUÆST. VII. laudatus, ad id probandum, exponi debet sicut præcedentes.

Tertius, est in Quinta Replicatione: dicit, Maritum, qui Uxorem, ob sterilitatem, dimittit, aliam ducere posse. Canon prior, quem laudat, nempè *Can.* 18. *ibid.* non loquitur de casu Sterilitatis, sed de casu Impotentiæ Matrimonium subsequentis; & à plerisque erroneus creditur. Canon *Si quis cum*, 24. QUÆST. *laudatæ*, loquitur de casu Incesti, sicut 24. suprà expositus. *Canon* 2. *Requisivisti*, CAUS. XXXII. QUÆST. I. respicit Impotentiam antecedentem.

Quartus, est in Sexta Replicatione: dicit, eum in cujus vitam alter machinatus est, secundum Matrimonium inire posse. Canon laudatus loquitur de casu, quo superstes est Machinator, cui Matrimonium subsequens mortem læsi conjugis interdictum erat, propter Pœnitentiam publicam, cui subjacebat.

Quintus, est in Decima: dicit, quòd, si metuatur, ne maritus uxorem adulteram occidat, licentia aliam ducendi ipsi concedenda est. Canon laudatus 9. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. contrarium dicit. VIGELIUS ideò deceptus est, quòd S. AUGUSTINUS, Autor Canonis, advertens, Adulterium esse crimen minus homicidio, dicat, virum, qui ad alterutrum propensus est, minùs malè acturum, uxorem aliam ducendo, quàm occidendo; ut libertatem consequatur. *Si facturus est, quod non licet, jam facit Adulterium, & non Homicidium.* Qualificatio Adulterii, quam S. Doctor his Nuptiis tribuit, perspicuè ostendit, eum ipsas illicitas duxisse; Idem probat sermo præcedens, nempè, *Vir uxorem adulteram occidere nequit, nec aliam ducere, quamdiù hæc vivit*: si autem occidat, ut deinceps aliam ducat, pervenit ad id, quod illicitum est, per rem, quæ etiam illicita est.

Sextus error, est in Replicatione Exceptionis IV. ubi sine restrictione dicit, uxorem Subdiaconi, qui ab Ordinis sui functionibus abstinere maluit, quàm à Matrimonio; rursùs nubere posse, illo mortuo: porrò, id verum non fuit, nisi quoad Subdiaconos Siculos, qui duxerant Uxores, antequàm Celibatus Subdiaconorum in illâ Regione institueretur: itaque casum particularem in Regulam transfert.

Impedimentum, de quo in hac Exceptione agitur, erat merè prohibitivum, & proveniebat ex Voto Continentiæ, cui adstringebatur mulier, quæ consentiebat, maritum suum accipere Ordines Sacros. Idem est de iis, de quibus loquuntur Exceptiones V. & VI. nempè Conjugis, qui occiderat, aut machinatus erat in vitam alterius; & ejus, qui puellam rapuerat: hæc Impedimenta proveniebant ex Pœnitentiâ publicâ, cui obnoxia erant crimina hæc, & dispensationem patiebantur in periculo incontinentiæ.

Pleraque eorum, quæ hic dicta sunt, ad Impedimentum vinculi pertinent; quàpropter Autor ea meliùs collocavisset in CAP. XIII. & XIV. ubi consultò agitur de Impedimentis Matrimonii.

OBSERVATIONES *in* CAP. XXII. *de* CONCUBINIS.

REGULA, quam Autor proponit principio, Concubinatum esse Societatem licitam, expositione indiget: Nam, si verbum accipiat in significatione ordinariâ, nempè, pro contubernio duarum Personarum, quæ vivunt quasi Maritus & Uxor sine vinculo Matrimonii; Concubinatus semper illicitus est: ex adverso, si, per hoc verbum, intelligat Matrimonium non solemne, vulgò dictum *Matrimonium Conscientiæ*, verum est, hunc Concubinatum esse licitum, modò palàm habeatur pro Matrimonio non solemni. Differt à Matrimonio solemni, in eo quòd fiat sine Conventionibus Matrimonialibus; Uxor nomen suum retinet; non fruitur honoribus Mariti; agit & contrahit nomine suo; nullum habet jus in Bona Mariti, neque in acquisitiones, quæ, stante hoc contubernio, fiunt; Liberi nec suis Parentibus, nec Majoribus succedunt.

Autor laudat Canones, qui loquuntur de hac specie Concubinatûs, eamque approbant. Laudat quoque eos, qui eum Clericis interdicunt, quia Matrimonium non solemne, non satis honorabile est, respectivè ad illorum statum.

OBSERVATIONES *in* CAP. XXIII. *de* CONCILIIS.

Argumentum hoc hîc malè collocatur: sedes germana ipsius erat *Caput* I. hujus *Libri*, ubi agitur de Fide & Doctrinâ Christianâ; ad Concilia enim pertinet Decisio eorum, quæ ad utramque pertinent, & illorum Definitiones, fiunt pars rerum, quæ credi ac doceri debent. Argumentum malè cum præcedentibus connectitur, dicendo, quòd, enumeratis juribus Personarum, Rerum & Actionum, æquum est agere de Conciliis, quæ ista constituunt; hanc enim ob causam, illud reservare debuisset ad finem Operis; neque enim minùs ordinant materiam *Libri* V. quàm *Quatuor* præcedentium: hæc ratio nihilòmagis convenit Visitationi, quam Conciliis immediatè subjicit, & cui eam accommodat. Sed excusat eum, quòd Concilia & Visitatio sint Actus Ecclesiastici, & *Librum* IV. destinavit, ad illos Actus explicandos.

Caput in *Quæstiones VII.* dividitur. In nullâ fit sermo de variis Conciliorum speciebus; de rebus ipsis communibus, aut peculiaribus; de superioritate Conciliorum Generalium in alia omnia; de appellatione à Conciliis Inferioribus ad Superiora. Capitula Monachorum, & Synodus Diœcesana, hîc inter Concilia collocantur: credibile est, hoc nasci ex eo, quòd Autor utatur verbo *Concilium*, prout significat Conventum Ecclesiasticum, & juxtà hanc ideam, promiscuè differit de quâlibet specie ejusmodi Conventûs, applicando omnibus id, quod paucis convenit. Afferentur exempla in notis specialibus in unamquamque Quæstionem. Loquitur de Origine verborum *Concilium, & Synodus, in Quæst. I.* quæ ipsi præbuit occasionem confundendi Concilia cum cæteris Comitiis Ecclesiasticis, nec attendit eminentiam Conciliorum eis affectavisse nomen commune omnibus Conventibus Ecclesiasticis. *Can.* 1. DIST. XV. quem laudat, hanc conjecturam suppeditat.

Quæst. II. respicit Tempus, & numerum Conciliorum, quæ celebranda sunt

Duæ priores *Regulæ* loquuntur de Conciliis Provincialibus. *Prima* jubet, illa quotannis haberi: *Secunda*, bis quolibet anno. *Tertia* loquitur de Capitulis Abbatum, & jubet, illa unoquoque triennio cogi. *Quarta*, omnibus Conciliis applicat Textum, qui de his Capitulis loquitur, & dicit, illa certo dierum continuorum numero perseverare debere.

Quinta omnibus Conciliis applicat id, quod Concilium *Nicænum*, Concilium *Antiochenum*, & *Canones Apostolorum*, de Conciliis Provincialibus dixerunt, illa celebranda esse tempore, quod præstituerunt.

Quod dicitur in *Quæst. III.* in quâ quæritur, per quos Concilia celebrari debeant, respicit solùm Capitula Abbatum & Priorum, quamvis in Corpore Juris occurrant multi Textus, qui loquuntur de Prælatis, ad quos pertinet convocatio verorum Conciliorum.

Secùs est de *Quæst. IV.* respiciente eos, qui ad Concilium vocandi sunt. Hîc sunt *Regulæ VIII.* quarum *aliæ* loquuntur de Synodis Diœcesanis, & dicunt, omnes Sacerdotes ad eas convocari debere, idem esse quoad Monachos, qui Plebem regimini suo subjectam habent, secùs autem, quoad alios, qui dispensantur; denique, omnes, qui se læsos arbitrantur, habere jus ad illas eundi, sicut ad Concilia *Reg. I. IV. V. VIII. aliæ* loquuntur de Capitulis Monachorum vid. *finem Reg. V.* dicentis, Abbates vocari ad Concilium Abbatum & Religiosorum. *Reg. II. III. V. VI. VII.* loquuntur de Conciliis, sive Particularibus, sive Generalibus: dicunt, Suffraganeos, & Capitula Cathedralium convocanda esse ad Concilia Provincialia, Abbates quoque vocari debere, cùm justa extat causa; cùm habent Privilegium, ut primus illorum immediatè post Episcopos sedeat, vel cùm habent Plebem sibi commissam: Hæreticos ab iis excludi; Imperatores iis interesse non debere, nisi Concilium Generale sit.

Observare juvat, omnes Personas, quæ Conciliis interesse possunt, ad ea non convocari; sed eas tantùm, quæ vocem habent: cæteros vocari posse, vel ad protegendum Concilium, ut Princeps & Magistratus: vel, ut audiantur & judicentur, quales sunt, qui de aliquo gravamine conqueruntur; vel, ut eruditantur, ut Hæretici, aliive qui difficultates proponere volunt: Imperatores non interfuisse Conciliis, nisi, cùm illa convocaverant, vel ex eorum jussu coacta fuerant; denique, Concilia, Synodos Diœcesanas, & Capitula Religiosorum, hîc confundi.

Reg. II. & III. Quæst. IV. circà Antecedentia Conciliorum, rectiùs collocatæ fuissent sub *Quæst. III.* quippè quæ loquatur de autoritate, per quam Concilia convocari debent.

Reg. II. est erronea: dicit, solum Pontificem Concilia convocare posse, sivè Generalia, sivè Particularia; nisi id fiat ad tollendos abusus, aut corrigendas Personas, vel ad promulgandum id, quod in aliis Conciliis sancitum est; ut ostensum est in REGULIS *circà Concilia.*

Reg. III. adversatur *Secundæ*: nam dicit, neminem convocare posse Concilia Provincialia sine autoritate Metropolitani. Textus laudatus in *Prima* loquitur de Conciliis Provincialibus, antè quorum celebrationem Argumenta præparanda sunt, conficiendi Catalogi abusuum tollendorum, difficultatum discutiendarum, controversiarum dirimendarum, contentionum sopiendarum.

Reg. IV. respicit Capitula Regularium; & ordinat apparatum seù suppellectilem Prælatorum: hîc iterùm Capitula cum Conciliis confunduntur.

Idem cernere est in *Quæst. VI.* de Adjunctis Conciliorum. Hujus *Regulæ XIII.* laudant solummodò Textus, qui de Argumento singularum loquuntur; nempè: de electione Præsidentium; quod pertinet solùm ad Capitula Regularium: de ordine cæterorum; quod reliquis Conventibus convenit: de jurejurando Synodali; quod præstari debet in Synodo Diœcesanâ ab omnibus Testibus Synodalibus. Textus laudatus, è spuriâ *Decretali* desumptus est, quem tamen usus comprobavit: de propositione rerum reformandarum, aut definiendarum, aliarumve, quibus providere opus est; circà quod nihil est, quod fieri non possit in quovis Ecclesiastico Conventu.

Sequitur Inquisitio culparum Præsidentium; hoc respicit Capitula Regularium; reconciliatio Episcoporum; hoc pertinet ad Concilia: Electio Visitatorum; hoc ad Capitula Regularium: assignatio loci, in quo sequens Concilium teneri debeat; hoc etiam ad Capitula pertinere potest, cùm in eodem loco non coeunt semper: Rationes investigandæ, quibus impediatur, ne Episcopi Ecclesiæ noceant: Mensa, & expensæ communes: munuscula accipienda & danda: meditatio & sollicitudo Patrum: tria hæc respiciunt omnes Conventus Ecclesiasticos, & maximè Comitia Monachorum.

Quod diximus de *Regulis Quæst. VI.* extenditur ad *Quæst. VII.* de Consectariis Conciliorum, quæ citant solùm Textus Argumento suo respondentes: videlicet, pœnis eorum, qui Conciliis interesse negligunt, vel ea quotannis celebrare: promulgatione Statutorum, quæ in eis conduntur: observatione ipsorum: pœna Infractorum, relatione ad Pontificem, eorum, quæ in Conciliis componi nequeunt. Quod legitur in *Regulæ* III. de publicatione Diei Paschæ in Concilio, à multis Sæculis exolevit. Eædem Regulæ omnibus Conventibus Ecclesiasticis accommodari queunt.

OBSERVATIONES *in* CAP. XXIV. *de* VISITATIONIBUS.

Dividitur in *Quæstiones* VII. *Sex* Priores valdè imperfectæ sunt: eas supplere potest *Septima.*

Loquendo in *Prima*, de causis Visitationis, unius duntaxat mentionem facit, nempè suspicionis Hæreseos: porrò multæ sunt Visitationis causæ.

Tres Regulæ Quæst. II. nihil aliud docent, nisi, omnes Visitationi subjacere; Clericum & Populum Episcopali: Suffraganeos, Archiepiscopali; quæ perfici debet in Diœcesi Metropolitanâ, antequàm cæteræ Diœceses visitentur. Monachos omittit inter eos, qui visitari possunt; & Canonicos Regulares, qui medium inter Clericos & Monachos tenent.

Quod dicit, jus Visitationis imprescriptibile esse, non est verum quoad Patriarchas, Primates, Metropolitanos ergà districtum generalem uniuscujusque ipsorum, quem visitare desierunt. *Tertia*, loquens de iis, qui visitandi jus habent, solos Archiepiscopos commemorat: longè plures tamen Prælati jus habent visitandi; scilicet, Pontifex, ejus Legati, Patriarchæ, Primates, Episcopi, Archidiaconi, Archipresbyteri, seu Decani Rurales, Abbates, Priores Conventuales.

Quod dicit in *Quæst.* IV. committi posse Visitationem, non est generaliter verum; nam v. gr. Visitatores Ordinum Religiosorum, Archidiaconi, Archipresbyteri, visitare debent per se ipsos. Episcopi non possunt Exemptos visitare, nisi per seipsos, saltem in quibusdam Casibus.

Reg.

Reg. I. Quæst. V. quotiès visitandum sit; nimis generalis est: dicendum erat, oportere visitare, quotiès necessarium; non verò dicendum, sæpè.

Reg. II. restringi debet ad Casus, in quibus Visitatio annua possibilis est & necessaria. Sunt Districtus, qui visitari nequeant quotannis, sivè propter eorum amplitudinem; sivè propter alias occupationes Prælati.

Unum est verbum in *Quæst. VI.* de Antecedentibus Visitationis, & pertinet ad Visitationem Archiepiscoporum, qui Suffraganeos consulere debent, iisque Statutum Visitationis communicare.

Quæst. VII. agit de Adjunctis Visitationis, & de Officiis Visitantium: membrum hoc collocari potuisset sub *Quæst.* I. nam unumquodque Officium est causa Visitationis, cùm hæc fieri debeat, ut illud impleatur. Singula suas Regulas habent, proindè, cùm hîc sint *Regulæ XXXI.* numerari possunt 31. *Officia.* Quod dicitur hîc, rectum videtur, sed ordo non est accuratus. Officia dividere opus erat in plures Classes; nempè, ergà Personas, ergà Ecclesias, aliave Loca Pia, & ergà Bona Ecclesiastica. Personæ subdividendæ erant in Clericos, Religiosos, & Laïcos: Ecclesiæ, in Parochiales, Cathedrales, Collegiatas, Monasteria, Oratoria, vel publica, vel privata. Continuâ serie disponendum erat unumquodque membrum Divisionum aut Subdivisionum, juxtà ordinem Dignitatis; ideòque, initio facto à Personis, non transire ad Ecclesias, priusquàm de Personis absoluta esset Disputatio,

Reg. I. Autor exorsus est ab Ecclesiis. Quod dicit de cura Visitatoris, ad earum reparationem adhibendâ, extenditur ad omnia Loca Pia.

Reg. II. præcipuè respicit Personas, in quibus corrigendum est quodcumque emendationem postulat.

Reg. III. respicit Curatos, qui examinari debent, circà administrationem Sacramentorum, Missam, & Officia Divina.

Reg. IV. spectat etiam aliquatenùs ad Parochias; nam Catechumenatus erat præparatio ad Baptisma: quod hîc dicitur, exolevit.

Reg. V. pertinet ad Laïcos. *Reg. VI.* Visitatorem ipsum, qui non sua, sed ea quæ sunt JESU CHRISTI quærere debet. *Reg. VII.* Abbates, quos deponere oportet. *Reg. VIII. & IX.* Monachos delinquentes, aut contumaces; quid circà eos faciendum sit. Eadem est incuria in Regulis sequentibus. Sufficit observavisse, quomodò illæ sint ordinandæ, & aliquot exempla negligentiæ attulisse. Vitium hoc ab earum lectione absterrere non debet: utiles sunt, eæ præsertim, quæ Procurationes respiciunt, & crebrò in praxim veniunt: sed interim observandum est, Canones, qui jusserunt, ut Procurationes impræscriptibiles forent, exolevisse; & meritò: nam Exceptio ab illis potest acquiri per Privilegium, ut docet *Exceptio V. Reg. XXVI.* æquum est igitur, ut illa, præscriptione acquiri possit: præterea, Interdictum in his Canonibus contentum, est de Jure Humano, quod præscriptibile est.

Methodi VIGELIANÆ; *Liber V. de Reliquo Jure Pontificio.*

LIBER hic omnium brevissimus est, & respicit Jus Civile potiùs, quàm Canonicum. Argumentorum Pars major Temporalis & Sæcularis. Agitur de Jure Publico; de Jure Personarum, de Potestate Patrum, Dominorum, Tutorum, & Curatorum; & Jure Rerum, de Dominio, de Possessione, de Causis lucrativis, & conditionibus; de Obligationibus & Actionibus, de Contractibus & quasi Contractibus; de Delictis & quasi Delictis; de Exceptionibus, & de Functione Officiorum. Inscriptiones horumce Titulorum è Jure Civili petitæ sunt: alii TITULI de Censibus, de Restitutione in integrum, de Verborum significatione, de Regulis Juris, sunt quidem in Jure Canonico, sed originem trahunt è Jure Civili, suntque referti Legibus Civilibus, aut Canonibus, ex iis desumptis. Ex his quatuor Titulis, duo novissimi sunt expresè in *Lib. V. Decretalium*: illic tamen juxtà ordinem Temporum *Capita* digeruntur; hîc materia juxtà ordinem Alphabeticum distribuitur. TIT. *de in integr. Restit.* est circà finem *Libri* I. Decretalium. TIT. *de Censib.* est in *Libro* III. earumdem *Decretal.* sed longè aliter dispositi, quàm hîc.

OBSERVATIONES *in* CAP. I. *de* JURE PUBLICO.

Autor meritò affirmat, majorem Partem rerum præcedentium pertinere ad Jus Publicum; nam *Lib.* I. *de Judiciis publicis*, nihil aliud respicit. LIB. II. *de Judiciis privatis*, reducitur ad enumerationem eorum, quæ pertinent ad autoritatem Magistratûs, & Judicis Ecclesiastici; ad viam procedendi; ad Sententias, earumque Executionem; ad Appellationes &c. & hæc omnia sunt Juris Publici: LIB. III. loquitur *de Bonis Ecclesiasticis*, & differit de Promotione ad Dignitates, & Beneficia, eorum Juribus & Obligationibus. Hæc autem omnia sunt Juris Publici. In LIB. IV. *de Actibus Ecclesiasticis*, exponuntur ea, quæ respiciunt Fidem, Doctrinam, Prædicationem, Divinum Officium, Missam, Sacramenta; circà quæ nihil est, quod publicum non sit. Utilitas, quam Privati ex his rebus præcedentibus accipiunt, non obstat quominùs, eæ aliquatenùs ad Jus Publicum pertineant, quod eas ad Bonum publicum constituit. Autoritas publica, seu Divina, seu Humana, illas instituit, tàm pro Bono publico, quàm privato Membrorum Reipublicæ, sivè Sacræ, sivè Sæcularis. Undè nascitur Divisio Boni publici, in *Sacrum*, quod Religionem tangit, & *Profanum*, quod Imperium immediatè attinet.

Varietas materiæ priorum Regularum XIV. non finit, ut eas ad germanum ordinem revocemus. Sufficiet observare, quoad *Reg.* I. pœnas pecuniarias ab Ecclesiâ impositas, esse pœnitentias, quæ in opera pia erogari debent: In *Reg.* II. *Cap.* 3. *de Censib.* loqui de *Abbate*, non de *Episcopo.* Verbum, *Vectigal*, quod ibi usurpatur, non convenit Argumento Textûs: nam significat Tributum, seu Impositionem in merces, quod *Reg.* V. dicit, Principi reservari, juxtà *Cap.* 10. *de Censibus.*

Quod dicitur in *Reg.* III. non deberi Censum, cujus causa ignoratur; expositione indiget: Vid. GONZALEM *in Cap.* 5. *de Cens.* ubi refert opiniones in utramque partem, & putat, si pluribus annis continuis solutus fuit sub certo Titulo, eum deberi, quamvis is, cui solutus est, non probet suum Titulum; &, si possessio sit immemorialis, eum deberi, quamvis ignoretur causa, propter quam solutus fuit.

Cap. de Treugâ & Pace laudatum in *Reg.* VIII. loquitur de Bellis inter Privatos toleratis potiùs, quàm approbatis per Principes. Conventicula, de quibus agitur *Reg.* XI. sunt Comitia sine autoritate legitimâ coacta. *Reg.* XII. una est ex insignioribus: scilicet, nullum Corpus seu Collegium constitui potest sine autoritate *Superioris*: per quem intelligitur Princeps, si Corpus Sæculare sit; Princeps & Ecclesia, si Corpus Ecclesiasticum sit.

Regulæ X. sub Titulo *de Studio Artium Liberalium* existentes, non continent omnia quæ circà hoc Argumentum in Corpore Juris reperiuntur. Probatur id, per inspectionem Tractatûs *de Irregularitate in specie*, TIT. *de scientiâ defectu*; plures ibi Textus afferuntur circà Studium Juris Civilis & Medicinæ, qui hîc omittuntur: perindè ac Privilegia Professorum & Scholarium in Theologiâ, quæ sub illo *Titulo* exposuimus.

Multi sunt Textus in Tit. *de Magistr.* qui conveniunt REG. XV. quæ jubet, ut Magistri in Artibus instituantur: ii laudandi erant. REG. XVII. XVIII. XIX.

quæ

quæ vetant vendere licentiam docendi, eam denegare; & pecunias à Scholaribus exigere; sunt Consectaria REG. XV. & XVI. quæ præcipiunt, instituì Magistros, eisque honestum salarium assignari; indè enim sequitur, licentiam docendi non esse recusandam, eam gratis esse concedendam, & gratis quoque docendum.

Textus laudatus in *Reg. XXI.* Argumento alienus est: quippè qui loquatur de Commendatariis Templi, qui vocantur Præceptores; & valdè discrepant à Præceptoribus Artium, quibus ille applicatur. Idem est de REG. XXIII. de aliquot Medicorum Officiis loquente, quæ Studium non respiciunt.

Septem REG. sequentes sub TIT. *de Jure Civitatum*, conveniunt Burgis & Pagis, quæ vulgò distinguuntur ab Urbibus, quæ vocantur Civitates. *Prima* docet, res à majore parte, Corpus Urbis exhibente, gestas, attribui Corpori; principium non solùm omni loco habitato, sed etiam omni Collegio applicabile. *Secunda*, loquitur de Ornamentis Civium, & de fuco Mulierum. *Tertia*, vetat Nundinas in Ecclesiis, aut in Cæmeteriis constituì. *Quarta*, Concilia in iisdem locis haberi. *Quinta*, Conventus Ecclesiasticos diebus solemnibus deseri, ad visenda spectacula. *Sexta* & *Septima*, loquuntur de exemptione à muneribus publicis in gratiam Cœcorum, Minorum, aliarumque Personarum, qui eam amittunt, si nominati solemniter non conquerantur, nisi fortè Minores sint 25. annis.

OBSERVATIONES *in* CAP. II. *de* JURE PERSONARUM.

Quod dicitur hîc de Jure Patrum, Tutorum, Curatorum, & illorum, qui ipsis subjacent, Tractatui *de Matrimonio* egregiè connecti potuisset. Quod adjicitur de Jure Servorum & Patronorum, Matrimonio, quoque inseri potuisset, ubi fit sermo de Impedimento Servitutis, vel dispensationi de Ordinibus, eorumque Impedimentis, quorum unum est Servitus.

QUÆSTIO I.

Loquendo de Jure Parentum ergà Liberos, & Liberorum ergà Parentes, observandum erat, obligationem ad alimenta præstanda, esse reciprocam REG. III. ubi etiam notandum erat, quòd, si Matrimonium malâ fide contrahatur inter prohibitas Personas, Jus Civile Liberos privat facultate petendorum alimentorum, quæ ipsis à Jure Canonico conceditur; *Cap. 5. de eo, qui duxit &c.* id probat. Quod REG. IV. dicitur, institutionem Liberorum à Parentibus Infidelibus natorum antè conversionem ad Fidem, pertinere ad eum, qui conversus est; restringendum erat ad casum, quo triennium compleverunt.

QUÆST. II. Spurii. *Exceptio* II. REG. VI. malè Concipitur: ibi insinuatur, Liberos à Parentibus Infidelibus natos in gradu prohibito, legitimos fieri per illorum conversionem ad Fidem. Dicendum erat, ejusmodi Liberos esse legitimos; posito quòd prohibitio merè Ecclesiastica sit, & non Divina.

Quod dicitur REG. VII. de Liberis ex Adulterio natis, eos, per Matrimonium subsequens, non legitimari; extenditur ad eos, qui nati sunt ex Incesto, Sacrilegio, aliâve quâlibet conjunctione Personarum, quæ conjugari invicem non poterant.

REG. VIII. adjiciendum est, Legitimationem, quæ fit à Pontifice, locum habere solùm, quoad Spiritualia; Principis verò autoritatem necessariam esse, quoad Temporalia.

REG. XI. addendum erat; *nisi Consuetudo seù Lex Regionis contraria sit*: illa enim cavere potest, ut Patris conditionem Liberi sequantur.

A REG. XII. excipiendus erat Casus, quo Quæstio est incidens; hoc enim in Casu Magistratus de Legitimitate Liberorum, sicut & Matrimoniorum, cognoscit.

REG. XIII. XIV. XV. non conveniunt Argumento Spuriorum, nam loquuntur de Liberis legitimis; quod autem dicunt, reipsà non habet locum, nisi confirmetur à Principe, à quo Patria Potestas Civilis derivat.

QUÆST. III. Tutela & Cura: REG. XVI. dicenti, Clericos & Monachos à Tutelâ & Curâ immunes esse, adjiciendum erat, solum Canonem *Generaliter*, 40. CAUS. XVI. QUÆST. I. loqui de Curâ, & restringere privilegium ad Clericos, qui residunt, suasque Ecclesias desserviunt, & ad Monachos, qui suis in Monasteriis commorantur. Desumptus est ex eodem TITUL. *de Episcop. & Cleric.* Canon *fin.* DIST. LXXXVIII. desumptus est è S. CYPRIANO, & orare vetat pro viro, qui Sacerdotem Liberorum suorum Tutorem nuncupaverat. Ad intelligendam REG. XVII. quæ sub finem dicit, Tutelam non continuò finiri cum Pubertate; duplex species Pubertatis distinguenda est; alia *Naturalis*, quæ XIV. Annos in Pueris & XII. in Puellis, quandòque antecedit; alia *Civilis*, quæ usque ad illud durat, antè quod Naturalis nonnumquàm desinit: quo in casu, Tutela non finitur; nam ejus duratio juxtà Pubertatem Civilem æstimatur.

Cap. 67. de Appell. laudatum in *Excep.* REG. XVIII. docet, Matrem amittere Tutelam Liberorum suorum, per secundum Matrimonium, & sic fieri immunem à Curâ gerendi negotia pupillaria, quæ inchoaverat, quæ transit ad Tutorem subrogatum.

QUÆST. IV. de Jure Servorum. *Regulæ* hanc respicientes, scilicet à XIX. usque ad XXXIII. inclusivè, magis curiosæ sunt, quàm utiles; à pluribus enim retrò Sæculis abrogata est Servitus. Proindè, hæ Regulæ nullius esse possunt usûs in praxi; ideòque sufficiet observare, Libertatem favorem meruisse tantùm, ut Infans nasceretur liber, posito quòd ejus Mater talis foret tempore conceptionis, aut partûs, aut intermedio.

Regularum doctrina reducitur ad vias, quibus Libertas acquirebatur, & casus, quibus amittebatur. Religio Christiana multùm influxit ad Servitutis abrogationem: cùm Servus, Christianus fieri volebat, Liber fiebat; Episcopatus libertatem dabat; consensus tacitus Domini ad Servorum suorum Ordinationem, eos manumittebat, manumissio, quæ fiebat in Ecclesiis, plura habebat Privilegia, quàm alia quævis.

Quod legitur in REG. XXVI. circà manumissionem factam ab Episcopo, aut Abbate, Servorum Ecclesiæ aut Monasterii, pertinet ad alienationem, ejusque sortem sequitur: Itaque valida erat in casibus, queis alienatio reliquorum Ecclesiæ Bonorum licita erat; irrita verò, cùm hæc erat illicita: proindè, ad ejus expositionem, repetenda sunt ea, quæ dicta sunt suprà, circà alienationem. *Cap.* XV. *Lib.* III.

REG. XXXIII. pertinet ad spurias causas dissolutionis Matrimonii; nam falsum est, Servitutem supervenientem Matrimonium dissolvere.

REG. XXXII. pertinet ad Quæstionem sequentem: refertur enim ad Jus Patronatûs proveniens ex manumissione Servorum, qui erant in potestate.

Inter hujus Quæstionis Regulas, plures Ecclesiæ favorabiles sunt; talis est XXXIV. quæ dicit, Patronum amittere Jus suum, si Libertus fiat, Clericus, aut Monachus: XXXVII. quæ dicit, Ecclesiam, cui Liberti à Patrono commendati fuêre, Jus Patronatûs consequi, commendatione pro translatione Juris Patronatûs reputatâ. III. quæ docet, Ecclesiam habere Jus Patronatûs in Filios Libertorum. XLII. docens, Ecclesiæ Libertos bona sua alienare non posse. XLIII. quæ Ecclesiæ tribuit successionem ad omnia Libertorum suorum bona.

Reg.

REG. XXXIX. & XL. conveniunt cum REG. XV. *Cap. I.* Nam, ſicut Pater, qui Filium exponit, vel alimenta denegat, Patriam amittit Poteſtatem, ità Patronus in Libertos ſuos barbarus, amittit Jus Patronatûs.

Ad captum Exceptionis II. REG. XXVI. & REG. XXXV. & XLI. adeundus eſt GONZALES *in Cap. unicum, de natis ex lib. vent. & in Cap. 1. de Servis non ordinandis*, ubi loquitur de pluribus manumiſſionis ſpeciebus, earumque effectibus, nempè, variis ſpeciebus libertatis, quæ eas ſequuntur.

Cæterùm, quod continetur hoc in Capite, ſolas Perſonas Sæculares reſpicit; inter quas tamen omiſſi fuerunt Principes, & Magiſtratus. De Perſonis Eccleſiaſticis in *Lib. III.* diſſeritur, qui agit de Epiſcopis aliisve Prælatis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, aut Regularibus, de Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, aliisque Clericis inferioribus, de Religioſis: & hæ ſunt præcipuè Perſonæ, circà quas Jus Canonicum ſtatuere poſſit.

OBSERVATIONES *in* CAP. III. *de* JURE RERUM.

De Rebus Eccleſiaſticis actum fuit *Lib. III.* & conſequenter de iis, quæ ad illas pertinent. Hîc ſpecialiter agitur de Rebus Sæcularibus, & de principiis utriſque communibus.

Dividitur in QUÆSTIONES VI. quæ reſpiciunt Dominium, Poſſeſſionem, Uſumfructum, Res Sacras, Sanctas & Religioſas, Res Communes. Quod dicitur in ſingulas Quæſtiones, exceptâ *Quartâ*, pertinet ad Jus Civile. Multæ ſunt repetitiones circà acceptionem poſſeſſionis, reſtitutionem ſpoliatorum, præſcriptionem. Reperiuntur nihilòminùs aliquot Regulæ, ſeù Exceptiones, quæ pertinent ad Jus Canonicum, ideòque hîc notabuntur: talis 1. eſt Exceptio REG. I. quæ docet, Res in Bello injuſto acquiſitas, injuſtè detineri. 2. REG. II. quæ dicit, Res amitti iisdem viis, per quas acquiruntur; 3. Exceptio REG. VI. dicens, rei petitæ pretium duntaxat obtineri, ſi ea conſecrata ſit; 4. Exceptio REG. III. eum, qui dolo poſſeſſionem in alium transfert, pro Poſſeſſore haberi. 5. REG. VII. pertinet ad TIT. *de Libell. Oblat.* in qua dicitur, Actorem deſignare debere Rem petitam; 6. Exceptio REG. VIII. dicens, eum, qui ab alio, quàm Domino, bona fide quidpiam emit, non poſſe huic pretium condicere; 7. REG. XIII. ferens, eum, cui Cenſus prædii ſolvitur, ejus Dominum reputari. 8. REG. XXIX. XXX. XXXI. confundunt Res Sanctas cum Sacris & Religioſis, quamvis in *Titulo* diſtinguantur; leviorem eſſe differentiam Autor duxit, ideòque negligendam.

Quod dicitur in REG. XXX. locum fieri Religioſum, ſi Mortuus in eo ſpeliatur; modò non ſit Hæreticus: non eſt verum, quoad Jus Canonicum, docens, locum non fieri Religioſum Sepulturâ, ſed Benedictione, quæ eum ad Sepulturam deſtinat; Locus autem ſic benedictus polluitur, ſi in eo ſepeliantur perſonæ Sacrâ Sepulturâ privatæ; videlicet, non ſolùm Hæretici, ſed etiam Pagani, Excommunicati, & ii, quibus Eccleſiarum aditus eſt interdictus, vel qui ſpecialiter à Sepulturâ Sacra interdicuntur. Omnis Locus ad pium opus deſtinatus, Religioſus vocatur.

OBSERVATIONES *in* CAP. IV. *de* CENSIBUS.

Referendæ erant variæ ſignificationes verbi *Cenſus*, ut agnoſceretur, quomodò hic accipiatur: conſiſtendo enim intrà TIT. *de Cenſib.* ſignificat *Reditum*, *Penſionem*, *Subſidium Charitativum*, *Procurationem*, *Contributionem*, *Capitationem*; eum Autor accipit pro *Penſione annuâ* & pro *Procuratione*. Rurſùs obſervandum erat, verum Cenſum eſſe Penſionem perpetuam in fundos alterius: Penſiones ad tempus, etiam ad vitam, non eſſe verum Cenſum: undè fit, ut Prælati, qui novos Cenſus imponere prohibentur, & veteres augere, Penſiones annuas in quibusdam caſibus aſſignare poſſint. Cùm Subſidium Charitativum, temporale ſit, & extingui debeat cum neceſſitate, quæ illud exigi cogit, & probat, Cenſus vocari non poteſt.

Alia Obſervatio neceſſaria, eſt, ſignificationem verbi *Cenſus* valdè germanam eſſe, *Reditum*; Undè naſcitur diviſio Cenſûs in *Feudalem*, & *Emphiteuticum*, qui ſunt Reditus, quorum ille debetur Domino à quo Feudum tenetur; hic debetur ei, qui fundum ad Emphyteuſim conceſſit.

Caput hoc dividitur in QUÆSTIONES III. Quod dicitur in *Primâ*, ad unicam Regulam reducitur; nempè, Eccleſias ab omni onere immunes eſſe ex beneficio Principis, qui ſic in eis honoraturum ſe duxit Dominum, cui conſecratæ ſunt; igitur, nequeunt onerari Cenſu, niſi in caſibus per Canones comprobatis. Primus, eſt caſus Fundationis, qui æquiſſimus eſt, nam ii, qui bona ſua largiuntur, habent jus legem, quam volent, dono ſuo dicendi. Secundus, eſt caſus exceptionis, aut remiſſionis Jurium Epiſcopalium *Cap. 6. de Relig. Domib.* caſus hic reſtringi debet ad remiſſionem Jurium Temporalium; quæ, ſi fiat ſub lege Cenſûs, eſt Abbonationis ſpecies, ſimilis ei, quæ fit in quibusdam Locis quoad Decimas; quod nullam habet ſpeciem mali, ideò quòd utrimque Temporalia conferantur; ſed ſi Cenſus conſtituatur, ratione remiſſionis Jurium Spiritualium, aliqua ſaltem apparet Simoniæ ſpecies; quia Spiritualia pro Temporalibus, & viciſſim, dari videntur; Tertius, eſt caſus, qui ab Autore omittitur; nempè erectionis unius Parochiæ intrà Diſtrictum alterius; adſtringitur Eccleſia nova ad ſolvendum Cenſum veteri, *Cap. 3. de ædific. Eccleſiis.* Ratio hujus Textûs applicationem ſuam habet erectioni Epiſcopatûs intrà Diœceſim alterius; locum habere etiam poteſt in unionè alicujus Eccleſiæ alteri, in præſidium ejus, à quâ Eccleſia unita pendebat.

Quod in Replicat. V. ejusque Duplicatione dicitur, reducitur ad Regulam; ſcilicet, ad inſtitutionem Cenſûs ſuper aliqua Eccleſia, requiritur autoritas Superioris, & juſta cauſa. Ratio hujus Regulæ eſt, quòd in hac inſtitutione fiat quædam alienatio: porrò, in omni alienatione Superioris autoritas & juſta cauſa neceſſariæ ſunt.

QUÆST. II. *Quid, & Quantum debeatur?*

REGULA I. eſt mera applicatio Regulæ generalis Cenſui accommodatæ; nempè, nihil exigendum eſſe, niſi quod debetur. REG. II. Procurationem cum Cenſu confundit, quamvis Procuratio non debeatur, niſi in caſu Viſitationis, & ad exhibenda alimenta Viſitatori: Cenſus autem quotannis ſolvitur, quodlibet accidat, & independenter ab omni actu ejus, cui debetur.

REG. III. innititur Regulæ, *Odia reſtringi convenit*: nam Cenſus eſt Servitus, & ſic odioſus eſt: itaque, ſolvendus eſt juxtà minorem menſuram. Hic ſenſus unus eſt ex iis, qui dari poſſunt Regulæ, *in obſcuris minimum eſt ſequendum. Reg. 30. in 6.* Itaque, videtur hanc REG. III. non habere locum, niſi in dubio. Textus laudatus loquitur de Voto, quod videtur favorabile reſpectivè ad Deum, ſed odioſum quoad ejus Miniſtros, quos non decet rigoroſè exigere id, quod ſibi debetur ex Fidelium Devotione. Videſis, hunc Textum, nec non Commentarium GONZALEZ. In illum dubium oriebatur, ex eo quòd plures erant Menſuræ ejusdem nominis, licèt inæquales.

Quod diximus de Menſurâ, locum habet quoad Monetam, in caſu dubii, ob eamdem rationem. Porrò, *Cap. 20.* jubet, Cenſum ſolvi in Moneta temporis, quo fuerat conſtitutus; ideò quòd apparebat, talem fuiſſe voluntatem Conſtituentium.

QUÆST.

QUÆST. III. *Adjuncta Censûs, seu Officia Censum Exigentis.*

REG. I. *Quæst.* II. huic convenit, sicut *Tertia.* Ambæ respiciunt Officium ejus, qui Censum exigit.

Quod dicitur hîc, Exigentem debere ejus causam exprimere; fundatur in *Quæst.* I. quæ docet, Censum sine justâ causâ institui non debere: excipiendus est casus præscriptionis immemorialis, quæ dispensat ab allegatione Tituli, ob præsumptionem, eum initio fuisse cognitum, sed Tractu temporis hanc notionem evanuisse.

Autor sic absolvit quæ dicenda erant de Jure Rerum, à quibus transit ad Jus Actionum, quæ potiùs ad Civile, quàm ad Canonicum Jus pertinent.

OBSERVATIONES *in* CAP. V. *de Causis Juris Lucrativis, & de Conditionibus.*

Dividitur in PARTES IV. *Prima* respicit Testamenta, eorumque executionem, aut nullitatem; Successionem ab intestato: *Secunda*, Legata, & Fidei-commissa. *Tertia*, Conditiones & Legata conditionalia. *Quarta*, Donationes.

Cùm Conditiones sint aliquandò onera, actus quibus opponuntur, interdùm ex accidenti sunt Tituli onerosi acquisitionis, quamvis ex naturâ suâ lucrativi sint, v. gr. Fundationes, quæ fiunt in Testamentis per Legata, aut in Donationibus consultò factis, sunt Tituli onerosi, & lucrativi simul: Conditiones Legato, aut Donationibus appositæ, eas faciunt Titulos onerosos, & convertuntur in Contractus, qui reciprocam obligationem pariunt, & reducuntur ad eos, qui hac expressione designantur. *Do, ut facias.*

PARS I. Quod dicitur in REG. I. Episcopum supplere defectum Executorum Testamentariorum; non observatur in multis Regionibus, ubi Causæ Testamentariæ, etiam Piæ, pertinent ad Judicem Sæcularem. Idem est de eo, quod legitur in REG. IV. de rationibus, quas Executores Episcopo reddere debent, de gestione suâ.

REG. V. eas sequi debuisset, quæ respiciunt nullitatem Testamentorum, sumptam, vel ex incapacitate Testatorum, vel eorum, qui aliquid accipiunt ex Testamento, Hæredum vel Legatariorum, qui alterutrius qualitatis sunt incapaces; vel ex Solemnitatum omissione; vel ex naturâ Bonorum, de quibus Testator disponere nequit: nam Exceptiones hujus Regulæ dicentis, Hæreditatem regulariter peti posse ex vigore Testamenti, & Legata deberi, desumptæ sunt ex hoc triplici nullitatum genere. Itaque, anteà observandæ erant hæ nullitates, earumque causæ; & Regulæ addendum, *nisi Testamentum sit nullum*; vel his, *ex Testamento*, adjiciendum *valido.*

Observandum erat in REG. V. Exceptionem, sumptam ex defectu Testium requisitorum, sivè Jure Civili, sivè Jure Canonico, Jus Canonicum, quod duos aut tres Testes requirit tantùm; quoad hoc, locum habere solùm in Ditione Pontificis, & in quibusdam aliis, quorum Principes hoc Caput adoptarunt.

REG. VI. cùm Testamentum nullum, pro infecto haberi debeat juxtà *Reg. 64. in 6. Quæ contra Jus fiunt, pro infectis utique haberi debent;* succeditur ab intestato, sivè Testamentum sit irritum, sivè non existat. Successio hæc à Testamentariâ discrepat, in eo quòd hæc ad Extraneos, & ad Cognatos ultrà Gradum *Sextum* Civilem pertinere possit: illa verò pertinet ad solos Cognatos, infrà *Septimum* Gradum existentes. Exceptio sumpta ex renunciatione, locum habet in utràque Successione; quod dicitur circà validitatem renunciationis juramento confirmatæ, in casibus, in queis eam Leges annihilant, refutatum fuit in Tractatu *de Contractibus*, ubi ostensum fuit 1. Juramentum esse nullum, ubi Contractus est nullus; quoniam hic est illius fundamentum; 2. Tale juramentum esse illicitum; nam contrarium est bono publico, quod Contractum annihilari postulavit; 3. Si contendatur, hoc juramentum obligare, aperitur via fraudi, seductioni, vi, per quas impellitur quis ad juramentum, tam facilè, quàm ad Contractum Legi Civili contrarium; nullitas autem sancita fuit; ut obviàm iretur his iniquis rationibus inducendi ad Actus contrarios Legibus.

Quod in reliquo Capite magis utile est, & scitu necessarium, est disputatio de Conditionibus, quæ locum habet in omnibus Contractibus, quorum illæ effectus suspendunt, & moderantur. De his conditionibus consultò agitur in TIT. *de Condition. appos. in Desponsat.* &c. *Reg. 6. 41. 50. & 66. in 6.* ad rem quoque faciunt; idem est de Commentatoribus harum Regularum, & Capitis laudati, CANISIO *in Regulas*, CUJACIO & GONZALE, *in Titulum. Reg. 6.* Fert, neminem obligari posse ad impossibilia: quod intelligitur, tam de impossibilitate Juris; talis cadit in omne, quod inhonestum est; quàm de impossibilitate facti; undè fit, ut omnis Actus, qui conditiones impossibiles aut turpes continet, nullus sit, tam defectu potestatis se obligandi, quàm defectu voluntatis; cùm præsumatur, Partes noluisse ad tales conditiones se astringere. *Reg. 41. & 66.* eumdem sensum habent; nempè, impossibilitatem implendi conditionem, aliamve honestam rem tempore præstituto, post Contractum obvenientem, excusare ab obligatione, & pro implemento haberi. *Reg. 41.* sic concipitur; *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non facit, quod per eum fuerat faciendum*: verba *Reg. 66.* sunt, *Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quominùs conditio impleatur; haberi debet perindè ac si impleta fuisset.* Harum Regularum casus sunt, si quis obligatus ad accipiendos quosdam Ordines intrà annum, sit æger, aut captivus per illud tempus; vel si obligatus ad residentiam, non resideat ob ejusmodi Impedimenta, is immunis est à pœnâ horum Officiorum defectui annexâ: hæ duæ Regulæ sunt sequela *Reg. 6.*

Reg. 50. loquitur de quibusdam Actibus, qui specialiter vocantur *Legitimi*, & de iis dicit, eos nec diem, nec conditionem accipere: *Actus legitimi non recipiunt neque conditionem, neque diem.* Ibi agitur de conditione, quæ suspendit, & de die, qui durationem Actûs circumscribit: porrò, hi Actus utrumque recipiunt, ideò quòd hinc effectivi sunt, id est, effectum suum operantur, eo ipso instanti, quo fiunt; aliundè, perpetui sunt ex natura suâ: tales sunt, juxtà Jus Civile, Emancipatio, Adoptio, Aditio Hæreditatis, Traditio, Solutio &c. CANISIUS *in hanc Regulam*: & juxtà Jus Canonicum, Matrimonium, Professio Religiosa, Electio ad Prælaturas, aliorum Beneficiorum Collatio. Conditiones, *si Beneficium vacaverit; si Provisus sit idoneus*; sunt qualitates necessariæ ad Collationem, vel aliam Provisionem, ex parte Beneficii, aut ex parte Provisi.

Conditio suspensiva, quæ Matrimonio apponeretur, illud in Sponsalia converteret: tale esset illud, quod contraheretur sub conditione consensûs Patrui, quod Matrimonii effectum non haberet, nisi post consensum Patrui, nisi renuntiando conditioni, transeant ad consummationem, ut olim fiebat, vel ad Benedictionem Nuptialem, juxtà recentiorem praxim. Similis conditio honesta aliis Contractibus annexa, eorum effectum suspendere, non immutatâ eorum naturâ.

Aliud, quoad Conditiones, Matrimonio peculiare est, nempè, Conditiones Turpes, aut Impossibiles, pro non adjectis habentur, cum Matrimonio appositæ sunt, modò non sint ejus naturæ contrariæ, *Cap. 7. de condit. appos.* CUJACIUS *in hunc Textum* observat, Jus Civile tractu temporis hunc favorem ad Testamenta & Legata produxisse.

Sup-

Suppoſuimus inter Conditiones Turpes Matrimonio appoſitas, quaſdam ejus ſubſtantiæ contrarias eſſe poſſe, quaſdam non item; & hæc ſuppoſitio vera eſt. Nam conditiones impediendi, ne Liberi ex copulâ conjugali procreentur; aut libertatis commutandi uxorem cum aliâ ditiore, aut meliore; vel facultatis eam proſtituendi, ſunt turpes, itemque naturæ Matrimonii adverſantur; quippè quod ad generationem ſit inſtitutum, indiſſolubile ſit, & Conjuges ad mutuam fidem aſtringat. Aliæ conditiones Turpes, quæ Matrimonio apponi poſſent, ejus naturæ non contrariæ, ſunt omnia alia crimina, quæ proponi poſſent: putà vivere ex Fœnore, Furto, Homicidio, aliiſve, quæ nullam cum Matrimonio affinitatem habent. Hæ conditiones Turpes, Jure cenſentur impoſſibiles: cùm conditio contraria naturæ Contractûs, eum deſtruat, & Contractum abſurdum faciat, in eo, quòd Partes velint, & nolint effectum Contractûs, oportet, ut omnis Contractus, cui talis conditio apponitur, ſit irritus; tale eſt v. gr. Mutuum, cui apponitur conditio lucri à Mutuante percipiendi; nam naturâ ſuâ gratuitum eſt: tale eſt Precarium, cui apponitur conditio irrevocabilitatis ex parte Concedentis: nam de naturâ Precarii eſt, ut revocari poſſit, cùm Concedenti placuerit.

Sunt Actus, qui non ſunt Contractus, qui nullam obligationem pariunt, & fiunt Contractus, appoſitione conditionum: talis eſt Manumiſſio Servorum, quæ fit Contractus, ſi fiat ſub conditione reſolutivâ: ea talis eſt, cùm Dominus Servum manumittit ſub lege, ut Monachus fiat, in eoque Statu perſeveret, ſin minùs, in ſervitutem recidet. *Cap.* 2. *&* 4. *de Condition. appos.* CUJACIUS *in ipsâ.*

Quoad Conditiones, non idem eſt de Conventionibus Matrimonialibus, ac de Matrimonio quatenùs Sacramento. Conditio Reſolutiva, quoad illas, habet locum; etſi Matrimonium prout Sacramentum eam non patiatur; nam penſio annua, quam Maritus Uxori conſtituit, tacitam habet conditionem adjunctam, quòd illa Viri nomine nuncupabitur, &, ſi rursùs nubat, penſionem amittet.

Quod GREGORIUS IX. dicit *Cap. ult. de Conditionibus appoſitis*, de diſcrimine Matrimonii ab aliis Contractibus, quoad Conditiones turpes aut impoſſibiles; nempè, ſe earum nullam rationem habere, cùm agitur de Matrimonio; eas verò alios Contractus annihilare; falſum videtur, cùm ſuſpenſivæ ſunt duntaxat; nam ejuſmodi Conditiones eumdem effectum habere debent in Matrimonio, atque in cæteris Contractibus; nam ſuſpendi poteſt perindè ac illi: hæc autem ſuſpenſio cadit in conſenſum, magis huic Contractui, quàm aliis, neceſſarium; proindè, is, quoad hoc Caput, ab aliis immeritò diſtinguitur. V. GONZALEM *in hunc Textum.* Ejus Obſervationes circà hoc ſolidæ ſunt: ſecùs eſt de diſtinctione, quam fingit, inter ſubſtantiam & naturam Contractuum; nam, rerum natura eſt vulgò earum ſubſtantia; cùm utraque ſit id, in quo res conſiſtit; undè fit, ut earum Definitio, quæ naturam earum exponit, earum quoque ſubſtantiam enucleet. Nulla eſt Definitio juſta, quæ huic Obſervationi non faveat. Nihil dicitur de Conditionibus *neceſſariis*, ſic dictis, quòd infallibiliter impleantur: tales ſunt hæ, ſi cras oriatur Sol, ſi *Titius* Cœlum non tetigerit: nam ſupponitur, Homines magis ductum Rationis ſequi, quàm ut tales conditiones apponant. Prætereà, eæ Conditionum nomen non merentur; nam Conditiones apponuntur, ut ſuſpendant effectum Actûs, donec ipſæ impleantur, aut diſſolvant, niſi eum ſequatur eventus, cui ipſe alligatur; omnes enim ex naturâ ſuâ ſuſpenſivæ, aut reſolutivæ ſunt.

Nec etiam loquemur de Conditionibus appoſitis Matrimonio, Parocho præſente, contracto; nam, ſupponimus, nullum eſſe Curatum adeò ſenſûs expertem, ut benedicat conſenſum conditionalem, cùm nullum ſit Rituale, quod conſenſum abſolutum non exigat; itaque non diſcutiemus, an tale Matrimonium, effectum ſortiretur, ſtatim atque Conditio impleta eſſet, ita ut neceſſarium non foret, ut Partes Deſponſationem ſuam iterarent. FAGNANUS hanc Quæſtionem agitat, obſervanſque, Theologos non conſentire cum Canoniſtis, adjicit, horum ſententiæ inhærendum eſſe, qui putant, Matrimonium conſequi ſuum effectum per ſolam conditionis impletionem: neſcimus, an omnes Canoniſtæ, quos evolvit, ejus ſententiam ſequantur; ſed ſcimus, quoſdam ab eâ alienos, qui credunt, tutum, poſt Concilium *Tridentinum*, non eſſe, affirmare, Sponſalia in Matrimonium converti; Ritus illorum ab hujus Ritu valdè diſcrepat; cùm, in hoc, benedicatur Donatio Actualis, in illis verò, benedicatur Sponſio: quod ex formâ utriuſque patet: Matrimonium benedicitur his verbis; *Ego vos conjungo*: Sponſalia autem per hæc, *Ego vos affido.*

Idem dicendum de Conditionibus Matrimonio in conſpectu Eccleſiæ celebrato appoſitis, quæ in præteritum, aut præſens incertum, cadunt; puta hæc verba, *ſi Virgo ſit*, quæ factum incertum continet; nam Virginitas actionibus adeò occultis amittitur, ut impoſſibile ſit, eas probari; ideò verò ſimile non videtur, ullum Curatum ejuſmodi conditiones admittere: ſed etiamſi irrepere poſſent; probationis difficultas eas inutiles faceret; itaque, pro non appoſitis, haberentur; imò ejuſmodi conditiones ſunt turpes & ignominioſæ, ob malam ſuſpicionem, quam Sponſæ aſpergerent, multò magis ob verificationem facti ſuſpecti: denique, Maritus honorem ſuum læderet, per talem conditionem; ſiquidem, per eam notificaret, ſe ducere Puellam, de cujus integritate parùm conſtat.

Adjice, quòd, ſi toleraretur hujus conditionis appoſitio, unum ex his incommodis naſceretur; vel Matrimonium conſummaretur antè verificationem conditionis, & ſi deinceps detegeretur, Sponſam non fuiſſe virginem tempore, quo conditio appoſita fuit, Matrimonium diſſolveretur, & tunc iniquum eſſet, ut Maritus, qui conditioni renuntiaviſſe videretur, per conſummationem, antè verificationem, poſſet adhuc dimittere Uxorem, poſtquàm detexerit, conditionem falſam fuiſſe tempore Celebrationis, & ſic Matrimonium fuiſſe nullum: vel procederetur ad verificationem antè conſummationem; & tunc, vel illa fieret per inſpectionem corporis, ut in caſu Impotentiæ, quo in caſu Matrimonii validitas à probatione ſæpè æquivocâ penderet; vel procederetur per viam inquiſitionis, & tunc ſuſciperetur negotium inextricabile; nam oporteret, ut inquiſitio reciproca eſſet, quoniam utraque Pars haberet jus producendi ſuos Teſtes; Uxor ad probandum, ſe irreprehenſibilem vitam duxiſſe, Maritus, ad probandum contrarium; ſi Uxor uteretur teſtimonio Proximorum, aut Familiarium, aut Amicorum, Maritus eos recuſare poſſet, ut ſuſpectos, quoniam in negotio graviſſimo nemo eorum eſſet, qui contrà deponere vellet; nihilòminùs ipſi ſoli eſſent, quos producere poſſet, quoniam ſoli eſſent, qui eam ſatis noſcerent, ut fidem circà eam mererentur: quoad Maritum, vix ille poſſet alibi, quàm inter hæc tria genera Perſonarum, Teſtes fide dignos invenire; nemo tamen eſſet, à quo ſperare aliquid poſſet: ſi conſcios ederet, videtur quòd in hujuſmodi negotio admitti non deberent; nam ſolum bonum publicum ex vindictâ ſcelerum proveniens, cogit ad admittendam depoſitionem Perſonarum, quæ ſuam turpitudinem produnt. His difficultatibus plures aliæ accedunt, quæ conſummationem diutiùs ſuſpenderent; ſi autem Partes unà cohabitarent, incontinentiæ periculo per illud tempus ſubjacerent: nullatenùs igitur congruum eſt tales admitti conditiones.

Quod dictum eſt de conditione, *ſi Uxor Virgo ſit*, locum habet in hac, *ſi legitima ſit*; quia cadit in præteritum, & in præſens; ideòque Matrimonium annihilat, cùm Puella eſt illegitima, ità, ut irritum permaneat, nonobſtante quòd conſummatio præceſſerit cognitionem illegitimitatis.

FAGNANUS *in Cap. 7. de Condit. appositis*, de his duabus conditionibus loquitur, & putat, eas Matrimonium annihilare, si Factum, quod continent, sit falsum, & non revalidari per consensum subsequentem, etiam antè verificationem falsitatis, nisi posteà renovetur præsentibus Parocho & Testibus: Ratio ejus est, quòd non sint suspensivæ. Itaque, Contrahentes iis Conditionibus renuntiare non possunt, nec antè, nec postquàm falsæ declaratæ fuerint. Ejus decisionem referimus; quamvis improbemus operam, quam huic disputationi impendit. Dicendum erat simpliciter, tales conditiones hodiè, quoad praxim, inutiles esse: quia nullus est Parochus, qui similes conditiones apponi pateretur; sivè quia iniquæ sunt, ideòque prohibitæ ab Ecclesiâ, quæ consensum absolutum requirit in Matrimonio; sivè quia duriorem coërcitionem justè metueret, si eas admitteret, ratione periculi profanationis, cui Sacramentum exponeret, posito quòd conditiones falsæ essent; timere etiam posset Excommunicationem latam. *Can.* 13. SESS. VII. adversus eos, qui mutant Ecclesiæ Ritus in administratione Sacramentorum.

Idem Autor sub finem *Commentarii* sui *in Cap. 7.* laudatum, loquitur de aliâ conditione, quæ respueretur; nimirùm facultate retinendi fruitionem bonorum suorum, non obstante Professione Religiosâ, cui apponeretur, tempore quo emittitur, laudatque insignes Canonistas, existimantes, eam non annulare Professionem, quàmvis contraria sit substantiæ Professionis Religiosæ & omnis conditio Matrimonii substantiæ contraria (cum quo tantam affinitatem habet, ut sit Matrimonium spirituale,) illud annihilet, hujusque discriminis rationem allegantes. Cùm tales conditiones improbemus, & persuasum habeamus, nullum Superiorem eas apponi passurum, satis est ad illos Autores remittere. Et hæc erant dicenda circà conditiones, ut supplerentur ea, quæ à VIGELIO omissa sunt, sivè hoc in *Cap. V.* sivè loquendo suprà de Matrimonio, sivè agendo infrà de Contractibus.

Quod dicit REG. XXX. de Donationibus in favorem Matrimonii, jungi debet iis, quæ dixit suprà Reg. XIII. & XIV. CAP. XX. *Lib. IV.* hæ *Tres* Regulæ mutuam sibi lucem afferunt. Nihil annotamus circà ejus doctrinam de aliis Donationibus, nisi Exceptiones & Replicationes officere perspicuitati Argumenti; id patebit in nostro Tractatu *de Donationibus*.

OBSERVATIONES *in* CAP. VI. *de* OBLIGATIONIBUS & ACTIONIBUS *generatim spectatis.*

Sæpiùs locuti sumus de Actionibus in Quatuor Libris præcedentibus: cùm nihil aliùd sint, quàm petitiones in JURE, de iis agendum fuit LIB. I. qui Judicia Publica respicit, in quibus Accusatio, est Actio gravissima. In LIB. II. qui spectat Judicia Privata, in quibus nihil ad Judicem defertur, nisi per viam Actionis. In LIB. III. qui loquitur de Bonis Ecclesiasticis, quæ creberrimè sunt materia Actionum, & speciatim de Alienationibus, è quibus nascuntur Obligationes, & proindè Actiones iis similes, quæ hìc discutiuntur. In LIB. IV. qui disserit de Actibus Ecclesiasticis, & prolixè de Matrimonio, Actionibusque ex eo provenientibus. Quod dicitur hìc de Actionibus, restringitur ad eas, quæ nascuntur ex Obligationibus, & proindè à Contractibus & quasi-Contractibus, à Delictis, & quasi-Delictis quæ pariunt obligationes, quas etiam gignunt Matrimonium, Testamenta, Successiones ab Intestato, & Donationes, de quibus suprà actum est.

Hic *Titulus*, nec non duo sequentes, è Jure Civili desumpti sunt, sed maximè ex *Institutionibus* JUSTINIANI, quarum duo ultimi Libri respiciunt Obligationes; indè suplenda sunt ea, quæ desunt in his *Tribus* TITULIS, circà Obligationes; præsertim earum Divisiones & Subdivisiones. Una ex insignioribus est, Obligationes, aut Naturales aut Civiles esse, aut Mixtas, ex utrisque coalescentes. *Naturales*, non pariunt Actionem, neque ad petendum id, quod promissum fuit sine expressione causæ, neque ad repetendum id, quod propter illas solutum fuit. Per *Obligationes Naturales*, intelliguntur eæ, quæ ex Lege Naturali purè proveniunt: tales sunt omnes, quæ non fiunt juxtà formam Lege Civili præscriptam, à quâ nascuntur omnes Actiones, sicut Obligationes Civiles. Hæ nullum effectum habere debent, cùm Legi naturali contrariæ sunt, propter defectum potestatis, aut intentionis in Legislatore, vel utriusque simul; undè fit, ut Leges, quæ Divortium approbant, aut Usuram, aut Simoniam, nullam pariant Obligationem naturalem, ideòque potest quis recusare solutionem pecuniæ secundùm eas Leges cautæ, & repetere id, quod solvit secundùm Leges, cùm earum injustitia detecta est. Pleræque Regularum Judicialium huic *Capiti* inseri potuissent; nam eæ reducuntur ad Actiones, sicut eæ, quæ colliguntur hìc *num.* 11. 15. 16. 17. 18.

REG. I. ferenti, omnem Obligationem parere Actionem: adjicere debuisset Autor verba hæc, *nisi nulla sit*, & in sequentibus loqui de nullitatibus, ac earum causis, quæ non sunt aliæ, 1. quàm Incapacitas Personæ, quæ se obligat; qualis est Minor, Furiosus, Monachus, Uxor sine Mariti autoritate contrahens, & Interdictus à Judice. 2. Incapacitas rei, proveniens ex eo, quòd sacra, aut publica, aut aliena sit. 3. Defectus Libertatis, ex vi, aut ex fraude, proveniens. 4. Defectus formæ substantialis.

Exceptio I. hujus Regulæ non habet locum, nisi in casibus, in queis Judici parendum est. *Ratio Regulæ* id demonstrat, *cùm habeat parere necesse*: nam in aliis obedientia non excusat. Tales sunt ii, in quibus jussio ejus Legi Dei, aut Principis, aut Ecclesiæ adversatur, aut limites ejus Jurisdictionis transgreditur. vid. CANISIUM *in Reg. 24. in 6.*

Exceptio II. restringi debet ad casus, in quibus alteri scienti, & consentienti, nocetur; casus enim, in quibus ipsi quis prodest, Argumento alieni sunt. §. quem laudat è *Can.* 1. CAUS. XIV. QUÆST. I. desumptus est ex verbis *Gratiani*, quæ allegantur, quasi *Canonis* pars essent. Distinctio *Consiliorum* à *Præceptis*, quæ legitur *Can.* 2. *&* 3. *ibid.* legi meretur. Eorum applicatio Litibus, quam facit *Gratianus*, justa est; iis enim renuntiare, cùm justæ sunt; merum est consilium.

Cap. 3. de Jud. in 6. laudatum in *Regula*, loquitur de Filio-familias Beneficiato, qui, Pubes factus, sicut sine Patre suo fructus Beneficii sui administrat, ità eorum jura persequi potest in Jure: quæ tamen consequentia non ubique admittitur.

A REG. V. excipiendi sunt Clerici, & Monachi, Beneficiati, qui nomine suo jura Beneficiorum suorum persequi possunt. Excipiendi quoque sunt Clerici, qui Bona Patrimonialia habent. Quod dicitur in REG. VI. Excommunicatum non habere jus agendi, non ubique admittitur.

Cap. 2. de Delict. Puer. laudatum REG. I. loquitur etiam de casu, quo Pueri sunt infrà annos XIV. & declarat, Patrem non solvere pro ipsis pœnam pecuniariam constitutam in Crimina, quæ committunt; & GONZALEZ *in hunc Textum* observat, eum non teneri, ne quidem ratione legitimæ eorum *n.* 4.

Quod legitur REG. VIII. de Jure Repræsaliarum, ab usu recessit. Reliquum ad duo verba contrahi potest: scilicet, nemo ob alterius factum tenetur, nisi illud nomine suo factum fuerit, atque ab ipso ratihabitum.

REG. X. est sequela REG. VIII. nam factum Prædecessoris, est factum alterius ergà Successorem: & si in casu excepto, hic ob illius factum tenetur, id oritur

tur ex eo, quòd res transeat cum onere suo, sentiatque lucrum ex eo, quod in rem Ecclesiæ suæ conversum est. Quod dicitur REG. XI. de spoliis REG. XIII. XIV. XV, *de Censu.* alibi visum est. Si *Cap.* 14. *de Judiciis*, loquatur de Causis Civilibus, & factum à Procuratore proponi prohibeat extrà casum, quo Partes sunt indiscretæ; is exolevit: nimia indiscretio, aliud-ve Litigantium vitium, hujus Textûs dispositionem antiquavit.

REG. XVI. plus petitio est, non solùm, cùm petitur plusquàm debetur, numero, pondere, mensurâ, species pretiosior pro deteriore; sed etiam, cùm petitur, antequàm debeatur, vel in loco, in quo non debetur.

REG. XVII. quæ dat Debitori optionem in casu alternativæ, & rerum variæ speciei, quarum nulla determinata est, velut in Legato Servi, Equi, Domûs, relicto à Testatore, qui plures habet Servos, Equos, Domos, Regula hæc, inquam, innititur iis, quæ docent, Reum favore esse dignum.

REG. XVIII. desumpta est è REG. XXV. *in 6. Mora sua cuilibet est nociva.* Loquitur de morâ solvendi debitum tempore, quo debetur: nam, si Debitor interesse, seù usuras, debeat ex die moræ, hic dies vulgò idem est, ac petitionis, quam sequitur damnatio: si non sequitur damnatio, præsumitur, Creditorem Debitori voluisse tempus concedere. Quoad damnum per Crimen partum, interesse debetur ex die, quo commissum fuit. Debetur quoque Minori à die Contractus bonæ fidei, Fidei-commissi, Legati.

REG. XIX. videtur obscura: sensus *Cap.* 7. *de his quæ vi, metuve*, laudati, est in casu petitionis damnorum, per bonorum rapinam illatorum, vi probatâ per Testes, & qualitate bonorum amissorum per Juramentum, Judex æstimationem facit, Reumque damnat ad solvendam æstimationem.

Cap. 2. *de Depositо*, laudatum REG. XX. nihil aliud dicit, nisi, compensationem debiti liquidi locum habere in omnibus Contractibus, excepto Depositо: Autor indè concludit, oblationem Compensationis minuere condemnationem extrà casum Depositi: idque pro Regulâ statuit.

REG. XXI. Exceptionibus, Replicationibus, Duplicationibus onerata, reducitur ad hoc: Actionem impedire præscriptionem, si lis contestata fuerit; & præscriptionem legitimam excludere ab Actione, cùm de re præscriptibili agitur. Reliqua pertinent ad Tractatum *de Præscriptione.*

OBSERVATIONES *in* CAP. VII. *de* CONTRACTIBUS *&* QUASI CONTRACTIBUS.

Autor exordiri debuisset à Collectione Regularum Generalium circà Contractus: id præstitimus in Tractatu *de Contractibus.* Indè nascuntur duo commoda. 1. Cernitur ab initio, quid Contractibus commune sit. 2. Obviàm itur repetitionibus. Debuisset etiam referre Divisiones Contractuum, in Contractus *bonæ fidei*, & Contractus stricti Juris; in Contractus *Innominatos & Nominatos*; in Contractus *Re* constantes, vel *præscriptis verbis*, vel *scripto*, vel *consensu*: & unicuique Divisioni jungere membra ad illam pertinentia. Supponit Divisiones, sine earum præcedenti expositione; quamvis de *quasi-Contractibus* se locuturum polliceatur, de iis tamen silet.

Quatuor Priores *Regulæ* pertinent ad *Pacta.* Quod ibi dicitur, accommodari potest omnibus Contractibus, exceptâ *Exceptione I.* quæ *Pactum Nudum* respicit, sic dictum, quia nomine speciali & causâ caret: quâ in re distinguitur à *Contractibus*, qui semper habent nomen peculiare, & quorum causa semper exprimitur. Quod dicit hac in Exceptione, Jus Canonicum à Jure Civili differre quoad pactum, in eo, quòd Actionem pariat juxtà Jus Canonicum, non gignat autem juxtà Civile, falsum est apud *Gonzalem in Cap.* 1. *de Pactis*, ubi Quæstionem fusè discutit, nec non omnia, quæ ad hoc Pactum Nudum pertinent: respondet omnibus Textibus, qui possunt allegari, ad probandum, illud gignere Actionem Jure Civili, postquàm retulit rationes, ex quibus conficitur illud, eam non producere: videsis; Argumentum exhaurit, & confirmat observationem nostram, Doctrinam VIGELII circà *pactum vestitum*, convenire aliis Contractibus, probando, Pactum hoc esse verum Contractum.

Omnes Exceptiones, Replicationes, Duplicationes, quas Autor subnectit REGULÆ, *Pacta servanda esse*; desumptæ sunt ex nullitatibus, aut ex resolutione ipsorum, ita, ut, si Autor ad Pactum validum & non resolutum restrinxisset obligationem servandi Pacta, illæ inutiles fuissent, eaque referre potuisset, velut exempla vera aut falsa casuum, in quibus Pacta nulla sunt, vel eorum, in quibus soluta sunt.

Quod dicit, Pontificem à pactis dispensare posse, locum habere solùm potest in Rebus Spiritualibus. Quod dicit pacta nulla, obligatoria esse, cum juramento confirmata sunt; confutatum fuit in Tractatu *de Contractibus.* REG. II. & III. loquuntur de Pactis factis cum causâ, ratione cujus pariunt Actionem Pacti Conventi, aut pœnæ stipulatæ. *Cap.* 3. *de Pignoribus*, laudatum in REG. IV. loquitur de casu oppignerationis rei Sacræ; Autor ex eo Regulam generalem elicit, quæ videtur falsa: nam, si Bonum Mobile, aut Immobile alterius venditum sit, sufficit restituere pretium: si verò res Sacra sit, restituenda est ipsa res alienata, quia non subjacet commercio; undè GONZALES *in hunc Textum*, observat, Ecclesiam, hoc in casu, posse vindicare Rem pignori traditam, quia obligare non potuit.

Quod dicit de Commodato REG. V. & VI. clariùs exponi potuisset, per Definitionem hujus Contractûs. Definiri debet, Contractus, quo gratis aliqua res utenda datur, ad certum tempus sub lege ejus in specie restituendæ, elapso tempore: indè enim sequitur. 1. quòd, si res amittatur, per culpam Commodatarii, etiam levissimam, ejus pretium debet hic, sivè intrà concessum tempus perierit, sivè intrà moram restituendi; in primo casu idcircò, quòd Contractus unicè vergat in favorem ejus; in altero, ratione Regulæ: *Mora sua cuilibet est nociva*, 2. si pereat sine culpâ Commodatarii intrà concessum tempus, perit Commodanti, qui Dominus est ipsius. 3. differt à Mutuo, quòd hoc transferat Dominium. 4. Differt à Precario, quòd hoc non fiat ad tempus determinatum. 5. Convenit cum Depositо, Pignore & Locatione, in quibus res in specie, seu individuo, restituenda est. 6. Usus rei commodatæ revocari non potest antè terminum.

Exceptio III. *Reg.* V. comprehendit id, quod in *Reg.* VI. legitur, nempè, rei commodatæ usum revocari non posse antè terminum.

REG. VII. quæ loquitur de Depositо, expositione indiget: nam Autor Argumentum integrum reducit ad generalem obligationem Depositarii, ad restituendum Depositum: duæ aliæ sunt; *Prima* restituendi pretium ejus, si culpâ ipsius amittatur; *Secunda* reparandi damnum culpâ illatum. Verbum, *culpa*, quo utitur, tres habet significationes in Argumento Contractuum: vel potiùs tres gradus, majorem, minorem, & minimum; *Primus* vocatur dolus, seu culpa lata; *Secundus* culpa levis; *Tertius* culpa levissima. Autor hic in secundo sensu culpam accipit, quotiès dicit, Depositarium præstare culpam; quia culpa simpliciter vulgò intelligitur culpa levis hoc in Argumento. Dolus & culpa lata æquiparantur, & aliud pro alio dicuntur. Depositum perire potest, aut per casum fortuitum, aut per malitiam Depositarii, aut ejus negligentiam, vel ignorantiam, vel imprudentiam. Vulgò tenetur, solùm ob dolum, qui præsumitur, cùm Depositum perit, aliis ejus rebus non

pereuntibus. Tenetur ob culpam levem. 1. Si se Deponenti obtulerit; 2. Si mercedem ob custodiam stipulatus sit; 3. Si casum, fortuitum etiam, in se receperit; 4. Si non reddiderit Petenti, resque deinceps perierit.

Contractus Depositi transfertur in Contractum Locationis, cùm Depositarius rem accipit sub Pacto Salarii. Pars potior hujus expositionis desumpta est ex Commentario GONZALIS *in Cap. 4. de Commodato n. 4.* Ea locum habet in Commodato, Pignore, Locatione, ergà quæ adjiciendum est, quòd cùm Pignus & Locatio in utriusque Contrahentis utilitatem vergant; Creditor, & Conductor tenentur ob culpam levem: Commodatum verò, cùm fiat solius Commodatarii gratiâ: hic tenetur ob culpam leviſſimam; & cùm Depositum solius Deponentis lucro fiat, Depositarius nonnisi ob latam negligentiam tenetur, ratione naturæ Contractûs.

REG. IX. usque ad XIV. respiciunt Contractum Pignoris, qui duplicem Actionem parit; unam, in favorem Creditoris; aliam in Debitoris gratiam: quod illi commune est cum omnibus Contractibus, qui ad utriusque utilitatem vergunt. Utraque Actio, Pignoratitia nuncupatur; id quod est notabilius, reperitur in REG. XI. nempè si Fundus duabus Personis successivè obligatus sit, prior vincit posteriorem, quamvis hæc antè illam possessionem acceperit, quâ in re Contractus hic à Contractu venditionis differt in quo is, cui merx tradita fuit, anteponitur ei, cui anteriùs vendita fuerat: discrimem ortum ex eo, quòd Hypotheca nascatur ex die Pignoris; res autem non fiat Emptoris, nisi postquàm ei tradita est. Vid. CANISIUM in REG. 54. *in 6. Qui Prior est Tempore, potior est Jure.*

REG. XIII. & XIV. ostendunt Contractum hunc nonnunquàm esse usurarium, sicut Contractus venditionis; idque locum habet, cùm Mutuum sub pignore, aut venditione simulatur, quod accidit, si fructus, usurarum locum teneant; id expositum fuit in Tractatu *de Contractibus.*

Quod legitur in fine REG. IX. falsum videtur: nempè, Creditorem, qui rem pignori obligatam persequi non potest, si à tertio Detentore præscripta fuerit, posse, si illa possideatur ab alio, quàm qui eam præscripsit, hoc enim in casu non fit pignoratio.

REG. XV. XVI. XVII. XVIII. quæ Venditionem respiciunt, eximiæ sunt; sed circà hoc Argumentum non erudiunt sufficienter. Nihil hîc dicitur de Pactis Contractui appositis, quorum tamen fit mentio in Jure Canonico; non restringitur in rescisionem, ad Casum læsionis ultrà dimidiam justi pretii partem, ad venditionem Bonorum Immobilium & Mobilium magni pretii; non fit sermo de resarcione læsionis gravis infrà medietatem justi pretii, quæ fieri debet in Foro Interiori; non dicitur perspicuè, Emptori competere electionem, vel supplendi, quod justo pretio deest, vel Contractum solvendi, recuperatâ pecuniâ solutâ.

Exceptioni REG. XVII. adjicienda erant verba hæc *vel scire potest*; videlicet cùm vitium manifestum est. *Exceptioni I. & II.* adjiciendum erat, quòd, ubi Emptor Judicio evictus est, ad quod Venditor non fuit vocatus, ille hunc ad præstandam evictionem vocare potest, solvendo Judicii sumptus. Alia etiam Exceptio ab Autore omittitur; nempè si Emptor ab hac præstatione Venditorem nominatim liberaverit; quo in casu Venditor non tenetur, nisi vendiderit fundum, quem alienum esse sciebat, quo in casu pretium restituere debet. Quod dictum fuit suprà de rescisione Contractûs venditionis in casu læsionis ultrà dimidium justi pretii, peculiare est huic Contractui, ita, ut non habeat locum in ullo eorum, qui valdè ei affines sunt; puta Permutatione, Locatione, Emphyteusi: multò minus in aliis, nempè, in Transactionibus: Vid. *Notas Juris Gallici in Institut.* JUSTINIANI. *Lib. I. tit de Empt. Vend.*

REG. XIX. XX. XXI. & XXII. respiciunt Locationem; earum Doctrina bona est, sed insufficiens. Primò, omittitur Locatio Operarum, aut Mercenariorum, qui conducuntur, vel ad operam diurnam, vel ad certum opus integrum: sed fit solùm sermo de Locatione Rerum Mobilium, & Fundorum, quæ vocatur *ad firmam*, quæ novem annos excedere non potest; vel Contractus Emphyteuticus, qui ad venditionem accedit in eo, quòd utile Dominium, aut in perpetuum, aut in longum tempus transferat. Porrò, hæ duæ Locationis species valdè inter se, quoad materiam, discrepant; nempè, operas, quæ sunt res faciendæ, tam inter se differentes, quot sunt varia artificia, aut servitia: aliundè, Res Mobiles jam factas, & Fundos jam existentes; undè fit ut hîc locentur usus aut fructus, illic labor, sollertia, industria.

Loquendo de Locatione Mobilium & Fundorum, nec non de causis resolutionis ipsius, plures omittuntur sedulò collectæ ab Autore *Notarum Laudatarum* TIT. *de locat.* omittitur quoque discussio obligationum mutuarum Locatoris & Conductoris *ibid.* observatarum: datur *ibid.* Definitio Locationis, quæ, juncta expositione Autoris, egregiam lucem affert præcipuis discriminibus duplicis Locationis suprà observatæ.

Denique, Locatio, multùm accedit ad Emptionem; nam, cùm Operarius, aut alius quilibet Mercenarius, conducitur, ad aliquod opus faciendum, ejus labor emitur; si conducantur Mobilia aut Prædia, illorum usus, horum fructus emuntur; sicut in venditione pretium determinatum esse debet, ita merces in Locatione. Ea quæ desunt circà Quasi-Contractus, suppleri possunt ex *Instit.* JUSTINIANI *Lib. III.* TIT. *de Obligation. quæ ex quasi.* sicut ea, quæ omissa sunt circà Societatem & Mandatum, ex eisdem *Instit.* TIT. *de Societ. & Mandato ibid.*

OBSERVATIONES *in* CAP. VIII. *de* DELICTIS & QUASI-DELICTIS.

Cùm hoc Caput sit sequela CAP. VI. loquentis de Obligationibus, quæ dicuntur provenire ex Contractibus, aut Quasi-Contractibus, Delictis aut Quasi-Delictis, respicere solùm deberet obligationes ergà Proximum, quales sunt eæ, quæ nascuntur ex Contractibus. Autor nihilòminùs de aliis Delictis agit, quàm iis, quæ ergà Proximum obligant; talia sunt ea, quæ specialiter ergà DEUM obligant: nempè, Sacrilegium, Blasphemia, &c. Verò simile est, hoc factum fuisse, quia omne Delictum obligat ad pœnam, & ratione hujus Obligationis, Autor duxit, se loqui posse de omni specie Delicti.

Inseruit Titulos *de Furtis, de Raptor. de Homic. de Filiis exp. de Injuriis & damno dato*, quia præcipua sunt eorum, quibus obligatio ergà Proximum suscipitur.

Quod de punitione dicit, est repetitio eorum, quæ dixit *Lib. I. Cap. VIII. IX. X. XI. XII. XIII.* pleræque Regulæ indicant solùm Textus, qui loquuntur de punitione Criminum propositorum.

OBSERVATIONES *in* CAP. IX. *de* EXCEPTIONIBUS & LIBERATIONIBUS.

TITULUS hic respondet TIT. *Institutionum* JUSTINIANI: *Quibus modis tollatur obligatio.*

LIBERATIO vel *Solutio*, est Exceptio adversùs Actionem propositam ratione obligationis cujuspiam: Sed non omnis Exceptio desumitur ex solutione, verùm etiam ex vitiis & nullitatibus obligationis. Probatur hoc per REG. I. quæ tres Exceptionum causas continet. Aliarum Regularum pleræque respiciunt Exceptiones sumptas pro Defensionibus, & consideratas respectu Actionum; undè fit, ut id, quod dictum fuit de Reo

Cap.

Cap. V. Lib. I. Argumento conveniat, nec non *Cap. X. ibid.* de Reconventione; nam hæc ad Reum pertinet: præterea, cùm Judex Actionis, sit Judex Reconventionis; Exceptio & Actio eumdem Judicem habere debent. Animadversio hæc confirmat REG. II. quæ de Exceptione dicit id, quod de Reconventione dictum fuit, loco laudato.

Duæ Exceptiones, quæ leguntur hac in REG. item eæ, quæ sunt in REG. XIII. XIV. XV. XVI. monent, revocandum esse in memoriam id, quod alibi fuit notatum, Autorem sumere verbum *Exceptio*, modò prout significat defensionem in Jure propositam; modò prout significat casum in Regula non comprehensum.

REG. III. VII. VIII. XI. XII. desumptæ sunt ex REGULIS VI. XX. XXXII. XXXVI. LIX. LX. LXIII. LXXI. *Trigesima Secunda* est fundamentum *Septuagesimæ primæ*; nam si is, qui admittitur ad Actionem, admittatur ad Exceptionem, id fit quia nihil conceditur Actori, quod Reo non liceat. Utraque autem desumpta est è Regulâ dicente, Reum esse favorabiliorem, quàm Actorem.

REG. XXXVI. & LIX. respiciunt dolum: Prima fert, pro Possessore haberi eum, qui dolo desiit possidere: alia fert, dolosè agere eum, qui petit rem, quam se restituere debere scit. Prima opponi potest ei, qui Actionem eludere tentat per fraudem: Posterior adhiberi potest adversùs omnem petitionem injustam; putà Fœneratoris usuras exigentis; Hæredis petentis debitum, quod Testator eum exigere vetuit.

REG. LXXX. sumitur ex iis omnibus, qui docent, licitam esse Defensionem, & favorabiliùs admitti, quàm Actionem; indè enim sequitur, eum non esse in morâ, qui justa Exceptione utitur.

Hæc generalia principia circà Exceptiones utilia sunt.

Observare opus est in REG. XIII. quòd, ubi agitur de Factis, quæ sciri debent, idem sit de ignorantiâ Facti, ac de ignorantiâ Juris, quæ non excusat, nisi invincibilis sit, & magis aut minùs culpabilis est, prout magis aut minùs voluntaria est; porrò, si quis velit ignorantiam in seipsâ, ut non faciat bonum, hæc magis voluntaria est, quàm si eam velit solùm in ejus causâ, nempè, negligentiâ aut desidiâ.

Quod ibi dicitur, ignorantiam Juris excusare Feminas & Milites; producendum est ad Personas rudiores, in quibus defectus intelligentiæ, justa est ignorantiæ causa. Ignorantia probabilis, & ignorantia invincibilis, hîc eædem sunt; sicut ignorantia supina, & ignorantia vincibilis. Hæc Exceptio necessaria est, ad præveniendum errorem. REG. XIV. respicit cessationem, seù extinctionem obligationis, per contrariam voluntatem. De solutione agitur in REG. XV. quæ ad hoc reducitur; quòd solutio totalis Creditori facta, obligationem integram perimat; partialis, partem solùm extinguat: cui adjiciendum est, quòd, si Debitor plures summas æquales eidem personæ debeat, & solvendo unam ex iis, non determinet, quodnam debitum solvere intendat; neque etiam Creditor illud in Apochâ suâ determinet; debitum durius & strictius extinguitur; v. gr. illud, quod debetur sub pœnâ; tùm illud, quod debetur sub pignore; deindè illud, quod nomine suo cavit; denique, id, pro quo fidejussit, aliàs illud extinguetur, quod determinatum erit vel à Debitore, vel à Creditore ex consensu Debitoris: si debita alia aliis strictiora non sint, vetustius extinguetur. Vide Notas *Juris Gallici in* INSTITUT. suprà laudatas.

Exceptiones & Replicationes cum suis Duplicationibus inseri possent REG. XVI. amplitudinem suam adeptæ, quæ respicit Exceptionem Rei Judicatæ, quæ non habet locum, nisi cum Judicium validum est, ac definitivum, in eaque actum fuit de obligatione, adversùs quam opponitur: aliàs res judicata non est, & proindè Judicium non potest obligationem extinguere. Iis, quæ hîc dicuntur ab Autore de re judicatâ, jungendum est CAP. XX. LIBR. II. eidem Argumento respondens.

REG. XVII. juncta REG. XI. docet, quòd, re sine culpâ Debitoris pereunte, ejus interitus extinguit obligationem; porrò, Debitor est in culpâ, si rem non restituerit post petitionem in Jure factam, nisi justas habuerit ejusdem non præstandæ causas.

REG. XVIII. est sequela REG. V. si defensio concedatur Excommunicato, oportet, ut, si ab eo exigatur id, quod debet, excusare se non possit à comparendo, ideò quòd sit Excommunicatus; vel, si comparet, Creditor ipsi Excommunicationem objicere non possit. Prior sensus magis accedit ad *Cap. 14. de Sent. Excomm.* laudatum, & ad *Cap. 5. de Except.* quod laudari potest; in quibus legitur, gratiam Excommunicato, ad ipsius defensionem concessam, vergere non debere in præjudicium Actoris.

Discrimen, quod REG. XIX. constituit inter Debitorem Laicum, & Debitorem Ecclesiasticum, attentionem meretur; nempè, hic in carcerem mitti non debet ob æs alienum, sufficit, ut cum Jurejurando caveat, se soluturum, cùm poterit; ille autem in eodem casu mitti potest in carcerem. Eamdem attentionem meretur id, quod utrique commune est: nempè, paupertatem non extinguere obligationem, sed auferre solùm facultatem solvendi.

REG. XX. pœna lata adversùs Creditorem, qui vim Debitori suo infert, æquissima est, scilicèt, amissio debiti. Idem est de Exceptione, nempè, Debitor ab illâ pœnâ immunis est, si vis sine jussu ipsius adhibita fuerit: addendum est, modò non approbet id, quod suo nomine gestum erit.

REG. XXI. oblatio pignoris non liberat Debitorem à persecutione Creditoris.

OBSERVATIONES *in* CAP. X. *de* IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

Autor hîc de Restitutione in integrum disserit, quia locum habet præcipuè in Obligationibus, quæ præcedunt. Quod de iis dicit, in omnem Actum, in quo læsio sit, extenditur, Judicium, Transactionem, Donationem, Resignationem, Permutationem Officii, aut Beneficii, aditionem Hæreditatis, & plures alios, qui expositi fuêre in *Libris* præcedentibus.

Omisit in REG. I. Exceptionem memoratam in *Cap. 9. de Restitut. in integr.* GREGORIUS IX. postquàm dixit, Judices, qui non habent Administrationem, eorum Delegatos, & Arbitros, non posse noscere de hac Restitutione; adjicit, *nisi incidens sit.*

Exceptio I. REG. II. respicit Impedimenta legitima petendi Restitutionem tempore præstituto. Cùm dicit REG. IV. Absolutionem à Jurejurando esse speciem Restitutionis in integrum, loquitur de casu, in quo Contractus obligat solùm ratione Juramenti.

REG. VI. quæ dicit, Socio Majori, Minoris, non prodesse restitutionem, quam hic impetrat, æquissima est: nam ratio privilegii Minoris, locum non habet quoad talem Socium. REG. *ult.* non convenit Argumento; nam loquitur de punitione Clerici, qui cessionem Rei Litigiosæ, per fraudem sibi fieri procurat.

OBSERVATIONES *in* CAP. XI. *de Verborum significatione.*

Quoad Expressiones Juris, & speciatim Clausulas, perficere debuisset id, quod executus est circà Verba, illas ordine alphabetico digerendo; & nedùm indicaret Textus, qui expositionem continent, hæc referenda erat. *Expressiones* à *Verbis* distinximus in REGULIS *circà Verborum significationem.*

OBSERVATIONES *in* CAP. ULTIMUM *de* REGULIS JURIS.

Ordo alphabeticus rectus est, quoad Regulas ab invicem independentes; sed, quoad alias, quæ eidem Argumento respondent, retinendus erat ordo Argumentorum. Id executi sumus, continuâ serie colligendo eas, quæ omnibus Argumentis, aut plerisque conveniunt, sub TITULO *Regularum Communium*. Reliquas divisimus in tres Classes; Judiciales, Beneficiales, & Morales: Has in Præceptivas, Prohibitivas, & Permissivas, quibus præfixæ sunt eæ, quæ Fontes indicant, in quibus Moralis Disciplina hauriri debeat.

Autor eas tantùm Regulas collegit, quæ sunt ad calcem COLLECTIONUM *Gregorianæ* & *Bonifacianæ*; eas omnes nos præterea collegimus, quæ per totum Juris Corpus vagantur. Interdùm ordini alphabetico ordinem Argumentorum conjunxit, colligendo, sub quibusdam verbis, Regulas respicientes id, quod sub illis verbis continetur: tot hujus Methodi occurrunt exempla, quot verba, sub quibus plures Regulas congessit; multa sunt, sub, quibus omisit Regulas congruas, eæ, quas eidem verbo subjecit, aliquandò contrariæ sunt.

Duo igitur circà hoc Caput præstanda superfunt. 1. Supplendi defectus. 2. Componendæ contrarietates. Primum impleri potest, remittendo ad *Tabulam Alphabeticam* REGULARUM JURIS CIVILIS, excusam in Editione Paris. 1612. immediatè post REGULAS *Sexti. Et quidem ideò*, inquit Editor, *eo in loco collocatæ fuerunt, quia pleræque Regulæ Juris Canonici, è Jure Civili desumptæ sunt.* Adjiciendæ igitur sunt *Indici* VIGELII, sub unaquâque litterâ, *Regulæ*, quæ illic sub eadem reperiuntur litterâ. Hoc vitium suppleri etiam potest, adjiciendo REGULAS *Juris Canonici*, quæ sub quibusdam verbis desunt; & hoc est consilium nostrum, postquàm remiserimus ad laudatum *Indicem* Regularum Juris Civilis, unàque cum Autore observaverimus, verbum REGULA, non significare hîc *Legem*; sed Summam dispositionis Legis, circà Argumentum Regulæ: laudata Lex est in *Indice*; prima sub litterâ R.

Sub verbo *Absolutio*, adjice REGULAM, *Promptiora sunt Jura ad absolvendum, quàm ad condemnandum*; sub verbo *Accessorium* collocari possunt *Regulæ* laudatæ à CANISIO in *Reg. XLII. in 6.* Sub verbis *Actor & Reus*, adjicienda est Regula: *Cùm obscùra sunt Jura Partium, favendum est Reo*: REG. *Actore non probante, absolvendus Reus.*

Sub verbo *Amissio*, adjice REGULAM, *Qui concessa abutitur potestate, illam meretur amittere.* Sub verbo *Argumentum*, collocari potest *Reg. 7. in 6. Privilegium personæ sequitur personam*, quæ est sub verbo, *Privilegium*: item REGULA, *Quod alicui gratiosè conceditur* &c. 74. *in 6.* Sub verbo *Commoda* ponere licet REGULAM; *Quod ob gratiam alicujus conceditur, in ejus dispendium retorquendum non est. Reg. 61. in 6.*

Sub verbo *Beneficium*, adjice REG. *Beneficium datur propter Officium. Cap. ultimo de Reser. in 6.* Sub verbo *Consensus* locari potest REG. *Scienti & Consentienti. 27. in 6.* quæ est sub verbo *Dolus.* Sub verbo *Culpa*, pone REGULAM, *Sine culpâ non est aliquis puniendus. 23. in 6.*

Sub verbo *Dolus*, adjici potest REGULA: *Pro Possessore habetur, qui dolo desiit possidere 36. in 6.* quæ occurrit sub verbo *Possessor.* Sub verbo *Dubia*, adjice REGULAM: *In pœnis benignior interpretatio facienda 49. in 6.* nam interpretatio locum habet solùm in Dubio: item REG. *in Contractibus plena, in Testamentis plenior, in Beneficiis plenissima, Cap. 6. de Donat.* REGULAM. *Odia restringi convenit.* REGULAM: *Cùm ambigua sunt Partium Jura, favendum est Reo*: REGULAM, *in Dubiis tutius eligendum.* Has inter Regulas, quædam contrariæ videntur invicem, aut iis, quæ ab Autore collectæ sunt. v. gr. quo pacto conciliari possunt, Regula, *In Dubiis minus eligendum esse*, & Regula, *In Dubiis considerandum esse quod verò similius est, aut sæpiùs accidit*: quonam modo componendæ sunt, cum Lege interpretandi Dubium adversùs eum, qui ejus est Autor; denique cum obligatione interpretandi plenè Contractus, pleniùs Testamenta, & plenissimè Beneficia Principum.

Alia nobis conciliatio non occurrit, nisi, quòd, has inter Regulas, aliæ aliarum Exceptiones continent. Ex omnibus, quæ ad benignitatem vergunt, *Prima* est ea, quæ dicit, in Dubio mitiorem partem eligendam esse. Hæc est reliquarum principium: indè fit, ut in eodem casu, minus amplectendum sit, restringenda sint odia, pœna levior eligenda sit. Omnes hæ Regulæ sunt consecutiones *Regulæ 3. de Reg. Juris* apud GREGORIUM IX. Nam unaquæque illarum continet solùm exempla rerum, quæ benigniores & humaniores sunt. Idem est de Regulâ, quæ jubet, ut Reo potiùs, quàm Actori, faveatur, si Jura eorum æqualiter ambigua sint: hoc enim humanius est, cùm agatur de damno vitando quoad Reum, & de lucro captando, quoad Actorem.

Aliæ Regulæ continent Exceptiones, sumptas, sivè 1. Ex circumstantiis, quæ dubium tollunt, proveniens ex obscuritate verborum, aut expressionis, aut Consuetudinis Provinciæ: sivè 2. ex Culpâ Contrahentis, qui obscurè locutus est; & sic in suum præjudicium intelligi meritus est. Hæc via necessaria fuit, ut obviàm iretur fraudibus, quibus multi usi essent, eligentes verba obscura, undè lucrum captarent: impediendum erat, ne quis ex malitiâ suâ lucrum sentiret, & fraus in Autoris sui commodum vergeret.

Quoad Regulam, circà discrimen, inter Contractuum & Testamentorum, nec non Beneficiorum interpretationem, ea fundatur in favoris inæqualitate: nam Beneficia Principum magis favorabilia sunt, quàm Testamenta, & hæc, quàm Contractus.

Sub verbo *Factum*, collocari potest *Regula 73. in 6. Factum legitimè retractari non debet; licèt casus posteà eveniat, à quo non potuit inchoari*: quæ restringenda est ad Contractus indissolubiles: quoad alios falsa est. Vid. CANISIUM, qui exempla utrorumque Contractuum colligit *in hanc Regulam.*

Sub verbo *Impossibile*, sub quo citatur *Reg. 6. in 6.* Regulæ XLI. LXVI. quarum illa fundamentum est, nam si is, qui non potest exequi quod debebat, reputatur id fecisse, id oritur ex eo, quòd non teneatur ad impossibile.

Sub verbo *Judex*, locari potest *Regula 24. in 6. Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur, cùm habeat parere necesse.* Hæc est sub verbo *Dolus.*

Sub verbo *Magistratus*, prout accipitur ab Autore, collocari possunt, omnes Regulæ, quæ respiciunt Superiores: plures sunt in TITUL. *de Major. & Obed.* & in DIST. XCVI. quas omisit.

REGULA sub verbo *Malum*, periculosa est, significans, aliquem posse constitui in necessitate magnum aut minus Malum committendi, & tunc excusari à peccato, eligendo minus: quod falsum est; nam cum duobus criminibus inæqualibus objicimur, ab utroque abstinendum est, & deponendus error ergà illud, quod licitum falsò creditur, juxtà Sententiam PAULI, *Non facienda sunt mala ut eveniant bona.* Proindèque nec minus Malum, ut vitetur majus.

REG. sub verbo *Necessitas*, ubi citatur Regula *Decretal.* quæ restringi debet ad casum Prohibitionis Humanæ, aut Divinæ merè positivæ, cum Legis Naturalis Præcepto non concurrentis: tunc enim solùm necessitas facit licitum, quod erat illicitum.

Longè plures Regulæ colligendæ erant, sub verbo *Præscriptio*,

Præscriptio, quàm duæ, quæ hìc leguntur: illæ cerni possunt in meo Tractatu *de Præscriptionibus*. Aliquot Regulæ ponendæ erant sub verbo *Officium*, maximè hæc, *Non decet, Officium suum alicui esse damnosum.*

REG. quam ponit sub verbo *Præjudicium*, convenit verbo *Lædere*. REG. I. sub verbo *Præsumptio*, collocata, obscurè concipitur, & significare videtur, Præsumptionem indigere probationibus evidentibus; Textûs autem laudati sensus est, talem Præsumptionem destrui non posse, nisi per evidentissimas probationes.

REG. II. & III. quæ sunt sub verbo *Præsumptio*, expositione indigent: solida videtur ea, quam dedit CANISIUS.

Quamvis REGULA; *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur*, respiciat ignorantiam facti alieni; potest tamen applicari omnibus casibus Promotionis ad Ordines, aut Beneficium, aut Officium, quæ requirunt scientiam. Candidatus potest præsumi ignorans, donec peritiæ suæ probationes dederit. *Caput ultimum de Præsumpt.* quod contrarium statuit, non obtinet; nullus enim Candidatus à faciendo periculo excusare se valet, nisi habeat aliquod Privilegium, per quod immunis fiat. Distinctio GONZALIS in *hunc Textum*, non omninò approbatur; nimirùm, qualitates intrinsecas semper præsumi: hinc enim bonum agendi morem inter has qualitates numerat, & constat in Casibus observatis, à Candidatis exigi testimonium vitæ & morum.

REG. IV. hujus TITULI exponi potest, per exemplum hominis, qui emit infrà, aut vendit suprà pretium à Lege determinatum: promulgatâ enim Lege, justè præsumitur, eum contrà conscientiam suam agere.

His Regulis jungi potest *Regula 14. in 6.* sic concepta, *Qui succedit in jus alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere*; quæ de ignorantiâ facti intelligenda est: sicut prima pars Regulæ 13. *nam factum Prædecessoris, est factum alterius*: quâ in re differt à REG. XLVI. circà idem Successoris Argumentum versante, & supponente, Successorem cognoscere jus Prædecessoris; nam dicit, illum eo uti debere.

Sub verbo *Successor*, adjici potest REGULA, *Res judicata pro veritate habetur.*

Emenso stadio Observationum in Methodum *Nicolai* VIGELII; monere Lectorem juvat, eas præcipuè susceptas fuisse, ut ostenderetur, eam valdè discrepare à nostro *Jure Canonico in Regulas distributo*, & videri duntaxat, esse consilium hujus operis.

Lectoris est judicare, an proposito abundè satisfactum fuerit, & discutere, an ea, quæ generatim & speciatim dicta sunt, de vitiis hujus Methodi, vera sint, & felix sit opera ad illam perficiendam insumpta. Unum certum nobis videtur, labore nostro VIGELIANUM Opus effectum esse veluti quoddam Institutionum genus, quidquid Studiosis scitu inprimis necessarium, ferè comprehendens, congruo ordine digestum vel digerendum, &, dissipata Exceptionum, Replicationum, Duplicationum, Triplicationum, Quadruplicationum caligine, in debitam lucem restitutum.

FINIS PARTIS PRIORIS, TOMI PRIMI.



EXPOSITIO

EXPOSITIO JURIS CANONICI,

Per Regulas Naturali ordine digestas usuque temperatas, ex Corpore Juris ac aliunde desumptas.

ADDITIO PROLEGOMENIS,

Quoad Collectiones Juris inter se collatas.

MISSIS Librario Prolegomenis, visum nobis est quod comparando *Collectionem* Gratiani cum illis quæ eandem secutæ sunt, omissum fuerit, illam conferre cum Epitome Veteris Juris Canonici, ab Antonio Augustino exarati, quodque hæc comparatio non minùs utilis sit propter finem quem sibi proposuit Author alias faciendo, & quæ consistit in hoc ut hâc viâ meliùs faciliusque cognoscantur, observando in quo conveniant & differant, quid boni, quid mali, quid solidi, quid non solidi in unâquâque inveniatur.

Ut igitur huic vitio suppleatur, statutum est hanc Epitomen examinare, eodem modo quo aliæ Collectiones fuerunt perpensæ, quoad illam quæ spectat ad *Gratianum*, & paucis verbis annotare, quæ in his duobus Operibus communia sint, quæ diversa; & quare unum alteri anteponi mereatur.

Quamvis Author Epitomes suum Opus ediderit circà finem XVI. Sæculi, tamen illam terminavit Juri XII. primorum Sæculorum, in quo discessit ab exemplo plerorumque aliorum Collectorum, & præcipuè ac particulatim à *Gratiano*, qui suas produxerunt Collectiones usque ad suum tempus; profectò credidit, non reformandas esse Collectiones Juris, factas à Gregorio IX. fuisque Successoribus, quia munitæ sunt autoritate publicâ, & quia non poterant nisi eâdem autoritate emendari, illa verò quæ est *Gratiani*, nec non & aliæ pleræque quæ illam præcesserunt, cum essent Opera Privatorum licebat illi unam quæ potior foret exarare, hanc conjecturam tentamus dùm accesserint probationes eorum quibus determinatus est, suum propositum ita terminare; nihil hâc de re expressum in Præfatione Editoris, in eâ refert solùm aliquos Autoris locos ex quibus intelligitur eumdem voluisse Pandectas facere Juris Canonici, ad imitationem illarum quæ spectant ad Jus Civile jussu Justiniani Editarum quæ continent tantùm Jus Vetus Civile: Tamen in alio situ erat quàm *Justinianus*; nam multæ jam erant Pandectæ Juris Canonici, cùm tot essent quot magnæ Collectiones anteriores Collectioni Gregorii IX. & nullæ erant Pandectæ Juris Civilis ante hunc Imperatorem, sed cum visæ fuerint ipsi vitiosæ illæ Collectiones, & aliæ alias imitantes, unam sibi faciendam censuerat, quæ vitio omni aliarum careret, in quâ minor esset defectus. Fortasse cum summam & diligentem curam posuerit in Operibus *Gratiani*, & multos errores in eis invenerit, ut videtur per suos Dialogos *De Emendatione* Gratiani, persuasum habuerat, non obstantibus omnibus his Correctionibus, & illis quæ poterant ab aliis adhuc fieri, utilius fore commodo publico si daretur alia Collectio, quæ subrogaretur alterius loco, quàm si illa quæ *Gratiani* est, perficeretur, in quo rectè sensisset, sed malè speràsset, nam ista majori erat in pretio quàm ut derelinqueretur. Aliundè Paparum interest illam tueri, hæc enim est fundamentum multarum prærogativarum novarum quas acquisiverunt à Sæculo XII. Van-Espen hujusce probationes subministrat, in suo Commentario in illam. Quidquid sit de propositis Antonii Augustini in suâ Epitome, certò constat, illum præcipuam non habuisse *Gratiani* mentem, quæ est, ut conciliet Canones discordes, & quâ opus suum approbatum est, & illud suprà Collectiones præcedentes extulit: Itaque quamvis opus Antonii Augustini habeat Jus antiquum pro materiâ, ita pariter illud quod est *Gratiani*; istud alteri prævalet quoad modum illud tractandi, quòd apparet adhuc per principia quæ in Capite inseruit comparando Jus Canonicum cum Jure Naturali, Jure Divino, Jure Civili, Consuetudine, & illis omnibus quæ Antonius Augustinus omisit. Sanè iste Collectionem suam longiùs produxit quàm alter, extendens eamdem usque ad Concilium IV. *Lateranense* habitum anno 1215. & *Gratianus* suam finit per Decreta Concilii II. *Lateranensis* anno 1139. quod quidem ponit differentiam 76. annorum quæ est parvi momenti, cùm nempè unicè consistat in eo quod paulò majorem det extensionem Juri Antiquo, quod nihilominùs finit ad Decretum *Gratiani*.

Non idem est de illâ differentiâ quæ oritur ex eo quod, cùm *Gratianus* in suâ Collectione, inseruerit magnum numerum Legum Sæcularium, Antonius Augustinus suam terminaverit ad Leges Ecclesiasticas, quasi verò istæ nullo opus haberent auxilio ad supplendum illis quæ non possunt facere quoad Temporale, quod solùm pendet à Legibus Sæcularibus.

Hæc duo Opera conveniunt, in eo quod nulla sint

omissa ex falsis Operibus factis in gratiam Curiæ Romanæ, nempè 1. Epistolæ supposititicæ Summis Pontificibus Quatuor Primorum Sæculorum missæ, & aliis Sæculorum sequentium, inprimis Epistolæ VIGILII nec non & GREGORII IV. quæ docent Episcopos suam à Papâ potestatem habere, qui potest aut ipsis eandem auferre, aut restringere, ut libuerit; 2. falsum Concilium Romanum SILVESTRI, nec non & *Sinuessanum* Concilium, quibus ANTONIUS AUGUSTINUS addidit, falsò attributas GREGORIO VII. 3. falsa *Constantini* donatio. Itaque in hoc subrogatio hujus Collectionis, illi quæ ad *Gratianum* pertinet, non esset infructuosa, quemadmodùm nec in illis quod in Epitome meliùs stabiliuntur illorum prætentiones quibusdam in Capitibus, cum super ista referat authoritates meliores & solidiores.

Divisio Generalis materiæ eadem est in utroque Opere, scilicet, quantùm ad Personas, Res & Judicia; in quo Epitome prævalet solùm Decreto, quod in eâ agatur de Judiciis antequàm de Rebus mentio facta fuerit, in hoc verò loquatur Autor de Rebus antequàm de Judiciis disserat, quod rectius est, cum illæ Res sint præcipua quædam Judiciorum pars; illa quoque præstat in numero, in delectu, & correctione Canonum, qui in eâ adhibentur, quod oritur ex eo quod ANTONIUS AUGUSTINUS multò peritior erat, quàm *Gratianus*, & vivebat in Sæculo in quo majora erant ad Scientias adjumenta, quod etiam eos in fontibus hauserit, alter verò eas è Collectoribus præcedentibus deprompserit, præterea ANTONIUS AUGUSTINUS disseruit de multò pluribus materiis particularibus quàm *Gratianus*, ex quo fit multò utilior Ordo, sive generalis, sive particularis; Est adhuc longè multò concinnior in Epitome quàm in Decreto, cùm materiæ & ejusdem generis, & ejusdem speciei communiter in ordinem redigantur. Qui legerit Tabulam cujusque Partis, de hoc facilè convincetur: Materia in eâ tractatur ad viscera, cùm accuratâ divisione, adhibetur ordo dignitatis in primâ quæ spectat ad Statum Personarum, incipiendo à nobiliori & descendendo gradatim ad minus nobilem, in eâ distinguuntur duodecim genera conditionum, sive statuum, & circà unumquemque considerantur quæ ei apta sint, ita ut nihil ferè quidquam aliud optandum sit quod de illa tractetur.

Si necesse sit loqui de iisdem rebus diversis in locis, propterea quod utrique conveniant, de uno ad alterum locum remittitur Lector, addendo in ultimo, illa quæ nova hâc de re inventa sunt, aut quæ magis propria & convenientia quàm huic suprà citato loco: idem præcavetur in unâquâque parte, non solùm ratione materiarum quæ in eadem parte tractantur, sed etiam ratione illarum, quæ discutiuntur in aliis quoties conjunctio cogit, ut de iisdem rebus mentio fiat.

Quemadmodùm ea quæ spectant ad secundam Partem particulatim referuntur ad Ecclesias, & alios locos destinatos cultui divino, Exordium habet ab Ecclesiis, deindè differitur, 1. de Monasteriis; 2. de Beneficiis quæ sunt Sæcularia aut Regularia; 3. de Bonis quæ pertinent ad utraque; 4. de Reliquiis Sanctorum, de illorum Imaginibus, de Cruce, & aliis similibus quæ in Ecclesiis servantur; 5. de Vestimentis, Ornamentis, Vasibus ad Actiones Sacras quæ in iis aguntur, necessariis; 6. de iisdem Actionibus: Prædicatione, Orationibus, Officiis Divinis, Lectione; 7. de Festis quæ in iisdem Ecclesiis celebrantur, & inprimis Paschate; 8. de Jejuniis, Vigiliis, & Litaniis, quibus ad Festa nos apparamus aut eadem celebramus; 9. de Sacramentis, quæ in iisdem Ecclesiis fiunt aut administrantur. Unumquodque membrum hujus divisionis generalis secundæ Partis suas habet subdivisiones convenientes, quod facilè ostenderetur, si necessarium esset.

Ordo Tertiæ Partis, quæ spectat ad Judicia, non minùs præclarus est; post aliqua Præliminaria super eadem illa generatim considerantur, & in iis mentio fit de qualitatibus Judicis, de variis Tribunalium speciebus, ascendendo à Minoribus ad Majora, inde transitur ad Judicia criminosa, & fusis verbis tractatur in eadem Parte de Accusatione, quæ est illorum basis, & quemadmodùm spoliatio suspendit judicium; agitur postea de Restitutione spoliatorum, deinde ad Probationes devenitur, & inde ad Sententiam & Appellationem; quæ simul junguntur propter suam unionem. Deinde transeundo ad diversas Criminum species, quæ sunt materia Judiciorum, istæ reducuntur ad tria genera: Scilicet, 1. Crimina in Deum perpetrata; 2. Crimina contra Proximum; 3. Facinora contra seipsum admissa; finitur per Pœnas Ecclesiasticas, quibus ab Ecclesiâ puniri possunt hæc scelera, quæ quidem sunt Excommunicatio, Expulsio, Interdictum, Depositio Ordinis, Privatio Officii & Beneficii, Suspensio.

Quæ dixi de pulchritudine Ordinis Epitomes ANTONII AUGUSTINI, mihi, videntur generaliter approbata; neminem vidi qui hæc contradicat, arguunt solùm nonnulli nimiam multiplicitatem Titulorum, quæ efficit ut memoria nequeat illos omnes retinere; sed hæc ratio parùm convenit, quasi verò necesse foret memoriter scire omnes Titulos magni Operis, & quasi Tabula non possit nec etiam debeat supplere defectui memoriæ; ego vero facilè crederem multos ab eodem Authore omissos, sive Generales, quemadmodùm illi in quibus materia generatim consideratur; tales sunt illi quos debuisset facere super Electione, Visitatione, Sacramentis, Censuris spectatis generatim; sive Particulares, quales etiam illi in quibus mentio fit de aliquâ specie cujusdam generis; tales sunt illi quos potuisset & debuisset facere loquendo & differendo de Contractibus, unus pro depositio, alter pro commodato, tertius pro pignoris obligatione: Tales sunt & illi quos debuisset facere loquendo de Probationibus, quorum alter fuisset *de Instrumentis*, alter fuisset *de Jurejurando*, tertius *de Præsumptionibus*; tales sunt etiam Tituli peculiares Materiis Civilibus, scilicet de Libelli oblatione, de plus Petitionibus, de mutuis Petitionibus, de Litis Contestatione, ut Lite non contestatâ; facile afferrentur alia exempla hujus defectûs Titulorum necessariorum, sed non est hic locus, cum non agatur de Examinatione Operis in fundo, sed solùm ut illud comparetur cum *Gratiani Decreto*, & ut ostendatur, quænam sint utriusque Operis commoda, & in quo utrumque sit æquale, itaque easdem ob rationes in hoc loco finio Comparationem susceptam illorum duorum Operum, cùm non possint illam longiùs producere, quin intrem in fundum Materiarum quæ in illis agitantur, quod nullo modo congruit fini, qui ad illam adduxit.

OBSERVATIONES in Opera FRANCISCI FLORENTIS, *quæ pertinent ad modum docendi & discendi Jus Canonicum, commendantque explicationem illius per Regulas.*

IN Recollectione Operum hujus periti & prudentis Authoris editorum in lucem curâ Domini DOUJAT, tria sunt quæ pertinent singulariter ad modum docendi Jus Canonicum eique studendi, ex sunt in Capite hujus Collectionis. Primi Libri Titulus inscribitur de Origine, Arte, & Authoritate Juris Canonici: Secundus est sub nomine Præfationis de Methodo & Authoritate Collectionis *Gratiani*, & omnium aliarum factarum post *Gratianum* de Decretalibus; Tertius est apertura Scholæ Juris inscripta de Recto Modo ediscendi Jus Canonicum. Alia sunt sub nomine Tractatûs, in quorum unoquo-

quoque explicat fusiùs Materias Canonicas maximi momenti, & in hoc insinuat omne quod Jus Canonicum docet gravissimum de unaquâque; de his Tractatibus hîc tantùm mentio fit, ratione methodi in explicatione materiarum, quæ est fermè eadem quam sequitur in Opere quod datur sub Titulo Corporis Juris in Regulis positi: Illa autem consistit, ut redigatur quælibet materia ad certa Capita, ad quæ refertur omne quod Jus de eâ dicit, & ut ponantur in ordine aptiori ad intelligentiam eorum quæ de eâ dicit: Hæc Capita sunt communiter, Nomen, Definitio, Divisiones, Subdivisiones, Causæ, Effectus, Proprietates, sub quorum unoquoque intelligitur etiam Definitio & Divisiones quantùm pars quæque postulat, undè resultat corpus cum omnibus his membris in suo loco singulis positis. Cùm nullum aliud consilium ceperimus loquendo de his Tractatibus, inutile esset observare causam uniuscujusque, quin imò referre motivum; solum exemplum sufficiet: Excipitur ex Tractatu de Electionibus quod maximi nostrâ interest & longiùs latiusque patens est; cum autem dixerit Author nomine Electionis intelligi omnem quamcunque provisionem aut promotionem ad Beneficia magna, & parva, Sæcularia & Regularia, refert duas Definitiones, unam brevem, alteram longam, quæ continet ferè omnem materiam; deindè transit ad formam, cujus distinguit tres, Scrutinia, Compromissa, & quasi Inspirationes, Textus afferens qui loquuntur de unâquâque, deinde venit ad Confirmationem cujus causas explicat, formam, effectus, & citat Textus qui ad ipsam pertinent, & finit per Consecrationem, quæ spectat Electionem Episcoporum, præcipuam omnium Electionum, & promittit se locuturum de singularibus quæ pertinent ad Ecclesiam Gallicanam, citans sub uno & altero argumento Textus qui de his loquuntur. Cùm occurrunt quædam communia omnibus materiæ Partibus, aut aliquibus ex illis inter se collatis non omittit illa observare; itaque cum locutus sit generatim de Electione, de Confirmatione, de Consecratione, annotat diversos Ecclesiarum usus in hoc esse servandos, & Textus affert qui hoc probant. Privatim tractans de unoquoque membro divisionum, incipit per nobilius & quod pluris interest, undè fit ut ita loquendo de Electione, orditur per Electionem Episcoporum, quæ est præcipua, nec non & communior de quâ mentio fiat in Jure, & in quâ majores sint Textus; Generale semper præcedit Particulare, idæam dat totius, antequàm explanet quamque partem sigillatim.

Quamvis in Monitione ab ipso datâ in Capite IX. Tractatuum typis excusorum ante mortem suam non probet Breviaria, Summas, Epitomes, Elementa Juris, quia nihil dant præter idæas superficiarias Materiarum, nec dant facilitatem decidendi quæstiones quæ occurrunt, incipit nihilominùs quemque Tractatum per simile Breviarium, cùm persuasum habeat Lectorem præparari ad studium Tractatûs, quia cùm satisfecerit desiderio sciendi summatim quibus studet, transit deinde libentiùs ad unamquamque partem, & non relinquit nisi postquàm plenam illius notitiam acquisiverit; hujusmodi Breviaria sunt ergà totum Tractatum, quod argumenta Capitum sunt ergà res quas continent, attentos nos efficiunt ad ea quæ sunt gravissima, ex quo patet, ut docebimus, jungendum esse Breviarium Tractatui, unum perducit ad alterum: Breviarium, cognitionem generalem præbens, particularem & minutiorem notitiam dat appetere, quæ comparatur per Tractatum; itaque hic satiat appetitum ab altero excitatum.

Quod pertinet ad tria Opera quæ expressè loquuntur de Methodo docendi Jus & ei studendi, Tertium factum est solùm ob hanc rationem, sed tàm breve est & tàm generale, ut parum sit utile respectu nostræ Methodi quæ est finis illarum Observationum, itaque sufficiet dicere, Authorem ibi loqui de Jure Novo, incipiendo à Collectione GREGORII IX. antequàm loquatur de Veteri contento in Decreto *Gratiani*, & præcipuè insistere, ut ostendat quæ sit necessitas jungere studio hujus Collectionis lectionem Antiquarum Collectionum, ex quibus composita fuit, & Priscorum Canonistarum Lectionem, quorum Glossa excerpta est, quod confirmat Observationes factas super has Collectiones & super Glossam. Cùm loquitur de Jure Antiquo, observat benemultos errores in Jus Novum irrepsisse, quia Compilatores Juris Novi, Commentatores, & Glossæ ejusdem Juris, de Jure Antiquo nihil cognoverunt, quàm quod de eo legerunt in *Gratiano*, quem reputaverunt quasi primum fontem Juris; illud etiam probat VAN-ESPEN benemultis exemplis, in suo parvo in *Gratianum* Commentario. Proferunt Decretales & alios Textus Juris Novi, ubi Pontifices errores *Gratiani* secuti sunt, in quo duplex est confirmatio hujus quod annotatum est in Comparatione Decreti *Gratiani*, cùm Collectionibus Posterioribus contentis in Corpore Juris.

Primum & *secundum* Operum citatorum loquuntur adhuc de erroribus, & aliis mendis *Gratiani*, quorum graviora collecta sunt singulatim in eadem comparatione.

In utroque reperiuntur eædem divisiones Juris ex suâ materia excerptæ, & ex formâ; quæ materia consistit partim in iis quæ pertinent ad fidem & doctrinam, & partim in iis quæ mores & disciplinam spectant; inter quas duas partes hoc est discrimen, quod prima sit immutabilis, secunda mutationi obnoxia, unde instituta quæ hanc respiciunt dispensationi subjecta sunt, alia verò non.

Jus dividitur ratione formæ in Jus scriptum, & Jus non scriptum; Jus scriptum continetur partim in Scripturis Sacris, partim in Canonibus; Scripturæ dividuntur in Vetus & Novum Testamentum; Canones dividuntur ratione fontium suorum in Constitutiones Conciliorum, Decreta Paparum, dicta Patrum.

Jus non scriptum, aut Consuetudinarium, est utriusque generis: Unum nunquam scriptum fuit; alterum cum in origine suâ non fuerit scriptum, factum est imposterum ut scriberetur; quamvis hoc Jus sit scriptum, vocatur semper Jus Consuetudinarium ratione quod inceperit per Consuetudinem, & consequenter in suâ origine non fuit autoratum nisi consensu Ecclesiæ tacito; alterum verò factum est scripto, & processit ex expressâ illius voluntate: Hæc est Authoris reflectio, concinna est.

Utrumque potest dividi in Jus Generale, aut Commune, & in Jus Particulare; hâc subdivisione respondetur facilè difficultati exceptæ ex eo quod S. AUGUSTINUS dividens Jus in Scripturam & Traditionem, dicit, hanc esse aut Universalem aut Particularem, nam in hoc facit subdivisionem, quæ non minùs convenit Juri scripto cui illam applicat, hæc Responsio videtur simplicior, & consequenter aptior quàm illa quam facit Author *p.* 7. & 8.

Annotatio quam facit, Canones non complecti nisi quod est Disciplinæ, & quod Fidem spectat aut Dogma est in Decretis aut Definitionibus aut Anamatismis, non est generaliter verà; nam Concilia *Lateranense*, *Lugdunense*, *Viennense*, *Constantiense*, *Basileense*, in hoc nullum posuerunt discrimen inter hoc quod statuerunt respectu Dogmatis, & quod præscripserunt de Disciplinâ, utrumque intellexerunt sub nomine Capitis aut Decretorum; & Concilium *Tridentinum* affectavit suas collocare Definitiones in Canonibus, & cætera quæ pertinent sive ad Doctrinam sive ad Disciplinam posuit in Capitibus, cum hac solâ differentiâ, quod communiter ordinaverit

quod pertinet ad Disciplinam sub Titulo Reformationis.

Fallitur quoque in eo quod dicit *pag. 33.* BURCHARDUM, YVONEM *Carnotensem*, primos esse Collectores Canonum qui posuerint Sententias Patrum in numero Canonum: Nam EGBERTUS Archiepiscopus Eboracensis laudat Authores Antiquorum dicta Patrum Pœnitentialium, Regino post hunc & ante illos hoc fecerant. Aliunde LEO IV. *in Cap. I.* DISTINCT. XX. supponit illas jam habere hanc prærogativam, dicendo ad eas recurrendum esse in casibus non decisis à Conciliis aut à Papis.

Decipitur adhuc in eo quod dicit ibidem IVONEM *Carnotensem* esse primum Collectorum Latinorum qui inseruerit Leges Civiles in suâ Collectione, nam REGINON hoc ante illum fecit, & multæ etiam reperiuntur in Capitularibus Regum Franciæ, quæ adscribit in numerum Collectionum Canonum.

Cura quam habet in utroque illorum Operum ut observet quod antiquæ Collectiones habent diversum & Commune inter se, & cum Novis, à me factam comparationem purgat, in quâ annotavi, sicut & ille originem, methodum; authoritatem & utilitatem cujusque; veteres sunt fontes recentium, ut de novis quis judicet agnoscendi sunt illi fontes, quibus vitiantur, aut quorum habent perfectiones.

Tractando de Antiquis Collectionibus longiùs immoratus est in historiâ quam in praxi: contrario, modo egi; Aliquas prætermisit de quibus locutus sum, illæ sunt inprimis EGBERTI & REGINONIS; unum verbum protulit de Collectionibus quæ sunt BURCHARDI, & YVONIS *Carnotensis*, quarum omnia observavi quæ scitu necessaria sunt, ut utilitas ex illis percipiatur. Inter Collectiones Orientis multæ sunt quas non cognovit, de quibus sermonem habui quantùm judicavi necessarium; tales sunt illæ quæ posteriores sunt Collectioni PHOTII.

Fusiùs disseruit de Methodo *Gratiani*, & parùm locutus est de suis erroribus; adverso modo me gessi, cum sic existimarem utilius esse, hos errores compertos habere quàm investigare quidquid est bonum aut malum in hâcce Methodo.

Cecidit in idem vitium, magnum sermonem habens de Antiquis Collectionibus Decretalium, ex quibus GREGORIUS IX. suam composuit, & parùm ex illa disseruit & ex illis quæ illam secutæ sunt, quæ abrogaverunt partem Statutorum comprehensorum in his Antiquis Collectionibus, & Novas Ordinationes faciunt quæ adhuc vigent; præcipuè adhæsi Collectionibus usûs hodierni; adjeci Observationes in Glossam, Rubricas, Summaria, Septimum Decretalium, Concilium Tridentinum, Cardinalium Decisiones quæ ad illud pertinent, modum idem interpretandi, Decisiones Rotæ, & alia necessaria ut proficiamus de Collectione GREGORII, & tractavi etiam de illis quæ hanc secutæ sunt, & de harum Collectionum approbatione, & de earum quæ eas præcesserunt: Nihilominùs sapienter aget, qui videbit in *Florentio* quod omittendum putavi; multùm abest ut hoc sit inutile; eo prudentiùs adhuc se geret, qui evolvet suos in *Gratianum* Tractatus, & GREGORIUM IX. tàm posthumos quàm veteres, hæc enim lectio præparabit ad legendum Corpus Juris in Regulis constitutum, magnoque erit adjumento ut ex eo utilitas percipiatur.

Hæc duo Opera præcipuè differunt in eo quod ex unâ parte Dissertationem continet, quæ respicit Antiquas Collectiones tàm Orientis, quàm Occidentis, & in eâ discutiuntur multæ Historiæ puncta ratione Canonum quæ in eâ colliguntur, & Conciliorum quæ eos sanciverunt; Canones qui ibi particulariùs examinantur, sunt Concilii *Antiocheni* an. 341. Concilia sunt *Sardicense* & *Antiochenum*. *Concilia Generalia VI.* & *VIII.* Inter Annotationes quas facit in Collectionem DYONISII *Exigui*, nihil est dignius attentione quàm quod exponit, cum DYONISIUS non inseruerit Canones Concilii *Ephesini* in suâ Collectione, aliquas esse Editiones in quibus collocantur; probatio est in *Canone* 1. DISTINCT. XX. in Editione *Moguntinâ*, & *Parisiensi* Codicis Ecclesiæ Romanæ quæ est eadem ac DYONISII Editio; positum fuisse Concilium *Alexandrinum* quod est singulare, loco Synodi *Ephesinæ* quæ est Generalis, & illud provenire ex eo quod utrumque Concilium habitum sit contrà NESTORIUM, & CYRILLUM *Alexandriæ* eorum fuisse Præsidem, cum hoc discrimine quod præfuerit primo suo nomine, & secundo nomine CÆLESTINI I. cujus erat Legatus. Idem est de eo quod observat, *Dyonisium* affirmare Concilium *Sardicense*, nec non & Concilia *Africana* Latinè scripta fuisse, & de Latino in Græcum interpretata. Ex alterâ parte Præfatio includit quod pertinet ad Collectiones Occidentis, à Decreto *Gratiani* usque ad ultimas quæ junctæ cum illâ componunt Corpus Juris Canonici.

Quod si *Florentius* comprehendat primam Collectionem *Dyonisii* inter Occidentales, quamvis constet Canonibus Conciliorum Orientalium, ideò factum est, quia versio edita est in gratiam Ecclesiæ Occidentalis; Concilia Sardicense & Africana quæ conjunxit illis, sunt Concilia Occidentalia, in quo idem est de hâc, sicut & de Collectione MARTINI *Bracharensis*, quæ communiter annumeratur inter Collectiones Occidentales, quamvis præcipuè contineat Canones Orientales, ad hoc satis fuit, quod scripta fuerit pro bono Ecclesiæ Occidentalis, & quod huic addiderit aliquos Canones Ecclesiæ ejusdem, & nonnullos etiam Conciliorum Africanorum.

Hæc Dissertatio & hæc Præfatio in materiâ conveniunt in eo quod in iis contineantur eædem Juris Canonici divisiones, suprà observatæ. Dissertatio Typis mandata fuit primâ vice an. 1632. & Præfatio visa est cum novem Tractatibus in Decretalia, an. 1642.; in ea loquens de Quintâ Veterum Collectionum, scilicèt HONORII III., nondùm in lucem editam illam fuisse dicit; Typis excusa fuit tres post annos curâ CIRONIS, Professoris in Jure, in Universitate Tolosanâ, cujus fuit Cancellarius, nec non & Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ ejusdem urbis.

OBSERVATIONES IN PRÆNOTIONES CANONICAS, Editionis 1697. *potissimùm contingentes Expositionem Juris per Regulas, ipsasque Prænotiones illustrantes.*

BEnemultis quæ in hoc Opere extant, adducimur ad loquendum hîc de illo. Titulus *Prænotionum Canonicarum* annuntiat Prolegomena Juris Canonici, nam Prænotiones & Prolegomena sunt ejusdem ferè significationis, ac illarum idem finis, sed quod additur, ut id explanetur, ostendit Authoris propositum, quam nostrum, longiùs progredi, nempè hæc verba *quibus Sacri Juris atque universi Studii Ecclesiastici principia & adminicula enucleantur.* Idem est de Epistolâ Dedicatoriâ Præfationis & divisione fusiùs explicatâ per Tabulam, omnia concurrunt ut declaretur Autorem velle dare Prolegomena longè ampliora quàm mea, quæ limitantur ad id quod scire oporteat, ut quis possit fructum percipere ex studio Juris Canonici privatim spectati, nam quæ exaravit Author inserviunt & conferunt ad omnes Scientias Ecclesiasticas, Scripturam, Jus Sacrum, Theologiam, Historiam, & continet adhuc adjumenta quibus perveniamus ad quamque illarum, quæ sunt cognitio Interpretum, verbi Dei, & Canonum, sed præcipuè Sanctorum Patrum ac Successorum, Chronologia, Geo-

Geographia, Critica. Huic differentiæ debent aliæ jungi. 1. In iis per me aditus est ad examen benemultarum Quæstionum gravium, quarum decisio est necessaria si quis velit ad studium hujusce Juris parari. 2. In iis recollígo omnia principia generalia quibus resolvuntur pleræque difficultates Canonicæ. 3. Cum in mente haberem praxim, præcipuè immoratus sum in dandis notitiis quas exigit. 4. Author dicit solùm dedisse operam in favorem Tyronum, & non illorum qui jam aliquibus præceptis imbuti sunt; ego verò conatus sum conferre ad utilitatem singulorum, non solùm in Corpore Juris, sed etiam in Prolegomenis; propositum meum est ordinare Decisiones Juris juxtà ordinem quem habituræ sunt ut faciliùs animo percipiantur & retineantur, & prætermittere quæ mihi visa fuerunt aptiora ut retardarent, quàm ut præmoverent & progressum in hoc studio. 5. Prolegomena Authoris sunt pro Jure, quale est; mea sunt pro Jure quale debet esse; sic omnes Tractatus ex quibus constant, eundem habent finem ac Opus præparant ad Decisiones quæ debent excerpi è Jure, & ad ordinem qui debet illis dari: In iis perpenduntur generalitates Juris, in eodem ordine quo examinabitur in Opere materia quæ pertinet ad Jus privatim spectatum; unum ab altero separatum tantùm fuit ut poneretur non interruptè quod cuique convenit, ut transiremus à generali ad particulare, & ut unum per alterum explanaretur, quod est necessarium in omnibus Scientiis; multùm abest igitur ut Prænotiones Canonicæ in quibus aliqua sumus observaturi, sint ex Prolegomenis Juris Canonici; accessuræ Notæ sequentes & multæ aliæ, quas quisque poterit adhuc advertere, conferendo illas Observationes cum his Prænotionibus, contrarium ostendunt modo certiori. Si quæ sit similitudo in quibusdam Capitibus, ea est solùm in materiâ, nam eas tractandi ratio maximè differt, Probationes quisque habet, in eo quod dico 1. de Conciliis sive generatim, sive singulatim, 2. de Patribus, 3. de Collectionibus Græcis & Latinis, si illud comparetur cum eo quod Author dicit eâdem de re: Hæc sunt tamen præcipua similitudinis Capita. Observationes sequentes confirmabunt modò factas.

PRÆFATIO.

Author cum demonstraverit necessitatem apparationum ad Artes, diversis comparationibus ex Agricturâ collectis, Picturâ, & Architecturâ, & cum statuerit hoc, principia ad omnes Scientias esse necessaria, illorum distinguit duplicem speciem: Una comprehendit Dogmata, Regulas, Axiomata cujusque, in ordine requisito constituta; altera sita est in cognitionibus quæ debent præcedere, nempè notiones causarum illius artis. *Duo autem sunt* (inquit) *principiorum genera, alterum Dogmata & Regulas cujusque Disciplinæ, sive Axiomata certum in ordinem redacta complectitur; alterum in præcognitis consistit, id est in notionibus causarum ipsius artis.* Deinde addit duplex hoc genus principiorum scientiæ Canonum nondùm à quoquam perfectè plenèque tractatum fuisse. *Hoc posterius in Jure Pontificio nondùm quisquam plenè & perfectè tractavit.* Hæc duo principiorum genera faciunt materiam Operis mei. De secundo præcipuè agitur in Prolegomenis in quibus consideratur Jus generatim; & de primo in secundâ Operis parte, in quâ illud privatim examinatur.

Idem Author cùm dixerit ibidem has ob rationes suprà expositas, se ipsum voluisse accuratè enucleare fundamenta & principia generalia Juris Canonici, ut ii qui studere incipiunt valerent faciliùs intelligere fundum ejusdem Juris, & se non pro doctis scripsisse, adjicit, se omisisse quæstiones difficiles discutere, quarum disceptatio res est laboriosa, & non pertinet ad præclaram eruditionem, nec postulat magnam industriam. *Neque enim doctis scribere nec difficili quæstionum arduarum tractatione, gloriam hic aucupari animus fuit, (quæ tenuis admodùm ex eo sperari posset, quod laboris magis sit, quàm aut exquisitæ eruditionis aut eximiæ alicujus solertiæ) juniorum profectui consultum ivi, & nondum gnaris, Sacrorum Canonum viam aperire aut lævigare decrevi.* Gloria quam sibi comparaverunt clarissimi Jurisconsulti applicatione ad decidendas magnas Juris Quæstiones manifestè probat Publicum non sentire idem ac DOUJATIUS de illa occupatione; honori ducere debebat supprimere hanc parentesim, Cognitio elementorum Juris utilis est, sed multò utilius est nosse resolutionem Quæstionum arduarum: hæc enim notitia acquiritur tantùm ut perveniatur ad istam: itaque debet esse gloriosius illi, qui animum intendit, ad enodandas magnas difficultates Juris, quàm si det solùm principia Juris: prout quisque affectus est, ita de rebus judicat, undè sæpius evenit, ut res minus æstimabiles anteponantur illis quæ majoris sunt pretii.

DIVISIO.

Opus dividitur in Quinque Libros; sua est cuique Præfatio quæ hujus explicat materiam, & ipsam jungit cum præcedentibus. Primus impenditur in explicandis variis nominibus Juris Canonici, naturâ, materiâ, excellentiâ, & utilitate ipsius ad scientias quæ sunt ipsi affines: nempè Jus Civile, Theologiam, Philosophiam Moralem, & suas cum eisdem differentias, Legem Divinam & Humanam, utriusque necessitatem, originem hujus Juris, aut fontes, cujus distinguntur quatuor: Scripturæ, Concilia, Decreta Pontificum aut Episcoporum, & Opera Patrum & Autorum Ecclesiasticorum, qui Scripturam interpretati sunt consulto & cogitato, aut per transennam, aut scripserunt de iis quæ ad Doctrinam aut Disciplinam spectant; undè præteritur ad examinandum omne quod pertinet ad Scripturam, de quâ primò sermo habetur generatim, deinde particulatim. Agitur in Secundo de tribus aliis fontibus Juris Canonici, considerando quemque generatim, & privatim; & ea quæ dicuntur de fontibus Juris Canonici hujus tantùm materiam respiciunt. Mentio fit in Tertio de hujus formâ, & perpenduntur omnes quotquot habuit à suo principio usque ad finem: consistit in modo quo Canones collecti sunt, qui varius fuit secundùm tempora & loca. Cum perventum est ad Collectionem quæ hodiè adhuc est in usu, explanantur in Quarto Libro omnes hujus partes, juxtà eandem methodum considerandi quamque in generali, deinde in particulari; unaquaque parte sic enucleatâ venimus ad adminicula aut adjumenta quæ ad intelligendum Jus, & ex hujus studio aliquem fructum percipiendum necessaria judicat, de his autem loquitur generaliter & particulariter, quæ sunt Interpretes, Historia, Chronologia, Geographia, explicatio terminorum, modi agendi de Jure, explicatio usitatarum abreviationum, & finis hujus licentiæ, tandem Editio accuratior Corporis Juris.

Si, cum daretur idæa generalis materiæ cujusque libri & modi, eandem tractandi, diligenter animadversum est, unam quamque primo generatim in eo agitari, deinde privatim, ideò hoc accidit, quod observata fuit in singulis Tractatibus qui componunt Corpus Juris in Regulis ordinati, quasi omnium aptissima, quamvis Author multis in locis exponat, se, ex quatuor fontibus Juris Canonici, quintam ejusdem constituere, nempè Constitutiones Principum, 1. *in Præfatione Libri secundi.* 2. *In Cap.* 68. in quo de eo loquitur deditâ operâ. Apparet per materiam primi & secundi Libri, illos esse tam utiles Theologis quam Canonistis, nam Theologia iisdem fontibus scatuerit, ac Jus Canonicum, Scriptura, Concilia, Decreta Pontificum & Episcoporum, & Opera Patrum & aliorum Authorum Ecclesiasticorum, qui disser-

runt de Doctrinâ, de Morali, & de Disciplinâ.

Idem dici potest de Tertio Libro qui agit de Collectionibus Canonum Antiquis, anterioribus illis quæ componunt Corpus Juris Ecclesiæ Occidentalis, hodiè universè acceptum in omni Ecclesiâ illâ, nam intelligentia illarum Collectionum necessaria est Theologis, quia ex his facilè percipiunt, quo in honore semper fuerint Canones excerpti ex aliqua ex quatuor originibus suprà relatis, ideòque quanti facienda sint monumenta hinc eruenda ad resolutionem dubiorum: quoad eas quæ evenerint mutationes in ratione eos colligendi, pura hæc sunt accidentia, quæ in nullâ re minuunt eorum authoritatem, illarumque notitia multò magis Historicos quam Theologos spectat.

Idem adhuc est de Quarto & de Quinto Libro, nam Theologi Opus habent Corpore Juris, nam benemulta complectitur spectantia ad Mysteria Religionis, Sacramenta, Gratiam, Actiones Humanas, Contractus, Peccata & alias materias Tractatuum Theologiæ; Historia æque est illis necessaria, nec non & Chronologia & Geographia, quæ sunt hujus ambo oculi, Interpretationes Doctorum in Glossâ positæ, aut in eorum Commentariis contentæ ingrediuntur in eosdem Tractatus.

Comparando illud quod Author exponit de Interpretibus Juris Canonici, cum iis quæ dicit in primo Libro Interpretum Scripturæ Sacræ, facilè percipitur eodem ipsum honore affici, quàm illam; nam sunt in Jure Canonico Commentaria in omne Jus, aut in præcipuas ejus partes, sunt in eo Glossæ, sunt & Corollaria, & Adjectiones Glossis. Factæ sunt Concordantiæ Canonum, sive ut reperiantur, sive ut concilientur, ita ut in genere Interpretationum eadem sint adjumenta pro Jure Canonico, ac pro Scripturâ.

In omnibus locis in quibus Author loquitur de Originibus Juris Canonici, dat semper secundum ordinem Conciliis, & tertium Summis Pontificibus, & hocce insinuat, arbitrari se aliqua esse, quæ sunt Papæ superiora, & si loquatur contineuter de aliis quæ sunt ipsis inferiora, ideò agit ut non separet ea quæ spectant ad Concilia. *Gratianus* mentionem quoque fecit de Conciliis antequàm de Summis Pontificibus sermonem haberet, in eâdem persuasione nescio an ante Schismata Papæ & eorum fautores cum Concilio Generali disputaverunt superioritatem in illos, & hæc circumstantia Jus ipsis vindicatum suspectum efficit.

Author inseruit in primo Libro nonnulla Capita de Versionibus Scripturæ, debuisset ponere similia in Tertio Libro, nam non parvi refert Lectoris, si intelligat versiones Canonum Scriptorum, Græcè, Latinè Traductorum, nec non & Canonum Latinè Compositorum, Græcè Interpretatorum. Quod dicit de Collectione DYONISII PARVI, & MARTINI BRACHARENSIS, quæ sunt Interpretationes Canonum Orientalium non sufficit, nam multi sunt Canones Græci posteriores his Autoribus, qui hodiè Latinè scribuntur legunturve, & scitu necessarium esset à quo fuerint conversi. Collectio Conciliorum à Patre LABBEO, in quâ Canones Ecclesiæ Orientalis videntur semper Latinè ut & Græcè exarati cum nominibus Interpretum aut Notis in Versiones, adjuvare illum potuissent ad hæc Capita: sed cum istud auxilium non suffecisset, satis erat eruditus ut posset reperire alibi materiam necessariam, ejus eruditio potuisset videri quoad Canones Concilii *Sardicensis*, Codicis Ecclesiæ Africanæ, Concilii *Lateranensi* IV. & in benemultos alios, in quorum versione gravissimæ sunt difficultates.

Quod dicit sub finem Præfationis primi Libri, (*Consuetudines autem & Traditiones, cum per se scriptis mandatæ non sint, ex iisdem illis fontibus, nunc ferè nobis sunt hauriendæ*) omne Jus non scriptum nobis nunc ferè hauriendum esse in iisdem fontibus in quibus & Jus Canonicum scriptum quamvis ex sua natura sit non scriptum, non potest esse verum, nisi supponendo quod omnes ferè Consuetudines hodiè scriptæ sint, & hoc suppositum factum non facilè probatur relativè ad novas Consuetudines, itaque illud restringendum est ad Veteres, quæ ad nos usque pervenerunt scripto, & quarum nonnullas Author recollegit *Cap.* 4. *n.* 13.

Quod legitur ibidem *n.* 14. Consuetudinem rationabilem non posse derogare Canonibus generatim acceptis, explicatione adhuc indiget: nam Consuetudo particularis potest derogare Legi generaliter acceptæ, & justa est derogatio, si recta sit ratio quæ postulet, ut non observetur in quibusdam locis, ut Lex sancita pro omnibus, potest in omni loco non accipi, idem in hoc dicendum est de derogatione, sicut & de receptione; itaque explanandus hic locus Canonum, qua perficitur Jus Naturale & Divinum, in quo Consuetudo nihil valet Canones qui sunt merè Ecclesiastici, subsunt conditioni aliarum Legum Humanarum quæ possunt abrogari Consuetudine contraria, sicut & illa potest Legibus contrariis abrogari. Consuetudo differt à Lege tantùm, in eo quod illa scripta sit, & Consuetudo in sua orgine non sit, & sicut Lex posterior derogat Consuetudini anteriori, hæc derogat etiam Legi anteriori.

Initio Libri secundi in quo loquitur de Conciliis in generali, & in particulari de illis quorum mentio fit in Jure, debuisset aut afferre Textus ex illis excerptos, aut remittere ad secundas Tabulas illorum Conciliorum, quæ sunt in fine Corporis, ut quisque posset facilè intelligere an rectè propositum suum adimpleverit. Apparet conferendo Tabulam quam dat *p.* 20. de *Appendice Conciliorum* de quibus locutus est cum his Tabulis, quarum altera est pro Conciliis citatis in Decreto *Gratiani*, & altera pro Conciliis commemoratis in Collectionibus posterioribus, nulla esse Concilia in Corpore Juris quæ omiserit Author, excepto illo de quo sermo fit in *Cap.* 9. *de Hæret.* habito à LUCIO III. & aliquibus aliis infrà allatis. Locutus est etiam de pluribus, sive Generalibus, sive Particularibus, quæ non referuntur in Corpore Juris; facilè hoc videtur collatione suæ Tabulæ cum duabus aliis. Testatur ipse *Cap.* 7. *n.* 1. in quo loquitur consultò de Conciliis Generalibus *Pisano*, *Constantiensi*, *Basileensi*, *Florentino*, de *Quinto Laterano*, & *Tridentino*, quorum nullam dicit mentionem in Jure fieri, quia celebrata sunt post Collectionem *Clementinarum* promulgatarum mandato JOANNIS XXII.; quæ ratio non convenit, cum in Corpore Juris sint duæ Collectiones huicce posteriores: Aptiùs dixisset, duo ultima Concilia posteriora esse his Collectionibus, cum istæ sint Sæculi XV., illa verò Sæculi XVI. Tria priora non plenè approbata fuisse à Sancta Sede, Concilium Florentinum nullum Decretum sanciviſse quod intraret in mentem illarum Collectionum limitatarum Decretalibus Summorum Pontificum, quæ erant extra Collectiones præcedentes, sive in illis sint prætermissæ sive factæ sint post has Collectiones.

Cum loquatur *n.* 12. de sorte Decretorum Concilii Tridentini ratione Galliæ, & de eorum divisione, mentionem tantùm facit de illis quæ sunt duplicis generis, quorum alia spectant ad fidem, & continentur in Canonibus qui anathemate feriunt, alia ad Disciplinam; & sunt in Sessionibus Ref. Itaque omittit Capita continentia explicationem Doctrinæ quorum pars constituta est in Canonibus, alia vero in iisdem Sessionibus Canonum sunt.

Cum mentionem faciat *Cap.* 8. de Conciliis spectatis tanquàm Universalibus, disserit de tribus de quibus sermo non habetur in duabus Tabulis citatis, nempè 1. de *Claromontano* habito an. 1095. 2. de *Placentino* celebrato paulò ante, 3. de *Francofortiensi* anno 792. indicto. Nullum est Concilium Particulare posterius Sæculo XII. de quo mentio habeatur in Corpore Juris; illud infertur ex *Cap.* 19. hujus Libri & Tabularum suprà citatarum; in Tabula ab

Autho-

Authore data de Conciliis loquitur de Digestis & JUSTINIANI Institutionibus qui milla ratione ad ea pertinent, hæc parvi momenti est imprudentia, seu inadvertentia illius à quo illam fieri Author voluit.

Quod dixit, *ibid. Cap. 2. n. 23.* in genere mixtorum, sicut Beneficiorum, Decimarum &c. petitorium pertinere ad Judicem Ecclesiæ, & possessorium ad Sæcularem, in Regno non approbatur.

Totus Authoris Tractatus spectans ad Concilia videtur desumptus ex Authoribus qui de illis scripserunt; quem damus, ille colligitur ex Actis.

Cum loquitur Author *ibid. Cap. 22.* de Litteris Summorum Pontificum anterioribus SIRICIO, refert rationes pro & contra suppositionem earumdem Litterarum, & illam indecisam relinquit; asserit multa esse illarum Epistolarum Capita quæ certè in Gallia sunt accepta, quia inserta sunt in Capitularibus Nostrorum Regum: Hæc ratio non est certiùs argumentum, nam errore publico impelli potuerunt Nostri Reges has ut Litteras acciperent, & benemulta Capita ex iis eligerent, videtur autem quod cum notus sit error non debemus adhærere authoritati quam ipsi tribuit: Si cui fundus adjudicetur sub falso Titulo qui creditur verus, Judicium revocatur aut abrogatur postquàm falsitas probata est.

Cum Sermonem habet *ibid. Cap. 43.* de Summis Pontificibus, quorum Extravagantes injunctæ sunt Corpori Juris, debuisset advertere à multis Summis Pontificibus quasdam scriptas esse, de quibus jam locutus est, nempè ab URBANO IV. BONIFACIO VIII. CLEMENTE V. JOANNE XXII.

In hoc attribuit MARTINI V. Extravagantes quæ extant in hac Collectione sub nomine MARTINI IV. aut V.

Insinuat sub finem hujus Capitis Collectionem Extravagantium authorari à Summis Pontificibus, & dat intelligere ideo ipsum non loqui de Extravagantibus illorum Paparum sequentium, quorum Bullæ sunt in Bullario, quia nulla Collectio illarum Bullarum autoratur: Nulla autem est approbatio Collectionis Extravagantium, nisi accipiatur pro authoritate assensûs à Papa dati omnibus Collectionibus Corporis Juris, editione quam edendam curavit, sed hæc approbatio nihil est minùs quam authorisatio, aliter Collectio *Gratiani* authorata esset, cum sit una ex his Collectionibus.

In hoc Tractatu Paparum loquitur, tàm de Antipapis quàm de Papis legitimis, sicut in Tractatu Conciliorum disseruit de Conciliabulis, sicut & de veris Conciliis, quamvis Concilia & Summi Pontifices citati in Corpore Juris nihil aliud sint quàm Concilia legitima, & Papæ Canonicè electi; si in his duobus punctis, ut & in nonnullis limites propositi sui prætereat, non illud agit sine consulto & explorato publico commodo, sic Author excusat similes Tractatûs sui immoderationes, in Libro secundo ubi agit de Patribus & aliis Authoribus Ecclesiasticis sub finem hujus Tractatûs *Cap. 66.*

Hactenùs de Scriptoribus Ecclesiasticis actum, paulò etiam ultra propositum, eos enim memorare constitutum erat, ex quibus in Collectiones Canonum, aliquid conjectum fuisset: sed quorumdam celebre nomen, & Opera ad Studiosorum Juris Canonici utilitatem conducentia, ultra metas aliquantùm excurrere suaserunt.

Debemus verisimiliter similibus rationibus quod dicit in primo Libro de aliquibus Scriptoribus Sacris, de quibus non fit mentio in Jure; tales sunt ESDRAS, NEHEMIAS, RUTH; potest etiam in hoc transivisse fines præscriptos, ut daret Tractatum completum de Scripturâ pro Theologorum commodo, propter quos etiam scripsit; hæ reflectiones extendendæ sunt ad Tertium Librum, in quo loquens de Collectionibus Canonum Græcis & Latinis, loquitur de multis, quæ non citantur in Jure; tales sunt FERRANDI, CRESCONII, THEODORETI, aut JOANNIS ECOLASTICI, PHOTII, & aliæ Collectiones in quibus Leges comparantur cum Canonibus, ideò vocatæ Nomocanones.

Collectionibus de quibus Author loquitur, conjunxi illam quæ est BEVEREGII, cujus Titulus inscribitur *Pandectæ Ecclesiæ Orientalis*, & quæ continet omnes præcedentes ejusdem Ecclesiæ, cum Commentariis ZONARÆ, ARISTENIS, BALSAMONIS, & cùm illam reputarem tanquàm Corpus Juris hujus Ecclesiæ, illam contuli cum Corpore Juris Ecclesiæ Latinæ aut Occidentalis: de eâ mentionem facere non potuit, quia Operi suo posterior est, aut parùm nota ante ejus mortem.

Quartus Liber qui agit de Partibus Corporis Juris hodiè usitati, sive in Scholis, sive in Tribunalibus, illi est qui maximè accedit ad nostrum propositum, nihil est gravè quod non sit in nostris Prolegomenis, sed modo valdè diverso, sive quoad methodum, sive quoad fundum, præcipuè hoc videtur per comparationem Collectionum Corporis Juris cum se ipsis & cum præcedentibus, sive Orientalibus, sive Occidentalibus.

Author, cum loquitur in Libro Quinto de Interpretibus Juris, multa dicit convenientia nostro proposito ponendi in Regulas Corpus Juris; ea colligenda sunt non interruptè antequam aliquid aliud observemus, hæc sunt præcipuè in *Capitibus* 1.20.& 21.

Legitur in primo quod loquitur de diversi generis Operibus ad Interpretationem Juris exaratis, quædam nomen habere Summarium Decretalium, & consistere in Recollectione Regularum aut Axiomatum quæ continent cum suis Exceptionibus juxta seriem Titulorum, hæc enim habet: *Compositæ ab aliis summæ Decretalium, quibus earum Axiomata seu Regulæ, atque Exceptiones certa methodo, ac servata Titulorum serie traduntur.* Idem ferè invenitur in nostro Opere, in eo recolligimus accuratè omnia Axiomata, Regulas, Sententias, Decisiones de quâque materiâ, cum suis Exceptionibus; eas Regulas ita ordinamus, ut generaliores semper antecedant quæ sunt minùs generales, cuique suas jungimus Exceptiones, ut continenter habeamus, quod in eo non comprehenditur cum eo quod in eo continetur. Servamus ordinem Titulorum quantùm fieri potest, componentes Tractatus de unoquoque in quibus non solùm ingrediuntur Textus qui reperiuntur hoc Titulo, sed etiam omnes alii qui sunt alibi, sub quocumque sint Titulo. Si occurrant difficultates quoad materiam Tituli, eas dilucidamus, sive extent in Textibus hoc Titulo contentis, sive sint sub aliis, unicè attendentes, ut nihil relinquamus obscurum sine explicatione.

Caput 20. in quo Author promittit indicaturum se Axiomata Juris, & Collectiones quæ de iisdem factæ sunt, continet aliqua ex his Axiomatibus, & multas ex his Collectionibus, deinde istas exorsus, remittit ad ultimum Titulum tùm Decretalium tùm Sexti, inscriptum de Regulis Juris, qui non continent decimam partem Regularum quæ possunt depromi è Corpore Juris, ut non solùm demonstrabit Collectio à nobis facta sub eodem Titulo, sed multò faciliùs ostendet quisque Tractatus, in quo colliguntur sæpè Regulæ Generales quæ illius materiam remotè aut proximè spectant, & ponuntur illæ in Capite, deinde transitur ad eas quæ materiæ propriæ sunt. Postea cum dixerit BROCARDICORUM nomen dari Axiomatibus Juris, notat, illud provenire ex eo quod excerpantur è BURCHARDO Episcopo *Vormatiæ*, appellato per corruptionem BROCARDO; quod parùm verisimile est, quia talia non sunt Axiomata in Collectione hujus Authoris, excepto quod in hac fiant Summaria quorumdam Capitum, quæ sunt quasi sententiæ, sed paria sunt in YVONE

Carno-

Carnotensi, & in *Gratiano*: Hinc descendens ad privatos Collectores Regularum Juris citat Opus DAMASI Antiqui Doctoris in Jure Canonico, cujus Titulus inscribitur BROCHARDICA aut Regulæ Canonicæ ad numerum 135. examinatæ pro & contra ad exemplum *Brocardicorum* per ASONEM Collectorum, & adjicit hæc omnia edita fuisse *Basileæ* an. 1564. His Operibus jungit Opus BARBOSÆ inscriptum, Principia & Loci Communes, seu Regulæ tàm Decisionum quam Argumentorum utriusque Juris, ordine Alphabethico digestæ, 1623.: Illis adhuc jungit Conclusiones Practicas Cardinalis TUSCHI, in quibus in eodem ordine explanat Axiomata aut Regulas Juris cum suis Exceptionibus & Limitationibus postea colligit aliqua ex his Axiomatibus: Primum est quod Papæ, nec non & Prætores, sequantur in suis Constitutionibus mansuetudinem æquitatis, potiùs quam rigorem & subtilitatem stricti Juris.

Secundum, supplendum esse Jure Canonico quod deest Juri Civili; & per hoc, quod deficit in Jure Canonico.

Tertium, quod Jus Canonicum anteponendum sit Juri Civili, in eo quod spectat salutem æternam, unde veniunt præcipuæ inter utrumque differentiæ.

Quartum, uniformitas necessaria in Fide, libertas in Disciplinâ. Alia colliguntur in nostra Collectione de Regulis Juris.

In *Cap.* 21. *n.* 10. in quo differitur de modo docendi & ediscendi Jus *n.* 10. cum dixerit cum BOETIO nimium numerum Commentatorum esse Juris Canonici, nec non & Juris Civilis, sese invicem exscripsisse, & eum qui ultimum legit, cunctos evolvere, asserit illos, qui Juris studii periti sunt, debere satis habere, si legant unum ex Antiquis Interpretibus cum Glossâ, & in Capite illorum collocat Cardinalem *Hostiensem* in suâ Summâ, in qua redigit in certa Capita materiam cujusque Tituli, dando illis ordinem aptum, quod maximè accedit ad id quod facimus in nostro Opere, ut suprà explicatum est, hæc est verisimiliter una è Summis de quibus locutus est *Cap.* 1. cui addenda est, illa quæ est RAIMUNDI PENNAFORTI in qua explanata videntur omnia crimina ergà Deum, & erga Proximum de quibus mentio fit in Jure, reducendo omnia in Regulas & in Exceptiones è Corpore Juris depromptas; idem postea facit Ratione Ordinis, Pœnitentiæ, Matrimonii: Usus fiet hujus, sicut in explicatione peccatorum seu criminum per Canones, & in Tractatu de Sacramentis Ordinis, Pœnitentiæ, Matrimonii, quæ explicat, sicut & crimina per Jus Canonicum & juxtà eamdem methodum.

Sub finem *num.* 11. ejusdem Capitis, Author cum remiserit ad Opera FLORENTII ac Partis suorum in Cathedrâ Juris Antecessorum, de optimâ docendi, discendique Juris Canonici ratione, suadet ut evolvantur etiam Methodi Juris Civilis, à multis insignibus Jurisconsultis exaratæ, quorum præcipuos nominat, & dicit Opera typis mandata fuisse *Spiræ* an. 1598. sub titulo *Cynosuræ Juris*, quem BERNARDUS COPIUS iis adjunxit uno anno post Appendicem, & Methodum quæ Juri Civili apta est, magnâ ex parte convenire Juri Canonico. Quæ enim Methodus in Jure Civili probatur, Juri Canonico magnâ ex parte conveniet.

In Catalogo quem dat de Interpretibus Juris Canonici ordine Sæculorum, incipiens à XIII. & finiens per XVII. omittit S. RAYMUNDUM DE PENNAFORT, qui dignus est, ut & alter, qui annumeretur inter Interpretes hujus Sæculi, nam in eo vixit modo illustrissimo, & in unoquoque Quatuor Librorum ex quibus componitur Summa, enucleat magnum numerum Titulorum, Primi, Tertii, Quarti & Quinti Decretalium Libri: Illud clarè perspicitur per Rubricas cujusque partis sui Operis, & aliundè viam aperit ad Canones Decreti qui, materiæ de qua agit, conveniunt.

Prætermittit adhuc in Sæculo XVI. famosum RUSEUM qui elucubravit Quatuor Tractatus amplissimos, & in unoquoque eorum enodat magnum numerum Textuum Juris excerptorum ex aliquâ è Collectionibus quæ illud componunt: In Primo Sermonem habet de Privilegiis Regalibus cujus numerat 59., & quamvis de illa rara mentio fiat in Jure, multos tamen in eadem affert & exponit Canones, qui ibi referuntur cum Sententiâ Clarorum Jurisconsultorum in illos Canones: In Secundo tractat de Mandatis Apostolicis: Dividitur in Quatuor Partes, & cum annotet omnes mutatationes quas tulerunt, explicat præcipuos Textus qui de iis mentionem faciunt, eodem ordine quo Pragmatica, & Concordatum de iis agunt. Tertius spectat præstantias Dignitatis Archiepiscopalis, in quo cum locutus fuerit de origine hujus Dignitatis & Jurisdictionis suæ in Suffraganeos, & eorum Diœceseaneos, hujus Privilegia explanat figillatim, & numerat 22. quæ ut constituat, citat in suâ justâ amplitudine, majorem partem textuum qui de eâ loquuntur. Inprimis diffunditur in causam Visitationis Diœceseon Suffraganeorum, & in Jus convocandi Concilia, in quo statuit, cum Præses Conciliorum negligit ea convocare, multò magis cum id facere recusat, membra posse sine ipso convocari, & annotat omnes modos quibus hoc fieri potest, citans ad hoc innumeros Textus cum Authoribus, quorum sequitur Interpretationem, quem admodùm agit tractando de aliis Privilegiis. Quartus inseruit ad explicandam materiam Commendarum sive Temporalium, sive Perpetuarum: In duas Partes dividitur, Prima impenditur in examinando, quid intelligatur per Commendam; in secundâ *Ruseus* decidit Quæstiones undecim quoad Commendas, & utraque Pars plena est Textibus qui loquuntur expressè de materiâ aut aliis similibus rebus.

Omittit quoque PROBUM Coævum Rusei, qui illum citat sæpiùs, & mentionem facit de multis ejus Operibus Canonicis quæ edita fuerunt, nempè de Devolutionibus, de Dispensationibus, de Pensionibus, de Mandatis Apostolicis, Scala Beneficialis, Defensorium Electionum, contrà HELIAM Archiepiscopum *Turonensem* & Cardinalem qui composuerat defensionem Concordati contra Pragmaticam; habemus adhuc ex illo Additiones Glossæ GUIMIERI, quibus patet Probum fuisse peritum Canonistam, adeòque immeritò omissum à DOUJATIO. PINSONIUS peritiâ Canonica meliùs instructus illum laudavit, & ac in suâ Præfatione in Pragmaticam mentionem facit de nonnullis hujus Authoris Operibus, quæ adhuc extant. In ipsâ etiam indicat loca in quibus RUSEUS illam citat: Idem *Doujatius*; omittit adhuc GUILLELMUM BENEDICTI, qui edidit doctum Commentarium in *Cap.* Raynutius *de Testamento*, & benemultas Quæstiones in eo enodavit de Materiis Ecclesiasticis: Hoc Opus editum est *Lugduni* anno 1652.

Inter Opera, de quibus in hoc Catalogo mentio fit, & alia omnia quæ in eo referuntur, annotandum est primo illa, quæ inscribuntur Repertorium Juris, esse prima exemplaria Indicum seu Tabularum verborum & rerum quæ reperiuntur in fine Corporis Juris. DURANDUS primus fecit unum ex his Indicibus; illum imitati sunt ANTONIUS à BUTRIO, qui duos exaravit, alterum quoad Jus Civile, alterum quoad Jus Canonicum, DOMINICUS DE S. GEMINIENO, qui præter suos Commentarios in secundum & Tertium Librum Decretalium, & sua Consilia, dedit adhuc Indicem.

PANORMITANUS videtur esse ex hoc numero per suum Thesaurum decimum Juris. Eo in numero collocandi sunt multò magis primi qui fecerunt Tabulas Decreti aut Decretalium, talis est JOANNES, qui unam fecit de utroque; talis adhuc est CALDERINUS qui unam exaravit de Decretalibus:

hic

hic videtur primus feciſſe Tabulam Alphabeticam omnium Scripturæ locorum citatorum in Decreto, & in Decretalibus; edita eſt à *Petro Droch* an. 1481. JOANNES DE DEO compoſuit adhuc Tabulam Canonum conformium, quæ proximè accedit ad Concordantium *Bolognini*, quæ eſt in fine Collectionis GREGORII IX. & eſt anni 1472. JOANNES DE DEO antiquior eſt, nam vixit Sæculo XIV. ſicut & CALDERINUS, anteceſſit JOANNEM ANDREÆ mortuum an. 1348. & CALDERINUS qui venit poſteà, defunctus eſt an. 1350. 1360.

Joannes Andreæ accuſatur à Canoniſtis poſterioribus quod ſit plagiarius, ſive quia exſcripſit eos qui illi anteceſſerunt, ſive quia ſibi arrogaverit opera aliena, qualis eſt Tractatus de Sponſalibus & Matrimonio ſcriptus ab ANGUISTOLA; talis dicitur Commentarius in parvas Collectiones quem fecit STEPHANUS PROVINCIALIS Profeſſor Montis-peſſulani, ſed hoc ultimum exemplum non eſt veriſimile, nam hic Provincialis ſcripſit in Sæculo XV. & *Joannes Andreæ* fato functus eſt, ut vidimus in medio Sæculi XIV. DOUJATIUS qui refert hoc exemplum poſt ZABARELLUM non attendit ad hoc Anacroniſma *Zabarelli*: Quoad Opera quæ *Joannes Andreæ* accuſatur exſcripſiſſe ex aliis, *Doujatius* præcipuè mentionem facit de *Conſiliis* OLDRATI quæ inſeruit iiſdem verbis, in ſuis Additionibus ſpeculo Juris à DURANDO elucubrato.

Doujatius aſcribit adhuc ibidem *Durandum* in numerum Plagiariorum, quia exſcripſit Opus FASOLI, & multorum aliorum in ſuo ſpeculo. FELINUS accuſat etiam BARBATIAM de ſimilibus Latrociniis. Celeberrimi Canoniſtæ ſecernuntur alii ab aliis titulis magnificis aut aliis rebus notabilibus. INNOCENTIUS IV. appellatur Pater & organum veritatis; nominatur Cardinalis HOSTIÆ, Monarcha utriuſque; ANCHARANUS vocatus eſt ſpeculum & anchora Juris; *Joannes Andreæ* appellatus eſt ſummâ cum laude lumen mundi à Papa ad quem miſſus eſt; JOANNES Monachus Ciſtercienſis citatur nomine Cardinalis LE MOINE; Commentarii ſui titulo decorantur *Gloſſæ Aureæ*; ZABARELLA ſolo nomine Cardinalis, ut GUIDO DE BAYLO nomine Archidiaconi, & HENRICUS BOITH nomine *Henrici*, & *Joannes Antonius à Sancto Georgio* nomine Præpoſiti.

Cardinalis HOSTIÆ affirmat ſuam Summam Juris, per quam aditus eſt ad totum Jus ſub ordine Titulorum Decretalium, cum fuerit incenſa denuò ſcripſiſſe. Idem dicitur de JOANNE DIMOLA, qui amiſſis ſuis omnibus ſcriptis Bibliothecæ incendio magnam partem eorum renovavit.

Occaſione Operum quibus titulus eſt Paratitla Juris Canonici, de quibus mentio fit multis in locis hujus Catalogi, videtur operæ pretium, obſervare primum ex his operibus eſſe editum ſub finem Sæculi XVI.; exaratum eſt ab ANASTASIO GERMONIO perito Juriſconſulto, & limitatum ad ſolam Collectionem GREGORII IX. Pancirola refert *Cujacium*, viſo illo Opere, tam fuiſſe contentum, ut hinc avocatus fuerit à conſilio Paratitla in Jus Canonicum ſcribendi, ſicut ediderat in Jus Civile; ſi verum ſit hoc factum, oportet ut hoc opus GERMONII typis mandatum fuerit antè an. 1590. in quo *Cujacius* obiit diem ſupremum, locus autem eſt credendi Editionem ejuſdem Operis exaratam fuiſſe ante hunc annum; nam *Avantius* Venetus, qui typis excudendum curavit Venetiis an. 1591. & Tractatum de Immunitatibus, à *Germone* elucubratum ſupponit Paratitla hujus Authoris, jam valdè nota eſſe cum eadem citat tanquàm teſtimonium certum & publicum ſcientiæ & elegantiæ *Germonii*. Vide Monitionem *Avantii* quæ eſt poſt Epiſtolam Dedicatoriam, quod de iis cito, eſt verſus finem: His paulò poſt acceſſerunt Paratitla NICOLAI TUROTI, quæ editæ ſunt an. 1603. hoc opus amplius eſt quovis alio ex hoc genere, quia eſt Breviarium totius Juris Canonici, juxtà ſeriem diſtinctionum & Quæſtionum Decreti, & Titulos Decretalium, Sexti Clementinarum & Extravagantium. ALEXANDER CHASSANEUS aliqua poſteà ſcripſit in quinque Libros GREGORII IX. & ea edenda curavit an. 1612. exaratum eſt an. 1640. opus ejuſdem Tituli, ab ANDREA DE VAUX, multoties typis impreſſum. Author verbo Paratitla, hæc jungit, ſive ſummaria & methodica enarratio Decretalium D. GREGORII IX. Ultima Paratitla Decretalium GREGORII IX. de quibus ſermo habetur in Catalogo *Doujatii*, & *Langletii* ſunt excerpta è CIRONE, Profeſſore in Univerſitate Tholoſana, & Canonico Cancellario Eccleſiæ Metropolitanæ; typis mandata ſunt an. 1645. *Toloſæ*, quorum nulla alia eſt Editio juxtà Catalogum *Langletii*, in quo nulla alia inſeritur, quamvis ſoleat annotare præcipuas Operum Editiones, & indicare poſteà accuratiores; ſi qua fides illi ſit, hoc opus parùm legitur quamvis mereatur evolvi, cum bonus per ipſum ſit aditus ad Jus Canonicum, & hæc eſt longè major utilitas, quæ poſſit percipi ex hoc Operum genere. CANISIUS in Præfatione ſuæ Summæ Juris Canonici versùs finem, inſinuat ſummas poſſe adſcribi in numerum Paratitlorum, nam ſuam comparans cum ſummâ Cardinalis, dicit, illam nihil aliud eſſe quàm Paratitla in Decretales GREGORII IX. ſuam verò complecti omne Jus antiquum, incluſum in Corpore Juris, & Jus Novum in Concilio Tridentino contentum. Si Summæ Juris Canonici, ſint Paratitla, GOTFREDUS DE TRANI debet haberi primus Author Paratitlorum, nam primus Breviarium Juris dedit juxtà ordinem Decretalium, & ſub Titulo Summæ: Primus eſt Interpretum qui recenſentur à *Doujatio* in Catalogo ſuo. Præter hæc Paratitla de quibus jam locutum eſt, ſunt adhuc duo alia Opera ejuſdem generis, unum eſt antiquius quàm illa quæ ſuprà allata ſunt, nempè Paratitla ANTONII DE MOUCHI, Doctoris Sorbonici, digeſta cum ſuis Notis in Editione Corporis an. 1561. *Lutetiæ Pariſiorum*, & in Editione *Antverpiæ* an. 1573. valdè veriſimile eſt illa ſpectare ad omne Corpus Juris, quemadmodùm & Notas.

Alterum eſt recentiſſimum hujus generis, & ſolum pertinet ad ſeptimum Decretalium, cum quo *Lugduni* editum eſt an. 1661. & 1672. cum Notis MARTIANI, Autoris hujus Compilationis, & illorum Paratitlorum.

Opus AMBROSII LE GAUFFRE, typis excuſum an. 1643. in aliqua re proximè accedit ad Paratitla, quia eſt Summarium Decretalium per Titulos, ſicut Paratitla ſunt; ſed multum abeſt ut ſit ex hoc genere, nam Titulus docet, elucubratum illud fuiſſe ad obſervandas mutationes quæ evenerunt in utroque Jure, illud patet his verbis, Methodica utriuſque Juris & mutationum diſtinctio.

CIRO loquens in ſuâ Præfatione de illis qui ſcripſerunt Paratitla, mentionem expreſſam facit de omnibus Authoribus ſuprà nominatis, & cum intendat perſuadere illorum Operibus non debere deteterreri à componendo uno ejuſdem generis aſſerit, 1. GERMONII Opus parvi æſtimatum fuiſſe à viris intelligentibus, quod non convenit cum facto relato à PANCIROLO Authore Coætaneo, nempè *Cujacium*, cum evoluiſſet ipſum, dereliquiſſe propoſitum componendi Paratitla Juris Canonici; 2. *Frerot* omiſiſſe ferè ea omnia quæ dicenda erant, *Chaſſanium* adhuc eſſe breviorem, & ANDRÆAM DE VAUX ſolùm adhæſiſſe Praxi. His Authoribus jungit JOANNEM A COSTA, qui cum incepiſſet ſimile opus ſub finem vitæ ſuæ, & videret ſe non poſſe illud perficere impulit CIRONEM, ut in eo operam poneret. Si de hoc CIRONIS Opere judicemus per eventum locus eſt credendi

di illud nihil sapuisse, saltem in comparatione Paratitlorum ANDREÆ DE VAUX; nam immoratus est in prima Editione, & parùm evolvitur, ut refert LANGLETIUS, sunt autem hujus saltem novem Editiones ut *Langletius* idem ait, qui locum singularum annotat; dico *saltem*, nam *Bibliotheca Belgica* mentionem facit de duabus Editionibus antiquioribus, altera anni 1630. altera an. 1632. hæc differentia eventuum videtur oriri ex eo quod in Paratitlis ANDREÆ DE VAUX sit plus methodi, lucis, concinnitatis Praxis & Juris Novi, quam in aliis; desumpta autem hinc commoda provenire videntur ex eo quod Paratitla ANDREÆ DE VAUX fuerant initio quasi Institutiones divisæ, quemadmodùm & LANCELOTI, & exaratæ ad Imitationem Institutionum JUSTINIANI, & posteà in Paratitla conversæ, ut Tituli Juris magis familiares redderentur candidatis. Author hoc expressè dicit in Monitione ad Lectorem, at in Institutionibus servatur ordo materiarum, & non advertitur Titulorum seriei, in Paratitlis vero ordini Titulorum Lector adhæret subjectus, in qua materiæ non sunt semper in suo naturali ordine, sicut nec in Titulis, ut probatum est in proposito hujus Operis, quod est Corpus Juris in Regulis constitutum, quo commodo Institutiones anteponendæ videntur Paratitlis, quamvis ista sint in uno sensu Institutiones, quia comprehendunt Elementa Juris, Definitiones, Divisiones, Subdivisiones, Causas, Effectus, & Proprietates.

FINIS PARTIS PRIORIS TOMI PRIMI.

EXPOSITIO

EXPOSITIO JURIS CANONICI,

PER

REGULAS NATURALI ORDINE DIGESTAS,

EX ILLIUS CORPORE, AUT ALIUNDE DESUMPTAS.

PROLEGOMENA

Ad JUS CANONICUM per REGULAS exponendum, in quibus Jus illud *in se*, vel *in genere*, spectatur.

PARS POSTERIOR,

Continens quæ ex CORPORE JURIS *potissimùm desumpta.*

Per *Regulas* JUS CANONICUM exposituris nobis priùs tractanda sunt, 1°. Quid sit. 2°. Quæ sunt ejus Causæ. 3°. Quæ Partes. 4°. Qui Fontes illarum Partium. 5°. Quæ Verborum quorumdam, quibus utitur, Significatio. 6°. Quæ totius Juris istius Generales Regulæ. 7°. Quæ cætera velut Juris Principia; eoque nomine *Concilia*, *Patrum Sententiæ*, *Rescripta*, *Consuetudo*, quæque ad illorum explicationem necessaria.

TITULUS PRIMUS.

Quid sit JUS CANONICUM?

OMissis variis nominis, CANON, Acceptionibus, quas videre est in *Prænotionibus Canonic. Lib. I. C.* 1. & in *Apparatu* GONZALEZ, *p.* 12. *n.* 30. idque quia ad praxim cognitio ipsarum nihil conferat, à *Natura* Juris Canonici incipimus, ipsamque ut explicemus, Definitionem hujus Juris statim adducimus. Postquàm monuerimus;

I. Jus ità dici, quia *Justum* est: *Can.* 2. DIST. I.

seu à *Justo* deduci, idemque significare, ac id quod justum est.

II. *Canonicum* à *Canone*, qui idem ac *Regula* sonat, desumi; ideòque, hac voce aliud nihil intelligi, quàm *Regulare*.

III. Quodlibet *Jus*, dùmmodò nomini suo respondeat, vocari posse *Canonicum*, ex eo quòd *Regula* sit rectè dirigens: attamen id nomen *Juri*, de quo loquimur, reservatum esse, ut à quovis alio distinguatur; eoque modo distingui debuisse; tùm quia quovis alio rectius est, si cùm solo Humano comparetur, tùm quia *Jus Naturale*, & *Jus Divinum*, à quibus rectitudinem suam mutuatur, quorumque

sæpiùs mera est Promulgatio cum adjectione Pœnæ, his vocibus *Naturale* & *Divinum* satis discernuntur.

His præmonitis, JUS CANONICUM definimus. *Fidei Morumque Regulam, ab Ecclesiâ constitutam, ad æternam vitam conducentem.*

Veritas Definitionis partebit ex *Symboli Decalogique* expositione, per Regulas à Jure Canonico desumptas. Interim, explicatur hæc Definitio.

Dicitur *Regula;* quia rectè dirigit. Additur, *Fidei;* quia hoc Jure determinantur quæ credenda, quæ non credenda, quæ expressè credenda, quæ confusè credere sufficiat. Res enim Fidei ab eo clarè definita, credenda est, & expressè credenda, ab iis, quibus nota est & clara hæc Definitio. Res verò Fidei non definita, vel obscurè, credenda non est: vel eam confusè, id est, in aliis, in quibus videtur contineri, credere sufficit.

Additur, *Morum*; quia alia jura exponit, quæque præcipiunt, vel prohibent, manifestat, atque ad illa facienda Promissis, Præmiis, similibusve modis, excitat, & ad ista vitanda, additis Pœnis, movet. Notandum obiter circà Mores, duplex *Morum* genus esse. Alii sunt *Interni*, quos regit ETHICA; alii *Externi*, quos dirigit POLITICA: isti bonum *Publicum*, illi verò bonum *Privatum* immediatè tangunt: Cùm verò æterna Electorum Salus sit omnium hujus mundi rerum finis, cùmque etiam pax & tranquillitas temporalis sit medium congruum ad pacem & tranquillitatem æternam, Mores *Externos* ad *Internos* referri necesse est.

Adjicitur, *ab Ecclesiâ;* quia hujus Juris est genitrix.

Adduntur cætera, quia Finis Ecclesiæ hoc Jus condentis, est, ut ducat ad felicitatem æternam.

Ut autem hæc Definitio congruat Corpori Juris Canonici hoc jus continenti, adjiciendum, quòd sit *Collectio Regularum ab Ecclesia factarum, aut ex Verbo Dei scripto, traditove, erutarum.* Posteriori modo spectatum Jus Canonicum Definitur, in *Prænotionibus Canonicis L. 1. cap. 1. n. 17.* Systema rerum Sacrarum: quæ Definitio non exacta; cùm Sacris Bibliis etiam conveniat, cùmque, quæ Juri Canonico singularia sunt, non explicet. Quæ subjungitur *ibid.* aptior est, videsis illam cum cæteris ad illam pertinentibus: multa quoque in *eodem Capite* habes curiosa, de Nominibus hujus Juris illorumque Origine.

Hinc patet quantùm præ *Jure Civili* emineat *Jus Canonicum*: verùm id clariùs patebit ex mox dicendis circà Juris Canonici *Causas*, ubi has præeminentias de industriâ notabimus; sed priùs videndum in quibus Jus Canonicum cum Jure Civili conveniat & differat, ut magis innotescat hujus Natura, quæ mox exposita est, ejusque præ Jure Civili excellentia posteà ex professo observanda erit.

§. I.

In quibus JUS CANONICUM *cum* JURE CIVILI *præcipuè conveniat.*

REGULA.

Jus *Canonicum* cum Jure *Civili* non in aliis præcipuè convenit, quàm in istis.

1. Sub nomine *Juris*, tanquàm *Species* sub *Genere*, utrumque comprehenditur. DIST. I. 1. Jus enim pluribus modis *l. pen.* de *Just. & Jure.*

2. Ut Jus Civile dicitur LEX, ità & Jus Canonicum dici potest LEX; quia *Lex* nihil aliud significat quàm Norma, vel Mensura: ac utrumque competit Juri Canonico; Hinc, quæ de *Lege* in genere dicuntur, Juri Canonico, ut Civili, applicari possunt. *ibid.* 2. *Lex à delectu nomen habet* CIC. *lib.* 1. *de Legibus.*

3. Utrumque est Humano-Positivum, id est, ab Homine positum; in quo pariter differt à Jure, quod Deus Juri naturali adjecit, quodque ideò est Divino-Positivum, id est, à Deo positum, & à Jure Naturali, quod omnibus Hominibus indidit, eique adjecit, pro Judæis vel Christianis. *Cap.* 7. *E.* DIST. III. Naturalia Jura divinâ quâdam providentiâ constituta semper firma atque immutabilia permanent: Civilia verò sæpè mutari solent. *§. pen. Inst. de Jure Nat. Gent. & Civili.*

4. Utrumque differt à *Jure Gentium* ità dicto, quòd omnes ferè Gentes eo utantur; quod neutri convenit. *cap.* 9. *E.* DIST. IV. Jus Civile à Jure Gentium distinguitur, quòd omnes Populi, qui Legibus & Moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium jure utuntur. §. 1. *d.* 1. *de Jur. Nat. Gent. & Civ.*

5. Utrumque, prout scriptum est, differt etiam à *More*, qui est longa Consuetudo, & Jus non scriptum. *cap.* 3. *&* 4. *E.* DIST. V. Constat Jus Civile aut scripto aut sine scripto. §. *constat. d. tit.*

6. Utrumque dividi potest in *Publicum*, quod respicit Personas publicas ut Sacerdotes & Magistratus, Resque Sacras; & in *Privatum*, quod Personas privatas, Resque Profanas spectat. *Cap.* 11. *E.* DIST. VI. Jus vel est publicum vel privatum: Publicum, quod ad statum rei Romanæ spectat: Privatum, quod ad singulorum utilitatem. §. *fin. Inst. de Just. & Jure.*

7. Sicut sunt aliæ Juris Civilis Divisiones; nempè, in Jus Militare, quo reguntur, quæ Militiam profanam spectant, & Jus Quiritum, sive Romanorum, quo quædam propria Romanis diriguntur: ità sunt aliæ Juris Canonici Divisiones, nimirùm, in Jus Militiam Sacram, quam exercent vel Clerici, vel Regulares cujusvis Nationis, dirigens; & Jus Gallorum, quo specialia quædam Gallis, reguntur, qualia sunt, quæ vocantur Privilegia Ecclesiæ Gallicanæ, aliave similia *cap.* 10. 12. *E.* DIST. VII. De Jure Militari agitur *in toto Tit. Dig. de Re Militari.*

8. Quemadmodùm Civilis Jurisprudentia constat ex Legibus, Constitutionibus, Edictis, Senatus-Consultis, Jurisconsultorum Responsis, & Plebiscitis; ità Canonica Jurisprudentia similibus Juris speciebus coalescit; si *Plebiscita* excipias, quæ erant Leges à Plebe conditæ, quales nullæ sunt Leges Ecclesiasticæ. *C.* 3. *de Consuet.* qua damnatur consuetudo, quâ dictum Populi, in Causis Ecclesiasticis, pro Sententia tenebatur: & *Legem*, prout dicitur Constitutio Populi, quâ Primates simul cum Plebibus aliquid sanxerunt; qualis fuit nullâ in Ecclesiâ, quæ Plebi Jus condendi facultatem nunquàm concessit: Nam quoad *Legem* alio modo sumptam, cæteraque mox dictas Juris Species, quæ in Jure Canonico reperiuntur, *Legi* siquidem sumptæ pro breviori agendi norma, constituentis motivum non exprimente, respondent CANONES. *Constitutioni*, sumptæ simpliciter pro Statuto facto ab habente statuendi facultatem, sive supremam, sive non; respondent tàm EPISCOPORUM *Statuta*, quàm PONTIFICUM: *Tit.* 2. *Institut.* JUSTINIAN. 8. Partes Juris Civilis exponuntur *in Tit. Inst. de Jure Naturali Gentium & Civili.*

Edicto, quo servandum à se Jus Prætor publicabat ineunte Præturâ, respondent REGULÆ CANCELLARIÆ, quas Summus Pontifex initio Pontificatûs constituebat.

Senatus-Consultis, quæ sunt id, quod Senatores Populis decernunt, respondent *Conciliorum Decreta* facta à solis Episcopis, qui sunt in Ecclesia, quod erant Senatores in Republica.

Jurisconsultorum Responsis similes sunt *Sententiæ Patrum*, qui sunt in Ecclesiâ, quod Jurisconsulti in Statu Politico.

9. Utrumque quoad illud, quod sibi proprium est, extrà Sacras Scripturas, in quibus solum Divinum Jus continetur. *Cap.* 1. DIST. VIII. IX. Jus Civile partim collectum esse videtur ex Sacrâ Scripturâ; argumentum est *Collatio Mosaicarum & Romanarum Legum.* Sed hoc sibi peculiare non est.

Jus etiam Canonicum partim collectum est ex Sacrâ Scripturâ, sive ex Præceptis Divinæ Legis, LANCELOT. *Inst. Jur. Can. lib.* 1. *Tit.* 1. Sed hoc mutuatur ex Jure Divino.

10. Ut Jure Civili Bona secularia acquiruntur, possidentur

sidentur, dividuntur, reguntur; sic, Jure Canonico, Bona Ecclesiastica acquiruntur, possidentur, dividuntur, reguntur. *ibid.* 10. In hac Similitudine notari potest differentia inter Jus Canonicum & Civile, quòd, hoc Privati acquirunt Rerum Temporalium, illo verò, non Privati, sed Ecclesia habet Dominium Rerum Ecclesiasticarum.

11. In utroque sunt Leges inter se discrepantes, non solùm diverso, sed etiam eodem tempore, sed diversis Locis scriptæ; idque propter diversos, pro quibus sunt scriptæ, Hominum mores. *Cap. 1. Dist. 1.* ipsiusque Decreti Inscriptio, *Concordantia discordantium Canonum.* Non obstat, quòd Gregorius IX. & Bonifacius VIII. in *Præfat.* suarum Collectionum, insinuent contrarietates sustulisse, quòdque Justinianus in Constitutionibus *Codicis & Digestis* præfixis, testetur nullam esse in his Collectionibus Antinomiam, sive Legum discrepantiam, sed unam concordiam & consequentiam; hoc enim voluerunt sed non perfecerunt.

12 Si Lex sit id omne, quod ratione constat, dummodò Religioni conveniat, Disciplinæ congruat, Saluti proficiat; item & Canon. *Cap. 5.* Dist. I.

13. Idem *Canonis* quod Legis *Officium*: nempè, quòd permittat, vetet & puniat. *Can. 4.* Dist. IV. XIII. Legis virtus est imperare, vetare, permittere, punire. *L. Legis virtus. §. de Legibus.*

14. Idem *Finis* Canonis punientis, ac Legis itidem pœnalis; scilicet ut metu Humana coërceatur Audacia; tutaque sit inter Improbos Innocentia. *Can. 1.* Dist. IV. XIV. pœna unius metus est multorum *§. 1. C. ad Leg. Jul. repetund.*

15. Easdem *Canon* habere debet qualitates, quas *Lex*; nimirùm, quòd sit justus, possibilis, secundùm naturam Patriæque consuetudinem, loco, tempori, conveniens, necessarius, communi utilitati prospiciens; denique clarus: ne per obscuritatem, aliquam captionem contineat. Quibus addendum est, ut sit solemniter editus, & publicè promulgatus. Nota obiter tertiam quartamque qualitatem non convenire nisi *Canonibus Disciplinæ*, qui fieri solent propter certas Personas vel Loca & Tempora *Can. 2.* Dist. IV. *C. 25. de Verb. sign. C. ult. de Constit. C. 1. de Post. Præl.*

16. Ut, de Legibus liberum est judicare, dùm instituuntur; ità & de Canonibus; ut, de iisdem jàm institutis & firmatis, judicare non licet, sed juxtà eas; ità & de Canonibus. Ut demùm Leges instituuntur, dùm promulgantur, firmantur verò dùm moribus utentium approbantur; ità & Canones. *C. 3. Dist. 4.*

17. Sicut sunt Leges Civiles, quæ desuetudine abrogantur; ità sunt Leges Canonicæ. *C. 4. 5. 6.* Dist. IV.

18. Ut obtemperandum est, vel non est, Legibus prout sunt veritati Dei conformes, vel contrariæ; ità, in similibus casibus, obediendum est Canonibus, vel non. *C. 1.* Dist. IX.

19. Prælati vivere debent juxtà Canones suos, sicut Principes juxtà Leges suas *C. 2.* Dist. IX.

20. Ecclesia Legibus Imperatorum jura sua tueri potest, sicut & Imperatores sua Legibus Ecclesiasticis *C. 1. 7. 8. Dist. 10. C. 6.* Dist. XCVI.

21. Quod fit contrà Canonem, per Canonem dissolvi meretur, sicut facta contrà Legem, dissolvenda sunt per Legem. *C. 10.* Dist. X.

22. Rejicit Jus Canonicum Accusatores & Accusationes, quæ Jus Civile non admittit: non solùm in hoc, sed etiam in aliis rebus Judicia spectantibus Ecclesiastica, etiam Personarum Ecclesiasticarum, Leges Civiles Ecclesia recipit; idem facit quòad pœnas contrà Criminosos latas. *C. 41.* Caus. XXIII. Quæst. IV. *Cap. 7.* Caus. XXII. Quæst. V. *C. 3. 4.* Caus. XXXIII. Quæst. II. *Can. 9.* Dist. VII. VIII. XI. Caus. III Quæst. XV. *C. 19.* Caus. VI. Quæst. I. *C. 6. de Immu. Eccl. C. 7.* Caus. II. Quæst. I. *C. 1.* Caus. XXXV. Quæst. VIII.

23. Leges Civiles, quoàd Præscriptionem in se spectatam, Ecclesia admittit, idem, quoàd Bona in Monasterium ingredientium. *C. 1.* Caus. XIII. Quæst. I. *C. 2. 6. 17.* Caus. XVI. Quæst. III.

24. Ut, quod fit contrà Leges, pro infecto habendum est; idem, de hoc, quod fit contrà Canones. *C. 13. 14. 15. 16.* Caus. XXV. Quæst. II. XXIV. quod Lege prohibente factum est, pro infecto habetur *L. non dubium, C. de Legibus.*

25. Ecclesia Leges non rejicit, nisi sint Juri Divino, Naturali, vel Sacris Canonibus contrariæ. Hoc explicabitur in Dissertatione circà Leges prohibitivas. *C. 18. de priv. C. 4. de pœnis cap. 2. de novi. oper. nunt. C. 1.* Dist. X. *Grat.* Caus. XV. Quæst. III. *§. sed.*

26. Canon, ut Lex, non ligat ignorantes, qui illum nosse non potuerunt. *C. 2. de Constit. C. 2.* Dist. LXXXII. Leges ignorare non licet. *L. Constitutione C. de Jur. & Facti ignor.*

27. Sicut novæ Leges dant tantùm formam futuris, nisi in iis expresè caveatur de præteritis, vel veteres declarent & interpretentur; ità & Canones *C. 2. & 13. de Const. C. 4. de off. Leg. §. prohibemus.* Leges futuris dant formam negotiis, nec ad præterita pertinent, nisi id exprimatur. *L. 7. C. de Legibus.*

28. *Statutum* sive Civile, sive Ecclesiasticum, non valet, nisi fuerit perfectum, & actu consummatum. *C. 17. de pœn.* Dist. I.

29. Pœnæ Canonum, ut & Legum, sunt interpretatione potiùs molliendæ, quàm exasperandæ. *C. 18. de pœn.* Dist. I. 29. *L. interpretatione ff. de pœnis.*

30. Novus Canon, ut & Lex nova, priori derogat, etsi id non exprimat; sed speciali Consuetudini vel Statuto non derogat, nisi id exprimat. *C. 1. de Const. in 6.* 30. *§. pen. Inst. de Justitia & Jure.*

31. Canon, ut Lex, non ligat extrà Districtum condentis. Eòdem recidit quo *Art. 57. C. 2. E. T. §. Statuto.*

32. Lex Canonica, ut Lex Civilis, ita est interpretanda, ut suo non frustretur effectu. *C. 35. de Elect. in 6. §. Porrò.*

33. Ejus est Canonem, ut & Legem, interpretari, cujus est condere. *C. 3. de off. ord. in 6. §. Si verò. 33. ejus est Legem interpretari, cujus est condere L. 1. C. de Legib.*

34. In utroque Jure protestatio facta contrà metum sibi incussum, conservat aliquem in jure suo, utque istud servetur, illa facienda contrà id, quod sibi adversatur; nec ista prodest, si contrà illam protestans veniat. Hoc dilucidatur in Tractatu *de Protestatione*, ubi colliguntur quæcumque docet Jus Canonicum, congruoque ordine digeruntur; item dùm de iis, quæ metu fiunt. *C. 4.* Caus. XXXI. Quæst. II. *C. 10. 18.* Caus. II. Quæst V. *C. 21. de Sent. & Re. Jud. C. ult. de Appell. C. 20. de Censib. 34.* Utroque etiam jure quod metu factum est, rescinditur, licèt protestatio non præcesserit: Nam & in Codice, & in Digestis, & in Decretalibus, sunt Tituli, *de his, quæ vi metúsve causâ gesta sunt.*

35. in Canone, ut in Lege, Juri Communi derogatur per concessionem Juris Specialis. *C. 6. de Instit. C. 13. de Judic. 35.* Generi per Speciem derogatur. *Cap. Generi de Reg. Jur. in 6.*

36. In Canone, ut in Lege, facta ab habente dignitatem, abrenuntiatio alicui hujus dignitatis juri, non obest Successoribus, sed tantùm facienti. *ibid. C. 24.* Dist. LXIII.

37. In utroque, non intelligitur derogari juri alterius, nisi id exprimatur. *C. 31. de Decim.*

38. In utroque, quilibet potest juri renunciare, ei quod pro se noscitur introductum; idque non solùm expresè, sed etiam tacitè, eo scilicet non utendo tempore, quo par est: qui autem juri renunciat, illud amittit. *C. 19. de Elect. C. 16. de Regul. C. ult. de crim. falsi. C. 6. 11. de priv. C. 8.* Caus. VII. Quæst. I. *C. 16. de Elect. 38.* Omnes licentiam habent his, quæ pro se introducta sunt, renunciare, *L. si quis in conscribendo. C. de Pactis.*

39. In utroque, facto à se Statuto contravenientes derogant juri suo. Istud ipsis prodesse nequit, actu siquidem contrario, juri renunciatur. *C. 8. de Constit. . . . . C. 15. de Sent. & re judic. C. 3. de his, quæ fiunt à Majore &c.*

40. Juri Canonico, sicut & Civili, derogat *Consuetudo* rationalis & legitimè præscripta, sed non alia. *C. 13. de jud. C. 11. de Consuet. C. 8. ibid. 40. L. 2. C. quæ si longa consuetudo.*

 41. Tàm

41. Tam juxtà Canones, quàm juxtà Leges, quidquid discrepat à Jure Communi, ad illud, quoad fieri potest, reducendum est; nec ab eo recedendum, nisi clarè constet ei derogatum. *ibid.*

42. Constitutio sive Canoni, sive Legi contraria, & Ecclesiæ damnosa non valet. *C.* 15. *de Elect.* 42. non valet Rescriptum, quod Juri vel Publicæ Utilitati adversatur. *Leg. fin. C. Si contra Jus vel util. publ.*

43. In utroque Jure, undè quis meretur gratiam, damnum sustinere non debet. *C.* 7. *de Renunc.* ubi GLOSS. v. *Sustinere*, citat plures Leges idem docentes.

44. Cùm respondetur Consultationi ab habente Jus condendi potestatem, Jus Commune declaratur, vel editur; etsi circà Privilegia consultus responderet. *C.* 9. *de Voto & voti red.* GLOS. *C.* 9. *de fil. Presb.* v. *Consultationem C.* 12. *de refor.*

45. Si Membrum alicujus Collegii, juri, in illius Collegii honorem sibi, ut & aliis Collegis suis, concesso, renunciat; renunciatio non valet: valeret autem, si jus præcipuè concessum, esset in commodum Membrorum *C.* 12. *de For. comp.* Ratio Cap. desumitur ex *L.* 38. *ff. de Pactis*, quam explicat GONZALEZ *in illud n.* 2.

46. Qui in aliquo læditur, in alio compensationem accipere debet. *C.* 16. *de Major. & Obedient.* GLOS. v. *Præjudicio*, citat Leges Civiles simile quid præcipientes.

47. Factæ inter alios Transactioni, circà rem ad seipsum quodammodò pertinentem, autoritatem præstans, juri suo tacitè renuntiat. *C.* 7. *de Transact.*

48. Res inter aliquos acta non præjudicat juri aliorum, nisi isti illam approbent & confirment. *C.* 7. *de cau. poss. & propr.* Res inter alios actas, vel judicatas, aliis non nocere. *Cod. Lib.* 7. *tit.* 60.

49. In utroque, verisimile non habetur eum, qui spoliatus renunciat, spontè renunciare. *C.* 2. *de restit. spoliat. l.* 1. *C. Per vim. l.* 1. §. *qui à me ff. de vi.*

50. Canon, ut Lex, declaratur ex approbatâ Consuetudine, quæ est optima Legum Interpres. *C.* 8. *de Consuet. C. si de interpretatione ff. de Legib.*

51. Canones, sicut & Leges, sufficienter promulgati judicandi sunt, si publicè & generaliter fuerint promulgati; nec oportet, ut singulis specialiter significentur: neutris ligatur quis, antequàm ad eum pervenerint, vel potuerint pervenire, (hoc speciali Tractatu explicabitur,) *C.* 1 *de Post. Præl. C.* 2. DIST. LXXXII.

52. Quod agitur contrà Canonem, sicut & quod fit contrà Legem, non habet firmitatem, & nequaquàm valet: quod restringendum videtur, cum *C.* citatis. *n.* 24. ad Casum, in quo Canon vel Lex læsa substantiam rei actæ respiciunt. (Hoc enucleatur in citata DISSERT. *de Lege purè prohibitura*) *C.* 2. *de Testib. & attest.* in quo citatur Novella 90. *collat.* 7. *C.* 9. GONZALEZ *in illud. n.* 2.

53. Tam juxtà Canones, quàm juxtà Leges, quilibet eodem debet uti jure, quod in alium statuit. *C.* 6. *de Const. toto Tit. Digest. Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur.*

54. Urgens Necessitas eximit à Canone, sicut & à Lege. *C.* 2. *de Observ. Jejun. C.* 4. *de Reg. Juris.* Necessitas non habet Legem. *L.* 1. *ff. de Off. Proconsulis.*

55. Tam Canon, quàm Lex, approbat, ut nonnulla pro communi utilitate contrà Juris asperitatem ex æquitatis mansuetudine tolerentur. *C.* 3. *de Sent. & Re jud. in* 6. GLOS. v. *non expressa* citat plures Leges id docentes.

56. Utiliores Canones, ut & Leges, interdùm restringendæ sunt; quia Hominum succrescente malitiâ, quod provisum erat ad remedium, tendit quandòque ad noxam. *C.* 1. *de Except. in* 6.

57. In utroque Jure, extrà Territorium jus dicenti non paretur impunè. Eod. recidit quo *Art.* 31. *C.* 2. *de Elect. in* 6. *L. fin. ff.* de *Jurisdict.*

58. Ut secundùm Legem, ita & secundùm Canonem, jura antiqua non debent dici correcta, nisi expressè fuerint per nova immutata. *C.* 41. *de Elect. in* 6. quod non mutatur, quare stare prohibetur. *L. Sancimus. C. de Testam.*

59. In utroque ista audiuntur, parùm est jura condere, nisi sit, qui ea tueatur. Expedit jura juribus concordare, eorumque correctiones, si valeant sustineri, evitari debent. *C.* 3. *de Elect. in* 6. Per eos, qui juri dicendo præsunt, effectus juris accipitur. *L.* 2. §. 13. *de Orig. Jur.*

60. Utrumque est illa Lex publica, à quâ eximit privata Spiritûs Sancti Lex; seù Divinus Spiritûs Sancti Instinctus, quo aliquem movet ad aliquid Juri contrarium. *C.* 2. CAUS. XVIII. QUÆST. III. *C.* 18. *de Regularib.*

61. Sicut frustrà implorat Legis auxilium, qui committit in Legem; ita frustrà implorat Canonis auxilium, qui committit in Canonem. *C.* 23. *de Elect.* frustrà Legis implorat auxilium &c. *L. auxilium ff. de Minorib.*

62. In neutro, Concessiones aliquibus specialiter factæ, ad alios trahendæ sunt, in fraudem Canonis vel Legis. *C.* 11. *de Conc. Præb.* Constitutiones Personales ad exemplum non trahuntur. §. *sed & quod pr. Instit. de Jur. Nat. Gent. & Civil.*

63. Utrumque sibi subditas habet determinatas Personas, Res, & Judicia; ultrà quæ nihil valet, passim.

64. In Foro Externo tam Canonico, quod Canone regitur, quàm Civili, quod Lege regitur; de Externis tantùm, & non de Internis judicatur. *C.* 13. CAUS. XV. QUÆST. I. Cogitationis pœnam nemo patitur. *L. Cogitationis ff. depœnis*

65. Sicut in Rebus Temporalibus Canonicæ Constitutiones Civilibus sunt conformandæ; sic, è contrà, in Spiritualibus Leges Civiles Canonibus subdendæ. *Cap.* 4. *de Pœnis. C.* 1. *de Novi Oper. nunt. C.* 18. *de Priv.* Quod Sacri Canones prohibent, id etiam & nos per nostras abolemus Leges. JUSTIN. *in C. Sacris. C. de Episc. & Cler.*

66. Sicut Leges contrariæ, ita & contrariæ Canonum regulæ intelligendæ & componendæ sunt, pro diversitate Locorum, Temporum, & Personarum. *C.* 112. 3. DIST. XXIX.

67. Sicut Partes Civilis Juris non sunt æqualis autoritatis; non enim Statuta, v. g. Civitatis Civitatem, & Statuta Provinciæ Provinciam transgrediuntur: Leges verò Regni ad plures tùm Civitates, tùm Provincias extenduntur. Ita & Partes Juris Canonici sunt inæqualis autoritatis; cùm Decreta Conciliorum Generalium, & Constitutiones Pontificum Universam ligent Ecclesiam; Statuta verò Synodalia, & Ordinationes Episcopales unam tantùm Diœcesim; Canones verò Conciliorum Provincialium totam obligent Provinciam. Præterea Sanctorum Patrum Dicta, quæ sunt Juris Canonici Pars, non sunt ejusdem vis ac Decreta Pontificum. *C.* 28. DIST. L. DIST. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. in quibus dùm de Juris Canonici Partibus agitur, nonnulla dicuntur, è quibus inferre licet, illas esse inæqualis vis & autoritatis: *tota* DIST. XX.

68. Sicut Priores Juris Civilis Leges, quales sunt Leges XII. Tabularum, sunt duriores & obscuriores, quàm quæ posteà secutæ sunt; ità Priores Juris Canonici Leges, sive Canones, Posterioribus sunt & duriores, & obscuriores. *C.* 7. DIST. XXXIV.

69. Pleræque Juris Canonici Regulæ, è Jure Civili desumuntur; quod intelligendum tàm de illis, quæ in Textibus Juris leguntur, quàm de illis, quæ seorsim collectæ sunt in Tit. *de Regulis Juris.* Patebit ex infrà dicendis circà has Regulas.

§. II.

In quibus JUS CANONICUM *à* JURE CIVILI *præcipuè differat.*

De *Differentiis* Juris Canonici à Jure Civili, desumptis ex illorum *Causis*, nihil hic dicimus; sed tantùm de aliis: de illis enim agemus, dùm de *Causis* Juris Canonici loquemur.

Hoc præmonito, dicimus, Jus Canonicum non in aliis à Jure Civili præcipuè differre, quàm in istis:

1. Mitiùs agit: nam à Juris Civilis rigore sæpiùs recedit. *C.* 18. *de Rest. spoliat. C.* 1. *de Dol. & Contu. C.* 70. *de Appell. Cap. ult. de arbit.* Natis ex nefariis & incestis Nuptiis, Jure Civili alimenta non debentur. *Nov. Justin.*

Justin. 74. & 89. Jure Canonico, filii ex quocumque coitu, etiam incestuoso, nati, à Parentibus alendi sunt. *Cap. cùm haberet, Extrà de eo, qui dux. in matrim.*

2. Personæ Deo dicatæ, Res spirituales, & circà utrasque Judicia, ad solum Canonicum pertinent. Hinc Leges Civiles Judiciaque circà ista sunt nulla: Leges hujusmodi dicuntur non Constitutiones, sed *destitutiones, districtionum usurpationes.* Hinc si Jus Civile Juri Canonico in istis adversetur, istud illi prævalet. Quomodò hæc intelligi debeant, dicetur in Tractatu *de modo discernendi Leges Sæculares à Spiritualibus.*

Hinc Judex Ecclesiasticus in istis sequi debet Canones, non Leges. *C.* 11. 12. *Dist.* 96. *tota Caus.* 11. *q.* 1. *c.* 5. *de Testam. c.* 12. *de Reb Eccles. non C.* 10. 11. *de Testam. E.* 11. *de Testam.* ex *Nov.* 83. Clericus in Causa Civili debet conveniri apud Episcopum, nisi Causæ natura aliud Forum requirat. In Criminalibus autem Causis distinguendum: si crimen sit Civile, apud Judicem Civilem debet conveniri; si Ecclesiasticum, coràm Episcopo est conveniendus.

3. Jus Canonicum universaliter receptum nunquàm habuit, nec habet nunc, quidquam Juri Divino contrarium, quia fit ab Ecclesiâ, quæ est Columna & Firmamentum veritatis: non item Jus Civile, quia fit à Potestate errori obnoxiâ, Bonumque publicum Temporale respicit, quod interdùm requirit, ut quædam peccata permittantur. Jure Civili permissus est Concubinatus *l. in Concubinatus. D. de Concubinis*: Jure autem Divino prohibetur, Paul. *ad Galat.* 5. & consequenter Jure Canonico. *Can. Nemo* 32. *q.* 4.

Hinc profectæ Leges sequentes à Canone damnatæ.

1. Est, quæ infamiâ notat Viduam, quæ intrà tempus luctus nubit, Virumque, qui eam sciens ducit; quæque damnatur & corrigitur. *Cap.* 4. & 5. *de secund. Nuptiis. C.* 2. *caus.* 3. *q.* 7. *§. ult.* Mulier nubens intrà annum luctus, infamiâ notatur. *l.* 1. & 2. *C. de secund. Nuptiis.*

2. Est, quæ permittit quoddam fœnus, quod restituendum est; & damnatur *toto Tit. de Usur. C.* 11. *caus.* 14. *q.* 4. Jure Civili licet stipulari usuras pecuniæ creditæ *toto tit. Dig. & Cod. de Usur.* Jure Canonico, non item *toto Tit. Decr. de Usuris certo tempore finiendis.*

3. Quâ possessor malæ fidei intrà certum tempus præscribit, quæque damnatur. *C.* 5. *de Præscrip.* ubi citatur. *l. fin. C. de Præscript. longi temporis. l.* 1. *C. Theod. de actionib. certo tempore finiendis.*

4. Quâ stuprum à Marito commissum non habetur adulterium, & damnatur *Can.* 2. *cau.* 32. *q.* 2. Adulterium Jure Civili committitur in nuptam. *l. fugitivus. ff. de verb. signif.* Jure Canonico etiam in solutam mulierem à conjugato *C.* 19. 20. & *C. fin.* Can. 32. *q.* 5.

5. Quâ permittuntur matrimonia à Christo damnata, quales erant, quibus Viris Uxores propter justas causas dimittentibus, alias ducere licebat, quæque confusè damnatur. *C.* 2. Cau. 32. *q.* 2.

6. Quæ permittit Viro uxorem adulteram occidere, quæque damnatur *C.* 6. Cau. 33. q. 2.

De his differentiis, aliisque notandis, fusiùs, dùm *de Origine præcipuarum inter utrumque Jus differentiarum*, agetur.

§. III.

Origo præcipuarum differentiarum inter Jus Canonicum & Jus Civile.

Non sufficit observavisse discrimina Juris Canonici à Jure Civili, sed eorum etiam causæ sunt exponendæ.

Harum *Prima* est, *quòd Ecclesia Universalis*, quæ Leges Canonicas circà Doctrinam constituit, *sit infallibilis*; *Sæcularis* autem Potestas, quæ Leges Civiles Doctrinæ connexas condit, sit *fallibilis*. Hoc autem discrimen, ex eo oritur, quòd illa præposita sit ad docendam & exponendam Legem Naturalem & Legem Divinam, atque ut Regulam certam proponeret, ita constituta esse debuerit, ut falli non posset in Canonibus utramque Legem spectantibus: Sæcularis autem Potestas, cui Administratio Rerum ad Corpus aut Bona attinentium commissa est tantùm, tali non indiguerit privilegio: Oportet igitur, ut quoties Legibus Canonicis adversantur Leges Civiles circà Doctrinam, toties hæ juxtà Canonicam normam intelligantur aut corrigantur. Tales sunt Leges Civiles, quæ permittunt res à Deo prohibitas, ac præsertim illæ, quæ concubinatui autoritatem præstant; vel adulterio alterutrius Conjugatorum, in divortio à Lege concesso; vel homicidio uxoris in flagranti delicto deprehensæ, vel usurarum perceptioni in pacto Antichreseos, seu oppignerationis bonorum, ad pecuniæ creditæ securitatem, aut furtò in præscriptione, cui mala fides supervenit, vel quæ saltem huic favent, dùm sinunt, ut qui à Spoliatoribus, licèt hoc scirent, adquisierunt, dissimilem ab eis causam habeant, vel perjurio, dùm vetant stare juramento Pupilli rationis usum adepti, etiamsi seductionis absit suspicio. *vide* Fagnanum *in Cap.* 10. *de Testam. n.* 168. *usque ad* 178. ubi plures enumerantur casus similes, in quibus standum est Juri Canonico propter peccatum à Jure Civili permissum. Hoc autem restringendum est ad Definitiones à *Conciliis Generalibus* factas debito modo, atque universim receptas, vel alio quovis modo roboratas autoritate Ecclesiæ Universalis, cui soli promissa fuit Infallibilitas. De cæteris casibus, in quibus Leges Civiles non obligant propter oppositionem earum cum Lege Naturali, aut Divinâ, agendi non est hic locus, sed de illis, in quibus adversantur Legibus Canonicis. Nec etiam loquimur de Jurisdictione, quam sibi Præfecti Ecclesiastici vindicaverunt, in Res Temporales, delicti occasione; satis erit observare, jus interpretandi Legem Naturalem & Legem Divinam, quod habet Ecclesia, nullam illi autoritatem in Res Temporales impertiri, quippè quòd extrà Declarationem rerum juxtà has Leges licitarum aut illicitarum, & constitutionem pœnarum spiritualium in transgressores, non excurrat. Et hæc sufficient circà priorem causam discriminum inter Canonicum & Civile Jus intercedentium. Canones, quibus illa innititur, & differentias ad illam spectantes non retulimus, quia hæc colligentur, *in Expositione Decalogi*, & in Tractatu *de Principibus, Ecclesiâ, Pontifice, & Judiciis Ecclesiasticis.*

Verùm attentione majori dignum est, quòd illud non solùm ad Leges Civiles pertinet, Juris Canonici respectu; sed etiam ad Leges Canonicas inter se collatas: plures enim ex iis, quæ ab *Episcopis, Conciliis Particularibus*, imò etiam à *Summis Pontificibus* desumptæ sunt, sunt erroneæ, propter eamdem causam, scilicet Fallibilitatem eorum, à quibus sunt profectæ, & Infallibilitatem eorum, à quibus cæteræ confectæ sunt, vel autoritatem acceperunt. Atque hic obiter observandum est, ex neglectu attinendi hanc Legislatorum fallibilitatem prodiisse, atque etiamnùm prodire multas interpretationes vitiosas: Nec omittendum est, Leges Canonicas, ad quarum normam corrigendæ atque emendandæ sunt Leges Civiles, esse Divini Juris Partem, quia juris interpretationes ab autoritate legitimâ profectæ ad Jus dilucidatum pertinent, atque parem autoritatem sortiuntur: undè cùm procul dubio Juri Civili Jus Divinum antecellat, eidem anteponi debet Jus Canonicum, quod Divini Juris Pars est.

Reliquarum *differentiarum* inter Canonicum & Civile Jus *Pars major* ex eo oritur, quòd *Ecclesiæ Administratio plenissima sit caritatis & lenitatis*, tendens ad procurandam Salutem animarum, quas Christus ejus Sponsus suo sanguine redemit; ipsi mansuetudinem sequi tùm factis, tùm sermonibus mandans; eique Spiritum Sanctum, qui caritatis est Spiritus, Rectorem præficiens. Indè est, quòd æquitatem sectetur, non solùm in casibus à jure non expressis, verùm etiam in plurimis, in quibus rigor æquitati postponendus videtur; idcircò non satis habuit jubere cum Jure Civili, ut æquitas suppleret ea, quæ desunt in Jure Scripto. *Cap.* 11. de Transact. *in his verò*

verò, super quibus Jus non invenitur expressum, pr ocedas æquitate servatâ, sed Regulam generalem constituit, quâ Juris Civilis rigor in Rebus & Personis Ecclesiasticis inflectitur. *C. 1. de Dolo & Contum. In Ecclesiasticis Personis & Negotiis rigor & districtio Juris non requiritur.* Facile esset colligere plurima exempla praxeos hujus Regulæ. *C. 6. de integ. Restitut. C. 58. 64. 70. de* APPELL. *§. sanè*; ea subministrarent.

Sed utilius erit lustrare Textus allatos ab *Henrico* CANISIO, ad probandas differentias, de quibus agimus: quod priùsquàm aggrediamur, observandum est, apud Peritiores Canonistas ita invaluisse, quòd Jus Canonicum æquitati naturali præcipuè inhæreat, ut Regulam hanc proponant, Jus Canonicum Juri Civili præponendum esse, quoties de æquitate agitur. Vide FAGNAN. in *C. 4. de Censib. n. 26.* Indè Partim orta est Consuetudo Sæculorum 11. 12. 13. & quorumdam sequentium, dimittendi Ecclesiæ notionem negotiorum Personarum Miserabilium; quo nomine designantur omnes, qui specialiore auxilio indigent, propter Statum Luctuosum, in quem redacti sunt; & inter quos numerabantur Viduæ, & Pupilli cujuscumque conditionis, etiam Regiæ, & quantumlibet divites; Verosimile est pauciores tùm fuisse solemnitates in Judiciis Ecclesiasticis, atque jus gratuitò dictum fuisse, saltem ubi primùm hæc Consuetudo cœpit: nisi enim aliqua fuisset utilitas, Illi, quorum intererat, Judices Sæculares eorum jurisdictione non spoliassent, ut eam in Judices Ecclesiasticos, Jure Civili adversante, transferrent. Indè natæ sunt Appellationes Extràjudiciales, Appellationes omisso medio, Recursus ad Judicem Ecclesiasticum propter recusatam aut denegatam justitiam à Judice Sæculari: Usus Juri Civili incogniti. Indè orta est Reconventio coràm Judice Ecclesiastico, licèt Personæ vel Negotium Judicis Sæcularis jurisdictioni forent adhibitæ: Indè jus Azyli in Ecclesiis in gratiam Servorum à Dominis vexatorum, Debitorum & Nocentium, qui in jus vocabantur; Indè Manumissio Servorum in Ecclesiis iisdem; Indè Privilegium omittendi in Libellis nomen Actionis, quæ intendebatur, itemque omittendi in Testamentis ad piam causam, solemnitates à Jure requisitas in omnibus Testamentis: Indè Canones, qui jubent, præstari alimenta Liberis è coïtu nefario natis. *v. g.* ex Adulterio, Incestu, vel Sacrilegio: æquitas, charitas & mansuetudo, quas Ecclesia singulariter profitetur, hæc discrimina inter Civile & Canonicum Jus induxêre.

Probationes earum differentiarum, atque causarum, undè ortæ sunt illæ, sunt in *Tractatibus de Judiciis, & de Testamentis.*

Hæ generales Observationes valdè contrahunt ea, quæ sigillatim dicenda forent circà illas differentias, earumque causas. Itaque supereſt, ut breviter attingamus cæteras differentias, quæ ex eisdem causis oriuntur.

Jubet æquitas, ut subaudiatur Clausula, *si preces veritate nitantur*; ac non irritentur Rescripta, à quibus abest: jubet pariter, ut nuda pacta obligent, & nulla habeatur ratio solemnitatum, quas in stipulationibus requirit Jus Civile.

Mens Canonum, qui vetant implorare Restitutionem in integrum adversùs Contractus per jusjurandum confirmatos, licèt illi à Jure Civili irritentur, vel rescisioni obnoxii reddantur, est collocare in tuto Salutem Fidelium, qui nullum tamen, ut probatum fuit *in Tractatu de Contractibus*, subeunt periculum, illos Contractus ut infectos spectando, propter nullitatem juramenti Lege Principali & Jure Publico adversantibus emissi, *Cap. 12. de Foro competenti.* INNOCENTIUS III. ibi hâc de causâ docet juramentum, quo Clerici confirmant Ecclesiastici Fori abdicationem, nullum esse.

Locum habet etiam causa eadem in juramento emisso à Filiâ, quæ in gratiam Patris sui pollicita est, se jus suum non persecuturam. *C. 1. de Pactis in VI.* & in juramento Minoris, qui Senatus-Consulti Macedoniani privilegio renunciat; in juramento Mulieris nuptæ, quæ Velleiano Senatus-Consulto renunciat; denique in juramento Filii Minoris, aut Filiæ, qui matrimonium contrahunt, præter consensum eorum, in quorum potestate sunt.

Salutis animarum interest ut, qui sciens emit à Spoliatore, eidem, atque ille, conditioni sit obnoxius, ita ut audientiam non habeat, nisi spoliato restituto, quod fit præter Juris Civilis dispositionem.

Periclitatur Salus Testium, ipsorumque Litigantium utilitas, si deponere cogantur Testes: hujus periculi contemplatione plures Canones prohibuêre, ne cogantur Testes, licèt Jus Civile contrarium jusserit.

Salus animarum postulavit, ut Curati haberent facultatem recipiendorum Testamentorum, in quibus sæpè fiunt Legata Pia, quæ sunt restitutiones aut pœnitentiæ seu satisfactiones. *C. 10. de Testamentis.*

Æquitati congruum visum est, Filium fidei-commisso gravatum, *si sine liberis moriatur*, posse detrahere duas quartas, Legitimam & Trebellianicam: prima illi debetur, ut filio, posterior, ut hæredi gravato. *C. 16. 18. de Testam.*

Hæres tenetur solvere pœnas pecuniarias delictorum defuncti, & damna, quæ intulit, resarcire, ad ejus procurandam Salutem. *C. 5. de Raptor.* Jus Civile non adstringit ad solvendum, nisi onera realia, superiores autem obligationes personæ tantùm cohærent.

Saluti animarum convenit occasiones peccandi removere; hinc modus pubertatem cognoscendi, definitus à Jure Canonico, scilicet per numerum annorum, anteponendus ei, quem Leges Civiles induxerant, nempè inspectionem corporis.

Producendæ latiùs caritatis, atque consensionis inter Christianos consilio, præcipuè impulsi sunt Autores Juris Canonici ad proferendum longiùs Cognationis Impedimentum, quàm fecit Jus Civile; sive unum gradum in lineâ collaterali computando, ubi Jus Civile duos numerat; sive matrimonium inter Cognatos usque ad septimum gradum inclusivè vetando; sive plura adfinitatum genera Juri Civili incognita constituendo.

Horror, quo Ecclesia Sanguinis Humani effusionem prosequitur ex ejus mansuetudine nascens, partim causa fuit Canonum, in quibus tentavit illa Pœnitentiales Satisfactiones, Pœnis Capitalibus substituere, quæ à Jure Civili constitutæ sunt: eadem fuit etiam causa constituendæ Irregularitatis propter lenitatis defectum.

Aliud argumentum mansuetudinis Juris Canonici respectu Juris Civilis est, quòd Judex Ecclesiasticus, Pœnitentiâ factâ, de Pœnis Canonicis valet dispensare. *C. 4. de Judiciis §. 1.* Judex autem Sæcularis Pœnas Civiles remittere non debet, quia clementior esse quàm Lex non debet: præterea pœnæ à Jure Canonico sancitæ, in crimina etiam capitalia, leviores sunt pœnis Civilib. *C. 10. de Judic.*

Nonnulli Canones vetant, Judicem Ecclesiasticum Potestati Sæculari tradere Clericum à se depositum; talis est idem *C. 4.* At *in Tractatu de Judiciis* ostendimus, contrariam esse Juris Civilis dispositionem.

Juxtà *Canon 3. de Solut.* Clericus in carcerem, donec solverit, mitti non debet, neque cogi, ut bonis cedat, sed sufficit, ut satisdet se soluturum, si fortunis auctus fuerit: contraria est Juris Civilis Definitio.

Licèt Præsules Ecclesiastici Feuda possideant, quibus annexum est jus gladii, illud per se ipsos exercere non possunt. *Can. 3. Ne Cleri vel non in VI.* sed possunt illud committere; quod interdicitur à Jure Civili, quod delegare prohibet huiusmodi Potestatem.

Pars major reliquarum differentiarum inter Canonicum & Civile Jus à CANISIO collectarum spectat Matrimonium, aut Cultum Divinum: Prioris generis præcipuæ ex eo ortæ sunt, quòd Jus Canonicum Legem Divinam secutum est in suis Definitionibus; ab eâ autem recessit Jus Civile; undè ortæ sunt Leges plurimæ, quæ videntur approbasse Dissolutionem

lutionem Matrimonii propter causas plures, 1. ob Professionem Religiosam; 2. propter Crimen adulterii, aliave ipsi affinia scelera; Illæ etiam differentiæ indè oriri potuerunt, quòd Leges Civiles magis spectavêre Contractum quàm Sacramentum; atque ideò ejus permisêre aut toleravêre dissolutionem, non secùs atque in cæteris Contractibus, maximè in societate, obtinet: Leges autem Canonicæ magis attenderunt ad dignitatem Sacramenti, propter quam indissolubile est. Indè etiam Leges Civiles Connubii jus Servis ademêre, quia Nuptiæ Civitatem desiderabant, cujus communionem non habebant Servi; Jus autem Canonicum illos semper ad Matrimonium admisit, perindè atque ad reliqua Sacramenta. Indè etiam juxtà Jus Civile Nuptiæ sine dotalibus instrumentis, vel pactis Matrimonialibus confectæ, irritæ erant; atque ideò nati ex Concubinatu Liberi per Nuptias subsequentes Legitimi non fiebant, si solemnitas illa omissa fuisset: Jure autem Canonico illa non requiritur ad validitatem Matrimonii, quia non pertinet ab substantiam Contractûs, quæ sufficit ad validitatem Sacramenti, & proindè Matrimonium concubinatum subsequens natos ex eo Liberos absque hâc solemnitate Legitimos reddit *n.* 4. *Canon. suprà laudati.*

Juxtà Jus Canonicum, si Conjugati alias Nuptias contrahant, pendente circà validitatem primi Matrimonii lite, illæ validæ sunt, si Priores nullæ declaratæ sint: Jus autem Civile pro nullo habet ejusmodi Matrimonium, licèt prius declaratum fuerit nullum: Hæc differentia oritur fortasse ex eo, quòd defectus ille satis gravis Juri Canonico non est visus, ut irritum foret Sacramentum; Juri verò Civili sufficere visus est ad vitiandum Contractum, ac proindè Sacramentum *n.* 36.

Secundùm Jus Canonicum, Liberi ex Matrimonio bonâ fide inter Cognatos inito nati, Legitimi non sunt, si Cognatio detegatur, modò celebratum illud fuerit absque Bannorum proclamatione *Cap.* 3. *de Clandest. Desponſ.* & hoc ad coërcendam temeritatem, quâ Sacramento illusum fuit per administrationem, & receptionem vanam & inutilem: Jure autem Civili defectus proclamationis Bannorum non requiritur, ut Filii sint illegitimi.

Cujuscumque generis Impedimentum sit, si Nuptiæ palàm & bonâ fide saltem ex unâ parte contractæ sunt, Filii sunt Legitimi, licèt vitium posteà comprobetur, *C.* 2. & 14. *Qui Filii Legitimi*, & hoc propter dignitatem Sacramenti: Jure autem Civili, non obstantibus his circumstantiis illegitimi reputantur *n.* 45. Contractus hunc favorem mereri visus non est.

Quod attinet ad discrimen Secundarum Nuptiarum Fœminarum infrà annum luctûs nubentium, illud nascitur ex studio quo æquitatem, animarumque Salutem prosequitur Ecclesia: hinc enim est æquissimum, ut liceat Mulieri rursùs nubere, statim ac libera est, & certum est eam ex Viro priore gravidam non esse, illinc autem ei denegari non debet Sacramentum, quo indiget; undè iniquum foret, ejusmodi Mulierem infamiæ subjicere, si nubat intrà annum luctûs, *Cap.* 4. & 5. *de Nuptiis* quæ recedunt ob has rationes à Jure Civili, quod illam pœnam induxit.

Eodem studio Salutis animarum, & dignitatis Sacramenti contemplatione, inhibetur Matrimonium propter unicam Depositionem, quâ asseritur aliquod Impedimentum secretum inter Sponsos existere, *C.* 12. & 27. *de Sponsalib.* adversante Jure Civili, in quo nunquàm ut sufficiens admittitur Testis solitarii Depositio. Eâdem de causâ Ecclesia irritum facit Matrimonium contractum propter metum cadentem in constantem virum *C.* 14. & 15. *de Sponsal.* licèt hæc in Jure Civili non obtineat: meritò enim existimavit, coactionem magnam Saluti animarum perniciem, & Sacramento ludibrium, afferre posse. *Cap.* 17. *de Sponsal.*

Si Jus Canonicum majorem Ecclesiæ tribuit potestatem in Personas Ecclesiasticas, tùm Sæculares, tùm Regulares, in Bona Ecclesiastica, in Ecclesias & Loca Sacra, quàm ipsi à Jure Civili conceditur, id oritur ex eorum consecratione ad Cultum Divinum, cujus specialem curam gerit. Illæ differentiæ, earumque causæ expositæ sunt *in Tractatu de bonis Ecclesiasticis, de Ministris Sacris, de Ecclesiis.*

Hinc tot Canones orti sunt circà Ecclesiastica Bona, ac præcipuè Decimas, quasi illarum dispositio ad solam pertineret Ecclesiam, illæque à Sæculari Potestate minimè penderent: Quoad Decimas, alia ratio illas Ecclesiasticæ Potestati omninò subjecit; scilicet, quia Novi Testamenti Decimas, perindè atque Antiqui, æstimando, illas etiam à Jure Divino constitutas esse arbitrati sunt Pontifices & Canones de illarum præstatione agentes: Undè etiam natum est, ut licèt Decimæ nonnisi ex fructibus percipiantur, & fructus in Jure Civili, nonnisi deductis impensis, intelligantur, tamen antè deductionem impensarum, Decimæ capiantur: Decimæ enim spectatæ sunt, ut Deo debitum propter ejus Dominium generale in omnes fructus Terræ, atque ideò, ejusdem Conditionis reputatæ sunt ac jus Galliæ *Champart*, sive Jus Dominicum certâ frugum Parte constans, quæ ratione impensarum in culturâ aut collectione factarum non habitâ, præstatur Domino.

Indè nascuntur omnes Canones circà alienationes, qui, omissis quibusdam Solemnitatibus à Jure Civili requisitis, ab eo recessêre: indè illi rerum profanarum amotionem in Ecclesia factam inter sacrilega furta computant, adversante Jure Civili, in quo pro furto simplici habentur. Talis est *C.* 21. *Can. XVII.* 2. 4. Indè Canones, qui Ecclesiarum immunitates longiùs producunt, quàm Jus Civile, azyli jus Homicidis voluntariis concedendo, quod ipsis à Jure Civili denegatur, *C.* 6. *de Immun. Eccles.*

TITULUS II.

Quæ sint JURIS CANONICI *Causæ?*

Jus Canonicum, ut aliæ res, quatuor habet Causarum genera, efficientem, materialem, formalem, & finalem: de singulis seorsim agemus, post CORRASIUM *de Methodo Juris Canonici, idque paucis de tribus Prioribus, quia plures de iisdem loquendi occasiones occurrent.*

§. I.

Quæ sit JURIS CANONICI *causa efficiens?*

JUris Canonici duplex est causa efficiens; altera principalis, nempè Spiritus Sanctus, altera quasi instrumentalis, nimirùm Ecclesiæ Ministri: de quâ instrumentali hîc agimus, eamque cum principali Civilis Juris causâ comparamus, ut, quæ dicimus, faciliùs intelligantur. Comparatio autem in eo tota sita est, quòd ut Juris Civilis causa efficiens est Potestas Temporalis residens in iis, qui Temporalia administrant ita Juris Canonici causa efficiens est Potestas Spiritualis residens in iis, qui Ecclesiam regunt.

Sicut Jus Civile toti cuidam Regno commune, est à Supremo illius Regni Rectore; Jus verò nonnullis hujus Regni Partibus proprium, est ab his, qui istis præsunt Partibus, consentiente tamen Principe: ita Jus Canonicum toti Ecclesiæ commune, est à *Summo Pontifice* Ecclesiam in *Concilio Generali*, vel *extrà* gubernante; Jus verò proprium hujus Ecclesiæ Partibus, est ab illis, qui illas Partes regunt consentiente tamen Universæ Ecclesiæ Præside; Hæc juxtà sententiam, quæ Regimen Ecclesiæ merè Monarchicum existimat, quæque apud Gallos non recipitur, sicut nec apud alios, qui *Conciliorum Constantiensis & Basileensis* Decreta circà Superioritatem Concilii Generalis suprà Pontificem acceptarunt. Hi siquidem sentiunt, Ec-

cleſiæ Regimen eſſe Ariſtocratiâ temperatum, iſtius Concilii Tribunal eſſe ultimum Tribunal, ideòque in illo reſidere Supremam Jus condendi Poteſtatem, quâ de Re fusè dùm de Eccleſiâ.

Denique ſicut in Jure Civili ſunt Leges quæ à ſingulis Regnorum Partibus recipiendæ ſunt, quia ſunt Regnorum Saluti neceſſariæ; ſunt verò aliæ, quæ Principe non reclamante, à quibuſdam Regnorum Partibus poſſunt non recipi; ita in Jure Canonico ſunt quædam Eccleſiæ Leges, quæ à ſingulis Eccleſiæ Partibus recipiendæ ſunt, quia Saluti Æternæ ſunt neceſſariæ; tales ſunt, quæ Fidem vel Mores internos reſpiciunt; ſunt aliæ quæ, Eccleſiâ non reclamante, à nonnullis Eccleſiæ Partibus tamquàm ſibi non utiles poſſunt non recipi, tales ſunt, quæ Saluti Æternæ non ſunt neceſſariæ, utpotè Mores externos ſolùm contingentes.

Hinc ſequitur 1. Jus Canonicum cum Jure Civili, quantùm ad cauſam efficientem quaſi inſtrumentalem, in nonnullis convenire, in aliis differre. Convenire in hoc, quòd in Utroque cauſa efficiens eſt Poteſtas Suprema; Differre verò in hoc, quòd Juris Civilis cauſa efficiens ſit Poteſtas Temporalis, Juris verò Canonici cauſa efficiens ſit Poteſtas Spiritualis. 2. Sequitur, quòd ad cauſam efficientem quaſi inſtrumentalem, Jus Canonicum Juri Civili tantò præeminere, quantùm Spiritualis Poteſtas Temporali præeminet; quantùm verò ad cauſam verè principalem, eo Jus Civile gradu ſuperare, quo Deus Homines. Quæ autem iſtam reſpiciunt, explanantur *de* Conciliis *ſive in genere ſive in ſpecie* aliiſque Tractatibus ad eandem rem pertinentibus.

§. II.

Quæ ſit materialis cauſa Juris Canonici.

Duplex eſt cauſa materialis, nempè in quâ, & circà quam. Juris materialis causa in quâ, ſunt Perſonæ, quæ huic Juri ſubjiciuntur: & iſtæ ſunt ſinguli Fideles, ut fideles ſunt, à maximo uſque ad minimum. Juris Canonici cauſa materialis circà quam, ſunt Res Sacræ, ſive Spirituales; quales ſunt Fides, aliæque Virtutes, Sacramenta, Miſſæque Sacrificium; ſive Temporales, quales ſunt Eccleſiæ Facultates, nec non Loca Divino Cultui dicata.

Hinc ſequitur 1. Quoad cauſam materialem Jus Canonicum Juri Civili tantùm præeminere, quantùm Perſonæ, & Res Sacræ aliis præeminent. 2. Ratione materiæ, Juris Canonici conſtitutionem ad Poteſtatem Spiritualem pertinere, eâque ratione Juris Civilis inſtitutionem ſpectare Poteſtatem Temporalem.

Nota obiter communem Juris Canonici diviſionem in tres Partes, nimirùm in Perſonas, Res, & Judicia, à cauſâ materiali peti; nam tertia, quæ de Judiciis, non aliud reſpicit, quàm Actiones, Perſonas, & Res, quæ ſunt primæ & ſecundæ Partis Argumentum, ideòque non eſt niſi nova, ſcilicet ſub aliâ facie, materiæ primæ & ſecundæ Partis conſideratio.

De materiâ poſteriori modo conſiderata, Florens multa habet curioſa, utiliaque in *Diſſertat. de arte Juris Canon.* nec non in Præfatione *de Methodo* Gratiani, & in *Oratione de aperiendis Scholis* Juris Canonici. Idem dicendum de Doujatio *Prænot. Canon. l. 1. c. 2.* quæ omnia notabuntur in *Comparatione Collectionum in* Corpore Juris *contentarum ſive inter ſe, ſive cum aliis, tam* Orientalibus *quàm* Occidentalibus.

§. III.

Quæ ſit Juris Canonici *cauſa formalis?*

Nomine formæ id intelligitur, vel modus Jus condendi, vel modus colligendi, ordinandique illius juſſa, vetitave.

Non una eſt Eccleſiæ Leges condendi forma; conduntur enim I. vel *per Canones*, qui ſunt breviores Regulæ aliquid præcipientes vel prohibentes, non additâ, ut plurimùm, præcepti vel prohibitionis causâ.

II. Vel per *Epiſtolas Decretales*, ita dictas, quia Pontifices iſtis Epiſtolis, iis reſpondentes à quibus conſulti ſunt, quid faciendum vel non faciendum ſit, dercernunt vel decidunt, additâ Decreti ratione vel Deciſionis.

III. Vel per *Conſtitutiones, Statuta, Decreta, Ordinationes, & Bullas*; quæ omnia ſunt, quoad rem, de quâ agitur, ſynomina; quibus aliquid jubetur, vel vetatur, præmiſsâ, ut plurimùm, per modum Præfationis, juſſi vel vetiti causâ ſeu occaſione.

IV. per *Collectionem* deſumptarum è Scriptis Sanctorum Patrum *Sententiarum.*

V. Vel per *Conſuetudinem*, quâ quid faciendi, vel non, obligatio ſine ſcripto inducitur.

De Primâ loquitur Gratianus in 2. Dist. illiuſque Interpretes, inter quos nonnulla habet Van Espen circà *Legem Satyram* vel *Saturam*, meritò notanda, ac in praxim redigenda: De Secunda Florens in *cit. locis* & Doujat in *l. 3. de Prænot. Canonic.* Noſque poſt eos in *præcitata Comparatione Collectionum.* Idcircò de Secundâ paucis hîc agemus: de Primâ verò, cùm de illâ dicenda notiſſima ſint, quàm breviſſimè poterimus, illa exponemus.

Primus ex prædictis Leges Eccleſiæ condendi modis, ſcilicet per Canones breviſſimos, non parùm conformis videtur adhibito modo, in ſcribendis Legibus XII. Tabularum: Quoad alios, Jus Canonicum convenit cum Jure Juſtinianeo, imò illos è Jure Civili deſumpſit; Leges enim in Corpore Juris Civilis collectæ, deſumuntur, vel è Sententiis Veterum Juriſconſultorum, quales quæ in Digeſtis vel ex Epiſtolis Imperatorum ad eos, à quibus conſulebantur, miſſis, vel ex eorumdem Conſtitutionibus, quales cæteræ, quæ in aliis Juris Civilis Libris continentur: hæc de forma condendi Jus.

Nunc de modo colligendi & digerendi, qui ad formam Juris nonnihil pertinet; Jus autem Canonicum in colligendis & digerendis Eccleſiæ Legibus Juris Civilis ordinem ſecutum fuiſſe palam eſt: Jus enim Canonicum ſuum habet *Digeſtum*, vel *Pandectas*, in *Decreto* Gratiani; *Codicem* in *Collectione* Gregorii IX. *Novellas* in *Collectionibus* VI. Clementinarum, & Extravagantium; denique *Inſtitutiones*, in hoc tantùm differentes, quòd Authenticæ non ſunt, ſeu publicâ autoritate donatæ probatæve, quoad cætera non impares.

Nota obiter circà tertium Leges Eccleſiaſticas condendi modum, *Bullæ* nomen proprium eſſe Conſtitutionibus, quas edunt Summi Pontifices, certâ formâ infrà notandâ, dùm de *Conſtitutionibus* vel de *Reſcriptis* agetur, ubi cum Cabassut. *Theor. & Prax. l. 1. c. 6. n. 6.* illarum forma notabitur, cæteraque ad illas pertinentia.

§. IV.

Quæ ſit cauſa finalis Juris Canonici?

Cùm Eccleſiæ Leges, è quibus Jus Canonicum componitur, non ſint, ut vidimus, ejuſdem generis; ſed aliæ ſint, quæ vel Fidem vel Mores internos reſpiciant; aliæ verò, quæ Diſciplinam, ſeu Mores externos, ſeu externam Politiam, hæc enim tria ſunt ſynomina, ſpectant: hinc fit, ut non una ſit totius Juris Canonici cauſa finalis. Ut enim immediatus ſeu proximus primi generis Legum finis eſt Æterna Felicitas, immediatus & proximus Legum ſecundi generis eſt bonum Eccleſiæ Regimen, mediatus verò & ultimus eſt Æterna Fœlicitas.

Hinc ſequitur Jus Canonicum Juri Civili præeminere, ratione finis tàm Legum quæ Fidem & Mores ſpectant, quàm aliarum quæ Diſciplinam reſpiciunt; cùm Juris finis Civilis ſit Temporalis Imperiorum Salus, cui Æterna Salus, quæ eſt finis Legum primi generis infinitè præſtat; cùmque bonum Eccleſiæ Regimen, quod eſt aliarum finis, non parùm præcellat bonæ Regnorum Temporalium adminiſtrationi, propter Eccleſiæ ſuprà Imperia præeminentiam.

§. V.

§. V.

Suppositum fuit, JURIS CANONICI *finem esse Vitam Æternam, atque in eo discrepare illud à* JURE CIVILI, *quòd tendit ad Felicitatem Temporalem, in pace & securitate Reipublicæ consistentem*; QUÆRITUR, AN ID LOCUM HABEAT IN OMNIBUS JURIS CANONICI PARTIBUS.

BOETIUS EPON. *l.* 1. *de Jure Sacro* Quæstionem hanc fusè tractat, & DUJAT. *lib.* 5. *cap.* 22. *Prænotionum Canonicarum* dat Summam rationum hinc & indè adductarum, atque affirmativam cum BOETIO tuetur adversùs FORTUNIUM GARCIAM, qui hujus Capitis occasionem præbuit: Quoniam illi Autores certum cum incerto permiscuêre, mihi necessarium visum est utcunque distinguere, atque ea, quæ sunt extrà dubium ad decisionem rerum dubiarum accommodare.

Convenire debet, Leges Canonicas à Lege Divinâ manantes, in Vitam Æternam omnes proximè tendere, quia earum finis est idem ac Legis Divinæ, à quâ fluunt, hæc autem condita est ad dirigendos Homines ad Vitam Æternam, quæ unicum est præmium ejus Legis observatione dignum. Inter has Leges Canonicas, eæ collocantur, quæ circà Fidem, Spem & Caritatem, quarum Deus est primum objectum & finis, propiùs versantur; nec non illæ, quæ constituunt modum substantialem conferendi & accipiendi Sacramenta, offerendi validè Sacrificium Missæ, eique ritè adstandi: Collocantur etiam eæ, quæ res Plebi in Concionibus aperiendas, aut secùs, definiunt, vel conditiones ad benè orandum necessarias, & quandò ac quomodò preces fundi debeant; denique omnes Leges, quæ circà Salutis media versantur, ita ut illis neglectis à Salute aberretur; Ratio, propter quam convenit, omnes istas Leges ad Vitæ Æternæ finem dirigi, est, quia pertinent illæ ad Legem Divinam, ad cujus interpretationem, & executionem conditæ sunt; Legis autem Divinæ finis est, procul dubio, Vita Æterna; Quoniam omnia Dei præcepta in præcepto amoris Dei super omnia concluduntur, ut docet S. PAULUS, dicens, *finem præcepti esse Caritatem*, omnes Leges Canonicæ, quæ præcepta Divina spectant, comprehensæ sunt inter eas, quæ circà Caritatem versantur.

Difficultas proposita non complectitur nisi Leges Canonicas meram Disciplinam continentes, & Leges Civiles Juri Canonico insertas. Ambigi potest, an utrumque hoc Legum Canonicarum genus ad Vitam Æternam dirigatur; nam illæ gubernationis ordinationem spectare tantùm videntur, & Ecclesiæ non congruere, nisi in quantùm ea est Corpus Politicum, nec alium proindè finem habere, quàm Leges Politicas, quæ ad Commune Societatis Bonum, quietem, & securitatem Reipublicæ diriguntur. Aliud etiam argumentum movet ad putandum, harum Legum finem non esse Felicitatem Æternam; scilicet quoniam eæ pro Temporibus & Locis variantur: conduntur enim prout hæ circumstantiæ postulant; ubi illis opus non est, illæ exolescunt; itaque Tempora ac Regiones reperiuntur, in quibus Salus his Legibus non alligatur: Salutis autem Leges immutabiles sunt, omnibus Fidelibus communes, omnibus Temporibus & Locis congruæ. Imò Leges Politicæ neminem nisi post acceptationem adstringunt, contrariâ consuetudine possunt abrogari, sicut per contrarias Leges; Acceptatione non indigent Leges Salutis, nec antiquationi sunt obnoxiæ. Urgetur etiam ex eo, quòd Leges Disciplinæ sunt Leges Humanæ, perindè ac Leges Civiles, eumdemque effectum habent, scilicet coercitionem libidinis, qui fluit ex Lege Naturali, quæ docet & præcipit, honestè vivere, nemini nocere, suum cuique tribuere, (*Præf Decretal*).

Ad tollendam hanc difficultatem observandum est, juxtà Canonistarum sententiam, Leges Civiles Juris Canonici Corpori insertas, ejus Partem non esse, ita ut Legis Canonicæ vim obtineant, nisi quandò sunt in Collectionibus ab authoritate legitimâ profectis & roboratis, de quibus infrà agetur; eæ solæ vocantur ab illis Canonisatæ.

Inter eas Leges, quædam factæ sunt ad procurandam Ecclesiasticarum Legum circà Dogma aut Mores executionem; & quoniam hæ Legis Divinæ vim & effectus habent, propter rationes suprà allatas, Legi Divinæ quodammodò participant Leges Civiles, quæ earum executioni provident, propter eamdem causam. Igitur difficultas proposita, non cadit in has Leges Civiles, quæ Legum Canonicarum, quarum executionem curant, naturam habentes, finem cum eis communem habere debent.

Aliæ Leges Civiles conditæ sunt, ut providerent executioni Legum Canonicarum, quæ Politiam Sacram spectant, vel ut cum eis ad illam stabiliendam concurrerent, cùm plurimæ res utriusque Potestatis concursu indigeant: argumentum & exemplum luculentum præbent Diei Festi, quorum Institutio utramque Potestatem spectat.

Quamvis Ecclesia sit Corpus Politicum, illa tamen nunquàm Leges condit quatenùs Corpus merè Politicum, sed semper quatenùs Societas Politico-Sacra: Caracterem suum distinctivum in omnibus suis operibus gerit, eodem Spiritu impellitur, & proindè ad eumdem finem dirigere debet Leges, sive merè Politicas aut Disciplinales, sive omnes cæteras.

Inter Leges, quas in *Concilio Hierosolymitano* tulerunt APOSTOLI, quædam meram Disciplinam continent; talis erat prohibitio edendi suffocata, tale erat præceptum ab Idolotitis, seu iis, quæ immolata fuerant Idolis, abstinendi; quæ tamen Leges Spiritui Sancto nihilominùs adscribuntur, quàm vitandæ fornicationis præceptum. Ejusdem Spiritûs afflatu, PAULUS vetuit Mulieres orare capite non velato; sed hoc meram Disciplinam continet. Eodem Spiritu impellente, constituit Irregularitatem bigamiæ, & cæteras, de quibus loquitur *in suis ad Timotheum, & Titum Epistolis*, quæ tamen sunt Disciplinæ meræ. Leges autem illæ speciales à PAULO institutæ, non minùs ad Salutem dirigebantur, quàm illæ, quas circà Dogma vel Mores condidit. Propter eamdem rationem, & Apostolorum instar, *Concilia* Spiritui Sancto adscripsêre suas Leges Disciplinales, perindè ac cæteras, persuasum habentibus Episcopis, promissionem, quam fecit Jesus, se in medio eorum adfuturum, qui in ejus nomine congregati erunt, quam sibi toties applicuêre, pertinere & extendi ad omnes Leges, quas hæc Comitia condunt, aut condere possunt.

Quemadmodùm Spiritus, qui Ecclesiam in conditione Legum Disciplinalium adjuvat; eas ratione principii suprà Leges Civiles evehit, ità eis finem superiorem dare videtur: ille enim Spiritus est Caritas, Caritas autem ad Felicitatem Æternam dirigitur: undè dici nequit, illas Leges esse merè Humanas, neque ratione principii, neque ratione finis earumdem, licèt ipsæ eumdem effectum habeant ac Jus Civile, eum tamen nobiliori modo assequuntur; etsi tria præcepta generalia, de quibus locuti sumus, utrique Juri sunt communia, luculentiùs in Jure Canonico exponuntur, & ad finem potiorem diriguntur. Conferendo Jus Canonium cum Civili ratione finis, attendi non debet, id quod utrique commune est, sed id, in quo differunt: ex differentia suum finem habet Jus Canonicum, sicut Homo finem suum sortitur ex eo, in quo ab animali mero distat, non ex eo quòd ambonus commune est. Quod dictum est de effectu & præceptis communibus utrique Juri, Canonico & Civili, tam Leges Canonicas, quæ circà Mores sunt, quàm eas, quæ Disciplinam ordinant, respicit.

Inter Leges Disciplinam ordinantes, quædam sunt Universales, & perpetuæ; tales sunt, quæ Quadragesimam,

mam, Abstinentiam à carnibus in certis diebus, Solemnitates præcipuorum Incarnationis Mysteriorum constituerunt; nam illæ Temporibus Apostolicis institutæ hucusque perseverant, & tam latè diffusæ sunt, quàm Ecclesia Catholica. Quædam Leges certis Regionibus & Temporibus sunt peculiares; talis erat Pars major Canonum, qui Pœnitentiam Publicam in crimina graviora statuebant, certasque exercitationes humilificantes, & laboriosas, palàm obeundas: sed hoc discrimen inter eas & priores Leges non extenditur ad finem, neque ad principium earum, quoniam omnes sunt Leges Ecclesiæ, quam Spiritus Sanctus adjuvat, qui Spiritus est Caritatis, seu Dilectionis: Utræque sunt Leges Salutis ratione Temporis, quo vigent, & Personarum, quas respiciunt.

Quod legitur in multis Canonibus Disciplinalibus circà Electiones, aut Collationes Beneficiorum, nempè eorum Definitionem ad Salutem animarum tendere (talia sunt *Cap. 41. de Elect. & Cap. 35. de Præb. in VI.*) in cæteris subintelligi debet, qui ad Disciplinam respicientes illam mentionem nominatim non continent. Porrò illa finis commemoratio fit in quibusdam nominatim; secùs verò in cæteris, quia Definitiones priorum Saluti magis necessariæ sunt, quàm posteriorum; illa autem major necessitas inculcari debuit per mentionem motivi ex animarum Salute desumpti.

BOETIUS *L. 1. de Jure Sacro C. 1.* plures quàm nos Canones colligit, qui suam Dispositionem ex eo confirmant, quòd ea ad animarum Salutem vergat, sed plerique circà Mores versantur, scilicet Jusjurandum, Restitutionem, Usuras, Restitutionem spoliatorum, Præstationem rerum Ministris Sacris necessariarum, damnorum Reparationem, Ignorantiam Legis invincibilem, Communicationem cum Excommunicatis.

Locutio hæc, *tendere ad Salutem animarum*, & hæc *dirigi ad Vitam Æternam*, respectu Juris Canonici sunt duæ locutiones synonimæ; nam Salus animarum est Vita Æterna, sicut Salus Corporum est Vitæ Corporalis conservatio; quoniam animæ non salvantur nisi per acquisitionem Vitæ Æternæ, quæ eas à Morte Æterna liberat, quæ ipsarum pernicies est; sicut Corpora non salvantur, nisi emergant à periculo, quod illa morti objiciebat.

Denique Salus animarum, quæ perficitur per Vitam Æternam, adeò Legum omnium Ecclesiasticarum finis est, ut ob hanc rationem vocentur Spirituales, earumque Argumenta, & Principium eodem nomine designentur; undè fit, ut ejus authoritas vulgò sub nomine Spiritualis Potestatis exponatur; sicut exponitur authoritas Principum sub titulo Potestatis Temporalis; à distinctione duarum Potestatum, quæ Orbem regunt, quarum una Res Spirituales sibi vindicat, sic dictas propter suam connexionem cum animabus, quæ sunt Spiritus, altera Res Temporales aut Materiales administrandas sortitur, quæ ita vocantur ob connexionem cum Tempore, cui obnoxiæ sunt, & cum quo desinunt, & cum Corpore, quod materiale est.

TITULUS III.

Quæ sint JURIS CANONICI *Partes?*

DE Juris Canonici Partibus per transennam jam locuti sumus, cùm de causâ illius materiali agebamus: nunc de iis ex professo loquemur.

Jus Canonicum communiter dividitur in tres Partes, nempè in *Personas*, *Res*, & *Judicia*; idque fit, quia omnia, quæ in eo tractantur, reducuntur vel ad Personas, vel ad Res, vel ad Judicia, si ipsius Juris principia exceperis, in duobus potissimùm sita, quorum alterum ipsius naturam respicit, seu quid sit, in quo cum aliis Juribus cæterisque Rebus conveniat, & in quo à Rebus illis differat? Alterum verò spectat quatuor ipsius causas; nam quidquid tradit GRATIANUS, à 1. DISTINCT usque ad 21. in quâ de Personis agere incipit, ad illa duo capita rediguntur; quæ verò colligit GREG. IX. à TIT. 1. usque ad 5. in quo de Personis loqui cœpit, reducuntur, vel ad causam efficientem principalem, nempè Summam Trinitatum; vel ad causam efficientem quasi instrumentalem, nempè Potestatem Spiritualem, quæ condit Constitutiones, quæ Rescripta mittit, quæ Consuetudinibus autoritatem dat; vel ad causam formalem, nempè Leges Ecclesiasticas condendi modum, quorum Secundus est Rescriptum; Tertius Constitutio, quæ cùm sit vel scripta, vel non scripta, Consuetudinem, quæ est Constitutio non scripta, comprehendit; vel ad materialem, nempè Fidem Catholicam, quæ est Pars causæ materialis Juris Canonici; vel ad finalem, nempè Summam Trinitatem clarè intuendam.

Personæ subdividi possunt in *Ecclesiasticas, Regulares, & Laicas, Ecclesiasticas* in Episcopos, Clericos ordinatos, & non ordinatos; *Episcopi* in Simplices Episcopos & Episcopos in dignitate superiori constitutos: *Isti* in Archiepiscopos, Primates, Patriarchas, & Summum Pontificem.

Clerici ordinati in Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Acolytos, Lectores, Exorcistas, & Ostiarios.

Presbyteri in Simplices Presbyteros, & in Presbyteros suprà alios constitutos: & *Isti* in Archipresbyteros, Præpositos, Chorepiscopos, Decanos, Parochos, Vicarios Temporales, cæterosque, quorum Officium Presbyteratum requirit.

Diaconi in Simplices Diaconos, in Diaconos Cardinales, Archidiaconos & Canonicos Diaconos, aliosque, si qui sunt, quorum Officium Ordinem exigat.

Subdiaconi in Simplices Subdiaconos, & Canonicos Subdiaconos.

Clerici non ordinati, in Simplices Tonsuratos, & Tonsuratos Beneficiatos; *Isti* verò in Capellanos, & Priores.

Personæ Regulares subdividuntur in Regulares Canonicas, & Regulares Monachos.

Monachi, in Simplices Monachos, in Priores Obedientiales, Priores Claustrales, Priores Conventuales, & Abbates.

Regulares Canonici, in eos, qui in dignitate vel officio constituti, & in eos, qui utroque carent.

Personæ Laicæ subdividi possunt, in Conjugatas & non Conjugatas; utræque verò, in eas, quæ præsunt, & eas quæ subduntur.

Non Conjugatæ in Virgines & Viduas.

De Personis autem agitur in *primâ Parte* GRATIANI à DIST. 21. *usque ad finem illius Partis. In Lib. I.* DECRET. *à Tit. V. usque ad ult. illius Libri & in nonnullis Tit. III. IV. & V.* ut patebit percurrenti.

Jamjam adest ad Rerum subdivisionem transeundi tempus; sed priùs monendus est Lector, non unam causam nos movisse, ut relicto tùm GRATIANI, tùm GREGORII IX. ordine, dùm de Personis agunt, à se mox lectum sequeremur; ad id tamen nos præcipuè impulsos, ex eo quòd GRATIANUS separanda conjungit, qualia sunt ad Ordines Impedimenta unius generis cum similibus alterius generis; sejungit verò quædam, quæ jungenda sunt, qualia sunt eadem ad Ordines & Beneficia Impedimenta, quæ Irregularitates vulgò vocantur, aliaque similia; nam GRATIANUS Irregularitates ex delicto, quæ ab aliis sejungendæ sunt, cum Irregularitatibus ex defectu commiscet, & post tractatas alias Res, quæ nec ad jam dictorum, nec ad statim dicendorum explicationem necessariæ sunt, rursùm de quibusdam ex delicto & ex defectu Irregularitatibus permixtim loquitur: Præterea sejungit Personas à Personis; nam loquitur de Clericis in Primâ Parte: in Secundâ versùs medium de Regularibus, & versùs finem de Laïcis, tùm Conjugatis, tùm non Conjugatis.

Quantum ad GREGORIUM IX. nonnulla conjungenda sejungit; nam Irregularitates ex defectu secernit ab

Irre-

Irregularitatibus ex delicto, cùm de illis loquatur in *Lib. I.* de istis in *Lib. V.* Sejungit etiam Personas à Personis, cùm de Clericis agat in *Lib. II.* de Regularibus in *Lib. III.* & de Laïcis Conjugatis, vel non, in *Lib. IV.* sejungit quoque Judicia à Judiciis, agens de Civilibus in *Lib. II.* de Criminalibus in V.

Res de quibus Jus Canonicum, sunt vel *merè* SPIRITUALES, quales sunt 1. *virtutes*, sive Theologales, sive Cardinales, de quibus sparsim in Jure isto. 2. *Sacramenta*, de quibus GRATIANUS in variis locis Primæ Partis, in quibus de Ordinatione, in fine Secundæ, ubi de Matrimonio & de Pœnitentia, & in tota Tertiâ, ubi de Baptismo, Confirmatione & Eucharistiâ; GREGORIUS verò IX. in III. & in IV. 3. *Vota* de quibus GRATIANUS variis in locis Secundæ Partis: GREGORIUS IX. versus finem III. & initio IV. DECRET. 4. *Officia Divina*, de quibus GRATIANUS in Primâ & Tertiâ Parte: GREGORIUS verò IX. in III. 5. *Ecclesiarum, Altariumque consecrationes*, de quibus GRATIANUS in Tertiâ Parte. DIST. I. GREGORIUS verò IX. versùs finem III. *Lib.*

Vel sunt *merè* CORPORALES, quales *Decimæ, Oblationes, Primitiæ, Census, Procurationes, Exactiones, Agri, Loca Deo dicata*, aliaque similia, de quibus GRATIANUS variis in locis Secundæ Partis: GREGORIUS verò in III. *Lib.*

Vel sunt MIXTÆ, quales sunt omnes *res Spirituales, quibus Temporales annectuntur, vel è contrà*: & inter alias ex unâ parte, est jus Temporalia percipiendi, ex Spiritualibus, quæ obeuntur, Muneribus, quale est in omnibus Beneficiis: ex aliâ verò, jus obeundi Munus Spirituale ex possessione rei temporalis, quale reperitur in Patrono Laïco, quod est spirituale ad Beneficia præsentandi jus, proveniens ex possessione feudi, agri, vel hæreditatis, qualibuscumque bonis componatur.

De istis autem rebus mixtis GRATIANUS passim in Secundâ Parte; GREGORIUS verò IX. in I. sed præcipuè in III. cujus majorem partem res illæ occupant.

Ex citatione locorum, in quibus tùm GRATIANUS tùm GREGORIUS IX. tractant de rebus, quæ Secundam Juris Canonici Partem componunt, satis intelligit Lector, cur neutrius ordinem sequamur, sparsas enim hic illic, tùm apud GRATIANUM tùm apud GREGORIUM IX. animadvertit, ideòque eum frustrà moneremus de eo quòd, quem legit, ordinem, illorum ordini præferamus.

Judicia, quibus Tertia Juris Canonici Pars constat, sunt vel *Civilia*, vel *Criminalia*, de Utrisque permixtim agit GRATIANUS in *Secundâ* Parte: GREGORIUS IX. non seriatim de illis tractat, etsi seorsùm de illis ut plurimùm loquatur; nam postquàm medio, sineque Lib. I. de quibusdam, quæ ad Judicia, tàm Civilia quàm Criminalia pertinent, ex professo tractat de Civilibus in *Lib. II.* atque ad id unum illum destinat; plura tamen habet, quæ ad utraque spectant; de Criminalibus verò loquitur in *Lib. V.* totumque ad id, uno aut altero excepto Titulo, illum impendit: tractat etiam, sed obiter de utrisque in IV. LIBRO ubi de Matrimonio, circà quod civiliter & criminaliter agi potest in foro Ecclesiastico.

Propter allatam bis rationem, quæ hic recurrit, quamque repetere piget, dùm de Judiciis agemus nec GRATIANI nec GREGORII IX. ordinem sequemur; jungemus siquidem quæcumque circà illa dicenda erunt, nec tamen permiscebimus, quæ Civilibus propria erunt cum iis, quæ Criminalibus peculiaria sunt.

Tres autem Juris Canonici Partes, ad unam reduci possunt, nempè vel ad Personas, quarum sunt Judicia & Res, cum illæ vel judicent vel judicentur, res ab illis possideantur, & administrentur, LANCELOT TIT. 3. *in fine*; vel ad Res, cùm generali Rerum nomine reliqua comprehendantur, DOUJAT in *Prænot. Canon. l. 1. cap. 2. n. 1.*

Sunt aliæ Partes Juris Canonici, de quibus hic tractari posset, quæque illi conveniunt ratione formæ, sicut aliæ, de quibus dictum est, illi conveniunt ratione materiæ: Istæ autem Partes sunt quinque modi quibus conduntur Leges Ecclesiæ, & de quibus egimus, dùm de causâ formali tractavimus, nempè Canones, sive breviores Regulæ aliquid præcipientes, vel prohibentes, Constitutiones, Rescripta Pontificum, Scripta Patrum, & Consuetudines, quibus omnibus addi possent Generales Regulæ ex universo Jure desumptæ, quibus formarunt Decisiones suas juris Canonici Authores; sed de his fusiùs erit agendum tanquàm de præcipuis Juris Canonici elementis, postquàm Partium, de quibus hactenùs in hoc Titulo fontes digito indicaverimus, verbaque, quæ in Jure Canonico usurpari solent, breviter explicaverimus, insimulque illa, quæ scienda sunt circà dicta SS. PATRUM in illo frequentissimè collecta.

TITULUS. IV.

De Fontibus hodierni JURIS CANONICI.

JAm dictum est, Jus Canonicum considerari posse quoad materiam, vel quoad formam: Utroque modo consideratum suos habet fontes cognitu necessarios. Distinguimus autem hìc Jus Hodiernum Canonicum à Primitivo, quia istud constabat tantùm Canonibus, Decretisve Conciliorum, eique plura alia accesserunt, quibus etiam coalescit Jus Hodiernum: præterea primitivi Juris alius ordo seu forma quàm Hodierni; in illo etenim solus ordo Temporum servabatur: in Hodierno verò servatur etiam ordo materiarum: Sunt quoque aliæ distinctiones inter utrumque, quas notare necesse est; Nam vetustissimæ Collectiones Canonum, alias non habuêre, ex quibus derivari potuerint, sive in illis servatus fuerit ordo Temporis, sive ordo Materiarum; aliæ verò habuerunt, indèque istæ habere potuêre fontes, quoad formam, illæ verò non potuêre, primum in unoquoque genere cæterorum exemplar est: Hodiernum Jus ex omnibus anterioribus Collectionibus conflatum est: cæteræ ergo illius fontes sunt; ideòque investigandum, qui sint illi fontes, ut iis cognitis, quæ illud spectant: plenius cognoscantur.

His præmissis asserendum, 1. *Fontes Hodierni Juris* considerari *quoad materiam*, non alios esse, quàm *Scripturam Sacram, Concilia, Summorum Pontificum Rescripta Constitutionesque, Patrum Opera*, necnon aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum, *Episcoporum Statuta*, sive in Synodis suis, sive extrà condita, *Leges Sæculares* & *Consuetudines*.

Scriptura sacra, Juris est fons quoad Fidem & Mores, & quoad necessitatem, utilitatem, & formam Conciliorum; fit enim mentio in Actibus Apostolorum quatuor Conciliorum ab Apostolis celebratorum & à LABBÆO collectorum initio primi Tomi suæ Collectionis, in quorum *Primo* facta est electio Sancti Matthiæ in locum Judæ *c. 1. huius Lib. Secundum*, quod de electione Diaconorum egit. *cap. 6. Tertium*, quod omnium celeberrimum, atque Conciliorum Generalium forma fuit, & esse debet, quodque definivit Gentes ad Fidem conversas ad servandam Mosis Legem adstringendas non esse, sufficereque, ut ab immolatis Idolis, suffocatis & à fornicatione abstinerent: hujus Concilii historia refertur *cap. 15. Act.* *Quartum* desumitur è *cap 21. ejusdem Libri* & in eo declaratum dicitur, licitum esse Judæis conversis, uti cum Fide & Sacramentis novi Testamenti, etiam Circumcisione & aliis Cærimoniis & Sacrificiis Veteris Testamenti, quandiù Templum & Sacrificia Legis in Jerusalem stabant; idque, ut Synagoga cum honore sepeliretur. Cætera videsis apud LABBÆUM *loco citato*, ubi etiam de aliis duabus Synodis Apostolorum, de quibus nihil certum habemus. Hæc obiter de Conciliis hujusmodi, de quibus fusiùs, datâ occasione, locuturi sumus, præsertim de Tertio.

Post Scripturam Sacram, præcipuus hodierni Juris Canonici fons sunt Concilia Generalia, de quibus seorsim & fusè infrà agetur; horum enim Definitiones, quoad Fidem & Mores, censentur ejusdem autoritatis ac ea, quæ

quæ quoad hoc habentur in Scriptura. Concilia Particularia numero longè superiora, at autoritate inferiora, innumeros subministrant Canones, undè fons uberior Juris Hodierni. Idem dicendum, quoad abundantiam, de Rescriptis Pontificum. De cæteris fontibus, pauciores licet, plurimi tamen Canones hausti sunt: de singulis sermo erit prout poscit illorum dignitas, utilitasque; quo loco, quo ordine, quo modo indicabit Index Titulorum. Hæc paucis, de Fontibus Juris Canonici Hodierni quoad materiam.

Afferendum 2. *Fontes illius Juris quoad formam* tot esse quot sunt Collectiones Canonum anteriores illi, quæ vocari solet Corpus Juris Canonici, incipiendo à *Collectione Canonum* APOSTOLORUM, de quâ fusè in Conjecturis circà illorum originem, illorumque Collationem, cum Canonibus Conciliorum quatuor priorum Sæculorum usque ad Collectionem IVONIS CARNOTENSIS, quæ immediatè præcessit Collectionem GRATIANI hujus Corporis Primam. Præcipuæ sunt *Codex Ecclesiæ Universæ à* JUSTELLO *editus*; *Codex duplex* DIONYSII EXIGUI, quorum alter continet *Canones Conciliorum quinque Priorum Sæculorum*, alter *Decreta Pontificum eorumdem Sæculorum*; *Codex Africanæ Ecclesiæ*; *Codex Ecclesiæ Romanæ* à QUESNELLO editus; *Collectio* MARTINI BRACCARENSIS; *Collectio* ISIDORI tàm falsi, quàm veri; *Capitularia* REGUM FRANCORUM; *Collectio* REGINONIS; *Collectio* BURCHARDI Episcopi Wormatiensis. *Collectiones quinque Decretalium* quibus refusis, constat Collectio GREGORII IX.

De his omnibus, aliisque alicujus nominis, agetur in Comparatione Collectionum, quæ in Corpore Juris Hodierni continentur inter se, & cum Collectionibus aliis, tàm Orientalibus, quàm Occidentalibus; in quâ conferetur etiam Corpus Juris Ecclesiæ Græcæ à BEVEREGIO editum, cum Corpore Juris Ecclesiæ Latinæ. De Codice Ecclesiæ Affricanæ nonnihil dabitur, ob affinitatem Disciplinæ Ecclesiæ Gallicanæ cum Disciplinâ illius Ecclesiæ.

TITULUS V.

Regulæ circà SANCTORUM PATRUM SCRIPTA *è Jure Canonico collectæ.*

COmplures Ecclesiæ Leges ex SANCTIS PATRIBUS desumptæ sunt, ac etiam desumi possunt. Videndum est, quid circà SANCTORUM PATRUM Scripta Canon doceat, & inter alia, 1. An aliquorum Doctorum Scripta expresè approbet, & quorum? 2. An Aliorum Scripta confusè tantùm probet, & quorum? 3. Quam autoritatem Scriptis Patrum tribuat; 4. An aliquem eorum aliis præferat? 5. An Summos Pontifices inter Sanctos Patres collocet? 6. An Patrum loca inter Canones relata vim suam à Canone habeant?

Hinc enim patebit non solùm, quanti faciendi sint Patres, sed etiam quo jure Ecclesiæ Leges ex eorum Scriptis desumantur: quod utrumque nosse multùm refert.

§. I.

An Canon aliquorum Scripta Doctorum expresè approbet, & quorum?

REGULA PRIMA.

Non paucorum Scripta Doctorum Canon expresè approbat. Patebit Regula ex sequenti, in quâ Doctores isti enumerabuntur.

REGULA SECUNDA.

Non aliorum Scripta expresè probat Canon, quàm istorum.

1. Beati CYPRIANI Martyris & Carthaginensis Episcopi: 2. Beati ATHANASII Alexandrini Episcopi. 3. Beati GREGORII Nazianzeni Episcopi. 4. Beati BASILII Cappadociæ Episcopi. 5. Beati JOANNIS Constantinopolitani Episcopi. 6. HILARII Pictavensis Episcopi. 7. Beati AUGUSTINI Hipponensis Episcopi. 8. Beati AMBROSII Mediolanensis Episcopi. 9. Beati HIERONYMI Presbyteri. 10. PROSPERI Viri Religiosissimi. 11. Epistolam Beati LEONIS ad FLAVIANUM Constantinopolitanum Episcopum destinatam, cujus textùm aut unum iota, si quisquam idiota disputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter acceperit, Anathema sit. 12. RUFINI & ORIGENIS quæ Beatus Hieronymus non repudiat. 13. OROSII Viri eruditissimi. 14. Venerabilis Viri SEDULII. 15. VINCENTII. 16. EUSEBII Cæsarienſis cum quâdam restrictione. 17. BEATI CYRILLI opera à Quinto Concilio Generali recepta. 18. Sancti ISIDORI.

Nota circà citatum DIST. XV. Canonem, 1. ex illo patere Quinto Sæculo, quo vivebat GELASIUS è quo desumptus est, Sanctos *Beatorum* nomine donari consuevisse. 2. Doctores, quorum Scripta probantur à n. 2. ad 9. inclusivè esse eos, qui Ecclesiæ Patres præcipuè appellantur, quorum quatuor priores ad Ecclesiam Græcam, sive Orientalem, quatuor verò sequentes ad Latinam sive Occidentalem pertinent.

3. Ex hac fortè approbatione à GELASIO his Doctoribus conjunctim datâ, totque Sæculis probatâ, sicut ex eorum merito talem illis honorem tributum esse, ut præ aliis Ecclesiæ Patres vocitentur; hinc etiam factum, ut Latinorum Patrum Festa sub duplici officio celebrentur. *c. 1. de Reliquiis &c. in VI.*

4. Horum octo Doctorum Opera ab Hæreticis, qui quatuor priorum Sæculorum Doctrinam admittunt, esse recipienda, cùm ad quartum Sæculum maximè pertineant.

5. Variantes Lectiones circà hunc Canonem notatas etiam à Correctoribus Romanis, quæ tot & tales sunt, ut Originale vix distingui possit, juxtà VAN ESPEN in illum, non respicere Opera prædictorum Patrum.

§. II.

An aliquorum Scripta Doctorum confusè tantùm probet JUS CANONICUM, *& quorum?*

REGULA PRIMA.

Non uno in loco plurimorum Scripta Doctorum confusè tantùm probat Jus Canonicum.

Patebit ex sequenti, ubi Doctores illi in genere recensebuntur, Jurisque loca, quæ illorum Scripta generatim probant, citabuntur.

REGULA SECUNDA.

Non aliorum Scripta Doctorum in Jure Canonico confusè tantùm probantur, quàm istorum.

1. Omnium Patrum Orthodoxorum, qui in nullo à Sanctæ Romanæ Ecclesiæ consortio deviaverunt, nec ab ejus fideli Prædicatione sejuncti sunt, sed communionis ipsius, gratiâ Dei, usque ad ultimum diem vitæ suæ participes fuerunt. *c. 3.* DIST. XV. §. *item opus & tractatus.*

2. Omnium, quos B. Hieronymus partim approbat, dùm in aliquibus tantùm reprehendit. *ibid.* §. *item Rufinus.*

3. Omnium, quos Veneranda quinque priora Concilia venerantur: *c. 2. E. D. ex Sancto Gregorio Papa.*

4. Omnium Sanctorum Doctorum, Hieronymo, Augustino & Isidoro similium *c. 1.* DIST. XX.

Hæc autem approbatio Generalis restringenda ad res, de quibus loquuntur Canones à quibus datur; verba enim juxtà subjectam materiam interpretanda sunt.

Pontifi-

De tacitâ approbatione his Scriptis datâ, dùm Ecclesiæ Leges ex illis desumptæ sunt, non loquimur, quia hæc electa ad hoc loca solùm respicit; nec proindè de illâ, quam à Conciliis vel à Sacris Pontificibus acceperunt, dùm ex iisdem Scriptis Concilia, Summive Pontifices suas hauserunt Definitiones, laudatis vel non laudatis Autoribus, cùm approbatio ista ad loca, quibus prædictæ firmantur Definitiones, restringatur.

§. III.

Quam Sanctorum Patrum *Scriptis* Jus Canonicum *autoritatem tribuat.*

REGULA PRIMA.

Sanctorum Patrum Scriptis infallibilem autoritatem non tribuit excepta B. Leonis ad Flavianum Epistola.

Prima pars Regulæ patet ex *C.* 3. 4. 5. 8. 9. 10. Dist. IX. in quibus Augustinus Doctorum Scripta cum Scripturâ Sacrâ comparans, expressè docet, non licere dubitare de his, quæ Scriptura tradit, de aliorum verò Doctrinâ vel Dictis quibuscumque licere; Scripturæ subjiciendam esse mentem propter solam ipsius autoritatem, quia errare non potest, aliorum verò Scriptis, vel propter Scripturam, vel Canonicas, vel probabiles rationes, quibus innituntur.

Secunda constat ex *C.* 3. Dist. XV. in quo Gelasius anathemate ferit, qui totam hanc Epistolam non acceperint; hæc autem exceptio Regulam confirmat; dùm enim Gelasius SS. Patrum Scripta recipienda recensens, soli Epistolæ inter illa annumeratæ honorem hunc tribuit, satis indicat, aliis Scriptis non convenire.

Nec obstat *C.* 1. Dist. XX. ubi Leo IV. dicit Fidem circà Apostolica & quatuor Evangelia inutiliter ad Salutem retineri & credi, si Scripta SS. Patrum indifferenter non recipiantur; nam loquitur de his Patrum locis, quæ ab Universali Ecclesiâ jam probata erant, quæque inter Canones collocata erant, restringit siquidem quod dicit ad ea, quæ Canonum nomine circumferuntur.

REGULA SECUNDA.

In Ecclesiasticis judiciis minorem habent autoritatem SS. Patrum Scripta, quàm Apostolorum Canones, Concilia ab Universâ Ecclesiâ recepta, & Romanorum Pontificum Decreta.

Patet Regula ex *C.* 1. Dist. XX. ubi Leo IV. id expressè docet.

§. IV.

An aliquem ex Patribus *aliis* Jus Canonicum *præferat.*

REGULA.

Nonnullis in locis, è Patribus aliqui aliis à Jure Canonico, quodammodò præferuntur.

Patet Regula ex *C.* 3. Dist. XV. Ibi enim præferri videntur, qui nominatim approbantur, iis, qui in genere tantùm recipi declarantur: præterea *ibid.* S. Hieronymus *Beatissimus* nuncupatur, alii verò *Beati* tantùm vocantur: ad hæc de solo Hieronymo dicit ibidem Gelasius, se de Rufino, aliisque, quos S. Hieronymus reprehendit, idem sentire, quod Hieronymus; sequè de Origene repudiare, quæ Hieronymus repudiat..... Patet etiam ex *C.* 1. Dist. XX. in quo S. Augustinus, S. Hieronymus, & S. Isidorus præcipui nominantur, alii verò sub generali verbo comprehenduntur.

§. V.

An Summos Pontifices *inter SS.* Patres *Jus Canonicum collocet.*

REGULA.

Summos Pontifices inter SS. Patres Jus Canonicum quandòque recenset; illos ab istis quandòque secernit.

Prima Pars patet ex *C.* 3. Dist. XV. in quo Gelasius recensens SS. Patrum Opera, quæ in Ecclesiâ Catholicâ recipiuntur, meminit Epistolæ S. Leonis Papæ ad Flavianum &c. meminit etiam omnium Prædecessorum suorum Epistolarum Decretalium pro diversorum Consultatione datarum.

Patet Secunda Pars ex *C.* 1. Dist. XX. in quo Leo IV. docens in Judiciis Ecclesiasticis non utendum Dictis Sanctorum Doctorum, quales Hieronymus, Augustinus &c. nisi cùm deficiunt Canones Conciliorum vel Præsulum Romanorum Decreta, Summos Pontifices à SS. Patribus à parte secernit; cùm illis distinctum & potiorem locum assignet.

Ratio discriminis; Summi Pontifices, qui scripsêre, considerari possunt, ut Ecclesiæ Doctores, & ut Controversiarum Judices: 1. Modo spectati, inter Patres collocari possunt, quia eo nomine Ecclesiæ Doctores intelliguntur: 2. Verò modo considerati, à Sanctis Patribus secerni possunt, quia præter Scientiæ Clavem, quæ in Doctoribus, sicut in Pontificibus, reperitur, authoritatis Clavem habent Pontifices, quæ in DD. desideratur. Gelasius ergò 1. modo Summos Pontifices consideravit; Leo IV. 2. modo illos spectavit.

§. VI.

An Sanctorum Patrum *loca inter Canones relata, vim suam à Canone habeant.*

REGULA.

Sanctorum Patrum loca inter Canones relata, dùm vim à Canone habent, non omnem ab eo hauriunt.

Tres sunt hujus Regulæ Partes.

1. Quòd quandòque hæc loca nullam vim à Canone accipiant:

2. Quòd quandòque ab eo vim accipiant.

3. Quòd, quandò vim ab eo accipiunt, non omnem indè accipiant.

Prima patet ex eo, quòd sint SS. Patrum loca inter Canones relata à non habentibus condendi Leges potestatem, qualis v. g. Gratianus; hæc autem loca, ut alibi dictum, non majorem habent vim, quàm si inter Canones non referrentur.

Secunda patet ex eo, quòd inter Canones, SS. Patrum loca quædam referantur ab habentibus potestatem Leges condendi; quales sunt Episcopi & præcipuè Summi Pontifices: atqui loca ista vim Legis habent, eamque à Canone hauriunt: talia sunt, v. g. quæ in Decretalibus leguntur.

Tertia patet ex eo, quòd præter vim Legis à Canone acceptam, quæ est authoritas publica, aliam habere possunt à Doctrinâ & Pietate illorum, è quibus desumuntur, nec non ex solido, cui innituntur, fundamento, quale est Scriptura Sacra, ratio Canonica, vel probabilis. *C.* 5. Dist. IX.

TITULUS VI.

De Verborum Juris Canonici *significatione.*

Verba, quibus Jus Canonicum utitur, considerari possunt, vel in genere, vel in particulari; Si 1. modo considerantur, quæri potest, quid in genere doceat

doceat Canon circà Verborum interpretationem; si 2. spectentur modo, quæri potest, quæ Verba, quas Locutiones interpretetur Canon: Locutiones Verbis junguntur, tùm quia Verbis componuntur, tùm quia quædam in Canone exponuntur: Idcircò quæ de Verbis hìc dicenda sunt in duos §. dividentur.

Sed priùs notandum, inter ea, quæ sub hoc Titulo collocabuntur, tantam connexionem esse cum illis, quæ circà Rescriptorum, Privilegiorum, Contractuum interpretationem suis locis colligentur, ut quæ hìc deesse videbuntur, absque ulla temporis jacturâ, indictis locis, quæri, invenirique possint.

Notandum quoque cum GONZALEZ in *C. 6. de Donat. inter* 11. 12. *&c.* Studium Verborum Juris, maximi momenti esse ad Sapientiam Juris comparandam; ea enim non tam in tacito intellectu naturæ, aut intentione Legislatoris, quàm in Verbis Legum continetur.

§. I.

Quid doceat JUS CANONICUM *circà Verba in genere sumpta.*

REGULA.

Non alia docet Jus Canonicum circà Verba in genere, quàm ista.

1. Verba interpretanda sunt, ut communiter intelliguntur. *C. 7. de Sponsal.*

2. Intelligentia Dictorum ex dicendis Causis sumenda est: Non res Sermoni, sed Sermo rei servit, *C. 6. de Verb. Signif.*

3. Sermonis interpretatio non ex verbo ad verbum, sed ex sensu ad sensum fieri debet; dùm enim Verborum proprietas attenditur, Veritatis sensus amittitur. *C. 8. eod. T.*

4. Non Verba, sed Intentionem proferentis considerare debemus, cùm non Intentio Verbis, sed Verba Intentioni debeant deservire. *C. 15. de Verb. Sig. C. 41. de Appell.*

5. Non obest varius modus dicendi, narrandique diversitas, ubi idem in substantia asseritur. *C. 7. de Verb. Sig.*

6. Pluralis Locutio non semper infert suas singulares partes, numerumque pluralem; sed quandòque de uno in communi & in genere exponi debet. *C. 24. de Privil.*

7. Verba, quibus Principis Beneficium exprimitur, sunt legitimè interpretanda, quantùm patitur illorum communis acceptio, cui adhærendum. *C. 16. de Verb. Sig.* FAGN. *in illud n. 41.*

8. Pluralis Locutio duorum numero est contenta. *C. 40. de Reg. Juris in VI.*

9. In Obscuris inspiciendum quod est verisimilius, vel quod plerùmque fieri consuevit. *C. 45. ibid.*

10. Verba eo sunt interpretanda modo, ut res magis valeant, quàm pereant. *C. 1. de Fide Instrum. C. 25. de Verb. Sig.*

11. In Ambitiosis stricta fieri debet interpretatio. *C. 1. de Tit. Præb. in VI. C. 21. de Præb. in VI. C. 3. de Offic. Ordin. in VI.*

12. In Dubiis benigna facienda est interpretatio; qualis quæ obscurè jurantis verba ita explicet, ut juramentum consonet cum Canonicis Institutis; qualis etiam quâ fit, ne ex Viri Prudentis verbis aliquid absurdi sequatur *C. 2. de Jurejur. C. 3. de Verb. Sig. in VI. §. & dato.*

13. Natura termini restrictivi habet, quòd sic excludat extranea, ut cuncta ad ipsum pertinentia includat. *Clem. 1. de Verb. Signif. §. Cùm autem.*

14. Quod de uno (id est de unâ Generis parte) negatur, consequens intellectus patet, quòd de quibusdam aliis conceditur. *C. 4.* DIST. XXV.

15. In connexis quod de uno dicitur necesse est, ut de altero intelligatur. *C. 3. de Constitut.*

16. Constitutionis Particularis Verba secundùm Jus Commune interpretanda sunt, nisi aliundè pateat gratiam impertiri Constituentem voluisse; hinc cùm constituitur, ut Episcopo solvatur tertia Pars eorum, quæ Ecclesiæ legantur, excipienda sunt ex iis Legatis quæ Jure Comuui excipiuntur.

17. Porro Regula dari potest, quòd quoties in Regulis juris, hæc vox, *Fides*, adhibetur, de bonâ, vel malâ Conscientiâ intelligenda est, vel de Fidelitate; sed ut plurimùm de Conscientiâ, rarissimè Fides hìc sumitur pro Fidelitate *R. 75. in VI.* Unicum exemplum hujus rei continere videtur *C. 31. de Verb. Sig.*

§. II.

Quæ Verba, quasque Locutiones JUS CANONICUM *interpretatur.*

REGULA.

Non alia circà hunc §. leguntur in Jure Canonico, quàm ista.

1. Nomen *Sanctitas*, dabatur olim Episcopis ab ipsomet summo Pontifice. *C. 52. C. 102.* CAUS. II. QUÆST. III.

2. Idem de nomine, *Beatitudo.*

Hinc Antiqui Canones, in quibus alterutrum Nomen datur iis, quibus Sermo dirigitur, non sunt eapropter de Summo Pontifice interpretandi *C. 102. mox cit.*

3. De appellatione Clericorum, Presbyteri & Diaconi intelliguntur. *C. 38.* CAUS. II. QUÆST. I.

4. Nomen, *Pater*, Avos & Proavos comprehendit. *C. 2. de Verb. Sig.*

5. Decedens ubi natus est, habetur ut non natus. *C. 3. de Verb. Sig.*

6. *Antequàm*, *donec*, Præcedentia, non Subsequentia includunt. *C. 4. eod. Tit.*

7. *Primogenitus* dicitur, is qui primò nascitur, etsi alius post illum natus non sit. *C. 5. eod. Tit.*

8. *Præpositus* dicitur is, qui quamdam Prioratûs curam gerit suprà alios: *C. 9. eod. Tit.*

9. Pronunciari potest Diffinitiva Sententia, his verbis: *Statuo*, *Præcipio.* Quod ita fiat sicut & istis: *Condemno: Absolvo. C. 15. eod. Tit.*

10. Hæc vox, *Vix*; non tàm negat quid fieri, quàm difficulter fieri affirmat. *C. 2. de Cognat. Spirit. in VI.*

11. *Evidens.*, *Notorium* & *Manifestum* sunt sinonyma, idemque significant. *C. 31. de Elect. in VI. C. 2. de Verb. Sig. in E. L.*

12. Per *Negotia* generaliter sumpta, intelliguntur negotia Extrà-judicialia & Judicialia. *C. 5. de Procuratorib. in VI.*

13. Quos Papa recipit in Filios speciales, non ideò eos ab Ordinario eximit. *C. 1. de Verb. Sig. in E. L.*

14. *Desertus*, locus est, qui nec penitùs habitatus, nec cultus, vel ultrà Hominum memoriam. *ibid.*

15. Statuentes non recipere Mandatarium Apostolicum, aliumve similem, *Conspiratores* dici possunt. *C. 2. de Verb. Sig. in VI.*

16. Per *Cellas* intelligi possunt loca secreta, & solitaria, quæ ab Hominum convictu separata, ad contemplandum, Deoque vacandum sunt deputata. *C. 4. eod. Tit. & L.*

17. Quandò alicui indulgetur, ut suorum Clericorum Beneficia conferre possit, id de Clericis verè Domesticis, Familiaribus, Commensalibus intelligendum est. *Cap. ult. eod. T. & L.*

18. Nomen *Censuræ* Excommunicationem, Suspensionem, Interdictum comprehendit. *C. 20. de Verb. Signif.*

19. *Mani-*

19. *Manifestum* est, quod confirmatione vel probatione legitimâ, vel rei evidentia, quæ nullam patitur tergiversationem notum est. *C.* 24. *E. T.*

20. Hæc vox, *Moderari*, diminuere significat. *C. ult. Eod. Tit.*

21. Nomine, *Damnorum*, expensæ non comprehenduntur. *C.* 8. *de Injuriis.*

22. Quandò in privilegiis excipitur jus *Matricis Ecclesiæ*; per Matricem Ecclesiam, Cathedralis, non Romana intelligenda est. *C.* 22. *de Verb. sig.*

23. Si sententia de re aliqua dicat, eam in statum, in quo tempore motæ litis erat, restituendam, referendum id est, ad tempus, quo litis contestatio facta fuit. *C.* 30. *de Verb. signif.*

24. Vox hæc, *Excommunico*, sine additione ullâ posita, de majori Excommunicatione intelligenda est. *C.* 59. *de Sent. Excom.*

25. In Confirmatione alicujus Compositionis ex certâ Scientiâ factâ, hæc clausula (*sicut sine pravitate facta est*) non conditionaliter, sed causativè sumitur, id est non exprimit conditionem, sub quâ fit Confirmatio, sed causam, propter quam fit. *C.* 8. *de Confirm.*

26. Nomine *Interdicti Generalis*, non solùm intelligitur illud, quo Regnum vel Provincia, sed etiam illud, quo Villa vel Castrum interdicitur. *C.* 17. *de Verb. sig.*

27. *Novale* est ager de novo ad cultum redactus, de quo non extat memoria, quòd aliquandò cultus fuisset. *C.* 21. *de Verb. sig.*

28. Per *Ecclesiam*, *Diœcesis* nomen ferentem, intelligitur Capitulum, saltem si agatur de juramento, quo Ecclesiæ isti se quis adstringit, aliove se obligat modo: undè jurans Ecclesiæ Parisiensi se obedituram, Capitulo Ecclesiæ Cathedralis hujus Diœcesis se obligat. *C.* 19. *ibid.*

29. *Oblationis* nomine intelligendum est quidquid Ecclesiæ offertur, quocumque modo vel loco id offeratur, atque ita interpretanda est vox ista in assignandâ Oblationum portione iis, quibus certa illarum Pars debetur. *C.* 29. *ibid.*

30. In re favorabili, *Beneficii* nomine, nedùm minora, sed & majora comprehunduntur Beneficia. *C.* 32. *de Verb. sig.*

31. Clausula hæc (*Salvâ justitiâ*) quæ inseri solebat in Indultis permittentibus, Parochianos sepulturam extrà Parochiam recipere, quâque Parocho reservatur Portio ex emolumentis sepulturæ, interpretanda juxtà Locorum Consuetudinem plùs minùsque concedentem. *C.* 9. *de Sepult.*

32. In quâcunque dispositione verba accipienda cum effectu. *C.* 4. *de Cler. non resid.*

In colligendis iis, quæ Verborum significationem spectant, consultò omissa sunt, quæ sub hoc Titulo, nec non sub aliis, circà illorum Chronologiam habentur; idque quia hæc respicit tantùm nomina, non illorum significata: hîc autem agitur de rebus significatis, non de nominibus illarum, ipsorumque origine.

Prætermisimus etiam, quàm plura circà explicationem Clausularum, quarum intelligentia multùm pendet ex speciali materia, ad quam pertinent, quia suo loco utiliùs congruentiùsque explanabuntur.

TITULUS VII.

Observationes circà ipsas Juris Canonici *Regulas.*

Ut sunt in Philosophiâ & Theologiâ Axiomata; ut sunt in Medicinâ Aphorismi, quibus plurimæ circà has scientias Quæstiones deciduntur, quæ ideò accuratiùs docentur & discuntur; ita sunt in Jure Canonico quædam Regulæ, quibus varia hujus Juris dubia resolvuntur, quæque idcircò à Chassanæo Juris Axiomata vocantur *Enchiridion n.* 480. Cognitâ ergò & maturè perpensâ illarum necessitate ac utilitate, hîc omnes pro posse non tamen sine delectu colligentur, eoque ordine, quo faciliùs & intelligentur & retinebuntur, præmissis tamen nonnullis circà illas scitu necessariis.

Nota ergo 1. ex omnibus Juris Canonici Collectoribus solùm Bernardum Papiæ Præpositum & Bonifacium VIII. Regulas Juris collegisse: Bernardi Regulas Mores tantùm respicere; Bonifacii verò Regulas quamlibet Juris Materiam spectare, eumque imitatum esse Martianum, Ulpianum, Caium, Paulum, aliosque, è quorum Libris Regulas Juris continentibus Tribonianus ultimum Titulum Digestorum *de Diversis Antiqui Juris Regulis* inscriptum composuit, confecitque.

Nota 2. circà illarum originem, duplex Regularum Juris genus esse, alias nempe, quibus Juris Autores Decisiones, vel Constitutiones suas firmarunt, istasque considerandas ut Juris Principia; alias verò, quæ ex Constitutionibus vel Decisionibus Juris Conditorum collectæ sunt, istasque spectandas esse ut Juris consequentias: Utramque Regularum acceptionem notat & probat Canis. *init. Comment. in Regulas VI.* jam verò Glossa connectens Tit. de Regulis Juris cum præcedentibus docet, Regulas Juris esse Principia, quibus decidi possunt Casus, qui non sunt expressè vel specialiter in Jure decisi.

3. Juris Compilatores 2. modo Juris Regulas consideràsse, ideòque in postremo Collectionum suarum loco illas collocasse.

4. Nos illas hîc primo modo spectare, tùm quia sunt Juris consequentiæ, ab ipsis Juris Conditoribus nonnunquàm ad decidendum usurpatæ, ut patebit percurrere volenti Capita suo loco citanda; tùm quia jamdiù ad Decisiones, tamquàm Leges adhibentur, ideòque Juris Principiis nos illas attexere non immeritò; Basilicon Collectorum exemplum sequentes, qui Juris Civilis Regulas inter Præcipuas hujusce Juris Partes collocarunt. *L.* 2. *Tit.* 3.

5. Illarum Regularum quasdam, ad quamvis Juris Materiam extendi, alias verò vel Mores vel Judicia, vel Beneficia præcipuè respicere: Idcircò Juris Regulas dividi posse in *Communes* & in *Particulares*; istas verò subdividi in *Morales*, *Judiciales* & *Beneficiales*; *Morales* etiam subdividi posse in *Præceptorias*, *Permissorias*, & *Prohibitorias*; quia omnia, quæ Mores tangunt, vel sunt præcepta, vel permissa, vel prohibita; has autem Divisiones nos secuturos, ut tractandæ Materiæ congruentiores.

6. Circà nomen, Regulam dici, ex eo quòd rectè ducat, nec quemquam aliorsùm trahat, vel quod rectè regat: Circà rem hoc nomine significatam, Regulam esse brevem Juris sententiam, uno quasi verbo res aliquas decidentem.

Postremò nota, plurimas Juris Canonici Regulas è Jure Civili esse desumptas, multas quoque prioris generis magnam inter se habere connexionem, cujus monebitur Lector aliarum in aliis citatione.

Caput Primum.

De Communibus Juris Regulis.

Observatio.

Non aliæ in Jure Canonico *leguntur Communes* Juris Regulæ, *quàm quæ sequuntur.*

1. Ex post facto nequit convalescere, quod ab initio non valebat; vel quod ab initio non valuit, tractu Temporis convalescere non potest.

Ex his duabus Regulis una fit, quia ad idem reducuntur; nempè quòd res in se irrita, rata fieri nequeat per id, quod subsequitur, nisi interveniat Superioris autho-

authoritas, quæ his in Regulis excepta censenda est. *C. 29. de Elect. C. 18. de Reg. Jur. in* VI. *C. 29. 210. ff. de Reg. Jur. R. 8. & 24. hujus Tit.*

Hæc Regula in Contractibus, Judiciis, in Provisionibus ad Beneficia, in Emissione Votorum, in Electionibus ad quasvis Dignitates, locum habet.

Videtur Regula adversari iis Legibus, quæ volunt, ut Actus, irriti ex defectu consensûs eorum, quorum interest, firmi fiant, si posteà eorumdem consensus superveniat, sicut in his, quæ metu fiunt, & in Electione, Præsentatione, Collatione factis spreto Patrono vel Compatrono, vel Electionibus quibusdam; sed non adversatur, quia illi Actus irriti non sunt, sed irritandi conquerente læso vel non vocato.

REGULÆ RATIO: Juris defectus suppleri nequit nisi à Legis Conditore.

II. Qui per alium facit, per seipsum facere videtur.

C. 30. de Elect. C. 72. de Jure in VI.

REGULÆ RATIO: Is, per quem quid facio, meipsum representare valet: Hæc Regula in quâvis aliâ actione, quàm personali, valet: qualis omnium ferè est Sacrarum rerum receptio, quorumdam confectio, nec non & administratio.

Hinc sequitur posse quem per alium, quod potest perseipsum. *C. 68. de Reg. Jur. in* VI.

III. Non facit injuriam, qui utitur jure suo.

C. 31. de Elect. L. 155. ff. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO: Ut fiat injuria, alienum jus est tollendum; Utens autem jure meo alienum non tollo; & si tibi noceo, id non intendo, sed solam juris mei fruitionem.

Semper vera est hæc Regula in foro exteriori, sed quandòque falsa in foro interiori; in isto enim abstinere debeo ab actione aliundè mihi licitâ, si sit Infirmis scandalo. 1. CORINTH. VIII.

IV. Privilegium meretur amittere, qui permissâ abutitur potestate.

C. 34. de Elect. C. 11. de Decimis, ut est in Collectione GRAT. *C. 18. de Regularit. C. 6.* DIST. LXXIV. *R. 45.*

Extendi potest hæc Regula ad quamcumque rem, quâ quis abutitur.

REGULÆ RATIO: Aliquâ re abutens fit eâ indignus.

V. Quod statutum fuit ad pœnam, non debet trahi ad gratiam.

C. 2. de Translatione.

Vera est hæc Regula non solùm circà eumdem, sed etiam ergà diversos; ità ut sensus sit, quod statutum ad pœnam unius, ad alterius gratiam non sit trahendum; RATIO est, quòd in statuendis pœnis attenditur Reorum punitio, non honor pœnas exequentis; in concedendis verò gratiis respicitur non solùm commodum ejus, cui conceduntur, sed etiam honor illius, cui datur gratias vel concedendi, vel exequendi, Potestas.

VI. Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.

C. 7. de Offic. Archid. C. 29. de Reg. Jur. in VI. *Reg. 83.*

Dùm de damno & de Juris Communis jacturâ, vel de diminutione agitur, vera est Regula juxtà vim omnem terminorum.

Dùm de aliis agitur, non est eo modo vera; sufficit enim majoris Partis consensus, quæ Pars hac voce omnibus intelligitur, sive ii, quorum est Jus Commune, interveniant ut Singuli, sive ut Universi.

Fundamentum *Reg.* est *C. 56.* VI. ut *num. 83. hoc Tit.* dictum est.

VII. Mendax Precator carere debet impetratis.

C. 15. de Rescript.

REGULÆ RATIO: Habetur in Regulis circà Mores prohibitoriis. *N. 1. 2. 4.* Ad Mores extendi potest, quia quisquis mendacium punit, odisse facit.

VIII. Quod defectu consensûs vel libertatis ab initio non valet, ratihabitione validum fit.

C. 1. de Iis, quæ vi metuve.

Respicit hæc Regula omnem materiam, quæ consensum, requirit, qualis est omnis actio, quæ novam inducit obligationem.

REGULÆ RATIO: Ratihabitio desideratum consensum supplet.

IX. Privatorum pacto Juri Publico derogari non potest.

C. de For. Compet. L. 45. ff. de Reg. Jur.

Regula illa alii Regulæ videtur contraria; nempè isti, *liberum est cuique juri suo renuntiare*, de quâ *C. 6. de Priv. C. ult. de Crimin. falsi*; sed non est, ut patebit ex mox dicendis.

RATIO REGULÆ est; Jus Publicum est vinculum publicum, quod solvi non potest, nisi authoritate publicâ, qualis non est ea, quâ fit pactum Privatorum; est enim tantùm privata; Præterea Jus Publicum, bonum publicum respicit, Privatorum pactum privatum tantùm bonum tangit; ideòque sicut bonum istud illi cedere debet, ità & Privatorum pactum Juri publico; hinc quotiès bonum privatum bono publico conjunctum est, nemo potest privato renuntiare: Undè, cùm Portio Congrua Parocho debita privatum illius bonum, nec non & publicum, totius Parochiæ, imò totius Parochorum Corporis bonum tangat, nullus Parochus Congruæ Portioni renuntiare validè potest.

INNOCENTIUS III. *in cit. C.* utitur hac Regulâ ad probandum, quòd Clericus renuntiare nequeat privilegio fori; hæc applicatio non placet CUJACIO, eamque impugnat; placet verò GONZALEZ suamque tuetur Uterque in Commentariis in hoc Caput.

X. Res inter alios acta, mihi præjudicare non debet.

C. 7. de Caus. poss. & propr. C. 25. de Præb. in fine. C. 6. de Fide Instrum. C. 17. de Sent. & Re Jud. C. 8. de Donationibus.

Quoad Judicia non est per omnia vera Regula hæc; Causa enim inter alios judicata simili Causæ meæ interdùm obest, quia ex judicato Judices nonnunquàm judicant.

Ad Mores quodammodò extendi potest; hinc enim inferre licet, non curandum de his, quæ inter alios occultè fiunt, quia sive cadat alius, sive stet, Domino suo cadit vel stat, & sicut non juvat stans, ita nec præjudicat cadens.

REGULÆ RATIO: Ni vera esset hæc Regula, Latissima ad vexandum me pateret Porta; possent enim alii in damnum meum conspirantes convenire. Adde quòd immeritò damnarer inauditus & indefensus.

XI. Promptiora sunt Jura ad absolvendum, quàm ad condemnandum.

C. 3. de Prob.

RATIO REGULÆ. Præstat absolvere Reum, quàm Innocentem condemnare. Extendi potest ad Mores; hinc enim docemur promptiùs in bonam, quàm in malam partem, judicandum. In foro interiori non est vera, si dubitetur, an quis peccatum diligat; hoc enim promptius est ad condemnandum, quàm absolvendum, quia nullum est periculum, si condemnetur benè dispositus, eoque modo ad majorem præparationem adstringatur, ingens verò, si malè dispositus absolvatur.

XII. Litteris Ordinarii aliquid attestantis standum est, donec probetur contrarium.

C. 7. de Probat.

REGULÆ RATIO: Ordinarius præsumendus est bonus, donec probetur malus. Extendenda est ad Notarium, aliamve similem Personam Publicam.

XIII. Quod

XIII. Quod fit contrà Legem non valet, nullamque habet roboris firmitatem.

C. 2. de Teſt. & Atteſt. C. 5. de Reg. Jur. C. 3. Caus. XXV. Quæst. II. *C. 64. de Reg. Jur. in VI.*

De Lege Humanâ duntaxat loquitur: ac videtur reſtringenda ad ea, quæ actuum ſubſtantiam tangunt, *vide Reg. 36.* Videtur quoque ad Legem Divinam extendenda, quoad eadem ſubſtantialia: Sacra ſiquidem ſunt irrita, quandò contrà Legem Divinam in ſubſtantialibus conficiuntur.

Regulæ Ratio. A Lege valorem roburque ſuum Res habent.

XIV. Actus legitimi ſunt Infamibus interdicti.

C. 47. de Teſtib. & Atteſt. R. 12. Judicial. quâ Excommunicato etſi infami, Actus Legitimus defenſionis permittitur, quia ex Jure Naturali naſcitur.

Per *Actus Legitimos*, intelliguntur Actus Civiles, qui Civibus per Leges permittuntur, quales ſunt contrahere, agere in judicio, teſtari.

Per *Infames* hîc intelliguntur, qui Jure Civium privati, Civiliter mortui habentur.

Etſi loquatur tantùm de Temporalibus, ad Spiritualia extendenda eſt: ſi enim Temporalia, quæ vilia ſunt, Infamibus non credantur, quantò minùs Spiritualia, quæ ejusdem ac Dei Sanguinis ſunt pretii, eis credenda ſunt?

Regulæ ratio: Admitti ad Actus Legitimos eſt honor à Jure conceſſus, quali indigni ſunt Infames.

XV. Res eo intelligenda eſt modo, ut magis valeat, quàm pereat.

C. 6. de Fide Inſtrum. C. 25. de Verb. Signif.

Regulæ Ratio. Facientis quid intentio eſt, ut valeat, ſuaque eſt facienti ſervanda intentio.

XVI. Quod meum eſt, ex aliâ cauſâ meum fieri nequit, niſi deſierit eſſe meum.

C. 6. de Fide Inſtrum. l. 159. ff. de Reg. Jur. Reſtringenda videtur Regula ad adquiſitionem ſtrictè ſumptam, quâ res ex non meâ fit mea; alia enim eſt acquiſitio latè accepta, quâ res mea fieret, ſi jam mea non eſſet, ideòque quodam modo fit denuò mea; v. g. Pater Filium ſuum à morte pluriès liberat, Filius acquiritur Patri, quoties ab eo liberatur à morte; juxtà hunc ſenſum ad Deum infinitiès pertinemus.

Regulæ Ratio. Per quod res mea fit, per id illius acquiro Dominium: Rei autem meæ jam ſum Dominus, ideòque cùm illius habeam Dominium, illud aliundè propriè acquirere nequeo.

XVII. Præſumitur Quis idoneus, niſi contrarium probetur.

C. ult. de Præſumpt. R. 2. Benef.

Licèt Regula hæc Particularis ſit in eo, quòd è Re Beneficiariâ deſumatur, inter Communes tamen eam collocamus, quia extendi poteſt ad Teſtes, ad Accuſatores, ad Patronos, ad Sponſos, ad Pœnitentes, ad quosvis Officiarios, quos præſumere tenemur idoneos, niſi vel examinis, aliâve viâ ineptos reperiamus. Sed ea præſumptio tanta non eſt, ut ab examine eximere debeat.

Regulæ Ratio legenda in explicatione Regulæ 8. hujus T.

XVIII. Qui ad onus eligitur, à mercede non eſt repellendus.

C. 16. de Præb. l. 10. ff. de Reg. Jur.

Regula ad iſtam VI. reducitur: *qui ſentit incommodum, ſentire debet & commodum.*

Regulæ Ratio. Præmium à merito ſine injuſtitiâ non ſejungitur.

XIX. In his, ſuper quibus Jus non invenitur expreſſum, in humaniorem partem eſt declinandum, prout Circumſtantiæ poſtulant.

C. ult. de Transact. C. 12. de Reg. Jur. l. 192. ff. de Reg. Jur.

Regula iſta XIX. illuſtratur & confirmatur ab XI. quam etiam illuſtrat & confirmat.

Omnes Superiores & Inferiores reſpicit hæc Regula; ſervanda eſt enim ipſa æquitas, quæ in benignius ſemper propendet, quoties Lex deficit: Adde quòd Hominis eſt, cùm Lex ad aliud non cogit, in alios humaniùs agere.

XX. Ceſſante Cauſâ, ceſſat Effectus.

C. 26. de Jurejur. C. 6. de Appell. C. 15. de Pœn. & Remiſſ.

Hinc, cùm non ſit malum Juramentum, niſi quia fit ſine neceſſitate, vel pro re falſâ vel injuſtâ, vel quia frequentiùs iteratur, ſi ceſſent hæ Circumſtantiæ, ceſſat Juramenti malitia; ideòque licitum erit: ſi Judex. v. gr. à quo propter gravamen inter-locutione vel comminatione illatum appellatum eſt, illud revocet, procedere poteſt, ac ſi appellatum non eſſet; Cùm peccata, ſint Cauſæ Morborum, tollenda ſunt peccata, ut ceſſent Morbi.

Loquitur Regula de effectu producendo, vel de producto, qui ad ſui conſervationem eget Cauſâ ſuâ; falſa eſt enim ergà Effectum, qui in ſui conſervatione à Cauſâ non dependet, qualis eſt omnis artis opera, quæ abſente vel moriente Artifice non perit.

Regulæ ſic expoſitæ Ratio: Effectus non eſt, nec durat, niſi Cauſæ influxu.

XXI. Delictum Pœnæ in Eccleſiæ damnum redundare non debet.

C. 6. de except. C. 3. Caus. XVI. Quæst. VI. *C. 76. de Reg. Jur. in VI.*

Regulæ Ratio. Innocens nemo puniendus eſt, at Eccleſia eo caſu ſine culpâ puniretur: Ad quodvis Corpus Morale extendi poteſt.

XXII. De Jure melior eſt conditio Poſſidentis.

C. 6. de Præſcript. C. 65. de Reg. Jur. in VI. l. 33. 126. 128. ff. de Reg. Jur.

Regulæ Ratio. Poſſeſſio legitima præſumitur, donec contrarium probetur.

Nota Alexand. III. *in Cap. 6. cit.* inſinuare, Regulam iſtam ex Jure Divino manare; quod intelligendum videtur de Jure Divino latè ſumpto, quale eſt Jus Naturale; cùm in Jure Divino ſtrictè ſumpto, quale eſt quod Juri Naturali à Deo adjunctum eſt, nil legatur Regulæ iſti favens; vel ſi quid hujusmodi habeatur, Jus Divinum à Naturali fuerit mutuatum; Quæ enim in Jure Divino præcepta ſunt, quibus melior fiat conditio Poſſidentis, niſi quæ vetant, ne temerè contrà proximum judicemus, illumque ſine cauſâ Uſurpatorem exiſtimemus? Hæc autem præcepta quid continent quod Naturalis ratio non dictet, quodque proindè à Jure Naturali non proficiſcatur?

XXIII. In eo quis puniendus eſt, in quo deliquit.

C. 42. de Appell. C. ult. de Immun. Eccleſiæ. C. 11. de Exceſſ. Præl. C. 44. de Elect. in VI. C. ultim. de tempor. Ordin. in VI.

Regulæ Ratio. Culpæ convenire debet Pœna. Res autem ità ſe habet, quandò v. g. punitur in pecuniâ, qui per pecuniam deliquit. De punitione, quæ fit in correctione, ac de illâ, quæ fit in judicio, intelligenda eſt.

XXIV. Invalidæ Rei invalida eſt Confirmatio.

C. 6. Coll. 3. de Conceſſ. Præb.

Regulæ Ratio. Confirmatio ſupponit Rem validè factam, firmari enim nequit, quod non eſt; at Res invalidè facta, eſt quaſi non facta, ideòque non eſt.

XXV. Rem alienam poſſidere non licet invito Domino.

C. 3. de Precariis.

REGULÆ RATIO. Res possideri justè nequit, nisi à Domino suo, vel cum illius consensu; rei enim Possessio ad eum pertinet, ad quem Dominium.

XXVI. Deceptis & non decipientibus jura subveniunt.

C. 8. de Rerum Permut. C. 8. de Donationibus.

REGULÆ RATIO. Justitia, cui jura innituntur, exigit, ut decipientes tanquàm Rei puniantur; decepti verò tanquàm miseri & vexati juventur.

XXVII. Res ad quemlibet cum onere suo transit.

C. 5. de Pignorib. C. 33. de Decimis.

REGULÆ RATIO: Onus rei est velut Pars illius, vel vitium inseparabiliter inhærens.

XXVIII. Non debet quis dispendium pati, undè videtur præmium meruisse.

C. 2. de Fide-jussor. C. 7. de Renunciatio.

REGULÆ RATIO. Injusta est actionis remunerandæ punitio.

XXIX. Qui gratiam meruit, non debet pœnam sustinere.

C. 5. de Fidejussorib. in Collect. 1.

Non differt à præcedenti, nisi in terminis, eadem est etiam cùm 61. Regulâ in VI. si gratiæ, de quâ ista, merito sit concessa.

XXX. In Contractibus plena, in Testamentis plenior, in Donationibus plenissima est interpretatio facienda.

C. 6. de Donationibus.

REGULÆ RATIO: Quo favorabilior res est, eò favorabiliùs est interpretanda, Donatio autem favorabilior est Testamento, Testamentum verò Contractu.

XXXI. Dignus est Operarius mercede suâ.

C. 1. de Sepult. c. 45, 56, 67. CAUS. XII. QUÆST 2.

Melior REGULÆ RATIO Christi authoritas LUC. XI. ℣. 7. illâ utentis. Eòdem recidit sequens: *Denario fraudari non debent in vineâ Domini laborantes. C. 5. de Magistr.*

XXXII. Qui fuerunt Socii Passionum, debent esse Socii Consolationum.

C. 1. de Sepult.

Si Regula justa evidenter non esset, justam ostenderet S. Pauli authoritas. 2. COR. v. 7. illam insinuantis.

XXXIII. Ubi Majus conceditur, Minus concessum esse videtur.

C. 1. CAUS. *16.* QUÆST. *2. C. 27. de Decim. L. 21. 110. 147. ff. de Reg. Jur.*

Differt tantùm hæc Regula in terminis à 53. VI. sic concepta, *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.*

REGULÆ RATIO: Plus semper in se continet, quod est minus, ut habetur *in* 35. VI. *Reg.*

Ab utraque tamen excipiendi sunt casus sequentes.

1. Si res sit odiosa. *Cap. 25. int. & C. 29. de Decimis.*

2. Est, si minus dedeceat eum, cui majus conceditur, ut dedecent Præsidis Dignitatem quæ sunt Amanuensis, aliúsve Inferioris Justitiæ Officialis.

XXXIV. Res vel substantia una & eadem diverso jure censeri non debet.

C. 10. de Decim. C. 22. de Privil.

REGULÆ RATIO: Alterutrum jus esset iniquum. Restringenda Regula ad rem sub eadem ratione consideratam. v. g. Jurisdictio in aliquo loco in genere spectata non potest ad unum pertinere ex præscriptione, ad alium verò ex alio jure; Jurisdictio verò in specie spectata Jure Communi ad me pertinere potest, ad te verò Jure præscriptionis v. g. Jurisdictio circà aliquos actus, quos jàm à XL. annis exerces. Cui debet ager Decimas antiquas Jure Communi, eidem eodem Jure debet & novas; Jure Communi idem ager nequit esse Decimalis in unâ parte, & in aliâ non Decimalis, si eosdem fructus ferat in utráque; nec debere pro unâ parte eorumdem fructuum duodecimam & pro aliâ decimam quartam. Eadem persona non potest ab Ordinarii Jurisdictione eximi, ratione Ordinis Regularis, cujus Membrum est; & eâdem ratione in eodem Capite eidem subjici.

XXXV. Potest quilibet renunciare ei, quod pro se noscitur introductum.

REGULÆ RATIO: Quilibet juris sui Dominus est, suum autem hoc est, quod pro se introductum est; Restringenda ad casus in quibus Jus Privatum cum Publico non conjungitur; undè cùm ad Bonum Publicum pertineat, ut quis antè Professionem per annum saltem probetur, non licet Novitio, nec Monasterio, annuæ probationi renunciare, etsi introducta sit in utriusque favorem.

Hinc *Concilium Tridentinum*, ex utilitate publicâ motum, talem renunciationem improbans, irritam declarat Professionem, quæ antè expletam annuam probationem, emittititur. SESS. XXV. *C.* 15. eâdem de causâ revocat licentiam aliàs concessam huic probationi renunciandi: hujus licentiæ meminit *C. 16. de Regular.*

XXXVI. Multa fieri prohibentur: quæ si facta fuerint obtinent firmitatem.

C. 16. de Regular. mox citato. Vide *Reg.* 13. *suprà relatam & Conciliationem utriusque.*

REGULÆ RATIO. Multa sunt à Jure prohibita, quæ Actuum substantiam non tangunt, vel quæ ad majorem cautelam tantùm vetita sunt.

XXXVII. Similem cum aliis Vitam suscipiens, similem debet in Legibus sentire Disciplinam.

C. 3. de Statu Monach.

REGULÆ RATIO: Turpis est Pars toti suo non conformis.

XXXVIII. Pro non dato habetur, quod ab eo datur, qui donare non potest.

C. 5. de Jur. Patro. C. 6. E. T. in 1. Collect.

REGULÆ RATIO: Est alia Regula proximè referenda. Quod enim de dato dicit, de facto dici potest, nempè *pro non facto habendum, quod fit ab eo, qui facere non valet.*

XXXIX. Nemo plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habeat vel habere dignoscatur.

Vid. GONZALEM *in Cap. 6. de Donat. inter Virum & Mul. n.* 10. ex hâc Regulâ aliquos casus excipientem *C. 11. de Jur. Patr. C. 6. de Donationib. C. 79. de Reg. Jur. in* VI. *L. 54. ff. de Reg. Jur.*

REGULÆ RATIO. Nemo dat quod non habet.

XL. Non præstat impedimentum quod de jure non valet.

C. 8. de Jur. Patr. C. 52. de Reg. Jur. in VI.

REGULÆ RATIO: Ut nihili nulla affectio, ita rei irritæ nullus effectus.

XLI. Beneficium consequi non debeo ex eo, cui tacitè renunciavi.

C. 19. de Censib.

REGULÆ RATIO: Hâc renunciatione jus meum amisi.

XLII Remedia periculis graviora, ut falsa abjicienda sunt.

C. 7. de Celeb. Missar.

REGULÆ RATIO: Minus malum non est majori pellendum.

XLIII. Qui succedit in honore succedere debet in onere.

C. 7. de Immun. Eccl. C. 12. de Sent. Excom. in Collect. 4. C. 77. de Reg. Jur. in VI.

REGULÆ RATIO: Est ista VI. Regula, qui sentit commodum, sentire debet & incommodum.

XLIV. Frustrà Legis implorat auxilium, qui in eam committit.

C. ult.

C. ult. de Immun. Eccl. C. 14. de Usuris.

Regulæ Ratio; Qui talis est, Legis pœnam potiùs meretur, quàm auxilium.

XLV. Non debet quis gaudere privilegio, quo se reddit indignum.

C. ult. de Immun. Eccl.

Eadem penè est ac *Quarta hujus Tituli:* Abutens enim permissâ sibi ex privilegio potestate, istâ se reddit indignum; Dicimus *penè*, quia cùm aliter possit aliquis se reddere indignum privilegio, nempè pravis moribus, quàm concessæ potestatis abusu, amplior ista est, quàm illa.

XLVI. Omnis res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur.

C. 1. de Reg. Jur. L. 35. 153. ff. de Reg. Jur.

Loquitur de obligationibus inter Homines, quæ mutuo consensu generantur, consensu mutuo dissolvuntur. In his omnibus vera est, præterquàm in obligatione Matrimonii, quæ licèt consensu contrahatur, consensu non dissolvitur, idque quia placuit Deo, ut esset indissolubilis. Ob parem rationem obligationes Hominum ergà Deum, quales per vota fiunt, excipiendæ videntur à Regula, nam sunt indissolubiles, quoties servari possunt sine peccato; sed immeritò, cùm, si Deus consentiret, hæc obligatio mutuo *Partium* consensu dissolvi posset; Exceptio convenientior peteretur ex Votis Solemnibus, si de obligatione Voventium ergà Monasteria, & istorum ergà Voventes, sermo esset; hæc etenim mutuo consensu contracta, eodem modo dissolvi nequit.

XLVII. Ecclesia non judicat de occultis.

C. 35. de Simon.

Regulæ Ratio. Cogitationes meæ soli Deo & mihi notæ sunt, ideò Ecclesia de his judicare non potest.

XLVIII. Undè jus prodit, interpretatio quoque procedere debet.

Intelligenda de illâ, quæ vim obligandi habet, *C. 31. de Sent. Excom. C. 2. de Off. Ord. in VI. §. si verò.*

Regulæ Ratio: Interpretatio, quæ facit jus, qualis est, de quâ hic agitur, ad alium, quàm ad Juris Conditorem pertinere non potest.

XLIX Nemini imputandum quod fit contrà ipsius prohibitionem.

C. 17. de Homicid.

Regulæ Ratio: Nemo peccat nisi volens, quod autem quis prohibet id non vult; malè ergo ei imputatur.

L. Nemo alteri Legem imponere debet, quam ipse observare negligit.

C. 22. de Præb.

LI. Quod quisque jus in alterum statuit, debet uti eodem, & pati Legem, quam tulit.

C. 6. de Constit.

Utriusque Regulæ Ratio: Jungimus eas, quia sunt una quoad sensum: Vel enim Legem, quam alteri imponis, injustam putas, & imponere non debes vel justam, & debes observare, hùc attinet *v.* 4. Cap. XXIII. Matth. Dicens de Pharisæis, quòd imponant onera gravia, quæ digito movere nolunt.

LII. Rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit.

C. 2. de Const.

Regulæ Ratio: Innocens non est puniendus.

LIII. Difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.

C. 25. Caus. 1. Q. 1. C. 5. Dist. 61.

Loquitur de ingressu ad dignitates; extendi potest ad ingressum in quemvis statum.

Regulæ Ratio: Idem de Ædificio Spirituali, quod de Materiali dicendum est, hoc autem quamdiù malo in titur Fundamento, ruinæ proximum est: vitium Fundamenti emendandum est, ut firmum possit esse ædificium, hæc autem emendatio difficilis est, nisi destruatur ædificium & reficiatur fundamentum. In ædificio Spirituali emendatio fieri nequit, nisi pœnitentiâ, & regressu, si licitus sit, ut in vitiosâ ad dignitatem Promotione; Sin verò, solâ pœnitentiâ. Adde quòd ordinarium mali ingressûs vitium, est vocationis defectus, sine quâ boni quidquam vix fieri potest.

LIV. Quod Sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosâ adinventione non est præsumendum.

Loquitur de purgatione vulgari Patrum Doctrinæ contraria, atque ad similia extenditur. *C. 20. Caus. II. Q. 5.*

LV. Privilegium alicui concessum, non est ad alios extendendum.

C. 39. Caus. XVI. Q. I. R. 58.

Eadem videtur cum 74. VI. Regulâ sic conceptâ: *Quod alicui gratiosè conceditur, non debet aliis trahi in exemplum.*

Regulæ Ratio: Privilegium est Lex privata, quæ illos tantùm tangit de quibus expresè loquitur.

LVI. Omne rarum plùs appetitur.

C. 2. 4. Dist. XCIII.

Hinc videtur, cur Viri verè Pii ab omnibus appetantur; hoc, enim provenit ex hoc quòd Pietas vera, sit quid rarum, hinc è contra quæ frequentiora negliguntur, vel reverenter minùs tractantur; exempla habet in Missis, ubi frequentiores, & in Expositione Sacramenti, ubi itidem frequentior.

LVII. In uno eodemque Officio non esse debet dispar Professio:

C. 22. Caus. XVI. Quæst. VII.

Convenit cum Regulâ 37. istius Tituli. *C. 22. Caus. XVI. Quæst. VII.*

Regulæ Ratio: Inter Homines disparis Professionis, facillimè gliscit discordia.

LVIII. Singulorum Privilegia Legem Communem facere non possunt.

C. 4. Caus. XXVI. Quæst. II.

Regulæ Ratio: Privilegii finis est Bonum Privatum, Legis verò finis est Bonum Publicum & Commune, singulorum autem Privatum Bonum simùl esse non potest cum Bono Communi, quod ex privatorum saltem quorumdam damnis semper exurgit; undè de quâlibet Lege dicitur, illam habere aliquid iniqui.

Affinis est huic Regulæ 28. VI. quæ sic concipitur: *Quæ à Jure Communi exorbitant, non sunt ad Consequentiam trahenda.*

LIX. Non dicitur iteratum, quod nescitur esse factum.

C. 16. de Consec. Dist. I. C. 112. 113. de Cons. Dist. IV.

Regulæ Ratio: Hoc in casu quod nescitur factum pro non facto habetur: agitur enim de iteratione Consecrationis, quæ non creditur facta, nisi probetur.

LX. Ubi majus periculum intenditur, ibi est procùl dubio magis consulendum.

C. 3. de Elect. in VI.

Regulæ Ratio: Pro rei exigentiâ consilium est adhibendum, res autem quo periculosior est, eò majus exigit consilium.

LXI. Non decet alicui officium esse damnosum.

C. 30. de Elect. in VI.

Regulæ Ratio: Non debet quis damnum sustinere, undè meretur præmium; qui autem Officium suum implet, præmium hinc meretur.

LXII. Tempus non currit legitimè impedito.

C. 35. de Elect. in VI. C. 3. de Off. Ord. in VI. §. quod si.

Regulæ Ratio: Innocens non est puniendus, puniretur autem Innocens, si tempus contrà legitimè impeditum curreret: est enim Innocens, qui non agit, dùm non potest, cùm ad Impossibile nemo teneatur, punitur verò qui agendi jure propter hoc solum privatur.

LXIII. Ignorantia Facti, non Juris, excusat.
C. 13. *de Reg. Jur. in VI.*

REGULÆ RATIO: Jus sciri potest & debet; Factum autem non item; atqui Reus est, qui, quod scire potest & debet, non facit; non autem, qui, quod scire non potest, vel non debet, non facit.

In Moralibus, ac in Judiciis locum habet; cum hoc tamen discrimine, quòd in Judiciis Juris Ignorantia nunquàm excusat; quia ubi Lex sufficienter promulgata est, illam sciviſſe vel scire potuiſſe unusquisque præsumitur, & ex præsumptione ibi judicatur; at in Moralibus, ex veritate judicandum, ideòque, cùm contingit, ut quis Legem tùm Divinam, tùm Humanam, scire non potuerit, sua illum ignorantia excusat.

LXIV. Cùm quis in alterius jus succedit, justam ignorantiæ causam habere censetur.
C. 14. *Ibid.*

REGULÆ RATIO: Fieri potest, ut Successor Autoris sui titulos non habeat, undè donec pateat, eum titulos noviſſe, justè ignorare censetur.

LXV. Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.

In omni casu non est vera, nam 1. in Suffragiis vel Votis ferendis, licet antè finitam electionem à proprio recedere, & ad aliorum accedere. 2. Patronus Laïcus variare potest in Præsentatione *C.* 21. *Ibid.*

In aliis vera est: Hujus discriminis ratio; Non est Homini permittenda voluntatis mutatio, nisi justa & gravis subsit causa, qualis subest in Casibus, in quibus falsa est Regula, non occurrit verò in Casibus, in quibus vera est.

LXVI. Non debet aliquis alterius odio prægravari.
C. 22. *Ibid.*

REGULÆ RATIO: Insons pro Sonte puniendus non est.

LXVII. Sine culpâ, nisi subsit causa, nullus est puniendus.
C. 23. *Ibid.*

Firmat hæc Regula præcedentem & exponit; nam casus, quem excipit, excipiendus est etiam in Regulâ præcedenti; quia publica utilitas exigere potest, ut Insons puniatur, sicut fit in Localibus Interdictis, vel quandò Filii quibusdam honoribus privantur propter Paternum crimen: sunt tamen pœnæ, quæ numquàm Insonti imponi possunt, ut fusè probatum est de Excommunicatione Majori *in Tractatu de Censuris.*

LXVIII. Mora sua cuilibet est nociva.
C. 25. *Ibid. L.* 173. *ff. de Reg. Jur.*

Regulæ LXII. exceptionem continet; nam qui justo ligatur impedimento, & illud tollere negligit, in morâ est.

Locum habet non solum in Judiciis, sed etiam in Provisionibus ad Beneficia, in solvendis Censibus, aliisque rebus debitis.

REGULÆ RATIO: Omnis negligentia, præsertim si sit aliis onerosa, pœnam meretur.

LXIX. Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus.
C. 17. *Ibid. L.* 145. *ff. de Reg. Jur.*

Eadem est ac ista; *Volenti non fit injuria.* Restringenda ad Casus, in quibus liberè, & ad non injusta, consentitur. v. g. Scit Mulier Virum impotentem, liberè eum accepit in Maritum; non fit sibi injuria, nec dolus; sed si sciam te nullo ex justo titulo posse à me usuras accipere, & urgente necessitate, ad illas tibi solvendas consentiam, fit mihi injuria, quia coactus & nolens consentio, atque ad ea, quæ tibi prohibentur.

LXX. Eum, qui certus est, certiorari ampliùs non oportet.
C. 31. *Ibid.*

REGULÆ RATIO: Nihil inutile exigendum, nec faciendum.

LXXI. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.
C. 33. *Ibid. l.* 75. *ff. de Reg. Jur.*

Unam ex Rationibus Regulæ 65. in se continet; interdùm enim, fit, ut, si quod semel placuit ampliùs displicere non possit, id ex eo proveniat, quòd mutare quis consilium non potest in alterius detrimentum.

LXXII. Generi per Speciem derogatur.
C. 34. *Ibid. L.* 8. *ff. de Reg. Jur;*

REGULÆ RATIO: Quoties Species est Generi contraria, qui vult Speciem, Generis mutationem velle necesse est.

LXXIII. Pro Possessore habetur, qui dolo desiit possidere.
C. 36. *Ibid. L.* 131. *ff. de Reg. Jur.*

REGULÆ RATIO: Habetur in *n.* 1. & 2. §. *de Prohibitoriis circà Mores Regulis & in* 26. *hujus tituli*; Nam si malitiis Hominum non est indulgendum, si nemini dolus patrocinari debet, si decipientibus Jura non subveniunt, pro Possessore habendus, qui dolo desiit possidere.

LXXIV. Utile non debet per inutile vitiari.
C. 37. *Ibid. L.* 94. *ff. de Reg. Jur.*

REGULÆ RATIO: Inutile habetur pro non posito.

LXXV. Imputandum non est ei, per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum.
C. 41. *Ibid.*

REGULÆ RATIO: habetur in 6. Regulâ de Reg. Jur. in VI. Si enim ad impossibile non teneor, non est mihi imputanda omissio, quam vitare non possum.

LXXVI. Qui tacet, consentire videtur.
C. 43. 44. *Ibid.*

LXXVII. Is qui tacet, non fatetur, sed nec negare videtur.
C. 44. *Ibid. L.* 142. *ff. de Reg. Jur.*

Duas has Regulas jungimus, quia ob apparentem contrarietatem simul explicandæ sunt, eas autem sic conciliare possumus. In re, super quâ respondere possum & debeo, si taceam, consentire videor: In re verò, super quâ respondere mihi non licet, ut in Secreto mihi credito, si taceam, nec fateor, nec nego.

Vel aliter; Silentium sufficit ad Consensum, non ad Confessionem; Cujus ratio esse videtur, Confessio respicit res majoris periculi, ac consequenter ponderis, nempè Criminales Accusationes; idcircò positivam requirit responsionem. Hanc Conciliationem probat CANISIUS in has Regulas.

LXXVIII. Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerùmque fieri consuevit.
C. 45. *Ibid. L.* 114. *ff. de Reg. Jur.*

Ad omnes Actus tàm extrà-Judiciales quàm Judiciales extenditur, nempè ad Leges, Statuta, Testamenta, Donationes, Contractus, Vocationes in Jus, varios in Jure Processus, Sententias, uno verbo omnes Actus, in quibus obscurè habetur alicujus voluntas; tradit enim hujusmodi Voluntates interpretandi modum.

REGULÆ RATIO: Cùm alterius voluntatem interpretor, quàm maximè possum, ad eam accedere debeo, hoc autem facio, cùm sequor quod quibusvis pensatis, mihi verisimilius videtur, vel quod plerùmque fieri consuevit. Utrumque ex ipsis terminis patet; Secundum firmari potest ex eo, quòd non est sine causa præsumendus quis ab usu recessisse.

LXXIX. Is, qui in alterius jus succedit, eo jure quo ille, uti debebit.
C. 46. *Ibid. L.* 177. *ff. de Reg. Jur.*

REGULÆ RATIO; Successor locum tenet Prædecessoris, illumque repræsentat.

LXXX. Præsumitur Ignorantia, ubi Scientia non probatur.
C. 47. *Ibid.* Firmat Regulam 64.

Videtur

Videtur contraria 17. hujus Tituli, qua quis ad Beneficium, ad quod scientia requiritur, idoneus præsumitur, nisi contrarium probetur, ideòque scientia præsumitur, nisi probetur ignorantia; attamen ei non adversatur, quia præsens loquitur de ignorantiâ, quæ excusat; II. de eâ, quæ inculpat: Prima autem præsumenda est, non Secunda: præsumendum est bonum, nisi probetur malum, nec est aliquis boni nominis possessione privandus sine justâ causâ, qualis abest donec malus probetur.

Vid. Canisium in illam, qui ab ea excipit tres Casus, 1. Si factum sit publicum, 2. Si proprium Personæ. 3. Si ad officium ipsius pertineat.

LXXXI. Actus legitimi non recipiunt Conditionem, neque Diem.

Tales sunt inter alios hujus generis Emancipatio, Adoptio, Matrimonium, quæ ad Tempus, vel sub Conditione fieri nequeunt. *C.* 50. *ibid. L.* 77. *ff. de Reg. Jur.*

Canisius Actus legitimos vocari ait, vel quia à Lege introducti, vel quia formam à Lege habent, vel quia à Lege approbantur.

LXXXII. Qui sentit onus, sentire debet & commodum, ac è contrà

Regulâ hâc firmantur Regulæ 18. & 435. hujus Tituli. *C.* 55. *ibid.*

Regulæ Ratio. Commodum est velut oneris merces, Incommodum verò est quasi Commodi remedium, ne noceat præservans, vel quasi istius pretium, quo emitur.

LXXXIII. In Re Communi potior est conditio prohibentis.

C. 56. *ibid.*

Regulæ Ratio habetur *in* 29. *ejusd. Lib. & Tit.* si enim quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, in Re Communi potior esse debet conditio prohibentis. Hinc fit, ut Rei Communis alienationem unius contradictio impediat.

LXXXIV. Contrà eum qui Legem dicere potuit apertiùs, Interpretatio est facienda.

C. 57. *ibid.*

Regulæ Ratio. Vel dolo Legem obscurè sibi dixit, & tunc interpretanda est contrà eum, ne sibi dolus patrocinetur: Vel negligentiâ, & tunc contrà eum interpretanda, ut negligentia puniatur.

LXXXV. Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quominùs conditio impleatur, haberi debet, ac si impleta fuisset.

C. 66. *ibid. L.* 160. *ff. de Reg. Jur.*

Regulæ Ratio. Ad Impossibile nemo tenetur, conditio, quæ, quantùm in me est, impleri non potest, mihi impossibilis est, ideòque ad eam non teneor. Adde quòd conditio impossibilis habetur pro non positâ, ac proindè non implendâ.

LXXXVI. Quod alicui suo nomine non licet, nec alieno licebit.

C. 67. *ibid. vid. Reg.* 91.

Regulæ Ratio. Quod meo nomine mihi non licet, vel illicitum est, quia meipsum dedecet, vel quia indignus sum, ut id agam, vel quia mihi periculosum; hoc autem ob easdem causas alieno nomine illicitum esse debet v. g. Non licet Clerico negotiis sæcularibus se immiscere suo nomine, quia talia negotia eum, dedecent, nec alieno licebit. Non licet Excommunicato Jure Communi in Judicio agere suo nomine, quia ad id indignus judicatur, nec alieno licebit. Non licet Monacho vel Clerico suo nomine quemquam cum Muliere ad Baptismum præsentare, quia periculosum, nec alieno licebit.

LXXXVII. *In alternativis Electoris est Electio*, & sufficit alterum adimpleri.

Canisius in istam Regulam legit, *Debitoris*, sed præferenda alia Lectio, quia, ut ipse agnoscit, Debitoris non semper est Electio, sed ad Creditorem quandòque pertinet. *C.* 70. *ibid.*

Regulæ Ratio. Tunc datur optio, ista autem ei datur, qui in Regulâ *Electior* dicitur: si unum ad impleri non sufficeret, frustrà daretur optio.

LXXXVIII. Factum legitimè retractari non debet, licèt casus eveniat, à quo inchoari non potuit.

C. 73. *ibid. L.* 85. *ff. de Reg. Jur.*

Regulæ Ratio. Multa sunt, quæ Actus, quibus accidunt, non irritant, quos tamen irritassent, si præcessissent.

V. G. Dementia superveniens vel Matrimonio, vel Voto Solemni, vel simili Rei, quæ plenam exigit libertatem, irrita non facit; feciſſet tamen, si præcessisset. Idem dicendum de quovis alio Impedimento Matrimonii dirimente, si supervenerit.

LXXXIX. In Argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquandò sunt concessa.

C. 78. *ibid. L.* 162. *ff. de Reg. Jur.*

Regulæ Ratio. Ut res ab uno casu ad alium trahi possit, oportet, ut similis sit in causâ; undè concessa propter necessitatem, malè trahuntur extrà necessitatem.

XC. Partem in Toto non est dubium contineri.

C. 80. *ibid. L.* 113. *ff. de Reg. Jur.* Regula ista plurium aliarum Fundamentum est: Nam si cui majus conceditur, minus etiam concessum esse censetur, si cui licet quod plus est, utique licet quod est minus; si plus semper continet in se quod est minus; id nascitur ex eo, quòd Pars in Toto continetur, minus verò sit Pars illius, quod plus vel majus illic dicitur. Regulæ enim tres relatæ de eadem re, vel de rebus ejusdem generis, vel speciei, in utrâque parte loquuntur, alioquin falsæ essent.

XCI. Cùm quid unâ viâ alicui prohibetur, ad id aliâ non debet admitti.

C. 84. *ibid.*

Eadem videtur ac LXXXVI. Tituli hujus; si enim, quod meo nomine mihi non licet, alieno liceret, ad id unâ viâ admitterer, quod mihi aliâ prohibetur.

XCII. Damnum, quod Quis suâ Culpâ sentit, sibi debet, non aliis imputare.

C. 86. *ibid. L.* 203. *ff. de Reg. Jur.*

Regulæ Ratio. Qui vult Causam, vult etiam Effectum; cùm ergò hoc in casu damnum sit Culpæ Effectus, qui Culpam voluit; damnum etiam voluit.

XCIII. Certum est, quòd committit in Legem, qui Legis Verba complectens contrà Legis nititur voluntatem.

Ideòque Pœnas incurrit à Lege latas, ut probat Canisius in hanc Regulam adductâ Constitutione, quâ illa continetur. *C.* 88. *ibid.*

Regulæ Ratio. Legis intentio est Pars præcipua Legis; est enim in eâ, quod Anima in Corpore Humano.

XCIV. Ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum.

Clem. 1. §. *Porro de Verb. Signif. Hùc facit. C.* 2. *de Transl.* in quo habetur, *Nonnumquàm intelligitur prohibitum, quod non invenitur concessum, & C.* 5. *de Usu & Autor. Pall.* in quo insinuatur, quòd quæ in quibusdam casibus permittuntur, in aliis prohiberi intelliguntur: Horum enim Canonum sensus est, quòd, in his, quæ Jure Communi non pertinent, inhibetur quod non conceditur.

Regulæ Ratio. Sicut generi per speciem derogatur, quùm species est generi contraria, ità non derogatur, quandò non est contraria; prohibitio autem generalis, est aliquod genus, concessio specialis est aliqua species, quæ huic generi derogat in his, in quibus ipsi adversatur. *C.* 5. *de Sentent. Excom.* non autem in aliis; subsistit enim genus quoad ea, in quibus generi non derogatur.

XCV.

XCV. Severitati aliquid interdùm detrahendum est; consideratis Locorum aut Temporum qualitatibus.

Ratio. Sunt Loca & Tempora, quibus obesset Severitas.

XCVI. Omnis Res, per quascumque Causas nascitur, per easdem dissolvitur.

C. 1. de Reg. Jur.

Restringenda Regula ad ea, quæ dissolvi possunt, qualia sunt Contractus, Leges, Statuta, cujusvis boni Temporalis Possessio, aliæve similes, quæ Humanâ fiunt & pendent voluntate.

Extendi siquidem nequit ad res quæ dissolvi non possunt, quales sunt Votum & Matrimonium.

XCVII. Distingue Tempora, & Scriptura concordabit.

Utilissima est ad concilianda loca non solùm Scripturæ, sed & Patrum, & Conciliorum, ex temporis diversitate contraria. *Cap.* 19. CAUS. II. QUÆST. I.

REGULÆ RATIO. Humanum Genus suas habet ætates, ut & quilibet homo, atqui non eadem omni ætati conveniunt.

XCVIII. Turpiùs ejicitur, quàm non admittitur Hospes.

REGULÆ RATIO. Ex ejectione jure concluditur probata indignitas, quæ ex non admissione immeritò concluderetur.

Hinc, qui potest destituere potest & instituere. Si Parochi sit (ut esse videtur) Coadjutores Presbyteros dimittere, illius est ad Parochiæ servitium illos assumere; Quo casu Vir potest Uxorem dimittere, eo potest illam non ducere, etsi illam ducere juraverit; Cujus est servum è domo ejicere, ejus est in domo illum recipere: Hinc etiam maturè deliberandum circà electionem, ad Munia, præsertim Ecclesiastica.

XCIX. Bonus, vel malus rei usus illius naturam non mutat.

REGULÆ RATIO: Usus rei est ipsi extraneus, ideòque illam interiùs immutare non potest. *C.* 9. CAUS. 14. QUÆST. V.

Hinc, quæ mala est, res non fit bona bono usu: nec, quæ bona, mala fit malo usu: hinc mala non est Regia, vel Patria, vel Dominica Potestas, quia sunt, qui eâ abutantur; nec bonum est Furtum, vel Tyrannica Usurpatio, quia sunt, qui his benè utantur.

C. Derogandum est Consuetudini & Constitutioni, quæ absque peccato mortali non potest observari.

Eo enim casu irritæ sunt, cùm sint contrariæ Juri Naturali *C.* 20. *de Præs. in* VI.

CI. Novis Morbis nova Antidota sunt præparanda.

Vetera enim ad illos curandos inefficacia sunt. *C.* 5. *de Juram.*

CII. Cùm quis astringitur aliquid facere cum alterius consilio, necesse habet consilium requirere, non tamen tenetur illud sequi.

C. 7. *de Arbitr.*

RATIO. Obligatio hæc, ut potè contraria libertati, odiosa est, ideòque restringenda ad requisitionem consilii, nec extendenda ad executionem consilii dati: Excipiendi Casus, ubi consilium requirendum est de formâ actûs faciendi *C.* 52. *de Elect.* GLOS. v. *Expectatum* GONZALEZ *n.* 4.

CIII. Sunt multa, quæ de Dei judicio Homines ignorant; quare fortasse quæ vos laudatis, ille reprehendit; quæ vos reprehenditis, ille laudabit.

C. 41. CAUS. XI. QUÆST. I.

RATIO: Ex Corde exeunt bona malave opera, solusque Deus est Cordium Scrutator.

CAPUT II.

De Particularibus Juris Regulis.

§. I.

Quæ sint BENEFICIALES *Juris Regulæ?*

BEneficium hîc sumitur pro omni re, quæ ad gratiam pertinet: cùm autem inter illas res præcipua & communior sit Munus Ecclesiasticum, cui certa Ecclesiæ reditûs Portio in perpetuum annectitur, quodque ideò nomine Beneficii specialiter donatur, *idcircò* Regularum colligendarum major Pars Beneficium ità restrictè sumptum respicit, atque ab istis, ut à Nobilioribus, incipietur.

OBSERVATIO.

Non aliæ leguntur in Jure Canonico circà Beneficia, utroque mox dicto modo sumpta, Regulæ, quàm quæ sequuntur.

I. Sanctuarium Dei non convenit jure hæreditario possideri.

C. 5. *de Institut. C.* 15. *de Decimis. C.* 15. *de Jure Patr.*

REGULÆ RATIO est: Sacerdotium, tàm pro Munio Ecclesiastico, quàm pro jure Temporali huic annexo sumptum, est donum Dei; non enim legitimè habetur, nisi ex beneficio Dei, pro misericordiâ suâ vocantis, sine ullâ Sanguinis acceptione.

II. Ad Beneficia præsumitur Quis idoneus, nisi contrarium ostendatur.

C. ult. de Præsumpt.

Hæc Regula ab examine non eximit, quia necessarium est, ad ostendendum, Provisum non esse inidoneum; ex Regulâ verò repellendus est Provisus, si inidoneus ostendatur.

REGULÆ RATIO: De Providente & de Provisò bona est habenda opinio, donec justa contrarii subsit causa.

III. Qui servit Altari, vivere debet de Altari.

Cap. 16. de Præb.

Regula hæc, quæ è DIVO PAULO desumitur, variis aliis Scripturæ locis innititur. Sensus Regulæ non est, quòd qui servit Altari, de Altari vivere teneatur, sed quòd possit jure de eo vivere; sic enim interpretanda est vox hæc, *debet.*

Affinis est Regula 31. inter Communes; si enim Operarius dignus est mercede suâ, serviens Altari, de Altari vivere debet, cùm merces danda sit ab eo, cui servitur.

IV. Indignum est, ut eis Ecclesia subveniat, qui in ea scandalum generant.

C. 2. *Ne Clerici, nec Monachi.*

REGULÆ RATIO: Dùm tales nutrit Ecclesia, Hostes sibi multùm noxios alit.

V. De rebus Ecclesiæ Laïcis non est attributa disponendi potestas, quia in eis manet obsequendi necessitas, non authoritas imperandi.

C. 12. *de Reb. Eccl. alien. C.* 25. *de Deci. C.* 23. CAUS. XVI. QUÆST. VII. *C.* 10. *de Constit.*

REGULÆ RATIO: Ecclesiæ res, vel Spirituales, vel quasi Spirituales; ideòque illarum Dispositio non convenit, nisi iis, quibus competit Spiritualis Potestas, quales non sunt Laïci.

VI. Non decipi Beneficio, sed juvari nos oportet.

C. Unic. de Commodato.

REGULÆ RATIO. Beneficium conceditur ut prosit, non ut obsit: obesset autem si deciperet. Locum habet in Beneficiis strictè sumptis, dùm datur Beneficium magni laboris & oneris, & exigui reditûs.

VII. Quod

VII. Quod semel Deo consecratum, est ad Humanos usus non est transferendum.

C. 3. de Rer. Permut. C. 4. de Relig. Domib. C. 51. de Reg. Jur. in VI.

REGULÆ RATIO: Dùm res Deo consecrata usui Humano applicatur, dignitate dejicitur; ex pretiosâ fit vilis; ex Sacrâ fit Profana.

VIII. Spiritualium cum Temporalibus permutatio reprobatur.

C. ult. de Rerum Permut.

REGULÆ RATIO: Hujusmodi permutatio est Simoniaca, cùm Temporale tamquàm pretium rei Spiritualis datur.

IX. Una Ecclesia unius debet esse Rectoris.

C. 3. de Jure. Patron.

REGULÆ RATIO: Alioquin Monstrosa est, duplex habens Caput.

X. In Beneficiis plenissima est Interpretatio adhibenda.

C. 22. de Privileg.

REGULÆ RATIO: Res est maximè favorabilis Beneficium.

XI. Beneficium Principis largissimè interpretandum est.

C. 16. de verb. Signif.

Sequitur è præcedenti; si quod enim Beneficium plenissimè est interpretandum, maximè Principis Beneficium, quem amplissima decet benefaciendi voluntas.

XII. Vilibus Personis & Indignis patere non debent Dignitatum Portæ.

C. 11. de Excess. Præl. C. 87. de Reg. Jur. in VI.

REGULÆ RATIO; Solum Dignitatis nomen Regulam justam esse demonstrat.

Ista Regula prout est in VI. ab illa, quæ relata est, in hoc uno differt, quod de Infamibus tantùm loquatur.

XIII. Nullus est cogendus de suo facere Beneficium.

C. 4. CAUS. X. QUÆST. II.

REGULÆ RATIO: Liberalitatis est de suo facere Beneficium, liberalitatem autem decet esse liberam, ut res suo congruat nomini.

XIV. Cujus est Possessio, ejus fiat Institutio.

C. 1. CAUS. XVI. QUÆST. II.

REGULÆ RATIO: Sensus hic est, quòd Institutio Rectoris alicujus rei, ad ejusdem rei Possessorem pertineat. Institutio hæc est quid minùs Possessione; ideòque in illâ continetur: adde quòd Possessoris interfit bonum in re suâ habere Rectorem, ac idcircò ad ipsum pertinere debeat istius Electio & Institutio. *Ibid.*

XV. Sacerdotes à nullo gravandi, sed ab omnibus honorandi sunt.

C. 28. CAUS. XVI. QUÆST. VII.

REGULÆ RATIO: Sacri sunt illius Ministri, qui à nullo offendendus, sed ab Omnibus honorandus est.

XVI. Non debet propriis cujusque usibus applicari, quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur.

C. 2. CAUS. XVII. QUÆST. IV.

XVII. Ad Privatum non trahantur Commodum, quæ ad Bonum Commune sunt præfixa.

C. 3. CAUS. XXV. QUÆST. I.

Duas has Regulas jungimus, quia in terminis dumtaxat differunt. UTRIUSQUE RATIO: Dùm fit quod prohibent, Peculatûs crimen quodammodò committitur; usurpatur enim Bonum Publicum.

Utraque potest inter has Regulas, ac etiam inter Communes, & inter Morales Prohibitorias collocari; Inter Communes, quia etsi de rebus Ecclesiasticis loquantur, ad alias applicari possunt; Inter Morales Prohibitorias, quia quod prohibent ad Mores pertinet.

XVIII. Odiosa concessio restringenda potiùs, quàm amplianda.

C. 5. de Rescrip. in VI.

XIX. In ambitiosis stricta fieri debet Interpretatio.

C. 1. de Fil. Presb. in VI. §. 1. C. 21. de Præb. Ibid. C. 3. de Off. Ordin. Ibid.

XX. Quod Juri Communi adversatur, tamquàm odiosum restingendum.

C. 1. de Fil. Presb. in VI.

XXI. Statutum Pœnale restringi potiùs convenit, quàm laxari, seù extendi.

C. 22. de Elect. in VI.

Quatuor has jungimus Regulas, quia idem earum est Argumentum, una ac eadem RATIO, Nempè quæ habetur in 15. VI. Regulâ, *Odia convenit restringi.*

XXII. Per Generalem concessionem, non censentur concessa, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus.

C. 3. de Offi. Vic. in VI. C. 8. de Reg. Jur. in VI. C. 2. de Pœnit. Ibid.

REGULÆ RATIO: De concessione judicandum est ex Concedentis intentione; improbabile autem est, quòd Quis concedere intendat in concessione generali, quæ verisimiliter in specie non concederet.

XXIII. Gratia non perimitur morte Concedentis, licèt nondùm sit in ejus executione processum.

C. 9. de Off. & Pot. Jud. Del. in VI.

REGULÆ RATIO: Habetur in 16. VI. Regulâ, Beneficium Principis decet esse mansurum.

XXIV. Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Institutione Canonicâ obtineri.

C. 1. de Reg. Jur. in VI.

REGULÆ RATIO: Ut ad Beneficia necessaria est Vocatio Interior, sic & Vocatio Exterior, quæ nihil aliud est, quàm Institutio Canonica.

XXV. Privilegium personale Personam sequitur, & cum eâ extinguitur.

C. 7. Ibid.

REGULÆ RATIO: Personæ inhæret, ideòque sequi illam debet, & cum eâ extingui.

XXVI. Indultum à Jure Beneficium non est alicui auferendum.

C. 17. Ibid.

REGULÆ RATIO: Debito Principi honori detrahitur, dùm concessum ab eo Beneficium Lege suâ, aufertur.

Convenit nonnihil cum 16. VI. Regula; si enim decet, Principis Beneficium manere, nemini est illud auferendum; dicimus, *nonnihil*, quia differt ab illâ, nam 16. docet, durare debere Principis Beneficium quantùm est ex parte Principis; 17. verò tradit durare debere, quantùm est ex parte aliorum.

XXVII. Qui Prior est Tempore, Potior est Jure.

C. 54. Ibid.

Etsi hæc Regula ad alias res, quàm ad Beneficia, extendatur, inter Beneficiales collocatur, quia Beneficia potissimùm respicit, ideòque recensens res, in quibus locum habet, orditur à Beneficiis.

REGULÆ RATIO: Quotiès Præventioni est Locus, qui prævenit, cæteris paribus, alteri est præferendus, qui autem prior est tempore, is est, qui prævenit.

XXVIII. Quod ob alicujus gratiam conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

C. 61. Ibid.

REGULÆ RATIO: Contrà Justitiæ cuique suum tribuentis Præcepta, ac contrà gratiam Concedentis Intentionem est, ut Beneficium in Maleficium convertatur.

XXIX. Quod alicui gratiosè conceditur, non debet aliis trahi in exemplum.

C. 74. Ibid.

REGULÆ RATIO: In Præcedentibus sivè Communibus, sive Particularibus continetur; nam si Odia sint restringenda, si Beneficium Personale Personam non transit, si Privilegium alicui concessum, non est ad alios extendendum,

extendendum oportet ut gratiosè concessum, in exemplum non trahatur, cùm illud sit odiosum, ac tamquàm Privilegium Personale haberi possit.

XXX. Indignum est, & à Romanæ Ecclesiæ Consuetudine alienum, ut pro Spiritualibus facere quis homagium compellatur.

C. ult. de Reg. Jur.

Hujus Indignitatis RATIO. Homagium est honor Domino Temporali exhibitus in recognitionem accepti ab eo Dominii Temporalis; non sunt ergò Homagio Spiritualia subjicienda, cùm à nullo Domino Temporali accipiantur, sed à solo Deo, cùmque nobiliùs tractanda sint Temporalibus, quibus longè nobiliora sunt.

XXXI. Pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de Jure donare.

C. 5. de Jure Patr.

REGULÆ RATIO. In quâcumque re faciendâ major defectus non est, quàm potestatis defectus.

XXXII. Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur.

C. 1. L. 3. Decret. Tom. 12.

REGULÆ RATIO. Vel quod Collator demit sibi retinet aliundè indebitum, & Simoniam committit, quia istud est velut merces Collationis; vel aliis dat, quibus aliàs non debetur, & fit Sectio Beneficii prohibita à Concilio Turonensi. *C. 8. de Præb.*

Multò plures Regulæ circà Beneficia strictè sumpta colligi potuissent, sed istæ in Tractatu de Beneficiis hujusmodi congruentiùs collocabuntur.

§. II.

Quæ sint Judiciales Regulæ.

OBSERVATIO.

Non aliæ in Jure Canonico leguntur Regulæ Judiciales, quàm istæ.

I. Per Judicium Injuriis aditus patere non debet.

C. 28. de Rescript.

Ad Mores trahi potest: est enim duplex injustitia, in judiciorum abusu, cùm iste abusus sit injustitia, viaque sit ad aliam injustitiam.

REGULÆ RATIO. Institutum est judicium, ne fiant injuriæ; neve durent.

II. Speciale Mandatum derogat Generali.

C. 1. 14. de Rescript. C. 2. de Off. Leg.

Ad Rescripta extenditur, imò ad quamcumque Materiam, est enim inter Regulas VI. amplioribus his concepta verbis: *Generi per Speciem derogatur.*

Hac in re singulare hoc habetur, quòd Rescriptum v. g. posterius non derogat priori ejusdem speciei, nisi de priori mentionem faciat; Rescriptum verò Speciale deroget Generali, etsi de eo mentionem non faciat: Cujus discriminis Ratio hæc est: Rescriptum Speciale non destruit omninò Rescriptum Generale, sed ei tantùm derogat in his, in quibus ei adversatur: Rescripta verò ejusdem speciei se invicem destruunt, ita ut prius fiat per posterius inutile; præsumitur autem facilè, quem voluisse suo Rescripto Generali in aliquâre derogare; difficilè autem creditur, voluisse quem Rescripto suum destruere; ideòque in 1. Casu non est necessaria expressa voluntatis mutatæ significatio, in 2. verò necessaria est.

III. Cui committitur Principale, committitur Accessorium.

Extenditur ad Beneficia, ut & ad judicia; Gratiæ enim committuntur, ut & judicia. *C. 1. 21. de Off. & Pot. Jud. Deleg.* veraque est Regula, sive Accessorium nascatur ex Principali, sive impediat executionem istius, GONZALEZ *in C. 21. n. 2.*

Restringenda est ad Casus, in quibus Accessorium non est Deleganti specialiter reservatum; tunc enim de Accessorio facienda est mentio, alioquin non est commissum.

RATIO REGULÆ immediata est Regula XI. mediata verò habetur sub Regulâ X. ejusdem Tituli.

IV. Mandatum & Jurisdictio Delegata expirant, si Mandator vel Delegans, re adhuc integrâ, moriantur; secùs, si re incœptâ.

C. 30. de Off. & Pot. Jud. Deleg.

Regula hæc restringenda est ad negotia quoad primam partem; Mandata enim Gratiæ non expirant morte Concedentis, etiamsi res sit adhuc integra, sed durant, donec à Successore revocentur. *C. 9. de Off. & Pot. Jud. Deleg. in VI.*

Verisimilior REGULÆ RATIO est Litium odium.

V. Sententia à non suo Judice lata, non valet, nec facta coràm illo Confessio.

C. 4. de Judiciis.

Extendâ hæc Regula ad omnem processum, & à foro exteriori ad forum interius.

REGULÆ RATIO. Necessariâ ad procedendum jurisdictione caret Judex non suus.

VI. Actor Rei forum sequi debet.

C. 5. 8. de For. Compet. Restringenda est ad Causas Personales; nam in Causis Realibus Rerum forum sequendum est, (si ita loqui fas sit.)

Evidens est hujus REGULÆ RATIO; Actor de Reo conqueritur; illum ergò debet convenire coràm illo, qui in Reum jurisdictionem habet, ut istius autoritate, Actori præstet, quod debet; Judex autem Rei in illum habet jurisdictionem, non Judex Actoris.

A Justitiâ ad Charitatem extendi potest dicendo, Superiori deferendum eum, qui corrigendus est, sicut Reus coram suo Judice conveniendus.

VII. Actore non probante, Reus, etsi nihil præstiterit, causam obtinet.

C. 3. de Causâ Posses. propr. C. Unic. ut Eccles. Benef. sine dimin. confer. R. 21. Moral. Prohibit. R. 67. Comm.

Ad Mores extendi potest; hinc enim inferre possumus, neminem à nobis condemnandum, nisi probetur reus.

REGULÆ RATIO. deficiente probatione, remanet Reus, ut erat, antequàm conveniretur.

VIII. Cùm obscura sunt Partium Jura, contrà Actorem judicari consuevit,

C. 6. de Fid. Instrum. C. 11. de Reg. Jur. in VI.

Regula hæc in 7. continetur; non enim obscura sunt Jura, nisi quia Actor insufficienter probat.

Octavæ ergò REGULÆ RATIO eadem est ac Septimæ: alia tamen addendâ est, Reum scilicet propter Possessionem contrà Actorem prævalere, quia in dubio melior est conditio Possidentis.

Alia etiam adjici potest, nempè Reum non esse præsumendum Usurpatorem, vel injustum Detentorem, nisi talis probetur, quia præsumitur Quis bonus, nisi probetur malus.

Regula hæc non differt nisi in terminis ab 11. VI. Regulâ, *Cùm obscura sunt Partium Jura, favendum est Reo, potiùs, quàm Actori.*

IX. In Manifestis & Notoriis Ordo Judiciarius non est per omnia servandus:

Non est in usu apud Gallos. *C. 21. de Jurejur.*

REGULÆ RATIO. Ordo hic servatur, 1. Ut impediatur, ne quis alium vexet. 2. Ut Actor probare possit quod intendit, 3. Reusque seipsum defendere; In Manifestis autem Actor non eget probatione, nullamque habet Reus defensionem.

X. Si Principale non tenet, nec Accessorium.

C. 6. de Fide Instrum. C. 2. de Nov. Oper. Nunt.

REGULÆ RATIO. Principale est Fundamentum Accessorii; ruente autem Fundamento, ruant oportet quæ ipsi innituntur.

Addere potes, quòd Accessorium est velut Principalis Consequentia, sublato autem Principio, tollitur & Consequentia.

XI. Ac-

XI. Accessorium congruit sequi naturam Principalis.

C. 9. de Offi. Jud. Deleg. in VI. Eadem est hujus Regulæ Ratio ac præcedentis.

XII. Actore impugnante, Reo defensionis copia non est deneganda.

(etiam Excommunicato.) *C. 5. de Except.*

Regulæ Ratio. Nullus inauditus judicandus est.

XIII. Quod ad defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendendum non est.

C. 5. de Except. in fine.

Regulæ Ratio. Sunt Gratiæ, quæ cuidam conveniunt ut Reo, quæ ei ut Actori non conveniunt; coacta enim est Defensio, libera verò Actio.

Ista Regula non recipitur apud Gallos, quoad Casum de quo agit; nempè Excommunicatum in Judicio agere non posse, etsi sibi permittatur seipsum defendere; nam in Galliâ Excommunicatus potest agere, ex eo fortè, quòd pleræque Actiones ad certum tempus sint limitatæ, quo elapso pereunt; vel quòd incongruum judicetur, ut Excommunicatio, quæ est pœna Spiritualis & Ecclesiastica, ad effectus merè Temporales & Civiles extendatur; vel quòd frequentiores Excommunicationes essent.

XIV. Nulla valet absque bonâ fide Præscriptio.

C. ult. de Præscript. C. 2. de Reg. Jud. in VI.

Eadem est cum ista VI. *Possessor malæ fidei nullo tempore præscribit.*

Regulæ Ratio. Longa cum malâ fide possessio non est nisi injusta rei alienæ detentio, eò culpabilior, quò diuturnior.

XV. Multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in Judicium, exigente justitiâ, non sunt toleranda.

C. 18. de Præb.

Regulæ Ratio. Priùsquam ad Judicium deducantur, ut Judici ignota habentur, ideòque sine scandalo ab illo dissimulari possunt: Posteà publicè notum est ab eo illa non ignorari, undè si impunita dimittat, vel illa approbare censebitur, vel ignaviæ insimulabitur.

XVI. Ibi Causa semper agi debet, ubi Crimen admissum est.

C. 1. Caus. III. Quæst. VI. Servatur in Galliâ tàm circà Clericos, quàm circà Laïcos.

Regulæ Ratio. Faciliùs & certiùs judicatur Causa, ubi nata est.

XVII. Juramentum non est Iniquitatis vinculum.

C. 1. de Consuetud. in VI. R. 13. Mor.

Hinc judicandum, juramentum justum non ligare.

Regulæ Ratio: Juramentum iniquum irritum est. Hinc Regulâ 58. in VI. non est obligatorium contrà bonos mores præstitum juramentum.

XVIII. Potior videtur conditio Occupantis.

Strictè sumpta spectat ad Judicia, in quibus Procurator diligentior in præsentandâ suâ Procuratione, alteri præfertur; latè sumpta ad quævis negotia *C. 6. de Procur. in 6.* de Procuratoribus pluribus in solidum commissis intelligenda: Excipè Casum, in quo addita est Clausula, si non omnes possent. *ibid.*

Eadem est ac ea quæ habetur in explicatione 8. hujus Tituli.

XIX. Sine possessione Præscriptio non procedit.

C. 3. de R. J. in VI.

Regulæ Ratio. Possessio est unum è prærequisitis ad præscriptionem; quæ sunt Titulus coloratus, Possessio, quæ certò duret tempore, Bona Fides, reique Capacitas. Cabassut. *Cap. 22. n. 7. l. 6.*

XX. Semel Malus, semper præsumitur Malus.

Cap. 8. ibid.

Regula videtur contraria Charitati, quæ non cogitat malum, sed non est; non enim Charitatis est malum non cogitare in omni casu, sed tantùm, cùm nullum subest fundamentum, quale subest in casu Regulæ; præterea non præsumitur hic Malus in omni mali genere, sed in eo tantùm, in quo Malus inventus est, idque solùm, ut impediatur ne simile malum perpetret; undè hæc præsumptio non obest; sed potiùs prodest ei, in quem cadit: unò verbo præsumptio, de quâ Regula, non est maligna, sed cauta, ut potè non nata ex pravâ malè judicandi consuetudine, aliove vitio, sed ex justo metu: hinc semel Perjurus semper Perjurus habetur, id est ob primum perjurium à jurando repellitur, eoque modo à mali juramenti periculo liberatur. Canisius *Præfat. in Regulas VI.* notat hanc à Bonifacio VIII. deductam ex variis Casibus ac Textibus Juris, eosque recenset.

XXI. Ratum Quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.

C. 9. ibid.

Loquitur Regula de ratihabitione propriâ, quâ Contractus vel Actus Judiciales me contingentes, ab alio meo nomine facti, sine meo Mandato, à me rati habentur.

Requirit Regula, ut ratihabitio hæc valeat, utì Actus pro me, seù meo nomine expressè facti sint, idque requirit, quia quod de re meâ, ab alio, suo, non meo nomine, fit, omninò irritum est, ideòque à me ratum seù firmum fieri non potest; quod verò de re meâ meo nomine, sed me non mandante fit, non est irritum, sed irritandum, si velim, ac proindè me consentiente ratum fieri potest.

Duplex est, Ratihabitio, quæ est impropria; altera, quâ Beneficii collatio, ad quam meus requiritur consentus, me inscio facta, à me rata habetur, vel tacitè vel expressè, tacitè, si de illâ non conquerar intrà tempus mihi à Jure concessum; expressè, si verbo vel scripto me consentire, ut valeat, significem: altera, quâ res vi metuve facta rata habetur. Utraque autem impropria est, quia 1. casu, Actus non fit nomine meo; 2. verò, Actus fit non ab alio, sed à me invito. Hinc ratificatio hæc differt ab eâ, de quâ in Regula 21. & 22.

XXII. Ratihabitionem retrotrahi & Mandato non est dubium comparari.

C. 10. ibid.

Confirmat quod præcedens affirmat, nempè rem meo nomine gestam à me ratam haberi posse; si enim Ratihabitio Mandato comparatur, clarum est rem, me non mandante factam, sed meo nomine ratam à me haberi posse, quasi à me mandata esset.

Regulæ Ratio. Ratihabitio facit, quod feciſſet Mandatum, consensum enim desideratum præbet, quem Mandatum præbuisset.

XXIII. Extrà Territorium Jus Dicenti non paretur impunè.

C. 2. de Constit. in VI.

Regulæ Ratio. Nullam habet Judex extrà Territorium jurisdictionem.

XXIV. In Judiciis non est acceptio Personarum habenda.

C. 12. ibid.

Regulæ Ratio. Ut justa sint Judicia, qualia esse debent, ponderanda sunt tantùm Causarum momenta, sivè rationes, quibus Causæ fiunt bonæ vel meliores, vel malæ; Personarum autem qualitates non sunt rationes, quibus bonæ vel meliores efficiantur, vel malæ aut pejores.

XXV. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

C. 20. ibid.

Regulæ Ratio. Res eadem potest ab uno eodemque pluribus titulis possideri, ac proindè pluribus modis defendi. Canisius hanc Regulam rectè explicat.

XXVI. Quod Quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur.

Cujus Ratio hæc sequitur: *Cùm habeat parere necesse.*

C. 24. ibid.

XXVII. Quæ à Judice fiunt, si ad ejus non spectant Officium, viribus non subsistunt.
C. 26. ibid.

REGULÆ Ratio; suum extrà Officium caret jurisdictione.

XXVIII. In obscuris, minimum est sequendum.
De pœnis loqui videtur, præceptumque, ut minima à Judice decernatur, dùm ambigitur, quam Lex vel Canon in casu, de quo agitur, præfiniat. Sic intellecta eadem ferè est ac Regula 49. VI. *In pœnis benign. &c. C. 30. ibid.*

Etsi Regula hæc Judicem potissimùm respiciat, ad alios extendi potest.

REGULÆ RATIO. Dubia sunt in benigniorem partem interpretanda. *Canisius* hanc Regulam fusè explicat, probatque, illam locum habere nedùm in Judiciis, sed etiam in Contractibus, in Constitutionibus pœnalibus: idem dicendum de *Glossa*. Utroque loco confirmatur allata expositio, ipsiusque ratio: hùc facit Regula 49. VI. quæ in istâ continetur, ut pars in toto.

XXIX. Non licet Actori quod Reo licitum non existit.
C. 32. ibid.

REGULÆ RATIO. Reus paris conditionis esse debet ac Actor, idcircò quæ licent isti, alii licere debent, sed non è contrà, ut probat *Canisius* in Regulam 20. VI.

XXX. Non debet Quis fructum consequi ex eo, quod nisus est impugnare.
Cap. 38. ibid. Locum habere videtur in Testamentis, Donationibus, Contractibus, Electionibus quibuscumque: quoad Contractus specialiter firmatur Regulâ 75. ibid. *Frustrà sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.*

REGULÆ RATIO. Quod à me impugnatur, quantùm in me est, irritum est, ac proindè, ut irritum mei gratiâ habendum est, cùm autem rei nullius nullus sit fructus, ex re à me impugnatâ fructum nullum consequi debeo; exceptiones quasdam hæc Regula patitur, quas *Canisius* notat in illam.

XXXI. In pœnis benignior est interpretatio facienda.
C. 48. ibid. Eadem videtur cum 28. hujus Tit. ac proindè eadem illius RATIO.

XXXII. Non est in mora qui exceptione legitimâ se tueri potest.
C. 60. ibid.

REGULÆ RATIO. Exceptio illa debitum suspendit.

XXXIII. Exceptionem objiciens, non videtur de Adversarii intentione confiteri.
C. 63. ibid.

REGULÆ RATIO habetur in 25. hujus Tit. si enim licet uti pluribus defensionibus, possum uti defensionis exceptione, quin Adversarii intentionem confitear; quia hâc utens defensione, aliis non renuntio.

XXXIV. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.
C. 71. ibid.

REGULÆ RATIO. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus; agere autem, est quid majus, quàm excipere.

XXXV. Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur.
C. 85. ibid.

REGULÆ RATIO. Contrahentes obligant se ad id, quod volunt: obligatio in Contractibus, est Lex Contrahentium. Mutuus Consensus in aliquid, quod sibi invicem placet, est Conventio; ac proindè Contractus ex Conventione Legem accipiunt.

XXXVI. In ipso Causæ Criminalis initio, non est à Quæstionibus, id est tormentis, inchoandum.
C. 6. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO. Injustè cruciatur, qui ex bonis conjecturis non judicatur Reus: hæ autem circumstantiæ initio processûs criminalis sunt discutiendæ: Nota quòd etsi hæc Regula falsò desumatur ex S. Gregorio, & contrà mentem illius sit, attamen vera est in se ob adductam rationem.

XXXVII. In minimis Causis, sicut in majoribus, appellationi est deferendum.
C. 11. de Appell.

RATIO. Appellatio, est defensio, quæ nulli est deneganda.

XXXVIII. Quoad ordinem judiciarium, quod Jure Civili licet, Jure Canonico quoque licet, nisi Juri Divino adversetur, vel aliud Jus Canonicum præscribat.
Infertur *ex Cap. 2. de Causâ Possess.*

REGULÆ RATIO. Judiciarium ordinem desumpsit Jus Canonicum à Jure Civili.

XXXIX. Clericorum Causæ Jure Canonico decidendæ.
C. 9. de For. compet. cui jungenda Pars decisa, in quâ ponitur principium, ex quo contenta in citato *Cap.* prout apud GREGORIUM IX. habetur, decisio infertur; Pars enim apud GREGORIUM relata est mera consequentia Partis decisæ, cùm in illa decidatur, Causas Clericorum pecuniarias judicandas Jure Canonico, ex eo, quòd in Parte decisa dictum est, Clericis nihil commune esse cum Legibus publicis. *C. 9. de Foro compet.*

Hæc Regula non recipitur integra, nisi in Locis, in quibus Supremæ Potestati placet, ut Clerici solo Jure Canonico regantur: in aliis recipitur tantùm quoad Causas merè Ecclesiasticas, quarum decisio è Jure Canonico pendet: idcircò GONZALEZ notat *n. 2.* hanc Constitutionem esse localem.

XL. Forum Quis sortitur ratione delicti, contractûs, domicilii, rei.
C. 20. de For. compet.

REGULÆ RATIO. Illorum quolibet subditus efficitur Judicum Locorum, in quibus illa sunt vel fiunt.

XLI. Negantis factum nulla est per rerum naturam probatio: Sed ex illius ad objecta responsione, de veritate vel de falsitate negati judicare licet.
C. 5. de Renunt.

XLII. Tanta est Judicis autoritas, ut pro ipso semper præsumi debeat, donec contrà ipsum aliquid legitimè probetur.
C. 11. de Prob. in quo CONCILIUM LATERANENSE IV. jubet, ut omnia Acta Judicialia conscribantur, ne Judex tali præsumptione abuteretur.

XLIII. Facientem & Consentientem par pœna constringit.
Ex S. PAULO desumitur. ROM. X. v. 32. quoniam Qui talia agunt, digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed qui consentiunt facientibus. *C. 47. de Sent. Excom.*

XLIV. Non vindicabis bis in idipsum.
NAHUM. I. *C.* 24.

XLV. Leviter Castigatus reverentiam exhibet Castiganti, asperitatis autem nimiæ Increpatio, nec correctionem recipit, nec salutem.
Conc. Bracchar. Tertium desumit ex quodam Sapiente. *C.* 8. DIST. XLV.

XLVI. Ut quod injustè fecit, ipse justè patiatur.
C. 11. CAU. II. QUÆST. I. *C.* 6. CAU. XXIV. QUÆST. III.

XLVII. Quatuor modis pervertitur Humanum Judicium, timore, cupiditate, odio, & amore.
ISIDOR. *C.* 78. CAUS. XI. QUÆST. III.

XLVIII. Causa semel affectata apud superius Tribunal, non potest, eo inconsulto, deinceps devolvi ad inferius Tribunal.
C. 19. *de For. compet.*

XLIX. Qui

XLIX. Qui prior appellat, prior agat.

C. 2. de Ordin. cognition. Gonzalez *in hoc cap.* illam Regulam sic explicat, ut verus sensus sit, quòd is, qui appellat, est Actor in secundâ instantiâ coràm Judice ad quem, etsi Reus fuerit in primâ instantiâ coràm Judice à quo, eamque desumptam dicit ex *L. Qui appellat. 29. ff. de Judiciis.*

§. III.

De Moralibus Regulis.

Antequàm colligantur Regulæ Morales juxtà divisionem superiùs memoratam, una Generalis præmittenda, quæ præ aliis omnibus est notanda ac retinenda; præscribit enim modos, quibus exorta circà Mores dubia decidenda sint, quod ad Mores permaximè pertinet.

Articulus I.

De Canonicis Morales Quæstiones decidendi Modis.

Observatio.

In Jure Canonico non alii leguntur modi, quibus Morales Quæstiones decidantur, quàm isti.

1. *Scriptura sacra. C. 3.* Dist. XX. ibi enim habetur, ad alia recurrendum, cùm casus decidi nequeunt ex Scripturâ.

2. *Canones*, mox citandorum Textuum, quibus *Decretales Summorum Pontificum* annumerantur: in Priore enim legitur fidem inutiliter habere, qui Canones non recipit: in Posteriore, Canones vocantur Divina Scripta Græca, quia nondùm erant Canones Latini, qui ab Ecclesiâ Romanâ reciperentur. *C. 1.* Dist. XX. *C. 3. cit.*

3. *Sancti Patres. C. 3. cit.* in utroque expressè habetur: *Clementina 1. de Fide & Summâ Trinit.* quæ præfert opinionem, quæ docet in Baptismo infundi Infantibus Virtutes, ex eo quòd sit Sanctorum dictis magis consona.

4. *Sanctorum exempla. C. 3. cit.* hic modus in isto Capite exprimitur, quod restringendum ad ea, quæ Legi Naturali vel Divinæ manifestò non adversantur.

5. *Concilia Generalia vel Particularia. C. 3. cit.* hic etiam *ibid.* exprimitur.

6. *Sedes Apostolica*, si à Conciliis Particularibus decidi nequeant. *C. 1.* Dist. XX.

Non obstat, quòd Canon 2. & Canon 3. citati inter Apocryphos à Criticis collocentur; hoc enim non fit propter id, quod continent, sed ob Autoris illorum incertitudinem: præterea Canon 3. nihil habet, quod non sit in Canone 1. quem omnes legitimum esse Leonis IV. fœtum agnoscunt, eo solo excepto, quod de exemplis Sanctorum dictum est, quodque confirmatur ab eodem Canone 1. Quod enim dicit de Scriptis Patrum, extendere fas est ad eorum exempla, quæ non minoris ponderis ac authoritatis sunt, quam illorum Scripta. *Can. 2.* de alio Decisionum fonte non loquitur quàm de Decretalibus, de quarum authoritate mentio ampla fit in Dist. XIX. quæ tota est in illâ probandâ. Ad hæc *Canon 3.* Dist. XX. de eâdem sermonem facit, & recensens Pontifices Veteres, quorum Decretales reciperentur, incipit à Siricio, ideòque excludit ab hoc numero illas, quæ Antiquioribus suppositæ sunt.

In recensendis Fontibus, ex quibus Ethica Christiana haurienda est, juxtà Juris Canonici præscriptum, ordinem authoritatis secuti sumus; ideòque 1. locum dedimus Scripturæ Sacræ, 2. Conciliis Generalibus, 3. Decretis Summorum Pontificum, 4. SS. Patribus, 5. Istorum exemplis, insinuavimusque, in Controversiis circà illam exortis, non esse recurrendum ad Summos Pontifices, nisi cùm à Conciliis Particularibus finiri non possunt, vel quia illorum Celebratio possibilis non est, vel quia non consentiunt in Decisione.

Ex notato ordine sequitur, quòd si SS. Patrum Dicta, vel Pontificum Decreta, adversentur vel Scripturæ, vel Conciliorum Generalium Definitionibus, Regulæ Decisionum esse nequeant: hoc agnoscit Gratianus Dist. XIX. sub *Can. 7.* excludens expressè ab his, quæ dixerat in favorem Sanctionum Pontificiarum, quascumque præceptis Evangelicis adversantes. Idem S. Leo confirmat in *Can. 2.* Dist. XIV.

Quod mox observatum est ad Decisiones ab iisdem datas circà proposita eisdem dubia, hujus rei exemplum refertur attentione dignissimum in Commentario Van Espen in Dist. XX. *Concilium Toletanum IV.* an. 686. cui præsidebat *S. Julianus* Confessionem 16. Capitulis constantem miserat ad *Benedictum II. Papam*; intellecto autem, quòd iste quatuor ex illis improbaret, biennio post congregatum fuit aliud Concilium, in quo cùm reperissent ista consona Dictis *SS. Ambrosii, Augustini, Fulgentii*, pronuntiarunt, standum esse his Dictis. Legesis citatum exemplum, & concludes, quòd notata exceptio jure merito notanda est.

Clementina suprà citata inter Regulas vel Fontes Decisionum Moralium & aliarum ad Doctrinam spectantium, recensere videtur Theologorum Modernorum Sententias, cùm illas collocet inter momenta, quibus determinatur ad relatam opinionem alteri præferendam; sed id restringendum ad ea, de quibus nec Scriptura, nec Concilia, nec Summi Pontifices, nec SS. Patres quidquam clarè dixerunt, nec non ad ea, in quibus Moderni Theologi cum SS. Patribus consentiunt, vel de Theologis intelligendum, quorum Doctrina communiter recepta est, ut *Divi Thomæ*; aliorumve similium. Hæc Clementina facta est approbante Concilio Viennensi, an. 1311.

Quod de SS. Patrum authoritate in Decisionibus hactenùs dictum est, confirmatur per *Cap. unicum de Fide & Summa Trinit. in VI.* in quo deciditur ex consensu illorum, tùm Græcorum, tùm Latinorum, Spiritum Sanctum unâ Spiratione æternaliter procedere ex Patre & ex Filio: desumitur ex *Concilio Lugdunensi. I.* Idem Textus distinguit Doctores à Patribus, & *Glossa* in verba *Doctorum* ait, quòd illorum præcipuus est ordo in Ecclesiâ, illud probans per *C. 12. de Hæret. §. Sicut*, addit, quòd hoc nomine intelligendi sint Prædicatores & Prælati, ad id autem allegat *C. 1.* Dist. XLIII. Horum duplex genus, aliud Pontificum, aliud non Pontificum, ibi distinguitur à S. Gregorio.

Articulus II.

De Prohibitoriis circà Mores Regulis.

Observatio.

Prohibitoriæ circà Mores Regulæ hæ sunt.

I. Plus timeri solet quod specialiter, quàm quod generaliter inhibetur.

Clem. unic. de excess. Præl. in fine.

II. Cùm quid prohibetur, prohibentur etiam omnia, quæ ex illo sequuntur.

R. 35. 80. de Reg. Jur. in VI.

III. Malitiis hominum non est indulgendum.

C. 23. de Rescript. C. 5. Qui accusant Matr. C. 27. de Priv.

Hæc Regula Superiores præcipuè respicit; horum enim est Hominum malitias correctione, vel punitione, vel Lege coërcere.

Regulæ Ratio. Fiunt in dies pejores Homines, ni eorum malitiis obvietur: vix enim pœnâ in officio suo retinentur.

IV. Fraus & dolus nemini patrocinari debet.

C. 15. 16. de Rescript. R. 4.

Includitur in superiori, fraus enim & dolus sunt malitiæ, quibus non est indulgendum, ac quibus indulgeretur, si cuiquam patrocinari permitterentur. Contrà

verborum æquivocationes trahi potest; fraus enim & dolus sunt actionum æquivocationes.

REGULÆ RATIO: Si secùs fieret, quàm ferat Regula, ad fraudem & dolum aperiretur via maximè frequentanda.

V. Quæ vi metuve fiunt de Jure in irritum revocanda.

vel quod eodem recidit, *Quæ vi metuve fiunt carere debent robore firmitatis. C. 4. De iis, quæ vi.*

RATIO REGULÆ. Vis metusve libero officiunt consensui ad actuum valorem jure meritò desiderato.

Restringenda ad vim metumve injusta; nam v. g. si quis metu justæ Depositionis, Beneficio renuntiat, renunciatio valet; vel si alius metu mortis meritæ, & à Judice præceptæ fœminam sibi in matrimonio jungat, matrimonium validum est.

VI. Nullus debet de malitiâ suâ commodum reportare.

C. 7. de Judiciis. C. 9. de Dolo & Contu. R. 2.

Ad quartam reducitur; est enim velut illius Ratio, cùm dolus nemini debeat patrocinari, ne ex malitiâ commodum reportet.

REGULÆ RATIO. Indè remuneraretur, undè puniendus est.

VII. Contumax non esse debet melioris conditionis, quàm Obediens.

C. 9. de Dolo & Contum.

RATIO: Inobedientia amaretur, & obedientia odio haberetur.

VIII. Propter Scandalum vitandum, non est Veritas omittenda.

C. 3. de Reg. Jur. Intellige Veritatem præcepti, ut illa Regula concordet cum 25. ejusd. Tit.

REGULÆ RATIO. Sicut non sunt facienda mala prohibita, ut eveniant bona, ita nec omittendum bonum præceptum, ut vitentur mala.

IX. Quod ad defensionis subsidium est inventum, non debet ad deprecationis dispendium retorqueri.

C. 12. de Pœnis.

REGULÆ RATIO. Contrarium agens gratiâ abutitur, bonumque in malum convertit, utrumque autem injustum est.

X. Peccati venia non danda nisi Correcto.

C. 5. de Reg. Jur. in VI.

REGULÆ RATIO. Peccati venia non Correcto data, novæ culpæ occasio est. A foro exteriori ad interius extendenda est.

XI. Nemo potest ad impossibile obligari.

C. 6. ibid. desumitur ex Jure Naturali.

Ad illam reducitur 41. & 66. Regula, ut effectus ad causam.

REGULÆ RATIO. Injusta esset hujusmodi obligatio, cùm impleri non possit.

XII. Non est sine culpâ Qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.

C. 19. ibid.

Optima est contrà Curiosos, nec non illos, qui artes, quas ignorant, exercent, vel sine mandato aliorum negotia gerunt.

REGULÆ RATIO. Ex ordine vel statu suo egreditur, qui id agit quod Jure Divino, imò & Naturali prohibetur; præterea rei alienæ se immiscens, negligens est suæ; cùm enim sua quemque res satis illum occupet, qui alienæ se immiscet, suam negligere necesse est.

XIII. Cùm quid prohibetur, prohibentur etiam omnia, quæ ex illo sequuntur.

C. 29. ibid. Vide *R 6. præcept.*

REGULÆ RATIO. In Principio Consequentiæ includuntur.

XIV. Locupletari non debet Quis cum alterius injuriâ, vel jacturâ.

C. 48. ibid.

Loquitur de jacturâ injustâ, ut inferre licet ex præcedenti voce, injuria, quæ injustum nocumentum significat.

REGULÆ RATIO: Qui cum injusto alterius damno locupletatur, furtis vel quasi furtis, res suas auget.

XV. Non est obligatorium contrà bonos Mores præstitum juramentum.

C. 58. ibid. C. 3. de Jurejur. in 3. Collect. R. 18. infrà.

REGULÆ RATIO. Inferioris Lex Superioris Legi contraria non ligat; promissorium autem juramentum, de quo Regula, est Lex privata sibi à Jurante imposita, undè, cùm Homo sit infinitè inferior Deo, Lex illa Jurantem non ligat, si sit Legi Dei contraria, qualis est, quandò contrà bonos Mores juratur.

XVI. Dolo facit qui petit, quod restituere oportet eumdem.

Intelligitur de restitutione ei, à quo petit, faciendâ; si enim restituendum esset alteri, justè peteretur, cùm injusto Detentori res auferretur, ut Domino legitimo daretur. *C. 59. ibid.*

Regulæ Casus hic esse videtur: quamdam pecuniæ summam vero titulo Joanni debes, hanc à te peto tanquàm potiori titulo, sed ficto mihi debitam, ut illa Joannem frustrer, tibique servem; vel petens usuras, quas tibi restituere teneor, Creditores tuos debitis frustror. In utroque casu me dolosè agere manifestum est, nec non ad restitutionem teneri ergà illos, quibus dolus meus præjudicat.

XVII. Nemo ex consilio, dummodò non sit fraudulentum, obligatur.

C. 62. ibid.

Excipiendi videntur casus, in quibus ex justitiâ consilium bonum dare tenetur qui dat; quales sunt, Confessor circà Animæ Salutem, Medicus circà Corporis sanitatem, Advocatus circà lites; isti enim, si ex ignorantiâ, ex negligentiâ, aliâve culpâ malum præbent consilium, injustitiam committunt, cùm ex officio, bona dare Consilia teneantur; undè videntur in eos, quibus per mala consilia nocent, obligari.

XVIII. In malis promissis fidem non expedit observari.

C. 69. C. ibid. 3. de Jurejur. in 3. Collect.

REGULÆ RATIO. Lex Deo contraria non est servanda, malum promissum est Lex Deo contraria, ac proindè non est servandum.

XIX. Qui contrà jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.

C. 92. ibid.

Excipiendi casus, in quibus Lex, quæ violatur, est merè pœnalis.

REGULÆ RATIO. Præsumptio, de quâ Regula, justa est ex eo, quòd alicujus culpæ Reus circà aliquam rem, alius non absimilis Reus circà eamdem non immeritò creditur, eodemque redit interpretatio *Canisii* in eamdem.

XX. Bona fides non patitur, ut exactum semel, iterùm exigatur.

C. 83. ibid.

Loquitur Regulâ de iteratâ exactione scienter factâ.

REGULÆ RATIO. Non potest Quis cum bonâ fide indebitum scienter exigere: exactum autem semel, indebitum est, ac proindè non potest iterùm scienter exigi, sine malâ fide.

Ad pœnam extenditur, quæ bis eadem, de eodem delicto non iterato, exigi nequit sine malâ fide. *Canisius in hanc Regulam.*

XXI. Quidquid in sacratis Deo rebus & in Episcopis injustè agitur, pro Sacrilegio reputatur, quia Sacra sunt, & à quoquam violari non debent.

C. 7. de Reg. Jur.

REGULÆ

Regulæ Ratio. Ex Epist. 2. *Stephano I.* suppositâ vulgò desumitur, relatâ integrâ apud Labbæum. *Conc. to.* 1. *p.* 732. at ex variis locis Autorum longè posteriorum confecta est, ut patet ex citationibus marginalibus. Regula tamen indè deducta non ideò rejicienda, cùm nihil nonnisi veri habeat & à Gregorio IX. approbata sit.

XXII. Qui ex timore præceptum facit, aliter quàm debeat, facit, & ideò jam non facit.

C. 8. *ibid.*

Regulæ Ratio. Timor pœnæ temporalis, vel æternæ sensibilis, non excludit peccati voluntatem, idcircò, dùm ex tali timore fit præceptum, cum voluntate non faciendi fit, ideòque æquè inutiliter & damnabiliter, ac si non fieret; idque, quia in vitandâ pœnâ, à jacturâ à Deo districtâ ultimus finis constituitur.

XXIII. Non est arguendus, nec impugnandus, cujus Crimen non deprehenditur.

C. 13. Gaus. VI. Quæst. III.

Regulæ Ratio. Correptio videtur tunc injusta, ideòque nociva.

XXIV. Periculosissimè admittitur hæc Compensatio, ut mali aliquid faciamus, ne alius gravius malum faciat.

C. 1. Dist. XIV.

Regulæ Ratio. Temerariè, incautè & injustè exponimus Salutem nostram pro Salute alienâ: incerti enim sumus de veniâ pro peccato nostro obtinendâ; incerti etiam, an talis indiscreta Caritas Proximo proderit; dùm enim impeditur peccatum exterius, peccatum interius non cavetur.

XXV. Etsi Bonum, (*intelligo Bonum consilii non præcepti*) quandòque omittendum sit, malum numquàm est committendum.

C. 2. *de novi operis.*

Regulæ Ratio. Bonum cessat quandòque esse Bonum, ratione circumstantiarum, sed nullæ sunt circumstantiæ, quæ efficere possint, ut quod in se malum est, de quo hic sermo, desinat esse malum.

XXVI. Ignoscendum Erranti ex simplicitate, non autem Perservanti in errore cognito.

Cap. 8. Dist. VIII.

Regulæ Ratio. Probabilis error (qualis qui ex simplicitate aliâve honestâ causâ oritur) excusat, non item alius.

XXVII. Non tanto pondere prohibenda licita, quæ non expediunt, quanto pondere prohibenda illicita.

C. 9. Caus. XXVIII. Quæst. I.

Ratio. Prius, minus malum, quàm posterius.

XXVIII. Qui scit se aliis præpositum, sicut non vult gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat illis importabile pondus imponere.

C. 14. Caus. II. Quæst. VI.

Ratio. Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis.

XXIX. Non est putandum in verbis Scripturarum, esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medullâ; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.

C. 64. Caus. I. Quæst. I. *Ex. S. Hieronymo.*

Regulæ Ratio. Littera occidit, Spiritus vivificat: verba sunt velut Corpus, vel cortex; sensus verò, sicut Anima vel succus.

XXX. Quod licet, sed non expedit, quale id, ex quo Hominibus Salutis impedimentum infertur, non est faciendum.

C. 9. Caus. XXVIII. Quæst. I.

Regulæ Ratio. Licitum hoc casu fit illicitum ratione circumstantiæ, quâ efficitur non expediens.

XXXI. Jungendi non sunt, quibus studia & Vota sunt diversa.

C. 22. Caus. XVI. Quæst. VII.

Regulæ Ratio. Hujusmodi cohærere & conjungi nequeunt.

XXXII. Ex eventu Facta æstimanda non sunt.

C. 8. 9. 10. Dist. XLVII. Hinc non judicandum, quòd Pastor Gregem suum pro debito officio non curet, ex eo solo, quòd Grex malus sit.

Regulæ & Exempli Ratio. In Moralibus, ut in Physicis, multa impediunt, ne res eventum congruum habeant.

XXXIII. Adversitas, quæ Bonis objicitur, probatio est Virtutis, non indicium Reprobationis.

C. 48. Caus. VII. Quæst. I.

Regula loquitur de Viris Justis, vel saltem de Pœnitentibus: desumitur ex S. Gregorio eamque probat naufragio S. Pauli euntis in Italiam ad prædicandum, quod sic exprimit: *Quis enim nesciat, quàm prosperum fuit quod S. Paulus Apostolus prædicaturus ad Italiam veniebat, & tamen veniens naufragium pertulit, sed navis Cordis, in Maris fluctibus, integra stetit.* Malè ergo existimatur Malus, qui affligitur, si aliundè Bonus habeatur.

XXXIV. Non spectandum, quid Quis dicat, sed quid agat.

C. 71. Caus. XII. Quæst. II.

Regulæ Ratio. Plenus venter facilè de jejuniis disputat, idem dic de Divite, ergà paupertatem, de Sano, ergà morbos.

XXXV. Sapiens non est omnis, qui nocet.

C. 14. Caus. VI. Quæst. I.

Regulæ Ratio. Initium Sapientiæ timor Domini.

Articulus II.

De Permissoriis circà Mores Regulis

Observatio.

Non aliæ leguntur in Jure Canonico circà Mores Permissoriæ Regulæ, quàm istæ.

I. Aliud est præcipere, aliud permittere; præcipimus quod placet: quod autem permittimus, nolentes permittimus.

C. 9. Caus. XXXI. Quæst. I.

Ratio. Præcipiens eligit, Permittens alienæ necessitati obedit.

II. Necessitas facit licitum, quod non est in Lege licitum.

C. 4. *de Reg. Jur.*

Restrigenda ad illa, quæ ex se mala non sunt, qualia non sunt Odium Dei, Perjurium, Mendacium, ista siquidem nullâ ex causâ licita fiunt.

Regulæ Ratio. In gravi, & urgente necessitate, de quâ Regula, obligare non intendit Legislator, nec potest intendere, quia plus prodest, vel minùs obest non servata Lex, quàm prodesset, vel obesset servata.

III. Vim vi repellere omnes Leges omniaque Jura permittunt.

C. 3. *de Sent. Excom.*

Regulæ Ratio. Quolibet Jure Homini licet seipsum conservare, ideòque & repellere, quæ huic conservationi adversantur.

Regulæ huic alibi additur *cum moderamine inculpatæ tutelæ;* idque, quia vim vi Repellens sui defensionem intendere debet, nec aliam in repellendo vim adhibere, quàm quæ ad removendam præsentem injuriam, verè necessaria est. *C.* 2. 18. 19. *de Homicid.*

IV. Necessitas non habet Legem.

C. 11. *de Cons.* Dist. I. *C.* 2. *de Observ. Jejun.*

Eadem est ac 1. nam sensus illius est, quòd Necessitas à Lege excuset, ac proindè, quòd licitum faciat quod in Lege illicitum est.

Restringenda ergò est eodem modo, ac illa.

V. Fustrà quis sibi postulat fidem servari ab eo, cui fidem præstitam servare recusat.
C. 75. ibid.
REGULÆ RATIO. Contrahentes paris sunt conditionis ergà Contractum, undè, si alter fidem frangat, alteri frangere licet.
Vide *Canisium* in hanc Regulam.

VI. De Manifestis, quæ non possunt bono animo fieri, nobis permittitur judicare.
C. 2. de Reg. Jur.
REGULÆ RATIO. Judicium hujusmodi non lædit Proximum.

VII. Illa nonnunquàm sinenda sunt, quæ, si cæteris constet integritas, nocere sola non valent.
C. 3. CAUS. I. QUÆST. VII. *R. 33. Præcept.* Ad Abusus circà Disciplinam, qui sine scandalo tolli non possunt, Regulam hanc accommodare licet; dùm enim Fides & Mores sunt integra, abusus isti non nocent.
REGULÆ RATIO. Si ad vitandos Saluti non nocivos abusus excitetur scandulum, morbo pejus remedium adhibetur, vel leviori laborans morbo ægrotus, graviori & mortali exponitur.

VIII. Aliud est Dei jubentis, aliúsve Superioris Imperium, aliud Conservi secundùm misericordiam Charitatis, quæ à Deo est illi inspirata, fidele consilium. Consilio si uti nolueris, minùs boni adipiscēris, sed nil mali perpetrabis: sed si Domini præceptò, aliúsve Superioris, non obedis, peccas.
C. 3. CAUS. XIV. QUÆST. I.
REGULÆ RATIO. Consilium est de meliori Bono, Præceptum verò de Bono necessario.

IX. Non omne licitum expedit, sed tunc tantùm, quandò ex illo nullum infertur Salutis impedimentum.
C. 9. CAUS. XXVIII. QUÆST. I.
REGULÆ RATIO. Incommodum ex re in se licitâ nascens, illam pro accidente circumstantia illicitam facit. Hæc Regula desumi videtur ex 1. ad CORINT. *C. VI. v. 12. 13. C. X. v. 20. & 21. Omnia mihi licent, sed omnia non expediunt.*

X. Utilius Scandalum nasci permittitur, quàm Veritas relinquatur.
C. 3. de Reg. Jur.
REGULÆ RATIO. Minus Malum præferendum majori.

ARTICULUS. III.

De Præceptoriis circà Mores Regulis.

OBSERVATIO.

Non aliæ leguntur in Jure Canonico Præceptoriæ circà Mores Regulæ, quàm istæ.

I. CUm quid præcipitur, omnia, quæ ex illo sequuntur, præcipiuntur.
Colligitur è *C. 39. de Reg. Jur. in VI. R. 11. Prohibit.*
REGULÆ RATIO. Consequentias Principium continet.

II. Plus timeri solet quod specialiter injungitur, quàm quod generaliter imperatur.
C. 6. de Hæreticis hùc pertinet *R. 6.*

III. In dubiis semitam debemus eligere tutiorem.
Vocatur hîc semita tutior, quæ à peccato certò removet, minùs tuta quæ peccati periculo exponit. *C. 12. 18. de Hom. vel Clem. 1. de verb. signif. C. 3. de Sponsalib. C. 4. De Pœnit.* DIST. VII.
REGULÆ RATIO. Nullum Malum est peccato comparandum, idcircò cuilibet nos exponere debemus, ut peccatum vitemus.

IV. Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.
C. 5. de Usur. C. 4. de Reg. Jur. in VI.
REGULÆ RATIO. Injusta rei alienæ detentio, qualis sit, dùm quod restitui potest, non restituitur, mortale peccatum est. Peccatum autem mortale remitti non potest, alio non remisso, ideò omne peccatum retinetur, dùm injustè aliena res detinetur.

V. Qui gravius excdit, gravius est puniendus.
C. 12. de Hæret. C. ult. de Excess. Præl.
Clara est REGULÆ RATIO. Commetienda enim est Pœna cum Culpâ.

VI. Quantò Quis melior est, tantò in Sacris Officiis obeundis aptior est, idcircò aliis præferendus.
C. 26. CAUS. XVI. QUÆST. I.
REGULÆ RATIO. Præcipua Dispositio ad Sacra Officia est Morum probitas.

VII. Non tantùm attendenda sunt quæ fiunt, quantùm quo animo fiant.
C. 1. CAUS. XV. QUÆST. VI.
REGULÆ RATIO. In Moralibus Bonum, & Malum præcipuè pendent ex intentione, ut patet MATTH. *C. VI. v. 22. 23.*

VIII. Dubia circà Proximi mores sunt in meliorem partem interpretanda.
C. 2. de Reg. Jur.
REGULÆ RATIO. Charitas exigit, ut præsumatur bonus qui non probatur malus. Adde quòd Proximus non manifestè malus, est in possessione boni nominis, ideòque in dubio pro eo judicandum.

IX. Defleat Peccator, quia offendens in uno, factus est omnium Reus.
C. 9. ibid.
Loquitur Regula de omni peccati mortalis Reo, eumque flere jubet, tanquàm, omnium peccatorum conscium; idque, quia ergà Cœli amissionem & Charitatis violationem, quolibet mortali peccato simus quasi Rei omnium Peccatorum: quodlibet enim Charitatis vinculum rumpit, Cœlumque claudit æquè ac cuncta simul, adeò ut qui unum tantùm committit, non minùs Charitate privetur, Cæloque, si in eo decedat, quàm qui omnia simul commisit.

X. Non potest esse Pastōris excusatio, si Lupus comedit, & Pastor nescit.
C. 10. ibid.
REGULÆ RATIO. Super Gregem debet vigilare Pastor, ne ulla Ovis ipsius Curæ commissa pereat.

XI. In Officiis Charitatis primo loco illis tenemur obnoxii, à quibus Beneficia accepisse cognoscimus.
C. 7. de Testam.
REGULÆ RATIO. Undè exeunt flumina hùc revertuntur.

XII. Deo Servientibus Beneficium negare non convenit.
C. 12. CAUS. XI. QUÆST. I.
REGULÆ RATIO. Omni petenti, da: multò ergò magis id justo utilique labore Merentibus applicandum.

XIII. Veritatis est Regula, ut nihil facias tui commendandi gratiâ, quò alius minor fiat, neque si quid Boni habeas, ad deformationem alterius & vituperationem exerceas,
C. 13. CAUS. XI. QUÆST. III.
REGULÆ RATIO. Proximum sicut teipsum diligere teneris.

XIV. Ad rectè judicandum de rerum pretereuntium usu, attendendum quid Locis, Temporibus, Personis conveniat.
C. 1. DIST. XLI. in quo leguntur exempla convenientissima, sicut etiam in *C. 2. 3. 4. 5. ejusd.* DIST.

REGU-

Regulæ Ratio. His circumstantiis, ut & finis circumstantiâ, bonus vel malus fit istarum rerum usus.

XV. Non decet alii te fecisse, quod ab alio fieri tibi nolles.

C. 13. *de Majorit.* Simile quid habetur. *C.* 2. *de mutuis Petition. C.* 37. *de Excom. l.* 5.

Regulæ Ratio. Christi authoritas.

XVI. Plùs est Deo, quàm Homini deferendum.

C. 37. *de Excomm. l.* 5.

Regulæ Ratio. Spiritûs Sancti impetro testimonium *Act. IV. v.* 19. *Act. V. v.* 29.

XVII. Non satis est benè velle, sed etiam benefacere oportet, nec satis est iterùm benefacere, nisi id ex eo bono fonte, hoc est ex bonâ voluntate proficiscatur.

C. 14. *D.* 86. *R.* 19.

XVIII. Benefacere nemo potest, nisi elegerit, nisi amaverit, quod est in liberâ voluntate.

C. 33. Caus. XXIII. Quæst. V.

Regularum XVII. & XVIII. Ratio. Sicut Cupiditas est omnium Malorum radix, sic Caritas fons est omnis Boni.

XIX. Nisi fiat quod Bonum est, à Malo abstinere non sufficit.

Clem. 3. *de pœnis. l.* 5. *C.* 18. Caus. XXII. Quæst. V.

Regulæ Ratio. Bonum fac & declina à Malo.

XX. Ad veritatem vitæ pertinet, ut id quod exteriùs agitur, interiorem mentis dispositionem & habitum repræsentet.

Clem. 1. *de verb. signif. R.* 16.

Regulæ Ratio. Aliàs exterior actio est mendacium, simulatio & hypocrisis.

XXI. Attendere non debemus solùm quid factum sit, sed potiùs quid faciendum.

C. 27. *de Elect.*

Regulæ Ratio. Exemplis Lex est præferenda.

XXII. Non solùm quod Malum esse dignoscitur, sed & omne, quod speciem habet Mali à veris Perfectis specialiter vitandum est.

Clem. 1. *de verb. signif.*

Regulæ Ratio. Perfecti sunt cæterorum specula, quæ omni carere debent maculâ, etiam apparenti.

XXIII. Operari nunquàm licet contrà Conscientiam, quæ certa judicatur.

Qualis de qua *C.* 44. *de Excomm. C.* 13. *de Restit. Spoliat. C.* 35. *de Simon. C. unic. de Scrutinio.*

Hinc, potiùs sustinendæ sunt Ecclesiæ Censuræ, quàm quod certò scimus à Deo nobis prohibitum, jubente Ecclesiâ ex errore Facti, faciamus.

Regulæ Ratio. Conscientia hujusmodi est proxima actionum nostrarum Regula.

XXIV. Conscientia levis, vel temerariæ credulitatis, præcipuè ad sui Pastoris consilium explodi debet.

C. 44. *de Excom. Extravag.* 1. *de verb. signif. Joann. XXII.*

XXV. Ortum ex scrupulo, peccandi periculum non evades, nisi deponas errorem.

C. 35. *de Sim.*

Regulæ XXIV. Ratio. Manente causâ manet effectus, quandiù autem manet error, manet peccandi periculum, quod ex illo oritur.

Regulæ XXV. Ratio. Constitutus est à Deo Pastor ut ducat, ideòque consulti in dubio Pastoris consilia sequenda sunt.

XXVI. Manente circà actionem faciendam dubio, ab eâ est abstinendum.

C. 24. *de Rescript. C.* 2. *de Secund. Nupt.*

Regulæ Ratio. Ad hoc, ut mihi agere liceat, oportet, ut moraliter certus sim de actionis meæ Bonitate.

XXVII. Cùm plures sunt circà eamdem rem opiniones, probabilior sequenda est.

Probabilior autem est, quæ meliori nititur ratione, quæve Doctorum tam Antiquorum, quàm Modernorum Theologiæ conformior. *Clem.* 1. *de Sum. Tri.* §. 3. *C.* 4. *de Feriis* §. 1.

Regulæ Ratio. Opinio hæc ad veritatem, quæ sequenda est, propiùs accedit.

XXVIII. Communis utilitas, Privatæ est præferenda.

C. 18. *de Regularib.*

Regulæ Ratio. Majus bonum minori prædiligendum est.

XXIX. Superiori magis curandum est, ut Leges serventur, quam ut constituantur.

C. Unic. de Regular. in VI. §. *Ult.*

Regulæ Ratio. Legum Conditor circà illarum observationem negligens, peccandi materiam plurimis subministrat.

XXX. Quisquis præceptis non obtemperat, justis vel non evidenter injustis, Reus est, & Debitor pœnæ.

C. 3. Caus. XIV. Quæst. I.

Regulæ Ratio. Peccati stipendium pœna.

XXXI. Exigit Perversorum audacia, ut non solâ prohibitione contenti sint Superiores, sed etiam delinquentibus pœnam imponant.

C. 2. *de Censib. in VI.*

Regulæ Ratio. Dignum est, ut quos Dei timor à Malo non revocat, saltem coerceat severitas Disciplinæ.

XXXII. Rectorum negligentia, dùm spem impunitatis permittit, multam nutrire pestilentiam consuevit in Subditis.

C. 7. *de Elect.* §. *ult. Extravag. Joann. XXII. de pœnis. C.* 2. *D.* 62.

XXXIII. Quod dicit Apostolus, dimittendum Conjugem potiùs, quàm Christum, hoc de Parentibus, de Filiis, de Fratribus est dicendum.

C. 7. Caus. XXVIII. Quæst. I.

Regulæ Ratio. Qui non odit Patrem suum, aut Matrem suam, non est me dignus, ait *Christus* Matt. *C.* X.

XXXIV. Quod neque contrà Fidem, neque contrà bonos Mores injungitur, indifferenter est habendum & pro eorum, inter quos vivitur, Societate est servandum.

C. 11. Dist. XII. §. 2. *ex S. Augustino R. 6. permiss.*

Regulæ Ratio. quoad secundam partem, Monstrosum est Membrum, quod suo non convenit Corpori.

Quoad primam, quod Fidei vel Moribus bonis non adversatur, non est malum, ideòque quidquid Superior circà hujusmodi res præcipiat, servandum.

Hinc cum quisque subdatur Ecclesiæ, in quâ degit, eo modo agere debet, quo Ecclesiam istam agere viderit, *S. Augustinus* id probat ex *S. Ambrosii* Decisione, proprium suum exemplum allegantis. §. 1.

XXXV. Afflicto non est addenda afflictio.

C. 2. Caus. VII. Quæst. I. *C.* 5. *de Cler. ægrot. ibid.*

Ratio Regulæ. Miseriæ miserandum.

XXVXI. Diversitatem Corporum sequitur diversitas Animorum, ideòque non sunt omnes Animi eodem modo regendi, curandive; sicut nec Corpora eodem modo sunt alenda, curandave.

C. 5. *de Concess. Præb.*

Regulæ Ratio. Qui hanc non servant Regulam se ridendos æque præbent, ac Sutores, qui eumdem cuivis pedi calceum assuerent.

XXXVII. Benè judicandum de iis, qui agnoscunt culpam, ubi non est culpa.

C. 4. *D.* 5. *C.* 2. *de observ. jejun.*

Regulæ Ratio. Bonarum Mentium est suas ibi culpas agnoscere, ubi culpa non est. Conscientiæ quoque

timoratæ quodcumque in viâ Dei apparet devium expaveſcunt. *E. C.* 4. §. *Sanctæ. Clem.* 1. *de verb. ſignif.*

XXXVIII. Sanctius eſt paucos Bonos habere, quàm multos Malos.

C. 14. *de ætat. & qual.*

Hinc, Qui præeſt, Subditorum probitati, quàm multitudini magis attendat.

REGULÆ RATIO. Si Cœcus Cœcum ducat, ambo in foveam cadunt; ut à Bonis bonum ſperandum, ſic à Malis malum timendum; Arbor bona bonos fructus facit, Arbor mala malos. MATT. C. VII.

XXXIX. Eo quis corripiendus eſt modo, quo peccavit, clàm, ſi clàm; palàm, ſi palàm peccavit.

C. 19. *Cauſ. II. Quæſt. I.*

REGULÆ RATIO. Alioquin injuſta vel vana correctio: injuſta, ſi publicè arguatur privata culpa: vana, ſi clàm corrigatur delictum publicum, natum enim ex delicto ſcandalum non aufertur.

XL. Benè loquendo inimicitiæ extinguendæ (*addendum*) & benefaciendo.

C. 88. CAUS. XI. QUÆST. III.

REGULÆ RATIO. Malefactis & Maledictis inimicitiæ generantur; atqui contrarium contrario curatur.

XLI. Integritas Præſidentium, Salus eſt Subditorum, totiùs Familiæ ſtatus & ordo nutat, ſi quod requiritur in Corpore, non inveniatur in Capite.

C. 5. DIST. LI.

REGULÆ RATIO. Quod à Prælatis agitur, facilè trahitur à Subditis in exemplum *C.* 7. *de voto &c.*

XLII. Cùm duo occurrunt peccandi pericula, majori minus præferendum eſt.

C. 4. 7. CAUS. XXII. QUÆST. IV. *C.* 1. 2. 20. DIST. XIII.

Hinc, ſi quæ Mulier falſò exiſtimet, vitam ſibi vel Familiæ ſervandam furto vel adulterio, furtum adulterio præferat. Si quis juramentum illicitum ſervandum putans, perjurio vel homicidio exponatur, quod ex his peccatis ſibi minus videtur, eligat. Nullus autem in ſimilibus caſibus eſſe poteſt, niſi ex ignorantiâ vincibili, quæ ideò à peccato non excuſat. Exemplum iſtud eſt *in Can.* 1. 2. *cit.* In 2. verò ſunt alia, quæ ad rem optimè faciunt.

REGULÆ RATIO. Quò majus eſt periculum, eò majus eſt malum, ideòque magis vitandum.

XLIII. Injuſta Juſti maledictio, ut præmium eſt habenda.

C. 890. CAUS. XI. QUÆST. III.

REGULÆ Ratio. Prodeſt patienter ferenti, præbet ſiquidem merendi materiam, ideòque præmium recipiendi.

XLIV. Alienum poſſidere videtur qui partis non utitur, vel malè utitur.

C. 11. CAUS. XIV. QUÆST. IV.

REGULÆ RATIO. Rebus ſuis Bonus utitur, & benè utitur; alieno autem uti non audet: Malum verò permittit Deus alieno abuti, & neceſſario illius uſu interdùm ex avaritiâ abſtinere, idque in pœnam peccati, quo alienum retinet.

XLV. Sana Ratio Exemplis eſt anteponenda.

C. 11. *d.* 9. Eadem eſt ac 20. hujus Tituli.

REGULÆ RATIO evidens eſt; Exempla ſiquidem ſanæ Rationi contraria, prava ſunt, proindèque non ſequenda.

XLVI. In Dubiis & Obſcuris ſequendum eſt, quod nec Præceptis Evangelicis, nec SS. Patrum Decretis contrarium eſt.

C. 2. DIST. IV.

Dubitatur v. gr. an omne Mutuum eſſe debeat gratuitum; fundamentum dubii eſt, vel numerus, vel autoritas Doctorum, vel rationum pondus, quibus oſtenditur ex unâ parte, ſolum Charitatis Mutuum gratis dandum, & ex aliâ, id omni Mutuo convenire: in hoc dubio non eſt ſequenda prima opinio, utpotè contraria Præcepto Evangelico, *Date nil indè ſperantes*, quod abſolutum & generale eſt, ac SS. Patrum Decretis, quæ in hoc inter Mutua non diſtinguunt.

Quod in Regulâ dictum eſt de SS. Patrum Decretis, ad ea reſtringendum eſt, quæ Sacrorum Librorum Decretis adverſari non videntur.

REGULÆ RATIO. Scripturæ autoritas potior eſt, quàm cujusvis alius.

XLVII. Non eſt à rectâ viâ recedendum propter Perditorum convitia.

C. 10. DIST. XLVII.

REGULÆ RATIO. Qui vult Hominibus placere Malis, Chriſti Servus eſſe nequit. *ibid.*

XLVIII. Inferioris Culpa imputanda Superiori, qui, cùm poſſit, illam non impedit.

C. 1. 3. DIST. LXXXVI.

REGULÆ RATIO. Facientis culpam procul dubio habet qui, quod poteſt corrigere, negligit emendare. *ibid.*

XLIX. Ex rerum uſu judicandum non eſt, an bonæ, malæve ſint.

Vid. 99. *Regul. Commun. C.* 9. CAUS. XIV. QUÆST. V.

REGULÆ RATIO. Poteſt quis re malâ benè, bonâ malè uti.

L. Cum Honoris augmento, cura Sollicitudidinis creſcere debet, ut veſtium cultui actionis ornamenta conveniant.

C. 9. DIST. C.

REGULÆ RATIO. Honor eſt laboris ſtimulus, ſicut & merces.

LI. Rationis ordo exigit, ut, qui ſibi vult, ab alio juſtitiam exhiberi, ei non debeat, quod juſtum eſt, denegare.

C. 3. *de mutuis petitionib. in* 2. *Collect.*

REGULÆ RATIO. Diliges Proximum ſicut te ipſum; qui Proximo negat, quod ab eo exigit, exemplo ſuo ad denegandum movet.

CAPUT III.

Quæſtiones circà ipſas Juris Canonici Regulas.

CIrcà has Regulas, iſta duo tractanda ſuperſunt, 1. *Quæ ſit illarum connexio cùm reliquo Jure Canonico.* 2. *Quæ ſit illarum connexio cum Jure Naturali*: Utrumque autem paucis expedietur.

Ad 1. ergò dicendum, 1. ipſas Juris Canonici Regulas nullam habere connexionem cum illâ hujus Juris Parte, quæ Fidei Dogma tangit; qualis eſt quæ de Fide Catholicâ, Summâ Trinitate, & de Sacramentis tractat; nulla eſt ſiquidem iſtarum Regularum, quæ Fidem reſpiciat, undè fit, ut ferè nullam etiam habeant connexionem cum illâ Juris Parte, quæ Mores ſpectat, quatenùs Fide reguntur, qualis eſt quæ circà Sacramenta, ſimiliaque ſupernaturalia, præcepta tradit. Reſtringitur poſterior Pars hujus obſervationis propter iſtas Regulas. 1. Malæ fidei Poſſeſſor numquàm præſcribit. 2. Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. 3. Venia non datur niſi Correcto: hæ enim Regulæ, aliæve ſimiles contingunt Mores, prout Fide reguntur, cùm 1. definitum ſit à Concilio Generali Lateranenſi IV. *C. ult. de Præſcript.* & deductum ſit ex Divo Paulo dicente; *Quod non eſt ex fide, ſeu conſcientiâ, peccatum eſt.* Duoque alia ſint Axiomata Sacramentum Pœnitentiæ proximè reſpicientia.

2. Iſtas Regulas connexionem maximam habere cum illa Juris Parte, quæ circà Diſciplinam verſatur, Moresque, prout Ratione reguntur, quæque aliis omnibus longè major eſt. Omnes etenim, paucis exceptis, directè pertinent, ad Judicia, ad Beneficia, ad

ad Contractus, aliaque similia, circà quæ Disciplina occupatur, nec non & Morum, prout Ratione reguntur, Scientia.

3. Disciplinales Regulas benè multas ad Mores converti posse, ac proindè plurimas Juris Canonici Regulas, hoc in sensu, seu indirectè, Mores respicere, ac consequenter confusam, vel remotam cum Canonibus Moralibus connexionem habere.

4. Memorata tria patere ex facta superiùs cunctarum Juris Canonici Regularum Collectione in Quatuor divisâ Titulos; nam nulla inter eas circà Fidem, saltem expressa, reperitur: circà Mores autem ad plus 80. cæteræ verò sunt Disciplinales & 170. excedunt: inter istas autem occurrunt plurimæ, quæ ad Mores extendi possunt, ut sub istarum singulis notatum est.

Quoad Connexionem ipsam Juris Canonici Regularum cum Jure Naturali, duplici ex parte illam patere dicendum est; nam 1. indubitatum est, illas esse justas: alioquin, cùm sint reliqui Juris Canonici vel Principia vel Consequentiæ, reliquum Jus Canonicum injustum esset. Si autem justæ sunt, Juri Naturali, primo Justitiæ creato Fonti, conformes sint oportet.

2. Ratio cuilibet subjuncta illam cum Jure Naturali connecti demonstrat, quælibet siquidem non aliundè, quàm ab isto Jure desumitur: Legat & conferat qui dubitabit.

His Quæstionibus adjiciendæ duæ non minùs utiles; nempè 1. *Quomodo utendum sit his Regulis in decidendo?* Ut autem sentiatur hujus Quæstionis utilitas, sciendum est à Regulis quibuscumque nonnullos casus excipi, ideòque, antequàm Quis utatur, inspicere debet, an casus decidendus per Regulas ab illis excipiatur, eò neglecto periculosa & nonnumquàm pernicioſa Decisio; Sicut ULPIANUS intelligendus, dùm dicit *Quòd periculosa sit in Jure Definitio, parùmque sit, ut non subverti possit*: hujus enim rei causa est hæc Regulis utentis negligentia: Sic quoque CUJACIUS interpretandus, dùm asserit *ex Regulis levia & pernicioſa argumenta deduci*, probatque exemplis desumptis ex inconsideratione casuum exceptorum: id enim demonstrat per exempla allata, cùm petuntur ex casibus à Jure expressè exceptis. Hinc duo inferuntur: Primum, quòd multùm intersit Quæstionis propositæ Decisio; Alterum, quòd cujusvis abusûs Regularum cavendi ratio melior nulla sit, quàm quæ indicata est in hac observatione, nimirùm, ne Regulæ ultrà casus in illis præcipuè comprehensos extendantur, quod necessarium quoque est in usu cujuslibet Axiomatis, Aphorismi, Sententiæ, Legis, aliùsve rei similis. Videsis CANISII *in Regulas 6. Præfationem, Chassanæi Paratitla in Cap. ult. Decretalium, & Cabassutium cap. postremo L. 6. Theoriæ & Praxi.*

Quæstio ultima, *Quid sentiendum de Commentariis circà Regulas Juris Canonici, quænam aliis præferenda?* LANGLET in *Indice præcipuorum Canonistarum & judicio circà illorum Opera, & Editionum collectionem. n.* 10. meminit decem Commentariorum de Regulis Juris Canonici, præfertque aliis illa, quæ à MUXELLANO, PEKIO, & CANISIO edita sunt. De 1. autem dicit, quòd pro meliori habeatur, quòdque cognosci possit quanti valeat ex eo, quòd CAROLUS MOLINÆUS in illud Notas fecerit. De 2. quod magni fiat, sed agatur de re, circà quam non multa legenda; De 3. quòd maximo in pretio sit. Initio hujus numeri loquens de Commentario *in folio* JOAN. BAPT. NICOLAI in Regulas utriusque Juris, notat hâc in re sufficere breviores sed præcisas Notas, quibus Spiritus Regulæ declaretur cum variis casibus in eâ comprehensis. Viam hanc secuti sumus in Collectione, quam damus, quam inchoavimus anno 1700. ideòque 15. annis antè citatum Indicem, qui editus est an. 1715. Extat autem hic Index ad calcem Tomi *Comment. in Libertates* eo anno typis recuso.

CAPUT IV.

Conciliatio plurimorum Canonum, quorum Alii sunt inter Regulas Juris sub hoc Titulo collectas in fine Collectionis GREGORII IX. *& Collectionis* BONIFACII VIII. *Cæteri verò pro Regulis habentur, cum plurimis Canonibus alter-utrius generis, qui illis adversari videntur.*

COllectis omnibus Regulis Juris, quæ passim vagabantur per Universum Juris Corpus, illis in varias series distributis, additis Exceptionibus earumdem, exposito vario, quem exibere possunt intellectu, probatisque ac firmatis nostris expositionibus, necessarium etiam ad absolvendum perficiendumque hoc Opus duximus illas inter se conferre, atque eas conciliare, quæ speciem aliquam oppositionis gerunt, idque pariter exequi circà plures Regulas post hanc nostram Collectionem detectas, quæ simili conciliatione indigere nobis visæ sunt, nec non illud Argumentum hùc transferre: hæc rejectio nobis facultatem dabit tantùm expatiandi quantùm occasio postulabit, nec cogemur interrumpere connexionem, quam Regulæ collectæ inter se habent. Secùs autem crebris Digressionibus opus fuisset, propter difficultates, quæ solvi nequeunt, nisi multi Canones invicem conferantur, undè Collectio Regularum in prolixum Commentarium desiisset, prodiissetque quod ab Operis consilio abhorrebat, in quo intendimus jungere atque ordinare quod in variis locis Juris dispersum atque permixtum est. Semel enim confectâ Collectione, facilius est annotare quid Regulæ contrarium habeant, sivè Regulas ejusdem seriei invicem, sivè Regulas singularum cum cæteris omnibus conferendo: adeòque necessaria est hæc Collatio, ut alia non suppetat via cognoscendi penitùs quousque Canones invicem opponantur; plura hujus rei in decursu hujus Tractatûs exempla offendemus.

Licèt maxima Pars Regularum Juris Canonici desumpta sit è Jure Civili, ut patet ex laudationibus adjectis, & multò luculentiùs ex Commentario Canisii in Regulas Sexti, non intendimus Canonicas Regulas cum Civilibus conferre, illasque harum ope exponere: Regulas Canonicas cum Regulis Canonicis tantùm conciliare nitimur, nullâ Juris Civilis habitâ ratione, speramusque, fore, ut auxilio illo non indigeamus ad componendos (ut aliàs factum fuit) inter se Canones, eamque Methodum aggredi eò magis oportet, quòd Canones, qui suas dispositiones mutuantur è Legibus Civilibus, eas sæpè temperant, præsertim quoties illud æquitas suadet, quo nihil est justius ubi Autores Canonum utramque Potestatem, Spiritualem ac Temporalem, consociant in Regionibus, ad quarum Regimen illos condunt; exceptis iis casibus temperatio Legum Civilium per Canones nullam vim fortitur absque autoritate Principis, nisi Leges illæ Legi Naturali vel Divinæ adversentur, tùm enim Ecclesia declarat tantummodò opportunitatem illam, simulque obligationem Deo potiùs, quàm Hominibus parendi. *C.* 20. *de Præscript.*

Si hunc casum exemeris; Ratio, quæ Leges Civiles à Canonibus temperari approbat, hoc, si de Rebus merè Temporalibus agatur, improbat, alia quippè non est nisi reddendum esse Deo, quæ Dei sunt & quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Porrò hæc Ratio Ecclesiam adstringit ad nihil curandum præter Res Spirituales, quas suscepit, & dimittendas Principi Res Temporales, ad quarum administrationem ipse constitutus est.

Cæterùm Regula Juris nos impulit, ut tentaremus eas quæ sibi videntur adversari invicem componere, quæ extat *C.* 29. *de Elect. in VI.* BONIFACIUS VIII. qui sæpè illam adhibet, supponit, illam esse Principium certissimum, cui constanter inhærendum est eamque velut Fundamentum suæ Definitionis proponit, *Cùm expediat Jura Juribus concordare*; & quidem Legum Latores, Novarum aut Veterum Compositores, singulariter attendunt, ne aliquid dissonum irrepat, & suam hâc in re vigilantiam prædicant, ut testan-

testantur *Præfationes* JUSTINIANI, GREGORII IX. & BONIFACII VIII. Plurimi etiam Autores extitêre, & quotidiè exurgunt, qui Leges, sivè Civiles, sivè Ecclesiasticas, conciliare studeant: Tales sunt generatim Glossatores, atque Interpretes Legum, qui Textui exponendo admovere satagunt omnes, qui dissidere videntur, suisque Responsionibus tollere nituntur repugnantiæ objectæ speciem: imò quædam habemus Opera speciatim ad concordiam discordantium Canonum elaborata, ut *Decretum Gratiani*, & quædam ad Leges Legibus conciliandas, sub Titulo Antinomiarum, quæ sunt Legum oppositiones, vel contrarietates.

Igitur, si generatim multùm expediat, ut mox probavimus, Jura Juribus concordare, quanti erit momenti conciliatio eorum, quæ præcipuam in Jure dignitatem sibi vindicant, Regularum scilicet, quæ ejus sunt, ut ita dicam, Principia vel insigniores Consecutiones.

Nos veritatis hujus probè conscios, simulque fidenter sperantes auxilium ejus, qui nostri laboris finis est & columen, Nos, inquam, à proposito neque Operis magnitudo, neque infelicis exitûs periculum, aut timor nequaquàm avocat.

SECTIO I.

Utrùm effectus vulgaris Legis Prohibitivæ sit, irritum facere actum sibi contrarium.

EXordium faciemus à Regulis hanc Quæstionem spectantibus, quibus digniores nullas novimus, quarum oppositio tolli debeat, atque ad concordiam adduci. Illæ quippè pertinent ad Leges prohibitivas numero infinitas, atque earum dissonantia manifesta apparet.

Ea autem *dissonantia* duplex est; *Prior* in eo constat, quòd juxtà Regulam 64. *de R. J. in VI. Quæ contrà jus fiunt, pro infectis utique haberi debent*, porrò, hæc elocutio diserte significat nullitatem ipso facto, quia simillima est huic, *pro Suspensis, pro Excommunicatis haberi debent*, quæ, ut probatum fuit in Tractatu de Censuris, una est earum, quæ denotant Censuram ipso facto incurrendam.

Juxtà hanc Regulam. *C.* 2. *de Testib. & attest.* conceptis verbis definit, ea quæ contra Leges fiunt, nullam vim habere, *Necesse est, ut quod contrà Legem cautum est, non habeat firmitatem*: Caput hoc desumptum est à *Sancto Gregorio*, qui loquitur de testimoniis dictis adversùs dispositionem Novellæ, quæ nullitatis pœnam diserte non sancit; at nihilominùs asserit *Gregorius*, nullas esse attestationes ejusmodi, illudque ex eo conficit, quòd, prohibente Lege, dictæ sunt.

Ex adverso *C.* 10. DIST. X. à JOANNE VIII. desumptus docet, illud, quod contrà Leges fit, irritum non esse, sed dignum esse, quod rescindatur, *Quod contrà Leges accipitur, per Leges dissolvi meretur*: quod congruit Regulæ, *Qui concessâ abutitur potestate, illam meretur amittere.*

Ejusdem sunt conditionis illi Textus, atque ii, qui nonnullos Actus aut Contractus rescisioni obnoxios reddunt, qui annotati & collecti fuêre in *Tractatu de Contractibus*, idemque obtinere debent, atque illi qui Censuras minitantur, jubendo, ut illis feriantur quorumdam facinorum Rei, (*plures laudati sunt in Tractatu de Censuris*) sicut enim Actus valent, donec rescindantur, ita Facinora impunita sunt, donec Judex Censuram in Reos tulerit.

Posterior discordantia est inter Textus jam laudatos ex una parte, & Regulam *Cap.* 16. *de Regularib. laudatam* ex alterâ, scilicet *Multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent firmitatem.* INNOCENTIUS III. hanc Regulam adhibet ad Professionem Religiosam absque probatione annuâ emissam, undè, quoniam Concilium Tridentinum ejusmodi Professionem nullam esse voluit, prohibitioni suæ pœnam nullitatis adjecit, *C.* 15. SESS. XXV. *de Regular.* eâque agendi ratione insinuavit, Legem prohibitivam non importare nullitatem Actuum sibi contrariorum, nisi pœna nullitatis diserte sanciatur.

Qui conferet hanc Regulam cum laudatis suprà Regulis, fatebitur, hanc illis videri è Diametro oppositam: posterior enim significat, multos esse Casus, in quibus Actus prohibente Lege confecti, neque irriti sunt, neque rescisioni obnoxii; superiores autem liquidò affirmant, illos Actus esse nullos, vel rescisione dignos.

Actuum variorum plurimæ species in Corpore Juris occurrunt, quorum alii sunt irriti, quia Legibus adversantur; alii, non obstante illa oppositione, stabiles sunt; utriusque casûs Argumenta exhibita sunt in *Tractatu de Matrimonio*: ibi commemoravimus Leges Prohibitivas, quæ irritas faciunt Nuptias, in quibus negliguntur, atque impedimenta indè orta ideò vocantur dirimentia: plures etiam alibi attigimus Prohibitivas Leges, quarum violatio Matrimonium illicitum reddit tantùm, & quæ vocantur impedimenta merè prohibitiva; denominatio, quæ ostendit, saltem circà Matrimonium, Legem prohibitivam irritantem non esse, nisi pœnam nullitatis adjiciat prohibitioni. Similes exhibuimus probationes in *Tractatu de Beneficiis*, ubi plures attulimus species casuum, in quibus Provisiones nullæ sunt, atque aliorum, in quibus illicitæ sunt tantùm, sivè per Præsentationem & Institutionem, sivè per Electionem, sivè per Collationem perfectæ fuerint. *Tractatus* etiam *de Sacramentis*, plures ejusmodi casus suppeditat, nam multos casus exposuimus, in quibus nulla ea sunt, itemque multos, in quibus illicitè dumtaxat conferuntur. Similes habentur in *Tractatibus de Contractibus, de Judiciis*, ubi observavimus, non omnium Solemnitatum, à Jure requisitarum in Contractibus, omissionem esse irritantem; sed, nonnullis hunc effectum parientibus, reliquas hoc effectu carere, sed, si neglectæ fuerint, Actus illicitos tantùm facere. Quod diximus de Contractuum Solemnitatibus, ad Solemnitates Judiciorum producendum est, quarum aliæ si negligantur, irritum fit judicium; cæteræ autem ad Judicii validitatem non requiruntur, sed ad pleniorem Actuum securitatem.

TRACTATUS *de Votis*, sivè Religionis, sivè Vulgaribus, similes continet probationes, sicut *Tractatus de Jurejurando Decalogi expositioni insertus:* Nam v. g. omnes illi Actus, aut Contractus, aut Sacramenta, vel Vota, vel Juramenta è malâ intentione prodeuntia, sunt illicita, nec tamen nulla. Idem dicendum est de *Tractatu, de Vi, Metu aut Seductione*, ubi annotavimus sex esse Actuum species ob aliquod ex illis vitium irritas, cæteras esse solùm rescisioni obnoxias: Item ibi egimus de Simoniâ, casus observavimus, in quibus Actus propter Simoniam irriti sunt, & nonnullos, in quibus sunt tantùm illiciti.

Inter tot ac tàm varias Actuum species, qui illiciti sunt, nec tamen irriti, nullus est, qui Legi cuidam Prohibitivæ non adversetur, ideò enim sunt illiciti, quia prohibiti. Plurimùm igitur abest, ut mera prohibitio Actuum, eos irritos faciat, quibus violatur; quin sequitur, nullitatem, eorum qui sunt irriti, aliundè proficisci, quàm ex merâ prohibitione, omnes enim sunt vetiti, sed undè oritur? Aliam non agnoscimus causam, quàm elocutionem, quæ nullitatem, aut per se ipsam importat, aut ex Consuetudine inducit.

Tùm Locutio per se ipsam nullitatem importat, cùm nullitatem Actûs diserte declarat, v. g. hæc, *Quod secùs factum fuerit, irritum esto*, vel *pro nullo habeatur*, aut *vi careat*, vel *stabilitate.* Tunc verò Locutio nullitatem ex Consuetudine inducit, cùm solitum est eam instar priorum intelligi: sic intelliguntur hæc verba, *non possit*, directa ad Personam, cui actus interdicitur, v. g. nubere, donare, testari, *non possit.* Sic etiam intelliguntur illa, *consistere non potest*: in prohibitione actus adhibita, cujus luculentum exemplum habemus *in Cap.* 1. *de Sent. & Re Judic.* quod dicit *Sententiam adver*

adversùs Leges, aut Canones latam consistere non posse, & in Lege 2. ff. de Ritu Nupt. Nuptiæ consistere nonpossunt, nisi consentiant: &c. Eumdem etiam intellectum habere debent verba, quæ circumscribunt potestatem agendi; argumento est *Can. 3. de Pœnit. in VI.* Voluntas igitur Legislatoris, per verba congrua perspicuè declarata, est causa, quæ Actus à Lege prohibitos irritos, facit, non prohibitio mera.

Itaque ad conciliandas laudatas superiùs Regulas, quarum aliæ docent id, quod fit contrà Legem, pro infecto habendum esse, aliæ verò docent plures Actus consistere, non obstante quæ eos probibet Lege; Intelligendæ sunt hæ de Lege, cujus verba nullitatem non sapiunt, illæ autem de Lege, cujus verba nullitatem important, vel expressis verbis, vel æquipollentibus.

Adversùs hanc interpretationem *Objici* non potest, nisi Regulas, quæ pro infectis habent ea, quæ fiunt contrà Leges, verbis generalibus uti, atque distinguendum non esse quod Lex non distinguit, aut excipiendum quod non excipit; *Sed Respondemus*, ut distinctioni, vel exceptioni locus sit, non requiri, ut sit in Lege, quæ prohibet, sed satis, si reperiatur in aliis Legibus, quia Universum Juris Corpus, velut Lex, spectandum est, undè nata est hæc formula, Lex sivè Jus hoc præcipit, sivè hoc vetat. Itaque sensus hujus Adagii, non esse distinguendum, ubi Lex non distinguit, aut non excipiendum, ubi non excipit, est, nullam distinctionem sivè exceptionem admittendam esse, quæ non innitatur alicui eorum Legum ex quibus coalescit Lex seù Corpus Legum, ac probabile est ideò *in R. 64. de R. J. in VI.* usurpari verbum generale, *Jus*, prout significat *Corpus Juris*, ut in his locutionibus *de Jure non subsistit, Jure cautum, casibus in Jure expressis* vel *à Jure permissis.*

Sic intelligendum est quod legitur *Can. 2.* XXXV. QUÆST. VI. *& Cap. 3. Qui Matrimonium accusare possunt, Quod contrà interdictum & ordinem Ecclesiæ factum est, ratum non haberi, tamquàm inordinatum tàm Divinæ quàm Humanæ Legis authoritas proclamat*, illud esset falsum & erroneum, quia circà Matrimonium, de quo illic agitur, plures sunt Ecclesiæ prohibitiones, quæ sibi contrarios Actus non faciunt irritos.

Quod de nullitate ipsius Facti diximus, producendum est ad nullitatem Sententiæ ferendæ, quæ locum habere non debet, nisi in casibus expressis, sic intelligendus est *Canon* 10. DIST. X. Idem debet esse judicium de pœnâ nullitatis, ac de cæteris, quibus non est locus nisi in casibus disertè conceptis, atque eo, quo concipiuntur, modo, scilicet ipso Facto, vel per Sententiam Judicis, ut probatum fusiùs fuit in *Tractatu de Censuris*, ubi congessimus omnes Casus Censuræ à Jure expressos, & discrevimus eos, in quibus ipso Facto incurritur, ab iis, in quibus Censuræ sunt ferendæ tantùm vi Sententiæ. Quod autem dicitur de hoc genere pœnarum, ad cæteras est producendum propter eamdem rationem, scilicet odium pœnarum, quod non secùs ac reliqua odia restringendum est, & proindè illæ non sunt admittendæ nisi in Casibus, in quibus Legislator manifestam voluntatem suam fecit.

Frustrà *Objiceretur*, nullum fore effectum Legis merè prohibitivæ, si Actum sibi contrarium irritum non faciat, ac proindè illam esse inutilem: quoniam duplex est effectus illius Legis; Prior est adstringere Subditos ad non faciendum id, quod vetat, Posterior est Contemptores obnoxios facere pœnæ, quæ ferri debet à Magistratu ad vindictam contumeliarum Legibus inustarum præpositò: atque ob hanc rationem, Leges merè affirmativæ neque effectu neque utilitate carent. Prior Legum effectus est obligatio; Posterior est subjectio pœnæ, quæ ex neglectâ obligatione nascitur, quia pœnam merentur, qui suum non implent Officium.

Quod hùcusque diximus ad probandum prohibitionem actuum eos non facere irritos, confirmari potest observatione satis congruâ atque obviâ; scilicet, si Lex merè prohibitiva irritos faceret Actus contrarios, inutile fuisset adjicere nullitatem pluribus Legibus prohibitivis, sicut inutile esset jungere Censuram quibusdam Legibus Ecclesiasticis, si omnes Leges Censuræ subjicerent eo ipso, quòd sunt Leges Ecclesiasticæ. Sanè dici nequit, ideò nullitatem adjectam esse quibusdam Legibus prohibitivis, ad monendum, illas hanc vim ab ipsâ prohibitione fortiri; nam si fuisset mens Legislatoris indicare effectum Legis prohibitivæ per oppositionem nullitatis in quibusdam Legibus, illam dilucidè aperire debuisset, ne ad contrariam Sententiam moveret, quòd illa nullitas abest à quibusdam Legibus Negativis.

Adjiciendi sunt ad Canones laudatos occasione *Reg. 64. in VI. C. 1. de Sent. & Re Judic. & Can. 12.* CAUS. XXV. QUÆST. II.

SECTIO II.

Utrùm nullus sit Casus, in quo Juris Ignorantia excusationem afferat, & Ignorantia Facti non afferat?

Regula 13. de R. J. in VI. collata cum *Cap. 9. de Cler. Excomm. minist. Cap. 2. de Constitut. in VI. C. 40. de Præb. C. 9. de Procuratoribus in VI.* Quæstioni propositæ locum fecit, sic enim concipitur, *Ignorantia Facti, non Juris excusat.* Generalis est absque ullâ restrictione, aut exceptione hæc Regula.

C. 2. de Const. in VI. incipit ex 2. parte Regulæ, casum quo Subditi præter suam voluntatem ignorant præcepta Superiorum; Equidem BONIFACIUS VIII. hanc exceptionem proponit quasi dispensativè, *ut Animarum periculis obvietur, Sententiis per quorumcumque Ordinariorum Statuta prolatis ligari nolumus Ignorantes, dùm tamen eorum ignorantia non sit crassa aut supina.* Sed verisimile est, Pontificem scripsisse *nolumus*, pro *declaramus*, declaramus, Subditos non teneri Statutis Ordinariorum, quæ præter suam voluntatem ignoraverunt: ille enim Pontifex peritior erat, ut nescierit, ignorantiam invincibilem excusare à Jure Positivo, atque illam, quæ est præter voluntatem, esse invincibilem, & proindè eos, qui in hâc ignorantiâ jacent, non indigere, ut dispensetur cum eis à Lege, quæ eos non adstringit.

C. 9. de Clero Excomm. minist. de Ignorantiâ Facti agens declarat, illam non excusare, nisi sit involuntaria: definit, illos, qui Sacra Munera obeunt non ultrò ignorantes se esse suspensos, non cadere in Irregularitatem, quam subirent, si voluntaria esset eorum ignorantia, ut significant hæc verba *crassa & supina*, vel si sit Conscientia *Erronea*; quod intelligendum est de errore spontaneo seù vincibili.

Posteriora duo Capita VI. quæ laudata sunt agunt de quibusdam Factis, quorum ignorantia non prodest, licèt invincibilis sit; *Prius* est illud quo datis successivè ad idem Beneficium duabus Gratiis Expectativis, Pontifex priorem revocavit, vel posteriori inseruit Clausulam *Anteferri* cum Decreto irritante, inscio Expectante, atque Ordinario; Nihilominùs Collatio priori Mandatario facta, nulla est, quamvis ille atque Ordinarius Facta ignoraverint: atque hoc est enorme Privilegium Expectativarum quæ erant ejusdem generis. *Posterius* spectat ad Procuratorem specialem constitutum ad ineundum Matrimonium, qui illud ex personâ Constituentis celebrat, revocata jam procuratione, Matrimonium est nullum, etsi revocatio à Procuratore ignorata fuerit.

Illa

Illa est oppositio, quæ tolli debet. Regula eversa videtur per Textus, quibuscum collata fuit, qui demonstrant casus, in quibus Ignorantia Facti non prodest, & alios, in quibus Ignorantia Juris excusat: Regula autem generaliter definit, hanc non excusare, sed illam: Sed facilè conciliantur Canones dicendo, casus laudatos esse exceptiones Regulæ, illique in cæteris esse locum, quod sufficit ad illam restaurandam, cùm vix aliqua sit absque exceptione Regula.

GLOSSA *in Cap.* 2. *de Const. in VI.* quod mox laudavimus, innitens eo, quòd ibi agitur de Statutis Ordinariorum, quæ Jus peculiare uniuscujusque Diœceseos continent, de Jure singulari intelligit, quod ibi dicitur, Ignorantiam non voluntariam excusare ab illo Jure; atque indè concludit, aliud obtinere circà Decreta Juris Communis, quod extrà culpam ignorari posse à nemine contendit. Satis accurata non videtur hæc consequentia; nam, si fieri potest, ut Diœcesanus invincibiliter ignoret Statuta suæ Diœceseos Jure Communi longè breviora, quidni fiet, ut eodem modo ignoret aliquam partem Juris Communis tàm longè latèque diffusi? Sanè Ignorantia Juris Communis ex iisdem causis nasci potest, atque Ignorantia Juris singularis, scilicet ex educatione in Regionibus illius Juris insolentibus, ex morbis diuturnis, qui obstant eruditioni, ex assiduis occupationibus, quæ prælectionibus, id est promulgationi Legum, tùm Generalium, tùm Specialium, interesse non sinunt.

Silemus de *Reg.* 14. *ibid.* declarante Successorem in jus alienum censeri ignarum, ac meritò rerum à Prædecessore gestarum, quia non est opposita REG. XIII. de quâ agimus. Sufficit observare illam præbere exemplum, in quo excusat Ignorantia Facti, & sic confirmare Primam Partem REG. XIII.

Quod attinet ad exceptiones petitas è *Cap. 9. de Cler. Excomm. ministr. & ex C. 2. de Constitut. in VI.* illæ subintelliguntur in Regulâ. Hinc enim Ignorantia Factorum injusta non excusat à peccato, spontanea autem Ignorantia injusta est, quotiès de rebus scitu necessariis agitur, indè Ignorantia Juris non voluntaria caret culpâ, atque à peccato excusat.

Quoad *Cap. 9. de Procur. in VI.* necessaria fuit illa definitio, ut occurreretur consecutionibus acerbioribus Nuptiarum perfecti consensûs expertium.

Denique postrema Regula ex *Cap.* 40. *de Præb. in VI.* fundatur in plenitudine Potestatis, quâ in rebus Beneficialibus tunc fruebantur Pontifices, quæ plenitudini Justitiæ non satis cohæret. Caput illud est BONIFACII VIII. exeunte Sæculo XIII.

Ignorantia Juris nasci potest ex obscuritate aut ambiguitate Legis, in cujus expositione dissident Interpretes, ità ut genuinus sensus invincibiliter ignoretur: ejusmodi Lex, cùm careat perspicuitate, quæ legitur essentialis esse, obligatoria esse non videtur. V. FAGNANUM *Cap.* 13. *de Constit. n.* 34.

SECTIO III.

Utrùm Præsules, qui jus condendi Leges habent, teneantur observare, atque observari curare, Leges suorum Prædecessorum, cùm eas consistere Ecclesiæ utilitas postulat.

REgula, *Par in Parem non habet imperium*, Præsules ab hoc vinculo solvere videtur. *C.* 20. *de Elect.* eadem est species hujus, *Prædecessor Successoribus præjudicium afferre non potest, pari imò eâdem potestate functuris*, ibid. nam ad astringendas personas necessaria est autoritas in ipsas & nulla ligatur, quin ei fiat præjudicium.

Aliundè Ratio Legis est superior tùm ejus Conditori, tùm ejus Successoribus; ipsa enim est Leges faciendæ Causa; undè *Can.* 2. DIST. IX. S. ISIDORUS dicit, Legislatores agnoscere debere semetipsos teneri ad observandas Leges, quas tulêre, atque in animum inducere se, nisi eas observent, significaturos, eas non sibi videri æquas, aut contemptui eas suo objecturos exemplo. Ratio autem Legis est utilitas communis juxtà *Can.* 2. DIST. IV. in quo idem Autor, enumeratâ inter conditiones Legis utilitate, docet eam non esse privatam ipsius Conditoris, sed communem Civium utilitatem: *Nullo privato commodo, sed pro communi Civium autoritate conscripta.* Id ipsum supponit INNOCENTIUS IV. *C.* 2. *de Privil. in VI.* dùm affert rationem Legis, quam condit, *Ad commune commodum & profectum aliorum intendentes.* Itaque quamdiù Publica utilitas requirit, ut vigeat Lex, non licet Successori eam antiquare, vel eam ipse non observando, sed à cæteris impunè violari sinendo.

Indè proficiscitur illud S. LEONIS. *C.* 3. CAUS. XXV. QUÆST. I. *Quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum, quæ sunt ad bonum commune præfixa*: Hæc Sententia supponit Legem tamdiù vigere debere, quamdiù aliquid ad publicam utilitatem confert. De his Legibus intelligendus est *Can.* 1. *ibid.* in quo dicit *Gelasius* Sedem Primam præ cæteris exequi debere uniuscujusque Synodi Constitutum, quod Universalis Ecclesiæ probavit assensus.

Idem sit judicium de *Can.* 7. *ibid.* in quo dicit *Zosimus* autoritatem Sedis Apostolicæ nihil contrà Statuta Patrum condere posse, aliquid-ve immutare, atque apud se inconvulsis radicibus vivere Antiquitatem, cui Decreta Patrum sanxêre reverentiam. Non secùs est de omnibus Canonibus, qui Decreta Sedis Apostolicæ, Divinis Constitutionibus consociando, dicunt illa temerare fas non esse; *Can.* 4. *ibid.*

Perindè est de his S. GREGORII verbis, *Justitiæ ac Rationis ordo suadet, ut qui sua à Successoribus cupit Mandata servari, Decessoris sui procul dubio voluntatem ac Decreta custodiat. C.* 15. *ibid.*

Sic etiam intelligendi sunt *Can.* 2. & 5. CAUS. XXV. QUÆST. II. in quibus ait S. LEO *Ad suum tendere reatum, si Paternarum Regulæ Sanctionum juxtà Privilegia ac Jura Ecclesiarum, se consentiente vel negligente, violentur.*

Idem sit de *Can.* 7. *ibid.* in quo docet S. GREGORIUS, *Institutionis Pontificalis Decreta perpetuâ stabilitate & sine aliquâ refragatione esse servanda, nimisque asperum esse & præcipuè bonis Sacerdotum moribus inimicum niti quempiam quæ bene sunt ordinata rescindere, & Exemplo suo docere cæteros sua quandòque post se Constituta dissolvere*: Perindè est de *Can.* 10. & 12. *ibid. Sibi se injuriam facere, si Majorum Statuta infringeret*, atque *Ecclesiasticæ moderationi esse omninò conveniens, quæ ordinata fuerint vel rationabiliter decisa, nullâ in posterum refragatione turbari.*

Denique idem Pontifex exponit quod dictum est de obligatione Successorum ad servanda tùm per se, tùm per cæteros, Decessorum Decreta *Can.* 19. *ibid.* distinguendo justa & utilia ab iniquis & inutilibus; *Decessorum Statuta, sicut legitima & justa Successorem custodire convenit, ità debet etiam malè facta corrigere.*

Quamdiù durat communis utilitas, justæ sunt Constitutiones; si exoleverit, exolescit pariter æquitas Constitutionum; juxtà *C.* 1. *de R. J. Per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur*: propter commune bonum justæ sunt Leges, igitur oppositâ viâ fiunt injustæ. V. GONZALEM in hanc Regulam, ubi multa affert exempla, quæ hanc nostram accommodationem confirmant, scilicet rem aliquam per rem contrariam destrui.

Quamdiù igitur viget utilitas Legum à Decessoribus latarum, tandiù eas custodire teneantur Successores, atque observandas curare; quamvis eorum Majores nullam habuerint in eos autoritatem: illa enim obligatio non oritur ex autoritate Decessoris in Successorem, verùm ex autoritate rationis Legum justarum

juſtarum, quæ aſtringit omnes, qui ad condendas Leges ſunt præpoſiti, eoſque cogit ad eas conſervandas, quæ jam conditæ ſunt, modò commune bonum requirat, ut vigeant illæ, ſicut jubet, ut illæ, rebus in contrarium verſis, antiquentur; Dignitas cum oneribus ſuis, perindè ac cum ſuis honoribus in Succeſſorem tranſit. *Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore R.* 77. *de R. J. in VI.* quæ innititur *R.* 55. *Qui ſentit onus ſentire debet commodum, & è contrà.*

Regulæ duæ ex *C.* 20. *de Elect.* deſumptæ, non ſpectant ad obligationem ſervandarum Deceſſoris Legum, & curandi ut ſerventur; verùm ad facultatem diſpenſandi ab eis, ut indicat id, quod immediatè antecedit, ſcilicet *Per Conſtitutionem factam à Prædeceſſore non admittur Succeſſori diſpenſandi facultas.* Regulæ ſequentes ſunt rationes illius Definitionis, & juſtæ ſunt; nam Succeſſor non poteſt, niſi à Superiori ſpoliari diſpenſandi facultate, quæ ſuæ Dignitati cohæret, in cujus jura omnia ſuccedit, ſicut in ipſammet Dignitatem.

Itaque Regulæ illæ non adverſantur Canonibus, quibuſcum collatæ ſunt, nam hi hactenùs probant, Succeſſorem teneri ad exequendum, atque ſervari curandum Leges Majorum, quamdiù id commune bonum poſtulat, atque neceſſitatem hanc eſſe unum ex oneribus Dignitatis in quæ ſuccedit, ſicut in ipſam Dignitatem. Regulæ autem, quæ oppoſitionem redolebant, non agunt niſi de facultate diſpenſandi, quâ Succeſſor ſpoliari nequit, niſi per authoritatem ſuæ antecellentem.

Hìc diſcutiendi non eſt locus, utrùm diſpenſandi facultas Epiſcopis adempta fuerit per reſervationem ad Pontificem, atque an *C.* 4. *de Conceſ. Præb.* hanc reſervationem probet per hæc verba INNOCENTII III. ejus Dignitatem commendantia, *Qui ſecundùm plenitudinem Poteſtatis de Jure poſſumus ſuprà Jus diſpenſare?* Sufficiet remittere ad Regulas circà facultatem diſpenſandi inſertas *Tractatui de Juriſdictione Eccleſiaſticâ*, atque hìc obiter obſervare, 1. ibi agi de prohibitione promittendi vel conferendi Beneficia antè vacationem, quæ tanti eſt momenti, ut neceſſaria ſit ad diſpenſandum plenitudo Poteſtatis, ac proindè nihil indè concludi poſſe ad reliquas Diſpenſationes.

2. Ultramontanos ex his verbis, *ſuprà Jus diſpenſare*, elicere, Pontificem eſſe Juri Poſitivo Superiorem, atque cùm hac Prærogativâ ſolus fruatur, eum ſolùm poſſe diſpenſare, prout voluerit, circà Beneficia, quorum ipſe Dominus eſt: verùm Illi pravè utuntur verbo *ſuprà* illìc appoſito pro *circà*, quia Pontifex nihil aliud dicere ſtudet, niſi ſibi dari jus facultatem diſpenſandi à Jure etiam in gravioribus caſibus.

3. Prætenſam illam Superioritatem in Jus annihilari per Decreta Pontificum mox laudata, qui ſe ſubditos agnoſcunt Canonibus conditis, ſivè à ſuis in Sede Apoſtolicâ Majoribus, ſivè ab Autoribus Synodis.

4. Probatum fuiſſe Pontificem, ubi conferebatur cum Eccleſiâ Univerſali & Conciliis Generalibus, Pontificem, inquam, ipſis eſſe ſubditum, ac proindè Decretis ex eorum Authoritate prodeuntibus. *V. Tract. de Pontif.*

SECTIO IV.

Quâ Ratione conciliandi ſunt Textus, qui Jus Canonicum cum Divino Jure confundunt, atque illi, qui utrumque dilucidè ſecernunt.

PRioris generis Textus ſunt 1. Ii, qui loquentes de Conſtitutione Studiorum Juris Divini & Juris Humani Romæ, declarant per Jus Divinum deſignari Jus Canonicum & Jus Civile per Jus Humanum. Talis eſt *C.* 2. *de Privil. in VI. Providemus quòd ibidem de cætero regatur & vigeat Studium Juris Divini & Humani*, Canonici videlicet & Civilis.

2. Illi, qui Canones Spiritui Sancto, perindè ac Sacram Scripturam adſcribunt; Tales ſunt præ cæteris *C.* 5. CAUS. XXV. QUÆST. I. qui aſſerit Violatores Canonum blaſphemare Spiritum Sanctum, cujus nutu & gratiâ Sancti Canones editi ſunt: & *C.* 5. CAUS. XXV. QUÆST. II. in quo S. LEO de Nicænis Canonibus agens, eos Spiritu Dei conditos nuncupat. *Secundùm SS. Patrum Canones Spiritu Dei conditos:* Tales ſunt Canones Conciliorum, quæ ſe in Spiritu Sancto congregata eſſe aſſerunt, ut Conſtantienſe, Baſileenſe, Tridentinum.

3. Illi, qui Quatuor priores Synodos Generales, atque eâdem viâ cæteras Oecumenicas adæquant Sancto Evangelio *C.* 2. DIST. XV. in quo dicit S. GREGORIUS, ſe ſicut Sancti Evangelii Quatuor Libros, ſic Quatuor Concilia ſuſcipere ac venerari.

4. Illi, qui Leges Canonicas inter Leges Divinas collocant, ut *ſex priores Can.* DIST. X. à *Gratiano* laudati, ut probet Conſtitutiones Principum obſequi Conſtitutionibus Eccleſiaſticis. Primus deſumptus à NICOLAO I. Legem Divinam inter Conſtitutiones Eccleſiaſticas complectitur; nam, ut probet Lege Imperatorum non in omnibus Eccleſiaſticis Controverſiis utendum eſſe, dicit, *eas Evangelicæ ac Canonicæ Sanctioni aliquotiès obviare*: Item, *Legem Imperatorum non eſſe ſuprà Legem Dei, ſed ſubtùs*; atque *Imperiali Judicio non poſſe Eccleſiaſtica Jura diſſolvi*: tùm laudat duo teſtimonia ſuorum Prædeceſſorum, qui Legibus Imperialibus Eccleſiaſticas Leges anteponêre, primum eſt INNOCENTII I. qui dicit, *Diviſis Imperiali Judicio Provinciis, ut Duæ Metropoles fiant, Eccleſiam Dei non commutare Honores, aut Diviſiones perpeti*: alterum eſt à GREGORIO, *Si*, inquit, *Religionis causâ Conjugia debere diſſolvi dicantur, ſciendum eſt, quia, etſi hoc Lex Humana conceſſit, Lex tamen Divina prohibuit*: Denique ſic concludit NICOLAUS: *Ecce quemadmodùm Imperiali Judicio non poſſunt Eccleſiaſtica Jura diſſolvi, ſeù qualiter quod Lex Humana conſtituit, Lex Divina prohibuit.* Porrò prohibitio dividendi Metropolim Eccleſiaſticam, quandò Princeps Provinciam in duas dividit, eſt Conſtitutio merè Eccleſiaſtica aut Canonica; altera, quâ Religionis cauſâ diſſolvi Matrimonium conſummatum prohibetur, eſt Divina & Canonica ſimul; Canon ille deſumptus eſt ex *Epiſtolâ ad Epiſcopos ſecùs Convicinum congregatos* directâ.

In 2. Canone SYMMACHUS in VI. Synodo Romanâ, regnante THEODORICO dicit, *Non licet Imperatori .... aliquid contrà Divina Mandata præſumere, nec quidquàm, quod Evangelicis, Prophetici, aut Apoſtolicis Regulis obviet, agere.* Conſilium GRATIANI poſtulat, ut illæ Regulæ inter Leges Canonicas habeantur.

In 3. Canone FELIX multis modis declarat *in Cauſis Dei* (ſeu Cauſis Eccleſiaſticis) *Regiam voluntatem Sacerdotibus Chriſti ſubdendam eſſe, non præferendam. &c. Ne, dùm menſura Cæleſtis Diſpoſitionis exceditur, eatur in contumeliam Diſponentis.*

Canon 4. aſſerit *Conſtitutiones contrà Canones & Decreta Præſulum Romanorum, vel Bonos Mores, nullius eſſe momenti.*

Canone 5. laudatus jam NICOLAUS ad MICHAELEM ſcribens dicit, *Imperium veſtrum ſuis Publicæ Rei quotidianis adminiſtrationibus debet eſſe contentum, non uſurpare quæ Sacerdotibus Dei ſolùm conveniunt.*

Canone 6. S. GREGORIUS *Nazianzenus* Tribunalibus Eccleſiaſticis Sæcularia conferens dicit, *Hæc tantùm ab illis ſuperari, quantùm Spiritu Caro, Cæleſtibus Terrena, Divinis Humana.*

His Canonibus addendus Can. 4. DIST. XXV. QUÆST. I. in quo ſignificat HILARIUS *Papa, ſe ſibi tantùm*

tantùm videri ad ſervanda Sedis Apoſtolicæ Decreta, quantùm ad Divinas Conſtitutiones adſtrictum, & Can. 2. DIST. XII. qui dicit, *Canones Conſuetudini prævalere.* Quod eſt una è Juris Divini prærogativis; idem fert *C.* 2. DIST. XI.

Atque illi ſunt Textus, qui Jus Canonicum cum Jure Divino permiſcere videntur; Hi autem utrumque egregiè ſecernunt.

Tales ſunt, 1. Omnes, qui docent, Canones antiquari poſſe per contrariam Conſuetudinem; id expreſsè aſſerit. *C.* 11. *de Conſuet.* Illud elicitur ex omnibus Canonibus, qui de Canonicâ Præſcriptione loquuntur, quorum præcipui ſunt in CAUS. XVI. QUÆST. III. & IV. quæ ſpectat ad Definitiones Canonum, quibus his Canonibus derogatur.

2. Illi, qui docent in Scripturis Sacris, quæ Jus Divinum continent, nihil exhiberi, quod iniquum aut non verum ſit, ſecùs eſſe autem de Scriptis Patrum, è quibus multi Canones eruti ſunt; & de quibuſcumque privatis Scriptis concepta ſunt *S. Auguſtini* verba. *C.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. DIST. IX.

3. Illi, qui ſignificant, Legem Divinam eſſe immutabilem, atque diſpenſationi non ſubditam, Leges autem Canonicas eſſe mutationi ac diſpenſationi obnoxias. v. DIST. IV. V. VI. IX. XI. XII. Quod enim ibi dicitur de Conſuetudine, poteſt accommodari Legibus merè Canonicis, quoniam de Conſuetudine Eccleſiaſticâ poteſt intelligi, quæ habet vim Legis Canonicæ, ſicut Conſuetudines inutiles, aut Juri Naturali vel Divino adverſantes, ſervari non debent, ſed utrique cedere, ita & Leges inutiles, vel contrariæ Bonis Moribus, Rationi, Veritati, quæ verba ſunt Juri Divino vel Naturali ſynonima: Multi Canones collecti ſunt in *Tractatu de Conſtitutionibus*, qui oſtendunt, Conſtitutiones Eccleſiaſticas eſſe mutationi obnoxias, & multi in *Tractatu de Diſpenſationibus*, qui oſtendunt, in illis eſſe diſpenſationi locum.

4. Illi, qui oſtendunt Legem Divinam eſſe ubique eamdem, ſecùs eſſe de Canonibus, qui varii ſunt pro variis Temporibus, & Locis, *in toto Jure paſſim.*

5. Illi, qui Infideles Legibus Divinis ſubjiciunt, atque eos à Legibus Canonicis immunes declarant. *C.* 4. *de Conſang. C.* 8. *de Divort.*

Atque hi ſunt præcipui Textus poſterioris generis cum Superioribus componendi. Quod facilè fiet, ſi meminerimus eorum, quæ dicta ſunt initio Prolegomenorum, ſcilicet eſſe Canones, qui Divini Juris circâ Fidem aut Mores executionem curant: illi autem ad Jus Divinum, quod interpretantur, aut promulgant, aut jubent ſervari, pertinent; quæ dignitas præcipuè convenit Canonibus Conciliorum Generalium, quorum Definitiones Juris Divini prærogativas ſortiuntur, cùm ſint infallibiles, immutabiles, atque diſpenſationem excludant: Horum Canonum ratione, Jus Canonicum, vocatur Jus Divinum in 1. Textu, laudatur & confunditur eum eodem Jure in cæteris Textibus prioris generis.

Cæteri Canones Divino Juri adjiciunt, quaſdam Inſtitutiones ad Diſciplinam pertinentes, quarum infinitus eſt numerus. De his Canonibus intelligendi ſunt Textus, qui diſtinguunt Jus Canonicum à Jure Divino.

Æquiſſima eſt autem illa diſtinctio; nam Jus Canonicum ſic ſpectatum, omnibus Humani Juris vitiis eſt obnoxium; nec refert de Canonibus generatim dici, illos eſſe à Spiritu Sancto conditos; hoc enim ideò dicitur, quia fiunt ut plurimùm Canones in Comitiis, quibus ejus auxilium majus aut minus pro eorum ratione promiſſum fuit: undè oritur diſcrimen inductum inter Definitiones Conciliorum Generalium debito modo coactorum, atque habitorum, & cæteros Canones, Prioribus infallibilitatem adſcribens. Auxilia Spiritûs Sancti, prout opus eſt, dividuntur, eo autem majori in Conciliis opus eſt, quo gravior eſt Canonum Materies. Hâc ope, quota quanta ſit, Canones reverentiam merentur, ſed illi, qui merè Diſciplinam ſpectant, non ſunt evecti ſuprà Legum Humanarum conditionem, ſed varii ſunt pro variâ Perſonarum, Temporum, & Locorum ratione, ac pro variâ eorum, quibus conſtituuntur, indigentiâ variabiles.

Secundùm opinionem eorum, qui putant reſervationem Cauſarum Majorum pertinere ad Pontificem ex Inſtitutione Divinâ, ſicut ejus Primatum, inter Canones Juri Divino pares adſcribendi ſunt illi, qui de hac reſervatione agunt: hoc ſenſu INNOCENTIUS III. *C.* 2. *de Tranſlat.* dicit ex Inſtitutione Divinâ, non ex Humanâ Conſtitutione, Spiritualis Conjugii Epiſcopi cum Eccleſiâ diſſolutionem per tranſlationem, demiſſionem, aut depoſitionem, Sedi Apoſtolicæ reſervari. Putavit enim, nonnullos Canones, qui Pontifici adſcribunt facultatem hujus diſſolutionis, eam ſpectaviſſe velut conſecutionem ejus Divini Primatûs. FAGNANUS in *C.* 8. *de Conſang. n.* 13. alios affert Textus ad probandum, Jus Canonicum, Divinum vocari, & Juris Divini nomine comprehendi.

SECTIO V.

Utrùm ſit aliqua ſpecies Actûs, qui, cùm nullus eſſet initio; tractu temporis poſſit convaleſcere: vel qui validus initio, per ſubſequens factum invalidus fiat: Denique utrùm CAP. XII. de Regular. *probet alterutram conciliationem ejus Textûs cum* R. XVIII. & LXXIII. de REG. JUR. in VI.

PRimùm diſtinguendi ſunt Actus nulli, ab Actibus annullabilibus.

Actus nulli, ſunt ii, qui prorſùs effectu carent, putà Actus Abſoluti ſine legitimâ poteſtate confecti, vel omiſſis ſolemnitatibus eſſentialibus v. g. Actus Collationis & Præſentationis ab iis facti, qui nec titulo, nec poſſeſſione, nec quaſi poſſeſſione juvantur; Actus celebrationis Matrimonii ſine Teſtibus requiſitis, atque ab alio, quàm legitimo Miniſtro.

Actus annullabiles, ſunt ii, quorum effectus pendulus eſt, partim ob defectum conſenſûs alicujus perſonæ, & qui rati fiunt aut irriti per factum poſterius: Rati, ſi gravatæ Partes non querantur intrà legitimum tempus. Irriti, ſi Partes læſæ querantur. Tales ſunt Electiones, ad quas aliqui Electores non ſunt vocati, quæ effectu carent, ſi eorum aliquis, queratur intrà tres menſes ad Electionem datos, & vim ſortiuntur, ſi nemo intrà illud tempus queratur. Tales ſunt Collationes ab Ordinario factæ in præjudicium Patroni, vel Collatoris Inferioris; nam ſi hi non querantur intrà ſex menſes, valent Collationes, quæ fierent irritæ, ſi intrà tempus præſtitutum querantur Perſonæ læſæ.

Non agimus hîc de Actibus annullabilibus, de quibus convenit, eos per factum poſterius ratos aut irritos fieri poſſe. De Ratis aut Irritis ab initio Actibus loquimur, & Quæritur. *Utrùm illi ex poſt facto vim ſuam amittere, & hi vim, quam non habebant, nanciſci valeant?*

Circâ hanc Quæſtionem duæ ſunt Juris Regulæ, quæ abſolutè negant, utrumque fieri poſſe, ſcilicet XVIII. & LXXIII. *de Reg. Jur. in* VI. Prior eſt, *Non firmatur tractu temporis, Quod de Jure ab initio non ſubſiſtit.* Poſterior ſic concipitur. *Factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſteà eveniat, à quo inchoari non potuit.* Hæ Regulæ in ſenſu oppoſito acceptæ, alia in alterâ continentur; id enim poſtulat ratio contrariorum: nam, ſi Actus irritus tractu temporis convaleſcere non poteſt, Actus ratus ex poſt facto diſſolvi non debet, vel, ſi factum poſterius Actui, qui ratus fuit, nocere nequit, neque etiam prodeſſe debet ei, qui ab initio fuit irritus. Hæc poſterior Regula reſtringenda eſt ad Actus abſolutè indiſſolubiles, putà Matrimonium conſummatum; *Conſummatum,*

matum, inquam, quoniam non consummatum per Professionem Religiosam legitimè factam dissolvi potest.

Quoad Actus dissolubiles, illi procul dubio legitimè possunt retractari propter factum posterius, quamvis ritè perfecti fuerint, quorum exemplum vulgare sunt Sponsalia, quæ justè solvuntur per casus subsequentes, quæ, si præivissent, ipsa fuissent, irrita. Itaque Regula Posterior minùs patet, quàm altera, cùm exceptiones quasdam patiatur, hæc Prior autem nullas; nam exempla, quæ afferuntur ad probandum, actus nullos ob defectum consensûs, convalescere, posse per consensum subsequentem, pertinent ad actus annullabiles, vel si spectent actus irritos, non congruunt; numquàm enim actus ob defectum consensûs nulli, convalescunt per subsequentem consensum, sed reparatur nullitas actûs irriti, validum actum substituendo.

Remotis jam omnibus, quæ caliginem offundere possent Conciliationi, quam quærimus; afferenda est Summa *Cap.* 12. *de Converſ. Conjugatorum*, quod adversari videtur expositis Regulis. Cùm à *Cælestino* III. quæsitum foret, utrùm Mulier, quæ putans, Virum suum esse defunctum, habitum Religionis sumpserat, & regresso Viro, è Monasterio exierat, eo mortuo teneretur in Religionem redire, Respondet ille, illam Professione suâ, quod suum erat, obstrinxisse, & proindè semetipsam obligavisse in tempus, quo libera esset; undè concludit eam redire debere, quia in eum casum pervenit, in quo votum efficax emittere poterat. *Respondemus, quòd licèt votum ejus non tenuerit usquequàque, ejus tamen fuit obligatorium quatenùs se poterat obligare; promisit enim intrando Monasterium, se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius, redire verò ad Sæculum in ejus potestate non erat, sed in potestate Mariti, & ideò quantùm ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desiit, cùm ad eum Casum, à quo poterat efficax habere principium, pervenisse noscatur.*

Hic Textus adversari videtur Regulæ XVIII. in eo quòd dicit, actum, qui ab initio non constitit, tractu temporis convaluisse, & Regulæ LXXIII. in eo, quòd supponit, actum nullum, si pervenerit in eum casum, quo fuisset efficax, indè trahere vim, quâ caruit. Regula autem in sensu contrario accepta docet, eventu subsequente actum non fieri ratum, licèt ab eo casu potuerit inchoari.

Sed oppositio est tantùm in terminis, nam 1 Pontifex loquitur de actu irrito ex unâ parte, ex alterâ rato; Regula autem XVIII. loquitur de actu absolutè nullo. 2. Vult tantùm, ut illud, quod firmum est, subsistat; dùm ejus effectus partim suspenditur propter obstaculum absolutam executionem impediens, eoque sublato obstaculo actus effectum suum plenissimè sortiatur, sed difficile intellectu quomodò idem actus partim nullus, partim validus esse possit: hinc ratus; hinc irritus: irritus respectu ejus, cui injustè nocet; efficax respectu ejus, à quo profectus est: videtur enim, quòd perindè atque in Rebus Moralibus unicus defectus sufficit ad vitiandam actionem, ita obtinere debet in cæteris quibuscumque rebus. Itaque posteà significat Pontifex in rigore suam Definitionem difficultate non carere; nam præmisso, se judicare, salubrius fore illi Mulieri, si redeat in Monasterium, adjicit, eam tamen ad id compelli non debere. *Consultius itaque ducimus, ut vanitatibus Sæculi derelictis, ad Monasterium redeat; ubi bonâ ducta intentione Professionem fecit: si verò ad hoc induci non potuerit, invitam ipsam credimus non cogendam.* Gonzales in hoc Caput contrà objicit Epistolam *Petri Blesensis*, qui credit Professionem esse nullam, & proindè illam rursùs nubere posse post obitum Viri, & solutio, quam affert, Textui adversatur, & notæ præcedenti, in quâ agnoscit Professionem esse validam saltem quoad Continentiam servandam post obitum Mariti, quod non cohæret, cùm vix concipi valeat, quomodò idem actus possit esse partim nullus; partim validus: adde, quòd perindè est de hoc Casu, ac de illo, quo Mulier credens Virum obiisse, alteri nupsit, posteà verò errore detecto, ad Virum priorem rediit, quæque isto verè mortuo, ad posteriorem reverti nullatenùs obligatur.

SECTIO. VI.

Quare in quibusdam Argumentis illicitum haberi debet, Quod expresè non permittitur, & in aliis, licitum videri debet, Quod diserè non interdicitur, & Quænam sint illa Argumenta.

Regula Posterior extat in *Cap.* 29. *de Sent. Excom.* his verbis, *Quia tamen Conditor Canonum Absolutionem ejus sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*, agit de Excommunicatione per Canones sancitâ, & dicit, Absolutionem Censuræ, quæ specialiter non reservatur Autori Canonis, cæteris concedi. Quoniam agitur de Absolutione Censurarum, Quidam Autores indè concludunt, eam Sententiam esse Absolutioni peculiarem, nec attendunt huic Argumento accommodari potuisse Regulam Generalem, ut solent specialibus Casibus applicari Generalia Principia.

Alia Sententia reperitur *in C.* 2. *de Translat.* ubi ait Innocentius III. esse quosdam casus, in quibus vetitum censeri debet id, quod non est diserte permissum. *Nonnunquàm intelligitur prohibitum quod non invenitur concessum.* (§. 2. *præsertim eum.*) Agit de facultate, quam habet Metropolitanus, ad cogendum Suffraganeum, ut Dignitati renunciet, si Consecrationem suam fieri quinque Mensibus neglexerit, supponensque Canones, qui hanc facultatem tribuunt Metropolitano, ei potestatem Suffraganeos transferendi non dedisse, concludit, eam illi non pertinere, suamque Conclusionem duabus confirmat rationibus, quarum Posterior ea est, quam retulimus.

Elicitur etiam eadem Sententia ex *Cap.* 5. *de Usu & Autor. Pallii* & similibus, quæ docent, Metropolitanum uti non posse Pallio, nisi diebus expresè concessis; necnon ex *Cap.* 15. *de Tempor. Ordin.* in quo Innocentius dicit, Metropolitanum mandare non potuisse Suffraganeo suo, ut uno & eodem die Virum eumdem ad tres Ordines Sacros promoveret, cùm illi hujusmodi Dispensatio à Canone minimè sit permissa.

Eadem reperitur. 1. in omnibus Textibus, qui laudant Regulam, *Quod non est Sanctorum Patrum Decreto sancitum, non est superstitiosis adinventionibus præsumendum.* Ejus generis sunt cit. *C.* 2. *de Translat. & Can.* 20. Caus. II. Quæst. V. *à* Stephano V. desumptus, ubi legitur *Documento* pro *Decreto*: Ex illis etiam Textibus est *Cap.* 6. *de Hæret. in* VI. in quibus id, quod licitum est in uno Casu, prohibetur in cæteris, ille est casus Dispensationis limitatæ, quæ in gratiam Fidei conceditur.

Atque illi sunt Textus oppositas Sententias continentes, qui conciliari debent. Quænam sint Argumenta, in quibus unaquæque locum habeat, indicabit Conciliatio; sed anteà observandum est, utramque spectare facultatem faciendi res nonnullas, quarum aliæ Jurisdictionem requirunt, aliæ verò non requirunt. Potestas Jurisdictionis, est Ordinaria, vel Delegata: Ordinaria certa negotiorum genera spectat, eaque universim complectitur; Delegata in certis negotiis circumscribitur: Potestas Ordinaria acquiritur per Dignitatem, cui illa cohæret, vel per Mandatum Generale Ordinarii: Potestas Delegata acquiritur per Mandatum Speciale. Potestas Ordinaria potest restringi per Reservationes in gratiam Superioris factas, vel per Privilegia, quæ aliis aliquam dant ipsius partem, vel per Consuetudinem, aut Præscriptionem.

Ordinarius potest quodcumque ipsi non adimit Reservatio, Privilegium, Consuetudo, aut Præscriptio: undè fit, ut qui de aliquâ potestate, litem movet Ordinario, tenetur probare, illam sibi ex aliquo horumce Titulo pertinere, & donec id præstiterit præsumitur pro Ordinario, qui interim frui debet ac in fruitione manuteneri.

Si Potestas Ordinarii ei partim restituta fuerit per derogationem factam ipsius limitationibus, quoad hanc restitutionem nil potest præter id, quod illi conceditur aut restituitur; plura hujus rei habemus exempla in Derogationibus à *Tridentino* factis, Reservationibus, & Exemptionibus quoad certa Capita. Ordinarius nihil recuperat præter potestatem, quæ ipsi per derogationem redditur; atque in hac re pro Delegato habetur.

Itaque Posterior Sententia ad Ordinarium spectat, Prior verò ad Delegatum, & eos omnes, qui pro Delegatis haberi possunt; tales sunt Procuratores ad certa negotia, Arbitri ad quasdam lites electi; Delegatio, Procuratio & Compromissum definiunt circà Potestatem illarum Personarum, quòd id, quod illis non datur, eis interdicitur. Confessarius, cui certi casus reservati conceduntur, nihil potest ultrà casus concessos: ejusdem conditionis sunt Pœnitentiarii, atque ipsi etiam Vicarii, quibus Episcopus nonnisi quosdam è casibus sibi reservatis mandavit, alios personæ suæ retinendo.

Quoad res, quæ Jurisdictionem non requirunt; Qui eas Jure communi possident, possunt quod sibi non interdicitur: Cæteri nihil possunt, præter id, quod eis conceditur. v. g. Curati possunt percipere omnes Decimas, quarum perceptio ipsis non prohibetur; quia Decimæ Jure communi Curatis debitæ sunt; Cæteri qui eas, ex Privilegio percipiunt aut Consuetudine, aut Præscriptione, nihil percipiunt præter id, quod ex iis Titulis, acquisitum est.

SECTIO VII.

Quis consensus Textuum, qui dicunt, „ Laïcos „ etiam pios non esse in Ecclesiâ, nisi obe- „ diendi; non imperandi gratiâ: eosque nullam „ accepisse Potestatem in Personas & Bona „ Ecclesiastica, *cum eis, qui docent* Principi- „ bus commissam esse Ecclesiæ Curam, cujus „ rationem, si eam neglexerint, Deo sunt „ reddituri?

EXordiemur à commemoratione Textuum, de quibus agitur. Præcipui Prioris generis sunt *Cap.* 10. *de Constitut. Cap. ult. de Reb. Eccles. alien. & Can.* 1. DIST. XCVI. Primus Tertio innititur, & quoad Argumentum nostrum ait INNOCENTIUS III. *Attendentes, quòd Laïcis etiam Religiosis super Ecclesiis & Ecclesiasticis Personis nulla sit attributa Potestas, quos obsequendi manet necessitas, non autoritas imperandi, à quibus si quid proprio motu statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesiâ fuerit approbatum*: Quod deinceps probat per Decretum *Concilii Romani*, sub SYMMACHO, quod reprobavit Statutum BASILII *Præfecti Prætorio*, & Vices agentis ODOACRI *Italiæ Regis*, de non alienandis Prædiis Rusticis, vel Urbanis, Ministeriis, & Ornamentis Ecclesiarum, hâc potissimâ ratione, quòd non fuit autoritate Romani Pontificis roboratum.

Factum in hoc Textu laudatum legitur *C.* 1. DIST. XCVI. in quo refertur Constitutio BASILII, & *Decretum* CONCILII, quod illam legi jussit, atque ob multas rationes improbavit: illius duo erant Capita, primum circà Electionem Pontificis versabatur, eamque fieri vetabat, nisi vocatus esset, ut turbis occurreret Præfectus; hæc prohibitio Patribus ingrata fuit, qui timebant, ne Laïci electionem præriperent, ut indicant hæc verba CRESCONII unius ex illis Episcopis: *Prætermissis Personis Religiosis, quibus maximè curæ est de tanto Pontifice, Electionem Laïci in suam redigerent potestatem.* Notandum est, BASILIUM exponere in *Præfatione* se admonitione *Beatissimi viri* SIMPLICII hoc Statutum fecisse: Quædam M. S. ferunt *Symmachum* pro *Simplicio*; cùm Symmachus de hac Constitutione queratur, credibile est, *Basilium* loqui de Simplicio.

Caput alterum spectat prohibitionem alienationis, de quâ locuti sumus, atque inter pœnas, quæ ibi proponuntur, est Anathema; quod absurdum visum est, Laïcum hominem Censuras in Ordinem Ecclesiasticum dictare; sed hæc potissima non fuit ratio à Patribus allata, sed Pontificem Romanum, ad quem præcipuè attinebat hoc Decretum, ejus participem non fuisse. Ultima Ratio fuit, ne subsisteret illa Scriptura ad Ecclesiæ Commodum vergens, in eo quòd irritabat, quæcumque fierent in Ecclesiæ præjudicium, atque Emptorem ac Venditorem ad restitutionem omnis causæ cogebat; *ne*, inquam *remaneret exemplum præsumendi quibuslibet Laïcis quamvis Religiosis vel Potentibus quolibet modo aliquid decernere de Ecclesiasticis Facultatibus.*

Verba INNOCENTII III. *Quos manet necessitas obsequendi, non autoritas imperandi*, desumpta sunt ex sententiâ Mediolanensis Episcopi relatâ in hoc *Can.* 1. DIST. XCVI.

Hi Textus videntur inniti *R. LI. de R. J. in VI.* quæ fert: *Semel Deo dicatum, non est ad Usus Humanos ulteriùs transferendum*; fortasse visum est, quòd sicut Consecratio Bonorum Ecclesiæ, ea à Sæculari Commercio subducit, ita illa Autoritati Sæculari subtrahit.

Posterioris generis Textus sunt in CAUS. XXIII. QUÆST. V. *C.* 20. 21. 22. 26. CANON. XX. sic loquitur de Principibus: *Cognoscant Principes Sæculi, Deo debere rationem reddere, propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt*: tùm subjicit, *nam sivè augeatur Pax & Disciplina Ecclesiæ per Fideles Principes, sivè solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum Potestati suam Ecclesiam credidit.* Canon hic à S. ISIDORO HISPALENSI desumptus est. *Canon* 21. Sic concipitur: *Res Humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi, quæ ad Divinam Confessionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis defendat Autoritas.* Hic Canon est S. LEONIS ad *Pulcheriam Augustam.* CONCILIUM TURONENSE III. anni 813. dicit in *Can.* 22. laudato. *Quos oportet per Sæcularis Potentiæ Disciplinam à tàm pravâ consuetudine coërceri, qui per Salutifera Sacerdotum Monita noluerunt revocari.* JOANNES VIII. in 26. ait, *Administratores Sæcularium Dignitatum, qui ad Ecclesiarum tuitionem, Pupillorum, ac Viduarum protectionem constituti sunt, quotiès ab Episcopis & Ecclesiasticis Viris conventi fuerint, eorum querimonias attentiùs audiant & secundùm quod necessitas expetierit, diligenti studio corrigant*: quòd *si Dei timorem præ oculis non habentes, negligere post Secundam & Tertiam admonitionem inventi fuerint, omni se noverint Communione usque ad condignam satisfactionem privatos.*

Illi sunt Textus, qui superiùs allatis videntur adversari; nam si Principibus Ecclesiæ tuitio, protectio, cura, commissa est, oportet ut Leges ad hoc necessarias condere possint; itaque si Bona Ecclesiæ malè administrentur, vel absque justâ causâ alienentur, si Viri Ecclesiastici pessimo agendi more Ecclesiam exagitent, oportet, ut Principes possint præcipere quod tollendis his malis est idoneum; si autem illa mala tollere possunt, quidni etiam illis obviare possint? Hi Textus supponunt, Principes tuitionem Ecclesiæ nihilominùs suscepisse, quam Orphanorum, Pupillorum, Viduarum, aliarumve Personarum miserabilium, in quarum subsidium Leges condere possunt, tàm ad propulsanda imminentia

nentia illis mala, quàm ea, quæ jam patiuntur. Si Principes rationem Deo sunt reddituri propter divisiones, aliasve Ecclesiæ perturbationes, quibus mederi neglexerunt, oportet, eos habere jus illis providendi per Leges, quas efficaces fore arbitrabuntur.

Cùm prioribus adversari videantur hi Textus, alio modo componi non posse videntur, & hæc oppositio tolli, quàm dicendo, priores de Principibus Supremis non loqui, quibus Ecclesiam suam commendavit Christus, siquidem *Basilius* supremam Potestatem non habebat; vel si de illis Principibus agunt, eorum Definitio restringenda est ad casus, in quibus Principes conderent Leges, inconsultâ Ecclesiâ, circà negotia, in quibus eam audiri necessarium est.

Et hæc sunt quæ aptiora duxerimus ad Conciliationem Textum, de quibus agitur.

SECTIO VIII.

Utrùm possit conciliari Regula, Idem de similibus ferendum Judicium, *cum Textibus, qui dicunt* Odia esse restringenda?

LAudata Regula refertur ab INNOCENTIO III. in *cap. 2. de Translat.* velut Principium certum, quo probat, Canones, qui soli Pontifici adscribunt translationem Episcoporum Consecratorum, habere locum in Episcopis Electis, maximè in Confirmatis; observatque vinculum, quo Episcopus Consecratus Ecclesiæ suæ jungitur, non esse strictius eo, quod Episcopum Electum tantùm eidem Ecclesiæ connectit, imò idem posse dici vinculum. *Licèt usque ad tempora ista Quod cautum fuerat de Episcopis, expressum non fuerat de Electis, propter expressam tamen similitudinem, vel identitatem prorsùs nemini poterat videri dubium subtiliter intuenti, cùm idem Judicium de similibus sit habendum.*

Regula hæc usurpatur in reservatione translationis Episcoporum Electorum ad Pontificem ejusve Sedem, & videtur contraria Textibus, quibuscum hîc comparatur; hæc enim reservatio translationis Episcoporum ad Pontificem, videtur odiosa, cùm non sit alterius conditionis, quàm cæteræ reservationes, illæ autem inter odia collocantur; quia per eas restringitur Potestas ordinaria, quæ favorabilis est.

Textus conferendi sunt 1. REG. XV. de *R. J. in* VI. *Odia restringi convenit.* 2. REG. XXX. *ibid. In Obscuris minimum est sequendum.* 3. REG. XLIX. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* 4. *Cap.* 18. *de Sent. Excom. in VI.* quod dicit *Irregularitatem admittendam non esse nisi in Casibus expressis.* 5. *Cap.* 1. *& 2. de Filiis Presb. in VI.* quæ docent *restringendas esse dispensationes velut res odiosas.* Idem est de omnibus Textibus qui docent, *Privilegia in præjudicium alicujus concessa, restringenda esse ad casus expressos in Privilegio.* Idem esse debet de omnibus Textibus, quibus probatum fuit *in Tractatu de Censuris & Irregularitate*, ratiocinationem à pari in neutro Argumento admitti, & quod amplius est, nec ratiocinium à majori.

Illâ repugnantiâ speciosâ saltem jam patefactâ, ad eam tollendam supponendum est, Pontificem putavisse, Reservationem translationis ad Sedem Apostolicam, esse Prærogativam ipsi à Jure Communi tributam, eamque spectavisse ut genuinam consecutionem Primâtûs, qui à Jure Communi nascitur: hâc opinione imbutus judicavit, eam reservationem esse cum favore accipiendam, itaque cum favores ampliari æquum sit, juxtà Regulam *favores convenit ampliari*, oportuit in causâ, de qua loquebatur, à casu expresso in jure, protendere ad casum non expressum, facultatem Sedi Apostolicæ adscriptam; persuasum igitur habens Pontifex translationem Episcoporum Consecratorum ad se pertinere, idque à Canonibus expressè definiri, concluserit, illam reservationem etiam Episcopos solùm Electos comprehendere, quia in rebus favorabilibus idem de similibus ferendum judicium. Consequentia hæc non peccat, si vera sint illius Principia; sed aliud erit in sententia eorum, qui putant reservationem translationis Episcoporum ad Pontificem, à Jure merè Canonico profectam esse, eamque nondùm satis ætate INNOCENTII III. fuisse roboratam; nam ex illâ opinione sequitur, jus Episcopos transferendi pertinere ex Jure Communi ad Synodum Provincialem, vel ad Metropolitanos, qui illo usi sunt, X. aut XI. prioribus Ecclesiæ Sæculis, ut probat Thomassinus. *Lib. 1. singularum trium Priorum Partium sui Operis* DE DISCIPLINA.

Ex Privilegio per Canones Pontificibus concesso, nata est hæc reservatio & juxtà hoc inter odia potest illa numerari, & proindè ratiocinium à pari circà eam potest non admitti, sed stare licet juri expresso. Nulla est igitur repugnantia, nisi juxtà hanc sententiam Pontifici improbatam, qui secundùm suam opinionem ratiocinium à pari usurpavit, in reservatione translationis Episcoporum in gratiam suæ Sedis: prædicta ergò ejus accommodatio juxtà ejus principia intelligenda est.

Purgari potest illa accommodatio, supponendo, illud Privilegium Juri fuisse insertum, atque ejusmodi Privilegia Juris Communis esse Partem, & propter hanc rationem cum favore esse accipienda, sicut ipsum Jus Commune: tale est Privilegium Carnem comedendi Die Natali Domini, licèt Abstinentiæ Die contingat: fortè opportuniùs dici potest, INNOCENTII III. tempore, Jure Communi solum Pontificem Episcopos transtulisse.

SECTIO IX.

Multi Canones definiunt, standum esse Posterioribus, si hi cum Prioribus pugnent; *Unus occurrit, qui dicit* in illo casu standum esse antiquiori; *Quâ viâ conciliare potest hic cum cæteris?*

HIc postremus Canon est C. 11. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. §. 1. desumptus ex Præfatione Libri de summo bono ad Episcopum Massonem inscripti, qui sic concipitur, *Quotiescùmque in gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illius sententia magis teneatur cujus antiquior aut potior extat autoritas.* Si vetustior autoritas est præferenda, falsum ergò, novitios Canones esse anterioribus anteponendos.

Faciliùs intelligetur illa repugnantia speciosa saltem relatis Textibus posterioris generis, quos subjicio.

GRATIANUS DIST. XXIX. *cap. 1. & 2.* pro principio asserit, componendos esse Canones contrarios ex tempore, quo confecti sunt, & laudat duos Canones, qui hoc disertè docent. Unus est S. ISIDORI HISPALENSIS, alter S. GREGORII. Porrò conciliatio ex tempore quæsita, fit potissimùm dicendo, posteriorem vincere priorem, ut probant Textus expressi *Cap. 1. de Cognatione Spirituali*: ALEXANDER III. repertis Canonibus pugnantibus circà Quæstionem, utrùm Cognatio Spiritualis complectatur Liberos post compaternitatem natos, aliis dicentibus, eos comprehendi, aliis, non comprehendi; definit, standum esse Posterioribus. *Licèt primus Canon exindè editus natos post compaternitatem ad invicem copulari prohibeat, alter tamen Canon Posterior editus primum corrigere*, tùm relatâ dispositione hujus Canonis concludit, *Undè nobis videtur, ut secundùm Posteriorem observari debeat.*

Cap. 1. de Constit. in VI. disertiùs loquitur in ipsa Argumenti sede, nam duo Constitutionum genera distinguuntur, quarum aliæ continent Jus Commune, aliæ Jus Singulare & Speciale. v. g. Statuta quorumdam Collegiorum, ac statuitur, quòd ubi Summus Pontifex Constitutionem novam condit veteri con-

contrariam, ille primam per sequentem revocat, etsi ejus mentionem non fecerit. *Licèt Romanus Pontifex, qui Jura omnia in Scrinio pectoris sui censetur habere, Constitutionem condendo posteriorem, Priorem, quamvis de ipsâ mentionem non faciat, revocare noscatur....* Quæ sequuntur spectant Jus singulare, cui se derogare negat Pontifex, nisi illud specialiter commemoret, & rationem hujus discriminis afferens, ait, *se hujus Juris singularis, cùm sit Facti & in Facto consistat, esse probabiliter ignarum, quod de Jure communi dici nequit, quod ipse condidit & in Scrinio pectoris gestat.*

Adversùs hos Textus objici non possunt *C.* 28. *de Rescript. & C.* 3. *de Capel. Monach.* quæ præter oppositionem, requirunt etiam derogationem expressam Constitutioni anteriori; nam de Constitutionibus Posterioribus, quæ Prioribus contrariæ sunt, non agitur; verùm de Gratiis, quæ obviant Conciliis Generalibus, quibus tantam reverentiam exhibuêre nonnulli Pontifices, ut testarentur, se nolle illis derogare, nisi per expressam mentionem: atque ille mos hodiè invaluit, ut probat specialis mentio, quæ fit Conciliorum Generalium in Clausulâ Derogatoriâ Juri cuicumque contrario Gratiis, quæ conceduntur; quinimò aliquid specialius exigunt, circà Tridentinum, cui per hanc Clausulam Generalem derogari nolunt.

FAGNANUS *in Cap.* 28. & GONZALES in *Cap.* 3. laudatam Quæstionem discutiunt, an, ut Constitutio contraria anteriorem emendet, necesse sit id expresè caveri? & contendunt, hanc cautionem non esse necessariam, sed sufficere solam oppositionem. FAGNANUS *ibid. n.* 37. sibi objicit Textum allatum à S. ISIDORO acceptum, & respondet, illum esse intelligendum non de autoritate, quæ nascitur ex Vetustate, sed de eâ, quæ oritur ex Dignitate, ita ut ejus sensus sit, in casu discordiæ inter Decreta duorum Conciliorum, præferenda esse Conciliorum Majorum Decreta Statutis Synodorum Minorum, nimirùm arbitratus est ille Autor hæc verba, *antiquior aut potior*, hìc esse Synonima, illa accersit ex *Can.* 28. DIST. I. qui prolixior est *Can.* 11. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. Sed Paragraphus, qui ad rem facit similis est, excepto quòd in hoc 28. *Can.* legitur, *aut antiquior aut potior*, abest autem prius *aut*, ab altero Canone. Sed etiamsi Autor Textus putavisset Decretum Concilii Vetustioris esse præferendum Decreto Concilii Recentioris, ejus opinio levioris esset momenti; nam *Epistola S. Isidori ad Massonem* procul dubio supposititia est; nam 1. laxamenta, quæ approbat, Doctrinæ illius Autoris adversantur; 2. nec nisi mediante IX. Sæculo prodiêre.

Itaque, vel abjiciendus est hic Textus, vel ut autoritatis nullius, vel componendus cum cæteris, eum per illos exponendo, quod æquum est, quia Textus obscuri per Textus apertos sunt exponendi.

Quod diximus suprà, Constitutionem Posteriorem Anteriori derogare, quandò ipsi adversantur, restringendum est ad Capita, in quibus illæ sunt oppositæ; cætera vigere debent, ut disertè docet, *C.* 41. *de Elect. in VI.* restringendo *C.* 4. *ibid.* ad Appellationes Extrajudiciales, circà quas aliquid immutavit in Jure antiquo in materiâ Electionum & definiendo Jus vetus subsistere circà cæteras Appellationes. Ratio est, quia emendatio Juris odiosa res est, & proindè locum non habet, nisi in Casibus expressis.

SECTIO X.

Conciliatio Textuum, qui significant Canones obligare statim, atque promulgati sunt; *cum iis qui insinuant*, alicujus temporis lapsum ad id requiri.

QUamvis *Observationes* GRATIANI non sint Textus Juris, multùmque absit, ut illæ vim atque autoritatem eorum Textuum sortiantur; quædam tamen hanc dignitatem adeptæ sunt per approbationem generalem: ex hoc numero videtur esse §. *Leges instituuntur* DIST. IV. *Leges instituuntur, cùm promulgantur, Moribus autem utentium firmantur*, qui intelligendus est de Legibus susceptis, saltem per silentium Partium, quas spectant, nam illæ, quæ rejiciuntur, ut minùs congruæ, Moribus utentium non sunt confirmatæ.

C. 1. *de Postul.* supponit, Leges obligare statim atque solemniter promulgatæ sunt, desumptum illud est ab INNOCENTIO III. qui reprobat postulationem Episcopi Altissiodorensis in Archiepiscopum Senonensem, quia ille non servaverat interdictum, quod Regno erat illatum, quamvis solemniter promulgatum, *Cùm Cardinalis idem Sententiam Interdicti præsentibus multis Archiepiscopis & Episcopis solemniter ac publicè promulgavit*, & ad purgandam suam recusationem & obviandum excusationi Episcopi, dicentis, eam Sententiam sibi significatam non fuisse, adjicit INNOCENTIUS, quòd *nec sit necessarium, cùm Constitutio solemniter editur aut publicè promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale Mandatum, vel Litteras inculcare, sed id solùm sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, quòd noverit eam solemniter editam ac publicè promulgatam.*

C. 13. *de Pœnit.* significat, Legem obligare statim, atque promulgata est, nam declarat pœnam sanctam in Medicos qui neglexerint monere ægros, ut Sacramenta suscipiant, incurri statim, atque Constitutio per Prælatos Locorum fuerit publicata.

Idem insinuat *Clem.* 2. *de Hæret.* his verbis, *Statuimus nullis ex nunc*, quæ indicant, *Concilium Viennense* voluisse Decretum suum effectum suum sortiri statim, atque solemniter promulgatum fuisset.

Quoad Textus, qui insinuant, Legem non parere obligationem, nisi certo tempore, à die Promulgationis elapso, duo occurrunt in *Tit. ne Clerici vel Monachi*, tertius scilicet & ultimus; *Primus à Concilio Turonensi* desumptus est, an. 1163. qui excommunicat Monachos, qui sub specie utilitatis suorum Fratrum, aliorum-ve, è Monasterio exeunt, ut Medicinam aut Mundanas Leges legant, nisi ad Claustrum suum intrà duorum Mensium spatium redierint.

Posterior est *Honori* III. qui illam Constitutionem extendit ad Archidiaconos, Plebanos, Decanos, Præpositos, Cantores, & alios Clericos Personatus habentes, nec non Presbyteros, nisi ab his intrà spatium prædictum destiterint.

Cap. 49. *de Sent. Excom.* excommunicat eos, qui de cætero servari fecerint Statuta edita, & Consuetudines introductas contrà Ecclesiæ Libertatem, nisi ea de Capitularibus suis, intrà duos Menses, post hujusmodi Publicationem Sententiæ fecerint amoveri. Hoc Caput est ejusdem *Honorii III.* ad Episcopum Bononiensem.

Ad Conciliationem horum Textuum, Observandum est, 1. Quasdam actiones per Canones præcipi, quæ statim post Promulgationem fieri nequeunt, quales sunt illæ, de quibus agunt tres Posterioris generis Textus: nam qui è Monasterio exierant, ut Medicinam legerent, aut Mundanas Leges, aliquo tempore indigebant, ut redirent, atque res ad iter suum necessarias compararent. Idem cogitandum est de Beneficiariis, qui Locum sui Beneficii ex eâdem causâ deseruerant. Idem dicendum de iis, quibus jubetur delere Statuta Libertati Ecclesiasticæ contraria, illud fieri nequit præter deliberationem cum Collegio & ejus consensum, quæ circumstantiæ tempus requirunt & tractationem aliquam.

2. Aliquandò atrocitas pœnæ postulat negligentiam insignem, ne pœna sit gravior delicto, negligentia autem non fit insignis, nisi post aliquod tempus: hæc mens est CONCILII TRIDENTINI. *Cap.* 2. SESS. VII. quod certum tempus præfigit ad executionem Decreti lati in eos, qui tunc plura Beneficia incompatibilia possidebant.

3. Promulgatio non fiebat in singulis Parochiis, sed tantùm in Sede Legislatoris, Pontificis, Metropolitani & Episcopi, vel in Loco Concilii; tùmque longo tempore indigebant Remotiores à Loco promulgationis, ut ejus notitiam haberent. Hinc PIUS IV. in Diplomate mensis Augusti an. 1564. dato ad declarandum, ex quo tempore Decreta Tridentina circà Disciplinam obligarent, declarat, illa obligare cœpisse tribus ab eorum promulgatione Mensibus.

4. Idem Pontifex ibidem affert in rationem suæ Definitionis, quòd ex Jure Communi Constitutiones novæ non obligant, nisi post aliquod tempus, *Jure etiam Communi sancitum, ut Constitutiones novæ vim, nonnisi post certum tempus, obtineant.*

5. Juxtà illud Jus CONCILIUM TRIDENTINUM *C.* 1. SESS. XXIV. *de Reform. Matrim.* jubet, Decretum suum in Matrimonia Clandestina non habere vim, nisi post Mensem à Promulgatione in Parœciis factâ; *Decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in unâquâque Parochiâ suum robur post triginta dies habere incipiat à die primæ Publicationis in eâdem factæ.* Caput idem concedit illis, qui casu vetito erant implicati, Mensem, scilicèt intrà, quem prohibitioni parerent.

6. *Cap.* 1. *De Concess. Præb. in VI.* supponit, ac pro certo proponit, Legem non obligare, nisi, quandò pervenit ad notitiam eorum, pro quibus condita est, vel post tempus ad hanc notitiam necessarium. *Lex seù Constitutio nullos astringit, nisi, postquàm ad notitiam pervenerit eorumdem, aut nisi post tempus, intrà quod ignorare minimè debuissent.*

7. JOANNES XXII. *Cap.* 1. *de Præb.* inter ejus Constitutiones, ad executionem suæ Definitionis adversùs pluralitatem Beneficiorum incompatibilium, per Dispensationem Sedis Apostolicæ impetratorum, atque possessorum, dat Mensem numerandum à tempore notitiæ, quod de notitiâ præsumptâ intelligendum est, *intrà mensem à tempore notitiæ numerandum.*

8. Quoniam inter laudatos Canones, alii unum, alii duos, nonnulli tres Menses concedunt, patet hinc, illius temporis Definitionem pendere à Legislatoris voluntate, juxtà circumstantias Locorum, Temporum, & Personarum, ordinatâ: ex eâdem voluntate pendet determinatio, utrùm Lex statim post sufficientem Promulgationem obtinebit, an intrà certum tempus datum, ad faciendas Legislatori supplices admonitiones, atque impetrandum ejus consensum ad inobservationem, ad ejusdem disseminandam inter omnes Subditos Legis notitiam.

Ex omnibus his Observationibus sequitur, inter Textus propositos tamquàm pugnantes, nullam esse discordiam, sed diversitatem meram, quam induxit varietas Circumstantiarum, Locorum, & Temporum: ejusdem sunt conditionis illi Textus, cujus illi, de quibus loquitur *C.* 7. *De iis, quæ fiunt à Prælatis, Autoritates præmissæ, licèt diversæ sint, non tamen adversæ.*

Sequitur etiam, illud discrimen non versari circà Caput præcipuum, verùm circà Circumstantias, quæ nihil ex eo mutant: Caput illud est, Legem non posse, nec debere vim habere, nisi postquàm potuit, & debuit sufficienter innotescere; nam, ut suprà ostendimus, *Tit.* 2. Ignorantia invincibilis Juris excusat ab observatione ejus Decretorum; illa autem provenire potest tàm ex insufficienti Promulgatione, quàm ex impedimentis, quæ Promulgationem notam fieri prohibuerunt.

Hic monendum duximus, esse Leges, quæ jubent, iterari promulgationem statis temporibus, eamque iterationem alium habere finem, quàm primam, de quâ hùcusque egimus; hæc enim fit, ut prima detur Legis notitia, ut possit obligare ac servari: iteratur autem Promulgatio, certis temporibus, ut Legis gravitas insinuetur per curam renovandi ejus memoriam, aut ad movendos ad eam servandam Subditos, vel ad faciendam monitionem generalem Censuræ, alteriùsve pœnæ, quæ per eam sancitur: *Prioris* generis est Decretum CONCILII TRIDENTINI *C.* 1. SESS. XXIV. *de Reform. Matrim. Posterioris* est *C.* 1. de *Locato Conducto*, quod fert Excommunicationem in Transgressores *C.* 39. *de Simon.*

SECTIO XI.

An Textus, qui dicunt in Legibus novitates esse pernicioſas, *adversentur iis, qui docent* semper licere novas Leges condere.

PONTIFEX HONORIUS III. *C.* 9. *de Consuetudine*, certum esse significat, novitates in Legibus sæpè sæpiùs discordiam parere, illudque inducere videtur ex eo, quòd mediocris non sit autoritas usûs antiqui, *Cùm Consuetudinis, usûsque longævi non sit levis autoritas & plerùmque discordiam pariant novitates.*

BENEDICTUS II. *C.* 1. *de Privil.* EXTRAVAG. COMMUN. illud adhibens principium adversùs Leges novas, illud corroborat per observationem prorsùs congruam casibus, in quibus adversantur usui veteri, cujus æquitas probata est, & cujus mutationem non requirit utilitas manifesta, scilicet, amorem rei, quæ diutiùs visa est justa, difficilem facere commutationem Legis antiquæ cum novâ, cujus utilitas non est manifesta. *Plerùmque pariunt novitates discordiam, præsertim cùm ab eo, quod diù æquum visum fuit, per novam Constitutionem receditur, nec quare recedatur, evidens utilitas, vel alia causa subest.*

INNOCENTIUS I. longè anteà vituperaverat novitatem in Legibus, verùm aliâ de causâ, scilicet propter contumeliam Ecclesiæ Superioris, cujus deseritur usus, ut illi præferatur mos per autoritatem Inferiorem introductus: illud significat *Can.* 11. DIST. XI. desumptus ex ejus Responsione ad *Decentium Episcopum Eugubinum*, qui illum consuluerat circà quosdam Usus nonnullarum Ecclesiarum, Ecclesiæ Romanæ, à quâ Religionem acceperant, Ritibus adversos. *Si qui à Romanæ Ecclesiæ Consuetudine errant, aut commoneas, aut nobis indicare non differas, ut scire valeamus, Qui sint, qui aut novitates inducunt, aut alteriùs Ecclesiæ, quàm Romanæ Ecclesiæ, existimant Consuetudinem esse servandam.*

His Textibus adversari videntur. 1. *Can.* 2. DIST. VIII. in quo *S. Augustinus* observat, Jus Positivum à Jure Naturali in eo discrepare, quòd hoc non subjacet novitati, illud verò illi sit obnoxium, non solùm ex parte Dei, qui Leges Humanis Moribus adversas condere potest, verùm etiam ex parte Principum, qui illæsis Societatis Regulis possunt præcipere, quod neque ipsi, neque eorum Decessores præceperant, illisque obtemperandum esse, ne peccetur in generale Societatis pactum Regibus obsequendi. *Si enim Regi licet in Civitate, cui regnat, aliquid jubere, quod neque antè illum Quisquàm, nec ipse, unquàm jusserat, & non contrà Societatem obtemperatur, imò contrà Societatem non obtemperatur; generale quippè pactum est Societatis obedire Legibus.* Licet igitur Principi Leges novas condere, tenenturque ejus Subditi illis, non obstante novitate, obsequi.

Idem videtur de *Can.* 6. CAU. XXV. QUÆST. I. in quo URBANUS II. cùm retulisset, Quosdam dicere, semper licuisse Pontifici Leges novas condere, eorumque sententiam approbasset, duos casus excipit, Scripturæ Sacræ scilicet, & Definitionum Conciliorum Generalium, à quibus divertere non potest Pontifex, quin cadat in errorem; Per hanc exceptionem significat in quocumque alio Argumento, posse juberi aliud, quàm præceptum fuerat, prohiberi, quod erat licitum, permitti, quod erat vetitum.

Quod de Principe dictum est, ac de Pontifice, dici debet de omni Prælato, cùm Sæculari, tùm Ecclesiastico, qui Constitutiones condere potest. Possunt illi novas condere Leges, sivè circà illam rem jam factæ fuissent quædam, sivè nullæ; in utrâ-

que circumstantiâ Leges novæ turbas & discordiam parere possunt; Quæ adversantur Legibus antiquis circà eamdem rem, hunc effectum parere possunt, per obligationem, quam imponunt vincendi moris Legum Veterum: Quæ fiunt in materiâ novâ, & Legibus experte, idem procurabunt, tollendo veterem libertatem.

Quomodò igitur componi possunt Textus, qui docent, in Legibus non esse innovandum, atque à novitate avocant per metum inducendæ discordiæ, cum illis, qui docent, licitum esse, ac semper fuisse, novas Leges condere, tàm in rebus, quæ Legibus carebant, quàm in eis, quæ in Legibus erant ordinatæ; cùm uterque casus sit Divisionibus obnoxius?

Huic apparenti discordiæ Respondemus, Leges novas non ritè fieri, nisi cùm urgens Ecclesiæ vel Reipublicæ necessitas, aut utilitas evidens eas requirunt: atque in illis circumstantiis majoris Boni cupido minus negligere cogit; Bonum commune vincit omne privatum Bonum, & facilè subitur periculum minoris Mali ad vitandum majus: Equidem fit aliqua vis, dùm à Jure Veteri, quod Consuetudo jucundum fecerat, & à Libertate, quâ fruebamur anteà, avellimur: nullæ sunt igitur in his casibus discordiæ causæ, utilitas Legis illi obsequium parit; Vice versâ, si Lex in Legislatoris commodum vergat, si ille sui solius utilitatem quærat, si aliis jugum grave imponat ad suum lucrum, Subditi vix parent, seipsosque macerare debent ad vincendam suam repugnantiam, indè nascitur dissidium ex oppositione studiorum; Subditi bonum suum quærunt in publicâ utilitate inclusum, Præpositi suum aucupantur à communi longè alienum.

Confirmari potest ex *Cap.* 8. *de Consang.* quod dictum est ad conciliationem allatorum Textuum; desumptum est illud à LATERANENSI IV. Docet Præfatio, occurrere casus, in quibus mutatio Legum necessaria est, atque ejus generis esse 1. Cùm cessat causa, quæ primas Leges induxerat: 2. Cùm id postulat urgens Reipublicæ necessitas. 3. Cùm id suadet atque inducit evidens utilitas: *Non debet reprehensibile judicari, si secundùm varietatem Temporum Statuta quandò varientur Humana, præsertim, cùm urgens necessitas, vel evidens utilitas idem exposcunt.* Jam dixerat S. ISIDORUS, Legem Tempori congruere debere. *C.* 2. DIST. IV. *Loco, Temporique conveniens*, quod eò magis est necessarium, quòd experientia docet res, certo tempore utiles, in alio tempore pernicioſas evadere: id fusiùs demonstratum est hujus Textûs occasione in *Traditione circà Sacramentum Matrimonii*: indè fit, ut Concilium, postquàm probavit mutationem, quæ fit in Legibus Humanis, per exemplum mutationis, quam fecit Deus in Legibus Veteris Testamenti, & dixit, quædam genera Affinitatum afferre implicationes, & perniciem Animabus, illa abrogat ex principio, quòd cessante causâ, scilicet utilitate, cessare debet effectus; nimirùm vinculum Legis. Hinc observare juvat, distingui posse in Legibus duplex utilitatis genus, nempè eam, quæ communis est omnibus Legibus, de quâ mox egimus, & illam, quæ unicuique Legi peculiaris est, ejusque finis & causa proxima: tale est in Lege Matrimonia propter Cognationem irritante, commodum dilatandæ Caritatis cogendo Cognatos, qui satis invicem familiares existimabantur, ad jungendas Affinitates cum aliis, quibuscum nullam specialem necessitudinem habebant: sed, cùm amor inter Cognatos remotiores refrixit, æquum fuit illis permittere invicem conjugari, ad renovandam necessitudinem penè extinctam: Studiis imminutis, neglecta fuerat conservatio probationum Affinitatum ejusmodi, undè contingebat, ut plures inter se Matrimonium inirent in gradu vetito, quod plura incommoda pariebat, sivè ergà Temporalia, sivè ergà Spiritualia; nam post diuturnam Consuetudinem & multorum Liberorum susceptionem, Cognationis probationes reperiebantur, quæ inserviebant, ad faciendum dissidium, & explendas novas cupiditates. Nonnulli, licèt eis innotuisset aliquod impedimentum, cohabitare perseverabant ut Vir & Uxor, atque in crimine vitam sæpè usque ad mortem ducebant: indè urgens necessitas atque evidens utilitas abrogandi gradus remotos Consanguinitatis, & genera Affinitatis parùm placita.

Non difficile foret colligere magnum numerum Canonum, qui vetant aliquid immutare in Legibus, præter necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ. Tales sunt præcipuè qui dispensationes prohibent, his casibus exceptis, qui referuntur in *Tractatu de Dispensationibus*, inserto *Tractatui de Jurisdictione Ecclesiasticâ*. Plures etiam ejus generis occurrunt. CAUS. VII. QUÆST. I.

Ex omnibus Textibus prioris generis, nullus est, qui absolutè dicat, Novitates in Legibus esse perniciosas; insigniores insinuant tantùm, id sæpiùs accidere; itaque supponunt illi, quosdam esse casus condendis novis Legibus opportunos, aliàs damnavissent omnes Leges Positivas singularum Provinciarum circà singula Argumenta, & proindè omnes Constitutiones novarum Censurarum, novarum Irregularitatum, novorum Impedimentorum Matrimonii, novarum Solemnitatum in Judiciis, novorum Generum Appellationis, quoniam abrogatio Legum per Consuetudinem novum Jus introducit, illud scilicet, quod antè illas Leges observabatur; Quot sunt Textus, qui hanc abrogationem approbant, si ritè fiat, tot suppetunt Argumenta, Canones non improbare novitatem, quotiès illa est necessaria.

SECTIO XII.

VARII MODI COMPONENDI I. Textus *qui unicum Casum excipiunt à Regulâ dicente, Legem futuris providere*, cum Textibus, *qui plures casus excipiunt.* 2. Textus, *qui puniunt actiones nondùm vetitas*, cum Textibus, *qui illam punitionem videntur damnare.*

HÆ duæ Oppositionum species hîc junguntur, quia sunt connexæ in iisdem Textibus, ut demonstrabitur, postquàm illi relati erunt.

Plures Textus ab illâ Regulâ excipiunt casum unicum, quo Lex expresè præteritum complectitur in suâ Dispositione: Tales sunt *Cap.* 2. *&* 13. *de Constitut.* Prius à S. GREGORIO, Posterius à GREGORIO IX. desumptum est: utrumque refert Regulam, Posterius Exceptionem commemorat. Cùm statuisset S. GREGORIUS, ut si Judæi Servos Christianos emissent, tenerentur illos Christianis vendere intrà Quadraginta dies, declarat ille suam Constitutionem non comprehendere Judæos, qui tales ab anno habebant Servos, itaque illi non eos amiserant propter neglectam eorum venditionem intrà Quadraginta dies, sed eis licebat eos alienare, quia Lex futuris tantùm providet, præcipuè circà pœnam, cùm iniquum sit punire Innocentes. *Quotiès novum quid statuit, ità solet futuris formam imponere, ut dispendiis præterita non commendet, ne detrimentum antè prohibitionem possint Ignorantes incurrere, quod eos postmodùm dignum est vetitos sustinere.* Afferimus hunc Textum, quoniam Primus est in Jure Canonico, qui Regulam propositam continet, præterea ille confirmat quod diximus suprà, Ignorantiam invincibilem Legis excusare, & Legem non adstringere, nisi ubi potuit & debuit sciri. *V. Partem resectam ad expositionem Constitutionis.*

GREGORIUS IX. in Posteriore Textu, exponens Constitutionem, quam fecerat circà Præsessionem Clericorum in Sacris constitutorum super Minores Clericos, quamvis hi antè illos fuissent recepti (quæ

refertur

refertur *C.* 15. *de Majorit. & Obed.*) declarat, illam non comprehendere eos, qui antè suam Constitutionem fuerant recepti, & rationem affert, quòd Lex futuris provideat, non præteritis, nisi de de iis nominatim caveat; suam autem Constitutionem non complecti præterita in suâ Dispositione. Hic ultima verba referemus, quæ nos attinent. *Cùm Leges & Constitutiones futuris certum sit dare formam negotiis, non ad præterita facta trahi, nisi nominatim in eis de præteritis caveatur.*

Adjicere possumus Textui GREGORII IX. omnes Textus, qui in suis Definitionibus, de præteritis nominatim cavent; nam hæc cautio inutilis fuisset, si præterita in Legibus novis fuissent comprehensa: facta est autem ad aperiendam voluntatem Legislatoris providendi tàm præteritis, quàm futuris.

Continent illi Textus executionem Regulæ, & probant, illam tunc viguisse, cùm factæ sunt illæ Definitiones: Multi ejusmodi occurrunt in Corpore Juris, quorum insigniores afferemus. Vetustior est in eo genere *C.* 2 DIST. X. QUÆST. I. desumptus è *Concilio Toletano III.* an. 589. qui emendat pravam Consuetudinem reservandi Patrono administrationem dotis, quam conferebat illi Ecclesiæ, quam ædificabat, & consecrari curaverat, adversùs Constitutionem Antiquam, quæ Episcopi ordinationi omnia permittebat, & jubet, præterita emendari, nec non in futurum prohiberi. *Quod factum taliter in præterito corrigatur, ut & in futuro, ne fiat, prohibeatur, sed omnia secundùm Constitutionem Antiquam ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant.*

S. GREGORIUS biennio post, scilicet ann. 591. Constitutionem condidit ad emendandum Statutum PELAGII II. Decessoris sui, quo ille Continentiæ Subdiaconos jam Conjugatos subjecerat, quamvis illa non esset usitata in illis Regionibus, tùm cùm Uxores duxerant, aut Subdiaconatum acceperant, quod cùm asperius visum esset S. GREGORIO, jubet, ut in posterùm omnes Episcopi hunc Ordinem nemini conferant, nisi iis, qui Castitatem promitterent: quoad eos verò, qui hunc Ordinem acceperant absque hâc promissione, ipsis usum Matrimonii atque Ordinis exercitium, permittit, vetans duntaxat, ne ad Superiores Ordines promoveantur: cujus cautionis ratione ejus Constitutio præteritis providet non secùs ac futuris, illis, qui ordinati erant, usum Matrimonii, nisi vellent ab eo abstinere, restituens, & illos excludens ab Ordinibus Superioribus, quoad cæteros, aliquem sine Voto Castitatis ordinare prohibens.

HONORIUS III. *C.* 5. *lite pendente*, accommodat Privilegiis, quæ sunt Leges speciales, Regulam, de quâ agitur, definiens, Privilegium lite pendente impetratum, non derogare Juribus existentibus tempore controversiæ, nisi de litis pendentiâ mentionem faciat: agebatur de Indulto super perceptione Decimarum, quæ disceptabantur, definitum fuit, hanc indulgentiam non obstare, quominùs in negotio procederetur, cujus mentio facta non fuerit.

GREGORIUS IX. *Cap.* 9. *de Consecr.* suam Definitionem fingens ad normam Regulæ, quam probavit suprà, vetat, Episcopos committere Sacerdotibus reconciliationem Ecclesiarum pollutarum; quod tamen hactenùs factum est per eosdem, misericorditer tolerat. Simile videre est in *C.* 4. *de Consuet.* circà Confirmationis collationem à Presbyteris Græcis.

Juxtà eamdem Regulam cùm BONIFACIUS VIII. in suâ Constitutione adversùs pluralitatem Beneficiorum Regularium, comprehendere vellet eos, qui in eo casu erant, eosque pœnæ subjicere, voluntatem suam disertè declarat, jubens, ut intrà Mensem alterutrum eligant, alioquin primo erunt ipso jure privati. *C.* 32. *de Præb. in VI.*

CLEMENS V. *C.* 2. *de Ætate* &c. eidem Regulæ obsequitur; nam volens subjicere suæ Constitutioni Canonicos jam factos, perindè atque eos, qui fient in posterùm: utrumque genus nominatim commemorat his verbis, *sunt mancipati, vel mancipabuntur in posterùm*, & his *obtinent vel obtinuerint in futurum.* Idem Pontifex *Cap. Unic. de Probat.* Suam Definitionem extendit in præteritum & præsens, aut ergà pendentes lites.

Alii Textus, qui Argumento nostro etiam sunt affines, sunt *Cap.* 7. *de Elect.* quod astringit ad Promotionem ad Ordines quosdam Beneficiarios, & eos nominatim comprehendit, qui talia Beneficia possidebant.

Cap. 31. *de Rescript.* quod rescindit Rescripta sivè impetrata, sivè impetranda, in quibus impetratorum jam Rescriptorum facta non fuerit mentio.

Cap. ult. de Filiis Presbyter. in quo GREGORIUS IX. jubet, deponi Spurios, qui possidebant absque Dispensatione Sedis Apostolicæ, Dignitates, aut Personatus, alia-ve Beneficia Curata, & ne id de cætero præsumatur, districtè prohibet.

Cap. 1. *de Consuetud. in VI.* reprobans Consuetudinem obtinendi plura Beneficia incompatibilia absque Dispensatione Sedis Apostolicæ, prohibet eos, qui ejusmodi Beneficia possident, ea sic tenere in posterùm, & cæteros, illa eodem modo acquirere.

Cap. 2. DIST. LXXXII. suppeditat exemplum ejusdem generis. INNOCENTIUS I. Constitutionem condens circà absolutam Diaconorum Continentiam, præteritis providet ac futuris: mitiùs tamen statuens circà eos, qui Matrimonio usi erant anteà contracto, quàm circà eos, qui in futurum uterentur.

Atque illi sunt præcipui Textus, qui vel nominatim, vel suo exemplo docent, Legem futuris duntaxat providere, nisi de præteritis in eâ nominatim caveatur.

Nonnullos eorum subjicio, qui præteritis accommodant Leges de præterito tacentes, saltem qui, ut tales, laudantur, & Textibus prioris generis in eo oppositi videntur.

Tale est 1. *Cap.* 5. *de Usuris*, quod usuris antè *Lateranense III.* perceptis accommodat Canonem illius contrà Usurarios manifestos, quo excluduntur à Communione Altaris, ab Oblationibus, quæ fiunt ad Altare, vel alibi, & ab Ecclesiasticâ Sepulturâ, si moriantur in suo peccato, & extendit ad Usurarios Concilio anteriores pœnas sancitas, licèt eorum mentionem in suo Canone non fecerit Concilium. Hic Textus est ALEXANDRI III. qui hoc Concilium celebravit: oportet igitur, eum putavisse Legem formam dare præteritis, de quibus tacet, aut saltem esse quosdam casus, in quibus cautio de præteritis non est necessaria.

2. Idem est de *Can.* 40. *de Simon.* in quo *Concilium Lateranense IV.* providens, ut Monasteria Mulierum nihil exigant ab eis, quas admittunt, duplex pœnarum genus sancit, non solùm in futuram receptionem venalem, sed etiam in jam factas ejusmodi receptiones: Aliæ sunt Communes, scilicet nullitas receptionis; Aliæ Speciales unicuique delicto: præteritum coërcetur per translationem in aliud Monasterium ejusdem Ordinis, & posito quòd hæc pœna non queat executioni mandari, per mutationem priorum locorum, & assignationem inferiorum; futurum verò per expulsationem tàm Recipientis quàm Receptæ, sivè sit Subdita, sivè Prælata, & detrusionem in locum arctioris Regulæ ad agendam perpetuam pœnitentiam. Porrò nullus erat Canon, qui tales sanxisset pœnas in Moniales Simoniacas: oportet proindè, ut Concilium huic casui accommodaverit aliquam Legem, quæ de eo non cavebat nominatim, vel pœnam novam proposuerit in delictum jam admissum, quamvis pœnæ Legibus annexæ sint, ut absterreant Subditos à factis prohibitis.

Alii Textus, sivè Leges, quæ actiones vel omissiones nondùm vetitas coërcent, aut coërcere videntur, collectæ sunt inter Textus prioris generis. Tales sunt ii, qui suam Dispositionem ad præteritum extendentes, extendunt etiam pœnas, quæ sunt eorum pars major.

Ex Collatione Textuum collectorum occurrit.

Tertia

Tertia Oppositio speciosa, de quâ locuti non sumus in Inscriptione Tituli, scilicet, *Primus Textus refert Regulam absque ullâ exceptionis mentione, Cæteri verò aliquam exceptionem continent*; Sed evanescit hæc oppositio, dùm attendimus, exceptionem Regulæ non esse semper annexam, sæpiùs etiam fit, ut illa non detegatur, nisi per collectionem Textuum, qui Regulam referunt, vel usurpant. Si exurgeret oppositio ex omissione factâ in quibusdam Textibus, & mentione illius rei in aliis Textibus, opposita forent Quatuor Evangelia, quorum aliud refert circumstantias, atque etiam gesta in cæteris omissa. INNOCENTIUS III. quædam exempla colligit. *C. 3. de Baptismo.*

Quoad oppositiones in Titulo expressas, illæ tolli nequeunt, nisi quibusdam observationibus præmissis.

1. Leges Canonicæ nonnumquàm fiunt ad Executionem Legis Divinæ, Legisve Naturalis, vel aliarum Legum merè Canonicarum, quæ accuratè non observantur: in utrâque Legum specie Leges posteriores possunt accomodare Leges anteriores casibus, qui nominatim cauti in his non fuerunt; quoniam illi casus includebantur in casibus nominatis, velut species, in suo genere; consecutiones, in suo principio; effectus, in suâ causâ.

2. Sæpiùs accipitur pro pœnâ, Quod non est vera pœna: ejusmodi sunt Restitutio, Exclusio ab Ordinibus Superioribus, vel à quibusdam Commodis; nam Restitutio, est reparatio vel satisfactio debita, tàm ab Innocente, quàm à Nocente: Exclusio ab Ordinibus nascitur ex defectibus, non secùs atque ex delictis; sicut exclusio à quibusdam Commodis, qualis est exclusio suffragii in Capitulo, cui subjicit ætatis defectus.

3. Leges verè pœnales, quæ ad præterita extenduntur, non cadunt nisi in Facta criminosa, vel omissiones futuras actionum præceptarum; cæteræ Leges, quæ ad præterita extenduntur, quasdam actiones aut status aut conditiones Personarum respiciunt prorsùs indifferentes.

Textus laudati de Simoniâ agentes, vel Usurâ, cadunt in actiones in seipsis Lege Divinâ vetitas. *Cap. 5. de Usur.* quod accommodat usuris antè *Concilium Lateranense III.* perceptis, Definitionem illius Concilii relatam *Cap. 3. ejusdem Tituli*; non adhibet pœnas à Concilio sancitas, sed meram præcipit restitutionem Usurarum antea perceptarum, quæ quidem restitutio Juris est Naturalis, cui obtemperat *Cap. 5.* sicut ipsum Concilium fecerat; Cæteræ pœnæ non proponuntur, nisi in Reos, qui restituere recusant, atque ob hanc contumaciam graviori coërcitione sunt digni.

C. 40. de Simon. quod rescindit admissionem simoniacam ad Professionem Religiosam, usurpat pœnam generalem à Canonibus in actus simoniacos constitutam, scilicet nullitatem; undè præcipit, ut si Moniales simoniacè admissæ, nequeant in alia ejusdem Ordinis Monasteria transferri, dispensativè in eodem Monasterio maneant in ultimo loco. Quoad translationem in aliud Monasterium, Monialibus applicatur Definitio *Cap. 18. de Simon.* ab ALEXANDRO III. desumpti, in Monachum simoniacè admissum.

Clement. 2. de Ætate, quæ suffragii jus in Capitulo adimit Canonicis tam Regularibus, quàm Sæcularibus, qui Sacris Ordinibus non sunt initiati, nominatim comprehendens Canonicos jam receptos, in eo interpretatur Canones, qui jubent eos, qui Ministerio Sacro per Clericatum se addicunt, se in suo Statu utiles exhibere, quod fieri nequit sine Ordinum Sacrorum susceptione.

Si *Cap. 31. de Rescriptis* rescindit Rescripta Gratiæ am impetrata, sine mentione Rescriptorum anteriorum ejusdem generis, perindè atque ea, quæ in futurum impetrabuntur cum eâdem omissione, id fit, quia *Cap. 20. ejusdem Tituli* jam irrita declaraverat, vel fecerat Rescripta, quæ impetrarentur tacitis iis, quæ Pontificem à concessione petitæ Gratiæ avertere potuissent.

Cap. 7. de Elect. §. 2. executioni mandat Canones, qui jam quosdam Ordines quibusdam Beneficiis assignaverant, atque ideò suam dispositionem extendit ad eos, qui illa jam possidebant.

C. 32. de Præb. in VI. Beneficiis Regularibus accommodat Decretum CONCILII LATERANENSIS IV. *C. 28. de Præb.* relatum, in pluralitatem Beneficiorum incompatibilium.

C. ult. de Filiis Presbyt. quod Illegitimis adimit Dignitates & Personatus, quos absque dispensatione Sedis Apostolicæ possidebant, id statuit consequenter ad Canones, qui eos Beneficiorem incapaces declarabant, & maximè Prælaturarum, inter quas numerabantur Dignitates, Personatus, aliave Beneficia, quibus annexa erat Jurisdictio aut Præeminentia, & consequenter ad nonnullos Canones, qui Pontifici reservare videntur dispensationem Legum Ecclesiæ Universalis.

Idem sit Judicium de *Cap. 1. de Consuetud. in VI.* quod astringit eos, qui plura Beneficia incompatibilia possidebant absque dispensatione Sedis Apostolicæ, ad unum eligendum intrà præfixum tempus, non obstante quâcumque Consuetudine adversâ, quam corruptelam esse dicit: illud innititur *Cap. 28. de Præb.* quod Pontifici reservat ejusmodi dispensationem.

Suprà observavimus Textus, qui suam dispositionem ad præterita extendunt, ex eo docere, Legem præteritis non providere, nisi de iis in illâ nominatim caveatur: Occurrit difficultas, scilicet, cùm *Cap. 9. de Consecr. Eccles.* vetuisset, committi reconciliationem Ecclesiarum pollutarum simplici Sacerdoti, se præterita tolerare dicit; Quoniam, inquiet aliquis, indè malè concluderetur, Legem ad præterita extendi, nisi moneat Legislator, se præteritis parcere: ita concludi non debet, quòd, cùm Legislator in suâ Lege præterita complectitur, ille per hanc cautionem significavit, Legem præteritis formam non dare, nisi nominatim iis provideat. Sed facilè tollitur illa difficultas, postquàm vidimus Textus, qui pro Principio statuunt, Leges præteritis formam non dare, nisi nominatim de iis caveatur; nam indè sequitur, Canones, qui cautiones ejusmodi continent, id fecisse, ut obsequerentur Regulæ, sive Principio observato; Qui verò se præterita tolerare dicunt, id fecerunt ad tollendum omne dubium; hæc autem Responsio eò magis Textui opposito congruit, quòd usurpaverat Pontifex rationem, undè confici posset, reconciliationes à simplici Sacerdote factas, nullas fuisse, scilicet, quia res ad potestatem Ordinis pertinentes non possunt committi iis, qui Ordinem requisitum non habent: monere ergò debuit Pontifex, se præterita tolerare, ne concluderetur, reconciliationes à simplicibus Sacerdotibus factas, irritas esse, ac proindè ab Episcopis iterandas.

SECTIO XIII.

Quomodò conciliari debent Textus, *qui vetant auctoritatem præstare rebus, quas permittunt*; cum iis, *qui absolutè permittunt.*

OMnes Textus, qui abrogant aliquam Legem Præceptivam, aut Prohibitivam, ex eis sunt, qui absolutè permittunt. ALEXANDER III. *C. 1. de Cognat. Spirit.* commemorat Canonem, qui permittit Matrimonium inter Filios Compatrum, antè vel post Compaternitatem natos, alios quàm ea persona, per quam ad Compaternitatem venitur, quod Canon anterior vetuerat. *Can. 8. de Consang.* plures Nuptiarum species anteà vetitas probat. Idem facit CONCILIUM TRIDENTINUM *Cap. 2. 3. 4.* SESS. XXIV. *de Reformat. Matrimonii.* Quod dicitur de Canonibus, extenditur ad Consuetudines, quæ abrogant præcepta vel prohibitiones; nam sublatâ obligatione

tione à Canonibus impositâ, licet omittere actionem præceptam, licet facere vetitam; Idem est de Textibus, qui nominatim concedunt dispensationem quarumdam Legum in certis circumstantiis. *C.* 18. *de Præb. C.* 1. *de Consuetud. in VI. C.* 1. *de Fil. Presbyt. ibid. C. ult. de Fil. Presbyter. apud* Gregorium IX. *C.* 5. Sess. XXIV. *de Reform. Matrimon. Can.* 4. Dist. III. etiam loquitur de permissione absolutâ, dicens, omnem Legem aut permittere, aut jubere, aut prohibere; & afferens in exemplum Legis permissivæ; *Vir fortis præmium petat*, quod producitur ad omnem, qui præmio dignus est.

Inter Textus Posterioris generis, collocari possunt omnes, qui jubent quædam dissimulari, quorum Multi collecti sunt, ubi de tacitis Dispensationibus actum est, & in Regulis circà Dispensationes; tale est *Cap. 6.* de *Consanguin.* quod loquitur de Matrimonio inter Cognatos confirmato per Dispensationem Pontificiam ex falsâ expositione impetratam; sed omnibus insignius est *Cap. 3. de Cognat. Spirit.* Alexander III. scribens ad Episcopum Vigilienſem de Matrimoniis contractis inter Filios Compatrum, antè vel post Compaternitatem, dicit, ea ab eo dissimulari posse, si Consuetudo Provinciæ hujusmodi Matrimonia permittat, ita ut nec eis contradicat, nec assensum præbeat. *Verùm, si de Consuetudine haberetur, ut talia conjugia sustineantur & permittantur, tu in eadem Ecclesiâ dissimulare poteris, ita ut nec contradicere, nec tuum præstare videaris assensum, quia sicut grave est, Antiquam Consuetudinem circumadjacentium Ecclesiarum super his contemnere, sic quoque gravius videtur, si propterea hujusmodi conjugiis tuum indulgeres assensum, cùm posset in exemplum assumi.*

Oppositio hujus Textus cum superioribus, eò insignior est, quòd idem Pontifex *C.* 1. *de Cogn. Spirit.* nominatim approbat ejusmodi Matrimonia; hic verò ea velut rem merè tolerabilem intuetur. Sed cùm probabile non sit, Pontificem secùm pugnare, credibile est in *Cap.* 3. agi de Matrimoniis Filiorum post Compaternitatem natorum cum iis, per quos ad Compaternitatem ventum fuerat, vel Jus Commune Angliæ fuisse, ut rescinderentur Matrimonia Filiorum natorum antè, vel post Compaternitatem, quo in casu Matrimonia ejusmodi dumtaxat tolerat Pontifex; sed quoquomodò accipiatur hæc oppositio, & nostra solutio, constat, hoc *C.* 3. & *C.* 6. *de Consang.* adversari Textibus Prioris generis, qui absolutè permittunt, hi verò ita permittunt, ut vetent, Prælatum suum præbere assensum. His Textibus adjici potest *Can.* 9. Caus. XXXI. Quæst. I. desumptus ex *Opere Imperfecto* in Matthæum S. Chrysostomo *adscripto*, qui fert, aliud esse præcipere, aliud permittere; *Quod enim præcipimus, semper placet; quod autem permittimus, nolentes permittimus;* indè enim intelligitur ratio, propter quam prohibetur assentiri quibusdam actionibus permissis Prælatus, atque hæc ratio viam ad Conciliationem sternit, scilicet dissimulandas esse actiones malas, quæ emendari nequeunt sine magno Scandalo, nec eis contradicendum esse, neque consentiendum. Autor hujus ultimi Textûs de Secundis Nuptiis loquitur, quas improbabat, atque honestam fornicationem nuncupabat, quæ licenter committitur: itaque permissio, de quâ loquitur, ea est, quæ vocatur tolerantia, quæ locum habet, cùm sustinetur Malum minus, ad vitandum majus, quod in duobus casibus evenire potest: Primus, est casus infractionis Legis, de quâ Superior dispensare nequit, tuncque tolerantia non excusat à peccato: Secundus, est casus infractionis Legis, de quâ Superior potest dispensare, & tunc tolerantia excusare potest à peccato, si dispensare dignetur Prælatus. De hâc postremâ tolerantiâ intelligenda sunt *Cap.* 3. *de Cognat. Spirit. &. Cap.* 6. *de Consang. &c.*

TITULUS VIII.

De Legibus sive Constitutionibus Ecclesiasticis.

I. Canones Patrum, vim Legum habere oportet. *De Juramento Calumniæ Cap. Inhærentes.* §. *ejus itaque* Lib. II. Decr. Tit. VII. *C.* 1.

II. Quæ ad perpetuam utilitatem, generaliter instituta sunt, nullâ commutatione varientur: nec ad Privatum trahantur Commodum, quæ ad Bonum Commune sunt præfixa: nemo injustè usurpet alienum, sed intrà fines proprios, in latitudine se exerceat Caritatis.

III. Pagani sivè Infideles Constitutionibus Canonicis non arctantur: Quid enim ad nos, secundùm Apostolum, de his, qui foris sunt, judicare? *De Divortiis. Cap. Gaudemus.* §. 1. *init.* Lib. IV. Decr. Tit. XIX. *Cap.* 8.

IV. Non dignum est, ut Vir, qui scienter contrà Canones venerit, lucrum de suo dolo reportet. *De eo, qui duxit Cap. Propositum est.* §. 1. *med.* Lib. IV. Decr. Tit. VII. *Cap.* 1. Dist. L. *Cap.* 58. *si ille. fin.*

V. Regulæ Sanctorum Patrum pro Tempore, Loco, & Personâ, & Negotio, instante necessitate, traditæ sunt. Dist. XXXIX. *Cap.* 2.

VI. Institutionis Apostolicæ Decreta perpetuâ stabilitate, & sine aliquâ refragatione servari debent, nec à quoquam Pontificum in totum vel in partem ea quâlibet occasione convelli debent vel mutari. Caus. XXV. Quæst. II. *Cap.* 7. *Institutionis. init.*

VII. Ea, quæ sunt ab Apostolis, eorumque Successoribus instituta, nullâ desidiâ negligantur, nullâ dissensione violentur, nullâ contestatione turbentur. *ibid. Cap.* 11. *Amputatio* §. *Sed neque.* Lib. Decr. Tit. VII. *Cap.* 2.

VIII. Uniuscujusque Synodi Constitutum, quod Universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi Sedem præ cæteris oportet, quàm Primam. Causa XXV. Quæst. I *Cap.* 1. *Confidimus.*

IX. Qui contrà Formam Canonum venire præsumpserint, Canonicè sunt puniendi. *De Censib. Cap. Gravis. fin.* Lib. III. Decr. Tit. XXXIX. *Cap.* 15.

X. Quod non est Sanctorum Patrum Decreto sancitum, superstitiosis non est adinventionibus præsumendum. *De Translatione Episcopi Cap. Inter Corporalia.* Caus. II. Quæst. V. *Cap.* 20. *Consuluisti. med.*

XI. Prisca pro suâ reverentiâ manere debent Constituta, quæ ubi nulla, vel Rerum, vel Temporum, perurget angustia, regulariter convenit custodiri. Dist. IV. *Cap.* 1. *Priscis.*

XII. Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ toto Terrarum Orbe observantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel Plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesiâ saluberrima authoritas, commendata atque statuta retineri Dist. II. *Cap.* 12. *Illa.*

XIII. Ne in aliquo Apostolica & Canonica Decreta violentur. Dist. LXI. *Cap.* 8. *Statuimus. init.*

XIV. Antiquitati Decreta Patrum sanxerunt reverentiam exhibendam, & evidenter asserunt Sacrorum Canonum Sanctiones. *De Translatione Episcopi Cap. Quarto* Lib. I. Decr. Tit. VII. *Cap.* 3.

XV. Ubi Canones contrarii inveniuntur, secundùm posteriorem Canonem debet observari. *De Cognatione Spirituali Cap. Utrum. fin.* Lib. IV. Decr. Tit. XI. *Cap.* 1. *Vide* Concil. Tolet. III. *an.* 589. *Cap.* 1. Tom. V. Concil. 1000. *ubi antiquiores Canones præferri videntur posterioribus.* Sed de hoc, dùm de Conciliatione Canorum disceptabitur.

XVI. Quatuor Principalia Concilia sunt, quæ sicut Quatuor Evangelia Ecclesia Catholica veneratur. *De Renunciatione Cap. Post translationem* Lib. I. Decr. Tit. IX. *cap.* 11.

XVII. Sancti Canones Sancti Spiritûs instinctu ac dono dictati sunt, & ejus nutu & gratiâ editi. Caus. XXV. Quæst. I. *Cap.* 5. *Violatores.*

XVIII.

XVIII. Blasphemare Spiritum Sanctum non incongruè videntur, qui contrà Sanctos Canones non necessitate compulsi, sed libenter aliquid aut protervè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere Volentibus sponte consentiunt, *ibid. post. init.*

XIX. Antiquitati Patres sanxerunt reverentiam, CAUS. IX. QUÆST. III. Cap. 8. *Conquæstus est, med.*

XX. Quotiescumque in Gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illius sententia magis teneatur, cujus antiquior aut potior extat autoritas. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. Cap. 11. *Hoc ipsum fin. §. in fine.* Hic Canon disponetur in Dissertatione de Canonum conciliatione.

XXI. Quicquid contrà illorum Definitionem, in quibus Spiritum Sanctum credimus locutum, dictum fuerit; recipere non solùm temerarium, sed etiam periculosum esse, non dubitandum. DIST. L. Cap. 58. *Si ille fin.*

XXII. Dominus noster per Prophetam locutus est dicens, *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui*; aliter ne fiat sub Anathematicis vinculo detestamur & contradicimus. *De Sepulturis.* Cap. *Nos Instituta.* §. 1. *fin.* LIB. III. DECR. TIT. XXVIII. *Cap.* 1.

XXIII. Canonum Statuta custodiantur ab omnibus. *De Constit.* Cap. *Canonum* LIB. DECR. TIT. II. *Cap.* 1. vid. *§. 6. sequentium Regul.*

XXIV. Universale Concilium habet authoritatem immediatè à CHRISTO, cui quilibet cujuscumque statûs & dignitatis, etiamsi Papalis fuerit, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem Schismatis, & Reformationem Ecclesiæ Dei, in Capite & in Membris, ac pertinentibus ad ea. CONCILIUM BASILEENSE *approbatum in Conventu Bituricensi, seù Pragmaticâ Sanctione* TIT. IV. *de Collationibus.* Cap. *placuit.*

XXV. Alma Mater Ecclesia plerùmque nonnulla rationabiliter ordinat & consultè, quæ, suadente Subjectorum utilitate, postmodùm consultiùs ac rationabiliùs revocat in meliusve commutat. *In VI. de Sent. Excom.* Cap. *Alma init.*

XXVI. Quædam sunt (in Ecclesiâ Statuta) quæ nulla possunt ratione convelli. DIST. XIV. Cap. 2. *Sicut. init.*

XXVII. Multa sunt, quæ, aut pro necessitate Temporum, aut pro consideratione Ætatum, oporteat temperari. *ibid.*

XXVIII. Alia, quæ per Loca Terrarum Regionesque variantur; totum hoc genus rerum liberas habet observationes. DIST. XII. Cap. 11. *Illa. §. 1. alia.*

XXIX. Pleraque Capitula ex Causâ, ex Persona, ex Loco, ex Tempore consideranda sunt. DIST. XXIX. Cap. 1. *Sciendum est.*

XXX. Quod neque contrà Fidem, neque contrà Bonos Mores injungitur; indifferenter est habendum: & pro eorum, inter quos vivitur, Societate servandum est. DIST. XII. Cap. 11. *Illa §. 2. Quod enim.*

XXXI. Nulla Disciplina in his melior est gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumque fortè devenerit. *Ibid. §. 1. alia. fin.*

XXXII. Quod per Universæ Ecclesiæ Statuta firmatum est, vel unius Episcopi autoritati, vel unius Provinciæ Concilio præferendum est. CAUS. II. QUÆST. VII. Cap. 35. *Puto. §. cùm Petrus. fin.*

XXXIII. Omnibus modis Ecclesiasticæ Disciplinæ vel Moderationi conveniens est, ut quæ rationabiliter ordinata fuerint vel decisa, nullâ in posterùm debeant refragatione turbari. CAUS. XXXV. QUÆST. IX. Cap. 1. *Omnis.*

XXXIV. Qui SS. Patrum Statuta, quæ apud nos Canonum nomine circumscribuntur, non indifferenter recipere convincitur, nec Catholicam & Apostolicam Fidem, nec Sancta Quatuor Evangelia utiliter & efficaciter ad effectum suum retinere vel credere probatur. DIST. XX. Cap. 1. *De Libellis.* §. 1. LEO IV. *Episcopis Britanniæ an. circ.* 850. Vide *Epistolam* CONCILII BRACCAR. III. *an.* 572. TOM. V. CONCIL. *p.* 895. *SS. Patres nostri aut Generales Synodos &c. Canonum Statuta ab omnibus intemerata serventur.* CONCIL. CABILLON. *an.* 650. *Can.* 2. TOM. VI. CONCIL. *p.* 388. Nihil Fidei sinceritas per diversitatem adversum incurrit, & unitatem *Catholicæ Regulæ, varietas nulla discerpit.* CONCIL. TOTET. X. *an.* 656. TOM. VI. CONCIL. *pag.* 459. *Majorum Institutiones & SS. Patrum Decreta convellere; quid aliud est, quàm vinculum Societatis* CHRISTI *abrumpere, & usurpatæ præsumptionis licentiâ Statum totius Ecclesiæ dissipare.* CONCIL. TOLET. XII. *Cap.* 4. *an.* 681. TOM. VI. CONCIL. *p.* 1227. *Constitutiones contrà Canones, & Decreta Præsulum Romanorum, vel Bonos Mores, nullius sunt momenti.* HADR. I. *an.* 785. *Cap.* 39. TOM. VI. CONC. *p.* 1835.

XXXV. Constitutio contrà Consuetudinem Ecclesiæ non valet, nec in præjudicium aliorum. *De Constitutionibus* Cap. *Cùm Omnes* LIB. I. DECR. TIT. II. *Cap.* 6.

XXXVI. Ecclesiastici rigoris ordo confunditur, si aut temerè illicita præsumantur, aut non concessa impunè tententur. CAUS. XXXV. QUÆST. IX. *Cap.* 2. *Loci.*

XXXVII. Sacri Canones, & Concilia Generalia omnia, nec non aliæ Apostolicæ Sanctiones in favore Ecclesiarum, Personarum, Libertatis Ecclesiasticæ, & contrà ejus Violatores editæ, exactè ab omnibus observari debent. CONCIL. TRIDENT. SESS. XXV. *de Reform.* Cap. 20. *med.* CONCIL. *apud Theodonis Villam an.* 835. *fin. ex* LEONE I. TOM. VII. CONC. *p.* 1699. *Convenerunt Episcopi Viri Sancti, statuerunt, illibatos conservari debere Sacros Canones.* AGOBARDUS *Lugdunensis* CONC. TOM. VII. *p.* 1530. *fin.*

SECTIO I.

De Constitutionibus sivè Decretalibus Romani Pontificis.

I. PApa Lex animata in Terris. GLOSSA *in* Cap. *Ab Arbitris init. in* VI. *De Officio Jud. Deleg.* LIB. I. TIT. XIV. *Cap.* 11.

II. Romanus Pontifex Jura omnia in Scrinio pectoris sui censetur habere. *In* VI. *de Constitutionibus* Cap. *Licet. init.* LIB. I. TIT. II. *Cap.* 1.

III. Romano Pontifici semper licuit novas condere Leges. CAUS. XXV. QUÆST. I. Cap. 6. *Sunt Quidam.*

IV. Sciendum verò summòperè est, quia indè novas Leges condere potest, undè Evangelistæ aliquid & Prophetæ non dixerunt; ubi verò apertè Dominus vel ejus Apostoli, & eos sequentes SS. Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi non novam Legem Romanus Pontifex dare, sed potiùs quod prædicatum est usque ad animam & Sanguinem confirmare debet. *ibid.* CAUS. XXV. QUÆST. I. Cap. 6. *Sunt Quidam &* Cap. 8. *Omne quod.*

V. Si Romanus Pontifex, quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. *ibid.*

VI. Contrà Statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec Apostolicæ quidem Sedis potest autoritas. *ibid.* Cap. 7. *Contrà.*

VII. Decretum Papæ ligat Ignorantes. *In* VI. *de Præbendis. Cap. Quodam.* GLOSSA *colligit. fin.* LIB. III. TIT. IV. *Cap.* 40. Textus hic contrarius videtur *Cap.* 2. *de Constitut. in* VI. nam docet Legem non ligare eum, qui illam sine suâ culpâ ignorat; sed non est, quia posterior loquitur de Decreto irritante, quod cadit immediatè in Actum, illumque irritat, si fiat ab alio, quàm ab illo, cui reservatur: sed de hoc dilucidiùs fusiùsque, dùm de Mandatis Apostolicis.

VIII. Papa declarat Oraculo suæ Sanctionis *In* VI. *de Rato.* Cap. unico LIB. III. TIT. XV. *Cap. unico. post init.*

IX. Ex Decretali Papæ, quæ dicit, quòd talis res vix fit, colligitur evidenter, quòd fiat. *In* VI. de

de Cognatione Spirituali. Cap. *Per Catechiſmum* Lib. IV. Tit. III. *Cap* 2.

X. Per Sedis Apoſtolicæ Oraculum edocemur. *De Majoritate & Obedientiâ.* Cap. *Per tuas.* Lib. I. Decr. Tit. XXXIII. *Cap.* 7.

XI. Conſtitutio Apoſtolicæ Sedis omnes adſtringit. *De Conſtit.* Cap. *Quoniam in int. init.* Lib. I. Decr. Tit. II. *Cap.* 13.

XII. Ab Apoſtolicis Inſtitutis nullo recedatur exceſſu, quiâ poſt hoc, multum eſſe non poterit, ſi Quiſquam Apoſtolicas Regulas in aliquo crediderit negligendas. Dist. XI. Cap. 10. *Hoc veſtræ.*

XIII. Cùm aliqua Decretalis, de quâ meritò Judex dubitat, allegatur, ſi Juri Communi ſit conſona, ſecundùm eam non metuat judicare. *De fide Inſtrum.* Cap. *Paſtoralis.* Lib. II. Decr. Tit. XXII. *Cap.* 8.

XIV. Non tam ipſius Decretalis, quàm Juris Communis authoritate tunc Judex procedere videbitur. *ibid.*

XV. Si Decretalis illa Juri Communi ſit diſſona; ſecundùm eam non debet Judex judicare. *ibid. fin.* Sed Superiorem conſulat ſuper eâ. *ibid.*

XVI. Decretales Epiſtolæ, quas Beati Papæ diverſis Temporibus ab Urbe Româ pro diverſorum Patrum conſultatione dederunt, venerabiliter ſunt ſuſcipiendæ & cuſtodiendæ. Dist. XIX. *Cap.* 1. *Si Romanorum.* §. *Si ideò. fin.*

XVII. Quæ Sedes Apoſtolica pro Catholicâ Fide, Profanis Dogmatibus, pro variis & multifariis Eccleſiæ Neceſſitatibus, & Fidelium Moribus, diverſo Tempore ſcripſit, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorsùs in quibuſlibet opportunitatibus, Diſcretione, vel diſpenſatione Magiſtrâ reverenter aſſumi. Dist, XIX. *Cap.* 1. *Si Romanorum. poſt init.*

SECTIO II.

De Conſtitutionibus Epiſcoporum.

I. Conſtitutiones contrà Canones & Decreta Præſulum Romanorum vel Bonos Mores nullius ſunt momenti. Dist. X. *Cap.* 4. *Conſtitutiones.*

II. Statuta quorumcumque Ordinariorum non ligant probabiliter Ignorantes; dùm tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit aut ſupina. *In VI. de Conſtit. Cap. Ut Animarum.* Lib. I. Tit. II. *Cap.* 2. Quod dicit de Statutis Ordinariorum, locum habet in aliis Conſtitutionibus, quia nemo tenetur ſervare quod ſine culpâ ignorat, & de hâc Ignorantiâ fit ſermo.

III. Prudentiæ ſuæ innititur, Qui ea, quæ ſibi agenda vel dicenda videntur, Patrum Decretis præponit. *De Conſtit. Cap. Ne innitaris.* Lib. I. Decr. Tit. II. *Cap.* 5. Eodem recidit quo 2. Pars Primi *Cap. ejuſd. Tit.* Vide Epiſtolam 2. Leonis IV. *Cap.* 6. Tom. VIII. Conc. p. 32. Epiſcopi & Presbyteri & Reliquus Clerus, cùm ad Synodum convenerint, liberè eis tractare & ſtatuere liceat, quæ SS. Patrum Canonica Cenſura decrevit. Conc. Rom. ſub Joanne IX. an. 904. *Cap.* 2. Tom. IX. Conc. p. 503.

IV. Statutum Epiſcopi non ligat ejus Subditos extrà Diœceſim ipſius. *C.* 2. *Conſtit. in VI.* Idem dic de Statutis Prelatorum Epiſcopo Superiorum quoad iſtorum Diſtrictum.

V. Non licet alicui Epiſcopo vel Sacerdoti omnia Decretalia & Romanorum Pontificum Conſtituta, quæ de Eccleſiaſticis Ordinibus & Canonum promulgata ſunt Diſciplinis, violare. Causa XXV. Quæst. I. *Cap.* 9. & Quæst. II. *Cap.* 18. *Si quis Cap.* 7. *Inſtitutionis.*

VI. Circà Statutum Eccleſiarum nihil immutari debet in abſentiâ eorum, quorum intereſt. *De Majoritate & Obedientiâ. Cap. Inter* 4. Lib. I. Decr. Tit. XXXIII. *Cap.* 8.

VII. Singuli Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus indicendi Populis ſuis Feſtivitates habent poteſtatem, non generaliter omnibus. *De Conſecr.* Distinct. III. *Cap.* 1. *fin.*

VIII. Cùm Religioſi ad Firmam fructus ſuarum dare conſueverunt Decimarum, ſi Diœceſani Locorum Statutum quoddam de hujuſmodi Decimis non locandis Parochialibus Presbyteris ediderunt, per quod utilitas Monaſterii non modicùm impeditur; Statuto hujuſmodi non obſtante, ſuarum Decimarum proventus liberè locare poſſunt. *De Locato & Conducto. Cap. Veſtra.* Lib. III. Decr. Tit. XVIII. *Cap.* 2. *In integrâ. Gl. in verb. Statuto.* Ratio. Statutum illud adverſatur Juri Communi, cui Epiſcopus derogare non poteſt in præjudicium Subditorum, niſi iſti conſentiant.

IX. Epiſcopus in ipsâ Synodo non ducat aliquid ſtatuendum, quod Canonicis obviet Inſtitutis. *De Majorit. Cap. Quod ſuper his. med.* Lib. I. Decr. Tit. XXXIII. *Cap* 9. Ratio. Epiſcopus illa ſervare tenetur, & curare, utà Subditis ſerventur.

X Archipresbyteri aliquid contrà Epiſcopi Decretum ordinare non præſumant. *de Off. Archipreſ. Cap. fin. Ut ſingulæ. fin.* Lib. I. Decr. Tit. XXIV. *Cap.* 4.

SECTIO III.

De Conſtitutionibus factis à Capitulo.

I. Statutum de ſuppreſſione Officiorum Capituli à Sede Apoſtolicâ confirmatum, debet in ſuo robore permanere, niſi Canonici poſteà contravenerint, aliquem in dictum Officium eligendo. *De Conſtitutionib. Cap. Cùm acceſſiſſent.* Lib. I. Decr. Tit. II. *Cap.* 8. Hinc ſequitur, quod revocatur hujuſmodi Statutum unico actu contrario, quia factum fuerat in utilitatem Capituli, quod Bono ſuo renunciare potuit.

II. Conſtitutio facta à Capitulo, etiam à Sede Apoſtolicâ confirmatum de figendo certo numero Canonicorum, intelligenda eſt, niſi in tantùm excreſcerent Eccleſiæ Facultates, quòd pluribus Canonicis poſſent ſufficere competenter. *ibid. Cap. Cùm Ferrarienſis.* Lib. I. Decr. Tit. II. *Cap.* 9.

III. Non licet Canonicis Conſtitutionem facere de imminuendo, Canonicorum numero, non imminutis reditibus. *ibid. Cap. Ex parte. ſeù Cap.* 12. Id vetat indè ſequens imminutio Cultûs Divini.

IV. Statutum Capituli, quo Divinus Cultus ſine causâ minuitur, etiamſi fuiſſet à Sede Apoſtolicâ confirmatum, non valet. *ibid. Cap.* 12. *Ex parte.* Conſtitutioni ſuæ derogat Capitulum, quod, etiam proteſtando, agit, contrà Conſtitutionem. *ibid. Cap.* 9. *Cùm Ferrarienſis.*

V. Statutum factum à Capitulo, continens inæqualitatem reſpectu proventuum Præbendarum, invalidum eſt, niſi omnes, quorum intereſt, conſenſerint. *Cap.* 6. *de Conſtit.*

VI. Capitulum ſine conſenſu Epiſcopi Antiquas Eccleſiæ Conſuetudines, ſeù Statuta mutare non valet. *C.* 9. *de Conſuet.* Ex hoc Textu colligitur, quòd in Eccleſia, omnia fieri debent de Conſenſu Epiſcopi & Canonicorum, niſi Conſuetudo ſit in Contrarium.

Inter illa, quæ dicta ſunt de Statutis Capituli, non pauca ſunt, quæ conveniunt cuivis alii Corpori, quia reſpiciunt Capitulum, prout Corpus eſt.

SECTIO IV.

Ad quæ ſe extendat Lex ſeù Conſtitutio.

I. Conſtitutio reſpicit tantùm futura, & non præterita, niſi nominatim de præteritis, in eâ caveatur. *De Conſtitutionibus. Cap. Cognoſcentes. & Cap. Quoniam* Lib. I. Decr. Tit. II. *Cap.* 2. *& Cap.* 13.

II. Quotiès Novum, quod ſtatuitur, ita ſolet futuris formam imponere, ut multis diſpendiis præterita non commendet: ne detrimentum, antè prohibitionem, poſſint Ignorantes incurrere, quod eos poſtmodùm dignum eſt vetitos ſuſtinere *De Conſtit. Cap. Cognoſcentes.* §. Lib. I. Decr. Tit. II. *Cap.* 2.

III. Ubi aliquid alicui generaliter prohibetur; Quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum. CLEMENTINA I. *Exivi. de Verb. Signif. p.* 320. LIB. V. CLEMEN. TIT. XI. *Cap.* 1.

IV. Constitutio non ad præterita, sed futura extenditur. *De Constit. Cap. Quoniam.* §. 1. init. LIB. I. DECR. TIT. II. *Cap.* 13.

V. Constitutio aliquandò extenditur ad præterita sivè retrotrahitur. *De Usuris. Cap. Cùm tu.* §. *Super his.* init. LIB. V. DECR. TIT. XIV. *Cap.* 5.

VI. In Connexis, Quod de uno dicitur, necesse est, ut de altero intelligatur. *De Const. Cap. Translato.* LIB. I. DECR. TIT. II. *Cap.* 3.

VII. Plùs solet timeri quod specialiter, quàm quod generaliter inhibetur *Clementin. de Excessibus Prælatorum. Cap. Unico.* §. *Verùm. fin.* CLEMENTINARUM LIB. V. TIT. VI. *Cap. Unico.*

VIII. Plùs timeri solet quod specialiter injungitur, quàm quod generaliter imperatur. *De Hæreticis. Cap. Si adversùs.* LIB. V. DECR. TIT. VII. *Cap.* 11.

IX. Omnis Lex aut permittit aliquid, aut vetat, aut punit, aut præmia moderatur, aut præcipit: DIST. III. *Cap.* 4. *Omnis.*

X. Nonnunquàm intelligitur prohibitum, quod non invenitur concessum. *De Translatione Episcopi. Cap. Inter Corporalia.* §. *Sed neque.* LIB. I. DECR. TIT. VII. *Cap.* 2.

XI. Ne Statutum ipsum fiat ludibrio, debitoque frustretur effectu. *In VI. de Elect. Cap. Commissa.* §. 2. *med.* LIB. I. TIT. VI. *Cap.* 35.

XII. Et ne Lex non Rebus, sed Verbis, cùm sit potiùs contrarium faciendum, imposita videatur. *ibid.*

XIII. Non tanto pondere prohibendi sunt Homines facere licita, quamvis non expediant; quanto pondere prohibenda illicita. CAUS. XXVIII. QUÆST. I. *Cap.* 9. *Sic enim.* §. 3. *His. Post.* init.

XIV. Aliud est præcipere, aliud permittere: Quod enim præcipimus; semper placet: Quod autem permittimus; nolentes permittimus: quia ob malam Hominum voluntatem, ad plenum prohibere non possumus. CAUS. XXXI. QUÆST. I. *Cap.* 9. *Hàc ratione. fin. ex Correct. Rom. & Pithoei.*

XV. Quod in Quibusdam Casibus permittitur, in aliis prohiberi intelligitur. *De authoritate & usu Pallii, Cap. Ex tuorum: Junctâ* GLOSSA verbo *casibus* LIB. I. DECR. TIT. VIII. *Cap.* 5.

XVI. Quod statuerit Qui Jurisdictioni præest, cum effectu accipimus, non verbo tenùs. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. *De Pœnit.* DIST. I. *Cap.* 17. *Hæc.* init.

XVII. Verba Statuti accipienda sunt cum effectu. *De Clericis non residentibus Cap.* Relatum. §. *Cùm igitur.* LIB. III. DECR. TIT. IV. *Cap.* 4.

XVIII. Humanæ & Divinæ Leges, & Malis pœnam, & Bonis præmium, Justitiâ suadente, constituunt. CAUS. XXIII. QUÆST. V. *Cap.* 42. *Non vos. post* init.

XIX. Ad Privatum non trahantur Commodum, quæ ad Bonum sunt Commune præfixa. CAUSA XXV. QUÆST. I. *Cap.* 3. *Quæ. med.*

XX. Promptiora sunt Jura ad absolvendum, quàm ad condemnandum. *De Probationibus. Cap. Ex litteris.* §. *Quòd si.* LIB. II. DECR. TIT. XIX. *Cap.* 3.

XXI. Violentos coërcere, non contrà Legem est agere, sed Legi subsidium ferre. *De Privilegiis. Cap. sicut. fin.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 2.

XXII. Non subjacet Legi necessitas. *De observatione Jejuniorum. Cap. Consilium.* §. *Præterea.* LIB. V. DECR. TIT. 46. *Cap.* 2.

XXIII. Quod non est licitum Lege, Necessitas facit licitum. *De Reg. Juris. Cap.* 4.

XXIV. Quod præcipitur imperatur, & quod imperatur necesse est fieri. *De Verb. Signif. Cap. In his.* §. *attendentes.* init. LIB. V. DECR. TIT. XL. *Cap.* 15. Et CAUS. XIV. QUÆST. I. *Cap.* 3. *Quisquis.* Si, quod Imperatur, non fiat aliquandò, pœnam habet. *ibid.*

XXV. Secundùm Constitutionem observandum est, dummodò nihil fraudulenter in præjudicium alterius procuretur. *Ibid. de Verb. Signif. Cap. Ex parte* 3. *fin.* LIB. V. DECR. TIT. XL. *Cap.* 31.

XXVI. Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo. *In VI. de Reg. Juris. Reg.* 39. LIB. V. TIT. *Ult.*

XXVII. Licèt quod cautum fuit de uno, expressum fuerit de alio; propter expressam similitudinem, vel potiùs identitatem, debet de alio intelligi: cùm de similibus idem judicium sit habendum. *De Translat. Episcopi Cap. Inter corporalia.* §. 1. *fin.* LIB. II. DECR. TIT. VII. *Cap.* 2.

XXVII. Similis æquitatis ratio similia Jura suadere videtur. *De Confirmatione utili. Cap. Cùm dilecta.* §. *Nos igitur.* GLOSSA *colligit.* verbo, *Ejusdem æquitatis.*

XXIX. Majora intelliguntur illis prohibita, quibus vetita sunt Minora. *De Sent. Excom. Cap. Cùm illorum.* §. 1. *Primos.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. *Cap.* 32.

XXX. Idem Jus in Minori Causâ servari debet, sicut in Majori. *De Appellationibus Cap. de Appellationibus.* GLOSSA *colligit.* LIB. II. DECR. TIT. XXVII. *Cap.* 11.

XXXI. A Jure Communi illa tamen excipiuntur, quæ per authentica Scripta dignoscuntur esse substracta. *De Religiosis Domibus. Cap. Cùm venerabilis.* §. *Quia igitur.* LIB. III. DECR. TIT. XXXVI. *Cap.* 7.

XXXII. Rescriptum confirmans Commune Jus, non tollit Privilegium. *De Officio Jud. Ordin. Cap. Grave.* GLOSSA *colligit* Verbo *litterarum.* LIB. I. DECR. TIT. XXXI. *Cap.* 19. Vid. illam, id clariùs explicat.

SECTIO V.

De Interpretatione Legum.

I. QUod generali Præcepto constitutum est, cui nulla exceptio invenitur, ab omnibus servandum est. *De Conjugio Leprosorum. Cap. Quoniam.* §. *Quod si. fin.* LIB. IV. DECR. TIT. VIII. *Cap.* 2.

II. Quod de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. DIST. XXV. *Cap.* 4. *Qualis. med.*

III. In Dubiis benigna debet fieri Interpretatio. *De Jurejurando. Cap. Ad nostram* 3. GLOSSA *colligit.* LIB. II. DECR. TIT. XXIV. *Cap.* 21.

IV. Ubi in Canone seù Lege Ambiguitas est, Interpretatio necessaria est. *De Sent. Excom. Cap. Inter alia.* §. *Ut igitur.* 1. LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. *Cap.* 3. init.

V. Interpretatio Legis debet procedere, undè Jus prodit. *ibid.*

VI. Dùm de Contractibus agitur, contrà eum, qui Legem dicere potuit apertiùs, forsan aptiùs est Interpretatio facienda. *In VI. de Reg. Juris seù Cap. Reg.* 57. LIB. V. TIT. *ult.*

VII. Sub eâdem Litterâ sæpè latet multiplex Intellectus. EXTRAVAG. JOAN. XXII. *Quia nonnumquàm.* De Verb. Signif. §. *Nos autem.* init. EXTRAVAGANTIUM JOAN. XXII. TIT. XIV. *Cap.* 2.

VIII. Cùm agitur de Correctione Juris Veteris, eo casu, secundùm proprietatem Verborum duntaxat procedendum est. BULLA LXII. PII V. *Ad Romanum.* §. 2. *med. an.* 1568. *Bullarii Tom. II. p.* 257.

IX. Expedit Jura Juribus concordare, & eorum Correctiones, si sustineri valeant, evitari. *In VI. de Elect. Cap. Cùm expediat. in VI.* LIB. I. TIT. VI. *Cap.* 29.

X. Cùm peculiare aliquod est Statutum, & ita intelligi potest, quòd per illud nec Juri Communi nec Privilegio derogetur, secundùm illud judicandum est. *De Consuetudine. Cap. Dilectus.* §. *Quia colligitur.* LIB. I. DECR. TIT. IV. *Cap.* 8.

XI. Propter Scandalum aliquandò receditur à Jure. *De Jure Patronatûs. Cap. Quoniam. med.* GLOSSA *colligit.* LIB. III. DECR. TIT. XXXVIII. *Cap.* 3.

XII. In His quæ ad Cultum Divinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna potiùs est interpretatio facienda. *De Privilegiis. Cap. In his.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 30.

Natura termini restrictivi hoc habet, quòd sic excludit

excludit extranea, quòd cuncta ad ipsum pertinentia concludit. *Clementinâ 1. exivi §. 3. Cùm igitur. med.* De Verb. signif. Lib. V. Tit. XI. *Cap.* 1.

Cætera, quæ interpretationem Legum spectant; collecta habes in Sect. præced. & in Tit. de Verb. Signif. His prætereà addenda, quæ sequuntur.

XIV. In Statutis Canonicorum numerum præfigentibus, subintelligenda conditio, nisi ita accreverint reditus, ut plures honestè sustentari possint. *C. 9. de Constitut.*

XV. Statuta pœnalia contrà Contumaces, quibus privantur juribus, quibus gaudent illorum Socii, sine determinatione Temporis, restringenda ad illud, quo Mandatis parere offerunt. *C. 11. ibid.* etiamsi juramento sint confirmata, ideòque post satisfactionem congruam, iterùm ad fruitionem jurium, quibus privati fuerunt, admittendi sunt.

Ratio hujus interpretationis, est quod causâ cessante, cessat effectus, contumacia autem fuit causa privationis incursæ, debet ergò cessare pœna cum cessatione contumaciæ; mensuranda enim est pœna delicto, delictum non durat cessante contumaciâ, ideòque pœna quoque cessare debet. Ita *Gonzalez.*

XVI. Constitutiones ambiguæ, etiam in re favorabili, extendi non debent ad præteritum *C. 13. de Constitut.* Id docet exemplo suo Gregorius IX. cùm interpretans Constitutionem, quâ jusserat, ut in perceptione Portiones majores præferrentur aliis, declarat in præterito locum non habere, quamvis maximè favorabilis esset.

XVII. Quandò Legislator utitur his verbis, *Volumus, Nolumus* in Constitutionibus, quibus explicat Jus Naturale; hæc verba idem hic significant, quod *Declaramus*, ideòque hæ Constitutiones præteritum, ut futurum, contingunt.

Hujus generis est Caput 2. de Constitut. in VI. ubi Bonifacius ait, se nolle, ut Constitutiones ligent Ignorantes; hoc enim est Juris Naturalis vetantis, ne Quis ad impossibile obligetur, qualis est adimpletio Legis ignotæ.

SECTIO VI.

De Revocatione, Derogatione, ac Cessatione Legum.

I. PRo Subjectorum utilitate revocandæ sunt Leges & in melius commutandæ. *in VI. de Sent. Excom, Cap. Alma. init.*

II. Ratio postulat, ut illis, quæ benè constituta sunt, contrariis Ordinationibus non detrahatur. Conc. Trident. Sess. XXV. *Decreto de Reformatione* Cap. 5. *init.*

III. Anteriora Jura, cùm per novum immutata non fuerunt, debent observari. *In VI. de Electione.* Cap. *Constitutio.* Lib. I. Tit. VI. *Cap.* 41.

IV. Lex Superioris per Inferiorem tolli non potest. Clementinarum *de Electione. Cap. Ne Romani. post init.* Lib. I. Clementinarum Tit. III. *Cap.* 2.

V. Lex tollens Statuta, non tollit Pacta, vel Privilegia, nisi de eis faciat mentionem. *In VI. de Electione.* Cap. *Quia sæpè. §. Nos ipsorum.* Eruitur ex Glossa Lib. I. Tit. VI. *Cap.* 40. & ex C. 1. *de Constitut. in VI.* quia Pacta & Privilegia sunt quid facti; & iis, quæ sunt facti, non derogat Lex nova sine illorum expressa mentione.

VI. Constitutio Posterior Generalis, Priorem directè contrariam, quamvis de ipsâ mentionem non faciat, revocare noscitur. *In VI. de Fide & Summâ Trinit.* Cap. *Licèt Romanus* Lib. I. Tit. I. *Cap.* 1. idque, quia Conditor omnia Jura in scrinio pectoris sui habere censetur.

VII. Constitutio Posterior non derogat Statutis, aut Consuetudinibus Particularibus; dùm tamen sint rationabilia, nisi expressè in eâ caveatur, utpotè quæ, cùm sint facti, & in facto consistant, à Conditore probabiliter ignorari possint. *ibidem.*

VIII. Qui Jurisdictioni præest, si, cùm vellet statuere, prohibitus sit, nec effectum Decretum habuit, cessat Edictum. Causa XXXIII. Quæst. III. *de Pœnit.* Dist. I. Cap. 17. *Hæc.* init.

IX. Quod Necessitas pro remedio reperit, cessante necessitate debet utique cessare. Causa I. Quæst. VII. Cap. 7. *Quod pro. §. quod.*

SECTIO VII.

De Dispensatione à Legibus Ecclesiasticis.

I. PEr importunitatem nimiam non concedenda multotiès conceduntur, & per ambitionem plurimam extorquentur. *In VI. de Concessione Præb.* Cap. *Detestanda. §. Sanè.* Lib. III. Tit. VII. *Cap.* 2.

II. Multa sunt, quæ Dispensationem inducere videntur; Litterarum Scientia, Morum honestas, vitæ Virtus, & fama Personæ. *De Electione.* Cap. *innotuit* Lib. I. Decr. Tit. VI. *Cap.* 20.

III. Faciliùs dispensatur cum aliquo, ut ad majorem transeat Dignitatem, quàm ad parem vel minorem, propter majorem utilitatem. *De translatione Episcopi* Cap. *Licet* Lib. I. Decr. Tit. VII. *Cap.* 4.

IV. Dispensatur cum iis, qui in aliis Ecclesiæ Servitiis valdè utiles fuerint. *De ætate & qualitate Ordinandorum.* Cap. *Quæris.* Lib. I. Decr. Tit. XIV. *Cap.* 6.

V. Non dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria Præcepta temerè contempsit. Conc. Trident. Sess. XXIV. *de Reformatione Matrimonii.* Cap. 5. *med.*

VI. Dispensationes extrà Romanam Curiam committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint. Conc. Trident. Sess. XXII. *de Refor.* Cap. 5. *init.*

VII. Sciant Universi, Sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Conc. Trident. Sess. XXV. *de Reformatione* Cap. 18.

VIII. Si urgens justaque ratio & major quandòque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse; id, causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratis, à quibuscumque, ad quos Dispensatio pertinebit, erit præstandum. *ibid.* Cap. 18.

IX. Aliter facta Dispensatio, subreptitia censeatur. *ibid.* Cap. 18. *fin.*

X. Si per Priores Litteras cum aliquibus Clericis Episcopus dispensaverit, Dispensatio illa Posteriorum Litterarum intuitu non debet irritari. *De Filiis Præsbyter.* Cap. *Ex tuâ. §. Super.* Lib. I. Decr. Tit. XVII. Cap. 9.

XI. Quamvis misericordiæ intuitu, magnâque necessitate cogente, aliquam Dispensationem constituat Sedes Apostolica; nullum tamen præjudicium Sacris Canonibus fieri vult: sed obtineant proprium robur, & cessante necessitate, illud quoque cesset, quod pro necessitate factum est. Causa IX. Quæst. I. Cap. 5. §. 4. *Quamvis.* init.

XII. Ubi Multorum strages jacet, ibi substrahendum est aliquid Severitati, ut addatur ampliùs Charitati. *ibid. fin.*

XIII. Utilitas & necessitas quantùm ad Dispensationem parificantur. *Cap.* 4. *de Ætate & qualit.* Glossa colligit.

XIV. In Dispensationibus causa necessitatis & utilitatis inspici debet. Cap. 14. *de Sent & Re Jud.*

XV. Nobilitas & necessitas æquiparantur in Dispensationibus. *Clement.* unic. *de Baptismo.*

XVI. Ubi nulla perurget necessitas, Constituta Patrum inviolata serventur. Joannes VIII. *in Epist. relata* Conc. Tom. VIII. p. 1454.

XVII. Favor Fidei, & publica utilitas attendi debent in Dispensationibus. *C. 15. Qui Filii sint legitimi.*

XVIII. Necessitas vel Pietas non est sub Lege. *C. 5. de Feriis.*

XIX. Necessitas Legem non habet. *Can.* sicut *de Consecrat.* DIST. I. *C.* 11. Consuetudo non subjacet Legi. *C. 2. de Observat. Jejun.* Quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum. *C. 4. de Reg. Jur.*

XX. Si in dando quod majus est facilis fuit Caritas, sit facilior in concedendo quod minus est, sancta Largitas. *Can.* 1. CAUS. XVI. QUÆST. I.

XXI. Quæ pro tempore certarum remissa sunt consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt Regulis. CAUS. I. QUÆST. VII. *Can.* 20. *post med.*

XXII. Elapso tempore, quo durat Dispensatio, tenetur Quis Juri Communi se subjicere, alioquin incurrit pœnas à Jure statutas. *C.* 34. *de Elect.* in VI.

XXIII. Dipensatio non reddit licitum quod erat illicitum. *C.* 54. *de Elect.* GLOS. *in* verbo *retinere*, quod restringendum ad Dispensationem invalidam.

XXIV. Publicè expedit, Legis vinculum quandòque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat. *C.* 18. SESS. XXV. *de Refor.*

XXV. Frequentiùs Legem solvere, exemploque potiùs, quàm certo Personarum, Rerumque delectu, Petentibus indulgere, nihil aliud est, quàm unicuique ad transgrediendas Leges aditum aperire. *ibid.*

XXVI. Discretio noscitur esse omnium Virtutum Mater. *C.* 1. *de Offic. Custod.*

XXVII. Utiliùs Scandalum nasci permittitur, quàm Veritas, seù Jus Commune, indispensabile relinquatur. *C.* 3. *de Reg. Jur.* juncta *Gloss.*

XXVIII. Per Constitutionem factam à Prædecessore, non adimitur Successoribus dispensandi facultas. *C.* 20. *de Elect.*

XXIX. Aliquandò cum eo, qui peccat, dispensatur, cum eo verò, qui non peccat, non dispensatur. *C.* 6. *de Bigam.*

Cæteræ Regulæ circà Dispensationes, quæ plurimæ supersunt referendæ, colliguntur in *Tractatu speciali de Dispensationibus*, Tractatui *de Jurisdictione Ecclesiasticâ* annexo veluti illius appendice. Quæ autem hìc relatæ sunt, sufficere videntur ad ea, quæ scitu necessaria circà Dispensationes in genere consideratas, prout nunc duntaxat spectantur, docenda, probandaque.

SECTIO VIII.

De Potestate ferendi & mutandi Leges.

I. EXtrà territorium Jus dicenti non paretur impunè. *in VI. de Constitutionibus* Cap. *Ut Animarum* LIB. I. TIT. II. *Cap.* 2.

II. Prædecessor nullum Successoribus potest præjudicium afferre, qui pari imò eâdem potestate functuri sunt. *de Elect.* Cap. *Innotuit* LIB. I. DECR. TIT. VI. *Cap.* 20.

III. Non habet imperium Par in Parem. *ibid.*

IV. Lex Superioris per Inferiorem tolli non potest. CLEMENT. *Ne Romani* init. *de Elect.* LIB. I. CLEMENT. TIT. III. *Cap.* 2.

V. Novis morbis nova convenit antidota præparari. *Appendice* CONC. LATER. *Parte* 23. *Cap.* 5. *fin.* Idem habetur. *C.* 5. *de Juram. Calumn.*

VI. Non debet reprehendibile juditari, si Canonum Conditor, Canones à se vel à suis Prædecessoribus editos, vel aliqua in eisdem contenta Canonibus, revocare, modificare vel suspendere studeat, si ea obesse potiùs viderit, quàm prodesse. *Extravagantî* JOANNIS XXII. *Quia nonnumquàm de Verb. significatione.* Cap. 2. Init.

VII. Contrà diversa experimenta morborum, varia convenit medicamenta invenire. *ibid. Cap.* 6.

VIII. Supervenientibus novis morbis novas expedit invenire medicinas. *Appendice* CONCILII LATER. *Parte* 31. *Cap.* 6.

IX. Non debet reprehensibile judicari, si secundùm varietatem Temporum, Statuta quandòque varientur Humana, præsertim, cùm urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit. *ibid. de Consanguinitate* Cap. *Non debebet.* LIB. IV. DECR. TIT. XIV. *Cap.* 8.

X. Plerùmque pariunt Novitates discordiam; præsertim, dùm ab eo quod diù æquum visum est, per novam Constitutionem receditur; nec quare recedatur, utilitas evidens vel alia causa subest. EXTRAVAGANTIUM COMMUNIUM *Privilegiis.* Cap. *Inter cunctas.* §. 1. *Sanè fin.* LIB. V. TIT. *de Privilegiis.* Cap. 1.

XI. Quis aut Leges Principum, aut Regulas Patrum, aut Admonitiones Modernas dicit debere contemni, nisi qui impunitum sibi tantùm æstimet transire commissum. DIST. LIV. Cap. 11. *Quis aut Leges.*

XII. Decessorum Statuta sicut legitima & justa Successorem custodire convenit. CAUSA XXV. QUÆST. II. Cap. 19. *Decessorum.*

XIII. Debet verò Successor Statuta malè facta corrigere. *ibid. fin.*

XIV. Justitiæ ac rationis ordo suadet, ut qui sua à Successoribus desiderat Mandata servari; Decessoris sui voluntatem & Statuta custodiat. *ibid.* & CAUSA XXV. QUÆST. I. Cap. 25. *Justitiæ.*

XV. Verbum *Statuit* Legem perfectam non cœptam significat. CAUSA XXXIII. QUÆST. III. *de Pœnit.* DIST. I. Cap. 17. *Hæc. fin.*

XVI. Superior Reum se antè conspectum Divini Judicis noverit esse, qui nititur utiliter finita rescindere, ac roborata quolibet ausu violare. CAUSA XXXV. QUÆST. IX. Cap. 2. *Loci. post init.*

XVII. Si Superior ea, quæ malè usurpantur, negligenter omittit, excessus viam procùl dubio aliis aperit. *ibid. fin.*

XVIII. Bonis Sacerdotum Moribus est inimicum, niti quempiam quâcumque rationis excusatione, & quæ benè ordinata sunt rescindere, & exemplo suo docere cæteros sua quandòque post se Constituta dissolvere. CAUSA XXV. QUÆST. II. Cap. 7. *Institutionis. fin.*

XIX. Aliquandò statuitur, ut Constitutio singulis annis in Communi Audientiâ aliquorum recitetur. *de Locato & Conducto.* Cap. *Ex Rescripto. fin.* LIB. III. DECR. TIT. XVIII. *Cap.* I.

XX. Necesse est vigilantissimè providere repulso torpore, ut quicquid ab antiquis Patribus statutum de tramite Canonico quarumdam Personarum temeritate cernitur immutatum, revocetur in statum pristinum, ut possint malè admissa corrigi, & non admittenda damnari. CONCIL. TURONENSE II. *an.* 567. *in Præfat.* TOM. V. CONCIL. *p.* 852.

XXI. Magna est in severitate Pietas, per quam tollitur peccandi facultas: nam ubi insana Libertas generat vulnera, Sacerdotalis Districtio dat medelam. *ibid.*

XXII. Cessante causâ cessat effectus. *De Appellationibus.* Cap. *Cùm cessante.* Lib. II. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 60. *init. & de voto.* Cap. *Magnæ.* §. *ult. laborem.* LIB. III. DECR. TIT. XXXIV. *Cap.* 7.

XXIII. Cessante prohibitione cessat effectus. *De Consanguinitate.* Cap. *Non debet* §. *Cùm igitur.* LIB. IV. DECR. TIT. XIV. *Cap.* 8.

XXIV. Generaliter omni Constitutioni derogandum est, quæ absque mortali peccato non potest observari. *De Præscriptionibus. Cap. Quoniam* §. *Cùm generaliter* LIB. II. DECR. TIT. XXVI. Cap. 20. *quod est ult.*

XXV. Quod pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate debet utique cessare. CAUSA I. QUÆST. I. Cap. 41. *Quod pro init.* & CAUSA IX. QUÆST. I. Cap. 5. *Ordinationes.* §. *ult. Quis, med.*

XXVI.

XXVI. Quod necessitate aliquotiès indultum est, necessitate cessante, in autoritatem summam non est permissum. Concil. Rom. *sub* Joanne IX. *anni* 904. *Cap.* 3. Tom. IX. Conc. *p.* 503.

XXVII. Juri Communi per speciale Privilegium, vel contrariam Consuetudinem, aliquid detrahi potest. *de Judiciis.* Cap. *Novit.* Lib. II. Decr. Tit. I. *Cap.* 13.

XXVIII. Ad Conditorem Canonum non est dubium pertinere, cùm Statuta à se vel Prædecessoribus suis edita obesse percipit potiùs, quàm prodesse; ne ulteriùs obesse valeant, providere. *Extravag.* Joannis XXII. *Ad Conditorem de Verb. signif. Extravag.* Joannis XXII. Tit. XIV. *Cap.* 3.

SECTIO IX.

Quomodò utendum autoritate Legum, aliâque quâvis simili in Responsis Canonicis.

I. IN Jure Canonico quædam sunt, quæ plurimùm habent Facti, parùm Juris. *De concessione Præbendæ.* Cap. *Cùm nostris.* §. *Auditor.* Glossa colligit. Lib. III. Decr. Tit. VIII. *Cap.* 6.

II. Autoritates, quæ adhibentur ad probandum Jus, licèt aliquandò diversæ sint, non tamen semper adversæ sunt. *De his, quæ fiunt à majori parte Capituli.* Cap. *Apostolica.* Lib. III. Decr. Tit. X. *Cap.* 7.

III. Caus. III. Quæst. V. *Cap.* 15. (quod suspectum) Nicolaus I. utitur autoritate *Justiniani.*

IV. Argumentis & Collationibus frequenter latens Veritas aperitur. *Extravagantium* Joannis XXII. *de Verb. Significatione* Cap. *Quia nonnunquàm* §. 2. *nos autem. init. seù Titulo XIV. Cap.* 2.

V. Romano Pontifici non est facile super aliquâ re certum dare Responsum, cùm autoritates Sanctorum Patrum etiam sunt diversæ. *De Decimis.* Cap. *Cùm sint.* Lib. III. Decr. Tit. XXV. *Cap.* 18.

VI. In hujusmodi dubitatione ad Consuetudinem recurrendum. *Ibid. §. & ideò.*

VII. Ubi Canon non excipit, nec nos excipere debemus. Dist. LV. Cap. 13. *Si Evangelia.* Glossa colligit. verbo *excepisse.* & Caus. II. Quæst. V. Cap. 20. *Consuluisti.* etiam Glossa colligit.

VIII. Ubi Jus non excipit, nec nos excipere debemus. *de Conjugio Leprosorum* Cap. *Quoniam.* §. *Quod si. fin.* Glossa colligit. Lib. IV. Decr. Tit. VIII. *Cap.* 2.

IX. Licet allegare Leges Principum. *de Testib.* Cap. *In nomine* Glossa colligit. Lib. II. Decr. Tit. XX. *Cap.* 2. & juxtà illas negotia Ecclesiastica judicare docet, *ibid.* S. Gregorius.

X. Jura Canonica & Civilia sequentes districtiùs inhibemus. *C.* 28. *de Testib.* ab Innocentio III. desumptum.

XI. Lex Secularium Principum Responso Canonico aliquandò efficax affert Argumentum. *De Sent. Excom.* Cap. *In audientiâ. fin.* Lib. V. Decr. Tit. XXIX. *Cap.* 25.

XII. Argumentum à contrario sensu valet aliquandò in Juribus. *De Frigidis & Maleficiatis.* Cap. *Fraternitatis.* Glossa colligit. verbo *nos autem* & verbo *solutam.* Lib. IV. Decr. Tit. XV. *Cap.* 6.

XIII. Cùm hoc sit in Jure Civili expressum, quod licitè fieri possit, Respondemus. *De Causâ Possess.* Cap. *Ad ultimum fin.* Lib. II. Decr. Tit. XII. *Cap.* 2. Cælestinus III.

XIV. Legali Provisione decretum est, tam momenti quàm proprietatis causam, sub uno eodemque Judice debere cognosci. *ibid.* S. Greg.

XV. Utriusque Juris Argumenta nos docent ea, quæ in principio ad medium & ad finem; illa verò, quæ in medio ad finem atque principium, & ea, quæ in fine ad utrumque vel eorum alterum sæpè referri. *In* VI. *de Verb. signif.* Cap. *Exiit.* §. 5. *in primis post medium.* Lib. V. Tit. XII. *Cap.* 3. Nicolaus. III.

XVI. Cùm Leges Sæculi hoc habent, quod valdè videtur injustum, dicendum, quia Lege Dei, non autem Lege hujus Sæculi vivimus. *de Testamentis.* Cap. *Filius.* Lib. III. Decr. Tit. XXVI. *Cap.* 5.

Vide Gonzalem *in nota* 5. ubi citat Textus, qui jubent, Leges Seculares custodiri, alios qui vetant; conciliatque utrosque dicendo, quòd illi cadunt in Leges justas, isti verò in Leges injustas.

SECTIO X.

An & Quomodò Leges observari debeant?

I. QUi scit, se quibusdam esse Præpositum, sicut non vult gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat, alii importabile pondus imponere. Caus. II. Quæst. VI. Cap. 14. *Qui scit. medium.*

II. Parùm esset condere Jura, nisi essent qui ea debitæ executioni demandarent. *In* VI. *de Statu Regularium.* Cap. *Periculoso.* §. *ult. & quomodò.* Lib. III. Decr. Tit. XVI. Cap. *unico.*

III. Dignum est, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in Legibus Disciplinam. *de Statu Monachorum* Cap. *Recolentes.* §. *Si enim.* Lib. III. Decr. Tit. XXXV. *Cap.* 3.

IV. Frustrà Legis auxilium invocat, qui committit in Legem. *de Usuris.* Cap. *Quia.* init. Lib. V. Decr. Tit. XIX. *Cap.* 14. & *de Sent. Excommun.* Cap. *Contingit. §. verùm init.* Lib. V. Decr. Tit. XXXIX. *Cap.* 45. & *de Elect.* Cap. *Bonæ memoriæ. in int. med.* Lib. I. Decr. Tit. VI. *Cap.* 23.

V. Quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nullâ commutatione varientur. Caus. XXV. Quæst. I. Cap. 3. *Quæ ad perpetuam. init.*

VI. In omni Edicto intelliguntur justæ excusationes. *de Sent. Excom.* Cap. *De Cætero.* Glossa colligit. Lib. V. Decr. Tit. XXXIX. *Cap.* 11.

VII. Non debet una eademque res, seù substantia, diverso Jure censeri. *De Privilegiis.* Cap. *Quia circà. §. Super quo. fin.* Lib. V. Decr. Tit. XXXIII. *Cap.* 22. & *De Decimis.* Cap. *Cùm in suâ. fin.* Lib. III. Decr. Tit. XXX. *Cap.* 33.

VIII. Majus Bonum minori Bono præponitur. *De Regularib.* Cap. *Licet.* §. *Si verò.* Lib. III. Decr. Tit. XXXI. *Cap.* 18.

IX. Communis utilitas speciali utilitati præfertur. *ibid.*

X. Cùm Leges fuerint institutæ & firmatæ, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundùm ipsas. Dist. IV. Cap. 3. *In istis. fin.*

XI. Turpis est omnis Pars suo Universo non congruens. Dist. VIII. Cap. 2. *Quæ contra. init. De Sponsâ duorum.* Cap. *Tuas.* §. *Ne verò* Lib. IV. Decr. Tit. IV *Cap.* 5.

XII. In toto Partem contineri non est dubium *in* VI. *de Reg. Juris. Regulâ* 80.

XIII. Quod alii aggregatur, ipsius naturam imitari debet. *de Statu Monach.* Cap. *Recolentes.* §. *cæterùm* Glossa verb. *Coaptent.* colligit Lib. III. Decr. Tit. XXXV. *Cap.* 3.

XIV. Quæ contrà Leges fiunt, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habenda sunt. Caus. XXV. Quæst. II. Cap. 13. *Imperiali. fin.*

XV. Quæ contrà Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. *In* VI. *de Reg. Jur.* Regulâ 64.

XVI. Factum contrà Legem prohibentem, vires non obtinet. *in* VI. *de Pœnitentiis* Cap. *Indulgentiæ.* Glossa colligit. Lib. V. Tit. X. *Cap.* 3.

XVII. Multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. *de Regularib.* Cap. *Ad Apostolicam.* §. *Quæstionib. fin.* Lib. III. Decr. Tit. XXXI. *Cap.* 16.

XVIII. Illa nonnunquàm sinenda sunt, quæ, si cæterorum constet integritas, nocere sola non valent. Caus. I. Quæst. VII. Cap. 23. *Etsi. init.*

XIX. Quod potuit aliqua ratione concedi, fas non est semper impunè committi. CAUSA I. QUÆST. VII. Cap. 18. *Exigunt. fin.*

XX. Illa sunt magnòperè præcavenda, quæ recipi, nisi manifestâ decoloratione non possunt. *ibid.* Cap. 23. *Etsi. post init.*

XXI. Ea, quæ nullo detrimento aliquotiès indulgenda creduntur, vel Rerum Temporumque cogit intuitus, vel acceleratæ provisionis Respectus excusat, aliquandò nullatenùs mutilanda sunt. *ibid. fin.*

XXII. Illa nullatenùs mutilanda sunt, quæ nec ulla necessitas, nec Ecclesiastica prorsùs extorquet utilitas. *ibid. fin.*

XXIII. Cùm non habemus salvandorum omnium negotiorum penitùs certitudinem, despicimus ex iis quædam, ne cunctorum patiamur dispendia. *ibid.* Cap. 16. *Dispensationes. fin.*

XXIV. Quod legitimè factum est non debet irritari, licèt in eum Casum deveniat, à quo incipere non potuit. *de Jure Patronatûs.* Cap. *de Jure* GLOSSA *colligit.* LIB. III. DECRET. TIT. XXXVIII. *Cap. 16. R. 73. de Reg. Jur.* in VI. ubi *retractari* pro *irritari* adhibetur, utpotè verbum hîc synonimum.

XXV. Certum est, quòd Is committit in Legem, qui Legis verba complectens contrà Legis nititur voluntatem. *In VI. de Reg. Juris. Reg.* 88.

XXVI. Necesse est, ut quod contrà Legem actum est, non habeat firmitatem. *de Testib.* Cap. *In nomine. fin.* LIB. II. DECR. TIT. XX. *Cap.* 2.

XXVII. Pacto Privatorum Juri Publico non derogatur. *de Foro competenti.* Cap. *si diligenti.* LIB. II. DECR. TIT. II. *cap.* 12.

XXVIII. Occasio Juris ad iniquum compendium trahi non debet. *De Appellationibus.* Cap. *Suggestum. fin.* GLOSSA *colligit.* LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. *Cap.* 15.

XXIX. Non est rigor Juris, ex quo posset sequi Causæ perplexitas, requirendus. *ibid. de Appellationibus* Cap. *Interpositâ.* §. ult. *sanè* LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. *Cap.* 70.

XXX. In His, super quibus Jus non invenitur expressum, Æquitas servanda est. *De Transactionibus* Cap. *Ex Parte.* LIB. I. DECR. TIT. XXXVI. *Cap.* 11. quod est ultimum.

XXXI. Nonnulla pro utilitate communi contrà Juris asperitatem ex æquitatis mansuetudine tolerari noscuntur. In VI. *de Sententia & de Jud.* Cap. *Abbate.* §. ult. *Præfatus.* LIB. II. TIT. XIV. *Cap.* 3.

XXXII. Æquitas præfertur Juri aliquandò. *De in integrum Restitutione* Cap. *Suscitata.* GLOSSA *colligit.* LIB. I. DECR. TIT. XLI. *Cap. 6.*

XXXIII. Quod in quibusdam casibus permittitur, in aliis prohiberi intelligitur. *De autoritate & usu Pallii.* Cap. *Ex suarum* cùm GLOSSA verbo, *casibus colligitur.* LIB. I. DECR. TIT. VIII. *Cap.* 5.

XXXIV. Cùm Quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ viâ non debet admitti: *In VI. de Reg. Juris* Regula 84.

XXXV. Posse suum faciens, Mandatum Legis adimplet. *De Pignoribus* Cap. *significante.* GLOSSA *colligit.* LIB. III. DECR. TIT. XXI. *Cap.* 7.

XXXVI. Nemo debet decipi Legis autoritate, sivè concessione Juris Utentibus illudi non debet. CLEMENTINARUM *de Rerum Permutatione.* Cap. unic. *init.* & GLOSSA *colligit.* CLEMENTIN. LIB. III. TIT. *Cap. unico.*

XXXVII. Quod Quisque juris in alterum statuit ipse debet eo uti. *De Constitutionibus* Cap. *Cùm omnes* LIB. I. DECR. TIT. II. *Cap. 6.*

XXXVIII. Non debet alii Legem imponere, quam ipse negligit observare. *De Privilegiis.* Cap. *Petistis.* GLOSSA *colligit.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 20.

XXXIX. Debet cessare prohibitio alicujus rei, cùm is, qui prohiberi impetravit, ipsam temerè violat: ne videatur de aliorum fletu ridere. *ibid. colligitur.*

XL. Fraus Legi vel Canoni fieri non debet. *De Privilegiis.* Cap. *Quintò.* §. *Nolentes.* GLOSSA *colligit* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 26.

XLI. Quod contrà Leges accipitur, per Leges dissolvi meretur. DIST. X. Cap. 10. *Vides.*

SECTIO IX.

De Legibus, quæ pœnam imponunt.

QUisquis præceptis non obtemperat, Reus est, & Debitor pœnæ. CAUSA XIV. QUÆST. I. Cap. 3. *Quisquis. init.*

II. Constitutio, quæ non exprimit pœnam privationis in perpetuum duraturam, eam imponit tantùm, quamdiù duratura est contumacia. *De Constitutionibus* Cap. *Ex Litteris.* LIB. I. DECR. TIT. II. *cap.* 11.

III. Detrimentum seù pœnam nemo antè prohibitionem ignorans incurrit. *ibid.* Cap. *Quoniam.* LIB. I. DECR. TIT. II. *Cap.* 13.

IV. Quod est pœnale, restringi potiùs convenit, quàm laxari. *In VI. de Electione.* Cap. *Statutum. fin.* LIB. I. DECR. TIT. VI. *Cap.* 22.

V. Exigit Perversorum audacia ut non solâ delictorum prohibitione contenti sint Superiores, sed etiam pœnam Delinquentibus imponant. *In VI. de Censib.* Cap. *Exigit. init.* LIB. III. TIT. XX. *Cap.* 2.

VI. Ad reprimendam malitiam Perversorum, pœnæ certæ sunt in Canonibus constitutæ. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Ad reprimendam init.* LIB. I. DECR. TIT. XXXI. *Cap.* 8.

VII. Nonnullorum Rectorum negligentia, dùm spem impunitatis promittit, multam nutrire pestilentiam consuevit in Subditis. CLEMENTINA *Gravi. De Celebratione Missarum ibid.* CLEMENTINARUM LIB. III. TIT. XIV. *Cap.* 1.

VIII. Provideant diligenter Prælati, ut salutare Statutum de Censurâ Ecclesiasticâ infligendâ, ad quæstum pecuniæ vel gravamen aliud non convertant. *De Officio Jud. Ordin.* Cap. *Irrefragabili.* §. *ult.* LIB. I. DECR. TIT. XXXI. *Cap.* 13.

IX. Dignum est, ut quos Dei timor à malo non revocat, Ecclesiasticæ saltem coërceat severitas Disciplinæ. *De Elect.* Cap. *Cùm in cunctis.* §. *Penult. fin.* LIB. I. DECR. TIT. VI. *Cap.* 7.

X. Eos, quos ad observationem Jurium virtutum præmia non inducunt, tàm adjectarum exaggeratione pœnarum, quàm adjiciendarum de novo formidine, à temerariis ausibus refrænare convenit. CLEMENTINA III. *Cupientes. init. de Pœnis. Lib. V.* CLEMENTIN. TIT. VIII. *Cap.* 3.

XI. Qui non possunt per præmia induci ad observantiam Juris, debent per pœnas coërceri. GLOSSA.

XII. Est compescenda Malorum audacia, ut saltem pœnæ formidine retrahantur à noxiis, sicque Boni sectando virtutem, Meliores effecti, non cogantur cum illis perire. EXTRAVAG. Unic. *Dierum.* JOANNIS XXII. *de Pœnis init.* EXTRAVAG. JOANNIS XXII. TIT. XI. *Cap. unic.*

XIII. Dignum est, ut Quos timor Dei à Malo non revocat, pœnarum moles in eos exaggerata compescat. *ibid. §. ult. fin.*

XIV. Quæ solâ admonitionis autoritate non corrigimus, necesse est, ut per severitatem congruentem Regulis vindicemus. DIST. LXII. Cap. 2. *Docendus est. med.*

Cæteræ Regulæ circà Pœnas in genere spectatas colligentur, dùm de Pœnis de industriâ agetur *in fine II. Tomi hujus Operis*, ubi de illis in specie tractantes non pauca de iisdem generatim consideratis adjiciemus.

SECTIO

SECTIO XII.

De Lege Divina.

I. OMnibus unus est Pater in Cœlis; & unusquisque, Dives & Pauper, Liber & Servus, æqualiter pro se & pro Animabus eorum, rationem reddituri sunt: quàpropter omnes cujuscumque conditionis sint, unam Legem quantùm ad Deum habere non dubitamus. Causa XXIX. Quæst. II. *Cap.* 1. Pastores avocat ab acceptione Personarum.

II. Audi Legem Domini, cui obsequuntur etiam qui Leges ferunt. Causa XXXIII. Quæst. II. *Cap.* 2. *An quod. fin.*

III. Sciendum est, quia in Fide & Bonis Operibus Lex Christianorum subsistit. Nicolaus I. *ad Consulta Bulgarorum Cap.* 1. Tom. VIII. Concil. *p.* 516.

IV. Lex Æterna ita medio quodam loco posuit aliqua Hominibus, ut in eis usurpandis meritò reprehendatur audacia, in exequendis autem jure obedientia laudetur. Causa XXIII. Quæst. V. *C.* 15. *Lex.* init.

V. Divinum Jus in Scripturis habetur. Distinct. VIII. *Cap.* 1. *Quo Jure.* init.

VI. Regnum Cœlorum usque ad Mortem Christi fuit omnibus obseratum. *De Baptismo & ejus effectu. Cap. Majores.* 2. *Parte* §. 2. *ad id. fin.* Lib. 3. Decr. Tit. XLII. *Cap.* 3.

VII. Circumcisio tàm Adultis, quàm Parvulis, ex præcepto Domini conferebatur, *ibid.* init.

VIII. Originalis Culpa remittebatur per Circumcisionem, & Damnationis periculum vitabatur; non tamen perveniebatur ad Regnum Cœlorum. *ibid. fin.*

IX. Damnata est illa Hæresis, quæ perperàm affirmabat, Legem cum Evangelio, & Circumcisionem cum Baptismo, servandam. *Ibid. De Baptismo* &c. *Cap. Majores.* §. 2. *ad id.* Lib. III. Decr. Tit. XLII. *Cap.* 3.

X. Multa tàm de Verbis quàm de Factis Dominicis invenimus, ab Evangelistis omissa, quæ Apostoli vel suppleviſſe verbo, vel facto expresisse leguntur. *De Celebratione Missarum. Cap. Cùm Marthæ. §.* 2. *Sanè* Lib. III. Decr. Tit. *Cap.* 6.

XI. Ipsi Evangelistæ mutuò inter se suppleviſſe leguntur, quæ ab eorum aliquo vel aliquibus sunt omissa. *ibid.*

XII. Prima Salus est, rectæ Fidei Regulam custodire, & à Constitutis Patrum nullatenùs deviare. Causa XXV. Quæst. I. *Cap.* 9. *Prima.*

XIII. Per Scripturam Sacram Fidei Ortodoxæ probantur. Articuli Extravagantis Joannis XXII. *Cùm inter.* Tit. IV. *Cap.* 4.

XIV. In Symbolis Articuli Fidei continentur. *ibid. Cap.* 5. *Quia quorumdam.* §. 5. *fin.*

XV. Directè ad Fidem aliquid non pertinet, cùm de hoc Articulus non est aliquis, nec sub quo valet comprehendi. Extravag. Joannis XXII. Tit. XIV. *de Verb. Signif. Cap.* 5. *Quia quorumdam.* §. 5. *Ex præmissis. fin.*

XVI. Ad Fidem nullus est cogendus invitus. Causa XXIII. Quæst. I. *Cap.* 9. *Prima.*

XVII. Reductè ad Fidem non pertinet, ne quasi hoc Scriptura Sacra contineat, quo negato, tota Scriptura redditur dubia. Extravag. Joannis XXII. *ibid.*

XVIII. Id est Religioni Christianæ contrarium, ut semper Invitus & penitùs Contradicens ad recipiendam & servandam Christianitatem compellatur. *De Baptismo & ejus effectu. Cap. Majores.* 4. *Parte* §. *item. quæritur.* Lib. III. Decr. Tit. XLII. *Cap.* 3.

XIX. Nullum Bonum nisi voluntarium, ideircò Dominus non ferendam in viâ virgam, per quam violentia ulli inferatur, præcepit. Causa XX. Quæst. III. *Cap.* 4. *Præsens. post. med.*

XX. Judæi non sunt cogendi ad Fidem, quam tamen, si inviti susceperint, cogendi sunt retinere. Dist. XLV. *Cap.* 4. *Licet. fin.*

XXI. Judæi non vi, sed liberi Arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potiùs impellendi. *ibid. Cap.* 5. *de Judæis. med.* Append. Concil. Lateran. parte 20. init.

XXII. Qui jampridem ad Christianitatem coacti sunt venire, oportet, ut Fidem, quam etiam vi vel necessitate susceperint, tenere cogantur. *ibid. fin.* Quod intelligendum de coactione, quæ non tollit omninò voluntarium, sed minuit duntaxat; *ibid.*

XXIII. Ad sempiternam Salutem nullus ducendus est opitulante mendacio. Caus. XXII. Quæst. II. *Cap.* 8. *Primum.* §. 1. *non est. fin.*

XXIV. Scopus Dei Lex est, & qui Spiritu Dei ducuntur, Lege Dei ducuntur; & quis est, qui Spiritui Sancto possit dignè resistere. Caus. XIX. Quæst. II. *Cap.* 2. *Duæ. §. Lex. med.*

XXV. Lex Interior de renunciatione. *Cap. Nisi cùm pridem. §.* 8. *Sed dices.* Lib. I. Decr. Tit. IX. *Cap.* 10. *C.* 18. *de Regular.*

XXVI. Revelatio Divina superat omnem Legem. *De conversione Conjugatorum. Cap. Ex parte tuâ. §. Nos autem.* Lib. III. Decr. Tit. XXXII. *Cap.* 14.

XXVII. Divina Revelatio, quæ Mos quandòque, interdùm etiam Fas censetur. *De Divortiis. Cap. Gaudemus. §. Nec illi.* Lib. IV. Decr. Tit. XIX. *Cap.* 8.

XXVIII. Per Revelationem Divinam Jacob à mendacio, Israëlitæ à furto, Samson ab homicidio excusantur. *ibid.* Quod dicitur de mendacio Jacob eget fusiori explicatione, quæ remittenda est, dùm *de Decalogo.*

XXIX. Sic & Patriarchæ, & alii Viri Justi, qui plures leguntur simul habuisse Uxores, ab adulterio excusantur. *ibid.*

XXX. Nemo debet tentare Deum suum, dùm habet quod rationabili consilio faciat. Causa XXII. Quæst. II. *Cap.* 22. *Quæritur. med.*

XXXI. Quod Dominus prohibet fieri, omninò non licet. Causa XXVIII. Quæst. I. *Cap.* 8. *Jam nunc. post.* init.

XXXII. Caritas est Fons proprius, cui non communicat alienus. *De Regularib. Cap. Licèt.* §. *ult. fin.* Lib. III. Decr. Tit. XXXI. *Cap.* 18.

XXXIII. Per Severitatem, imò & per Misericordiam Dei, Tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Causa XXIII. Quæst. V. *Cap.* 33. *Ad fidem.* init.

XXXIV. Qualem te invenit Dominus, cùm vocat, talem pariter & judicat. Causa XXXI. Quæst. III. *de Pœnit.* Dist. I. *Cap.* 26. *Numquid. fin.*

XXXV. Impossibilia sunt, non carere Visione Dei & cruciari in Gehennâ perpetuò, sibique mutuò adversantur. *De Baptismo & ejus effectu. Cap. Majores.* 2. *Parte. §. verùm.* Lib. III. Decr. Tit. XLII. *Cap.* 3.

XXXVI. Nescientes, Quis pertineat ad Prædestinatorum numerum, Quis non pertineat, sic affici debemus Caritatis affectu, ut omnes velimus Salvos fieri. Causa XXIV. Quæst. III. *Cap.* 17. *Corripiantur.*

XXXVII. Plùs est Deo, quàm Homini deferendum. *De Sent. Excom. Cap. Relatum est. §. Quocircà* Lib. V. Decr. Tit. XXXIX. *Cap.* 37.

XXXVIII. Qui nulla ex rebus suis Pauperibus Christi distribuunt, Paterni Judicis voce in futuro condemnabuntur. Causa XII. Quæst. II. *Cap.* 39. *Etsi. init.*

XXXIX. Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non ex illicitis rebus & iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis & benè acquisitis impenditur. Causa XIV. Quæst. V. *Cap.* 7. *Eleemosyna.*

XL. Creatura non habet, quid pro meritis respondeat Creatori. *De Celebratione Missarum Cap. Cùm Creatura.* init. Lib. III. Decr. Tit. XLI. *Cap.* 11.

XLI. Non debet Spirituali Operi etiam Regalis præ-

ferri Præceptio, cùm Primum in Ecclesiâ sit Mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ virtute tuâ;* undè non debet Præcepto Domini Persona cujuslibet Hominis anteponi, neque debet terrenæ conditionis Actio vel Persona terrere, quos Christus spe Crucis armavit. CONCIL. TURON. II. an. 567. *Vide ubi, de scandalo.*

XLII. In Officiis Caritatis primo loco illis tenemur obnoxii, à quibus beneficium nos cognoscimus recepisse. *De Testamentis. Cap. cùm in.* init. LIB. III. DECR. TIT. XXVI. *Cap.* 7.

XLIII. Hoc & de Filiis atque Parentibus, hoc de Fratribus & Sororibus intelligitur, propter Christum omnes esse dimittendos, cùm proponitur ista conditio, ut Christum dimittat, si illos secum habere desiderat: hoc igitur & de domo atque agris & hoc de iis rebus, quæ Jure pecuniario possidentur, accipiendum est. CAUSA XXVIII. QUÆST I. *Cap.* 7. *Si Infidelis. med.*

XLIV. Non putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium; sed in sensu: non in superficie; sed in medullâ: non in sermonum foliis; sed in radice rationis. CAUSA I. QUÆST. I. *Cap.* 64. *Marcion. fin.*

XLV. Verba rebus, non res verbis deservire debent; præfertur enim intentio verbis.

XLVI. Caritas ex Præceptis Divinis corde est exhibenda. CAUSA XI. QUÆST. I. *Cap.* 25. *Si qui Clericorum.* Quæ suprà Sacras admittuntur Scripturas, authoritate & districtione Pontificali sunt reprimenda. *ibid.* CAUSA XI. QUÆST. I. *Cap.* 25. *Si qui Clericorum. fin.*

XLVII. Quisquis præceptis non obtemperat, Reus est & Debitor pœnæ CAUSA XIV. QUÆST. I. *Cap.* 3. init.

XLVIII. Præcepto Domini non obedire peccatum est. *ibid.*

XLIX. Consilio si uti nolueris, minùs Boni adipiscéris, non Mali aliquod perpetrabis. *ibid.* Quod præcipitur; imperatur: quod imperatur, necesse est fieri, si non fiat, pœnam habet. *ibid.* Ubi Consilium datur, Offerentis arbitrium est, ubi Præceptum, necessitas est Servientis.

L. Non tanto pondere prohibendi sunt Homines facere licita; quamvis non expediant, quantò pondere prohibenda illicita. CAUSA XXVIII. QUÆST. I. *Cap.* 9. *§.* 5.

LI. Aliud est Domini jubentis Imperium, aliud Conservi secundùm Misericordiam Caritatis, quæ illi à Domino est inspirata atque donata, Fidele Consilium. CAUSA XXVIII. QUÆST. I. *Cap.* 9. §. 2. init.

LII. Aliud ibi facere non licet; hîc autem licet. *ibid.* ipsum licitum partim quidem expedit, partim verò non expedit. *ibid.*

LIII. Aliud est præcipere; aliud permittere: quod enim præcipimus; semper placet: quod verò permittimus; nolentes præcipimus: quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus. CAUS. XXXI. QUÆST. I. *Cap.* 9. *fin. junctâ Correctione Romanâ.*

LIV. Expedit tunc, quandò non solùm per justitiam, quæ coràm Domino est, permittitur; sed etiam Hominibus nullum ex hoc impedimentum Salutis infertur. *&c. ibid.* Tunc non expedit id, quod licitum est, quandò permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis affert impedimentum Salutis, sicut est discessio Fidelis Conjugis ab Infideli. *ibid.*

LV. Dicimus, melius esse, quod licet & expedit, quàm quod licet & non expedit. *ibid.* §. 4. *fin.*

TITULUS IX.

REGULÆ.

Circà Constitutiones ex Juris Textibus quoad sensum desumptæ cum ipsarum & præcedentium Decisionum explicatione.

Etsi de Constitutionibus locuti fuerimus, dùm Jus Canonicum cum Jure Civili contulimus, dùm de Conciliis & de Canonibus egimus; de illis tamen nonnulla hîc discutiemus: tùm, ut quæ omissa sunt suppleantur, tùm, ut quæ obscurè dicta sunt, explicentur. Examinabimus. 1. Quid sit Constitutio juxtà totam latitudinem suam sumpta. 2. An & in quo à Canone differat. 3. An & in quibus à Statuto distinguatur, & cum illo conveniat. 4. In quibus casibus liget, in quibus non. 5. Quandò mutanda, quandò non. 6. An omnes sibi Subditos æqualiter liget. 7. In quo conveniat & differat cum aliis Legibus, Æterna, Naturali, Divina Positiva, Inspiratione Divina & cum Conciliis.

§. I.

Quid sit Constitutio juxtà totam suam latitudinem considerata.

REGULA.

Constitutio, quoquo modo sumatur non est, aliud quàm Scripta Lex, vel Universalis, vel Particularis.

RATIO: Vel fit à Supremam habente Potestatem, & tunc Universalis Lex est; vel ab alio, & tunc Lex est Particularis; sed diversa pro Condentis diversitate: si enim à Corpore, vel à Capitulo condatur, non ad alios ejus vis extenditur, quàm ad eos, qui ad Corpus modo aliquo pertinent, id est, vel ut Domini, vel ut Subditi: si verò ab Episcopo, magis extenditur, nimirùm ad Diœcesim totam, quæ plura hujusmodi Corpora complurésque alios Subditos continet: si verò à Concilio Provinciali, adeò latè extenditur ac istud Concilium, nempè ad totam Provinciam, quæ plures Diœceses comprehendit. Quod de Concilio Provinciali legeris, ad Concilia Primatialia, Nationalia extendere licet.

In *Tit. de Constit.* apud GREGORIUM IX. sumitur Constitutio *C.* 1. 2. 3. 4. pro qualicumque Ecclesiæ Lege Particulari, factâ vel à communi Civium Cœtu, vel à Canonicorum Capitulo, & *C. ult.* pro Lege Universali. Apud BONIFACIUM verò VIII. sumitur pro Lege Universali. *C.* 1. & pro Particulari *C.* 2. 3. restringitur Constitutionis nomen ad Legem Scriptam. DIST. XI *C.* 8. Leges Particulares vocantur Constitutiones.

§. II.

An Constitutio à Canone differat, & in quo.

REGULA.

Constitutio à Canone differt, sed non nisi in sequentibus.

1. Omnis Canon, dici potest Constitutio, quia omni in Canone credendum agendum-ve aliquid statuitur, sed Constitutio omnis dici non potest Canon, quia Canon sumitur tantùm pro Lege Ecclesiastica, Constitutio verò significat quamcumque Legem. *D.* 3. *Sect.* 1.

2. Sunt quædam Constitutiones, quæ fiunt in privatam Constituentium utilitatem, ut quæ fiunt à Capitulo in privatum Canonicorum commodum: Canones autem non fiunt nisi in publicam Ecclesiæ utilitatem. *C.* 89. *de Const.*

§. III.

§. III.

An Constitutio à Statuto differat & in quibus.

REGULA. I.

Si Constitutio sumatur pro Lege Publicâ, Statutum verò pro Lege Privatâ, seù cuidam Corpori propriâ, distinguuntur inter se, sed non in aliis quàm istis.

1. *Constitutio* sic sumpta fieri nequit, nisi ab habente potestatem condendi Legem; *Statutum* verò ita consideratum ab alio fieri potest. *l. 6. 8. 9. ff. de Const.*

2. *Constitutio* hujusmodi condi non debet, nisi in Bonum Publicum; *Statutum* verò istud in Privatum fieri potest *C. 8. 9. cit.*

3. *Constitutio* hujusmodi non aboletur per unicum actum contrarium, alium à revocatione sivè expressâ, sivè tacita; *Statutum* verò illud tollitur per unicum actum contrarium. *C. 8. 9. cit.*

4. *Constitutio* à Superiore confirmata abrogari non potest, illo non consentiente; *Statutum* in privatum Corporis commodum conditum abrogari potest inscio Superiore, à quo confirmatum est *C. 8. de Const.*

5. *Constitutio* per Contrariam revocatur, etsi posterior de priore sileat; at *Statutum* non tollitur per Constitutionem contrariam, nisi de illo mentionem faciat, dùm tamen sit rationabile. *C. 1. de Const. in* VI. in quo hujus discriminis hæc affertur Ratio, quòd Constitutio sit quid Juris, Legislator autem omnia Jura in scrinio pectoris habere censeatur; Statutum verò sit quid Facti, Facta autem à Legislatore probabiliter ignorari possint.

REGULA II.

Etsi Constitutio & Statutum sic considerata in fine distinguantur, in eodem tamen quoad aliquid conveniunt.

Ratio. Finis Constitutionis, est Publica utilitas Provinciæ, vel Regni, finis verò Statuti est privata alicujus Corporis utilitas, ideòque in fine distinguuntur; in eo, tamen conveniunt, quoad unum, nempè, quòd sicut Constitutio non valet, si in Commune omnium Subditorum Commodum non fiat, ita nec Statutum valet, si in Communem omnium Membrorum Corporis utilitatem non vergat. *C. 6. de Const.*

REGULA III.

Quamvis Constitutio à Superiore confirmata, & Statutum itidem à Superiore confirmatum, differant quoad modum, quo abrogantur, in hoc tamen quoad aliquid certo casu conveniunt.

Ratio. Si Statutum à Superiore confirmatum respiciat præcipuè Ecclesiæ utilitatem, ut si statuatur, quòd Canonici tot recipiantur, quot ferre possunt Ecclesiæ facultates, tunc Statutum, Confirmatore inscio abrogari nequit, factum est enim per confirmationem Confirmantis Statutum, ut rationatur Panormitanus *in C. 8. de Const.*

REGULA IV.

Constitutio & Statutum primo & secundo modo sumptum, id est pro Lege Privatâ & pro Lege Publicâ, conveniunt etiam in sequentibus.

1. Tàm Constitutio, quàm Statutum si privata sint, in se nulla sunt, à quocumque Superiore confirmata sint. *C. 12. de Const. integrâ* Decretali.

2. Utrumque declaratur ex Consuetudine. *C. de Consuet.*

3. Nec Constitutio, nec Statutum mutari possunt, nec nova induci à Capitulo, Episcopo non consentiente, si hinc Episcopo præjudicium inferatur. *C. 9. de Consuet. integra* Decret. Collect. V.

4. Constitutio & Statutum de novo facta, futura non præterita respiciunt; nisi nominatim in eis de præteritis caveatur, vel Jus Vetus declarent. *C. 2. & 13. Idem Constit. C. 7. de Ætate & qual. in* Coll. I. *de Præteritis cavent.* Clem. I. *de Regular. &* Clem. 2. *de Ætate & qualit.*

5. Sicut à Constitutione, quam Papa confirmavit, Inferior dispensare, ita & derogare, Statuto ab eodem confirmato potest. *C. 5. de usur. C. 8. 9. de Constit.*

6. Quod de uno connexorum statuitur, sivè per Constitutionem; sivè per Statutum: ad aliud connexum extenditur. *C. 3. de Const.*

7. In omni Constitutione & Statuto subintelligitur conditio, sine quâ justa esse nequeunt. *C. 9. de Const.*

8. Neutrum ligat ignorantes, qui scire non potuerunt. *C. 2. de Const. in VI.*

9. Utrumque, si sit pœnale, in dubiis benigniùs est interpretandum, undè potiùs restringendum, quàm extendendum *C. 11. de Const. C. 22. de Elect. in VI.*

10. Utrumque quibusdam in Casibus mutari potest, debetque. *C. 4. 11. de Rescript. in VI.*

§. IV.

Quibus Casibus liget Constitutio Ecclesiastica, quibus non.

REGULA.

Extrà sequentes Casus semper ligat Constitutio Ecclesiastica. *C. 7. 10. de Const. C. 12. de Reb. alien. C. 7. de Immun. Eccles.*

1. Si fiat à Laico propria authoritate, etsi Ecclesiæ faveat, quod restringendum ad res Spirituali Potestati reservatas, in quibus Laïcum manet obsequendi necessitas, non authoritas imperandi. *C. 10. de Constitut.*

2. Si sufficienter non promulgetur, ut fieret; si v. g. Constitutio Concilii Provincialis vel Generalis extrà Locum, in quo celebratum est, non publicaretur. Idem dic de Episcopi vel Pontificis Constitutione, quæ in Locis, ad quæ extenditur, non promulgatur. Ut autem sufficienter promulgetur, non requiritur, ut singulis intimetur, sed satis est, ut in Locis, in quibus Divina audiunt Subditi, publicetur. *C. 1 de Postulatione.* Conc. Trid. C. 1. Sess. XXIV. *de Matrim.* Conc. Later. VI. *C. 25. de Accusat.* Conc. Tolet. *C. ult.* Dist. XVIII. quæ omnia jubent, ut conditi à se, vel ab aliis condendi Canones in Locis & coràm iis, ad quos extenduntur, promulgentur.

3. Si sciri non potuerit ab iis, ad quos extenditur, sine istorum culpâ. *C 2. de Const.* in VI. *C. 2. C. 1. de conces. Præb.* in VI. *nec obstaret.*

4. Si in non Subditos fiat. *C. de Const.* in VI. *Statuto.*

5. Si Subditi extrà Territorum Condentis demorentur. *ibid.*

6. Si prava in se sit, ut si quid contrà Fidem vel Bonos Mores contineat. *C. 4.* Dist. X. *C. 12. de Const. in integro C. ult. de Præscript.*

7. Si urgeat illam non servandi necessitas. *C. 2. de Observ. Jejunii.*

8. Quandò revocata est, vel expressè, vel tacitè, nimirùm per contrariam *C. de Const. in* VI.

9. Si hujusmodi Constitutioni deroget Lex Spiritûs Sancti, quædicitur Lex privata, ex eo quòd in Singulorum corde scribatur. *C. 2.* Caus. XIX. Quæst. II. *C. 2. de Locat & Cond.*

10. Si sit nociva.

11. Si circà res merè temporales fiat, dissentiente Supremo Principe. *C. 13. Qui filii legitimi*, in quo dicitur Supremus Princeps in Temporalibus nemini subjici nisi Deo.

Nota circà numerum primum hujus Regulæ, à Bono Principe de rebus sacris Leges duplici modo condi

poss

posse. 1. Si quid Spirituale præcipiat, vel vetet ab Ecclesiâ nondùm præceptum vel vetitum: & tunc non aliam esse posse boni Principis intentionem, quàm ut Ecclesiam moveat, ad præceptum vel prohibitionem hujusmodi faciendam, Lege suâ testando, idipsum præcipi vel vetari sese desiderare: undè Lex ista, cùm potiùs sit Canonis constituendi propositum, quam Lex, non obligat, nisi ab Ecclesiâ probetur, hacque probatione in Canonem convertatur; Legis hujus generis exemplum affert INNOCENTIUS III. C. 10. *de Constit.* Desumit illud ex C. 1. DIST. XCVI. *Basilius* Prætorio Præfectus, ODOACRIS Italiæ Regis Vices tenens, prohibuerat próprio motu, ne Ecclesiæ Ornamenta, ne Vasa Sacra alienarentur, irritam decernens, quæ in posterùm fieret, alienationem, dicensque Anathema Facienti, Consentienti, Accipientique: *Concilium Romanum* sub SIMMACHO celebratum, Legem istam invalidam judicavit, ex eo potissimùm, quòd à Laïco, cui nullam tribuit Deus circà res Sacras potestatem, propriâ autoritate facta fuerat. *Odoacer* Princeps bonus erat, Constitutione suâ condendum Canonem proponebat, ut conjicere licet ex Clausulâ, *si Amplitudini vel Sanctitati Vestræ placet*: quare agnoscebant Patres, Legem justam esse & utilem, illamque posse, quodammodò subsistere; attamen evacuarunt, ne in exemplum traheretur à Principibus malis, sibique inde circà res Sacras, quarum cura Sacerdotibus solis à Deo commissa est, statuendi potestatem vendicarent.

2. A bono Principe condi potest Lex circà res Sacras, in Canonum, qui de illis, jam constituti sunt, executionem; idque duplici etiam modo, nam vel præcipit solùm, ut conditi Canones serventur, quo casu, cùm Canoni Lex famuletur, non dubium, quin valeat; vel idem, quod Canon præcipit, jubens, aliquid adjicit sivè in pœnam violati Canonis, sive in reparationem injustitiæ violatione istâ commissæ. Additamentum autem utrumque duplex esse potest; scilicet, vel Spirituale, vel Temporale; si Spirituale sit, Quod adjicitur non ligat, nisi ab Ecclesiâ probetur, illâve hortante adjiciatur; si Temporale, cùm Canonum Protector, Custos, Executor à Deo constitutus sit Princeps, evidens est, eo casu Principis Legem circà res Sacras etiam propriâ autoritate conditam, ex se ipsâ valere.

Nulla est Lex sub *Tit. de Summâ Trin.* in COD. JUSTIN. LIB. I. TIT. 1. quæ in Canonum executionem condita non sit; nam Argumentum illarum merè Spirituale est, cùm de Fide circà Mysteria Trinitatis & Incarnationis tantùm loquantur; sunt etiam inter illas nonnullæ, quæ pœnam infligunt merè spiritualem, qualis est Depositio. *Lex* 3. *Lex* 4. sunt ejus generis.

Hinc non valuit JUSTINIANI Lex, quâ præcipit, ut, si quis alium excommunicet, non probatâ causâ, propter, quam Canones, id fieri jubent; Excommunicatus à Superiore absolvatur, & Excommunicator tamdiù Excommunicationi subjaceat, quamdiù Superiori isti visum fuerit; non valuit ista Lex, nisi Ecclesiæ hortatu condita fuerit, vel jam facta, ab eâdem probata fuerit, aut, nisi quod jubet circà Absolutionem Excommunicati, ac Excommunicatoris, Patrum Canones jam jussissent, cujus rei Ratio clara est, Utrumque siquidem Spirituale est.

Hinc valuit Imperatoris FREDERICI Lex relata *C. 3. de Sent. Excom. in V.* COLLECT. quâ Lege jubet, ut, si qui propter Libertatem fractam excommunicatus est, per annum in Excommunicatione perstiterit, eo ipso Imperiali Banno subjiciatur, id est exulet, donec suam ab Ecclesiâ obtineat Absolutionem. Quod enim Canoni Lex ista adjicit, non est nisi Temporale, ac consequenter Condentis potestatem non excedit. Idem dicendum de Lege ejusdem relatâ. *C. de Const. in ead.* COLLECT. quâ vetat, quod CONCILIUM LATERANENSE sub INNOCENTIO III. vetuerat, pœnis additis merè temporalibus, confirmans, quantùm in se est, pœnas ab isto *Concilio* promulgatas & cum prohibitione contentas. *C. 7. de Immunit. Eccles.*

Nota circà numerum 2. ejusdem Regulæ I. de Ecclesiasticis, circà res Temporales, Constitutionibus eodem planè modo discurrendum esse, ac de Secularibus, circà res Sacras, Legibus mox discurrebamus. Vel enim quod Ecclesia præcipit, vetatve circà res Temporales, à Legibus nondùm præceptum est vetitumve; eoque casu proponit tantùm Ecclesia ipsis Principibus, quid circà illas res constituendum judicet, atque propositione istâ ad istud constituendum excitat: hinc Canones hujusmodi nullam habent vim quantùm ad id, quod temporale jubent, vel prohibent, nisi à Principibus recipiantur, vel ut fierent, consentiant. Undè inferre licet. 1. Non valuisse Canonem CONCILII CALCEDONENSIS relatum *C.* 17. CAUS. XVI. QUÆST. I. quo præcipit, ut Monachi extranei, qui sine causâ Constantipolim adibant, ac ibidem degebant, per Ecclesiæ Defensorem ex Urbe expellerentur inviti, si per eumdem Defensorem moniti spontè non abirent; Non valuisse, inquam, hunc Canonem nisi Legati Imperatoris Concilio assistentes, ut fieret, consenserint, vel nisi posteà ab Imperatore probatus fuerit: Idem dicendum de C. 18. *ead.* CAUS. & QUÆST. quo PELAGIUS pseudo-Monachos per Defensorem in Insulam Reatinam deportari jubet. Idem quoque dicendum de *Can.* 8. DIST. XLV. quo CONCILIUM BRACCHARENSE exilii pœnâ plectit Episcopos honorabiliora Membra sua verberibus subjicientes, & de C. 13. CAUS. XXVI. QUÆST. V. cujus Consequentiæ Ratio: Exilium est pœna temporalis, ut agnoscit CONCILIUM ANTIOCHENUM C. 2. *de Clero Excommunic. Ministr.* quo Maleficos Sacerdotes CONCILIUM TOLETANUM perpetuo exilio plectit; Idem agnoscitur in C. *de Calumniator.* in quo S. GREGORIUS Subdiaconum, qui Diaconum calumniosè accusavit, in exilium deportari jubet: Hoc ita intellexit CÆLESTINIUS III. C. 10. *de Judic.* & GREGORIUS IX. qui hæ loca in *suâ Collectione* inserit, utroque enim præcipitur, ut Brachium Seculare invocetur ad Reos etiam Clericos, exilio damnandos. & C. 10. *de Judic. cit.* vocatur pœna legitima.

2. Non valuisse Constitutionem CONCILII TRIDENTINI relatam C. 19. SESS. XXV. *de Reform.* quâ etiam Duellum Committentes perpetuam infamiam, & Bonorum proscriptionem incurrunt, nisi Principes per Legatos, dum fieret, probarint, vel postquàm facta est, per se ipsos, vel ipsos Legatos valere consenserint. Idem dicendum de C. 17. *de Judæis. & Sarrac.* in quo *Concilium Lateranense* sub INNOCENTIO III. celebratum rebus propriis privat, merces illicitas Sarracenis Deferentes, vel alias Vendentes; De *C.* 32. CAN. XXIV. QUÆST. I. in quo LIBERIUS præcipit, ut, Qui contrà Pacem sunt Ecclesiæ, Cingulo nudentur, si sint Milites; res amittant, si Nobiles sint; si Ignobiles, verberentur, & exulent. De *C.* 22. CAUS. XXIV. QUÆST. III. in quo GREGORIUS *Papa*, cui tribuitur, præcipit, ut illius, qui in Episcopum vel Presbyterum manum mittit, vel qui Ecclesias Dei vastat, impugnat, incendit, Bona omnia publicentur; de *C.* 22. CAUS. XVII. QUÆST. IV. in quo ALEXANDER II. jubet, ut Bona illorum, qui Episcopum non canonicè judicatum comprehendunt, percutiunt, vel ex propriâ Sede expellunt, Ecclesiæ tradantur. Consequentiæ istius Ratio manifesta: Bona enim Temporalia, Jure Humano, Jure Principum reguntur. *C.* 1. DIST. VIII. Prætereà CONCILIUM LATERANENSE sub ALEXANDRO III. celebratum *C. 6. de Judæis &c.* agnoscit non obscurè, ad Potestatem Temporalem pertinere Reos rerum suarum privatione mulctare, sicut & eosdem libertate privare, dùm testatur, optare se, ut Qui merces prohibitas Sarracenis deferunt, per Principes & Consules Civitatum Bonis priventur suis, & si capti fuerint, Capientium Servi fiant. Idem dicendum de *Romanâ Synodo* sub LUCIO III. convocatâ *C.* 11. *de Hæret. in* 1. COMPIL. Cùm enim aliquid temporale constitutura esset, suffulsit se FREDERICI *Imperatoris* autoritate & præsentiâ, jubensque, confiscari Hæreticorum Bona Eccle-

Ecclesiisque, quibus deserviebant, dari; præceptum suum per Leges confirmat, quâ viâ insinuat, se propriâ autoritate tale quid non præcipere, sed Principum potestate.

III. Sine Principum consensu non valuisse Constitutionem *Tridentini Concilii* contentam C. 6. Sess. XXIV. *de Reform. Matr.* quæ jubet, ut Puellæ Raptor, ac omnes, qui Raptori auxilium, consilium favoremve præbent, sint eo ipso infames, omniumque Dignitatum incapaces.

Idem dicendum de Constitutione *Concilii Lateranensis* sub Innocentio III. celebrati, relatâ, *Cap.* 13. *de Hæret.* qua Credentes, Receptatores, Defensores, Fautores Hæreticorum, si excommunicati intrà annum non satisfecerint, fiunt infames, omniumque Officiorum incapaces, nec non & ad illa eligendi, testimonii ferendi in Judicio, agendi pro se vel pro aliis, Successionis accipiendæ, & per Testamentum in alios transmittendæ; Hanc etiam ob causam Imperator Fredericus Constitutionem istam utilem ratus, in Legem convertit, nonnullis detractis, quæ Potestati Spirituali tribuere videbantur, quæ soli Temporali competunt: Refertur Lex Frederici in V. Collect. C. 2. de Hæret. ab *Honorio III.* factâ, eisdem penè terminis concepta est, ac citata *Concilii Lateranensis* Constitutio, quoad illa, quæ utrique sunt communia, cùmque illa isti posterior ex eo judicetur, quòd *Honorius III.* in *Collectione suâ* nihil inseruit, quod post *Innocentii III.* mortem non sit constitutum, consequens est, ut Lex Frederici ex *Concilii Lateranensis* Constitutione desumpta sit.

Consequentiam tertiam justam esse patet ex eo, quòd Officiorum, Actionum Jurisque Civilium capacitas à Jure Civili pendet, ideòque Infamiæ pœna, quæ ad illa omnia inhabilem reddit, à solâ Potestate Civili irrogari potest.

IV. Non valuisse Canones, qui Servituti iterùm subjiciunt Clericos, qui Missam per Horas Canonicas, pro Dominis, à quibus Liberi facti sunt, celebrare nolunt, nisi à Principe probati sint. *C.* 4. *de Servis non ordin.* prout in 1. Compil. inter illos Canones collocandus *Can.* 1. Caus. XVIII. Quæst. I. sumitur ex *Concilio* apud *Altheum* anno 917. celebrato, cui Conradus Rex adfuisse dicitur.

Sunt aliæ Constitutiones Ecclesiasticæ circà res Temporales, quibus Seculares Leges circà easdem res conditæ executioni mandantur. Tales videntur, 1. Canones qui Judæis prohibent, ne Servos Christianos habeant; qui à Judæis circumcisos, Servos Christianos libertate donant; qui Judæis Officia publica committi vetant, qui Servorum manumittendi modum præscribunt, qui Judæis Veteres Synagogas retinere permittunt, Novas construere prohibent. Quicumque Canones, qui jubent, vetantve quod Leges jam præceperant, vel vetuerant, ut videre est Lib. I. *Leg.* 2. Tit. X. *Cod.* Lib. I. *Leg.* 18. Tit. IX. *ibid* Lib. I. *Leg.* 2. Tit. XIII. *ibid.* Hâc in re Legum autoritatem agnoscunt expresse. *C.* 13. Dist. LIV. *Cap.* 1. *de Servis non ord.* prout est in 1. Compil. *C.* 3. *de Judæis.* Cap. 13. 18. Dist. LIV. Cap. 1. 2. 18. 19. *de Judæis.* C. 14. Dist. LIV. C. 16. *de Judæis.* C. 1. *de Servis non ord.* C. 3. 7. *de Judæis.* præcipui sunt Textus, qui hujusmodi Constitutiones contineant. 2. Canones, qui prohibent, ne Rei, Servi, Debitores ad Ecclesias confugientes hinc per vim extrahantur. Præire hâc in re Leges Canonibus patet, ex Cod. Justin. *Lib. I. Lit. XII.* collato cum *Tit. XLIX. Lib. III.* Decretal. Prætereà Innocentius III. C. 6. *istius Tit. de Immunitate Ecclesiarum*, illam ex Legibus oriri & juxtà Leges de illâ judicandum docet. 3. Canones, qui Testamentorum executionem quoad Causas pias Episcopo tribuunt, si illam Hæredes neglexerint, quales sunt inter alios. *C.* 3. *C.* 17. *de Testam.* Agnoscit siquidem S. Gregorius in *Cap.* 3. *de Testam. mox cit.* memoratam Episcoporum potestatem à Civilibus Legibus emanare. 4. Canones, qui Clericos à Juramento Calumniæ eximebant; id agnoscit Honorius II. C. 1. *de Juramento Calumn.* In eo enim Privilegium istud refertur ad *Justiniani* Legem, quâ voluit, ut Canones Legis vim habeant, & ad *Henrici* Imperatoris Constitutionem, quâ, circà hujusmodi Juramentum, Legem istam servari præcipit. *Henrici* Constitutionis Pars inseritur in *cit. Cap.* Habetur integrâ in C. 1. *de Juram. Calumn. in* 1. *Compil.*

Quæ supersunt dicenda de Canonibus circà Res Temporales & de Legibus circà Res Spirituales fusiùs explicabuntur in Dissertatione speciali circà utrumque Canonum vel Legum genus.

§. V.

Quandò Constitutio mutanda, quandò non.

Difficultatis hujus solutioni præmittendum est, inter Constitutiones Ecclesiasticas, nullas esse immutabiles, præter illas, quæ credendum aliquid vel agendum quidpiam tamquàm à Deo mandatum, præcipiunt, has autem esse immutabiles patere ex C. 2. 3. Caus. XXIV. Quæst. I. C. 12. Caus. XXV. Quæst. II. C. 1. Caus. XXXV. Quæst. IX. aliisque similibus, ubi, quæ semel definita sunt, non posse mutari dicuntur, hæc enim aliter, quàm dictum est, intelligi non possunt.

REGULA.

Constitutiones mutandæ sunt, quotiès necessitas vel utilitas Publica id exposcunt, præsertim, si sit urgens necessitas, vel evidens utilitas: aliàs non sunt mutandæ.

Ex C. 2. Dist. XIV. inferri potest, item ex C. 8. *de Consang. & Affin.* C. 24. *de Sent. Excom. in VI. Extravag.* 2. Joannis XXII. *de Verb. Signif.*

Ratio: Eadem est mutandæ, ac condendæ Constitutionis causa, condenda autem non est Constitutio, nisi propter necessitatem vel utilitatem publicam. C. 41. Caus. I. Quæst. I. C. 23. Cau. I. Quæst. VII.

Ex primâ Parte sequitur, mutandas esse Constitutiones. 1. Quæ difficultatem frequenter inducunt, & aliquandò periculum pariunt Animarum. *ibid.*

2. Quæ sine peccato, nullo modo, observari queunt. C. 20 *de Præscript.*

3. Quæ non sufficiunt ad curandos ingravescentes morbos; novis enim morbis nova antidota sunt præparanda. C. 5. *de Juram. Calumn.*

4 Quæ minùs utiles succedente Tempore fiunt, vel esse deprehenduntur. C. 24. *de Sent. Excom. in VI.*

Ex 2. Parte sequitur, 1. Constitutiones, quas diuturnitas Temporis observavit, ac usus Consuetudinis hactenùs approbatæ retinuit, non esse mutandas; Novitates enim sine gravi causâ inductæ, discordiam pariunt; levisque non est Usus longævi autoritas. C. 2. *de Constit. in integ.* C. 9 *de Consuet.*

2. Superiorem coràm Deo Reum fieri, qui utiliter finita, benè ordinata ac quovis modo roborata, sine causâ justâ rescindit, hâcque dignum contumeliâ effici, ut, quæ ipse benè constituit, Successores sine causâ dissolvant. C. 7. Caus. XXV. Quæst. II. C. 2. Caus. XXXV. Quæst. IX.

§. VI.

An Constitutio omnes sibi Subditos æqualiter liget; & Qui sunt illi Subditi?

Ut Certa ab Incertis discernantur, Notandum.

1. Quòd Constitutio, quæ fit in Juris Naturalis vel Divini Executionem, omnes ligat æqualiter, tàm Superiores, quàm Inferiores; cùm omnes æqualiter subsint utrique Juri, atque idcircò illa Condentem, ac sibi Subjectos comprehendit: De hoc genere Constitutionis intelligendus videtur *Canon.* 2. Dist. IX. docens, Principes teneri suis Legibus.

2. Consti-

2. Constitutio exequens aliam ab ipsius Condentis Superiore editam similiter, ligat æqualiter, tàm Condentem, quàm ipsi Subditos. *Citatus Canon* huic Constitutionis generi accommodari potest.

3. Constitutio novum Jus condens circà res nondùm præceptas, nec vetitas, ligat æqualiter Conditoris Subditos; sed cùm sibi Legem imponere non possit, cùm careat Jurisdictione in se ipsum, Condens in illâ non comprehenditur, eodem salem modo, quo sibi Subditi, cùm isti ex justitiâ illam teneantur servare, ille verò tantùm ex honestate, imò nec ad istud quoad pœnas obligatur.

4. Prælati Inferiores nedùm tenentur Superiorum Leges servare, sed etiam invigilare, ut à suis Subditis custodiantur, cùm ad hoc aliis partim præficiantur, undè duplici vinculo tenentur.

Ex his Notatis sequitur, quòd pro *Regulâ* aliud, hac in re, dari nequit, nisi quòd *Lex Omnes sibi Subditos æqualiter ligat, pro qualitate Personanum Rerumque, circà quas versatur: eoque modo explicandum Cap. 1. de Constitutionibus, Canonum Statuta ab Omnibus custodiantur, & nemo in Actionibus, vel Judiciis Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum authoritate ducatur.*

Nec refert, quòd indistinctè loquatur; nam locutiones generales pro subjectâ materiâ, illiusque exigentiâ, interpretandæ sunt, undè, etsi Judices omnes juxtà Leges judicare teneantur, permittitur Majoribus Magistratibus ex circumstantiis à Legibus recedere, non item Minoribus. GONZALES *in hoc Cap. 23. versus finem.* Id infert ex *Authenticâ Hodiè. C. de Judic.*

TITULUS X.

DE RESCRIPTIS.

CAPUT I.

Continens Regulas sivè Decisiones à Jure propriis verbis desumptas.

REscripti nomine intelligitur Speciale quoddam Mandatum, quod à Principe impetratur, seù ad Judices obtinendos pro finiendis Litibus, seù ad Beneficium aut Gratiam quamcumque consequendam: *Prius* appellatur Rescriptum Justitiæ; *Posterius*, Rescriptum Gratiæ.

De Rescriptis Pœnitentiariæ Romanæ, vide *Bullam* LIII. PII. IV. *In sublimi.* anni 1562. *Bullarii Tom.* II. *p.* 69.

Hic porrò præcipuè agimus de Rescriptis, quæ à Sede Apostolicâ, sivè à Romano Pontifice emanant, quorum frequens in Galliâ usus, sivè cùm appellatur à Sententiis Ordinariorum, sivè cùm impetrantur Dispensationes, Absolutiones, & aliæ Gratiæ obtinentur.

Rescripti Exemplar Epistola JOANNIS VIII. 122. *Tom. IX.* Conc. *pag.* 90. Multis autem nominibus hæc Rescripta solent in Jure appellari, aliquandò enim simpliciter dicuntur *Litteræ Apostolicæ*, aliquandò, *Mandata, Commissiones, Decreta, Litteræ Justitiæ, Beneficia Gratiæ &c.* In quibus omnibus, hæc potissimùm spectari possunt, scilicet Narratio eorum, quæ petuntur, ut vera sit Forma Mandati, quæ Gratiam vel Judices concedit, & ejusdem Executio quâ ratione fieri debeat.

SECTIO I.

Quid sit, & Quotuplex Rescriptum?

I. UBi certum nihil expressum est, nihil certum indè Papa potest respondere. *De Sponsalibus* Cap. *de Muliere.* LIB. IV. DECR. TIT. 1. *Cap. 6. fin.*

II. Rescriptum Gratiæ est, cùm gratiosè aliquid à Romano Pontifice conceditur. *In VI. de Rescriptis C. si gratiosè. init.* LIB. I. TIT. III. *Cap. V.*

III. Gratia est, quam super Beneficio à Sede Apostolicâ aliquis impetravit. *ibid. Cap. 7. Gratia. init.*

IV. Litteræ Justitiæ, sunt Litteræ ad Judices datæ. *de Filiis Presbyterorum. Cap. Ex suâ.* LIB. I. DECR. TIT. XVII. *Cap. 9.*

V. Litteræ Apostolicæ Justitiam continentes, per quas dati Judices in Causis Personarum, possunt, juxtà earum tenorem providè procedere. EXTRAVANG. JOAN. XXII. *De Concessione Præbendæ Cap. Sedes. in fin.* TIT. IV. *C.* 1.

VI. Litteræ, quæ de simplici Justitia formam habent, possunt facilè obtineri. *De Crimine falsi. Cap. accedens* LIB. V. DECR. TIT. XX. *Cap.* 8.

VII. Papa motu proprio alicui Gratiam facit, & Gratia hujusmodi de suâ merâ liberalitate procedit. *In VI. de Præb. Cap. si motu.* LIB. III. TIT. IV. *Cap.* 23. Papa ad petitionem alicujus, vel alterius pro eo oblatam, gratiam facit. *ibid.*

VIII. Litteræ sunt Monitoriæ, Præceptoriæ alicui, & Executoriæ, contrà aliquem, alii directæ *De Rescriptis. Cap. Ex Insinuatione.* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 37.

IX. Speciale Mandatum derogat Generali. *De Rescriptis. Cap. Sicut. C. Pastoralis.* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 1. & 14. *De Officio Legati. Cap. Studuisti.* §. *Respondemus.* LIB. I. DECR. TLT. XXX. *Cap.* 2.

X. Decreti irritantis Forma est, cùm in eo apponitur Clausula (*etiam inane Decernentes & irritum*) *Si secùs à Quoquam quâvis autoritate contigerit attentari.* CLEMENTINARUM *de Concessione Præbendæ Cap. unico. init.* Colligitur. LIB. I I. Tit. III. *Cap. un.*

XI. Decretum Con litionale est, cùm mandatur aliquid, si res quæpiam fiat. CLEMENTIN. *De Concess. Præb. Cap. un.* LIB. III. TIT. III. *Cap unico.* Colligitur.

XII. Decretum Conditionale in eventum duntaxat positarum Conditionum suum sortitur effectum. *ibid.*

XIII. Rescriptum sub Conditione datum, non sortitur effectum usque in Conditionis eventum. *De Rescriptis Cap. Si pro te.* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 13.

XIV. Si pendente Conditione, Alius Gratiam purè impetret, præferri debet ei, qui positâ Conditione aliàs obtineret. *ibid.*

SECTIO II.

De veritate Narrationis in Rescriptis.

I. REscripta, quæ subreptione vel falsis precibus forsitàn impetrantur, nullum possunt Supplicantibus ferre remedium. CAUS. XXV. QUÆST. II. *Cap. 16. Dicenti.*

II. Litteræ per malitiam & mendacium obtentæ non valent. *De Rescriptis Cap. Sedes* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 1.

III. Litteræ per Veri suppressionem, sive tacitâ Veritate, obtentæ, non valent nec conferunt Jurisdictionem. *De Filiis Presbyterorum. Cap. Ad præsentiam* LIB. I. DECR. TIT. XVII. *Cap.* 2.

IV. Subreptio censetur, cùm tacitum est, quod, si fuisset expressum, obtineri minimè potuisset. *De Sententiâ & Re Judic. Cap. Cùm inter. §. Cùm constiterit. med.* LIB. II. DECR. TIT. XXVII. *Cap.* 20.

V. Qui per fraudem vel malitiam, Falsitatem exprimunt, vel supprimunt Veritatem; nullum ex illis Litteris Commodum in suæ Perversitatis pœnam consequuntur. *De Rescriptis. Cap. Super Litteris.* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 20.

VI. Cùm aliquis illa expressit, & suppressit, quæ si fuissent tacita, vel expressa, tales Litteras minimè dedissemus; per hoc apparet, ipsum extitisse indignum Gratiâ, quam duxeramus ei ex Benignitate Apostolicâ faciendam. *De Temporibus Ordinat. Cap. Dilectus. fin. in init.* LIB. I. TIT. XI. *Cap.* 15.

VII. Si

VII. Si per simplicitatem vel ignorantiam talis falsitas expressa sit, aut talis veritas occultata ac suppressa, quæ quamvis fuisset tacita vel expressa, nihilominùs datæ fuissent Litteræ, saltem in formâ communi, Delegatus poterit secundùm ordinem Juris Communis in Causâ procedere *ibid.*

VIII. Si per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem veritatis, Litteræ fuerint impetratæ, quâ tacitâ vel expressâ, nullæ fuissent Litteræ datæ, non erit aliquatenùs à Delegato procedendum, etiamsi per simplicitatem & ignorantiam hujusmodi veritas suppressa sit aut falsitas expressa. *ibid. De Rescriptis.* Cap. *Super Litteris.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 20.

IX. Qui falsò suggessit, vacare Præbendam, & ad suggestionem falsam super receptione suâ Litteras impetravit, cùm Mendax Precator carere debeat impetratis, Pars Adversa penitùs absolvi debet. *De Præb.* Cap. *Dilectus. init.med.* Lib. III. Decr. Tit. V. *Cap.* 26.

X. Illi, quos per suppressionem veritatis, aut falsitatis expressionem, Litteras non solùm Cardinalium, sed etiam Apostolicas, nec solùm dubias, sed etiam certas constiterit impetrasse, carere debent impetratis. *De fide Instrumentorum.* Cap. *Quod super. §. Undè si.* Lib. II. Decr. Tit. XXII. *Cap.* 7.

XI. Cùm de subreptione liquidò constat, potest Papa alicui, licèt absenti, perpetuum silentium imponere. *De Sent. & Re Judic.* Cap. *Cùm olim. §. Nos igitur.* Lib. II. Decr. Tit. XXVII. *Cap.* 12.

XII. Ad hoc, ut Rescriptum non sit vitiosum, non solùm ea, quæ Juris sunt, narranda sunt, sed etiam ea, quæ sunt facti. *De Concessione Præbendæ.* Cap. *Cum nostris. §. Auditor.* Lib. III. Decr. Tit. VIII. *Cap.* 6.

XIII. Cùm ea, quæ sunt de facto narrata non sunt, Litteræ per falsi suggestionem & veri suppressionem fuerunt impetratæ. *ibid.*

XIV. Nobilis Mulier mentiens se pauperem, non consequitur effectum Litterarum, quas suggesto tali mendacio impetravit, non enim debet de fraude Commodum reportare. *De Officio. & Potest. Jud. Deleg.* Cap. *Significantibus.* Lib. I. Decr. Tit. XXIX. *Cap.* 38.

XV. Delegatus factâ fide super fraude & malitiâ Narrationis, nullatenùs de Causâ cognoscet. *De Rescriptis.* Cap. *Super Litteris.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 20.

XVI. Eadem Ratio, quæ Delegantem moveret, moveat etiam Delegatum, & ubi Delegans suas Litteras denegaret, Delegatus etiam suæ cognitionis Officium nullatenùs interponat. *ibid.* Cap. 20. *Super Litteris. fin.*

XVII. Quod factum fuit obtentu Litterarum, quæ per falsi suggestionem & veri suppressionem fuerunt impetratæ, habetur irritum & inane. *De Concessione Præbendæ.* Cap. *Cum nostris. §. Auditor.* Lib. III. Decr. Tit. VIII. *Cap.* 6.

XVIII. Quidquid factum est occasione Litterarum veritate tacitâ obtentarum, irritum decerni debet. *De Rescriptis.* Cap. *Constitutus.* Cap. *Cum dilecta.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 19. & *Cap.* 22.

XIX. Cùm notoria est, & manifesta suspicio in Judices, Litteræ, quæ illos committunt, dicuntur per veri suppressionem obtentæ, quandò in eis de illâ suspicione nulla fit mentio. *Ut lite non contestatâ*, Cap. *Accedens. §. Cùm igitur.* Lib. II. Decr. Tit. VI. *Cap.* 2.

XX. Cùm non ferendum sit, ut mendacium, quod tantoperè Deo displicet, non modò ipsum impunitum sit, verùm etiam alterius delicti veniam impetret; idcircò Episcopus apud Ecclesiam suam residens, de surreptione & obreptione Gratiæ, quæ super Absolutione alicujus publici criminis vel delicti, de quo ipse inquirere cœperat, aut remissione pœnæ, ad quam per eum condemnatus fuerit, falsis precibus impetratur, per se ipsum etiam summariè cognoscat. Conc. Trid. Sess. XIII. *C.* 5.

XXI. Idem Episcopus ipsam Gratiam, postquàm per falsi narrationem vel veri taciturnitatem, obtentam esse legitimè constiterit, non admittat. *ibid.*

SECTIO III.

Quandonàm Forma Rescripti reddatur invalida.

I. Rescripta contrà Jus elicita ab omnibus Judicibus refutari debent, nisi fortè aliquid est, quod non lædat alium & profit Petenti, vel crimen Supplicantibus obtineat. Causa XXV. Quæst. II. *Cap.* 15. *Rescripta.* Vide quæ subjungit Gratianus.

II. Rescriptum non derogat Constitutioni, nisi factâ de illâ expressâ mentione. *De Rescriptis.* Cap. *Nonnulli.* §. 1. Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 28.

III. Adeò Scripta Sedis Apostolicæ moderamur, ut ex certâ scientiâ nihil in eis faciamus apponi, quod de Jure deceat reprehendi. *De Rescriptis.* Cap. *Cùm adeò. init.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 17.

IV. Si quis Litteras Apostolicas impetrat contrà aliquod Jus sivè Concilium, debet in iis de ipso Jure sivè Concilio mentionem facere. *De Capellis Monachorum.* Cap. *Ex parte.* §. *Cùm autem.* Glossa coll. Lib. III. Decr. Tit. XXXVII. *Cap.* 3.

V. Cùm aliquid obviat Generali Concilio, de quo nulla mentio est in Litteris; hujusmodi Litteras ab Apostolicâ Sede non credendum est emanasse. *ibid.*

VI. Si per Occupationem forsitàn emanaverint, non valent, nec per hoc derogatur Concilio suprà dicto. *ibid. fin.*

VII. Non est credendum, Romanum Pontificem, qui Jura tuetur, uno verbo voluisse subvertere, quod aliàs multis vigiliis est inventum, & excogitatum. *De Electione.* Cap. *Ecclesia Vestra.* Lib. I. Decr. Tit. VI. *Cap.* 57.

VIII. Rescriptum contrà Privilegiatos, non factâ de eorum privilegio mentione, non valet. *De Rescript.* Cap. *Cùm ordinem.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 6.

IX. Per Mandatum Apostolicum justæ Consuetudini non intelligitur derogari. *In* VI. *De Præbendis* &c. Cap. *Cùm in Ecclesia.* Lib. III. Tit. IV. *Cap.* 25.

X. Rescripta sine Causæ cognitione sunt subreptitia. *ibid.* Cap. *Ex parte.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 2.

XI. Litteræ per ignorantiam, vel negligentiam, vel etiam subreptionem impetratæ non valent. *De Sent. Excomm.* Cap. *Si aliquandò. fin.* Lib. V. Decr. Tit. XXXIX. *Cap.* 41.

XII. Rescriptum, impetratum præter Romanæ Ecclesiæ consuetudinarium stylum, non valet. *De Sent. Excom.* Cap. *Ad hæc.* Glossa colligit. Lib. V. Decr. Tit. XXXIX. *Cap.* 12.

XIII. Non valet Rescriptum ad habendos Judices, in quo non fit mentio Appellationis priùs à se factæ in eâdem Causâ. *De Rescriptis.* Cap. *Ex parte.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 12.

XIV. Non valent Rescripta, per quæ aliquorum negotia omnia unius Judicis, vel plurium, quos sibi elegerint, arbitrio committuntur. *ibid.* Cap. *Ad hæc.* seù *Cap.* 10.

XV. Sic enim fieret, ut ad Judices Parti Adversæ suspectos recurrerent. *ibid.*

XVI. Apostolicæ Litteræ, quas sine speciali Mandato Domini Quis impetrat, valere non debent, nisi sit de illis Personis, à quibus non est exigendum de Jure Mandatum. *De Rescriptis.* Cap. *Ex parte.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 33. §. *Quia verò.*

XVII Minùs valere debent Litteræ, quæ impetrantur ab illo, à quo Mandatum Dominus revocavit. *ibid. fin.*

XVIII. Si aliquis super aliquâ Quæstione sine speciali Mandato Domini Litteras Apostolicas impetrare præsumpserit, & Litteræ illæ non valeant, & ipse tanquàm Falsarius puniatur. *De Rescriptis.* Cap. *Nonnulli.* §. penultimo *Cùm autem.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 28.

XIX. Nisi sit de illis Personis, à quibus non debet exigi de Jure Mandatum. *ibid.* §. ult. *Circà illas Personas Vide* GLOSSAM *in verbo Exigi.*

SECTIO IV.

De Vitiis, quæ contingere possunt in Formâ Mandati.

I. PRopter modicum defectum non vitiatur Rescriptum, cùm ex Præcedentibus & Subsequentibus possit cognosci Mandatoris intentio. GLOSSA.

II. Propter defectum syllabæ vel litteræ non vitiatur Rescriptum. GLOSSA Verbo *non deerat. fin.*

III. Rescriptum Apostolicum, pro eo, quòd in hâc dictione, *Spoliarunt*, hæc figura, O, deest, asseritur vitiosum: Mandamus, quatenùs, hoc non obstante, in negotio ipso prævià ratione procedas. *De fide Instrum. Cap. Ex parte.* §. Quia LIB. II. DECR. TIT. XXII. *Cap.* 11 *Vide in Integrâ.*

IV. Propter abrasionem in narratione facti, Litteræ judicari non possunt falsæ, nec etiam haberi suspectæ. *De fide Instrument.* Cap. *Ex Litteris. §. dicimus.* LIB. II. DECR. TIT. XXII. *Cap.* 3.

V. Paucarum litterarum raturæ nequaquàm Sapientis animum in dubitationem inducere debent circà falsitatem vel suspicionem Litterarum Apostolicarum. *De Crimine falsi.* Cap. *Ex conscientiâ.* LIB. V. DECR. TIT. XX. *Cap.* 9. quod est ultimum.

VI. Rescriptis Apostolicis, quæ manifestum continent in Constructione peccatum, fides non debet adhiberi *De Rescriptis.* Cap. *Ad Audientiam.* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 11.

VII. Rescriptum nihil valet, & est irritandum, si aliqua Notoria desint in eo. DIST. X. Cap. 4. *Optatum* GLOSSA *colligit* Verbo *Minus.*

VIII. Quisque sic Litteras Apostolicas studeat intueri tàm in Bullâ, Filo, & Charta, quàm in Stylo, quòd veras pro falsis vel falsas pro veris, modo aliquo non admittat. *De Crimine falsi.* Cap. *Quàm gravi.* LIB. V. DECR. TIT. XX. *Cap. 6. fin.*

IX. Falsitas Litterarum Apostolicarum, vel in modo Dictaminis, vel in formâ Scripturæ, vel qualitate Chartæ cognoscitur. *De Crimine falsi.* Cap. *Licet §. illos.* LIB. VI. DECR. TIT. XX. *Cap.* 5.

X. Item diligens Indagator falsitatem poterit intueri, vel in adjunctione Filorum, vel in Collatione Bullæ, vel motione, vel obtusione; præsertim si Bulla non sit æqualis, sed alicubi magis tumida, & alibi magis depressa. *ibid. §. ult. In cæteris*

XI. Quotiès aliqua Scripta sub Nomine Papæ destinata, redarguenda videntur falsitatis, nulla eis adhiberi fides debet. *De Crimine falsi.* Cap. *Super eo.* LIB. V. DECR. TIT. XX *Cap.* 2.

XII. Præsumi non debet, quòd pro Litteris de simplici Justitiâ, fraudem Quis commiserit falsitatis. *De Crimine falsi.* Cap. *Accedens.* LIB. V. DECR. TIT. XX. *Cap.* 8.

XIII. Is, qui præsentaverit Litteras falsas, retineri debet diligenter. *ibid.* Cap. *Super eo. fin.* seù *Cap.* 2.

XIV. Super vitia falsitatis Litterarum, quas in Sede Apostolicâ Quis reportavit, per Censuram Ecclesiasticam compelli debent Testes veritati testimonium perhibere, si se gratiâ, odio, vel timore subtraxerint. *De Testib. cogendis.* Cap. *Cùm contrà.* LIB. II. DECR. TIT. XXI. *Cap.* 9.

XV. Qui Litteris non usus est, postquàm falsas eas esse cognovit; puniri non debet: &, si punitus fuit, in eumdem statum restitui debet. *De Crimine falsi.* Cap. *Accedens.* LIB. V. DECR. TIT. XX. *Cap.* 8.

XVI. Quod per Litteras falsas mandatum fuerit, non debet observari. *ibid.* Cap. *super eo. med.* LIB. V. DECR. TIT. XX. *Cap.* 2.

XVII. Si quæ Beneficia personalia sine Die & Consule fuerint deprehensa, autoritate careant. CAUS. XXV. QUÆST. II. *Cap.* 16. *Dicenti. §.* 7. *in Subjectis à* GRATIANO *Legibus.*

XVIII. Ordo Scripturæ, seu error Scribentis, aut Verborum transpositio, sequenda non est contrà Jus Commune. *De Rescriptis.* Cap. *Causam.* LIB. I DECR. TIT III. *Cap.* 18.

XIX. Si Quid occasione illius erroris attentatum fuerit in præjudicium alterius Partis, revocari debet. *ibid.*

SECTIO V.

De modo, quo Rescripta Apostolica diriguntur, & quid operetur Narratio Papæ.

I. STylus ubilibet Litterarum Apostolicarum & aliarum, quæ ab eâ emanant in tantùm pro Lege servatur, ut Litteræ præter Stylum expeditæ falsitatis suspicione non careant. *Bulla* XXIV. SIXTI. IV. *Quoniam Nonnulli. §.* 3. *An.* 1484.

II. Apostolica Sedes consuetudinem in suis Litteris hanc tenet, ut Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, *Fratres* appellet; Cæteros autem Reges, Principes, vel alios cujuscumque Ordinis, *Filios* appellet. *De Crimine falsi.* Cap. *Quam gravi.* LIB. V. DECR. TIT. XX. *Cap. 6. Vide* GONZALEM *in Commentario.*

III. Falsæ sunt Litteræ Episcopo præsentatæ, in quarum Salutatione, *Dilectus in Christo Filius* vocatur. *ibid.*

IV. Cum uni tantùm Personæ Papæ Litteræ diriguntur, nunquàm ei loquitur in Plurali; ut *Vos* sivè *Vester*, & his similia in ipsis Litteris apponantur. *ibid.*

V. Si quem Summus Pontifex sub Titulo cujuslibet Dignitatis ex certâ etiam scientiâ Verbo, Constitutione, vel Litteris nominet, seù quovis alio modo tractet; per hoc in Dignitate illâ ipsum approbare non intelligitur, aut quicquam ei tribuere novi juris. CLEMENTINA *Si Summus. De Sent. Excom. §. similiter* seù CLEMENTINARUM LIB. V. TIT. X. *Cap.* 4. quod est ultimum.

VI. Quod mandatur Capitulo, intelligit mandari Cuilibet de Capitulo, ita ut, qui tempore Litterarum erat v. g. Archidiaconus, & Canonicus, possit, postquàm factus est ejusdem Ecclesiæ Episcopus, Rescriptum Capitulo directum executioni demandare ac Beneficium conferre. *De Rescriptis.* Cap. *Eam te.* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 7.

VII. Verba Narrativa Rescriptorum Papalium, quibus Papa se fecisse aliqua pacta, excommunicasse, suspendisse, resignationem Beneficii alicujus recepisse narrat; & super quibus ejus Gratia & intentio fundatur, plenam fidem faciunt in Judicio. CLEMENTINARUM *De Probationibus.* Cap. *Litteris.* LIB. II. TIT. VII. *Cap.* 1 *Et un.* Non recipitur in Galliâ, *Pragmatica Sanctio & Concordata* commonent.

VIII. Vices, non Loco, sed Personæ Papa tribuit, cùm de subsequenti conversatione præsumit ex transactâ vitâ. *de Præsumptionibus.* Cap. *Mandata. In integrâ. fin.* LIB. II. DECR. TIT. XXIII. *Cap. 6.*

IX. Si aliquandò fortè contigerit, quòd eis, qui autoritate Apostolicâ sunt Excommmunicationi subjecti, Litteræ Apostolicæ cum Salutationis alloquio destinentur; non propter hoc Excommunicationis credatur Sententia relaxa: cùm per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam per subreptionem contingat, hujusmodi Litteras impetrari. *De Sent Excom.* Cap. *si aliquandò.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. *Cap.* 41.

SECTIO VI.

De Variis Clausulis, quæ in Rescriptis apponi solent.

I. IN Apostolicis Litteris intelligenda est hæc Conditio, etiamsi non apponatur, *Si Preces veritate nitantur.* DE RESCRIPTIS. Cap. Ex parte LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 2. *§. verùm.*

II. Per Clausulam Generalem in Rescripto, quo Causa committitur; *adversùs talem & quosdam alios super tali negotio & quibusdam aliis*, Delegatus non potest jurisdictionem exercere, antequàm exprimantur Personæ vel Res. *De Rescriptis.* Cap. *Pastoralis. §. Quoniam.* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 14.

III. Per Generalem Clausulam, *Quidam alii*, quæ in Litteris Apostolicis inseritur, ultrà Tres aut Quatuor

Quatuor in Judicium non trahantur, quorum Nomina in primo Citatorio exprimat Impetrator. *In* VI. *De Rescriptis.* Cap. *Cùm in multis.* Lib. I. Tit. III. *Cap.* 2.

IV. Romana Ecclesia Absolutionem Sententiæ Delegatorum Judicum nequaquàm consuevit aliis delegare, nisi in Litteris Commissionis contineatur expressè de sufficienti cautione præstandâ ab his, qui absolvi debent, quòd Judicio Ecclesiæ debeant obedire. *De Sent. Excom.* Cap. *Ad hæc.* Lib. V. Decr. Tit. XXXIX. *Cap.* 12.

V. Clausula in Rescriptis (*Si Duo vel Tres interesse nequiverint, Unus vel Plures nihilominùs exequantur*) quandò scilicet pluribus Causa committitur; intelligitur de impotentiâ tàm Juris, sivè per Canonicum Impedimentum, quàm Facti, v. g. per mortem vel inevitabilem necessitatem. *De Rescriptis.* Cap. *Scisciatus.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 13.

VI. Non intelligitur verò, quandò eorum aliquis non vult: nisi Rescriptum exprimat; *vel noluerint interesse. ibid.*

VII. Clausula (*si ita est*) in Rescripto debet ad omnia, quæ præmissa sunt, referri. *ibid.* Cap. *Olim.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 25.

VIII. Cùm in Mandatis Causa committitur, (*etiam Appellatione remotâ*;) solis Partibus, inter quas Causa commissa est, Appellationis remedium est sublatum, non aliis. *ibid.* Cap. *Super eo.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 15. Odiosa est, ideòque non extendenda.

IX. Quandò in Rescripto apponitur Clausula (*omni Appellatione remotâ,*) quælibet Provocatio intelligitur removeri, quæ à Jure non indulgetur expressè. *de Appellationibus* Cap. *Pastoralis.* §. 1. Lib. II. Decr. Tit. XXVIII. *Cap.* 53. Circà hanc Clausulam, *Vid.* Gonzalem *in Cap.* 1. *de Rescript. n.* 8. Floren. I. *Part. p.* 82.

X. Cùm pluribus Articulis in una Commissione positis, in uno tamen contingit Appellationem expressè vetari; in omnibus Appellatio intelligitur interdicta. *ibid. de Appellationibus* Cap. *Secundò.* §. *in quo.* Lib. II. Decr. Tit. XXVIII. *Cap.* 41. Quod restringendum ad Casum, in quo omnes Articuli respiciunt idem negotium.

XI. Quoties Clausula (*Appellatione remotâ*, in medio Litterarum ponitur, si sunt plura negotia se minimè contingentia, præmissa tantùm complectitur. *De Appellationibus.* Cap. *Inquisitioni.* Lib. II. Decr. Tit. XXVIII. *Cap.* 71.

XII. Si prædicta Clausula in fine Litterarum iteretur, omnia complectitur. *ibid.*

XIII. Per Litteras in quibus dicitur (*Nullis Litteris Veritati & Justitiæ præjudicantibus*) vel sub aliâ formâ verborum, non revocantur speciales Litteræ, dùmmodò de illis nihil expressè dicatur. *De Confirmatione utili.* Cap. *Bonæ* Lib. II. Decr. Tit. XXX. *Cap.* 3. §. 2.

XIV. Mandari quid simpliciter dicitur, si in Litteris non continetur (*Non obstantibus aliquibus, per quæ effectus Gratiæ potest impediri vel differri*) *In* VI. *de Præbendis.* Cap. *Ei, cui. cum* Glossa Verbo *simpliciter.*

XV. Utriusque Juris Argumenta nos docent, quòd ea, quæ in principio sunt Rescripti, ad medium & ad finem; illa verò, quæ in medio, ad finem atque principium, sæpè referri contingat. *De Appellationibus* Cap. *Secundò. §. in quo. fin.* Lib. II. Decr. Tit. XXVIII. *Cap.* 41.

XVI. Circà Regulam *Motu proprio* hîc omissam. *Vid.* Gonzalem *in Cap.* 8. *de Rescript.* n. 15. Illius effectus explicat in Rescriptis, concessis etiam super precibus Impetrantis.

SECTIO VII.

Quos effectus pariat Rescriptum, & ad quas Personas extendatur?

I. Decretalis Epistola non ad deprimendam cujusque justitiam, sed ad removendum gravamen datur à Sede Apostolicâ. *De Appellationibus* Cap. *Suggestum. fin.* Lib. II. Decr. Tit. XXVIII. *Cap.* 15.

II. Non est intentionis Papæ, nec esse debet, Jurisdictioni cujusquam per Mandatum suum derogare. *De Officio Judicis Ordinarii.* Cap. *Licet.* Lib. I. Decr Tit. XXXI. *Cap.* 12.

III. Quæcumque forma in Mandatis præscribatur, non est intentionis Papæ, aliis præjudicium generare. *De Officio & Potest. Jud. Delegati.* Cap. *Super eo.* Lib. I. Decr. Tit. XXIX. *Cap.* 25.

IV. Nihil interest in Rescripto: utrùm quid inhibeatur primò, an secundò, medio, an fine. *De Appellationibus.* Cap. *Secundò. §. in quo.* Lib. II. Decr. Tit. XXVIII. *Cap.* 41.

V. Nullum intendit Papa per suas Litteras præjudicium generare. *De Privilegiis.* Cap. *Quia intentionis. fin.* Lib. V. Decr. Tit. XXXIII. *Cap.* 29.

VI. Concessio facta per Rescriptum, nullum affert præjudicium ei, cui jus acquisitum est de speciali Consuetudine, Privilegio, vel Statuto, nisi hoc expressè in Rescripto caveatur. *De Rescriptis.* Cap. *Si propter.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 10. *In* VI.

VII. Ut valeat hujusmodi specialis Concessio, debet in Rescripto apponi Clausula, *Non obstantibus quibuslibet Consuetudinibus, Privilegiis, vel Statutis. ibid.* Glossa *in* verbo *Statutis* notat jura hæc specialia ut contraria Juri Communi revocata per *Cap.* 40. *de Elect. in* VI. & *Clementinam* 7. *de Elect.* Undè hujusmodi Clausula minùs odiosa aparet.

VIII. Litteræ super re litigiosâ impetratæ non facientes de lite mentionem, præjudicium non generant ei Parti, quæ est in Possessione illius rei. *De Privilegiis.* Cap. *Dudùm.* Lib. V. Decr. Tit. XXXIII. *Cap.* 31.

IX. Rescriptum potest valere ad unum effectum, & non valere ad alium, putà ad obtinenda Beneficia sine Curâ, quamvis non valeat adobtinendum Beneficium habens Curam Animarum in his. *De Rescriptis.* Cap. *Si eo tempore.* colligitur. Lib. I. Tit. III. *Cap.* 9.

X. Cùm in Commissionibus Summi Pontificis minores & viliores Personæ solummodò designantur, Majores & Digniores sub Clausula Generali intelliguntur includi. *De Rescriptis.* Cap. *Sedes* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 15.

XI. Non licet occasione istius Generalitatis plures Personas in Judicium evocare. *ibid.*

XII. Rescriptum obtentum contrà hominem unius Diœcesis, non valet contrà hominem ejusdem nominis sed alterius Diœcesis. *ibid.* Cap. *Significante* seù *Cap.* 34.

XIII. Per Rescriptum impetratum contrà homines Civitatis; etsi sit Clausula Generalis *& Quidam alii.* ibid. Cap. *Rodulphus.* seù *Cap.* 35.

XIV. Per Rescriptum contrà Decessorem obtentum, conveniri non potest Successor; nisi Decessor dùm viveret, fuerit in Judicium evocatus: etiamsi sit Clausula Generalis (*& Quidam alii*) ibid. Cap. *significavit. Cap.* 36.

XV. Successor convenitur per Rescriptum contrà Antecessorem impetratum, etsi proprium nomen Antecessoris sit expressum, & citatus non fuerit; quandò ob communem utilitatem, & nomine Ecclesiæ, debitum contractum est. *De Foro Competenti.* Cap. *Dilecti* Glossa colligit, Verbo *Contrà* Lib. II. Decr. Tit. II. *Cap.* 34. eo casu Rescriptum censetur impetratum nomine Ecclesiæ.

XVI. Mandatum Apostolicum, ut cùm Monachis dispensetur, etiam ad Abbates extenditur. *De Simoniâ.* Cap. *Mandato.* Lib. V. Decr. Tit. III. *Cap.* 46. quod est ultimum. Favorem continet, ideòque ampliandum.

XVII. Qui aliquas Personas expressit in Rescripto, non potest eo uti contrà alias Partes, ut cum iis Judicio contendat. *De Rescriptis.* Cap. *Sedes.* Lib. I. Decr. Tit. II. *Cap.* 15.

XVIII. Propter dolum & fraudem eorum qui ut Rescriptum Apostolicum eludant ad alias Personas res suas controversas transferunt; Rescriptumex tenditur ad eos, de quibus mentio facta non fuit, & per illud conveniri possunt. *De alienatione Judicii mutandi Causâ. Cap. Ex quorumdam. cum* GLOSSA. LIB. I. DECR. TIT. XLIII. *Cap.* 11. Alienatores fraudulentos exhibent, suntque fraudis participes, si litis Conscii fuerunt.

XIX. Per Rescriptum impetratum contrà Violentum, putà eum, qui violenter aliquam Ecclesiam occupavit, conveniri potest is, qui ei succedit in vitium; sivè, qui similiter sine titulo ingressus est, ut sub eisdem Judicibus negotium terminetur. *De Judiciis. Cap.* LIB. II. DECR. TIT. I. *Cap.* 11.

XX. De similibus idem ferendum judicium, *Cap.* 2. *de Translat.*

SECTIO VIII.

An semper, & Quomodò teneatur Rescriptum executioni demandare Is, cui dirigitur à Papâ.

I. IS, cui Mandatum à Papa dirigitur, debet vel illud executioni demandare, vel quare non possit, rationabilem causam reddere. *De Rescrip.* Cap. *Si quandò.* LIB. I. TIT. III. *Cap.* 5. *Idem docet.* C. 10. *ejusdem Tit.*

II. Gravissimè arguendus, est qui Mandatum Apostolicum exequi subterfugit aut contemnit. *De Officio & Potest. Judicis Deleg.* Cap. *Prudentiam.* LIB. I. DECR. TIT. XXIX. *Cap.* 21. *§. Adjicimus.*

III. Æquanimiter sustinet Papa, Mandatum suum executioni non mandari, si subsit ratio non adimplendi. *De Præbendis & Dignit.* Cap. *Cùm teneamur. 6.*

IV. Non debet aliquo prætextu impediri, aut differri Mandatum Apostolicum. *In VI. De Officio & Potest. Jud. Delegati.* Cap. *Statuimus. §. Idem.* LIB. I. TIT. XIV. *Cap.* 13.

V. Quòd non possit aliquis Mandatum exequi, intelligitur vel de impotentiâ de Jure, vel de Facto vel tàm de Jure, quàm de Facto. *De Rescriptis.* Cap. *Scisscitatus.* init. *Colligitur.* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 13.

VI. Impotentia de Jure est, si Aliquem legitimo impedimento detentum esse constiterit. *ibid §. Nos verò.*

VII. Impotentia de Facto est, si constiterit, eum inevitabilis Necessitatis articulo impediri. *ibid.*

VIII. Ille, qui tantummodò non vult, hâc impossibilitatis interpretatione non valet aliquatenùs excusari. *ibid. §. Nec enim. fin.* Quandòque tamen, in favorem Impetrantium permittitur Collegis, ut exequantur, aliis nolentibus. *ibid.*

GONZALEZ *in* C. 5. *De Rescriptis. n. 6.* notat, quòd in Rescripto subintelligitur conditio, nisi subsit justa causa supersedendi ab executione. *n.* 7. Excipit ab obedientiâ Legislatori debitâ Casum, in quo injustum expressè præcipit, hancque exceptionem adductis Legibus Autorumque Testimoniis, probat. N. 8. Objicit sibi C. 28. *De Officio Delegati. §. Quia verò*, ubi de Executore Sententiæ à Delegato latæ, hæc leguntur: *Etsi sciat Sententiam injustam, exequi nihilòminùs tenetur eamdem*, allatisque variis solutionibus concludit, quòd illi liceat imò & debeat ab executione abstinere, si probabiliter magnum scandalum timeatur. Adde quòd ex C. 14. *De Rescriptis* colligitur, nolle Papam, ut, si quod injustum Mandatum per inadvertentiam, nimiasque occupationes dederit, executioni mandetur, cùm in illo hæc dicat INNOCENTIUS III. *Sicut Nolumus injusta præcipere, sic volumus efficaciter exaudiri.* Insinuat ergò se nolle audiri, cùm injusta præcipit.

SECTIO IX.

Quid requiratur, ut Rescripta executioni mandari possint, & quomodò ea debeant adimpleri?

I. PEr susceptionem Mandati, non dicitur quis eo uti. *In VI. De Procuratorib.* Cap. *Is, qui.* LIB. I. TIT. XIX. *Cap.* 3.

II. Ei, qui Litteras impetravit à Superiore, non prosunt, priusquàm Delegato fuerint assignatæ. *De Appellationibus.* Cap. *Ut debitus.* LIB. II. DECR. TIT. XXVII. *Cap.* 59. *med.*

III. Si intrà certum tempus lis decidenda committitur, ex tunc, terminus incipit currere, cùm Judices contigerit Litteras recepisse. *De Appell.* Cap. *Super eo. §. ult.* LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. *Cap.* 12.

IV. In Litteris Citatoriis Rescriptum Apostolicum inseri debet, ut, eo viso, deliberare valeat is, qui ab altero convenitur. *De Dilationibus.* Cap. *Præterea.* GLOSSA colligit. LIB. II. DECR. TIT. VIII. *Cap.* 2. init.

V. Authentica ipsa atque Originalia Rescripta, non Exempla eorum, insinuari oportet. CAUSA XXV. QUÆST. II. Cap. 16. *Dicenti.*

VI. Hæc est intentio Pontificis, ut de omnibus Articulis, qui in Commissione ponuntur, Justitia suum consequatur effectum. *De Appellationibus.* Cap. *Secundò. §. In quo.* init. LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. *Cap.* 41.

VII. Data Litterarum Gratiæ diligentiùs attendi debet. *De Rescript.* Cap. *Eam te. §. Penult.* quod. init.

VIII. Cùm tempore, quo Litteræ ipsæ datæ fuerunt, Quis est de Capitulo, posteà in Episcopum consecratus, debet Mandatum Capitulo datum exequi. *ibid.*

IX. Cùm duo mandantur principaliter, non sufficit, unum sine altero adimpleri. *De Restitutione Spoliatorum.* Cap. *Pisanis.* GLOSSA *colligit.* Verbo *alterum ad modum.* LIB. II. DECR. TIT. XIII. *Cap.* 19. Quod est ultimum.

X. Quandò in Rescripto plura narrantur, quæ diversos operantur effectus, non sufficit Impetranti unum ex iis solum probare ad utrumque effectum consequendum. *De Rescrip.* Cap. *Olim.* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 25.

XI. Sicut nolumus injusta præcipere; sic cùm justa præcipimus, volumus efficaciter exaudiri. *De Rescriptis.* Cap. *Constitutus* in *integ. fin.* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 19.

XII. Qui à Delegato Mandatum recipit, v. g. ad excommunicandum aliquem, non intellectâ, quæ esse potest, contentione inter Judices de Jurisdictione, debet illud humiliter executioni demandare. *ibid.* Cap. *Cùm contingat.* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 24.

XIII. Si contrarium posteà Mandatum ab aliis Judicibus, putà ad absolvendum recipit, debet Copias Mandatorum Apostolicorum postulare, eaque examinare, nùm Posterius revocet Prius. *ibid.*

XIV. Quod si expressè noscatur revocare Prius, Secundum Mandatum haud dubiè executioni demandare debet, secùs, si non revocat aut saltem de eo sit dubitandi locus. *ibid.*

XV. Per hoc tamen nullam sibi debet jurisdictionem attribuere Is, cui Mandatum dirigitur. *idid. De Rescriptis.* Cap. *Cùm contingit.* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 24.

XVI. Forma Mandati exactâ diligentiâ observari debet; processusque contrà hujusmodi formam factus, inanis atque irritus decerni debet. *De Rescriptis.* Cap. *Cùm delecta.* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 22.

XVII. Man-

XVII. Mandatorum fines diligenter servari oportet. *In* VI. *de Præbendis.* Cap. *Cui de. fin.* Lib. III. Tit. IV. *Cap.* 27.

XVIII. Mandati fines excedere probantur, si quis citrà formam Rescripti accepti præsumeret judicare. *De Officio & Potest. Jud. Deleg.* Cap. *Prudentiam.* §. 1. *fin.* Lib. I. Decr. Tit. XXIX. *Cap.* 21.

XIX. Qui agit contrà Mandati tenorem, nihil agit, ejusque processus cassari debet. *ibid.* Cap. *Venerabili.* Lib. I. Decr. Tit. XXIX. *Cap.* 27.

XX. Pro varietate Litterarum, fines Causarum non debent impediri. *ibid.* Cap. *Sanè.* seù *Cap.* 3. *Appendice* Conc. Lateran. *Parte VII. Cap.* 3. ideòque eo casu adeundus est is, à quo Litteræ emanarunt.

XXI. Cùm aliqua subdisjunctione hoc vel illud mandantur, quorum unum verum est, alterum falsum, sufficit unum adimpleri; ut Rescriptum executioni demandetur. *De Rescriptis.* Cap. *Inter cæteras.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 4. Gonzalez fusè explicat quidquid sciendum circà Rescripta alternativa.

XXII. Intentio Mandantis semper attendenda est & servanda. *De Præbendis &c.* Cap. *Cùm olim.* & Cap. *Cùm causam.* §. *Consultationi.* Lib. III. Decr. Tit. V. *Cap.* 38. quod est ultimum, & *Cap.* 36.

XXIII. Cùm cessat Causa Mandati, Executor non tenetur illud adimplere. *in* VI. *De Præbendis.* Cap. *Si pauper. fin.* Lib. III. Decr. Tit. IV. *Cap.* 30.

XXIV. Occasione exceptionis alicujus frivolæ, non vult Papa Mandati sui Executores interloqui. *De Præbendis.* Cap. *Dilectus.* 3. §. *Mandamus. fin.* Lib. III. Decr. Tit. V. *Cap.* 34.

XXV. Si quis peccat contrà Mandatum tàm in facto quàm in modo, vel in altero tantùm; non valet quod agitur. *De Restitutione Spoliatorum.* Cap. *Pisanis.* Lib. II. Decr. Tit. XIII. *Cap.* 19. quod est ultimum.

XXVI. Processus judicatur irritus, quandò formæ Mandati non est diligenter observata. *ibid.*

Plura scitu necessaria circà executionem Rescriptorum iniquorum, vel noxiorum, vel scandalum periculum-ve invehentium, collegit Gonzalez *in Cap.* 5. *De Rescriptis & in Caput* 28. *de Offic. Jud. Deleg.*

SECTIO X.

Quomodò intelligenda sint Rescripta, & quandò extinguantur seù desinant?

I. PEr quamcumque Signaturam, seù Concessionem, aut Gratiam, vel Litteras Apostolicas, pro Commissionibus, seù Mandatis, aut Declarationibus, etiamsi motu proprio, ex certâ scientia ac etiam antè motam litem à Sanctitate suâ emanarint, vel de ejus Mandato faciendas, nulli jus sibi quæsitum quomodòlibet tollatur. *Regula* 18. *Cancellariæ ab* Urbano VIII. *approbatæ* Bullarii *ann.* 1623. *Tomo IV. p.* 28.

II. Verba Rescriptorum non secundùm Scripturæ Ordinem, sed secundùm Jus Commune sunt intelligenda. *De Rescriptis.* Cap. *Causam.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 18.

III. Mandata non debent ad Casus alios, quàm expressos, extendi. *In VI. de Præbendis.* Cap. *Cui de.* Lib. III. Tit. IV. *Cap.* 27.

IV. In Generali Concessione nequaquàm illa veniunt quæ non esset Quis verisimiliter in specie concessurus. *In VI. De Officio Vicarii.* Cap. *Cùm in Generali.* Lib. I. Tit. XIII. *Cap.* 3.

V. Multa licent in speciali Demandatione, seù Concessione, quæ ex Generali Mandato non licent. *De Officio Legati.* Cap. *Excommunicatis.* Lib. I. Decr. Tit. XXX. *Cap.* 9. & *in* VI. *De Officio Legati.* Cap. *Officii.* Lib. I. Tit. XV. *Cap.* 1.

VI. Semper recurrendum est ad intentionem Mandantis ad interpretandum Mandatum. *De Arbitris.* Cap. *Exposita.* Glossa *colligit.* Verbo *intentionis.* Lib. I. Decr. Tit. XLIII. *Cap.* 11. & *De Restitutione Spoliatorum.* Cap. *Audita.* Glossa. Lib. II. Decr. Tit. XIII. *Cap.* 4.

VII. Verba intentioni deserviunt, & secundùm intentionem Proferentis, verbum prolatum intelligendum est. *De Appellationibus.* Cap. *Secundò. §. in quo. init.* junctâ Glossa. Lib. II. Decr. Tit. XXVIII. *Cap.* 41.

VIII. Per solam Citationem perpetuatur Rescriptum. *De Rescriptis.* Cap. *Ex tenore.* Glossa *colligit.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap.* 16.

IX. Mandatum, quo committuntur Causæ infrà certum terminum decidendæ, nisi de Partium consensu prorogetur, eo transacto expirat. *De Offi io & Potestate Judicis Delegati.* Cap. *De Causis* Lib. I. Decr. Tit. XXIX. *Cap.* 30.

X. Romani Pontificis Mandatum non expiravit cum Mandante, cùm antè Mandatoris mortem Judex procedere incœpit. *De Except.* Cap. *Olim. in init. med.* Lib. II. Decr. Tit. XXV. *Cap.* 7.

XI. Mandatum re integrâ, morte Mandatoris expirat. *ibid. Cap. Licet* Lib. I. Decr. Tit. XXIX. *Cap.* 30.

XII. Mandatum morte Mandatoris nullatenùs expirat, si lis antè ejus obitum fuerit contestata. *ibid.* Cap. *Relatum est.* seù *Cap.* Licet. *fin.* seù *Cap.* 30.

XIII. Romani Pontificis Mandatum in ipsius obitu non expirat, eo quòd Res integra jam non est. *De Fide Instrumentorum.* Cap. *Ex parte. in init. fin.* Lib. II. Decr. Tit. XXII. *Cap.* 11.

XIV. Commissio, per quam censetur etiam Sententiæ prolatio committi, ex quo Res integra non existit, nequaquàm morte Committentis expirat, nisi fuerit anteà revocata. *In* VI. *de Officio & Potest. Jud. Delegati.* Cap. *Si Delegatus.* In VI. Lib. I. Tit. XIV. *Cap.* 7.

SECTIO XI.

De Rescriptis Gratiæ *in particulari.*

I. SEdis Apostolicæ Concessio, nullâ Personarum factâ expressione, ut possit idoneis Personis providere; specialem Gratiam continet. *In VI. De Præbendis.* Cap. *Si cui.* colligitur. Lib. III. Tit. IV. *Cap.* 36.

II. Si cui facta sit Concessio, seù data sit potestas, non ad suam, sed alterius certæ Personæ gratiam, vel favorem; specialem Gratiam non dicitur continere. *ibid.* colligitur. *in* VI. Lib. III. Tit. IV. *Cap.* 36.

III. Non congruit Gratiam, vel reddi quandòque inutilem, vel ipsius effectum in longius tempus cum dispendio illius, cui facta est, differri. *In* VI. *de Officio & Potest. Jud. Deleg.* Cap. *Si super. fin.* Lib. I. Tit. XIV. *Cap.* 9.

IV. In Generali Concessione illa non veniunt, quæ non esset quis verisimiliter in Specie concessurus. *In* VI. *de Pœnit.* Cap. *Si Episcopus. med.* Lib. V. Tit. X. *Cap.* 2.

V. In Mandato Gratiæ, expresso uno Casuum, Mandatum super hoc factum, ad alios extendi non debet. *In* VI. *de Præbendis.* Cap. *Cùm in illis. §. Cùm autem fin.* Lib. III. Tit. IV. *Cap.* 16.

VI. In conferendis Gratiis, qui est tempore anterior, præferendus est alteri, ex quo de intentione Mandantis contrarium non apparet. *ibid.* Cap. *Quia sæpè. fin. in* VI. Lib. III. Tit. IV. *Cap.* 15.

VII. Ei per secundum Mandatum præjudicari, aut jus ipsius absorberi non debet. *ibid.*

VIII. Mandatum Gratiosum debet de suâ naturâ restringi. *ibid* in VI. *de Præbendis.* Cap. *Cùm in illis. §. Cùm autem. fin.* Lib. IV. Tit. IV. *Cap.* 16.

IX. Si motu proprio Papa Gratiam fecerit, tùnc fieri debet interpretatio plenissima in eadem. *ibid.* Cap. *Si pluribus*, *Cap.* 24.

X. Gratia ad petitionem facta, prout Juri congruit, restringi debet. *ibid.* Cap. 24. §. *Si verò.*

XI. Ei, cui mandatur speciale aliquid conferri, Gratia concedi non potest, si non habeat ad id qualitates requisitas, *ibid.* Cap. 29. *Ei, cui.* Colligitur.

XII. Subreptio contingit in Gratiis ad petitionem concessis. *in* VI. *de Præbendis.* Cap. *Motu proprio.* Colligitur LIB. III. TIT. IV. *Cap.* 23.

XIII. Subreptitia Gratia censetur, cùm aliquid necessarium in eâ tacetur. *in* VI. *de Præbendis.* Cap. *Non potest*: Colligitur. LIB. III. TIT. IV. *Cap.* 21.

XIV. Litteræ Gratiæ, quæ sunt subreptitiæ, sunt ipso facto nullius momenti. CLEMENTINARUM *de Præbendis.* Cap. *Si dignitate.* GLOSSA Coll. LIB. III. TIT. II. *Cap.* 1.

XV. In Concessione Gratiæ, verba Litteræ sunt sequenda. *ibid. Cap.* 1. Colligitur.

XVI Occasione Mandati, quod Gratiam continet personalem, fraudem adhibere volentibus licentia non concedatur. *De Concessione Præbendæ.* Cap. *Constitutus. fin.* §. *Quia verò.* LIB. III. DECR. TIT. VIII. *Cap.* 11.

XVII. In Odiosis inspiciendum, quid operetur expressio in concessione Gratiæ, seù Dispensatione. *in* VI. *De Præbendis* Cap. *Non potest. fin.* GLOS. Colligit. LIB. III. TIT. IV. *Cap.* 21.

XVIII. Concessio seù Gratia facta aliquibus Personis, nullâ expressâ; non expirat etiam re integra per obitum Papæ Concedentis. *in* VI. *De Præbendis.* Cap. *Si cui.* LIB. III. TIT. IV. *Cap.* 36.

XIX. Concessio seù Gratia facta in favorem alicujus certæ Personæ, expirat omninò, si Papa Concedens re integra moriatur. *ibid.*

XX. Ratio discriminis petitur, quòd in priore casu totum, quod est ex parte Papæ, sit executioni demandatum; at in posteriore, data est tantùm potestas ad exequendum, adeòque cùm Executor nondùm inchoaverit judicium, ejus potestas morte Concedentis extinguitur.

XXI. Primæ Generali Gratiæ alicui factæ derogat posterior specialis alteri facta, licèt de illâ non fecerit mentionem. *in* VI. *De Præbendis.* Cap. *Quamvis.* LIB. III. TIT. IV. *Cap.* 38.

XXII. Constitutio revocatoria Gratiæ non tollit jus in re acquisitum, sed jus, quod ad rem competebat. *ibid. Cap.* 39. *Si is.* Colligitur.

XXIII. Si tamen jus acquirendum, alteri jam acquisito magis digno est annexum, ei salvum remanet. *ibid.* Colligitur. §. *Non Sic.*

XXIV. Jus, quod ad rem competebat, juxtà verba revocationis intelligitur revocatum, *ibid.*

XXV. Jus, quod ad rem competebat, cùm revotationem ejus Collatio non præcessit, per revocatoriam Constitutionem penitùs tollitur. *ibid. in* VI. *De Præbendis.* Cap. *Quodam.* LIB. III. TIT. IV. *Cap.* 40. *fin.*

XXVI. Sedis Apostolicæ Concessionem, quæ specialem Gratiam continet, decet esse mansuram. *in* VI. *De Præbend.* Cap. *Si cui.* LIB. III. TIT. IV. *Cap.* 36.

XXVII. Extinctâ Gratiâ Sedis Apostolicæ, extinguitur & potestas Executoris ad aliam exequendam. *ibid.* Cap. *Si Clericus. Cap.* 11. GLOSSA colligit.

XXVIII. Facta alicui Gratia per ipsius negligentiam, cùm eam petere negligenter omittit, aliquandò extinguitur. *ibid.* Cap. *Si Clericus. Cap.* 11.

XXIX. Quandò quis restituitur ad Gratiam anteà revocatam, hoc intelligitur fieri sine præjudicio ejus, cui tempore revocationis eadem Gratia fuerat concessa, nisi aliud exprimatur. *in* VI. *De Rescriptis.* Cap. *Quamvis.* LIB. I. TIT. III. *Cap.* 5.

Ad intelligentiam Collectarum Decisionum, Nota 1. Quòd pleræque respiciunt Gratias Expectativas Apostolicas, quarum usus ubique cessavit: sed utilitas Decisionum etiam nunc permanet, quoad res similes. 2. Quòd Gratiæ hujusmodi odiosæ sunt, propter damnum Collatoribus, aliisve similibus hinc illatum, ideoque restringendæ sunt. 3. Quòd inter Expectantes, alii aliis præferendi erant, nempè Priores Posterioribus, nisi secùs Gratia posterior ferret: item Ii, quibus facta erat motu proprio, his, qui illam ad sui vel aliorum petitionem impetraverant: item Hi, quibus Papa contulerat Canonicatum cùm expectatione Præbendæ, aliis, qui Canonicatum ut Præbendam expectabant. 4. Hujusmodi Gratiæ omninò adhuc integræ expirabant morte Concedentis, ideòque etiam potestas Executorum illarum; quandò verò executio illarum incœperat antè mortem, durabant etiam post obitum Papæ: idem etiam nunc accidit Habentibus Indultum alicujus Magistratûs Parisiensis, si iste moriatur, vel Dignitatem amittat antè significationem Indulti, secùs, si post significationem debitè factam. 5. Hujusmodi Gratiæ revocari poterant & posteà restitui, jus alteri quæsitum pendente revocatione durabat post restitutionem: Utrumque locum habet in Gratiis Expectativis in Galliâ usitatis, nempè in Nominationibus, quæ Graduatis conceduntur, in Indultis à Magistratibus Parisiensibus, quæ aliis cedunt, in Primariis Precibus post adventum ad Regnum, vel post Sacramentum fidelitatis à Novis Episcopis præstitum.

Cæteræ Decisiones pertinent ad Gratias, quæ ipsâ concessione & expeditione perficiuntur, quæque ideò manent mortuo Papâ, etiam nondum cœptâ executione, ut Facultates Legatorum, Vicelegatorum, Indulta conferendi Beneficia, quæ sunt Collationis Papæ, vel jure Devolutionis, vel Reservationis, aliove quocumque; Indulta dispensandi ab Impedimentis Matrimonii, ab Irregularitatibus; Indulta conferendi in Commendam, illamve continuandi, aliave similia, quæ totam vim suam habent à die Rescripti, nec ullatenùs pendent ab ipsâ executione, quæ aliud nihil est, quàm ipsius Gratiæ fruitio.

SECTIO XII.

Quas pœnas incurrant, qui falsant Litteras seù Rescripta Apostolica, vel qui falsis Litteris utuntur.

I. QUi Litteris Apostolicis uti voluerint, eas 1. diligenter examinent; quoniam, si falsis Litteris se usos dixerint ignoranter, eorum sera pœnitentia evitare nequibit pœnas inferiùs in Jure adnotatas. *De Crimine falsi.* Cap. *Ad Falsariorum.* LIB. V. DECR. TIT. XX. *Cap.* 7. *init.*

II. Omnes Falsarii Litterarum Apostolicarum, qui per se vel alios vitium falsitatis exercent, cum Fautoribus, & Defensoribus suis, Anathematis vinculo sunt innodati. *ibid.*

III. Clerici, qui Falsarii fuerint deprehensi, omnibus Officiis & Beneficiis Ecclesiasticis perpetuò sint privati. *ibid.*

IV. Clerici, qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquàm per Ecclesiasticum Judicem fuerint degradati, Seculari Potestati tradantur, secundùm Constitutiones Legitimas puniendi. *ibid.*

V. Per eamdem Potestatem & Laïci, qui fuerint de falsitate convicti, legitimè puniantur. *ibid.*

VI. Clerici, qui sub nomine Papæ Litteris falsis utuntur, Officiis & Beneficiis Ecclesiasticis spolientur. *ibid. §. Qui verò.*

VII. Laïci, qui sub eodem nomine Litteris falsis utuntur, tamdiù maneant Excommunicationi subjecti, donec satisfaciant competenter. *ibid.*

VIII. In

VIII. In istis & in illis malitia graviùs, quàm negligentia puniatur; quod & de his, qui falsas Litteras impetrant, est observandum. *ibid. fin.*

IX. De Sacerdote, qui Litteras Apostolicas falsavit, omni Officio Sacerdotis & Beneficio Ecclesiastico perpetuò privatum, in aliquod Monasterium districtæ Religionis detrudas. *Apendice* Concilii Lateranensis *Parte 26. Cap. 3.*

SECTIO ULTIMA.

De Secundis Rescriptis, quandònam priora revocent? illisve prævaleant?

I. Litteræ Posteriores debent Prioribus præjudicium generare. *De Confirmatione utili. Cap. Bonæ memoriæ. §. fin.* Lib. II. Decr. Tit. III. *Cap. 3.*

II. Ut Secundæ Litteræ revocent Primas, debent facere mentionem de Privilegiis Apostolicæ Sedis, vel de processu negotii coràm primis Judicibus, *De Sententiâ & Re Jud. Cap. Inter §. Cùm constiterit.* init. Lib. II. Decr. Tit. XXVII. *Cap. 20.*

III. Prima Commissio Judicibus data non censetur per ultimam revocata, tamquàm primi Judices essent suspecti, quandò causæ suspicionis in Jure propositæ, frivolæ videntur. *ibid.*

IV. Cùm in Posterioribus Litteris non fit mentio Priorum, non revocantur. *De dolo & contumaciâ. Cap. Ex Litteris. §. Verùm.* Lib II. Decr. Tit. XIV. *Cap. 2.*

V. Cùm in Posterioribus Litteris non continentur nomina Ecclesiarum, quæ in Prioribus posita fuerant, sed dicitur tantùm indefinitè, *super Quibusdam Ecclesiis*, Priores Litteræ non revocantur. *ibid.*

VI. Per generalem seu indefinitam mentionem, Priores Litteræ non revocantur per Posteriores. *ibid.* Glossa *colligit.* Verbo *indefinitè.*

VII. Per Litteras, in quibus dicitur (*Nullis Litteris veritati & justitiæ præjudicantibus*) vel sub aliâ formâ verborum, non revocantur speciales Litteræ, dummodò de illis nihil expressè dicatur. *De Confirmatione utili. Cap. Bonæ. §. 2.* Lib. II. Decr. Tit. XXX. *Cap. 3.* Genus non derogat Speciei.

VIII. Si à Sede Apostolicâ Litteræ priùs impetrentur, & aliæ posteà, non factâ mentione priorum Litterarum, Litteræ impetrentur; si Judicibus innotuit, donec Romanum Pontificem consulant & ipsius exindè pleniùs cognoscant voluntatem, executione Litterarum debent penitùs supersedere, ne pro varietate Litterarum, Causarum fines valeant impediri. *Appendice* Concilii Lateranensis *Parte VII. Cap. 3.*

IX. Per Posteriores Litteras ab Adversâ Parte obtentas ad infirmandam Sententiam, non derogatur Prioribus Litteris, per quas ad infirmandam vel confirmandam Sententiam potest prævià ratione procedi. *De Appellationibus. Cap. Oblatæ. fin.* Lib. II. Decr. Tit. XXVIII. *Cap. 57.*

X. Priores Litteræ semper manent in suâ vi, nisi fuerint per Posteriores expressè revocatæ; & quidquid in virtute illarum gestum est, debet inviolabiliter observari: donec fuerit de injuriis irrogatis sufficienter satisfactum. *De Officio & Potest. Judic. Deleg. Cap. Ex Litteris.* Lib. I. Decr. Tit. XXIX. *Cap. 29.*

XI. Sententia authoritate Priorum Litterarum rectè lata, antè receptionem Posteriorum Litterarum, ipsarum occasione nullatenùs revocari debet. *De Restitutione Spoliatorum. Cap. Auditâ.* Lib. II. Decr. Tit. XIII. *Cap. 4.*

XII. Si occasione Posteriorum Litterarum contrà Sententiam latam aliquid statutum est, id revocari debet. *ibid.*

XIII. Duas Commissiones super eodem negotio Impetrans, quarum altera non facit mentionem de aliâ, carere debet commodo utriusque. *De Rescriptis. Cap. Ex tenore.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap. 16. §. Nos igitur.*

XIV. Si aliquis super aliquâ Causâ ab Apostolicâ Sede impetraverit Litteras, & Adversarius ejus eamdem Causam postmodùm obtinuerit committi aliis, de Commissione Priori non habitâ mentione, priores Judices ad Decisionem Causæ possunt procedere, nec Secundæ Litteræ obtinent alicujus roboris firmitatem. *De Rescriptis. Cap. Cæterorum* init. Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap. 3.*

XV. Si in Secundis Litteris habeatur mentio de Commissione Priori, prædicta Causa à Priorum est exempta judicio, cùm eædem Litteræ non sint tacità veritate impetratæ. *ibid. §. 1. Si verò.*

XVI. Si de assensu Partium Causa committitur, & processu temporis, vel etiam continuò, alterutra Pars, alterâ nesciente, Causam ipsam, tacito de Commissione Priori, alii Judici obtinuerit delegari; Is, qui tali dolo vel fraude Adversarium suum laborare coëgit, in expensis condemnari debet eidem. *ibid. §. ult. verùm.*

XVII. Si aliquis authoritate Posteriorum Litterarum per Adversarium in Judicium tractus, objecerit Litteras se Priores habere, de quibus in Posterioribus mentio non habetur, si eis dolo vel negligentiâ uti postposuerit; excusari non debet. *De Rescriptis. Cap. Si autem. init.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap. 9.*

XVIII. Si autem Prioribus Litteris usus non fuerit, quia Delegati Judicis copiam nequiverit habere; per Posteriores Litteras non poterit conveniri. *ibid. fin.*

XIX. Si quis Apostolicas Litteras impetrans, infrà annum, postquàm copiam Judicum habuerit, ex malitiâ vel negligentiâ postposuerit uti eis, authoritate Posteriorum Litterarum valet conveniri, licèt in ipsis nulla de Prioribus mentio habeatur. *ibid. Cap. Plerùmque. §. Cùm igitur. fin.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap. 23.*

XX. Quandò de revocatione Litterarum ambigitur, nisi Posteriores Judices Prioribus, vel è converso, duxerint deferendum, simul utrique cognoscant. *ibid. Cap. 14. Pastoralis. §. Ad quod.*

XXI. Si fortè nequiverint simul in unam Sententiam concordare, quamvis plures sint ex una parte, quàm ex alterâ, per Arbitros communiter electos à Partibus; hujusmodi concertatio sopiatur. *ibid. fin.*

XXII. Judex, qui ultimò datur, formam Litterarum debet inspicere. *De Rescriptis. Cap. Ex parte §. Mandamus.* Glossa *colligit.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap. 2.*

XXIII. Per Generale Mandatum posteriùs concessum, non derogatur Priori Speciali, quia de illo in Generali Mandato mentio non habetur. *De Officio Jud. Ordin. Cap. Grave.* Glossa *colligit.* Lib. I. Decr. Tit. XXXI. *Cap. 19. Species Generi derogat.*

XXIV. Secundùm Canonicas & Legitimas Sanctiones per speciem generi derogatur, quanquàm de genere in derogante specie mentio nulla fiat. *In VI. De Præbendis. Cap. Dudùm. §. Nos igitur.* init. Lib. III. Tit. IV. *Cap. 14.*

XXV. Posteriores Litteræ impetratæ, continentes quòd, *non obstantibus Litteris à Parte alterâ impetratis, revocari debeat, si quid immutatum est in Causâ;* intelligi non debet, ut revocetur quod factum est authoritate Priorum Litterarum, sed, si quid præsumptione vel violentiâ immutatum est. *De Restitutione Spoliat. Cap. Auditâ. §. Licet. §. Quia.* Lib. II. Decr. Tit. XIII. *Cap. 14.*

XXVI. Si Rescriptum faciat mentionem alterius Rescripti, primum Rescriptum exhibendum est. *De Rescriptis. Cap. Ex insinuatione.* Glossa *colligit.* Lib. I. Decr. Tit. III. *Cap. 37.*

Circà collectas in hac Sectione Decisiones viden-

dus GONZALES *in Cap. 3. de Rescriptis & Cap. 2. de Off. & Potest. Judicis Delegati*, in quibus exponit quæcumque contrà illas objici possunt, conciliatque omnia Jura, quæ contraria videntur.

Notandum autem inter alia hîc & alibi habita ab eodem, quòd de Regula, quæ irritat secundum Rescriptum non faciens mentionem de primo, plures casus excipiantur, nempè 1. Si posterius sit Speciale. 2. si prius nullum sit ipso Jure, ut potè subreptitium aut obreptitium, vel concessum Incapaci. 3. Si prius valere desierit ex negligentiâ illo utendi per annum. 4. si utrumque sit ejusdem datæ, & de Collatione Beneficii agatur, tunc enim neutrum valet. 5. Si utrumque ad Lites spectet, & prius sine speciali Mandato impetratum fuerit.

CAPUT I.

Regulæ circà RESCRIPTA à JURE CANONICO, *quoad sensum deprompt æ quibus singula, quæ præcedentibus desunt, sivè quoad Ordinem sivè quoad Divisiones, sivè quoad Materiam, Supplentur.*

ANtèquàm componantur vel colligantur Regulæ circà Rescripta, Quædam scienda sunt. Sciendum est enim 1. Rescripti nomine, intelligi omnem Epistolam, quâ circà aliquid alicui respondetur.

2. Hîc sumi tantùm pro Epistolâ, quâ Romani Pontifices respondent, vel dubia Proponentibus, vel Judices, aliudve simile ad Lites pertinens Postulantibus, vel Gratiam Petentibus, vel, quâ motu proprio alicui aliquid concedunt, vel alteri dare præcipiunt, vel quid aliud facere jubent. Hinc sequi, Rescripta, de quibus hîc, posse ex parte Materiæ in tres Classes dividi, nempè 1. in *Rescripta Decisoria*, vel *Decretalia* quibus Summi Pontifices, vel consulti, vel motu proprio aliquid decidunt, vel decernunt. 2. in *Rescripta Justitiæ*, quæ, quidquid ad Lites pertinet, respiciunt. 3. in *Rescripta Gratiæ*, quæ ad Gratias spectantia contingunt.

Sciendum est 3. primæ Classis Rescripta ex se ipsis apta esse, ut sint Juris Publici Partes, quia vel aliquid novi decernunt & Jus Novum constituunt, vel Vetus interpretantur, & ejus Pars habenda, sicut, cùm Legis interpretatio, ab Habente potestatem condendi Legem facta, ad Legem pertineat; alia verò in se considerata nihil aliud esse, quàm Juris Publici exempla, meramque illius executionem continere, ita ut juxtà illud interpretanda sint, & ad illud, prout fieri potest, reducenda; considerata autem, ut in Corpore Juris inserta, ad Jus Publicum pertinere, veluti Pars ad Totum spectat, undè, si quid habent Juri Communi, tempore, quo missa sunt, usu recepto dissonum, id ad Jus Commune nunc usitatum pertinet, ut & cætera, quæ in eodem Juris Corpore continentur.

Sciendum 4. Rescripta *dividi* etiam posse, *Ratione Autoris* sivè Causæ efficientis, in Vera, Falsa, Suspecta; *Ratione Formæ*, in Valida, Nulla, Annullanda, Dubia, & Obscura, atque etiam in ea, quæ motu proprio; & *Ratione Accidentium*, in Conditionata, Absoluta, Disjunctiva, & Indeterminata; *Ratione Modi illa exequendi*, in ea, quæ promptè exequenda sunt, & illa, quorum executio suspendenda est.

5. Rescripta ad alias Res vel Personas non extendi, quàm, quæ Papæ Jurisdictioni subsunt; quædam esse Rescriptis omnibus communia, quædam cuique Rescriptorum speciei propria, ideòque priùs consideranda esse in genere Rescripta, deindè in particulari, ut separatis, quæ communia ab iis, quæ propria; ab aliis faciliùs discernantur Rescripta: ob eamdem quoque rationem comparandas inter se præcipuas eorum species singulaque, in quibus vel conveniant vel differant, seorsim colligenda esse.

Hinc fit, ut paucis delibatis, circà Rescriptorum authoritatem, notatas à nobis illorum Divisiones percurremus, à communiori, nempè ea, quæ ex Autore petitur, incipientes; atque etiam cùm Rescripta Justitiæ, & Rescripta Gratiæ, sint præcipua Rescriptorum genera, inter se accuratiùs ea conferemus.

Sciendum est, tantam esse Rescriptorum Gratiæ & Justitiæ cum Delegatione connexionem, ut Major pars eorum, quæ docet Jus Canonicum circà Rescripta, ad Delegationem pertineat; idcircò, si quæ hîc circà Rescripta omittantur, in Tractatu de Jurisdictione requirenda. Sciendum etiam, Rescripta in Jure Canonico vulgò Litteras Apostolicas appellari, nec non & Mandatum, Commissiones, ut legenti Titulum de Rescriptis patebit. Sciendum præterea, Rescripti nomen Jus Canonicum à Jure Civili sumpsisse, in quo eodem sensu sumitur, quo in Canonico: in isto verò *Cælestinum* III. videri Primum, Rescripti nomen eo modo, quo nunc, usurpasse: Idque in C. 13. *de Rescript.* sed anteà eodem sensu sumptum esse patet ex *Titulo de Rescript.* posito in 1. *Collect. Antiquarum.*

SECTIO I.

DE RESCRIPTORUM AUTHORITATE.

CIrcà Authoritatem Rescriptorum varia considerari possunt. 1. Quanta sit hæc Authoritas. 2. Undè hauriant, quam habent, Authoritatem. 3. Quæ requirantur, ut suâ potiantur Authoritate. 4. Ad quas res se extendat.

§. I.

Quanta sit Rescriptorum Authoritas?

REGULA.

Universalis est Rescriptorum Authoritas eademque quoad amplitudinem, ac Conciliorum Generalium, non autem quoad infallibilitatem.

Prior pars patet ex *Can.* 1. DIST. XIX. ubi NICOLAUS docet, ab Omnibus esse recipienda.

RATIO COMPARATIONIS est: *Concilium Generale* Universalem habet authoritatem, quia totam repræsentat Ecclesiam: Rescripta Pontificis Romani Universalem habere debent autoritatem, quia totam gubernant Ecclesiam. C. 1. DIST. XX. ubi LEO IV. docet, Causas Ecclesiasticas judicandas esse per Pontificum Rescripta, sicut & per Conciliorum Canones.

RATIO DISTINCTIONIS: Ecclesiæ Universali promissa est Infallibilitas, non autem Papæ; Concilium autem Generale idem est, ac Ecclesia Universalis, ac ideò istius Privilegio potitur. Posterior infertur ex C. 6. DIST. XL. in quo dicitur, Papam à nemine judicandum, nisi deprehendatur à Fide devius: infertur ex *Extravag.* JOANNIS XXII. *De Verborum Signif.* Prædecessorum quorumdam suorum Decretis contrariâ: item ex C. 13. *Qui Filii.* & *Extravag. II. de Privilegiis. Extravag. I. de Majorit.* contrariis.

Dices forsitàn contrà posteriorem partem, Summorum Pontificum Rescripta ab ipsis vocari Oracula C. 25. *de Rescript* C. 7. *de Majorit. C. unic. de Voto* in VI. hâc autem voce quid Divinum, proindèque infallibile significari. Verùm respondetur, INNOCENTIUM III. à quo primum & secundum Capita desumpta, & BONIFACIUM, à quo tertium, Oraculi vocabulum usurpasse, prout significat quid reverendum.

Dices iterùm, Rescripta Summorum Pontificum dici Apostolica C. 1. 2. 3. 4. 5. DIST. XIX. ac proindè, æquè parùm errori obnoxia esse, ac Apostolorum Epistolæ. Verùm respondetur, Rescripta hæc sic appellari, quia ab Apostolicâ Sede emanant; undè non sequitur, illa esse infallibilia, sicut Rescripta Apostolorum; alioquin essent infallibilia tàm quoad Factum, quàm quoad Jus: idemque convenire, Rescriptis omnium Episcoporum, quorum

quorum Sedes fundatæ, vel gubernatæ sunt ab Apostolis, ac ideò Sedes Apostolicæ appellantur. C. 6. Dist. XIX.

Oppones iterùm *Agathonem.* C. 2. Dist. XIX. dicere, Sanctiones omnes Summorum Pontificum sic accipiendas tanquàm Divi Petri voce firmatæ sint, ideòque infallibiles habendas esse, sicut haberentur & essent, si à Petro emanarent vel firmarentur. Verùm Respondetur, 1. hunc *Agathonis* locum explicandum per istum S. Leonis relatum. C. 5. Caus. XXIV. Quæst. I. *Manet Petri privilegium ubicùmque ex ipsius fertur æquitate judicium, nec nimia est vel severitas vel remissio, ubi nil erit ligatum, nil solutum, nisi quod S. Petrus aut solverit aut ligarit*, ideòque sensum illius esse, Sanctiones Papales Petri autoritatem habere, quandò juxtà relictas ab hoc Apostolo Regulas factæ sunt.

§. II.

Undè suam hauriant Rescripta autoritatem.

REGULA.

Non aliundè, quàm ex se ipsis, suam Rescripta habent autoritatem.

C. 1. Dist. XIX. ibi Nicolaus probat variis Argumentis, autoritatem Rescriptorum non pendere ex eo, quòd in Codice Canonum, sivè in Corpore Juris inserantur, sed ea, quæ ibi non sunt inserta, paris esse autoritatis, ac ea, quæ ibi inserta sunt, modò aliundè constet, non esse supposititia, quâ Clausulâ subintellectâ in *cit. Can.* firma sunt omninò, quæ continent Argumenta, quæ alioquin infirma sunt.

Ratio: Rescripta, quæ sunt Pars Juris, de quibus major esset difficultas, non habent autoritatem ex eo, quòd in Corpore Juris inserantur; Quæ enim sunt apud Gratianum, ut & alia, quæ apud eumdem sunt, non majorem indè habent autoritatem, ac si non in eo essent, ut suprà dictum est; Quæ verò sunt in Libris Decretalium, Sexti, Clementinarum &c. non possunt majorem hinc habere autoritatem, quàm eam, quâ anteà potiebantur, cùm hæ Collectiones vel factæ vel approbatæ sint à Pontificibus, quibuscum Pontifices, quorum Rescripta his in Collectionibus continentur, paris sunt autoritatis.

Quæres obiter, nùm inserta in Corpore Juris Rescripta ullam hinc capiant utilitatem?

Respondetur, Rescripta in Collectionibus Authenticis, seu Autoritate Legitimâ factis, inclusa, triplicem hinc haurire utilitatem; hinc enim nota fiunt, Authentica declarantur, & aptiora evadunt, ut in Praxim eant; Rescripta verò in Collectionibus non Authenticis inserta, primam & tertiam hinc capere utilitatem; secundam autem hinc tantùm, cùm usu receptæ sunt istæ Collectiones: non ita tamen, ut hinc certum fiat, Rescripta talia eorum esse, quibus tribuuntur, sed solùm, ut, quæ continent, probentur; undè, ut faciliùs concipiatur hæc Responsio, distinguenda est duplex Authenticitas: altera, quâ Scriptum, non suppositum, ei, cui tribuitur, esse declaratur; altera, quâ Scriptum spurium, ut utile recipitur; Authenticitatem istàm adepta sunt usu non pauca, ex falsis Priorum usque ad Siricium Pontificum Rescriptis à *Gratiano* passim citatis.

§. III.

Quæ requirantur, ut suâ Rescripta potiantur autoritate.

REGULÆ.

Ut Rescripta quoad ea, quæ Juris continent, universali suâ potiantur autoritate, non alia requiruntur, quàm ista.

I. Ut ad certa Loca à Summis Pontificibus non restringantur.

II. Ut omnibus Locis conveniant, utilia sint, & expediant.

III. Ut specialibus Locorum Consuetudinibus specialiter derogent, posito, quòd quædam sint illis contrariæ.

IV. Ut sufficienter promulgentur, vel aliter nota fiant.

V. Ut usu ubique recipiantur.

Hæc omnia patebunt ex subsequentibus ad hoc congruis Dissertationibus inferiùs referendis.

§. IV.

Ad quas Res extendatur Rescriptorum autoritas.

REGULA. I.

Ad ea omnia extenditur Rescriptorum autoritas, ad quæ Rescribentis potestas, necnon & voluntas.

Non eget probatione.

REGULA II.

Etsi innumera sint, quæ per Rescripta fieri posse, Jus Canonicum exprimit, vel insinuat, inter ea tamen non alia figillatim notanda videntur, quàm ista.

I. Rescripta Decretalia derogant Conciliis non Generalibus, etsi de his mentionem non faciant; aliis verò; si expressam de his mentionem faciant: Cujus discriminis hæc est Ratio: In priori casu censetur Pontifex attendisse ad Concilia, quibus derogat, etsi mentionem non faciat, secùs in posteriore. *C. 1. de Const. in* XI. *C. 7. de Capell. Monach.*

II. Derogant specialibus Ecclesiarum Statutis, si de his mentionem faciant, quâcumque firmitate roborentur. C. 1. *De Constit. in* VI. C. 4. *de Rescript.*

III. Verba narrativa Rescriptorum Papalium, quibus Papa se fecisse aliqua, putà excommunicasse, suspendisse, resignationem Beneficii recepisse narrat, & super quibus fundatur ejus Gratia & intentio, plenam fidem in Judicio faciunt. *Clementina de Probation.*

Non est in usu apud Gallos hæc *Clem.* Per *Concord. inter* Franciscum I. & Leonem X. abrogata est. Tit. XVI. *de Sublatione.* Clementinæ Litter.

SECTIO II.

De Rescriptis Falsis.

Non agimus seorsim de Rescriptis Veris, quia talia censenda sunt, quæ nec Falsa sunt, nec Suspecta.

Circà Falsa Rescripta, considerari possunt. 1. Quæ Falsi Rescripti notæ in Jure exprimantur. 2. Quæ Cautela adhibeatur, ne fiant Falsa Rescripta. 3. Quis criminis Falsi Reus censendus sit, Quis non. 4. Quomodò puniendus sit Falsi Reus. 5. Quæ pœna contrà Retinentes hujusmodi Rescripta.

§. I.

Quæ Falsi Rescripti Notæ in Jure exprimantur.

REGULA.

Non aliæ exprimuntur in Jure Falsi Rescripti Notæ, quàm istæ.

I. Si, in eo Episcopi, istisque Superiores, Filii vocentur, non Fratres; alii verò aliter, quàm Filii nuncupentur. *C. 6. de Crim. Fal.*

II. Si, dùm uni dirigitur, iste exprimatur in Plurali. *ibid.*

III. Si

III. Si falsa sit Bulla, sivè Sigillum, id est si veræ collata, ab eâ nonnihil absimilis videtur. *C. 5. eod. Tit.*

IV. Si Falsum sit Filum, id est aliud, quàm in Cancellariâ Romanâ consuetum. *ibid.*

V. Si Filum alicujus Bullæ, alteri adjunctum sit.

VI. Si immutata appareat certis in locis scriptura. *ibid.*

VII. Si Charta de novo scripta videatur. *ibid.*

VIII. Si Charta adeò spissa sit, ut Chartæ abrasæ alia tenuissima agglutinata appareat. *ibid.*

IX. Si alia sint scripturæ forma, modus dictaminis, sive Stilus, Chartæ qualitas, quàm quæ in Cancellariâ Romanâ adhiberi solent: Petitæ ex Bulla, Filo, & Stilo falsitatis Notæ indicantur etiam in fine *C. 6. ejusd. Tit.*

§. II.

Quæ à Jure adhibeatur Cautela, ne fiant Falsa Rescripta.

REGULA.

Præter latam in Falsarios pœnam, de quâ posteà, non alia in Jure adhibetur Cautela, ne Falsa fiant Rescripta, quàm quæ sequitur.

Prohibetur, ne Rescripta recipiantur ab alio, quàm à Papâ, vel ab alio, quàm ad id Deputato, idque sub pœnâ Excommunicationis in Laïcum, & Suspensionis in Clericum *C. 4. De Crim. Falsi.*

§. III.

Quis circà Falsum Rescriptum Reus censendus est.

REGULA.

Non alii à Jure habentur ut Rei circà Rescripta Falsa, quàm isti.

I. Falsitatis vitium per se Exercens, vel per alium, illiusque Fautor & Defensor. *C. 7. De Crim. falsi.*

II. Rescripto Falso Utens. *ibid.* Idem habet C. 8. & 11. sumpta in contrario sensu.

III. Illud Impetrans. *ibid.*

IV. Ultra 20. dies illud Detinens. *C. 4. eod.* TIT. *in fine.*

Nota obiter ex postremo loco citato inferri posse, Priorem loqui tantùm de Utente & Impetrante, qui cognoscit falsitatem: nam, quæ dicit de Detinente, ad Cognoscentem falsitatis vitium restringit, & non est potior ratio de isto, quàm de aliis.

§. IV.

Quomodo à Jure Canonico puniatur circà Rescriptum Falsum Reus.

REGULA.

Non aliis plectit Jus Canonicum pœnis circà Rescriptum Falsum Reos, quàm istis.

I. Falsitatis vitium per se vel per alium Exercentem necnon & illius Fautores Anathemate innodatos declarat. *C. 7. De Crim. Falsi.*

II. Clericos Falsarios deprehensos omni Officio, Beneficioque Ecclesiastico privat, sivè per se, sivè per alium hoc Crimen commiserint; si verò per se, degradari jubet, & Potestati Seculari tradi. *ibid.*

III. Utentem, Impetrantem quoque, ipso facto ab Officio & Beneficio spoliari jubet, si sit Clericus; si Laïcus, Excommunicationi tamdiù subjicit, donec competenter satisfecerit. *ibid.*

IV. Ultra 20. dies Detinentem Excommunicatione Papæ specialiter reservatâ illaqueat. *C. 4. ejusd.* TITULI.

V. Præcipit, ut Testes, qui gratiâ, odio, vel timore super Falsitate Rescripti nolunt deponere, ad id per Censuram Ecclesiasticam compellantur. *C. 9. de Testib. cogendis.*

SECTIO III.

DE RESCRIPTIS SUSPECTIS.

CIrcà Rescripta Falsitatis suspecta Quæri potest. 1. Quæ talia à Jure habeantur. 2. Quid circà hujusmodi Rescripta sit faciendum.

§. I.

Quæ Rescripta Falsitatis suspecta à Jure censeantur.

REGULA.

Non alia in Jure dicuntur suspecta Falsitatis Rescripta, quàm ista.

I. Si sint contraria alicui Concilio Generali, & de eo mentionem non faciant: Si tamen illud Concilium aliud sit, quàm Tridentinum; PIUS enim V. expressè Brevi 1570. declaravit, Rescripta Concilio Tridentino contraria valere, etiamsi illi non derogent expressè. *C. 3. de Capell. Monach.*

Infertur ex C. 17. *de Rescript.* in quo INNOCENTIUS III. dicit, quòd sciens nihil apponi facit in Rescriptis suis, quod de Jure debeat reprehendi: hoc Idem articulo hanc affert rationem C. 57. *De Elect. Non est credendum, Romanum Pontificem, qui Jura tuetur, uno verbo velle subvertere, quod aliàs multis vigiliis est inventum & excogitatum.*

II. Si quæ Falsitatis Nota ex suprà notatis in illis ita appareat, ut meritò dubitetur, an vera sint. *C. 15. De Appell.*

III. Si Causæ cognitionem prohibeant. *Cap. 2. De Rescr. Vid.* GONZALEM *in illud n. 18.* Hæc prohibitio injusta esset, quia nemo inauditus damnandus est.

IV. Si manifestum in Constructione peccatum contineant. *C. 11. De Rescript. C. 5. De Crim. Falsi.*

V. Si sit rasura in loco suspecto. *C. 3. de fide Instrum.*

VI. Si Gratia concessa, sit insueta exemploque careat *C. 5. 6. De Confirm. Utili &c.*

§. II.

Quid faciendum circà Rescripta Falsitatis Suspecta.

REGULA.

Circà hujusmodi Rescripta nil aliud facere præcipit Canon, quàm istud.

I. Si Rescripta sint Juri contraria, non sunt exequenda; sed Superior super ea consulendus. *C. 2. de Crim. falsi. C. 8. De fide Instrum.*

II. Si quid habent Juri consonum, id executioni mandandum est. *C. 8. mox citat.*

SECTIO IV.

DE RESCRIPTIS NULLIS.

REGULA.

Rescripta non in aliis Casibus declarantur nulla à Canone, quàm in istis.

I. Si Falsi suggestione, vel Veri suppressione obtineantur; quod generaliter verum est, si id fiat ex malitiâ, & agatur de Gratiâ; secùs, si fiat ex simplicitate, vel ignorantiâ, & agatur de Justitiâ; tunc enim valet quoad id quod habet Juri Communs consonum. C. 8. *de Constit.* C. 6. *De Conc. Præb.* C. 16.

C. 16. Caus. XXVI. Quæst. II. C. 20. *De Rescript.* C. 11. *De Deleg. in.* 1. *Coll.*

II. Si dent Curatum Beneficium Personis, quæ Scientiâ, Moribus, & Ætate non congruunt Concilii Lateranensis Institutis; Quod extendi potest ad omnia Rescripta Gratiæ & Justitiæ, Canonibus contraria, ipsisque non Derogantia. C. 4. *De Ætat. & qual.* &c. C. 3. *De Capell. Monach.* Caus. XXV. Quæst. II. *C.* 13. 14. 15. 16.

III. Si in his desit aliqua littera & non constet de Mandatoris intentione, nec Præcedentia per Subsequentia intelligantur; secùs, si desit tantùm aliqua littera. *C. in* 15. *in Coll.* 5. *De Off. & Pot. Deleg.*

IV. Si dentur à Pontifice per ignorantiam, vel negligentiam, vel occupationem nimiam inadvertente. C. 41. *De Sent. Excomun.*

V. Si ab Excommunicato impetrentur extrà Communionis vel Appellationis Causam. C. 1. *De Rescript.* in VI. C. *ult. De Except.*

VI. Si ab eodem plures in alium Appellationes Habente, ad diversos Judices impetrentur Rescripta. *C.* 2. *De Rescript.* in VI.

VII. Si à Reo Actorem Conveniente vel Reconveniente, ad alium, quàm ad illum, coràm quo convenitur, Rescriptum impetretur. *ibid.*

VIII. Si Secundum Rescriptum circà eamdem rem impetratum de Primo mentionem non faciat. *C.* 2. 3. *De Rescript.* Loquuntur tantùm de Rescript. Justitiæ, sed ob paritatem rationis, ad alia extendi possunt. Ratio enim illorum est, ne fraus sua Autori patrocinetur, hæc autem Ratio generalis est, ideòque audienda tàm circà Rescripta Gratiæ, quàm circà Rescripta Justitiæ. *Vide Exceptionem in R.* 4.

IX. Non valet Rescriptum super his, quæ Ordini Cistercienſi Sedes Apostolica specialiter indulsit, nisi in illo facta fuerit hujus Ordinis Mentio. *C.* 6. *ibid.*

X. Non valent Rescripta, quibus impetrantur indeterminati Judices ab ipsâ Parte eligendi. *C.* 10. *ibid. Vid.* Gonzalem, ubi notat hujus rei causas aliisque Textibus probat congruas esse.

Hic damnari videtur Usus apud Gallos receptus, quo postulati à Parte Judices à Papa vel Legato impetrantur: sed differt hic Usus à damnato, quia apud Nos determinati sunt Judices, illic verò indeterminati.

XI. Non valet impetratum post Appellationem Rescriptum, in quo nulla de illâ fit mentio. *C.* 12. *ibid.*

XII. Rescriptum dolo obtentum irritum est habendum: idem dic, si antè terminum obtineatur: dolo autem obtinetur, si Impetrans Dignitatis suæ nomen supprimit, ut sibi Rescriptum detur aliter denegandum. *ibid.* C. 50. *De Appell. C.* 50. *de Rescript.*

XIII. Si diversa ad diversos Judices super eodem negotio contrà eumdem impetrentur Rescripta, quorum unum de alio non faciat mentionem, nullum ex his valet. *C.* 16. *ibid.*

XIV. Rescriptum obtentum contrà talem talis Diœceseos nullum est, si iste sit alterius Diœceseos. C. 34. *eod.* Tit. Hujus Casus & sequentis Ratio desumitur ex præsumptione fraudis.

XV. Impetratum contrà Hominem Diœceseos, non non valet ergà Hominem Civitatis. *C.* 25. *eod.* Tit.

XVI. Excedens Concedentis Jurisdictionem non valet, quale esset quod ab Ecclesiâ daretur circà rem Fori Secularis. *C.* 10. 20. *De For. Comp. in integrâ.*

XVII. Si Secundum Rescriptum post legitimam executionem accipiatur, irritum est. C. 16. *De Rescript. C.* 4. *De Restit. spoliat.*

XVIII. Quandò Rescriptum est aliquorum Privilegiis, Statutis, Consuetudinibus contrarium, nullum est, nisi adsit Clausula Derogatoria.

Infertur ex *C.* 1 *de Constit. in VI.* Quod enim dicit de Constitutionibus, ad Rescripta extendendum est, cùm sit par Ratio: Infertur etiam ex. C. 6. *De Rescriptis*, in quo dicitur, quòd in Rescripto Ordinis Cistercienſis Privilegiis contrario, facienda est mentio de Privilegio hujus Ordinis, ut valeat Rescriptum; Dici posset, quòd *Caput istud* contineat Gratiam Ordini Cistercienſi specialiter indultam, ideò ad alios similes Casus extendi non posse; sed Respondere licet, quòd id unum speciale est in *cit. Cap.* quòd in Rescriptis Ordini Cistercienſi adversis expressa sit mentio faciendа de Privilegiis hujus Ordinis: in Rescriptis verò, quæ aliorum Indultis adversantur, sufficit ut generaliter derogetur omnis Privilegiis.

REGULA II.

Ignorantia Facti, quod in Rescripto, ut valeat, est exprimendum, impedit, ne Rescriptum sit irritum, quandò Factum illud non exprimitur.

C. 7. *De Rescript.* in VI.

REGULA III.

Rescriptum quoad aliquid nullum, non ideò quoad cætera irritum est.

C. 9. *de Rescript.* in VI.

REGULA IV.

Secundum Rescriptum valet, non factâ de Primo mentione, quandò Impetrans isto usus non est dolo vel negligentiâ.

C. 9. 12. *de Rescript.*

REGULA V.

Rescriptum nullum est, quotiès non exprimit, quod, ut valeat, Jus vel Stilus exprimendum declarat.

Infertur ex C. 17... 34. 35. *de Rescript.* ubi Rescripta declarantur nulla, ob id solùm, quòd in his non exprimantur, quæ ex solo Jure vel Stilo esse exprimenda judicantur.

Circà ea, quæ exprimenda declarât Jus *Vibe* R. 9. *hujus Tituli.*

REGULA VI.

Non est irritum Rescriptum, quotiès non exprimit, quod expressum à concedendo Papam revocaret.

C. 23. *de Accus.* ubi Collatio facta Criminoso Beneficium Petenti, modò non sit diffamatus, valet, si illius tamen crimina expressa fuissent, à conferendo tali, retraxissent, ut inferre licet ex *C.* 4. *de Ætate & Qual.* &c.

REGULA VII.

Non sola Falsitas, seù Res Falsa, quæ cognita à concedendo Papam retraheret, Rescriptum irritat, sed quandòque & ea, quæ cognita non retraheret.

C. 34. *de Rescript.*

REGULA VIII.

Irritum est Quidquid fit vi Rescripti irriti.

C. 19. *De Rescript. C.* 6. *De Conc. Præb.*

REGULA IX.

Quæ exprimenda in Rescriptis, ut valeant, continet.

Non alia Canon ad id clarè exigit, ut in Rescriptis exprimantur, quàm ista.

I. In Secundo Rescripto circà idem negotium impetrato, de Primo mentio haberi debet. C. 2. 3. 15. *De Rescript.* C. 11. 13. *de Deleg. in* 11. *Coll.* C. 12. 19. *eod.* Tit. *C.* 2. *de Appell.*

II. Si Quid impetretur contrarium Apostolicis Ordinis Cistercienſis Indultis, hujus Ordinis facienda est mentio. *C.* 6. *eod.* Tit.

III. Obtentum post Appellationem, istius meminisse debet. C. 12. *eod.* Tit. C. 3. *de Confir. util.* &c.

IV. Vera Impetrantis Diœcesis exprimenda est. *C.* 34. *eod.* Tit.

V. Idem de ipsius Patriâ vel Domicilio, quandò est de Civitate Cathedrali. *C.* 35. *eod.* Tit.

VI. Extrà

VI. Extrà Diœcesim ultrà duas Diætas Reum trahens meminisse debet Constitutionis id prohibentis. *C.* 26. *Eod.* TIT.

VII. In Rescripto ad Beneficium, exprimendum illud, quod Impetrans jam possidet. *C.* 26. 27. 42. *Eod.* TIT.

VIII. In Rescripto Beneficii Restitutorio exprimenda est causa, ob quam Impetrans amotus fuit. *C.* 26. *Eod.* TIT.

IX. In Rescripto ad Beneficium obtinendum, Impetrans meminisse debet Primi, vi cujus Beneficium vel Pensionem obtinuit. *C.* 31. *Eod.* TIT.

X. Irregularis suæ irregularitatis meminisse debet in Rescripto, quo Beneficium impetrat. *C.* 2. *de Fil. Presb.*

XI. In Rescripto, quo quis à Beneficio amoveri præcipitur ob impedimentum Canonicum, à quo dispensatus fuerat, habenda est mentio Dispensationis anteà sibi concessæ. *C.* 9. *Eod.* TIT.

XII. In Rescripto, ad Beneficium obtinendum, Impetrans exprimere debet, se Clericum esse. *C.* 16. *de Transact.*

XIII. In Rescripto, cujus impetrationi obest Excommunicatio, de istâ mentio facienda est; secùs, si non obsit. *C. ult. de Except.*

XIV. Cùm vi Primi Rescripti processum est, ac res, de quâ agitur, tangit Privilegia à Sede Apostolicâ concessa, Secundum Rescriptum circà eamdem rem impetratum de utroque hoc puncto meminisse oportet. *C.* 30. *de Sent. & Re Jud.*

XV. Contrarium Statuto jurato & à Papâ confirmato Rescriptum de illo mentionem facere debet. *C.* 19. *de Rescript.*

XVI. In Rescripto, quo Petro Prioratus seù Temporalis Administratio confirmatur, exprimendum, Petrum esse Regularem. *C.* 5. 6. *de Confirm. util. &c.*

XVII. Rescriptum à Censurâ absolvens facti seriem, propter quod illa lata est, continere debet. *C.* 5. *de Cohab. Cler.*

XVIII. Quandò Rescriptum Concilio Generali adversatur, illius meminisse debet. *C.* 3. *de Capell. Monach.* Exceptio habetur. *C.* 1. *de Const.* in IV.

REGULA X.

Expressionis defectus suppletur per Clausulam faciendæ expressioni respondentem.

C. 21. *de Præb. in* IV.

REGULA XI.

Clausula *motu proprio* eundem defectum supplet, nisi agatur de damno tertii.

C. 23. *de Præb. in* VI.

SECTIO V.

DE ANNULANDIS RESCRIPTIS.

REGULA.

Non alia in Canone leguntur circà Rescripta annullanda, quàm ista.

Quidquid sit ex Rescripto irritando quale est subreptitium, quoad Lites irritandum est. *C.* 22. *de Rescript. C.* 5. *de Vicario.*

SECTIO VI.

DE RESCRIPTIS, QUORUM DUBIUS EST VALOR.

REGULA.

In dubio, an Posterius Rescriptum Prius revocet, utriusque Judices simul cognoscere debent, si alii aliis deferre noluerint; quòd si concordare nequiverint; Arbitri à Partibus electi concertationem sopire debent.

C. 14. *de Rescript.*

SECTIO VII.

DE RESCRIPTORUM, QUIBUS INEST AMBIGUITAS, INTERPRETATIONE.

REGULA.

Non alia leguntur in Canone circà Rescriptorum ambiguorum interpretationem, quàm ista.

I. REscripta ambigua ex Rescribentis intentione interpretanda sunt. *C.* 41. *de Appell.*

II. Quandò obtinetur Rescriptum contrà Petrum & Quosdam alios, hæc Clausula, *Quidam alii*, non extenditur ad Plures, quàm ad Quatuor, quorum Nomina in primâ Citatione sunt exprimenda, ne varietati detur locus. *C.* 2. *de Rescript.* in VI.

III. Si plures in eodem negotio committantur cum hâc Clausula *si non omnes simul potuerint, quî poterunt procedant*, hoc de impotentiâ tàm Facti, quàm Juris, intelligendum est. *C.* 13. *de Rescript.*

IV. Si verò aliquis interesse noluerit, alii procedere non possunt, nisi prædictæ Clausulæ additum fuerit, *aut noluerint. ibid.*

V. Rescriptum ex Jure Communi est interpretandum quoad ea, in quibus ipsi expresè non derogat. *C.* 18. *Eod.* TIT.

VI. Clausula, *si ita est*, ad omnia, quæ præcedunt, extenditur. *C.* 25. *Eod.* TIT.

VII. Clausula, *si Idoneus*, non imponit onus probandi se idoneum, Rescriptum accipienti. *C. ult. De Præsumpt.*

VIII. In Rescripto, quo in aliquâ Ecclesiâ de Beneficio aliquis provideri jubetur, nomine Beneficii simplex Beneficium, non illius Ecclesiæ Rectoria seù Dignitas intelligitur. *C. ult. De Præb.*

IX. Rescriptum Gratiam ambitiosam concedens strictè est interpretandum: Talis autem censetur, quâ Prælato permittitur, ut Beneficia, quæ tempore Promotionis habet, retineat. *C.* 5. *de Rescript.* in VI.

X. Quandò pluribus articulis connexis in unâ Commissione positis, in uno tantùm contingit, Appellationem expresè vetari, ea quoque circà alios censetur interdicta, quocumque Rescripti loco Clausula inseratur; *C.* 41. *de Appell.* Sed, si de pluribus negotiis, quæ se minimè contingunt, in Rescripto agatur, ad illud negotium restringenda est Clausula, quod præmissum est. *C.* 71. *Eod.* TIT.

XI. Præcedentia per Subsequentia, & è contrà, sunt explicanda, cujus ratio est, quia Rescripti principium sæpè refertur ad medium & ad finem, medium verò ad principium & ad finem. *C.* 41. *cit.*

XII. In re gratiosa Abbates sub Monachis comprehenduntur. *C.* 46. *de Sim.*

SECTIO VIII.

DE ALIIS RESCRIPTORUM DIVISIONIBUS.

QUæ de Rescriptis dicenda supersunt, paucis Titulis comprehendimus; quia, quæ Rescripta conditionata & disjunctiva respiciunt, uno verbo expediuntur: quæ verò Rescripta tùm Gratiæ tùm Justitiæ spectant tribus Regulis finiuntur: postremò, quæ ad Rescriptorum executionem pertinent, pluribus quidem Regulis, sed brevissimis & facillimis continentur. Eâdem de causâ possemus etiam, nullâ adhibitâ subdivisione, singula hæc explicare, verùm, ne ulla sit hoc in Tractatu confusionis umbra; Sectionem hanc Octavam in Sex §§. pro rerum tractandarum numero subdividemus;

§. I.

De Rescriptis Conditionatis.

REGULA I.

Rescriptum conditionatum non valet, nisi adimpleatur conditio.

C. 13. *De Rescript.* in VI. CLEM. *unic. de Concess. Præb.*

REGULA

REGULA II.

Hinc si Quis sub futura conditione Beneficium impetret, alius verò purè ante conditionis hujus eventum, posterior priori præfertur.
C. 13. *De Rescript. in* VI.

§. II.

De Rescriptis Disjunctivis.

REGULA.

In Rescripto Disjunctivo (*quale, quo præcipitur aliquid fieri, si hoc, vel illud ita se habeat*) sufficit, quòd una pars sit vera.
C. 4. *De Rescriptis.*

§. III.

De Rescriptis Obreptitiis, Subreptitiisve.

Notandum, per Rescriptum Obreptitium intelligi, illud, in quo tacetur veritas exprimenda; per Subreptitium verò, intelligi illud, in quo suggeritur falsitas: Notandum iterùm, Rescriptum Obreptitium dici posse Subreptitium, quia surripitur Concedenti, qui si sciret quod tacetur, Rescriptum denegaret. His notatis hæ traduntur Regulæ.

REGULA I.

Fundamentum notatæ distinctionis inter Rescripta Obreptitia, Subreptitiave in Canone reperitur: ipsa verò distinctio nequaquàm, imò contrarium quid in eo habetur.

I. Pars patet ex *C.* 20. *De Rescript.* & ex. *C.* 7. *De Fide Instrum.*

II. Credenda, donec citetur aliquis Canon, in quo talis distinctio exprimatur.

III. Pars est in *Cap.* 22. *de Rescript.* & in *C.* 21. 23. *de Præb. C.* 41. *de Excom.* Vocant Surreptitia Rescripta, in quibus veritas exprimenda tacetur.

REGULA II.

Obreptio vel Surreptio non eumdem habent effectum, in quovis Rescripto.

Infertur ex *C.* 8. & 22. *de Rescript.* quæ docent, Rescriptum Justitiæ Obreptione, vel Surreptione fieri annullationi obnoxium: Rescriptum verò Gratiæ, eâdem Obreptione, vel Surreptione fieri nullum.

REGULA III.

Triplex est Clausula, quæ impedit, ne Obreptio, Subreptiove noceat, Motu proprio, Nonobstante, Ex certâ scientiâ.

De Primâ fit mentio in *C.* 23. *de Præb. in* VI. de secundâ in *C.* 21. *ibid.*

§. IV.

De Rescriptis proprio Motu datis.

REGULA I.

Ut sunt Rescripta, quæ ad Impetrantium petitionem vel aliorum dantur, ita sunt, quæ ex merâ Concedentis benignitate procedunt & Rescripta de Motu proprio dicuntur.
C. 23. *de Præb. in* VI.

REGULA II.

Nullum Rescriptum proprio Motu datum reputandum est, nisi id in eo exprimatur. *ibid.*

REGULA III.

Clausulæ, proprio Motu, non alia vis, quàm ut impediat, ne Rescriptum Obreptitium Surreptitiumve censeatur, & ut denotet Papam immediatam jurisdictionem prætendere in eos, quibus illa diriguntur.

Id operatur citata Clausula, aliud autem operari ex nullo juris Textu colligere fas est.

§. V.

De Rescriptorum stylo.

REGULA.

Non alia in Canone habentur ad Rescriptorum stylum pertinentia, quàm ista.

I. Episcopi, Archiepiscopi, aliique Superiores vocantur à Papâ Fratres; non Filii: cæteri verò vocantur Filii.

II. Papa scribens singulis Personis plurali locutione non utitur.

§. VI.

Comprehendens cæteras Rescriptorum Divisiones.

REGULA I.

Rescripta alia sunt Excitatoria, alia Restitutoria, alia Attributoria.

Excitatoria sunt, quibus Ordinarius ad ea facienda excitatur, quæ ex Officio facere potest & debet: *Restitutoria* sunt, quibus Ordinario præcipitur, ut quæ aliàs poterat, ut Ordinarius, nunc tamquàm Sedis Apostolicæ Delegatus faciat; *Attributoria* sunt, quibus Ordinario, quæ ut Ordinarius non potest, nec aliàs potuit, committuntur.

REGULA II.

Primi & Secundi generis Rescripta à Rescriptis Tertii generis in eo differunt, quòd quæ vi illorum fiunt, autoritate *Ordinariâ* fiant, ideòque in eis Appellatio immediata ad Prælatum proximè Superiorem devolvitur. Quæ verò in istorum executionem fiunt, autoritate *Delegatâ* fiant, ideòque ad Committentem Appellatio devolvitur.

Prior Regulæ Pars expressè habetur in *C.* 12. *de Off. Ord.* quoad Rescripta Excitatoria: Quoad alia verò, ex pluribus Concilii Tridentini locis præfata autoritas Delegata colligitur, cùm doceant Ordinarium, post factam ab eodem Concilio restitutionem, tamquàm Delegatum agere debere in iis, quæ aliàs ut Ordinarius faciebat. Infertur etiam ex *Eod. Cap.* 12. restitutione enim, quæ aliena erat jurisdictio ejus propria fit, cui restituitur. Hoc fusiùs explicatur *in Tractatu de Jurisdict. Ecclesiasticâ* in II. *Tomo*, inserendo.

SECTIO IX.

De iis, quæ Rescirptis Justitiæ *sunt peculiaria.*

REGULA I.

Quidquid ratione Materiæ convenit Rescripto Justitiæ, id sibi peculiare habet. Hinc quæcumque huic Rescripto conveniunt ex eo, quòd Forum Contentiosum respiciat, sibi peculiaria sunt.

REGULA II.

Non alia habentur in Canone Rescriptis Justitiæ peculiaria, quàm ista.

I. Non diriguntur nisi Dignitatem vel Personatum Habentibus aut Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, nec executioni mandantur nisi in Civitatibus vel Locis Insignibus. *C.* 11. *de Rescript. in* VI.

II. Si quis Duplici Rescripto delegetur ad eamdem Causam, *Generali*, quo Causa non exprimitur, sed tali modo

modo tractari jubetur, cùm expressa fuerit, & *Speciali*, quo Personæ & Res exprimuntur: nonnullaque mutantur quoad procedendi formam; Speciale, Rescriptum Generali derogat, quoad ea, quæ specialiter exprimit. *C.* 14. §. *Quoniam. De Refor.*

III. Rescriptum, quo Personis & Rebus non expressis, sed postea exprimendis Causa committitur, jurisdictionem dat, sed non exercitium Jurisdictionis: istud verò accipitur Rescripto, quo postea Res & Personæ exprimuntur. *ibid.*

IV. Rescriptum expresse obtentum contrà Minores & viliores Personas, ad Majores extendi non potest. *C.* 15. *eod.* TIT.

V. Clausula *& quidam alii* non est ad multitudinem effrænatam extendenda, sed exponenda, ut in *C.* 2. *de Rescript. in* VI. *ibid.*

VI. Rescriptum, quo Impetrans non utitur contrà expressos sed contrà Minores, vel Pares non expressos, censetur dolo obtentum, ideòque ut nullum habetur. *ibid.*

VII. In Causâ Monasterii, in quo Abbatis & Conventûs negotia non sunt discreta, valet Rescriptum, quod Solius Abbatis meminit, vel quod contrà solum Abbatem impetratur. *C.* 21. *de Rescript.*

VIII. Rescriptum Subreptitium non est nullum: hinc patet, quòd omissio Clausulæ, *si Preces veritate nitantur*, non annullat id genus Rescripti. *C.* 22. *de Rescrip* expressè dicit, hanc Clausulam subintelligendam, si omittatur, & de Rescriptis Justitiæ manifestè loquitur.

IX. Qui Rescripto ex malitia vel negligentiâ intrà annum non utitur, alio potest conveniri, etsi Primi non meminerit. *C.* 28. *eod.* TIT.

X. Rescriptum ultrà duas Diætas extrà Diœcesim Reum trahens, non valet, nisi Partes consenserint, vel id Constitutionis id prohibentis meminerit. Gallia factam huic Constitutioni Derogationem non probaret, Parte Adversâ de hoc conquerente *C.* 28. *ibid.* Corrigitur hoc Caput *Cap.* 11. *de Rescript.* in VI.

XI. Impetratum sine Speciali Domini Mandato Rescriptum non valet, nisi à Consanguineis vel litis Consortibus aliisque similibus impetratum sit; idem si Mandatum revocatum fuerit, & revocatio Procuratori innotuerit. In Galliâ sine tali Mandato validè impetratur. *C. eod.* §. *Sunt & alii. C.* 33. *eod.* TIT.

XII. Admittens Appellationem Rescriptum circà executionem anterioris Rescripti, prævalet Rescripto, quod Causam commisit, cujusque executio Appellationi locum præbuit. *C.* 29. *eod.* TIT.

XIII. Successor conveniri nequit Rescripto in Prædecessorem impetrato, si iste antè mortem vi illius ad Judicium non sit vocatus, præterquàm si succedat in vitio: cujus ratio est, quia Rescriptum expirat cum eo, contrà quem impetratum est, si res sit adhuc integra. *C.* 36. *eod.* TIT. *C.* 11. *de Judiciis. C.* 36. *de Rescript.*

XIV. Rescripta Impetrantes, iisque Utentes, ut alios quoquo modo vexent, illorum commodo frustrati in expensis sunt condemnandi *C.* 44. *de Rescript.* hùc referri potest. *C.* 16. *eod.* TIT. quod privat Prioris Rescripti commodo eum, qui aliud dolo impetrat non factâ illius mentione.

XV. Fiunt inutilia, nisi Impetrans iis intrà annum utatur. *C.* 9. & 33. *De Rescr.*

XVI. Vis eorum expirat, si Concedens moriatur nondùm incœpta executione. *C.* 19. & 20. *de Deleg.*

XVII. In Causa Reali Rescriptum sequitur rem, quam respicit, undè vi illius conveniri potest is, ad quem transmittitur post Rescripti Impetrationem. *C.* 1. *de alien. Jud. mut. causa.*

XVIII. Id ad quod Jure Communi Rescriptum extenditur, tanquàm expressum habetur, si prætermittatur. *C.* 1. *De Mutuis Petition.*

XIX. Sub eâdem Rescripti formâ reconveniri potest Actor, sub quâ Reum convenit. *C.* 2. *De Mut. Petit.*

XX. Rescriptum Appellationem prohibens, injustam tantùm prohibet. Clausula autem, quâ Appellatio prohibetur, non convenit nisi Rescripto Justitiæ. *C.* 47. *De Appell.*

XXI. Rescriptum rei litigiosæ Confirmatorium non valet, rei verò legitimè possessæ ita valet, ut absque Sedis Apostolicæ Mandato de eâ cognoscere Judici non liceat. *C.* 1. 2. *De Conf. Util. &c.*

XXII. Prælatus in Causis Prioratuum sibi subditorum, vi Rescripti Reum convenire nequit, nisi ubi Priores possent, si alibi conveniat, in expensis damnatur, & Processus est irritus. *Clem. I. de Rescript.*

XXIII. Cùm Justitiæ Rescripta facillimè impetrentur, non præsumitur Quis falsasse hujusmodi Rescriptum, nec punitur qui ex ignorantia vincibili falso Justitiæ Rescripto utitur, modò uti desierit statim, ac illius falsitas sibi nota facta est. C. 8. *De Crim. Falsi.*

XXIV. Rescriptum, quo committitur Judex notoriè suspectus, surreptitium judicatur, si de tali suspicione nulla fiat in illo mentio. *C.* 2. *Ut lite non Contest.*

SECTIO X.

De iis, quæ RESCRIPTIS GRATIÆ *peculiaria sunt.*

REGULA.

Non alia in Canone leguntur Rescriptis Gratiæ peculiaria, quàm quæ sequuntur.

I. Dantur ad tempus indeterminatum, scilicet ad beneplacitum, vel Pontificis vel Sedis Apostolicæ; si ad Pontificum, expirant cum illis, si ad Sedis Apostolicæ, durant, donec revocentur. *C.* 5. *de Rescr. in VI.*

II. Tempus Datæ attenditur, non Præsentationis, nisi cùm non apparet, Quis priùs impetraverit, &, si Impetrantes in omnibus sint æquales, locus est Gratificationi. Attenditur autem tempus Datæ, quia Rescriptum istud ad rem jus dat, eo ipso, quo obtinetur, si Beneficia respiciat. *C.* 9. 12. *ibid.* Idem habetur. *C.* 7. & 30. *eod.* TIT. in DECRET. *C.* 14. *ibid.*

III. Rescriptum ad Beneficium obtinendum irritum est, si aliud ab Impetrante jam possessum in eo taceatur. *C.* 17. 27. 42. *eod.* TIT.

IV. Rescriptum in Beneficio restituens non valet. nisi causam, ob quam Impetrans ab eo erat amotus, exprimat. *C.* 6. *eod.* TIT.

V. Rescriptum, quo Beneficium conceditur ei, qui simili Rescripto renunciavit ob alia Beneficia vel Pensiones, irritum est, si Primi sic venditi non meminerit. *C.* 31. *eod.* TIT.

VI. Executorium de Beneficio Rescriptum non valet, nisi Monitorium, de quo mentionem facit, præcesserit. *C.* 37. *eod.* TIT.

VII. Rescriptum cum hâc Clausulâ, *si pro alio non scripsimus*, non valet in Ecclesiâ, in quâ vi Rescripti ejusdem Pontificis aliquis obtinuit Beneficium, vel ad hoc receptus est. *C.* 39. *eod* TIT.

VIII. Pontifex, qui in unâ Ecclesiâ Rescriptum Prædecessoris sui executus est, potest aliud in eadem alteri concedere, quin illam bis gravet. *C.* 39. *eod.* TIT.

IX. Speciali gravatus Rescripto non est iterùm gravandus vi Generalis Rescripti, quo jubetur Episcopus, ut alicui provideri faciat in Diœcesi suâ, ubi pro alio non est scriptum. *C.* 40. *eod.* TIT.

X. Gratia alicui concessa sine alterius læsione interpretanda est, & si quæ fiat, compensanda est. *C.* 12. *De Deleg. C.* 1. *Lit. pend. C.* 16. *De Major. & Obed.*

XI. Rescriptum Gratiæ Obreptitium, vel Subreptitium, est nullum, sivè Beneficia, sivè alias Gratias respiciat. *C.* 8. 17. 19. 27. 31. 32. 37. 42. *De Rescr.* & *C.* 6. *eod.* TIT. in VI. Quæ omnia de Beneficiis loquuntur *C.* 16. *De Rescr.* & *C.* 7. *De Fid. Instr. C.* 2. *De Fil. Presb.* CONC. TRID. SESS. XIII. *C.* 5. *De Ref.*

XII. Hinc

XII. Hinc si, tacito Canonico ad Beneficium impedimento, præscriptum Beneficium impetretur, Rescriptum irritum est. *C.* 2. *De Fil. Presb.* ubi Rescriptum ad Beneficium ob talem defectum nullum declaratur.

XIII. Rescriptum Gratiæ non expirat, etsi intrà annum executioni non mandetur, nec etiam morte Concedentis antè incœptam executionem. C. 5. *De Rescr.* in VI. nisi mera Gratiæ executio demandetur. *C.* 36. *De Præb.* in VI. *in fin.* Glossa *in* Verbo *Moriatur*, ubi solvit contradictionem apparentem hujus Textûs cum *C.* 9. *de Offi. Deleg. in* VI.

XIV. Rescriptum, Secundum Beneficium concedens, meminisse debet primi, quod Primum Beneficium concessit. *C.* 6. *De Præb.* Gloss. *in* Verbo *aliud.*

XV. Rescriptum, quo Collator Petro Beneficium jàm vacans aut primùm vacaturum conferre jubetur, non eum ita ligat, ut alteri illud invalidè conferat, illum tamen obligat, ut, si Petrus Beneficio sufficienti careat, illum de reditibus Ecclesiæ alat, donec aliud Beneficium sufficiens contulerit. *C.* 27. *De Præb.*

XVI. Cùm Rescriptum jubet, ut quis Apostolicâ autoritate recipiatur, Receptus vi talis Rescripti eâ autoritate receptus dicitur. Idem quoque si ad eos, ad quos dirigitur Rescriptum, receptio non pertineat, aliàs verò autoritate Ordinaria receptus censetur. *C.* 4. *De Rescr. in* VI.

XVII. Rescriptum concedens Beneficium certo modo vacaturum, jus nullum dat ad aliud modò vacans. *C.* 6. *De Rescr. in* VI.

XVIII. Impetratam à Sede Apostolicâ Gratiam sentire Volens, Litteris probare debet. *C.* 1. *De Elect.* Extrav. Com.

XIX. Rescriptum Gratiam revocans, quæsitum jus non tollit, sed quærendum, nisi istud digniori quæsito juri sit annexum. *C.* 39. *De Præb. in* VI.

XX. Qui ex ignorantiâ vincibili (quâ intelligitur, quæ ex merâ negligentiâ oritur) falso Gratiæ Rescripto utitur, pœnâ plectitur. *C.* 7. *De Crim. falsi.*

XXI. Rescriptum Gratiam concedens cum Decreto irritante ligat Ignorantes. *C.* 40. *De Præb. in* VI.

Nota circà Art. II. in eo fundari Regulam 54. in VI. *Qui prior est Tempore potior est Jure*: sed hanc Regulam varias pati exceptiones, quæ ad tres reduci possunt. I. est, quandò Prius Rescriptum est nullum vel annullandum. Prima Exceptio habetur. C. 7 *de Rescript. in* VI. II. Quandò qui priùs impetravit, verbo vel facto renunciavit Rescripto suo; facto autem Quis Rescripto renunciat 1. si intrà tempus congruum eo uti negligat. 2. Si post Rescriptum impetratum Uxorem ducat. Secunda infertur ex *C.* 1. 3. *de Cler. Conjug.* III. Si in Posteriori jubeatur, ut istius Impetrans, Prioris Impetranti præferatur. Tertia legitur in *C.* 7. *de Conceff. Præb. in* VI. in quo fit prima mentio Clausulæ *anteferri*, in Gratiis Expectativis postmodùm multotiès insertæ, necnon Effati, *si vinco vincentem te, à fortiori vinco te.*

SECTIO XI.

De iis, quæ Rescriptis *tàm* Gratiæ, *quàm* Justitiæ *communia sunt.*

REGULA.

Non alia in Canone leguntur, Rescriptis tàm Gratiæ, quàm Justitiæ communia, præter ista.

I. Speciale derogat Generali, etsi de Generali mentionem non faciat, non è contrà, licèt Generale posterius sit. *C.* 1. 14. *De Rescr.* C. 14. *De Præ. in* VI. *C.* 2. *De Dolo & Contum.*

II. Derogant Statutis Ecclesiarum, dùm id exprimunt. *C.* 4. *De Rescr. in* VI.

III. Juri Communi Contraria restringenda. *C.* 5. *Eod.* Tit. *& Loco.*

IV. Ab unâ re ad aliam alterius speciei non extenduntur. *C.* 6. *Eod.* Tit. *& L.*

V. Alieno juri non nocent, nisi id expresè caveant. *C.* 8. 10. *Eod.* Tit. *& L. C.* 15. *De Præb. in* VI.

VI. Rescriptum Statuto à Papa confirmato contrarium, irritum est, si huic Statuto expresè non deroget. *C.* 19. *De Rescript.*

VII. Non valet Rescriptum, in quo non fit mentio rei, quæ, si cognita Concedenti fuisset, expresè à concedendo avocasset. *C.* 2. *Ut lit. non conteft.*

VIII. Secundum Rescriptum non revocat, quod per Primum legitimè factum sit. *C.* 13. *De Restitu. Spoliat. C.* 29. *De Off. Jud. Deleg.*

IX. Cùm post Rescriptorum Concessionem fit Diœcesum divisio, eodem modo exequenda, ac anteà fuissent. *C.* 1. *De Conc. Præb. Extravag.* Joannis XXII.

X. Rescriptorum tenor est servandus, alioquin vana est illorum executio. *C.* 7. *De Conc. Præb. in* VI. *C.* 22. *De Rescriptis.*

XI. Clausula Derogatoria, si Generalis sit, impedit, ne Rescriptum sit irritum. Infertur ex *C.* 21. *De Præb. in* VI. in quo Clausula Particularis Derogatoria supplet defectum particularem, cui respondet; undè sequitur, quòd Clausula Generalis Derogatoria supplet quoscumque defectus.

XII. Si illorum executioni terminus præfigatur, elapso termino expirant. C. 4. *De Off. Deleg.* Loquitur quidem tantùm de Rescripto Justitiæ, sed ad aliud extendi potest, nam v. g. dum Litteris Dimissoriis terminus præfigitur, ut fit, quandò dantur eâ lege, ut Impetrans intrà sex menses iis utatur, transacto termino nullius sunt roboris.

XIII. Expirat cum Delegato, si Delegatio facta sit Personæ; si enim Dignitati facta sit, durat post mortem illius, quo possidente datum est Rescriptum. *C.* 14. *De Off. Deleg.*

XIV. Dùm plures eodem Rescripto committuntur sine clausula, *Quòd si non omnes*, uno ex his defuncto, vel recusato, aut nolente, Rescriptum vim suam amittit. *C.* 30. *C.* 42. *De Rescript.*

XV. Si ab eo, qui in Rescripto delegatur, non acceptetur Delegatio, vis ejus excidit. *C.* 13. *De Rescript.*

XVI. Si revocetur Rescriptum, & nota facta sit Delegato revocatio, eo ipso fit inutile, *C.* 6. *De Off. Deleg.* in VI.

XVII. Nullum Rescriptum revocari potest re incœpta. *C.* 29. *De Off. Deleg.* & C. 6. *Eod.* Tit. *in* VI.

XVIII. Datur cum Clausula, *Remotâ Appellatione*, quæ Clausula intelligitur de Appellatione, quæ à Jure non indulgetur expresè, ideòque de injustis & frivolis Appellationibus, quæ in Jure nullibi indulgentur, quales Moratoriæ, Frustratoriæ à futuro gravamine. De his loquitur. *C.* 53. *De Appell. C.* 12. *De Rescript.*

Nota obiter *duplex Appellationum genus* aliàs extitisse, quorum Prius Judicia respiciebat & in Judiciis fiebat; ideòque Appellationes sub hoc comprehensæ *Judiciales* vocabantur; Posterius Gratias respiciebat, & extrà Judicia fiebat, ac idcircò Appellationes hujus generis *Extrà-judiciales* dicebantur; Prius ergò contingebat Rescripta Justitiæ, Posterius Rescripta Gratiæ.

SECTIO XII.

De Rescriptorum *Executione.*

Possemus hîc agere de Personis, quibus dirigenda sunt Rescripta: id enim ad eorum executionem pertinet; verùm, cùm de hac re abundè egerimus, dùm de Jurisdictione Delegatâ tractavimus, satius est, ut ad ea, quæ dicta sunt, remittamus, quàm ut illa hîc sine necessitate repetamus.

REGULA I.

Gratis exequenda sunt Rescripta. *C. 16. De Vit. & Hon. C.* 1. SESS. XXI. *C.* 5. SESS. XXII. *C.* 4. SESS. XXIV. CONC. TRID.

Nota circà hunc Articulum, quòd Executori licet pro labore aliquid moderatum accipere, nisi Impetrans sit pauper, vel deputatos ad hoc reditus aliundè habeat Executor.

REGULA II.

Non est omittenda Rescriptorum executio sine rationabili causâ, istaque exponenda est Summo Pontifici. *C.* 5. *De Rescr. C.* 34. *De Præb.* Hinc ratione frivolæ Exceptionis Executor non debet interloqui *ibid.*

REGULA III.

Injusti Rescripti suspendenda est executio, donec meliùs instructus Pontifex quid fieri velit, responderit. *ibid.*

REGULA IV.

Apostolica de conferendo alicui Beneficio Rescripta, si, Sede vacante, Capitulo directa executioni non fuerint mandata, ex eo quòd Beneficiorum Collatio ad Episcopum spectat, ab isto exequenda sunt, ubi confirmatus est. *C. 6. De Rescript.*

Non est inutilis ista Regula, licèt Mandata Apostolica exoleverint, cùm ad Indulta Graduatorum, aliave similia, quæ in usu sunt, applicari possit.

REGULA V.

Processus factus, non servatâ Rescripti Formâ, est ipso Jure irritus; factus verò ex Rescripto subreptitio, est irritandus. *C.* 22. *De Rescript. C.* 21. 32. *De Deleg. C.* 19. *De Restit. Spoliat.* Nota obiter, non servare Rescripti Formam & Rescripti Fines excedere, unum & idem esse, ac proindè Capita, quæ ad istud spectant, ad aliud pertinere, ideòque hîc simul omnia collecta esse.

REGULA VI.

In Rescripti executione, Mandantis intentio est attendenda. *C.* 36. 38. *De Præb.*

REGULA VII.

Latæ ex Rescripto Sententiæ executio suspendenda est, cùm dubitatur de Jurisdictione illam Demandantis, idque, donec dubitandi locus tollatur. *C.* 24. EODEM TIT.

REGULA VIII.

Cùm Rescripto, quo Excommunicatori injungitur, ut injustè Excommunicatum absolvat, Judices deputantur ad illud exequendum posito, quòd ille non pareat, ad istos cognitio demandatur *C.* 44. *Eod.* TIT.

REGULA IX.

Rescriptum, suppresâ veritate, vel expresâ falsitate, bonâ fide obtentum, exequendum non est juxtà Formam, quam præ se fert, sed juxtà Formam Communem. *C.* 20. *De Rescript. C.* 11. *De Deleg. in* 1. *Collect.*

REGULA X.

Rescriptum, quod alios tangit, quàm eos, propter quos datur, non est exequendum, nisi priùs vocatis & auditis aliis omnibus, quorum interest. *C.* 17. *De Maj. & Obed.*

REGULA XI.

Insufficiens est Rescripti executio, cùm è Duobus, quæ æqualiter mandat, unum dumtaxat adimpletur *C.* 19. *De Rest. Spol.*

REGULA XII.

Nullus tenetur Rescriptum exequi, si absque Scandalo id fieri nequeat. Idem dicendum, si cesset Mandati causa *C.* 6. *De Præb. C.* 30. *De Præb. in VI.*

REGULA XIII.

In Galliâ Papæ Rescripta absque Patentibus Regis Litteris non sunt exequenda; illis exceptis, quæ Forum Internum respiciunt.

RATIO. Eo in Regno habetur Papa tanquàm Princeps Externus, cujus Litteræ Executioni non mandantur absque *Pareatis*, vel Cautio hæc adhibetur, ne Ecclesiæ Gallicanæ Privilegia, vel Regni Jura incautè violentur. PITHOEUS in *Comment. sup. Libert. Eccles. Gallic. C.* 44. FEVRETUS *Tom.* 1. *p.* 19. *n.* 10.

REGULA XIV.

In eodem Regno, si Papa jubeat in Rescripto, ut autoritate Apostolicâ procedatur, vel non admittitur tale Rescriptum ob istam Clausulam; vel, si admittitur Clausula, habetur pro non scriptâ.

Excipienda sunt Rescripta Attributoria quæ, aliâ autoritate, quàm Apostolicâ, executioni mandari nequeunt.

SECTIO XIII.

In quibus differat Jus CANONICUM *à* JURE CIVILI *circà* RESCRIPTA.

REGULA.

Non aliæ notandæ veniunt differentiæ hujus generis, quàm istæ.

I. *Jure Civili*, si Clausula (*si Preces veritate nitantur*) omittatur, Rescriptum est nullum: *Jure Canonico* subintelligitur, ideòque illius omissio non annullat Rescriptum. GONZALEZ in *C.* 2. *De Rescriptis n.* 18. & FLORENS in TIT. *De Rescript.* subministrant, quæ hîc de Jure Civili dicuntur, quæque adjicientur. Cætera, quæ de Canonico, patent ex dictis, quibus adde quæ extant apud GRATIANUM *in* §. *Rescripta* CAUS. XXV. QUÆST. II. ubi colligit Leges, quæ declarant irrita Rescripta, in quibus deest Clausula (*Si Preces &c.*)

II. *Jure Civili* Rescripta Justitiæ perpetuò durant, si Jus Commune contineant; Rescripta Gratiæ anno finiuntur *Jure verò Canonico*, Rescripta Justitiæ finiuntur anno, si dolo vel negligentiâ intrà illum non fuerint executioni data; finiuntur etiam morte Concedentis, si res sit adhuc integra; Rescripta Gratiæ non expirant morte Concedentis, licèt res sit adhuc integra, Quod patet ex eo, quòd à Successore revocari soleant, quandò vult, ut effectu suo careant, sivè Lites, sivè Gratias respiciant. *C.* 16. CAUS. XXV. QUÆST. II. ex Theodosio & Valentiniano.

III. *Jure Civili* Rescripta subreptitia irrita sunt; *Jure Canonico* sunt tantùm irritanda, si Lites tangant.

IV. *Jure Civili* Mendax Precator à Judice puniendus est, *Jure Canonico* non item. FLORENS *p.* 82. 1. *Part.*

CAPUT III.

Appendix ad Tractatum de Rescriptis, in qua comparantur Gratiæ Expectativæ Apostolicæ cùm Expectativis Usu receptis in Galliâ.

GRatiæ Expectativæ Apostolicæ, quæ etiam Mandata Apostolica vocitari solent, maximam connexio-

nexionem habent cum Reſcriptis, idque duplici ratione, 1. In ſe conſideratæ, ſunt Reſcriptum Gratiæ. 2. Ob innumeras, quas ſuſcitarunt lites, plurimis Reſcriptis Juſtitiæ anſam præbuerunt, quorum non pauca utriuſque generis in Corpore Juris reperiuntur, ut ex Tractatu de Reſcriptis apparet: præterea Gratiæ Expectativæ apud Gallos receptæ, non abſimiles prædictis Gratiis Apoſtolicis eſſe videntur; cùm utræque vacatura Beneficia reſpiciant, atque ad illa jus conferant, nec non in conceſſione & in executione nonnullis Formulis alligatæ ſunt obnoxiæque: his ergò de cauſis viſum eſt conveniens, ut huic Tractatui annecteretur Comparatio Gratiarum prioris generis cùm Gratiis poſterioris.

Rusoeus in *Tractatu de Mandatis Apoſtolicis* ſimile quid præſtitit: ſiquidem Primâ Parte contulit illa prout regebantur Veteri Jure, quod in Corpore Juris continetur, cum iiſdem conſideratis juxtà Ordinationes Regias, nempè Pragmaticam Sanctionem & Concordata, relatiſque octo ab illo Jure præſcriptis Formulis, Quatuor peculiaria Juri Gallicano notavit, quorum *Primum* eſt, Quòd hoc Jure Mandatum debet eſſe ſimplex & purum de primo Beneficio, ſine Clauſulâ *quod duxeris acceptandum*, hoc autem diſcrimen juſtum eſſe oſtendit triplici ratione.

Secundum, Quòd Gallicano non apponatur Clauſula *Decreti irritantis*, probatque, illam periculoſam eſſe, quia hinc irritat quamcumque Collationem alteri factam, quàm Impetranti; illinc verò evenire poteſt, ut Impetrans renunciet Mandato, vel negligat requirere Beneficium, vel ut habeat illud pro derelicto, vel ut illius incapax fiat, undè in longum tempus vacatio Beneficii protrahetur, in diſpendium Divini Cultûs, Salutis Animarum, rerum Eccleſiaſticarum, illarumque fructuum.

Tertium, Quòd Mandatum executioni mandari non poſſit, niſi poſt Menſem, ab Inſinuationis die numerandum, idque æquum demonſtrat ex eo, quòd ſi Mandatarius Beneficium obtineret immediatè poſt Inſinuationem, ſuſpectus fieret, ſe procuraſſe mortem Defuncto, ut illius Beneficium aſſequeretur, ſtatim verò poſt Menſem permittitur ei, ut impetret Beneficium, ne diutiùs vacet.

Quartum, Quòd diſtincta ſint omninò Mandata ad Præbendas reſpectu Præbendarum, & ad Dignitates reſpectu Dignitatum, ita ut vi illorum obtineri nequeat Dignitas, nec iſtorum virtute Præbenda.

Hæc Rusoeus docet de Quatuor diſcriminibus inter Jus Canonicum Romanum & Jus Canonicum Gallicanum ſuo tempore ſervatum circà Mandata Apoſtolica, ſuoque exemplo movet ad comparandas Gratias Expectativas hodiè vigentes apud Gallos, cum Veteribus, de quibus in Corpore Juris plurima ſub variis Titulis illius, ſed potiſſimùm ſub iſtis. 1. *De Reſcriptis.* 2. *De Præbendis.* 3. *De Conceſſione Præbendarum.* Facta ab illo prædicta Comparatio profuit, quamdiù poſt Tractatum ſuum Mandata Apoſtolica in uſu eſſe perrexerunt, videlicet uſque ad abolitionem illorum à *Concilio Tridentino* factam, anno 1563. eamque ſufficienter publicatam, & ab omnibus, quorum intererat, acceptatam: quàm autem ſuſcipimus faciendam inter memoratas Gratias utriuſque generis nonnihil conferre poterit, quamdiù Hodiernarum Uſus vigebit.

Ut autem hæc Comparatio methodicè fiat, *Conſiderandæ ſunt iſtæ Expectativæ*; 1. *in ſe, quoad Concedentem, & modum, quo conceduntur.* 2. *Quoad Beneficia, quæ ipſis ſubſunt.* 3. *Quoad illos, quibus diriguntur, ut illas impleant.* 4. *Quoad durationem, modumve, quo expirant.* Hâc diviſione Rusoeus uſus eſt in explicandis Mandatis Apoſtolicis, cum quibus comparandæ ſunt Hodiernæ Gratiæ Expectativæ, ac circà quodlibet Diviſionis Membrum collegit Textus Juris Canonici de illo loquentes, illoſque expoſuit. Eumdem ſequentes Ordinem examinabimus, an collecti expoſitique Textus accommodari poſſint prædictis Gratiis.

Sed præmittendum eſt I. quòd iſtarum Gratiarum Quatuor ſint ſpecies, hiſque nominibus donari ſoleant. 1. Vocatur *Privilegium Graduatorum.* 2. *Indultum Curiæ Pariſienſis.* 3. *Mandatum jucundi ad Regnum adventûs.* 4. *Mandatum præſtiti ab Epiſcopo recèns promoto Fidelitatis Sacramenti.* II. Quòd *Prima* conceſſa ſit Univerſitatibus à *Concilio Baſileenſi*; diſtribuenda ab ipſis, Membris ſuis, acceptata à Carolo VII. & ab Eccleſiâ Gallicanâ ad hoc congregatâ, & confirmata à Francisco I. & Leone X. per Concordata inter illos inita. *Secunda* dictæ Curiæ conceſſa à Pontificibus Eugenio III. Paulo III. & Clemente IX. à Rege præcipuis illius Membris diſtribuenda. Utraque autem Gratia in hoc convenit, quòd Corpori conceſſa ſit in perpetuùm, illiuſque à Membris participatio ſeorsùm fit à diſtribuente Corpore vel Rege: è contrà quodlibet Mandatum Apoſtolicum emanabat ſigillatim à Papâ vel Legato; idque duobus modis, nimirùm vel motu proprio Concedentis, vel precibus Impetrantis, neutra autem motu proprio fiat, ſed precibus datur concediturve.

Tertia & Quarta à Rege conceduntur motu proprio, nullâ factâ mentione Precum, ſed ſolius Meriti illius, cui conceditur. Hinc Reſcripta, quibus utraque dantur, ſunt Reſcripta Gratiæ, ex ſolâ Regis benevolentiâ procedentis; duæ priores è contrà ſunt Litteræ, partim Juſtitiæ, partim Gratiæ, cùm debeantur Graduatis vel Magiſtratibus, quibus concedunturve: in quo iſtæ conveniunt cum Mandatis Apoſtolicis, quæ concedebantur Clericis Pauperibus, vel Ordinatis ſine Titulo Clericali, ſeù Beneficio, ſeù Patrimonio: Cæteræ verò conveniunt cum Mandatis Apoſtolicis, quæ ex merâ liberalitate Pontificum concedebantur: ſingulæ autem, ut & ſingula Mandata Apoſtolica, revocari poſſunt ob ſubſequentem Impetrantium indignitatem, vel antecedentem poſteriùs notam. Singulæ à Mandatis Apoſtolicis in formâ differunt, ſed potiſſimùm quod nullas habeant Clauſulas in illis uſitatas, nempè: *Anteferri*; *ſi pro alio non ſcripſerimus*; *Quod duxeris acceptandum*: *Decreti irritantis. Vid.* Rusoeum *loco citato à n. 9. ad 14.* Differunt etiam in eo, quòd per Mandata Apoſtolica creabantur interdùm Canonici cum expectatione Præbendæ, quod à nullâ illarum Gratiarum efficitur.

Hæc ſufficiant *quoad Primum Diviſionis Membrum* ſeù Gratias prædictas in ſe conſideratas, Perſonam Concedentis & concedendi Formam, hincque naſcentes inter illas & Mandata Apoſtolica Concordiam & Diſcrepantiam.

Nunc *de Secundo*, in quo de Beneficiis, quæ ſubjiciuntur Gratiis Expectativis Gallicis, quæve ab illis eximuntur: Utraque autem in genere ſpectata eadem ſunt, ac illa, quæ Mandatis Apoſtolicis ſuberant, vel non: Quod patet Collatione factâ iſtorum, quæ Rusoeus recenſet *in 2. Parte cit. Tract.* cum illis, quæ enumerantur *in 2. Parte Inſtitutionum Eccleſiaſtic. & Benefic.* Tit. XXIV. ubi de Beneficiis Graduatorum Privilegio ſubjectis, & Tit. XLVIII. ubi de illis, quæ ſubſunt Indulto Curiæ Pariſienſis. In utroque autem Titulo obſervare eſt, Beneficia quæcumque his Gratiis obnoxia eſſe, præter Electiva, Reſervata, vel Affectata Summo Pontifici, Reſignata, vel Permutata, à Patrono Laïco Pendentia, Regi Reſervata, ut quæ vacant in Regalia: atqui idem videre fas eſt *in 2. Parte Tractatûs citati*, ibi enim non alia eximuntur à Mandatis Apoſtolicis, quàm, quæ duximus, exempla ab his Expectativis, quòd ſi prædictam Comparationem reſtringimus ad duas iſtas Expectativas, ad id aſtringimur; quia aliæ duo non compre-

comprehendunt, nisi Canonicatus. TIT. LVIII. *Institutionum citatarum, Parte etiam citata*, in quo conveniunt cum quibusdam Mandatis Apostolis, quæ ad solos Canonicatus nominabant, siquidem, cùm Mandata illa à solâ voluntate Pontificis dependerent, multiplicis generis erant: alia nempè Amplissima, extendebanturque, ad quævis Beneficia Collativa, ideòque Generalia vocabantur; alia multò minùs ampla, quæ Particularia dicebantur, istaque non unius speciei erant, nimirùm vel ad simplicia omnia Beneficia mittebantur, vel ad nonnullas istorum species restringebantur: ad Mandata hujus postremi generis accedunt Mandata Regia tùm jucundi Adventûs, tùm Sacramenti Fidelitatis: prædictam autem Mandatorum divisionem RUSÆUS memorat *loco citato*, ubi observat Beneficia, quæ in Regalia vacabant, comprehensa nunquàm fuisse in Mandato Apostolico quantùmvis Generali.

Hinc patet, maximam affinitatem esse inter Gratias Expectativas Gallicanas, & Indulta Apostolica, quoad Beneficia, quæ utrisque subjiciuntur aut ab illis eximuntur.

Tertia Pars Comparationis tria complectitur, nempè 1. Quo tempore istæ Gratiæ insinuandæ. 2. Cui insinuandæ. 3. Quid faciendum, si is, cui diriguntur, illas adimplere noluerit.

Quoad Primum, conveniunt cum Mandatis Apostolicis in eo, quòd nullum sit à Jure præfixum tempus ad illas insinuandas, vel notificandas, idque Mandatarii voluntati relictum, quia de ipsius commodo unicè agitur.

Quoad Secundum, concordant in eo, quòd Collatori tàm Gratiæ istæ, quàm Mandata Apostolica dirigi soleant, sed cùm Vicarius illius vices gerat, insinuatio fieri possit Vicario sicut & Collatori, quod intelligendum de Vicario quoad Jurisdictionem Voluntariam, ad quam pertinet Beneficiorum Collatio, non autem de Vicario in Jurisdictione Contentiosâ, qui Officialis nuncupari consuevit apud Gallos, quia hæc Collatio ad Jurisdictionem Contentiosam non spectat. Differunt verò in eo, quòd Gratiæ prædictæ numquàm dirigantur illarum Executori specialiter Deputato: Mandata verò Apostolica ipsi Executori quandòque dirigebantur, ut notat RUSOEUS *in primâ Parte. n.* 10. probatque per *C. Executor. De Concess. Præb.* in VI. Id autem fiebat, ut Impetrans impetratis citiùs potiretur, remotâ sic quâvis Collatoris dilatione.

Quoad Tertium, Gratiæ prædictæ cum Mandatis Apostolicis conveniunt in eo, quòd utrinque provisum sit negligentiæ, malitiæve Collatoris, nominatis ad hoc Executoribus, qui concedant quod à Collatore denegatur; cum hoc tamen discrimine, quòd in Expectativis apud Gallos usitatis deputantur Executores Generales in favorem tàm Graduatorum, quàm Indultariorum: in Mandatis verò Apostolicis delegabantur Executores Speciales cuique Mandatario, idque Litteris peculiaribus, quæ ideò Executoriæ dicebantur; undè alia differentia inter prædictas Gratias & præfata Mandata, scilicet quòd in istis triplex genus Litterarum mittebatur, quarum 1. Monitoriæ erant. 2. Præceptoriæ. 3. Executoriæ, Quod in illis numquàm observatum. De solis Graduatis & Indultariis diximus Executores habere suarum Expectativarum, quia de Brevetariis, ut aiunt, incertum, an habeant.

Quod RUSOEUS dicit non uno loco, Mandata Apostolica apud Gallos executioni mandari non posse intrà Mensem Insinuationis factæ, non servatur in Gratiis Expectativis, de quibus hìc Sermo; idque rectissimè, cùm allatæ ab illo rationes differendæ post Mensem executionis, tanti momenti esse non videantur, quibus attendendum sit immorandumque.

RUSOEUS *in fine* 3. *Partis.* Sex Casus refert, in quibus Collatio facta in præjudicium Mandatarii, irrita erat ipso Jure, qui locum non habent saltem quoad modum in Gratiis Expectativis apud Gallos usitatis. 1. Si Mandatum dirigeretur Collatori dato Executore. 2. Si solo Executori dirigeretur. 3. Cùm inerat Mandato Decretum irritans. 4. Quando Executor interdixerat Ordinario, ne primum vacaturum alii conferret, quàm Mandatario. 5. Quandò Mandatarius creabatur Canonicus cum expectatione primæ Præbendæ, tunc si Præbenda alii concederetur, quàm Mandatario, concessio nulla erat. 6. Quandò acceptationi tempus præfixum erat à Papâ, tunc alteri facta intrà hoc tempus. Collatio nulla erat. Hi autem Casus non respiciunt prædictas Gratias Expectivas in eo, quod provenit ex parte Specialis Executoris dati cum Mandato, cùm hujusmodi nullus sit in istis Gratiis; ex parte verò Decreti irritantis, differunt istæ Gratiæ à Mandatis Apostolicis, quòd Mandata irritabant Collationes factas in contrarium ratione Clausulæ in illis insertæ, nullitas autem Collationum adversantium prædictis Gratiis provenit ex Lege illas concedente & irritante quidquid fit contrà ipsam; talia sunt, ergà Graduatos, Concordata & quoad Indultarios, Declarationes in illorum favorem factæ, cum ipsâ Jurisprudentiâ Arrestorum Magni Consilii. Quoad Mandatum Sacramenti Fidelitatis nullà adhuc Lex irritat Collationes sibi contrarias; Secùs de Mandato Jucundi Adventûs, extant plures Declarationes, quæ irritas declararunt Collationes contrarias, quæ demùm prævaluerunt aliis, quæ Decretum irritans revocaverant.

Hæc satis de Similitudine & Dissimilitudine inter Mandata Apostolica & Gratias Expectativas apud Gallos receptas quoad illos, quibus diriguntur, tempus Insinuationis ac utrorumque effectus: Jam de *Quartâ susceptæ Comparationis Parte* inter istas & illa circà durationem modumque expirandi: Hoc autem ut dilucidè fiat, notandum, quòd Mandata Apostolica expirabant variis modis. 1. & frequentiùs morte Concedentis, re adhuc integrâ. 2. negligentiâ Impetrantis infrà tempus præfixum non Notificantis, vel non Petentis sibi debitum Beneficium. 3. negligentiâ Executoris, cui commissa fuerat potestas conferendi primum vacaturum eâ lege, ut intrà tempus certum conferret. 4. cessante causâ in Mandato expresâ, nempè v. gr. paupertate Impetrantis, qui antè obtentionem Beneficii pauper esse desierat. 5. adeptione Beneficii incompatibilis cum sibi debito vi Mandati. Hactenùs observata RUSOEUS probat *in* 4. *Parte cit. Tractat.*

At verò certum est, Gratiam Graduatorum non posse expirare morte Concedentis re integrâ, cùm Academiæ illam Concedentes vel Distribuentes morti obnoxiæ non sint; secùs dicendum videtur de aliis, quæ à Rege conceduntur, vel distribuuntur: hoc enim moriente, Gratia nondùm significata Collatori, expirare posset quoad Litteras obtentas & antè mortem non significatas, Successor tamen illas renovare posset, in quantùm opus esset, quia succedit Juribus Antecessori debitis, seù fructibus illorum, qui antè Decessum obvenerant, ideòque, jam erant in Bonis Defuncti, quibus succedit Hæres, sicut & Coronæ; sed de hoc fusiùs suo loco, dùm de illis Gratiis sigillatim sermo fiet. Interim notandum circà Litteras Indulti Magistratui Parisiensi concessas, sibi vel alii, cui jus cessit, profuturas, quòd, cùm illa debeantur ratione Officii, cujus post obitum Regis in possessione permanet, illarum renovatio, si hac morte perierint, jure facienda existimatur.

Alii modi, quibus Mandata Apostolica expirabant, non conveniunt Gratiis prædictis, præter negligentiam Impetrantis, qui iisdem renunciat: nihil enim sibi timendum est ex parte Executoris Specialis, cùm nullum habeat; nec ex adeptione Beneficii incompatibilis, cùm in Gallia plura simul acquiri possint, eâ lege, ut intrà annum, unum ex illis eligatur; nec de Bonis profanis antè vel post Gratiam obtentam acquisitis, cùm causa paupertatis in illis exprimi non soleat, tanquàm motivum Concessionis, quo cessante, cessat Gratia.

TITU-

TITULUS XI.

De Consuetudine.

Caput Primum.

Decisiones Juris propriis verbis depromptæ.

UBi Leges & Præcepta Particularia deficiunt, tùm ad Consuetudines recurri solet in Galliâ, tamquàm ad Legem aut Generalem aut Municipalem: quare valdè necessarium est nosse, quid in Jure Canonico de eâ statuatur, & quam vim habeat, & quoùsque extendatur. Sit itaque

SECTIO I.

Quid sit Consuetudo, & Quæ sit ejus autoritas.

I. COnsuetudo est Jus Quoddam Moribus institutum, quod pro Lege susciptur, cùm deficit Lex. Dist. I. Cap. 5. *Consuetudo. init.*

II. Vocatur Consuetudo, quia in communi est usu. *ibid. §. Porrò. fin.* Mos est longa Consuetudo de Moribus tantummodò tracta. *ibid.* Cap. 4. Mos.

III. Non differt an scripturâ, an ratione Consuetudo consistat. *ibid.* Cap. 5. *Consuetudo. §. nec differt.*

IV. Longa Consuetudo censetur, quæ tanto tempore est servata, quod in contrarium memoria non existit. *In VI. De Consuetudine.* Cap. *Consuetudinem.* Lib. I. Tit. IV. *Cap.* 1.

V. Consuetudo præcedens, & ratio quæ Consuetudinem suasit, tenenda est. Distinct. XII. *Cap.* 7.

VI. Consuetudo perhibetur esse Legum Interpres. *De Verb. Signif.* Cap. *Abbate. in fin.* Lib. V. Tit. XL. *Cap.* 25.

VII. Consuetudinis Usúsque longævi non levis debet esse autoritas, & plerùmque discordiam pariunt Novitates. *De Consuetudine.* Cap. *Cùm Consuetudinis.* Lib. I. Decr. Tit. IV. *Cap.* 9.

VIII. Diuturni Mores consensu Utentium approbati Legem imitantur. Distinct. XII. Cap. 6. *Duturni.*

IX. Consuetudo approbata optima est Legum Interpres. *ibid.* Cap. 8. *Cùm Dilectus. §.* 1. *dictus.*

X. Consuetudo approbata pro Lege servatur in Partibus Gallicanis. *De Arbitris.* Cap. *Dilecti.* Lib. I. Decret. Tit. XLIII. *Cap.* 4.

XI. Sicut Prævaricatores Divinarum Legum, ita Contemptores Ecclesiasticarum Consuetudinum coërcendi sunt. Distinct. XI. Cap. 7. *In his. fin.*

XII. Juxtà Municipii cujuslibet Consuetudinem approbatam licet agere. *De in integrum Restitutione.* Cap. *Constitutus. Colligitur.* Lib. I. Decr. Tit. XLI. *Cap.* 8.

SECTIO II

Confertur autoritas Consuetudinis cum Legibus, *Æternâ, Naturali, Divinâ, Humanâ.*

I. CUm Consuetudini veritas suffragatur nihil oportet firmiùs retineri. Distinct. VIII. Cap. 7. *Fustrà. §. hoc. fin.*

II. Licèt Usus vel Consuetudinis non minima sit autoritas, nunquàm tamen Veritati aut Legi præjudicat. *De Sent. & Re Jud.* Cap. *Cùm causa §. Nos autem.* Lib. II. Decr. Tit. XXVII. *Cap.* 8. Consuetudo sine veritate vetustas erroris est. Dist. VIII. *Cap.* 8.

III. Veritati manifestatæ debet Consuetudo cedere. *ibid.* Cap. 4. *Veritate. init.*

IV. Nemo Consuetudinem Rationi & Veritati præponat: quia Consuetudinem Ratio & Veritas semper excludunt. *ibid. §. Nemo. fin. Dominus non dixit, Ego sum Consuetudo, sed Veritas.* ibid. *Cap.* 5. *si Consuetudinem.*

V. Quælibet Consuetudo quantùmvis vetusta, quamvis vulgata, Veritati omninò est postponenda; & Usus, qui Veritati est contrarius, abolendus. *ibid.* Cap. 5. *fin.*

VI. Nemo sanæ mentis intelligit Naturali Juri quâcumque Consuetudine (quæ dicenda est veriùs in hac parte Corruprela) posse aliquatenùs derogari. *de Consuetudine.* Cap. *Cum tanto. init.* Lib. I. Decr. Tit. IV. *Cap.* 11. quod est ultimum.

VII. In his, quæ sunt contrà Legem Divinam, Consuetudo quævis longa non juvat nec excusat; quia non debet attendi solùm quid sit factum, sed potiùs quid sit faciendum. *De Electione.* Cap. *Cùm causam.* Lib. I. Decr. Tit. VI. *Cap.* 27.

VIII. Consuetudo, quæ contrà Fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur, immota permanere debet. Distinct. XII. Cap. 8. *Nos. init.*

IX. Obtentu alicujus Consuetudinis nemo debet contrà Sanctorum Patrum Constitutiones venire, & quod ad suum non spectat officium vindicare. *De Officio Archidiaconi* Cap. *Cùm satis.* Lib. I. Decr. Tit XXIII. *Cap.* 4.

X. Consuetudo contrà Ecclesiasticam Libertatem est penitùs abolenda. *De Electione.* Cap. *Cùm terra.* Lib. I. Decr. Tit VI. *Cap.* 14.

XI. Consuetudo, quæ Canonicis obviat Institutis, nullius debet esse momenti. *De Consuetudine.* Cap. *Ad nostram. §. Nos igitur. init.* Lib. I. Decr. Tit. IV. *Cap.* 3.

XII. Hæc non tàm Consuetudo, quàm Corruptela meritò est censenda, quæ profectò Sacris est Canonibus inimica. *ibid.* Cap. 7. *Cùm Venerabilis. §. postmodùm. fin.*

XIII. Consuetudo Ecclesiasticæ Institutioni inimica, est penitùs improbanda. *De Temporibus Ordinationum.* Cap. *Sanè.* Libr. I. Decr. Tit. XI. *Cap.* 2. *med.*

XIV. Consuetudo, ex quâ disrumperetur nervus Ecclesiasticæ Disciplinæ, est irritanda. *ibid.* Cap. *Cùm inter. §. Nos igitur. fin.* Lib. I. Decr. Tit. IV. *Cap.* 5.

XV. Quod ab Apostolicæ Sedis Rectoribus plena autoritate sancitur, nullius Consuetudinis præpediente occasione, proprias tantùm sequendo voluntates, removeatur, sed firmiter atque inconcussè teneatur. Dist. XI. Cap. 2. *Consequens est,* Consuetudo Loci alicujus Particularis, quæ à Divina Lege & Sanctorum Patrum Institutis, & à Generali Ecclesiæ Consuetudine esse noscitur aliena, debet improbari. *De Testamentis.* Cap. *Cùm esses. §. Quia verò.* Lib. III. Decr. Tit. XXVI. *Cap.* 10.

XVI. Generaliter est omni Consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. *De Præscriptionibus.* Cap. *Quoniam.* Lib. II. Decr. Tit. XXVI *Cap.* 20. quod est ultimum.

XVII. Licèt etiam longævæ Consuetudinis non sit vilis autoritas, non tamen est usque adeò valitura, ut vel Juri Positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta. *De Consuetudine.* Cap. *Cum Sancto.* fin. Lib. I. Decr. Tit. IV. Cap. 11. quod est ultimum.

XVIII. Si talis fuerit Consuetudo probata, quæ Juri Communi præjudicet, secundùm illam, debet Judex decernere. *ibid.* Cap. 8. *Cùm dilectus. §. Quia nobis. fin.*

XIX. Secundùm posteriorem Canonem debet ob-

servari, nisi Consuetudo Ecclesiæ, quæ scandalum generet, aliter se habere noscatur. *De Cognatione Spirituali.* Cap. *Utrùm.* fin. LIB. IV. DECR. TIT. XI. *Cap.* 1.

XX. Consuetudinem laudamus, quæ tamen contrà Fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur. DIST. XI. Cap. *6. Ex Decretis Pii I. Decreto* Septimo *habentur in* I. LIB. I. *Regesti* - - - S. GREGORII. *Epistolâ* 75.

XXI. Ex collectis suprà Canonibus, sequitur, servandam non esse Consuetudinem, quæ repugnat Legibus, vel Æternæ, quæ eadem est ac ipsa Veritas; vel Naturali; vel Divinæ; vel Humanæ illarum Executrici; servandam verò, quæ derogat tantùm Legi purè Humanæ; si legitimè sit præscripta, id est observata per 40. annos consentiente Superiore. Hæc Observatio applicanda est ad sequentes Canones ejusdem generis.

SECTIO III.

De Malâ Consuetudine.

I. MAla Consuetudo non minùs, quàm Pernicioſa Corruptela vitanda est. DIST. VIII. *Cap.* 3. Mala. *init.*

II. Sicut Consuetudo Laudabilis nullâ debet novitate divelli, sic quod noscitur contrà Jus Moribus introductum obviâ ratione debet dissolvi. *De Probat.* Cap. *Sicut initio in integra.* LIB. II. DECR. TIT. XIX. *Cap.* 2.

III. Nisi citiùs radicitùs evellatur, in Privilegiorum Jus ab Improbis assumitur: & incipiunt prævaricationes & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ Privilegiorum more perpetuò celebrari. *ibid.* Consuetudo, quæ Legi contraria est, non obstat. *De Juramento Calumniæ.* Cap. *Cæterùm. fin.* LIB. II. DECR. TIT. VII. *Cap.* 5.

IV. Nullus tenetur ad observandas Consuetudines abusivas. *De Consuetudine.* Cap. *Ex parte. §. tenore, fin.*

V. Ad Observantiam Consuetudinis, quæ Sacris est inimica Canonibus, & de Ambitionis radice procedit, etiamsi juramento firmata extiterit, Nullus tenetur. *In* VI. *De Consuetudine.* Cap. *Consuetudinem.* LIB. I. TIT. IV. *Cap.* 1.

VI. Consuetudines, quæ Ecclesiis gravamen inducere dignoscuntur, decet remittere. *De Consuetudine.* Cap. *Consuetudines.* LIB. I. DECR. TIT. IV. *Cap.* 1.

VII. Abusiva est Consuetudo, per quam Quis inducitur ad peccandum, & Bona propria dissipandum. *De Consuetudine.* Cap. *Ex parte.* Rubrica colligit. LIB. I. DECR. TIT. IV. *Cap.* 10.

VIII. Quod latenter vel aliàs illicitè introductum est, nullâ debet stabilitate subsistere. *De Regulis Juris.* Cap. *Quod latenter.* LIB. V. DECR. TIT. XLI. *Cap.* 5.

IX. Episcopus ex Officio sibi commisso iniquam Consuetudinem de Provinciâ suâ debet radicitùs extirpare. *De Institutionibus.* Cap. *Ex frequentibus.* LIB. III. DECR. TIT. VII. *Cap.* 3.

X. Omnia talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum autoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec Consuetudine Universalis Ecclesiæ roborata sunt sed diversorum Locorum diversis Moribus innumerabiliter variantur, ità ut vix aut omninò nunquàm inveniri possint causæ, quas in eis instituendis Homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ullâ dubitatione sunt revocanda. DIST. XII. Cap. 12. *Omnia.*

XI. Qui à pravâ Consuetudine averti non possunt, aliquandò cum veniâ suo ingenio relinquendi sunt; ne fortè Pejores existant, si à tali Consuetudine prohibeantur. DIST. IV. *Cap. 6. Denique.* §. *de ipsâ. med.*

SECTIO IV.

Quomodò sint observandæ Variæ Consuetudines.

I. IN his rebus, de quibus nihil certi statuit Divina Scriptura, mos Populi Dei, & Instituta Majorum, pro Lege tenenda sunt. DISTINCT. XI. *Cap.* 7. In his. *init.*

II. Quæ contrà Mores Hominum sunt flagitia, pro Morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se Civitatis aut Gentis Consuetudine vel Lege firmatum nullâ Civis aut Peregrini libidine violetur: turpis enim omnis Pars est suo Universo non congruens. DIST. VIII. *Cap.* 2. Quæ contrà. *init.* S. AUG. LIB. III. *Confess. Cap.* 8. *circà an.* 400.

III. Ecclesiasticæ Institutiones, quas Consuetudine roboratas approbavit Usus, eamdem vim ad Pietatem habent, ac Dogmata Scripto tradita. *ibid.* Cap. 5. *Ecclesiasticarum.* init.

IV. Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto Terrarum Orbe observantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel Plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas, commendata atque statuta retineri. DIST. XII. *Cap.* 11. *Illa. init.*

V. Rationabilis Consuetudo Ecclesiæ Generalis ab Omnibus est servanda. *De Celebratione Missarum.* Cap. *Pernicioſus.* colligitur. LIB. III. DECR. TIT. XLI. *Cap.* 13.

VI. Sivè in Romanâ, sivè in Gallicanâ, sivè in quâlibet Ecclesiâ aliquid invenisti, quod plus Omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas. DIST. XII. Cap. 10. *Novit.* GREGOR. I. *Epist. ad* AUGUSTINUM *Anglorum Episcopum* LIB. XII. *Reg. Ep.* 31. *Cap.* 3.

VII. In Ecclesiâ, quæ adhuc in Fide nova est, institutione præcipuâ, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas &c. *ibid. circiter an.* 603.

VIII. Multùm convenit, ut solum Corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quæ indè autoritatem habet, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit Principatum. DIST. XI. Cap. 3. *Nolite §. satis. fin.* Sumitur ex *Epistola* falsò tributa JULIO I. & est contraria desumptis Canonibus ex S. AUGUSTINO & S. GREGORIO suprà relatis.

IX. Nihil obsunt Saluti Credentium diversæ pro Loco & Tempore Consuetudines, si illis Canonica non obsistat autoritas. DIT. XII. Cap. 3. *Scit.* ex LEONE IX.

X. Traditiones Ecclesiasticæ, præsertim, quæ Fidei non officiunt, ità observandæ, ut à Majoribus traditæ sunt, nec aliorum Consuetudo aliorum contrario More subvertitur. *ibid.* Cap. 4. *Illud.*

XI. Quis nesciat, id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab Omnibus debere servari, nec superinduci aut introduci aliquid, quod aut autoritatem non habeat, aut aliundè accipere videatur exemplum. DIST. XI. Cap. 11. *Quis nesciat. init.* quod ultimum est.

XII. Oportet, eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, quos ab eâ principium accepisse non est dubium. *ibid. med.*

XIII. Rationabiles & approbatæ Consuetudines cujuslibet Ecclesiæ suam habere debent firmitatem. *De Consuetudine.* Cap. *Cùm Olim.* LIB. I. DECR. TIT. IV. *Cap. 6. fin.* cum GLOSSA.

XIV. Cùm à Diversis diversa Consuetudo tenetur, eligendum in hoc casu quod per Consuetudinem diù obtentam ibidem noscitur observatum. *De Decimis.* Cap. *Ad Apostolicæ. fin.* LIB. III. DECR. TIT. XXX. *Cap.* 20. Responsum Pontificis GONZALEZ sic legit: *Tu verò eliges in hoc casu, quod nullum vel minus noveris scandalum generari.* GREGORIUS IX. tutius duxit, ut proscriberetur modus quo scandalum vitaretur.

XV. Ubi sunt diversæ Consuetudines locorum debet

bet Episcopus Consuetudinem suæ Metropolitanæ Ecclesiæ, vel aliarum circumpositarum, inquirere & diligentiùs imitari. *De Cognatione Spirituali.* Cap. *Super eo.* post *init.* Lib. IV. Decr. Tit. XI. *Cap.* 3. & *De Consuetudine* Cap. *Cùm Olim.* colligitur. Lib. I. Decr. Tit. IV. *Cap.* 6. §. *Quocircà.*

XVI. Grave est antiquam Consuetudinem circumadjacentium Ecclesiarum super his, in quibus diversa est Ecclesiarum Consuetudo, contemnere. *ibid. fin.* Lib. IV. Decr. Tit. XI. *Cap.* 3.

XVII. In his, quæ de Consuetudine permittuntur alicubi, licèt alibi non observantur, debet Episcopus in suâ Ecclesiâ dissimulare ita, quòd nec contradicere, nec suum videatur præstare assensum. *ibid.*

XVIII. Gravius videtur, si propter eam Consuetudinem hujusmoni rebus suum indulgeret assensum; cùm posset sic in exemplum assumi. *ibid. fin.*

XIX. Aut Mos omnium est servandus; aut si aliquid specialiter dicitur esse concessum præceptum-ve, oportet ostendi. Dist. C. Cap. 8. *Contrà Morem.* §. 1. *illud Pater. med.*

XX. Consultiùs Observatæ Consuetudini deferendum, quàm aliud in dissensionem & scandalum Populi statuendum, quâdam adhibitâ novitate. *De Consanguinitate &c.* Cap. *Quod Dilectio. fin.* Lib. IV. Decr. Tit. XIV. *Cap.* 3.

SECTIO V.

Quos effectus pariat Consuetudo Legitima.

I. EX Consuetudine speciali valent aliqui contrà Jus Commune Jurisdictionem sibi vindicare ergà Delinquentes. *De Foro Competenti.* Cap. *Cùm contingat. fin.* Lib. II. Decr. Tit. II. *Cap.* 13.

II. Consuetudo derogat Juri Communi etiam in Criminibus. *ibid.* Glossa colligit.

III Antiqua Consuetudo Terræ excusat, quominùs puniantur qui Juri Communi non obtemperant. *De Temporibus Ordinationum.* Cap. *Sanè. med.* colligitur. Lib. I. Decr. Tit. XI. *Cap.* 2.

IV. Consuetudo dat Jurisdictionem in Excessibus corrigendis. *De Officio Judicis Ordin. Cap. Irrefragabili.* colligitur. Lib. I. Decr. Tit. XXXI. *Cap.* 13.

V. Per Consuetudinem approbatam, Personæ aliàs Inhabiles in Subditos suos ordinariam Jurisdictionem habere noscuntur. *De Arbitris.* Cap. *Dilecti.* §. *Quamvis. post init.* Lib. I. Decr. Tit. XLIII. *Cap.* 4. colligitur.

VI. Consuetudo confert Jurisdictionem etiam Spiritualem. *De Officio Judicis Ordin.* Cap. *Duo simul. post init.* Lib. I. Decr. Tit. XXXI. *Cap.* 9. colligitur.

VII. Consuetudine acquiritur jus eligendi. C. 7. *De Offic. Arch. &* Cap. *Dilecto, ibid.* Lib. I. Decr. Tit. XXIII. C. 10. Clementina. *De Electione.* Cap. *Statutum.* Lib. I. Tit. III. *Cap.* 7. *colligitur.*

VIII. Consuetudo Ecclesiæ tollit Jus, & ei præjudicat. *De Cognatione Spirituali.* Cap. *Utrùm. fin.* Glossa colligit. Lib. IV. Decr. Tit. XI. *Cap.* 1.

IX. Antiqua Consuetudo à Tempore, cujus non extat memoria, introducta, jus sive Privilegium inducit. *De Verborum significatione.* Cap. *Super §.* 2. *Præterà. fin.* Glossa colligit. Lib. V. Decr. Tit. XL. *Cap.* 26.

Recenseri possunt inter præcipuos Consuetudinis effectus, infinitæ propemodùm mutationes, quæ à Christo ad nos circà Disciplinam factæ sunt, fientque in posterùm usque ad ultimum ejus Adventum.

SECTIO ULTIMA.

Quomodò probetur Consuetudo?

I. DEpositionibus Testium probatur Consuetudo. *De Verborum Significatione.* Cap. *Abbate. §.* 2. *Nos. init.* Lib. V. Decr. Tit. XL. *Cap.* 26.

II. Per Majores, qui habere debent de Consuetudine notitiam pleniorem, super Controversiis, sollicitè veritas inquiri debet. *De Officio Archidiaconi.* Cap. *Dilecto.* §. penult. *ideòque.* Lib. I. Decr. Tit. XXIII. *Cap.* 10.

III. Per eosdem Majores constare debet de pacificâ sic obtentâ Consuetudine. *ibid.*

IV. Non videtur injuriam facere, qui utitur jure suo, cùm per Testes probatum est, quòd hoc jure usus fuerit. *De Electione.* Cap. *Cùm Ecclesia.* §. *Mandamus.* Lib. I. Decr. Tit. VI. *Cap.* 31. *med.*

V. Ecclesia antiquo jure uti liberè debet, maximè si sit notorium, quòd in Provincia, Generalis Consuetudo servetur, ut in cæteris Ecclesiis idem obtineat. *ibid. fin.*

VI. Unus vel alter actus non sufficit ad præscribendam Consuetudinem. *ibid.* Cap. *Cumana.* Lib. I. Decr. Tit. VI. *Cap.* 50. §. *Cùm Decem.* colligitur.

VII. Nemo potest nomine suo allegare Consuetudinem. *ibid.* Cap. *Constitutis:* Glossa. Verbo *Quo jure.* Lib. I. Decr. Tit. VI. *Cap.* 47.

VIII. Maximè valet Consuetudo, cùm dici potest quòd quasi contradicto Judiciò fuerit introducta. *De Verborum significatione.* Cap. *Abbate.* §. 4. *ad hoc.* colligitur. Dicitur *maximè*, quia Judicium contradictum non est necessarium; ut observat Gonzalez in C. 1. *De Consuetud. n.* 11. ubi addit, Tria sufficere, nempè Usum Longævum, Principis consensum sivè cujusvis aliùs potestatem Habentis Jus condendi, & causam rationabilem: citatque Celebres Autores, qui docent, Actus Judiciales ad id non requiri. Consentit quoque Glossa in Verbo *contradicto Judicio*, declarans, illo opus non esse, nisi in dubio, an extet Consuetudo, aliis asserentibus, aliis negantibus.

Caput II.

Regulæ circà Consuetudinem, quoad sensum è Jure desumptæ, cum explicatione Præcedentium Decisionum, tàm exemplis quàm variis Divisionibus congruo ordine digestis.

A Rescriptis ad Consuetudinem transeamus Gregorianum ordinem sequentes. Utilior erit hic Tractatus, quàm ille: Plura & Plures respicit, atque ad Praxim multò plùs conducit; Tractantes ergò de Consuetudine, discutiemus. 1. An sit Pars Juris, Quare, & à Quo Tempore? 2. Quid sit Consuetudo? 3. Quotuplex sit Consuetudinum Divisio? 4. Quid cuique Consuetudinum generi conveniat? 5. Quæ sit Consuetudinis vis, & à Quo petatur?

Singula autem Puncta singulis, vel pluribus, pro rei necessitate §§. aliisve Subdivisionibus tractabimus; Cùm igitur Primi Puncti discutiendi triplex sit Pars, ideò in tres §§. dividetur; sed unum priùs notandum est, quod totius Tractatûs quasi Basis est & Fundamentum, nempè rationcinandum de Consuetudine eo modo, quo de Canone, ideòque quod de isto dictum est, ad Consuetudinem extendendum esse.

Punctum Primum.

Circà Consuetudinem in tres §§. divisum.

§. I.

An Consuetudo sit Pars Juris.

REGULA.

Non alia docet Canon circà hunc §. quàm quæ sequuntur.

I. Vocatur Jus ab Isidoro. C. 5. Dist. I.

II. Di-

II. Dicitur ab eodem pro Lege suscipi, cùm Lex deficit. *ibid.*

III. Idem annumerat inter Legis conditiones, quòd sit juxtà Patriæ Consuetudinem, Quod partim provenit, ex eo quòd Consuetudo pro Lege habeatur. *C.* 2. DIST. IV.

IV. Confertur infinitis in Locis cum aliis Juris Partibus, diciturque servanda ut Lex. C. 5. 6. 7. DIST. XI.

V. Docet JUSTINIANUS diuturnos Mores, qui idem sunt ac longa Consuetudo, vim Legis habere. *C.* 6. DIST. XII.

VI. Revocari jubet Idem, quod fit contrà longam Consuetudinem. C. 7. d.

VII. CAROLUS MAGNUS ità agnoscit, Consuetudinem esse Juris Partem, ut Populos sibi subditos distinguat in eos, qui Lege, & eos, qui Consuetudine reguntur. C. 37. CAUS XI. QUÆST. I.

VIII. Quod à Generali Ecclesiæ Consuetudine est alienum vitandum est. C. 11. 12. DIST. XII.

§. II.

Quare Consuetudo sit Pars Juris?

REGULA.

Non alia habentur in Canone circà hunc §. quàm ista.

I. Si Consuetudini suffragetur veritas, nil firmiùs retineri oportet, quia nil meliùs servatur. *C.* 7. DIST. VIII. §. *Hoc.*

II. Consuetudinis Usûsque longævi non vilis est autoritas. C. 4. DIST. XI. C. 9. *De Consuetud.*

III. Si Consuetudines nihili æstimamus, hinc multùm detrimenti Religio feret. C. 5. *Ead.* DIST.

Consuetudo pertinet quoque ad Jus, prout est Juris interpretatio, est enim optima Legum Interpres. C. 9. *de Sepult.* C. 8. *de Consuet.* eaque interpretatio præfertur ei, quæ ex verborum propriâ significatione petitur. FAGNAN. in C. 12. *de Judic.* n. 87.

§. III

A quo tempore Consuetudo est Pars Juris?

REGULA.

Consuetudo est Juris Humani Pars antiquior. §. 1. *Verò Consuet.* paulò antè initium. DIST. VII. RATIO *Gratiani*, ex quo REGULA desumitur, hæc est; A quo Homines simùl habitare cœperunt, quod accidit statim ac Civitas à Cain ædificata est, Consuetudine regi etiam cœperunt, Leges autem ab iis longè posteriùs conditæ sunt.

PUNCTUM SECUNDUM.

De Consuetudinis Naturâ.

Secundi Puncti duplex est sensus, nimirùm. 1. Quid significet hæc vox, *Consuetudo*, & 2. Quid sit Res hâc voce significata; ideòque in duos §§. dividetur.

§. I.

Quid significet hæc Vox, Consuetudo?

REGULA.

Nil aliud in Canone circà hunc §. quàm istud, legitur.

Vocatur Consuetudo Quod in Communi est usu. C. 6. DIST. I.

§. II.

Quid sit Res Nomine Consuetudinis significata

REGULA.

Hoc unum docet Canon circà hunc §.

Consuetudo est Jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege suscipitur, cùm deficit Lex. C. 5. DIST. I.

PUNCTUM TERTIUM.

De Consuetudinis Divisionibus.

§. I.

Quot uplex sit Consuetudinum Divisio?

REGULA.

Quadruplex tantùm ex Canone infertur Consuetudinum Divisio.

I. Consuetudo est scripta, vel non scripta. C. 5. DIST. I.

II. Consuetudo est ex se bona, vel mala. C. 6. DIST. IV. C. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

III. Consuetudo est ex se nec bona, nec mala. C. 11. DIST. XII.

IV. Consuetudo est vel Generalis, vel Particularis. C. 12. 13. DIST. XII.

Prætermittitur Quinta Divisio Consuetudinis, in illam, quæ est contrà Jus, & illam, quæ est præter Jus, quia de illâ non fit expressa Mentio in Canone: Posterior est ea, quæ versatur circà Res nullâ Lege præceptas, nec vetitas: illius meminit GONZALEZ in C. 1. *de Consuet.* n. 11. necnon discriminis inter utramque, quod caret fundamento in Jure.

Idem sit de Divisione in Consuetudinem, quæ excedit memoriam Hominum, & eam, quæ non excedit, quia hæc Circumstantia est merum accidens, quod cuique præfatarum specierum Consuetudinis convenit, cùm nulla sit, quæ immemorialis esse non possit, ideòque notasse sufficiet, quòd ea, quæ huic peculiaria sunt, colligit FAGNANUS variis locis, sed præcipuè in Cap. 1. *de Consuetudine à n* 49. *usque ad finem* C. 4. *ibid. n* 33. *&* 36. C. 4 *de Relig. Dom. n.* 34. C. 14. *&* 27. *de Jure Patr.* nempè, eam habere vim Tituli, seu Privilegii, nisi sit ex illis, quæ à Jure expressè reprobantur, vel Personæ sint incapaces Rei, de quâ agitur: hinc Canones Derogantes Consuetudini addunt quandòque hæc verba, *etiam immemoriali.*

PUNCTUM QUARTUM.

Quid cuique Consuetudinum generi conveniat.

Puncti IV. tot sunt Partes, quot Consuetudinum genera.

§. I.

De Primâ Consuetudinum Divisione.

SECTIO I.

REGULA.

Nil aliud docet Canon circà Primam Consuetudinis Divisionem, quàm istud.

Non differt, an Consuetudo Scripturâ, an Ratione consistat; undè GRATIANUS meritò infert, Consuetudinem aliam esse scriptam, aliam non scriptam, sed non rectè judicat, scriptam idem esse ac Constitutionem, cùm ista expressè fiat, ab Habente potestatem condendi Legem; Consuetudò verò à Subditis statua-

ſtatuatur, non diſſentiente Legiſlatore: Cùm præterea Conſtitutionis certa ſit vulgò origo; Conſuetutionis ſæpiùs incerta: Conſtitutio uno momento fiat; Conſuetudo longo Temporis ſpatio egeat, ut ſtabiliatur.

Nota obiter circà hanc Diviſionem 1. eam eſſe merè accidentalem, utiquè petitam tantùm ex modo, quo Conſuetudo ad Poſteros tranſmittitur, qui eſt accidens.

2. Conſtitutionem, quæ jamdiù ſervatur, dici poſſe Conſuetudinem eo ſenſu, quòd in Communi ſit Uſu; ſed Conſuetudinis nomine propriè intelligi Jus Moribus introductum, eodemque modo perſeverans.

§. II.

De Priore Secundæ Conſuetudinum Diviſionis Parte.

REGULA.

Quæ docet Canon circà Bonam Conſuetudinem, ad iſta reducuntur. 1. Quid ſit? 2. Quid faciendum circà Bonas Conſuetudines? 3. Quæ Seculares vel Eccleſiaſticæ Conſuetudines inter Bonas ponendæ ſint.

SECTIO I.

Quid ex Canone ſit Bona Conſuetudo.

REGULA.

Nil aliud docet circà hanc Sectionem Canon, quàm iſta.

I. Conſuetudo Bona eſt illa, quæ Ratione conſtat, Religioni convenit, Diſciplinæ congruit, Salutique proficit. C. 5. Dist. 1.

II. Bona Conſuetudo eſt illa, quæ Juri Naturali & Divino conformis eſt, quæ cum Fide ac cum Veritate manifeſtatâ concordat. C. 8. Dist. XII.

Nota obiter, Definitiones vel Deſcriptiones malæ Conſuetudinis, de quibus poſteà, poſſe in contrario ſenſu applicari bonæ Conſuetudini, ſicut Definitiones iſtius poſſunt in eodem ſenſu malæ Conſuetudini pariter accommodari

III. Eſt illa, quæ eſt rationabilis, & legitimè præſcripta; id eſt per Tempus ad legitimam præſcriptionem neceſſarium inducta: Tempus autem, illud eſt 10. annorum ſecundùm Leges, & 40. ſecundùm Canones. C. 11. *De Cauſ.* C. 3. *De Cau. Poſſ.* Panormitanus C. 11. *De Conſuet.*

SECTIO II.

Quid faciendum circà Bonas Conſuetudines.

REGULA.

Non alia circà hanc Sectionem in Canone habentur, quàm iſta.

I. Ut bonæ Leges diligenter, ſtudiosè & illibatè, ſervandæ ſunt. *C.* 5. 6. 7. 8. Dist. XI. Et *tota ferè*, Dist. XII.

II. Cùm diverſæ ſunt, quæ magis Rationabiles, præferendæ ſunt. C. 6. *de Conſ.*

III. Juxtà illas judicandum. *C.* 3. *De eo, qui mittitur* &c.

IV. In Parochiis vel Epiſcopatibus noviter erectis ſervandæ ſunt Conſuetudines Vicinarum Eccleſiarum quoad jura Parochis vel Epiſcopis ſolvenda. *C.* 22. *de Cenſib.*

V. Generalis Eccleſiæ Conſuetudo in celebrandis Divinis Myſteriis ſervanda eſt. C. 13. *de Celeb. Miſſ.*

VI. In Celebrandis Feſtis & obſervandis Jejuniis, Locorum Conſuetudines ſunt ſequendæ. C. 2. *de Obſerv. Jejun.*

VII. Eccleſia Suffraganea ſervare debet quod Beati Petri Sedem vel ſuam Metropolim ſervare viderit & docere. C. 5. *De Sponsâ duorum*

SECTIO III.

Quæ bonæ Conſuetudinis exempla in Canone legantur.

REGULA.

Non alia hujuſmodi exempla in Canone leguntur, quàm iſta.

I. Quòd Fideles Crucis ſignaculo ſe inſigniant. C. 5. Dist. XI.

II. Quòd Panis & Calix eo, quo fit, modo conſecrentur. *ibid.*

III. Verſùs Orientem adoretur. *ibid.*

IV. Quòd Baptiſmatis Fons oleo benedicatur. *ibid.*

V. Baptiſandi ungantur. *ibid.*

VI. Quòd verbis Satanæ & Angelis ejus abrenuntient. *ibid.*

VII. Quòd inferior Judicis Officialis aliquid non immoderatum à Partibus accipiat. C. 15. Caus. XIV. Quæst. V.

VIII. Quòd die Dominicâ & diebus Pentecoſtes ſtantes oremus. C. 10. *De Conſ.* Dist. III.

IX. Quòd die Dominicâ non jejunetur. *C.* 14. 15. *Ead.* Dist.

X. Si Eccleſiæ, Res vel Privilegia acquirat Conſuetudo. C. 8. Caus. XVI. Quæst. III.

XI. Quòd multò plus vini, quàm aquæ, in Calice ponatur. C. 1. *De Celeb. Miſſ.*

XII. Quòd, dùm evenit Nativitas Domini die Veneris, eo die Carnes comedantur. C. 3. *de Obſerv. Jejun.*

XIII. Quòd Domini Paſſio, Reſurrectio, in Cœlum Aſcenſio, Adventus Spiritûs Sancti anniverſariâ Solemnitate ubique celebrentur. C. 11. Dist. XII.

XIV. Quòd Abbas ex alterius Monaſterii gremio aſſumatur, id poſtulante Monaſterii, cujus ſit Abbas, neceſſitate vel utilitate. C. 8. *de Conſuet.*

§. III.

De altero Secundæ Diviſionis Membro, ſivè, Quæ notanda in Canone circà Conſuetudinem malam.

REGULA

Non alia notanda, quàm iſta. 1. Quid ſit mala Conſuetudo. 2. Quæ exempla malæ Conſuetudinis. 3. Quid faciendum circà malam Conſuetudinem.

SECTIO I.

Quid ſit mala Conſuetudo.

REGULA.

Conſuetudo, cui unum ex ſequentibus competit, juxtà Canonem mala eſt.

I. Si Rationi adverſetur. C. 6. Dist. IV. C. 1. Dist. XI. C. 3. *de Conſuet.*

II. Si Veritati manifeſtatæ ſit contraria. C. 4. 5. 6. 7. 8. &c. Dist. IX. C. 8. *de Sent. & Re jud.*

III. Si Jus Naturale vel Divinum lædat. C. 2. Dist. VIII. C. 13. Caus. XXXII. Quæst. VII.

IV. Si Fidei officiat. C. 6. 7. 8. 9. Dist. XI.

V. Si vitio faveat. C. 1. Dist. XLIV.

VI. Si Sacris Canonibus ſit inimica. C. 3. 7. *de Conſuet.*

VII. Si Legibus Humanis opponatur. C. 1. 4. Dist. XI. C. 5. *de Juram Calumn.*

VIII. Si Multorum Saluti nocere poſſit. C. 89. *de Pœnit.* Dist. I.

IX. Si

IX. Si in damnum publicum vergat. *C.* 1. CAUS. XVI. QUÆST. VI.

X. Si irreligiosa sit, id est, Dei vel Sanctorum Cultui contraria. C. 2. *de Cons.* DIST. III.

XI. Si æquitati adversetur. *C.* 10. *de Consuet.*

XII. Si sit contrà Ecclesiæ Libertatem. C. 49. *de Sent. Excom.* C. 1. *de Consuet.* quo damnatur Consuetudo gravamen Ecclesiæ inferens sine justâ causâ, quam restrictionem GONZALEZ *in istud* probat per *Cap.* 3. *de Censib.*

Nota omnia, quorum quolibet mala sit Consuetudo, reduci ad Jus Naturale vel Divinum læsa; nam quod vitio favet, quod rationi adversatur, quod Juri Naturali opponitur, quod Canonibus vel Legibus inimicum, Jus Naturale & Divinum offendit, quæ præcipiunt, ut Legislatori obediatur, sivè Seculari sivè Ecclesiastico; undè, quandiù iste reclamat, quæ contra Canones vel Leges fiunt, involvunt inobedientiam à Naturali & Divino Jure prohibitam. Quod Fidem vel Veritatem manifestatam lædit, Jus Divinum itidem lædit, præcipiens, ut utrique Mens Humana se subjiciat; Læsio boni publici à Jure Naturali & Divino prohibetur; Quidquid Saluti vel Sacro Cultui nocet, Juris Divini infractionem involvit.

Nota etiam, quòd eæ Consuetudines, quæ malæ non sunt, nisi quia Juri Positivo nondùm abrogato adversantur, bonæ efficiantur, si Jus revocetur, vel si contrà illud legitimè præscribatur.

SECTIO II.

Quæ in Canone malæ Consuetudinis exempla, sivè quæ pravæ Consuetudines in eo expressè improbentur.

REGULA.

Non alias pravas expressè improbat Canon Consuetudines, quàm istas.

I. QUâ Fideles immoderato Carnium esu ad Sacri Quadragesimalis Temporis observationem se disponunt. *C.* 6. DIST. IV.

II. Quâ commessationes & ebrietates in honorem Martyrum, tàm diebus quibus solemniter coluntur, quàm aliis, celebrantur. *C.* 1. DIST. XLIV.

III. Quâ aliquid exigitur pro Rebus Spiritualibus, sivè priùs, sivè post illarum collationem. *C.* 15. CAUS. I. QUÆST. III.

IV. Quâ pro Sepulturâ pecunia exigitur, idque ne venalis Ecclesia dicatur: nevè Pastores de Humanis Mortibus gratulari videantur. *C.* 12. CAUS. XIII. QUÆST. II. *C.* 13. *de Sepult.*

V. Quâ Parochiæ cuique Ecclesiæ deputatæ convelluntur. *C.* 5. CAUS. XVI. QUÆST. LXIII.

VI. Quâ Rectores Ecclesiarum prædiis, quæ ad se pertinere putabant, More Fiscali titulos imprimebant, ac proindè suâ autoritate usurpabant, quod per Judicem reposcere debebant. *C.* 1. CAUS. XVI. QUÆST. VI.

VII. Quâ publicè fiebat Confessio peccatorum. *C.* 89. *de Pœnitentia.* DIST. I.

VIII. Quâ Diebus Festivis Populi saltationibus turpiter invigilant, Cantica canunt mala, ac Religiosis Officiis perstrepunt. *C.* 2. *de Consecr.* DIST. III.

IX. Quâ in Venereâ re usus naturalis invertitur. *C.* 13. CAUS. XXXII. QUÆST. VII.

X. Quæ Ecclesiæ gravamen non modicum inducit. *C. de Consuet. C.* 14. *de Elect. C.* 13. *de Majorit.* si sine justa causâ fiat, ut *in n.* 12. *Sect.* 1.

Nota obiter, Bullam URBANI VIII. quâ Ecclesiam in suis Immunitatibus restituens, abolet omnes Consuetudines Ecclesiæ nocivas, in Galliâ non recipi: de hac FAGNANUS fusè. *in C.* 1. *de Consuet. à n.* 49. *ad finem usque.*

XI. Quâ Populi Dictum in Causis Ecclesiasticis pro Sententiâ tenetur. *C.* 3. *de Consuet.* GONZALEZ *in illud* citat plures alios Textus idem docentes.

XII. Quâ Sententia à non suo Judice fertur. *ibid.*

XIII. Quâ Rei Sacræ collatio fit ab eo, qui caret Ordine, cui reservatur. *Cap.* 4. *de Consuet.*

XIV. Quâ, durante Interdicto, altâ voce & pulsatis Campanis Divina celebrantur Officia in Locis Interdicto subjectis. *C.* 5. *eodem Tit.* Quod restringendum ad Interdictum justè latum, & ad Consuetudinem præsumpto Privilegio non innixam.

XV. Quæ disrumpit Ecclesiæ Disciplinæ nervum. *idid. in integrâ.*

XVI. Quâ Vir, qui vitio suo dissipavit Bona sua, potest pro libitu Bona Uxoris alienare. *C.* 10. *de Consuet.* Quod iniquum maximè, cùm hinc fieret Uxor indotata, contrà vetitum Rationis Naturalis.

XVII. Quâ Uxor, etsi adultera, medietatem Bonorum à Viro acquisitorum exigere potest. *ibid.* Repugnat Bonis Moribus.

XVIII. Quâ Electionis libertas tollitur. *C.* 14. *de Elect.*

XIX. Quâ Sacri Ordines extrà Quatuor Tempora conferuntur. *C.* 2. 9. 11. *de Temp. Ord.*

XX. Quâ non Professi Beneficia Regularia acquirunt & possident. *C.* 27. *de Elect.*

XXI. Quâ Naufragorum Bona, navigiaque rapiuntur, nisi Piratæ vel Hostes sint. *C.* 4. *de Consuet. in* 5. *Collect.*

XXII. Quâ Suffraganei Metropolitano suo graviora jurant, quàm alii suis. *C.* 13. *De Maj. & Obed.* si nullus subsit exceptionis locus *C.* 9. *de Offic. Ord.*

XXIII. Quâ Clericorum Causæ non juxtà Canones, sed juxtà Laïcorum Consuetudines judicantur. (Hic Canon non servatur in Galliâ, ubi plurimæ Clericorum Causæ juxtà Leges Regias judicantur.) *C.* 9. *de For. Compet. in integrâ.*

XXIV. Quâ, ultrà probationem plenam, exigitur Juramentum. *C.* 9. *de Probationibus.*

XXV. Quâ Reis crimine convictis vel facilè convincendis, licet se probare insontes, purgando se per Testes fide indignos. *C.* 12. *De Probat. in integrâ.* Idem dic de quâvis Consuetudine, quâ Purgationes Vulgares approbantur. *Toto Tit. de Purgat. Vulgar.*

XXVI. Quâ, post admissos Testes Matrimonii nullitatem probantes, non recipiuntur Testes contrarii. *C.* 2. *de Testib. & Att.*

XXVII. Quâ Parochis non datur Congrua Portio ab iis, qui Decimas, aliosque Parochiæ proventus percipiunt. *C.* 10. *de Præb.*

XXVIII. Quâ Clerici Beneficia recipiunt, sine consensu Episcopi vel Officialium illius; Restringendus Canon ad Beneficia, quæ ab aliis pleno Jure non conferuntur. *C.* 3. *de Instit.*

XXIX. Quâ Archidiaconi Animarum curam committunt sine Episcopi autoritate. *C.* 3. *de Instit. in* 1. *Col.*

XXX. Quâ, intrà Gradus prohibitos, Matrimonium contrahitur. *C.* 5. *de Consang.*

XXXI. Quâ Ecclesia reconciliatur per Presbyteros ab Episcopis commissos. (Nunc probatur hujusmodi Consuetudo.) *C.* 9. *de Cons. Eccl.*

XXXII. Quâ non licet celebrare in Majori Altari, nisi oriundo ex Stirpe Militari. *C.* 3. *de Celebratione. in* 5. *Coll.*

XXXIII. Quâ Judex Laïcus in Ecclesiarum domibus placita teneat, de Rebus Secularibus judicet, hospitium sibi vindicet. *C.* 1. *de Immun. Eccles.*

XXXIV. Quâ pro concedendâ docendi licentiâ pecunia exigatur. *C.* 1. 3. *de Magistr.*

XXXV. Quæ absque mortali peccato servari nequit. *C. ult. de Præscript.*

XXXVI. Quâ Judices Ecclesiastici aliquid exigunt à Partibus præter expensas victualium, conveniuntque de Decimâ litis, aliave parte, solvendâ. *C.* 10. *de Vit. & Hon. Cler.*

XXXVII. Quâ Ludi Theatrales in Ecclesiâ & per Clericos fiunt. *C.* 12. *de Vit. & Hon. &c.*

XXXVIII.

XXXVIII. Quâ ad quarumdam Ecclesiarum Beneficia soli Nobiles recipiuntur. (legitima habetur nunc ista Consuetudo.) *C.* 37. *de Præb.*

XXXIX. Quæ de radice Ambitionis processit, & in Cupiditate fundatur; qualis est, qua duo Beneficia incompatibilia simul possidentur absque legitimâ dispensatione. *C.* 1. *de Conſ. in* VI.

XL. Quâ ab Officiali ad Episcopum appellatur. *C.* 2. *Eod.* Tit. & *loco.*

XLI. Quâ in cessatione à Divinis Sanctorum Imagines in terram sternebantur & inter spinas ponebantur. Extendendus Canon ad alios casus, in quibus idem similevè quid fieret. *C.* 2. *de Offic. Ord. in* VI. §. *si autem.*

XLII. Quâ non recipiuntur Legati Sedis Apostolicæ non petiti, & de consensu non missi. *C.* 1. *de Consuet.* Extravag. Comm. in quâ Joannes XXII. nedùm illam damnat, sed etiam illam Sequentes excommunicat ipso facto, derogatque quibuscumque Indultis à Sede Apostolicâ in contrarium concessis. Non recipitur in Galliâ, idque meritò, ut ostenderetur, dùm de Legatis.

XLIII. Quæ Probationum facultatem angustat. *C.* 1. *de Offi. Ord. Extrav. Commun.*

XLIV. Quâ pro Spiritualibus Homagium facere Quis compellitur. Restringenda Regula ad res merè Spirituales, alioquin non servatur. *C. Ult. de Reg. Jur.*

XLV. Quâ, cùm Electio alicujus Prælati fieri debet, Conventus, ad quem pertinet, duas Personas nominat latenter Patriarchæ vel Principi exprimendas, ut alteram eligant vel electionem cassent irritentque. *C.* 14. *de Elect.*

XLVI. Quâ Abbas exemptus, sine licentia Papæ, cui immediate subest, tranferatur ad aliam Abbatiam. *C.* 7. *de Conſ* Autoritati Superioris adversatur.

XLVII. Quâ Laïci cum Canonicis Episcopum eligunt. *C.* 56. *de Elect.*

XLVIII. Quâ Presbyteri usurpant, quæ sunt Ordinis Episcopalis. C. 4. *de Consuet.* Quod maximâ eget expositione *ad Tractatum de Sacram. Ordinis* remittendâ.

SECTIO III.

Quid juxtà Canonem faciendum circà malam Consuetudinem.

REGULA.

Hæc facienda circà malam Consuetudinem ex Canone inferuntur.

I. Si ita inolevit, ut averti ab illâ Homines non possint, suo genio relinquendi sunt, ne fortè Pejores existant, si à tali Consuetudine prohibeantur. *C.* 6. Dist. IV.

II. Ut pernicioſa corruptela nedùm vitanda, sed citiùs & radicitùs evellenda, ne ab Impiis in Jus Privilegiorum assumatur, ac sic variæ Præsumptiones celerrimè non compressæ pro Legibus haberi, & Privilegiorum more celebrari incipiant. *C.* 3. Dist. VIII. *C.* 11. *de Excessib. Prælat.*

III. Quantùmvis vetusta Rationi & Veritati semper postponenda est. C. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Dist. VIII.

IV. Consuetudines onerosæ, quæ nec autoritatibus Scripturarum, nec Episcoporum Conciliis ac Statutis, nec Consuetudine Generali roboratæ sunt, quarum vix inveniri potest ratio, quâ introductæ sunt, quandò facultas se obtulerit, resecandæ sunt. *C.* 12 Dist. XII.

V. Mitiùs agendum in pravis Consuetudinibus extirpandis, cùm apud Multos receptæ sunt, ideòque non imperiosè, sed benignè sunt amovendæ. *C.* 1. Dist. XLIV.

VI. Non sunt negligenter omittenda, quæ malè usurpantur, ne excessus via aliis aperiatur. *C.* 21. Dist. XCIII. id est, quòd hæc diligenter sunt reformanda.

VII. Emendandum quod sola usurpatione vel subreptione præsumitur. C. 22. *Ead.* Dist.

VIII. Consuetudo, si sit reprehensibilis, vel improbabilis, vel irreligiosa, tollenda est. *C.* 1. Caus. XVI. Quæst. VI. *C.* 89. *de Pœnit.* Dist. I. *C.* 2. *De Conſ.* Dist. III. idque curâ Sacerdotum & Judicum.

IX. Si Ecclesiis non modicum gravamen inducat, Judicis officio est abolenda. *C.* 1. *de Consuet.*

X. Contrarias Ecclesiæ Libertati Consuetudines Introducens, introductas Servans, aut servari Curans, excommunicantur. *C.* 49. *de Sent. Excomm.*

XI. Qui ad excusandas excusationes in peccatis, majorem ex pravâ Consuetudine usurpat delinquendi licentiam, duriùs puniendus est. *C.* 11. *de Excess. Præl.*

XII. Sicut non servanda Consuetudo prava, ita nec juramentum, quo quis jurat illam servare. *C.* 1. *de His, quæ fiunt à maj. &c.*

§. IV.

De Tertiâ Consuetudinis Divisione.

SECTIO I.

Quid sit Consuetudo Indifferens, & Quibus Notis dignoscatur.

REGULA I.

Omnis Consuetudo, quæ neque est contrà Fidem, nec contrà Bonos Mores, indifferens est. Propriis ferè verbis habetur. *C.* 11. Dist. XII.

REGULA II.

Non aliis Notis dignoscitur Consuetudo indifferens, quàm istis.

I. Diversa est pro Locorum diversitate. *C.* 8. Dist. XI.

II. Nec semper, nec ubique obligat. *Tota ferè* Dist. XII.

III. Obligat tantùm pro eorum, quibuscum vivitur, societate. *C.* 11. Dist. XII.

SECTIO II

Quid sit faciendum circà Consuetudinem Indifferentem.

REGULA.

Non alia circà hoc præscribit Canon, quàm ista.

I. Loci, in quo sumus, Consuetudini standum est, undè juxtà eam Lites judicandæ. *C.* 8 Dist. XI. *& alia ibid. C.* 11. Dist. XII. *& alia ibid. C.* 2. *De Consuet. in integrâ.*

II. Si sit onerosa, est abolenda. *C.* 12. Dist. XII.

III. Si Consetudo Ecclesiæ Inferioris à Superiore Ecclesiâ, cui immediatè subest, prohibeatur, non est servanda. *C.* 13. 14. Dist. XII. *C.* 13. *De Consecr.* Dist. II.

IV. Generalis Ecclesiarum Consuetudo sequenda est, nisi Privilegium aliquod ab illâ eximat.

Nota, nomine *Privilegii* hìc intelligi posse quamlibet exemptionem ab Ecclesiis, de quibus agitur, approbatam, sivè sit scripta, sivè non scripta.

V. Romanæ Ecclesiæ Consuetudines cæteris paribus sunt aliis præferendæ. *C.* 10. Dist. XII. secùs verò, si aliæ magis conveniant. *C.* 2. 3. 11. Dist. XI. *C.* 1. 2. Dist. XII.

VI. In eligendis Consuetudinibus, non judicandum de iis ex Locis, undè sumuntur, sed potiùs considerandæ sunt in se ipsis, ac ex istis de Locis judicandum. *C.* 10. Dist. XII. *mox cit.*

Nota circà *C.* 11. Dist. XI. *n.* 5. *citatum* omnes ferè Ecclesias Occidentales servare Romanæ Ecclesiæ Consuetudines, quoad illud, circà quod illas servari jubet, nempè Consecranda Mysteria, cæteraque agenda Arcana: nam Missale Romanum, quod Mysteria Consecranda

cranda respicit, & Rituale itidem Romanum, quod cætera Arcana, scilicet Sacramenta, spectat, sunt apud earum plerasque usu recepta.

VII. Cùm in aliquâ Ecclesiâ erigitur novum Beneficium, eidem attribuendæ sunt Prærogativæ juxtà Consuetudinem Vicinarum Ecclesiarum, quæ, si variæ sint, magis rationabilis aliis præferetur. *C. 6. De Consuet.*

VIII. Cùm diversæ sunt, præferenda est, quæ à peccato removet ei, quæ peccato exponit. *C. 6. in 1. Coll. De Sponsi. duorum* ubi Matrimonium ratum præfertur Matrimonio consummato posteriori non obstante contrariâ Consuetudine.

IX. Consuetudo, cujus omissio scandalum generaret vel dissensionem, servanda est, modò id, de quo agitur, non sit ex se malum. *C. 1. De Cognatione Spirit. C. 3. De Consang. & Aff.*

X. In Decimis solvendis spectanda Consuetudo, & in dubiis ad eam recurrendum. *C. 18. 20. 32. De Decim.*

XI. In Procurationibus, Visitationibus, aliisve similibus, attendenda est Consuetudo. *C. 14. De Censib. in integ.*

SECTIO III.

Quæ sint in Canone Consuetudinis Indifferentis exempla.

REGULA.

Non alia sunt in Canone Consuetudinis Indifferentis exempla, quàm ista.

I. Maxima Missæ & Sacramentorum, Ceremoniarum in Canone relatarum pars, quæ in Tractatibus de Missâ & de Sacramentis colligentur. De his fit mentio. *C. 5.* DIST. XI.

II. Quòd Jejunium Quadragesimæ incipiat à Quinquagesimâ, sivè pro Omnibus, sivè pro Clericis tantùm. *C. 4. 5. 6.* DIST. IV.

III. Quòd Sabbato jejunetur, vel non. *C. 11.* DIST. XII.

IV. Quòd communicetur quotidiè, vel certis tantùm diebus. *ibid.*

V. Quòd hic, vel ille Ritus in celebrandis Divinis Officiis servetur. *C. 13. 14.* DIST. XII. *C. 31. De Consec.* DIST. II.

VI. Quòd Metropolitani se invicem consecrent. *C. 33.* CAUS. XXIV. QUÆST. I.

Nota Omnes Consuetudines, quæ solam Disciplinam spectant, hic referri posse, ideòque si quæ hujusmodi inter bonas collocentur, quia ad Fidem vel ad Bonos Mores conferunt, vel aliâ de causâ, hùc transferri licere.

VII. Quòd in Donationibus inter vivos, vel mortis causâ, Ecclesiæ factis Solemnitas Juris non servetur. *C. 2. De Consuet.*

VIII. Quòd Proximior possit intrà annum & diem repetere possessionem venditam à Propinquo, offerendo Emptori pretium, quod solvit. *C. 8. De Restit. in integrum.*

IX. Quòd Canonicatuum Collatio à solo Capitulo fiat, Episcopo irrequisito. *C. 31. De Elect.*

X. Quòd Archidiaconus excommunicare, suspendere, absolvere Presbyteros & Priores, Parochiales Ecclesias interdicere, inquirere, & visitare possit. *C. 54. De Elect.*

XI. Quòd idem habeat in Monasteriis jurisdictionem. *C. 10. De Off. Archid.*

XII. Quòd Patriarchæ & Primates jurisdictione gaudeant in Subditos Archiepiscoporum & Episcoporum Patriarchatûs vel Primatiæ. *C. 8.* CAUS. IX. QUÆST. III. *C. 9. De Off. Jud. Ord.*

XIII. Quòd Canonici à Capitulo corrigantur. *C. 13. De Off. Jud. Ord.*

XIV. Quòd Ecclesia Malefactores suos conveniat, vel coràm Judice Ecclesiastico, vel còram Seculari. (Hoc non servatur in Galliâ, ubi Ecclesia hac in re est ejusdem conditionis, ac alii Actores.) *C. 8. De for. compet.*

XV. Quòd Festa à Vesperâ ad Vesperam, vel aliter celebrentur, quòdque Festum Trinitatis in Octavis Pentecostes, vel in Dominica Prima Adventûs fiat. *C. 2. De feriis.*

XVI. Quod tertiam vel quartam partem habeat Episcopus de his, quæ Ecclesiæ legantur. *C. 15. De Testament.*

XVII. Quòd Parochus hanc vel illam portionem habeat de relictis Ecclesiæ à Parochianis suis extrà Parochiam Sepulturam eligentibus. *C. 9. De Sepult.*

XVIII. Quòd filius Sacerdotis Græci in Sacerdotio legitimè genitus, Episcopus eligi non possit. *C. 6. De Cler. conjug.*

XIX. Quod Episcopo liceat inquirere, punire, corrigere Subditorum excessus, inconsulto Capitulo. *C. 3. De Consuet. in VI.*

XX. Quòd Antiquiores Canonici gradatim meliores possint, cùm vacant, per se vel per alios optare Præbendas, nisi vacent in Curiâ Romanâ. C. 4. *De Consuet.* in VI. hujus usûs ratio est in *C. 15. De Majorit. & Obed.* jubente, ut Prior ordine, potior sit in portione percipiendâ. Nota obiter, quòd Consuetudines exurgentes ex præscriptione Superiorum contrà Inferiores, rigorosè examinandæ sint, quotiès emergunt circà illas inter utrosque Controversiæ.

PUNCTUM QUARTUM.

De Consuetudinis Vi.

Quartum de Consuetudine Punctum, illius vim respiciens, in 4. §§. dividetur. In 1. quæretur, A quo habeat vim suam Consuetudo. In 2. Quid possit. In 3. Quid non possit. In 4. An quæ fiunt vi malæ Consuetudinis, istâ abrogatâ, abrogentur.

§. I.

Unde oriatur Consuetudinis vis?

REGULA.

Non aliundè haurit Consuetudo vim suam, quàm ex Legislatoris consensu tacito vel expresso, aut ex ipsâ Lege.

Infertur ex. *C. 9. & C. 11. De Consuet.* in quorum Primo prohibetur Capitulo Parisiensi, ne novas Consuetudines in Ecclesiâ Parisiensi introducat sine consensu Episcopi Parisiensis, qui est illius Ecclesiæ Legislator: In Secundo verò declaratur, valere Consuetudinem legitimè præscriptam, id est legitimo tempore servatam, sivè conscio sivè inscio Legislatore; nam præscribitur, vel inscio Domino, vel eo conscio, sed negligente jus suum, cùm Lex nullibi ad id requirat Domini notitiam.

RATIO: Consuetudo est Lex, ideòque oportet, ut, ab Habente potestatem Legis condendæ quodammodò proficiscatur; hoc autem tribus modis fieri potest, vel enim agitur de Consuetudine, quæ Legem aliquam abroget, vel de aliâ; si de Primâ, requiritur consensus illius, qui Legem tulerat: Si de Secundâ, requiritur consensus illius, cujus est Legem condere in Locis, in quibus stabilitur Consuetudo; hic verò consensus dari potest vel expresè, ut cùm Legislator sciens Consuetudinem stabiliri, illam expresè approbat; vel tacitè, ut cùm Legislator sciens Consuetudinem stabiliri, contrà illam non reclamat: vel datus est ab ipsâ Lege, ut cùm inscio alicujus Loci Legislatore, in eo Consuetudo stabilitur, tunc enim Lex consentit, ut, si legitimo tempore servetur, vim Legis habeat. *C. 1. De Constit. in VI.* supponit, Consuetudines quandòque introduci ac stabiliri, inscio Legislatore, cùm causam afferens, cur Lex nova non deroget Consuetudinibus contrariis, nisi de illis expresè meminerit, dicat, hoc provenire ex eo quòd Legislator illas plerùmque ignoret: hic consensus à Lege datus, differt à consensu, de quo priùs dictum est, in eo quòd sit generalis & cadat in quasvis Consuetudines Legislatori etiam ignotas; ille verò sit particularis, cadatque in Consuetudines determi-

determinatas, ipsi Legislatori cognitas, eoque modo facilè conciliantur Juris Textus, ac Interpretes, qui contrarii esse videntur circà consensum Legislatoris ad institutionem Consuetudinis requisitum.

Hinc, cùm ejus sit solvere, cujus est ligare, ejusdem est Consuetudinem abrogare, cujus est statuere, undè fit, ut, quotiès Legislator vult Consuetudines abrogare, iis expresè deroget Clausulæ adjectione *non obstante quâvis Consuetudine C. 9. de Consuet. in integ.* quod docet ad Capitulum pertinere, ut immutet Consuetudines ipsum solum tangentes, quæ ab eodem statui potuêre.

Nunc inquirendum, quid Consuetudo possit vel non possit; sed priùs notandùm, haberi in exemplis malæ Consuetudinis suprà collectis Quid Consuetudo non possit; in Exemplis verò Bonæ Consuetudinis itidem suprà collectis, Quid possit; ideòque hìc tantùm collecturi sumus loca, in quibus Canon expresè dicit, hoc vel illud per Consuetudinem posse vel non posse fieri.

§. II.

Quid possit Consuetudo, sivè Generalis, sivè Particularis, & quid circà istam expresè prohibeatur.

REGULA I.

Non alia circà hunc Paragraphum in Canone expresè habentur, quàm ista.

I. Priscâ Consuetudine acquiri potest Jurisdictio & Privilegium: hinc, cùm circà Dignitates diversæ esse possint Consuetudines, esse quoque possunt earumdem Dignitatum Prærogativæ variæ in diversis Ecclesiis. *C. 6. De Consuet.*

II. Consuetudo determinare potest jura à Parochis Episcopis solvenda. *C. 5.* Caus. X. Quæst. III.

III. Introducere potest, ut una Ecclesia, de gremio alterius Prælatum eligere teneatur. Idem dic de Abbate ergà Monasterium *C. 8. De Consuet. C. 25. De Verb. Signif.*

IV. Potest vis ejus ad Legis & Statuti interpretationem extendi; est enim optima utriusque Interpres. *C. 8. De Consuet.*

V. Consuetudo rationabilis ac legitimè præscripta Juri Positivo sivè Commune sit, sivè Particulare, derogare potest. *C. 6. & C. 11. Eod.* Tit. *C. 31. De Elect. C. 13. De For. Compet. C. 7. de Appel. §. denique. C. 3. De Consuet. in VI.*

Nota contrà quintum circà Consuetudinis vim exemplum, plures opponi posse Canones, talesque esse, qui infrà citantur, & in quibus Consuetudo Canonibus vel Legi contraria nullius roboris esse declaratur: verùm Responderi posse, hos omnes Canones loqui de Consuetudine non rationabili, vel de eâ, quæ nondùm legitimè præscripta est; nec aliâ tolli viâ posse apparentem hanc contrarietatem, cùm hìc recurrere non liceat ad Disciplinæ diversitatem, quæ ex Temporum vel Locorum varietate oriatur. Semper enim & ubique agnitum est, Consuetudinem vim Legis habere, ut alibi ostensum est. Attamen, ut clariùs Responsio hæc innotescat, ecce Canones, qui præfatam contrarietatem continent. *C. 3. 7. De Consuet. C. 5. De Juram. Cal. C. 1. 4.* Dist. XI. *C. 26. De Testib. & Attest. C. 3. De Celeb. Miss. in 5. Coll. C. 1. De His, quæ fiunt à Prælatis &c. C. 3. De Donationibus. C. 1. De Consuet. in VI.*

Et cicà illos, aliosque similes Observa iterùm, inter Canones quosdam esse (de Lege idem dicito) qui Jus merè Humanum non inducunt, sed Jus Naturale vel Divinum exequuntur, idemque pœnæ adjectione servandum curant, ideòque Consuetudinem, quæ talibus adversatur Canonibus, utpotè Juri Naturali vel Divino contrariam, omni prorsùs vi carere: alios verò esse Canones Jus merè Humanum statuentes, eosque reclamare contrà Consuetudinem, donec legitimè præscripta sit, eo planè modo, quo res pro Domino suo reclamat, usque ad legitimam præscriptionem; ideòque sicut alienæ rei Possessor antè legitimam Præscriptionem injustus Detentor habeti potest, ita Consuetudinis non præscriptæ Observator, Canonis, cui adversatur, Transgressor judicari potest.

Observa 3. Consuetudinem, ut Jure Canonico sit legitimè præscripta, tria requirere 1. ut sit Rationabilis, qualis non est, quæ Juri Naturali vel Divino adversatur. 2. est Spatium 40. annorum. 3. Ut per illos annos incœptum usum Legislator non improbarit. Primum patet, ex his omnibus Canonibus, in quibus Consuetudo, quantùmvis vetusta, declaratur Corruptela, quia vel Naturali vel Divino Juri adversatur. Secundum infertur ex *C. 25. De Verb. Signif.* in quo Consuetudo probatur legitima ex eo, quòd 40. annis duraverit, ex *C. 4. 6. 8. De Præscript.* quæ ad Præscriptionem 40. annos requirunt indistinctè, ideòque tàm ad Legem, quàm ad alias res extendi possunt. Tertium colligitur ex *cit. C. 25.* in quo Consuetudo probatur legitima ex eo, quòd per 40. annos, per quos duravit, nil huic contrarium intervenerit. Colligiturex Panormitano *in idem C.* ubi requirit tacitum consensum ejus, cui præjudicatur, ut Consuetudo legitimè præscribatur. Consuetudo autem semper Legislatori præjudicat, cùm vel factæ Legi deroget, vel faciendi jus usurpet.

VI. Efficere potest, ut Donatio, quæ aliàs non valeret, valeat. *C. 3. De Donationibus.*

VII. Obligare potest ad aliquid dandum pro Rerum Spiritualium receptione. *C. 42. De Simon.*

VIII. Dare potest aliis, quàm Canonicis, jus Episcopum eligendi. *C. 50. De Elect. C. 3. De Causa poss. & propr.*

IX. Personæ aliàs inhabili ad judicandum, ut Fœminæ, Jurisdictionem dare potest; Personæ verò ad id idoneæ illam dare potest in Casibus, in quibus illâ carebat. *C. 4. de Arbitr. C. 1. 2. 5. De Off. Ord. in VI. C. 1. De For. compet. in VI. §. denique §. nec.*

X. Consuetudo, etsi mala, eximit à pœnâ, quamdiù ab Ecclesiâ toleratur. *C. 11. De Tempor. Ordin.*

XI. Consuetudo antiqua, etsi prava, veniam meretur, illam bonâ fide Sequentibus. *C. 2. & 9. pro ut refertur in Collect. 2. Eod.* Tit.

XII. Superior potest vi Consuetudinis in non Subditum Correctionis jus aquirere. *C. 13. De Off. Jud. Ord.*

XIII. Antiqua Consuetudo præsentandi jus dare potest. *C. 24. De Elect.*

XIV. Longa annuam solvendi Pensionem Consuetudo eam continuandi obligationem parit. *ibid.*

XV. Efficere potest, ut Actor Rei Forum sequi non teneatur. *C. 5. De For. Compet.*

XVI. Festa introducere potest, illaque celebrandi modum determinare. *C. 2. De Feriis.*

XVII. Approbatâ Loci Consuetudine fieri potest, ut quoddam Instrumenti genus authenticum habeatur, id est fide dignum. *C. 9. De Fide Instrum.*

XVIII. Jus Visitationis & Procurationis aquirere potest Archiepiscopo in omnibus Provinciæ suæ Ecclesiis tàm Regularibus, quàm Secularibus. *C. 16. De Præscript.*

XIX. Consuetudine effici potest, ut Episcopo consentiente Clericus de reditibus Beneficii sui proximo anno post mortem percipiendis disponat. *C. 1. De Testam. in 2. Coll.*

XX. Tanta est Consuetudinis vis, ut jura, quæ Archidiacono acquirit in Ecclesiis sibi subjectis, minuere nequeat Episcopus, si aliundè justa sunt *C. 2. De Excess. Præl.*

XXI. Poterat aliàs Canonicos à residendo eximere per totum annum; nunc autem non potest nisi per tres Menses. *C. 5. De Constit. C. 12.* Sess. XXIV. Conc. Trid.

XXII. Efficere potest, ut Appellatio à Judice Laïco ad Judicem Ecclesiasticum teneat. *C. 6. De Appell. §. denique.*

XXIII. Acquirere potest Archidiacono vel simili Vacantium in Diœceses Ecclesiarum custodiam *C. 51. De Appel.*

XXIV. Reddere potest aliquem inhabilem ad Dignitates Ecclesiasticas. *C. 6. De Cler. Conjug.*

XXV. Efficere potest, ut Collatio & Præsentatio ad solum Abbatem pertineant. *C. 6. De His, quæ fiunt à Præl. sine consens. &c.*

XXVI. Antiqua Consuetudo ab Apostolicâ Sede confirmata efficere potest, ut, quod fit à majori & saniori parte Capituli, non valeat. *C. 1. De His, quæ fiunt à Majori &c. in 2. Collect.*

XXVII. Antiqua Consuetudo alicui acquirere potest jus Regaliæ & Custodiæ in Ecclesiis & Monasteriis, quò Vacationis fructus percipiat. *C. 13. De Elect. in* VI.

XXVIII. Ex Consuetudine possunt Archiepiscopi in Suffraganeorum suorum Diœcesibus Officiales constituere pro futuris Appellationum Causis. *C. 1. De Offic. Ordin. in* VI.

XXIX. Canonicis vi Consuetudinis licebat cessationem à Divinis in Ecclesiâ inducere. *C. 2. de Offic. Ord. in VI.*

XXX. Consuetudinis vi licet Archiepiscopo Causas cognoscere, vel cognoscendas committere alibi, quàm in Locis sibi à Jure Communi commissis, 1. extrà propriam Civitatem, 2. Diœcesim. 3. Diœceses, in quibus appellatum est. 4. Loca, in quibus Causæ consistunt. *C. 5. De Offic. Ord. in* VI.

XXXI. Consuetudo introducere potest, ut Vacationis fructus pertineant ad Ecclesiarum Vacantium Collatores, Præsentatores, vel Custodes. *C. 9. Eod.* TIT. *& loco.*

REGULA II.

Non aliis in Casibus prohibet Canon particulares Consuetudines non malas, quàm in istis.

I. In Divinis Officiis & Cantu Publico; standum est enim modo in Ecclesiâ Metropolitanâ servari solito. *C.* 11. DIST. XII. Non est in usu saltem in Gallià.

II. In adhibendo psallendi ordine; unus enim & idem tenendus est in Matutinis vel Vespertinis Officiis, nec diversæ, nec privatæ, nec Monasteriorum Consuetudines cum Ecclesiasticâ Regulâ permisceri permittendæ sunt. *C.* 14. *ead.* DIST.

Notà circà hos Canones, Primum expressè subjicere Monachos Ecclesiæ Metropolitanæ Disciplinæ quoad Officia Publica: Secundum verò insinuare privatas circà Officia Consuetudines Monachos tunc habuisse, sed id vel de Officiis Privatis intelligendum; vel si de Publicis, correctum esse à Primo, posito quòd Braccharensis Ecclesia Toletanæ subjiceretur tamquàm Primati; nam BRACCHARENSE CONCILIUM, à quo desumitur Secundum, præcessit TOLETANUM XI. è quo educitur Primum; ideòque potuit ab isto corrigi; vel aliam fuisse Ecclesiæ Braccharensis Disciplinam, quàm Ecclesiæ Toletanæ: istudque probabilius, cùm CONCILIUM TOLETANUM fuerit Provinciale, ideòque locus non fuerit derogationi.

III. Quoad Jura Episcopo à Parochis persolvenda communis omnibus Diœcesis Ecclesiis Consuetudo est servanda. *C.* 1. CAUS. X. QUÆST. III.

IV. In ordinandis Episcopis antiquus mos servandus. *C.* 20. CAUS. XI. QUÆST. I.

V. In attribuendis Novo Beneficio prærogativis, non alias licet sequi Consuetudines, quàm Vicinarum Ecclesiarum ejusdem Regni. *C. 6. de Consuet.*

VI. In Electionibus aliisve similibus, Generalis alicujus Regionis Consuetudo cuivis Particulari est præferenda in eâdem Regione. *C.* 31. *De Elect.* in quo hujusmodi Consuetudo præfertur Juri Communi, quod majus est quâvis privatâ Consuetudine.

VII. In Juramento à Suffraganeis Metropolitano præstando, Generalis aliarum omnium Consuetudo alicujus Particulari præferenda est. *C.* 13. *De Major & Obed.*

VIII. Quotiès Canon privatam præcipit servari Consuetudinem, qualis est unius Prælati ergà aliquos in Districtu suo sitos, huic contrarios eo ipso servari prohibet, illius gratiâ, cui præjudicant. *C. ult. De Offic. Archid.*

IX. Circà quantitatem portionis Mortuariis Curato debitæ, Regionis Consuetudo servanda est, nec licet sequi minùs vel magis benignam, nisi consentiente eo, cujus interest. *C. 9. De Sepult.*

X. In moderandis juribus Episcopo debitis circà Ecclesias, ad ejus jurisdictionem noviter translatas, Vicinarum Consuetudo est servanda, ideòque aliæ rejiciendæ. *C. 22. De Censib.* &c.

XI. Circà celebrationem Festorum & Jejunii observationem. *C. 2. De Observ. Jejun.*

XII Ecclesia suffraganea debet tenere & servare quod Beati Petri Sedem vel Metropolim suam sequi viderit & docere. *C. 5. De Sponsa duor.*

§. III.

Quid non possit Consuetudo?

REGULA.

Non alia circà hunc §. in Canone expressè habentur, quàm ista.

I. Consuetudo justificare nequit Simoniam Jure Divino prohibitam, nec etiam quam Jus Ecclesiasticum vetat, si contrà eam reclamet Ecclesia. *C.* 15. CAUS. I. QUÆST. III.

II. Consuetudo efficere non potest, ut in Causis Ecclesiasticis Dictum Populi pro Sententiâ teneatur. *C. 3. De consuet.*

III. Efficere non potest, ut Sententia à non suo Judice lata valeat. *ibid.*

IV. Operari non potest, ut quæ Jure Divino sunt Ordinis Episcopalis, à Presbytero fieri valeant. *C. 4. De consuet.*

V. Non potest minuere peccata, quæ tantò graviora sunt, quantò infelicem animam diutiùs detinent obligatam. *C. 4. in Parte decisa C.* 11. *Eod.* TIT. *C. 8. 9. De Simon.*

VI. Non potest efficere, ut licita sit Prælatorum translatio sine Superioris licentiâ. *C. 7. de Consuet.*

VII. Consuetudine quantumvis vetustâ non potest effici, ut pretium Temporale licitè exigatur pro re Spirituali, quales sunt Ingressus in Religionem, Beneficiorum Collatio, Prælatorum institutio, seù intronisatio, Sepultura, Chrisma, Oleum Sanctum, Benedictio Nubentium, aliave Sacramenta, Missio in possessionem, Canonicorum Receptio. *C. 8. 9. 42. De Simon. C. 16. 21. 36. 39. 44. Eod.* TIT.

VIII. Consuetudine Laïcis acquiri non potest jus Episcopum eligendi, idque, quia contrà id reclamat Ecclesia. *C. Ad Audientiam in 1. Collect. De Consuet. C. 56. De Elect.*

IX. Non poterat aliàs Consuetudo efficere, ut Clericus coràm Judice Laïco pro crimine validè conveniretur, idque, quia contrà Ecclesia reclamabat. Nunc potest, quia jamdiù desiit Ecclesia reclamare, saltem in Galliâ. *C. 8. De Judiciis.*

X. Inferiorem à correctione Superioris eximere non potest Consuetudo. *C. 13. De Offic. Jud. Ord.*

XI. Efficere non potest, ut non Professus in Priorem eligi valeat. *C. 27. de Elect.*

XII. Archiepiscopus non potest, vi Consuetudinis, aquirere jus utendi Pallio extrà Provinciam suam.

XIII. Non potest derogare acquisito libertatis Privilegio, nisi duret tempore ad illam derogationem necessario, nempè ad minus 40. ann. secundùm Canones. *C. 8. de Caus. Poss. in integrâ.*

XIV. Impedire nequit Consuetudo, ne qui Theologiam docent, quamdiù docuerint, & qui studeant per quinquennium, Beneficiorum proventus percipere possint. *C. Ult. De Magist.*

XV. Efficere non potest, ut liceat Clericis esse vel Publicis Aleatoribus, vel Manifestis Usurariis. *C.* 11. *De Excess. Præl.*

XVI. Consuetudo, etsi Generalis, efficere nequit, ut liceat eidem duas Præbendas habere. *C. 9. De Conc. Præb.*

XVII. Non poterat aliàs Clericum à Juramento Calumniæ

lumniæ eximere; sed jamdiù tàm Laïcam quàm Clericum ab eodem exemit. *C.* 3. *De Fide Jusſoribus.*

XVIII. Monachos, Monialesve à ferendo habitu Monachali liberare non poteſt. *C.* 2. *De Teſtam.*

XIX. Bigamus Clericalia Privilegia comparare non poteſt. *C. unico De Bigam. in VI.*

XX. Conſuetudine introduci nequit, ut Capitulum Regulare viſitare Epiſcopus ſolus teneatur. *C.* 1. *De Offi. Ord.* Extravag. Communi.

§. IV.

An Facta ex Conſuetudine malâ abrogentur cum ipſa.

REGULA I.

Facta vi malæ Conſuetudinis non ſemper abrogantur cum ipsâ, ſi ſit tantùm mala ex eo, quòd Juri Poſitivo ſit oppoſita.

Infertur ex *C.* 7. *De Conſuet.* ubi hujuſmodi Conſuetudo abrogatur, ſed Facta vi illius non reformantur; & ex *C.* 27. *De Elect.* ubi de abrogatâ longâ Conſuetudine, quâ, Qui non profeſſi Eccleſias Regulares poſſidebant, obligantur profiteri, vel dictas Eccleſias dimittere. Idem habes in *C.* 3. *De Elect. in* 5. *Compil.* Undè patet, quòd receptio valebat, ſed eâ lege, quòd Recepti profiterentur.

REGULA II.

Non aliis abrogatur viis Conſuetudo, quàm iſtis.

I. Si ipſi expreſsè Legiſlator deroget vel ipſius Superior. *C.* 1. *De Conſtitut.* & *C.* 10. *De Reſcript. in VI. C.* 4. *De Conſuet.* in VI.

II. Si 40. annis abſtineatur ab actibus, quibus ſtabilita eſt. *C.* 20. *De Decim.* Nam Decima Perſonalis non deſiit niſi ceſſatione actuum, quibus fuerat introducta, & ſtatuta: Idem dic de omnibus Conſuetudinibus, quæ conſiſtunt in aliquo faciendo.

III. Si per 40. annos contrarii fiant illis actus, quibus ſtatuta eſt. *C.* 2. *De Obſerv.* Nam Conſuetudo celebrandi Feſtum S. Bartholomœi non eſt ſtatuta niſi actibus contrariis iis, quibus oppoſita ſtabilita fuerat: idem dic de aliis ſimilibus.

IV. Si ii, quibus favet, ipſi renuncient. *C.* 25. in quo probatur valere adhuc Conſuetudinem ex eo, quòd illi, quorum intererat, non renunciarant, prætereà neceſſarius eſt iſtorum ſaltem tacitus conſenſus, hoc autem conſenſu fit abrenunciatio, de qua hîc Sermo. Ad finem perducti eorum, quæ dicenda erant circà Conſuetudinem, monendum duximus, quòd inter Collectiones ad inſtar Decretalium compoſitas duæ ſunt, in quibus nullus eſt Titulus de Conſuetudine, nempè illa, quæ Clementinas continet, & ea quæ conſtat ex Extravagantibus Joannis XXII.

Caput III.

Regulæ extractæ ex Methodo Generali compoſitâ à Patrono Cauſarum in Curiâ Pariſienſi, & in lucem editâ Pariſiis anno 1666. *Ad intelligentiam Conſuetudinum Galliæ, & accommodatæ Juri Canonico tam Communi, quàm Particulari.*

Regulæ hujuſmodi numero quindecim ita ad Juris Canonici interpretationem conferre viſæ ſunt, ut eas Prolegomenis hujus Juris, mutatis mutandis, inſerendas duxerimus, ne quid iis deſit, quod ad illius Studium expeti poſſit. Sed priùs notandum, inter illas Regulas extare quaſdam, quæ Juri, ſivè Communi ſivè Privato, congruunt, quia reſpiciunt Legem ſivè Jus generatim conſideratum; hîc enim Jus & Lex idem ſignificant: ejus generis ſunt Reg. I. II. VII. VIII. IX. X. XIV. Aliæ verò conveniunt Juri Particulari, quia pertinent ad Jus ſpeciatim ſumptum, ſivè limitatum ad certa Loca & Perſonas. Hùc ſpectant Cæterarum pleræque: Utrumque Regularum genus ex Jure Romano deſumptum eſt, quod omnibus Nationibus commune fuit, aut ex illius Interpretibus, aut ex Expoſitoribus Conſuetudinum Gallicanarum: id colligitur ex allatis ad Regulas probandas teſtimoniis.

Obſervandum etiam, quòd ſicut Jus Conſuetudinarium Provinciarum & Civitatum Galliæ per plura ſæcula fuit ad Poſteros vivâ voce tranſmiſſum, & poſteà ſcriptum, ita & Jus Eccleſiaſticum Provinciarum & Diœceſeon, nec non Capitulorum, & Monaſteriorum; undè nonnulla Statuta vel Conſtitutiones ipſorum etiam nunc Uſus & Conſuetudines nuncupantur: item ſicut Conſuetudines cujuſque Provinciæ vel Civitatis ſunt illarum Jus Privatum, ita & Statuta vel Conſuetudines cujuſque Capituli, vel Monaſterii ſunt illorum Jus Particulare.

REGULA I.

Conſuetudines per ipſaſmet explicandæ.

Autor non loquitur de Corpore Conſuetudinum, dicto *Magnum* aut *Generale Conſuetudinarium*, ſed de ſingulis Conſuetudinibus, ex quibus Corpus hoc coaleſcit, & quarum Articuli ſeſe invicem explicant: hoc autem convenit Juri Eccleſiaſtico Communi, quod in Corpore Juris continetur. Canones, quibus conſtat, ſeſe mutuò illuſtrant, ſunt veluti Articuli ejuſdem, Conſtitutionis; omnes ſiquidem emanant ex eadem autoritate, Prælatique ſinguli, ex quibus illa extitit, conſiderandi ſunt tamquàm una eademque Perſona, quæ ſuam meliùs novit voluntatem, quàm quivis alius, non eſt fidelior Interpres noſtræ intentionis, quàm nos ipſi, Leges Legibus concordare promptum eſt. *L. non omnes C. De Inofficioſis dotibus.* Sæpè ſæpiùs contingit, ut, quod in uno loco obſcurum eſt, lucem accipiat in alio loco; quod præcedit explicat quod ſequitur, & ab eodem explicatur; Non eſt novum, ut priores Leges ad poſteriores trahantur. *L. Non eſt novum ff. De Legib.* ſed & poſteriores Leges ad priores pertinent. *L. ſed & poſteriores. ibid.* Mox adductæ Rationes ab Autore deſumptæ ſunt, & inter illas nulla eſt, quæ Juri Canonico, tùm Communi tùm Particulari, non congruat.

REGULA II.

Quandò Conſuetudines obſcuræ ſunt, aut ambiguæ, & per ſeipſas explicari nequeunt, conſiderandum illarum motivum & intentio.

Voluntas Legis eſt illius præcipua Pars: cognoſcitur autem 1. ex ipſius verbis, ſi clara fuerint. 2. ex illius ratione, quæ Legis anima eſt: Undè Regula 88. *De Reg. Jur. in VI. Certum eſt, quòd is committit in Legem, qui Legis verba complectens, contrà Legis nititur voluntatem*, ex Legibus Romanis deſumpta eſt: Canisius in illam Regulam Leges illas laudat, & refert.

Porrò Obſcuritas differt ab Ambiguitate in eo, quòd iſta naſcitur ex varietate ſenſuum, quos ipſa locutio patitur; illa verò aufert cognitionem ſenſûs.

REGULA III.

Diſpoſitionibus Conſuetudinum nihil addendum.

Hoc convenit Statutis, quæ ſunt ſtricti Juris ut Conſuetudines; attendenda quæ ſcripta ſunt, Statuta tantùm diſponunt, quantùm loquuntur: Contractibus Statuta ut Conſuetudines comparantur; ideòque Quod in illis non exprimitur, omiſſum de conſilio intelligitur; *Quidquid aſtringendæ obligationis eſt, id niſi plàm exprimatur, omiſſum intelligendum eſt. L. Quidquid aſtringendæ. ff. De Verb. Obligat.* ſi aliquam extenſionem patiantur, illa ſumenda à Statutis præcedentibus, aut ab aliis Articulis eorumdem Statutorum.

REGULA IV.

Quemadmodùm non licet, quidquam Consuetudinibus adjicere, ita nec æquum est, ne quid ex eis demtur, sivè dispositio, sivè verbum, sivè syllaba.

Quod dictum de præcedenti, illam convenire Statutis, sicut & Consuetudinibus, idem dicendum de istâ: Ratio, quæ prohibet, ne quid addatur, prohibet quoque, ne quid demtur: nihil in iis mutari potest, nisi adhibitâ eâ autoritate, quâ facta sunt, aliàs non possunt nec plùs nec minùs obligare.

REGULA V.

Consuetudo per non usum aboleri potest, sicut per usum introducta & stabilita est.

Pleræque Consuetudinum dispositiones viguerunt, antequàm scriberentur, illarum utilitas, experimento nota, ad illas in Scriptis redigendas induxit: eâdem voluntate, quâ introductus est usus, abrogari potest, juxtà Regulam, *Per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur.* Dispositiones Consuetudinum sunt Leges, quas Subditi sibi imposuerunt, proprio commodo studentes, cui renunciare possunt, juxtà Regulam, *Licitum est unicuique renunciare ei, quod in sui favorem introductum est.*

REGULA VI.

Consuetudines adeò sunt stricti Juris, ut ipsarum dispositiones, etsi exorbitantes fuerint, & contrà Jus Commune; servandæ sint, quandò in desuetudinem non abierunt.

Ratio Regulæ poscit, ut ista habeat locum in Statutis; sunt enim stricti Juris. Excipiendi Casus, in quibus hujusmodi dispositiones adversarentur Rationi Naturali: hæc enim prævalere debet cuivis Statuto, quemadmodùm cuicumque Consuetudini: Cùm Ratio Naturalis idem sit, ac Lex Naturalis, quæ cùm superior sit omni Lege Humanâ, nulla ex illis est, quæ illi cedere non debeat, quotiescùmque illi adversatur. Dist. IX. *tota.*

Excipiendi quoque Casus, in quibus dispositiones hujusmodi non sunt præcisæ & formales: tunc enim reducendæ sunt ad Jus Commune, à quo recesserunt in iis, quæ præcisa habent. Ratio Civilis postulat, ut quod non expresè comprehenditur in dispositione exorbitanti, remaneat subjectum Juri Communi. Subjicitur Regulæ, quod in exceptione non continetur: Jus verò Commune habendum ut Regula, dispositio Consuetudinis ut exceptio istius Juris. *Videsis* CANISIUM *in Reg.* 28. *De Reg. Jur. in* VI. *Quæ à Jure Communi exorbitant, ad consequentiam non sunt trahenda;* ubi observat, quòd, cùm Jus Commune sit favorabile, Statuta verò, Privilegia, aliaque Juris stricti, sint odiosa, ad illud, quantùm fieri possit, interpretatione reducenda sunt, quæ in eis obscurè exprimuntur.

REGULA VII.

Accuratè distinguendum, quod dicitur per modum limitationis & restrictionis ab eo, quod per modum demonstrationis secundùm usum communiorem.

Hæc Regula locum sibi vindicare potest tàm in Jure Communi contento in Corpore Juris, quàm in Jure Particulari contento in Statutis; siquidem posito, quòd alterutrum dispositionem suam restringat ad certos Casus, illius extensio ad similes Casus non admittitur: è contrà, si dispositio nullo modo restringatur, Casus verò expressi afferantur per modum exempli, quod demonstratio vocitatur, extensio ad similes Casus recipitur. Restrictio verò denotatur per particulas taxativas, *dumtaxat, solùm, tantùm, nisi,* aliasve similes exclusivas: ubicùmque autem non recurrunt hujusmodi particulæ, Casus expressi referuntur per modum demonstrationis. Restrictio, quandòque nascitur ex ipsâ rei naturâ, etenim si odiosa sit, ut pœnæ, dispositio semper ad Casus expressos limitatur; cùm è contrà, si res favorabilis fuerit, dispositio excurrit ultrà Casus expressos, ad omnes scilicet similis generis vel speciei. Dispositionis Ratio expressa facit etiam, ut ad similes, in quibus ipsa ratio cadit, dispositio quoque extendatur.

REGULA VIII.

Ubi Consuetudo non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Regula hæc cuique Juris speciei convenit; sensus illius est, quòd standum sit dispositioni Juris, admittendæ talis qualis est, nec extendendæ ultrà, quàm ratio illius illam extendit, nec restringendæ citrà, quàm eâdem ratione restringatur. Distinctiones captiosæ rejiciendæ. Aliter sentiendum foret, si distinctio ab unâ Lege omissa, ab aliâ Lege suppleretur. Siquidem omnes Leges unum Corpus conficiunt, & posterior restringere potest anteriorem, adjectis distinctionibus non expressis in anteriori.

REGULA IX.

Verba Consuetudinum explicanda sunt juxtà propriam, naturalem, & ordinariam significationem, aut illorum usum, aut secundùm mentem & intentionem ipsarum.

Nihil est in hâc Regulâ, quod cuique Juris speciei non conveniat. Sed Prima Pars Statutis magis congruit; sunt enim stricti Juris, ideòque verba scrupulosiùs pensanda: idcircò laudatæ ab Autore autoritates ad hujus Partis expositionem, de Statutis speciatim loquuntur.

Cùm Verba plures diversasque significationes habere possint, juxtà qualitatem Argumenti sivè Materiæ, juxtà Locorum usum, Temporumque mores, interpretanda sunt, ideòque diligentissimè inspiciendæ sunt omnes singulæque hæ circumstantiæ, ut in illorum interpretatione omnis error vitetur. Jus Commune verba accipit in sensu communiori. *Cap.* 7. *De Sponsal. & Matrim.* eoque modo fraudibus obviat. Ex hâc Observatione excipiendi sunt Contractus, ubi verba obscura interpretanda sunt in detrimentum Partis, iis utentis; jubente *R.* 57. *in* VI. ut contrà eum, qui potuit Legem apertiùs dicere, interpretatio fiat. Extant ibidem tres aliæ Regulæ, quæ eamdem interpretationem verborum respiciunt, nimirùm *R.* 30. 45. & 49. *Vide* CANISIUM *in* 30. qui cum istâ simul illas explicat.

Tertia Pars suprà exposita est in expositione Regulæ II.

REGULA X.

Exceptio firmat Regulam.

Convenit quoque hæc Regula cuivis Juris speciei: Ratio ipsius est, quòd Legislator excipiendo nonnullos Casus, manifestat se velle, ut Lex servetur in singulis Casibus non exceptis: indè fit, ut exceptio non admittat exceptionem; quod enim in exceptione non comprehenditur, remanet, & includitur in Regulâ, attamen exceptio ad omnes Casus similes extenditur. FAGNANUS *in Cap.* Officii. *De Pœnit. & Remiss. n.* 42.

REGU-

Regula XI.

Quandò Dispositiones Consuetudinum Juri Communi conformes sunt, recipiunt omnes explicationes, limitationes, extensiones Juris Communis.

Locum sibi vindicat hæc Regula in Statutis, quandò illorum dispositiones Juri Communi consentiunt; Ratio hujus Regulæ est, quòd Dispositiones Juris Communis, ubicùmque reperiantur, retinent naturam suam, ideòque licet sint in Statutis, quæ sunt stricti Juris, efficiunt, ut quod Juri Communi convenit, Statutis quoque congruere debeat in iis, quæ communia habent, cum Jure Communi; nec enim Statuta sunt Juris stricti, nisi in iis, quæ à Jure Communi exorbitant, in cæteris ejusdem conditionis sunt, ac Jus Commune.

Regula XII.

Dispositiones Consuetudinum cessant roburque suum & autoritatem amittunt, quando iisdem derogatur per Edicta & Ordinationes Regias: imo sine derogatione expressâ, quotiescùmque Edicta Ordinationesve Regiæ attinent ad Regulamentum Generale Justitiæ, administrandæ Disciplinæ, Politiæque Regni.

Quod hîc dicitur de Consuetudinibus, convenit Statutis, quæ simili derogationi subjiciuntur: quod verò de Regno Franciæ, ad alia Regna extenditur: quod autem de Legibus Sæcularibus Universalibus quoad Ditionem Legislatoris Sæcularis, vim suam habet in Canonibus Generalibus sivè Ecclesiæ Universalis, sivè Ecclesiæ Particularis autoritatem habentis in Statuta; in istis derogatio expressa requiritur, quia Statuta specialia sunt facta, quæ ignorari possunt à Condente Canones. *Cap.* 1. *De Constit.* in VI. Hinc quotiescùmque Concilium Tridentinum derogare voluit Statutis, Clausulâ expressâ iis derogavit, aut æquipollente, Qualis est ea, quæ derogat his, quæ suis Dispositionibus adversantur *Cap.* 1. Sess. XXIII. *Cap.* 12. Sess. XXIV. *De Ref. Cap.* 1. *De Constitut. in VI.* jam laudatum postulat derogationem expressam; patet his verbis, *nisi expresè caveatur in ipsâ*, sed Derogatio æquivalens quodammodò expressa est, cùm notum faciat, voluntatem Ecclesiæ esse adimendi vim, cuicumque Dispositioni contrariæ. Porrò Ordinationes Regiæ, quæ statuere volunt Juris uniformitatem quoad nonnulla Capita in toto Regno, derogare solent cuicumque obstanti Dispositioni.

Regulæ XIII. XIV. XV.

Prætermittendæ essent hæ tres Regulæ, quia, etsi Statutis accommodari possent, illarum applicatio satis naturalis seù genuina non foret, ac operis labor illius utilitatem excederet. Sed, cùm circà illas nonnulla observanda sint, conveniens videtur, ut infrà referantur prout jacent, id enim necessarium ad intelligentiam illorum, quæ de illis notanda sunt.

Observatio *in* Regulam. XIII.

Juxtà Regulas contentas in Dist. XCV. XCVI. & in Tit. *de Major & obed.* circà subjectionem Inferiorum Superioribus suis, Statuta Ecclesiarum Collegiatarum, quæ imperfecta sunt, perficienda essent, reductione ad Statuta Ecclesiæ Cathedralis; & Statuta Cathedralium Ecclesiarum, similem defectum patientia, reductione ad Statuta Ecclesiæ Metropolitanæ: æquum siquidem est, ut Ecclesiæ Inferiores Superioribus conformentur. Hinc Concilium Aquense celebratum *an.* 1585. Tit. *de Capitulis* jussit, ut Statuta Ecclesiarum Cathedralium totius Provinciæ redigerentur ad formam Statutorum Ecclesiæ Metropolitanæ. Hujus Decreti ratio: quòd Ecclesiæ Suffraganeæ plerùmque Fidem acceperunt ab Ecclesiâ Metropolitanâ, quæ censetur aliarum Mater, proindèque conveniens est, ut ab eâdem recipiant quoque Disciplinam. Quoad verò Capita, quibus provisum non est à Statutis Ecclesiæ Metropolitanæ, bonus ordo postulat, ut ea à Jure Communi hauriantur, quod comparatum cum Jure Particulari idem planè videtur, quod Fons ergà Rivulos

Hujus autem Regulæ XIII. hæc sunt Verba: *Quandò Consuetudo est imperfecta; & non continet omnes Dispositiones necessarias ad decidendas Quæstiones occurrentes, recurrendum est.* 1. *Ad Usum Provinciæ.* 2. *ad Ordinationes Regias.* 3. *ad Consuetudines Viciniores.* 4. *ad Mentem Generalem Consuetudinum Galliæ, & præsertim Consuetudinis Parienſis: postremò ad rationem Juris Romani.*

Observatio *in* Reg. XIV. *quæ sic se habet.*

Dispositiones Consuetudinum sunt Personales, Reales, aut Mixtæ.

Statuta, ut & Consuetudines, esse possunt Personalia, Realia & Mixta. Personalia sunt, quæ respiciunt obligationes seù Officia Personarum; Realia sunt, quæ spectant Administrationem Canonum Ecclesiasticorum: Mixta, quæ comprehendunt Personas & res simul; sed plerùmque Personalia magis sunt, quàm Realia, quia ad Officia Personarum præcipuè attinent.

Observatio in XV. Regulam. *Hæc ferentem.*

Dispositio Hominis cessare facit, Dispositionem Consuetudinis.

Hæc Regula respicit Dispositionem Bonorum Temporalium Sæcularium in quibusdam Contractibus præscriptam à Consuetudine, datâ tamen Contrahentibus facultate, aliam inter se faciendi, quibus Casibus Provisio Hominis prævalere debet, Provisioni Consuetudinis.

Hinc patet, illam non convenire Statutis Ecclesiasticis, quorum non est præscribere modum disponendi de Bonis Temporalibus.

Prætereà non contingit, quòd hujusmodi Statuta relinquant Subditis facultatem plùs minùsve faciendi, quàm præcipiunt; ideòque, quoad illa, dici non potest, quòd provisio Hominis cessare faciat Provisionem Consuetudinis, sivè Statuti.

Titulus XII.

Regulæ

Circà Canones non servatos, quibus ab aliis secernuntur ostenditurque, illos non esse omninò inutiles.

Utilissimum Juris Canonici Studium non pauci negligunt, illud miserâ animi præoccupatione inutile existimantes: hunc in errorem labuntur varias ob causas. Vident, aut audiunt plurimos Canones hoc in Jure contentos non servari, sivè quia nunquàm recepti sunt, sivè quia recepti in desuetudinem abierunt, putant Canones, qui non sunt in usu, ita cum aliis permixtos, ut sine maximo labore, cujus sunt re vel voluntate incapaces, discerni non valeant. Judicant memoratos Canones ad alia, ut ad id, propter quod conditi sunt, æquè inutiles.

Ad avertendam ergò tantam à Jure Canonico injuriam, tria ad id necessaria præstanda suscipimus. 1. Palàm faciemus unicâ Regulâ, Canonum non servatorum numerum longè minorem esse, aliorum numero, ideòque, non magis deserendum esse Juris Canonici Studium, ob quosdam non servatos Canones, quàm Legum Studium, ob nonnullas inobservatas Leges. 2. Paucis Regulis ostensuri sumus, Canones non servatos, ab aliis facilè discerni posse.

3. Nonnullis aliis Regulis, prædictos Canones, ad alia, propter quæ non sunt conditi, nonnihil conferre monstrabimus.

Sed priùs unâ aut alterâ Regulâ discutiemus, An omnes Canones non servati, sint abrogati; Quomodò abrogati Canones ab aliis non servatis, sed non abrogatis distinguantur. Denique An omnes Canones, qui non servari dicuntur, reverâ non serventur.

REGULA I.

Non omnis Canon non servatus, est abrogatus.

RATIO sunt plurimi Canones non servati, reclamante Ecclesiâ, cujus tamen consensus tacitus vel expressus ad Canonum abrogationem requiritur. Tales sunt, qui Clericis omnibus præcipiunt, ut togam talarem gestent; ne calamistrati incedant; ut ab alearum lusu, tabernis, popinisque nec non venatione abstineant; nam pluribus in Locis Canones hi non servantur, sed Episcopi reclamant, dùm Canones hos suis Constitutionibus in dies innovant. TIT. *de Simon.* quoad plura Capita, TIT. *de Usuris*, quoad pœnas Fœneratorum, confirmant Regulam non minùs, quàm TIT. *de Clero Venatore*, & TIT. *de Vit. & Honest.*

Sunt etiam Canones nonnulli inter non servatos, qui ab usu contrario, etiamsi taceret Ecclesia, non possent aboleri; Tales sunt, qui res à Jure Divino vel præceptas, vel prohibitas, jubent, vel vetant: hinc Canones præcipientes, ut Horæ Canonicæ devotè, studiosè, & attentè recitentur; ut Sacramenta dignè administrentur & suscipiantur; ut Missa sine voluntariâ mentis divagatione audiatur; ut diebus Dominicis, aliisque Festivis à quibuscumque malis operibus abstineatur, nunquàm abrogari poterunt.

REGULA II.

Ut Canon per usum contrarium abrogetur, non alia requiruntur, quàm ista.

I. Ut sit rationabilis, id est Bonis Moribus non adversetur. *Cult. de Consuet.*

II. Ut sit legitimè præscriptus, id est ut à 40. annis vigeat, non reclamante Ecclesiâ. *ibid.*

III. Ut sit communis, id est Ecclesiæ Universæ; si de abrogatione Universali agatur: vel totius Nationis; si de abrogatione factâ in Ecclesiâ Nationali; vel totius Provinciæ vel Diœcesis; si de abrogatione factâ in Provincia vel in Diœcesi aliquâ sermo sit. *ibid.*

REGULA III.

Canon non servatus differt ab abrogato in eo, quòd posterior non liget, prior verò liget.

Patet ex dictis. Nam per Canonem non servatum intelligimus illum, qui præteritur reclamante Ecclesiâ, cujus autoritas ad abrogationem requiritur.

REGULA IV.

Non omnis Canon abrogatus, quoad aliquid, est quoad cætera abrogatus.

RATIO: sunt, qui subsistunt, quoad substantiam, licèt abrogentur, quoad pœnas. Inter Canones de Usuris, vel de Simoniâ, plurimi sunt abrogati, quoad pœnas.

REGULA UNICA.

CIRCA CANONUM NON SERVATORUM NUMERUM.

Canonum non servatorum numerus cum servatorum, vel servandorum numero comparatus minimus est.

Patet Regula ex eo, quòd longè major sit numerus Canonum, qui ad Dogma vel ad Mores pertinent, quàm eorum, qui ad Disciplinam: nam Canones, quibus constat Jus Canonicum, vel è Conciliis, vel è Pontificum Decretalibus, vel è Patrum Scriptis desumpti sunt: atqui Conciliorum præcipui fines sunt Fidei Quæstionum Definitio, & Morum Reformatio; Pontifices sæpiùs consulti sunt circà Fidem & Mores, quàm circà Disciplinam; Patres parùm curarunt de Disciplinâ, multùm de Fide & Moribus: plures ergò sunt Canones, qui respiciunt Fidem & Mores, quàm qui Disciplinam tangant.

Primi autem generis Canones servantur, aut servandi sunt. Secundi verò generis Canonum longè plures servantur, quàm non servantur.

Quod postremum ostendere licet duplici exemplo. Alterum desumitur è VI. *Decretalium* in Galliâ non recepto, cujus plures Canones ad Disciplinam spectantes servantur in Galliâ, quàm non servantur: nam nihil magis ad Disciplinam, aliave ad Judicia pertinentia spectat, quàm ordo in Judiciis servandus, & plures sunt Canones, qui illum respiciunt, cùm totus Secundus Liber, & bona Pars Primi & Quinti nonnihil ad id insumantur: hæc autem in Galliâ servantur, ut Gallicanum Judiciorum ordinem cum *Bonifaciano* conferenti clarè patebit: hoc etiam à Viro Utriusque Juris peritissimo observatum est, & ab illo hanc observationem non ita pridem accepimus. Alterum deducitur è CONCILIO TRIDENTINO in Galliâ similiter non recepto, cujus Pars major Decretorum, quæ spectant ad Disciplinam, in Galliâ servatur, cùm pleraque de Reformatione Decreta, quæ ut plurimùm Disciplinam respiciunt, ibidem serventur.

Jam tempus adest colligendi Regulas, quibus non servati Canones ab aliis secernantur; sed cùm plurima & varia sint ea, circà quæ versantur colligendæ Regulæ, divisionis præsidio egemus, ut confusionem vitemus; Argumentum ergò istud dividemus in Personas, Res, Loca, & Judicia. Personas verò subdividemus in Personas Ecclesiasticas, Regulares & Laïcas; Personas Ecclesiasticas in Pontificem, Archiepiscopum, Episcopum, Archidiaconum, similesque Prælatos, & Inferiores Clericos; Res autem in Spirituales & Temporales; Spirituales in Officia Divina, Missam, Sacramenta, & Beneficia. Colligendas Regulas ad Gallorum usum, quandòque restringemus, quia aliorum mores nobis ignoti sunt, nec perquirere vacat. Hujus autem Collectionis exemplum unicum hîc afferemus, cætera daturi, Deo juvante, loco congruentiori.

REGULÆ.

Circà Canones non servatos, qui Summum Pontificem tangunt.

REGULA I.

Non servantur in Galliâ Canones, qui absolutam in Ecclesiâ Potestatem Summo Pontifici tribuunt.

Hinc non servantur Canones, qui quoquo modo indicant

I. Posse illum Causas, quaslibet Ecclesiasticas ad se evocare sibique reservare.

II. Posse Beneficiorum, quæ voluerit, dispositionem sibi vindicare.

III. Posse unire, vel supprimere, aliudve simile facere, in *Formâ Gratiosâ*, id est non Deputatis in Locis, Commissariis, qui de necessitate, vel utilitate inquirant, audiantque eos, quorum interest.

IV. Posse alienis Subditis Litteras Dimissorias dare ad Ordines, vel sine Dimissoriis ad Ordines illos admittere.

V. Posse alienos Subditos ab Ordinariorum Jurisdictione pro voluntate suâ eximere.

REGULA II.

Non servantur in Galliâ Canones, qui nonnullis in Casibus Summo Pontifici in Principum Temporalia tribuunt Potestatem,

Hinc

Hinc non servantur in Galliâ Canones, qui quocumque modo docent illum posse

I. Principes deponere.

II. Principis à Sede depositi Ditionem alii, cui voluerit, dare.

III. Principi ad gubernandum inhabili Coadjutorem vel Tutorem aut Curatorem dare.

Quàm plures hîc aliæ circà Summum Pontificem adduci possent, quæ cum Regulis circà cætera præfatæ Divisionis Membra congruentiùs collocabuntur. Nunc præstat plurimis exemplis ostendere, quibus usibus Canones abrogati inservire possint.

REGULA GENERALIS.

CIRCA CANONUM ABROGATORUM UTILITATEM.

Nullus est Canon abrogatus, qui ad Theoriam, vel Praxim Juris Canonici, vel ad Historiam Ecclesiasticam non inserviat.

C. 2. §. Paulatim. DIST. VII. *Necessaria* dicitur *Legum abolitarum notitia.*

Patet Regula sequentibus exemplis, quoad Primam & Secundam Partem: nam quoad Tertiam non eget probatione: manifestum est enim, Canones abrogatos docere saltem quid tali Tempore fieret, vel non fieret, in tali, vel tali Loco, à talibus vel aliis Personis; sed antequàm exempla afferamus.

Notandum est 1. hîc dici Canones ad Theoriam inservire, quandò docent quæ ad illius, vel istius, in se spectati Jurisdictionem vel Potestatem pertinent; ad Praxim verò, quandò quid faciendum sit, docent.

2. Canones ad Praxim utiles, ad Theoriam posse conferre.

Ad Exempla veniamus.

Vel Canones abrogati respiciunt modum agendæ Pœnitentiæ, eamve redimendi; & utiles sunt ad Praxim; docent enim quanta sit peccati gravitas; quæ ratio habenda sit hujus gravitatis in Pœnitentiâ imponendâ: quo Jure certis in casibus probentur Pœnitentes antè Absolutionem, iisque Eucharistia denegetur, donec satisfacere cœperint.

Vel Canones abrogati tangunt communem Ordinariorum Jurisdictionem per Exemptiones Romanas diminutam; & ita ad Theoriam pertinent: monstrant etenim, quæ Ordinarii in se considerati possint; quæ sit potestas illorum, qui has Exemptiones concesserunt.

Vel spectant ad Exemptiones usu contrario aliâve viâ abolitas; & Isti ad Theoriam etiam inserviunt, cùm ostendant, quid possint illarum Exemptionum Autores; quid valeat Consuetudo.

Vel respiciunt non servatas ad Episcopatus, Abbatiasve Electiones; & Isti ad Praxim etiam utiles sunt, quia hujusmodi Electiones adhùc vigent quibusdam in Locis, & quæ præscribuntur circà istas, servari possunt & debent in Monasteriis, in quibus Electione fiunt Superiores, nec non in Electione imperfectâ, quâ in Capitulis Beneficia dantur, quæque Collatio dicitur, quibusdam tantùm exceptis, quæ faciendam à Superiore Electionum confirmationem tangunt.

Vel eligendi modos tam per Inspirationem, quàm per Compromissum spectant; & Hi sua non carent utilitate; nam præterquàm quòd Papa eligi possit per Adorationem, qui eligendi modus respondet eligendi modo per Inspirationem, & Electio per Compromissum adhùc fieri possit in Locis, in quibus Concilium Tridentinum receptum non est, Quæ de Compromisso ad eligendum dicuntur, ad alia Compromissorum genera extendere licet.

Vel Canones abrogati loquuntur de Beneficiorum Reservationibus; & Isti ad Praxim quoque conferunt; nam præterquàm quòd Reservatio Beneficiorum Vacantium in Curia, est adhuc in usu; Regalia est quædam Reservatio Beneficiorum, quæ vacant, dùm Ecclesia Episcopalis viduata est Pastore.

Vel agunt de Mandatis ad Vacatura, sivè de Gratiis Expectativis, & Isti ad Praxim etiam conducunt; nam Graduatorum & Nominatorum ab Universitatibus Privilegia, Indulta à Rege concessa pro Juramento Fidelitatis ab Episcopo præstito; vel pro fausto ad Coronam adventu, Indulta quoque Magistratibus Supremæ Parisiensis Curiæ data, sunt quædam Gratiæ Expectativæ iis, quas aliàs Papæ dabant, consimiles, ut patet ex Comparatione inter utrasque initâ & *Tractatui de Rescriptis* adjunctâ.

Vel Ecclesiæ Bonorum in partes Quatuor Divisionem, quarum una Episcopo, alia Clero, alia Ecclesiarum reparationi, alia Pauperibus dabatur; & isti ad Praxim multùm juvant; docent enim de Beneficiorum reditibus, cùm sint eorum Bonorum Pars Beneficii Possessori administranda concredita, simile quid faciendum.

Vel tractant de Dispositionibus ad Sacramenta aliàs requisitis, nunc autem non necessariis, vel de similibus rebus; & Isti ad Theoriam utiles sunt, monstrant siquidem, quòd possit Ecclesia nonnulla Sacramentis accidentia constituere & abrogare; ad Praxim etiam conferunt, excitant etenim ad debitum Sacramentis honorem majori cum devotione exhibendum.

Vel spectant abolitas quasdam Dignitates, seu Ordines Ecclesiasticos, qualis erat Corepiscopatus; & Hi ad Praxim non sunt inutiles, quædam enim Corepiscoporum jùra ad Decanos Rurales transierunt: ad Theoriam quoque conferunt, cùm hinc pateat, quid circà Ordines Minores Corepiscopatui multò Inferiores, Ecclesia facere possit.

Vel tangunt amissa jura, vel munia ad Archidiaconatum similesve Dignitates aliàs pertinentia, quales erant omnium Ecclesiæ alicujus Bonorum Administratio, eorumque ex Episcopi Conscientiâ vel Mandato distributio, ad Archidiaconum pertinentes; & Hi partim ad Theoriam, partim ad Praxim faciunt; ad Theoriam, docent siquidem, quid possit Ecclesia circà Dignitates ab ipsâ institutas; ad Praxim, quæ enim circà hujusmodi Administrationem statuta erant, Capitulorum Administratoribus accommodari possunt.

Vel Jurisdictionem, quæ alicubi ad Judicem Secularem pertinet, Judici Ecclesiastico tribuunt; & Hi ad Praxim conferunt, si Judex Ecclesiasticus eos interpretetur de curâ à se adhibendâ, ut id, de quo agitur, fiat ab his, ad quos spectat. Idem quoque si, ut par est, agnoscat, Judicis Ecclesiastici culpæ nonnihil imputandam esse Jurisdictionis Ecclesiasticæ Diminutionem.

Vel respiciunt cautelas olim adhibitas ad injustas Lites impediendas; qualis erat Juramentum calumniæ, quo in exordio litis Actor jurabat, se non vexandi animo litem movere, Reus verò se putare, bonâ uti instantiâ: & Isti Canones ad Praxim juvant. Hinc enim discitur, quàm Lites injustæ abhorrendæ sint, & quo studio illas Judices à suo Tribunali longiùs evocare debeant.

Vel pertinent ad Ordinationem, Conjugiumve Servorum, & Utrique ad Praxim conducunt, nam Primi docent non Ordinandum Rebus Temporalibus, vitiisve Implicatum, Isti verò monstrant, quid circà Filiorum-familiàs Matrimonium, faciendum sit.

Vel Servos, quoad Bonorum Possessionem, Dispositionemve, eorumque ergà Dominos subjectionem respiciunt; & Isti Praxi inserviunt, quia extendi possunt ad Monachos, qui Servis sunt similes quoad Bonorum Possessionem, vel Dispositionem, & subjectionem ergà Superiores.

Vel tangunt Purgationem Vulgarem alicubi aliquandò permissam; & Isti docent, quantùm in necessitate à Deo sperandum, cùm tantùm creditum sit, ab eo sperandum extrà necessitatem; ideòque Praxi utiles sunt: ad Theoriam quoque conferre possunt. Hinc enim etiam discitur Ecclesias Particulares errare posse: cùm à talibus prædicta Purgatio probata fuerit.

Vel respiciunt usum abolitum, quo se purgare Coactus, tenebatur secùm habere certum Aliorum paris condi-

conditionis numerum, qui jurarent, se credere, eum, qui se purgabat, verum jurare, quique Compurgatores dicebantur; & Isti Canones, ut abrogati considerati, Praxi etiam inserviunt; docent enim locum non dandum perjurio: Si verò, prout viguerunt, spectentur: ad Praxim quoque conferunt: cùm hinc pateat quantùm juramento tribuendum, ac etiam quæ cura adhibenda, ut Ministro Sacro fama læsa restituatur, vel si restitui nequeat, ab Officio amoveatur.

Vel eximunt Clericos à Jurisdictione Seculari; & movent illos ad vitam Statui congruentem agendam, ipsis in memoriam revocantes, se per corruptos mores Privilegium hoc similiave perdidisse, quæ sua ad Divinum Cultum Consecratio, vitaque huic Consecrationi conformis sibi comparaverant, ac proindè bonis moribus maximè prosunt.

Vel prohibent Laïcis Beneficiorum Collationem, & isti ad Theoriam & ad Praxim pertinent: Ad Theoriam, docent enim quid possit Ecclesia circà hujusmodi Res, cùm olim vetuerit omnibus Laïcis quod posteà quibusdam permisit: Ad Praxim, demonstrant enim Beneficiorum Collationem esse rem admodùm periculosam, atque exigentem in eo, ad quem pertinet, animi dotes, quæ in Laïcis rarò reperiuntur.

Vel declarant Laïcos inhabiles ad possidendas Res Spirituales; quale est Jus Decimarum: & Isti Theoriæ & Praxi inserviunt, monstrant siquidem 1. hanc inhabilitatem esse ex Jure Ecclesiastico; ideòque Ecclesiam ab illa dispensare posse. 2. Jura Spiritualia ita esse Muniis Spiritualibus annexa, ut sine maximâ causâ, qualis fuit, quæ Jus Decimarum in quosdam Laïcos transtulit, separari nequeant.

Vel respiciunt plurimos Censurarum Casus ferendæ Sententiæ, ac nonnullos latæ Sententiæ, necnon quosdam illarum effectus; Isti autem ad Praxim conducunt. Casus enim illi Censurarum obsoleti peccata, quæ tangunt, abhorrere faciunt, aboliti verò Censurarum effectus, quo loco ex veterum judicio habendæ sint Censuræ, quàmque maximè timendæ sint ostendunt: vel abolita Censurarum genera spectant, & hi ad Theoriam utiles, cùm Ecclesiæ potestatem circà Censuras demonstrent.

Vel tangunt illam Jurisdictionis proprietatem in eo sitam, quòd Causæ continentia non dividatur, ita ut qui de Principali vel Proprietate cognoscit, de Accessorio vel de Possessorio etiam cognoscat; nam Isti prosunt ad Theoriam: ostendunt siquidem non esse usquequàque verum, eum, qui potest majus, posse & minus, ideòque malè concludi, Ecclesiam in Temporalia potestatem habere ex eo, quòd in Spiritualia habeat.

Vel respiciunt Causas Temporales, quæ olim pertinebant ad Ecclesiam ratione juramenti vel peccati indè vel aliundè sequentis; & Isti, prout viguerunt, considerati, ad Praxim utiles sunt: hinc enim discitur Spirituales Res Temporalibus more Majorum esse præferendas, si is, cui hinc damnum infertur, consentiat; monstrant siquidem Majores nostros, ut par erat, existimasse Juramentum, vel peccatum, quæ sunt Res Spirituales, majus quidem esse rebus Temporalibus, quibus jungebantur; ideòque Temporalia ad se trahere debere, ipsomet, cujus intererat, consentiente; spectati verò ut aboliti, ad Praxim quoque conducunt; nam justa illorum abrogatio docet, jure suo temporali invitum neminem spoliandum, ut rebus Spiritualibus honos indebitus deferatur.

Vel determinant pœnas à Judice Ecclesiastico imponendas, quæ in Galliâ sunt arbitrariæ, nisi Ordinationibus Regiis vel Episcoporum Statutis determinentur; & Isti Theoriæ & Praxi inserviunt: Theoriæ, ostendunt enim quæ sit Culparum malitia; Praxi, indicant enim quæ sit pœna imponenda, habitâ tantùm ratione peccati.

Vel spectant modum tuendi Jurisdictionem Ecclesiasticam, nempè per Censuras Ecclesiasticas, qui in Gallia non recipitur in Casibus, qui Temporales judicantur; & Isti Theoriæ Praxique utiles sunt; docent enim quibus armis defendi debeant, quæ verè Spiritualia sunt, quibusque è contra illa, quæ verè Temporalia.

Vel præcipiunt Decimas tàm Personales, quàm Reales, tamquàm Jure Divino debitas, solvi: & Isti ad Praxim juvant, monstrant etenim Dei Ministros saltem sustentandos ab his, quibus Spiritualia administrant.

Vel obligant Clericos, ut alios Clericos in quâcumque Causâ coràm proprio eorum Episcopo conveniant, vel de istius consilio coràm aliis; & Isti ad Praxim non inutiles; docent enim illos, ut Episcopum pro Arbitro eligant, aliumve de istius consilio.

Vel Judici Ecclesiastico dant potestatem supplendi negligentiam, malitiamve Judicis Secularis; & Isti Praxi famulantur, cùm Judicem Secularem doceant quid mereatur, quandò cuique jus suum non reddit, vel negligenter justitiam administrat, scilicet ut privetur hâc vice saltem, jure cognoscendi, à Principe, à quo illud accepit.

Vel plectunt Excommunicatione actiones, quæ nunc sunt prorsùs impunitæ; nec Isti sunt quoad Mores infructuosi, excitant enim Prælatorum Zelum ad actiones illas, quibus dignæ sunt, pœnis puniendas, deplorandamque præteritam negligentiam, vel suam, vel aliorum.

Vel loquuntur de Abbatum Potestate circà Priorum destitutionem, quamdiù Prioratus perpetui non fuerunt; & Isti ad Theoriam non sunt inutiles, docent enim quid possit Ecclesia circà Officia Regularia, cùm ipsius autoritate facta sint perpetua, quæ ad nutum erant.

Vel Parentibus dant impuberes Filios Monasteriis in perpetuùm tradendi Potestatem; & Isti Theoriæ inserviunt; docent siquidem, Ecclesiam posse Principe consentiente Patriam Potestatem augere vel minuere. Ad Praxim etiam conferunt; ostendunt etenim, quòd, si Principi & Ecclesiæ simul placet, irrita sunt omninò Filiorum Matrimonia sine Parentum consensu contracta.

Vel docent Monachos Professos Successionis Temporalis capaces, Monachisque hujusmodi Monasteria succedere posse; & Isti Theoriæ & Praxi non inutiles: monstrant siquidem, Supremos rerum Temporalium Dominos Principes, quibus consentientibus hi Canones viguêre, succedendi jus dare ac auferre posse, quibus volunt; ex iis tamen, quibus propter emissum paupertatis Votum Bonorum Temporalium possessio, ab Ecclesiâ vice Dei, non prohibetur.

Vel respiciunt Prærogativas, quæ Episcopis à CONSTANTINO concessæ, & à CAROLO MAGNO confirmatæ sunt, quales quòd Pars etiam Laïca, in quocumque statu Causa sit, ab aliâ etsi invitâ coràm Episcopo trahi possit; quòd Sententia ab Episcopo quâcumque in Causâ prolata retractari non debeat; quòd Episcopi unius Testimonium sufficiat, non obstante axiomate, Testis unus, Testis nullus; Hi enim Canones ad Praxim conferunt, cùm Episcopos doceant se tantæ probitatis, justitiæ, fideique esse debere, ut iis Prærogativis gaudere mereantur.

Vel pertinent ad veterem Jejuniorum severitatem, à quibus nostra, velut à Corpore Umbra, differunt; & Hi etiam Praxi utiles, dùm enim per illos, prout viguerunt, consideratos, ostenditur quid circà Jejunium optet Ecclesia & per eosdem, prout abrogati sunt, spectatos, demonstratur, quid permittere eadem Ecclesia cogatur, Prælati docentur similem in rebus similibus prudentiam abhibere.

Vel de ætate ad Ordines, Dignitatesve requisitâ loquuntur, quæ dùm meliores erant Mores, major erat, quàm nunc sit, ut Gregi Pastor conformior esset, & quam Moribus Grex habebat, maturitatem Pastor saltem ætate haberet; & Isti ad Praxim conferunt, cùm doceant Tempori serviendum. Quod de Canonibus circà ætatem ad Ordines requisitam mox

dictum

dictum est, ad Canones circà Interstitia ab uno ad alios Ordines extendendum est.

Vel Subdiaconis Matrimonium permittunt, ratave habent Matrimonia, sivè post Ordines Sacros, sivè post Vota, contracta; & Isti quoad Theoriam utiles: hinc enim discitur, quid circà Ministrorum Sacrorum Cœlibatum, quid circà Voventium Matrimonia præstare possit Ecclesia. Utilitas eadem percipitur ex Canonibus, quibus Matrimonia Clandestina rata sunt.

Vel effrænem Testium multitudinem ad Episcoporum & Presbyterorum condemnationem, eosque ejusdem Ordinis postulant; & Hi Praxi utiles: Ex his enim Canonibus, tàm ut constitutis, quàm ut abrogatis, consideratis, colligitur convenire, nec non & expedire, ut qui in aliorum correctionem positi sunt, nonnisi cum labore multo condemnari possint, atque ad illorum condemnationem, major Testium numerus requiratur istorumque delectus fiat, accuratiùsque examinentur, sed periculosissimum fore, ad hoc tantùm requiri Testium numerum ejusque generis, qui reperiri vix possent.

Vel præscribunt, quæ facienda erant dùm Bella Privata vigebant, hæc inter alia, quibus Temporibus, & circà quas Personas treuga & pax servandæ erant; & Isti Canones ad Theoriam utiles, cùm doceant circà Temporalia Ecclesiam Leges condere posse, iis, quorum interest, consentientibus; ad Praxim quoque prosunt; hinc enim discitur etiam in Bellis, Rerum Sacrarum, ut & Personarum rationem aliquam habendam esse, cùm in his Bellis utrarumque ratio haberetur maxima.

Vel Canones abrogati versantur circà Ecclesiarum Episcopalium vacantium administrationem, sivè à Metropolitano, sivè ab Episcopo antiquiori, sivè à Capitulo ipso aliàs faciendam, nunc verò à Vicario Capituli, quoad Spiritualia, & ab Oeconomis Regiis, quoad Temporalia; & Isti etiam Praxi utiles, cùm eadem ferè ab Hodiernis Administratoribus facienda sint, quæ ab Antiquis agenda erant.

Vel Ecclesiarum, Personarum Ecclesiasticarum, Bonorumque Ecclesiasticorum Immunitates à Potestate Temporali expressè concessas, vel illâ consentiente aliter introductas respiciunt; & Hi profectò etiam utiles tàm quoad Theoriam, quàm quoad Praxim; cùm doceant quibus Ecclesiæ, Personæ Ecclesiasticæ, Bonaque ad Ecclesias pertinentia privilegiis frui debeant, quotiès Publicæ Res id patiuntur.

Vel privilegium Ecclesiis concessum, quo ad illas Confugientes, hinc inviti extrahi non possent, spectant, & propter incommoda hinc secuta, abolitum; & Isti Canones Theoriæ & Praxi utiles; ostendunt siquidem, quæ reverentia Locis Sacris debeatur, & quamdiù ipsis exhibenda.

Vel nonnulla Impedimenta Matrimonium dirimentia, vel prohibentia tantùm, omninò vel partim sublata respiciunt; & Isti Theoriæ utiles, quia docent, quid possint, circà Matrimonia, qui illos Canones vel constituerunt, vel abrogarunt.

TRACTATUS DE PRIVILEGIIS,

PARS PRIMA.

Continens Decisiones Juris propriis ipsius verbis desumptas.

GEnus quoddam Legis est Privilegium, cùm, & secundùm nomen, & secundùm rem, nihil aliud significet, quàm privatam Legem, quæ & Gratia, & Beneficium, & Indulgentia, & Favor passim dicitur in Jure Canonico: multùm verò affinitatis habet cum Rescripto, & Mandato, utpotè cum Rescripto concedatur; quare pleraque, quæ de Rescriptis dicta sunt, intelligi possunt de Privilegiis, & viciſſim, quæ de Privilegiis decisa sunt, possunt Mandatis attribui. Hìc primùm colligentur, quæ propriis verbis in Jure continentur; posteà, quæ quoad sensum comprehenduntur, additâ illorum explicatione.

SECTIO I.

Quid sit Privilegium, & Quotuplex, ac Quomodò intelligendum?

I. PRivilegium est Lex privata. *De Verborum significatione.* Cap. *Abbate.* §. penult. *contrà quod.* LIB. V. DECR. TIT. XL. *Cap.* 25.

II. Confitemini aliam esse Generalis Ecclesiæ Consuetudinem, postquàm ea, quæ vos geritis, vobis ex Privilegio vindicatis: nulla vobis in hàc re poterit remanere dùbietas. DIST. *C.* 8. *Contrà morem.* §. 1.

III. Privilegium est id, quo Quidpiam conceditur. *ibid.*

IV. Non esset Lex privata, nisi aliquid specialiter indulgeret. *ibid.*

V. Privilegii Concessio debet, aliquid conferre Gratiæ specialis. *in* VI. *De Privilegiis.* Cap. *Si Papa.* §. 1. *Si autem.* fin. *in* VI. LIB. V. TIT. VII. *Cap.* 10.

VI. Privilegia sunt Leges Privatorum, quasi privatæ Leges. DIST. III. Cap. 3. *Privilegia. init.*

VII. Privilegium indè dictum est, quòd in privato feratur. *ibid.*

VIII. Privilegia Apostolica sunt Romanæ Ecclesiæ Scripta Authentica. *De Privilegiis.* Cap. *Dilecti. fin.* Colligitur. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 4.

IX. Privilegium personale Personam sequitur. *in* VI. *De Regul. Juris. Regulâ* 7.

X. Tale Privilegium non continet Jus Publicum, nec est Publicum utilitate & autoritate. *De foro Competenti.* Cap. *Dilecti.* GLOSSA colligit. LIB. II. DECR. TIT. II. *Cap.* 17.

XI. Privilegium aliud Donationis, aliud Confirmationis. *De Fide Instrumentorum.* Cap. *Inter Dilectos.* §. *Cæterùm.* LIB. II. DECR. TIT. XXII. *Cap.* 6.

XII. Privilegium Reale est, per quod res ipsa est privilegiata. *De Privilegiis.* Cap. *Consultationi.* Cum GLOSSA colligitur. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 33. Quod est ultimum.

XIII. Privilegium Donationis, quo donantur res tamquàm sunt traditæ & concessæ; seù per quod rerum Dominium intelligitur acquiri Donatario. *ibid.*

XIV. Privilegium Confirmationis, quo res priùs habitæ & possessæ confirmantur. *ibid.*

XV. Sic intelligenda sunt verba Privilegii, ut res, de quâ agitur, valere possit potiùs, quàm perire *De Verborum signific.* Cap. *Abbate.* §. Penult. *Contrà quod.* LIB. V. DECR. TIT. XL. *Cap.* 25.

XVI. Privilegium ita intelligendum est, quòd ii, quibus concessum est, aliquam ex Indulgentiâ datâ videantur Gratiam consecuti. *De Privilegiis.* Cap *In his.* §. *Undè. fin.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 30.

XVII. Verba Privilegii aliquid operari debent. *In* VI. *De Privilegiis.* Cap. *Si Papa.* §. 1. *Si autem. fin.* LIB. V. TIT. VII. *Cap.* 10.

XVIII. Verba Privilegii sic intelligenda sunt, ut omnis ambiguitas tollatur. *De Verborum signific.* Cap. *Abbate.* §. Penult. *Contrà quod.* LIB. V. DECR. TIT. XL. *Cap.* 25.

XIX. Privilegium debet intelligi eo modo, quo potest magis valere. *De fide Instrumentorum.* Cap. *Inter Dilectos.* LIB. II. DECR. TIT. XXII. *Cap.* 6. §. *Cæterùm.*

XX. Verba Privilegii secundùm propriam significationem sunt intelligenda. *De Decimis.* Cap. *Ad Audientiam.* Colligitur. LIB. III. DECR. TIT. XXX. *Cap.* 12.

XXI. Non decipi beneficio nos oportet, sed juvari. *De Commodato.* Cap. Unico. §. *Contrà. fin.* LIB. III. DECR. TIT. XV. *Cap. unico.*

XXII. Privilegia sic intelligenda sunt, ut intellexit

Au-

Autor ipsorum. *De Decimis.* Cap. *Dilecti.* GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXX. *Cap.* 8.

XXIII. Indulgentia intelligitur esse concessa sine alterius injuriâ. *De Privilegiis* Cap. *Pastoralis* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 19. nisi alieno juri expresse deroget. *ibid.*

SECTIO II.

Quomodò observanda sint Privilegia, & ad quæ se extendant?

I. PRivilegiis Apostolicis deferri debet reverenter. *De Privilegiis* Cap. *Cùm Capella.* §. *Quòcircà* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 16.

II. Apostolicorum Privilegiorum vim & potestatem non solo verbo servare debemus. *De Privilegiis. Cap. Quanto. med.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 26.

III. Sententiæ in fraudem Privilegiorum Apostolicorum ferri non debent. *ibid.* §. *Nolentes.*

IV. Secundùm quod invenitur in Privilegio ita observandum est. *De Privilegiis.* Cap. *Porrò.* LIB. V. TIT. XXXIII. *Cap.* 7.

V. Sic quisque Privilegiorum suorum servare tenorem debet, quòd eorum metas transgredi minimè videatur. *ibid.* Cap. 7. *fin.*

VI. Licèt Papa alicui Privilegium concedat, non tamen vult, quòd ille, cui concessit, eo utatur in præjudicium alterius. *De autorit. & usu Pall. Cap. Ex suorum. §. licet.* LIB. I. DECR. TIT. VIII. *Cap.* 5. nisi expresse deroget juri alterius.

VII. Privilegiati ita sint suo jure contenti, quòd justitiam non impediant aliorum. *De Privilegiis.* Cap. *Patentibus.* fin. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 10.

VIII. Nunquàm contingere debet, ut Indulgentia plùs dispendii, quàm utilitatis, afferat. *ibid.* Cap. *Consultationi* fin. Colligitur. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 33. quod est ultimum.

IX. Privilegium sic integrum observari debet, ut & ipsum alii non infringant; & qui illud habent, ejus limites non excedant. *in VI. De Privilegiis.* Cap. *Volentes.* init. Colligitur. LIB. V. TIT. VII. *Cap.* 1.

X. Subditus non tenetur parere Superiori aliquid exigenti vel præcipienti contrà tenorem sui Privilegii. *De Excessib. Prælatorum.* Cap. *Sanè.* LIB. V. DECR. TIT. XXXI. *Cap.* 5. *Rubr.*

XI. Privilegium non extenditur principaliter ad alias Personas, quàm ad expressas. *In VI. De Privileg.* Cap. *Licet. cum* GLOSSA. LIB. V. TIT. VII. *Cap.* 11.

XII. Temerarium est & indignum, aliquem sibi suâ autoritate præsumere, quod alii singulari Privilegio concessum est. *De Privil.* Cap. *Sanè. init.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 9.

XIII. Privilegium uni concessum non potest ad alium extendi propter identitatem rationis. *ibid. Rubr.* seù TITULUS, vel potiùs *Summarium.*

XIV. Privilegium Personale ad Jus Commune trahi non debet. *De Concessione Præbend.* Cap. *Constitutus.* GLOSSA Colligit. LIB. III. DECR. TIT. VIII. *Cap.* 11.

XV. Quod ob Gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. *In VI. De Reg. Juris. Reg.* 61.

XVI. Privilegia singulorum non possunt Legem facere Communem. CAUSA XXV. QUÆST. II. *Cap.* 2. *Non statim.* CAUSA. XXV. QUÆST. I. *post Cap.* 16. GRAT. *circà fin.*

XVII. Aliquod Privilegium ita est alicujus Ecclesiæ, ut Communem Legem omninò dare non possit, non enim quod uni sigillatim conceditur, statim omnibus convenit CAUSA XVI. QUÆST. I. *Cap.* 39. *Hinc est. fin.*

XVIII. Privilegiati suorum Privilegiorum frustrari non debent effectu. *In VI. De Privilegiis.* Cap. *Ut Apostolicæ. init.* LIB. V. TIT. VII. *Cap.* 6.

XIX. In Generali Concessione illa non veniunt, quæ non esset Quis verisimiliter in specie concessurus. *In VI. De Pœnitentiis.* Cap. *Si Episcopus med. & in VI. De Reg. Juris.* Reg. 81. *C.* 2. *De Pœnit. in VI.*

XX. Quod aliquibus pro pietate conceditur, ad aliorum injuriam Papa non vult redundare. *De Ecclesiis ædificandis,* Cap. *Cùm dicat.* LIB. III. DECR. TIT. XLVIII. *Cap.* 2.

XXI. Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. *ibid. Reg.* 74.

XXII. In Argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquandò sunt concessa. *ibid. Reg.* 78.

XXIII. Non licet Episcopis contrà libertatem à Sede Apostolicâ alicui concessam, aliquid exigere; alioquim liberum est, quod petitur, denegare. *De Excessib. Prælator.* Cap. *Sanè.* GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. III. *Cap.* 5.

XXIV. Odia restringi, & Favores convenit ampliari. *ibid. Reg.* 15.

XXV. Quæ à Jure Communi exorbitant, nequaquàm ad consequentiam sunt trahenda. *ibid. Reg.* 28.

XXVI. Privilegium derogat Juri Communi. *De foro Competenti.* Cap. *Cùm contingat* GLOSSA colligit. LIB. II. DECR. TIT. II. *Cap.* 13.

XXVII. Privilegium saltem causam præscribendi præbet. *In VI. De Privilegiis* Cap. *Cùm Personæ.* §. *Quòd si.* LIB. V. TIT. VII. *Cap.* 7.

XXVIII. Qui concessit Privilegium, intentionem suam declarare debet, cùm dubitatur ad quid se extendat. *De Verborum significatione* Cap. *Dilecto.* §. *autoritate, init.* Colligitur.

XXIX. Quod conceditur in uno Casu, non propterea in aliis Casibus intelligitur concessum, vel permissum. *In VI. De Hæreticis* Cap. *Præsidentes. fin.* LIB. V. TIT. II. *Cap.* 6.

XXX. Privilegium, cùm sit odiosum, non debet extendi, nisi quatenùs in eo expresse continetur. *De Privil.* Cap. *Pastoralis.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 19.

XXXI. Quod in majori conceditur, licitum esse videtur & in minori. *Qui Filii sint legitimi.* Cap. *Per Venerabilem. init.* LIB. IV. DECR. TIT. XVII. *Cap.* 13.

XXII. Ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur. *De Decimis.* Cap. *Ex parte. fin* LIB. III. DECR. TIT. XXX. *Cap.* 27.

XXXIII. Privilegium, quod convenit alicui ratione unius rei, eidem non prodest respectu alterius rei, vel loci. *ibid. de Privil.* Cap. *Cùm Capella. §. Quocircà* junctâ *Rubr.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 16.

XXXIV. Privilegium in expressis Casibus tantùm valet. *De autoritate & usu Pallii.* Cap. *Ex tuarum.* §. *licet.* LIB. I. DECR. TIT. VIII. *Cap.* 5. Colligitur.

XXXV. Indulgentia non valet, nisi secundùm, id quod in eâ expressum est. *De Translat. Episcopi* Cap. *Licet* Colligitur. LIB. I. DECR. TIT. V. *Cap.* 4.

XXXVI. Per Privilegium Conventioni non derogatur, nisi de ipsâ contineatur in eo. *De Decimis* Cap. *Ex multiplici. §. Undè* LIB. III. DECR. TIT. XXX. *Cap.* 3.

XXXVII. Privilegium non est extendendum ultrà intentionem Autoris. *De Decimis.* Cap. *Dilecti* GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXX. *Cap.* 8.

XXXVIII. Nulli possunt se tueri Privilegio ad iniquum compendium. *De Sent. Excom.* Cap. *Nulli,* GLOSSA colligit LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. *Cap.* 8.

XXXIX. Privilegium ad unam rem datum, non debet extendi ad aliud. *ibid.* Colligitur.

XL. Privilegium trahitur ad res futuras & consecuturas. *De Decimis.* Cap. *Ex parte* GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXX. *Cap.* 27.

XLI. Privilegium non debet extendi ad id, ex quo alius gravaretur enormiter. *ibid.* Colligitur.

XLII. In Privilegiis Verbum Generale & indefinitè prolatum, ad futurum extenditur. *De Privileg.* Cap. *Quia circà fin.* GLOSSA coll. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 22.

SECTIO

SECTIO III.

Quæ Interpretatio adhibenda sit in Privilegiis?

I. BEneficia Principum sunt interpretenda largissimè. *De Verborum Significatione.* Cap. *Olim. med.* LIB. V. DECR. TIT. XL. *Cap.* 16.

II. Eorum interpretatio reprobanda est, qui Indulgentiam nimis strictè interpretantur. *De Privil.* Cap. *In his.* §. *undè. init.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 30.

III. Ea, quæ in favorem alicujus introducta sunt, in ejusdem læsionem non debent redundare. *De Elect.* Cap. *Scriptum. med. in integrâ.* LIB. I. DECR. TIT. VI. *Cap.* 40.

IV. Interpretatio hujusmodi reprobari debet, quâ positâ, Indulgentia nihil conferret. *ibid.*

V. Verba Privilegii sic esse interpretanda subsequens Consuetudo declarat. *De Verb. Signif.* Cap. *Abbate. in fin.* LIB. V. DECR. TIT. XL. *Cap.* 25.

VI. Cùm in Privilegiis aliquid permittentibus, de uno loco expresè nihil dicitur, non debent ad illum restringi. *De Verborum Significatione.* Cap. *Cùm in partibus.* §. *cùm autem. init.* LIB. V. DECR. TIT. XL. *Cap.* 17.

VII Privilegium contrà Consuetudinem Juri Communi obviantem receptam indultum, largè est interpretandum. *ibid.* Cap. *Cùm sibi.* LIB. V. DECR. TIT. XL. *Cap.* 18.

VIII. Interpretatio Privilegii, si dubitetur de illo, debet fieri ab eo, qui dedit Privilegium. *ibid.* Cap. *Ex parte.* GLOSSA colligit. *Cap.* 23.

IX. Indulgentia sic est intelligenda, quòd Multitudinis sensui & observatæ Consuetudini potiùs deferatur. *De Consanguinitate.* Cap. *Quòd Dilectio* LIB. IV. DECR. TIT. XIV. *Cap.* 3.

X. Privilegii verba in novâ Concessione, etsi sint generalia, non tamen sunt in præjudicium aliorum interpretanda. *De Consuetudine.* Cap. *Cùm olim.* GLOSSA colligit, Verbo, *præjudicio.* LIB. I. DECR. TIT. IV. *Cap.* 6.

XI. Privilegium non est malitiosè interpretandum. *De Decimis.* Cap. *Ad Audientiam* GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXX. *Cap.* 12.

XII. In Beneficiis plenissima est Interpretatio adhibenda. *De Privilegiis.* Cap. *Quia circà.* §. *super quo. med.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 22.

XIII. Privilegium in quo Quidpiam conceditur *juxtà præteriti temporis morem*, non ita intelligendum est, ut vox *juxtà* conditionaliter sumatur; quasi sensus sit, si mos præteriti temporis talis fuerit, sed causaliter debet intelligi, ut sensus sit, quia mos præteriti temporis sic obtinuit. *De Verb. Signif.* Cap. *Abbate.* §. penult. *contrà quod.* LIB. V. DECR. TIT. XL. *Cap.* 25.

XIV. Quædam in Privilegiis aliquandò sunt declaranda, ne minùs sanè intellecta, pertrahantur ad abusum. *De Privil.* Cap. *Ut Privilegia. init.* Colligitur. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 24.

XV. Maximè Papa, qui Prædecessori è vicino successit, credendus est verbis æquioribus usus, determinationem prorsùs amovisse, ut ambiguitas tolleretur. *De Verb. Signif.* Cap. *Abbate.* §. penult. *contrà quod.* LIB. V. DECR. TIT. XL. *Cap.* 25. Determinatio hæc erat (*juxtà præteriti temporis morem*) quæ, cùm Causalis, vel Conditionalis esse posset, ambigua erat, tollenda ergò erat, ut ambiguitas cessaret.

SECTIO IV.

Quid exprimi debeat in Privilegio, ut valere possit, & Quomodo in notitiam venire debeat?

I. INdulgentia reputari debet invalida, cùm in eâ falsitas suggesta est, vel veritas suppressa, quâ tacitâ, vel expressâ, Impetrans ipsam nullatenùs habuisset. *De Electione.* Cap. *Dudùm.* LIB. I. DECR. TIT. VI. *Cap.* 54.

II. Indulgentia, tacitâ veritate obtenta, non valet. *De Privileg.* Cap. *Dudùm.* GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 31.

III. Privilegium in præjudicium alterius per subreptionem obtentum, non valet. *De Verb. Significatione* Cap. *Venerabili.* §. *ideòque* LIB. V. DECR. TIT. XL. *Cap.* 22.

IV. Primæ Generali Gratiæ alicui factæ derogat Posterior Specialis, licèt de illâ non fecerit mentionem. *In VI. De Præb.* Cap. *Quamvis.* LIB. III. TIT. IV. *Cap.* 38.

V. Privilegium dicitur per Subreptionem obtentum, quod est, veritate tacitâ, impetratum. *ibid.* Colligitur.

VI. Indulgentia sine alterius præjudicio concedi debet. *De Privilegiis.* Cap. *In his.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 30. nisi ex se ipso alteri obsit, ut Privilegium non solvendi Decimas, aut eas percipiendi, vel sepeliendi Mortuos, aliudve simile Parochis nocens.

VII. Secundùm Canonicas & Legitimas Sanctiones per Speciem Generi derogatur, quamquàm de Genere in Derogante Specie mentio nulla fiat. *In VI. De Præb.* Cap. *Dudùm.* §. 1. *post. init.* LIB. III. TIT. IV. *Cap.* 14. Vide *ibid.* alia de Derogatione hujusmodi, quæ etiam ignorata Habenti Generale Rescriptum, irritat quæ fiunt posteà contrà Rescriptum Speciale, necnon Argumenta, quibus hæc nullitas probatur.

VIII. Privilegium super re litigiosâ, non faciens de eâ mentionem, obtentum, non valet, nec impedit processum Judicis. *ibid.* Cap. 31. *Dudùm* GLOSSA colligit.

IX. Privilegium obtentum, pendente lite, nullâ illius factâ mentione, non valet. *Ut lite pendente.* Cap. *Dilectus.* LIB. II. DECR. TIT. XVI. *Cap.* 5.

X. Privilegium, cui quædam Capitula sunt inserta, quæ Rationi nimis obviare videntur, non valet. *De Testib.* Cap. *Causam.* §. *Quia verò.* LIB. II. TIT. XX. *Cap.* 19.

XI. Privilegium debet facere mentionem aliorum Titulorum & Privilegiorum, quibus Donatio facta esse dicitur. *De fide Instrumentorum.* Cap. *Inter Dilectos.* §. *Porrò.* cum GLOSSA. verbo *mentio.* LIB. II. DECR. TIT. II. *Cap.* 6.

XII. In Privilegiis illa Clausula solet apponi, *salvâ justitiâ aliorum. De Sepulturis.* Cap. *Certificari. init.* LIB. III. DECR. TIT. XXVIII. *Cap.* 9.

XIII. In Privilegiis, & Indulgentiis, seù Concessionibus Specialibus, sufficit, quòd ad illorum, quibus conceduntur, notitiam perveniant. *In VI. De Concessione Præbendæ.* Cap. *Quia cunctis.* §. *Nec obstaret. In VI.* LIB. III. TIT. VII. *C.* 1.

Hæc de illis Privilegiis & Indulgentiis æquitate suadente debent intelligi, quæ vim suam habent mox, cùm ad illos, quibus conceduntur, perveniunt; ex quorum tenore liquidò nosci potest, quòd talis circà ea fuerit intentio Concedentis. *ibid. in VI. De Concessione Præbendæ.* Cap. *Quia cunctis.* §. *ex parte.* LIB. I. TIT. VII. *Cap.* 1.

SECTIO V.

Quibus concedi possit Privilegium, & Quinam illo debeant gaudere?

I. NOn potest Privilegium de Jure deferri, cùm nulli adhuc existunt, quibus Privilegium concedatur. *De Ecclesiis ædificandis.* Cap. *Ad Audientiam.* LIB. V. DECR. TIT. XLVIII. *Cap.* 5. Excipiendus Casus, quo Privilegium datur in Fundatione Ecclesiæ, vel Monasterii, vel Collegii, vel Seminarii, quibus Locis adhuc futuris Indulgentia, vel Privilegia concedi possunt, quibus, post Constructionem, potientur, gaudebuntque.

II. Nulli debent gaudere Privilegio, quo faciunt se indignos. *De Immunitate Ecclesiarum.* Cap. *Immunitatem. §. cùm in eo* LIB. III. DECR. TIT. XLIX. *Cap.* 10.

III. Qui similem cum aliis vitam suscipiunt, simili debent Privilegio gaudere. *De Statu Monach.* Cap. *Recolentes. §. si enim.* GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXXV. *Cap.* 3.

IV. Eis, qui fraudem committunt, Indulgentia competere non debet. *De Clericis non residentibus.* Cap. *Tuæ Fraternitatis.* LIB III. DECRETAL. TIT. IV. *Cap.* 12.

V. In conferendis Gratiis, qui est tempore anterior, præferendus est, ex quo de intentione Mandantis contrarium non apparet. *In VI. De Præbendis.* Cap. *Quia sæpè. fin.* LIB. III. TIT. IV. *Cap.* 15.

VI. Occasione Mandati, quod Gratiam continet personalem, fraudem adhibere Volentibus licentia non concedatur. *De Concessione Præbendæ.* Cap. *Constitutus. fin. §. Quia verò.* LIB. III. DECR. TIT. VIII. *Cap.* 11.

VII. Qui in Privilegiatorum Fraternitate sunt recepti, Privilegiis plenè non gaudent, nisi ad eos se omninò transtulerint. *De Privilegiis.* Cap. *Quidam. junctâ* GLOSSA. LIB. V. DECRET. TIT. XXXIII. *Cap.* 32.

SECTIO VI.

Ad Quantum tempus durent Privilegia, & Quandonàm extinguantur?

I. DEcet concessum à Principe beneficium esse mansurum. *In VI. De Reg. Juris* Reg. 16.

II. Privilegia Ecclesiarum & Monasteriorum Sanctorum Patrum autoritate instituta, nullâ possunt improbitate convelli, nullâ novitate mutari. CAUSA XXV. QUÆST. II. Cap. 2. *Privilegia.* init.

III. Ecclesiæ Venerabilis Privilegia, quæ olim reverentia Religionis obtinuit, plenissimum per omnia obtineant vigorem. *ibid.* Cap. 20. *Quæcumque. fin.*

IV. Privilegia Ecclesiarum, & Sacerdotum, intemerata & inviolata cunctis manere debent temporibus. CAUSA XXV. QUÆST. I. Cap. 1. *Privilegia. initio.*

V. Ex quo res semel est Privilegiata, semper erit Privilegiata, quia Privilegia perpetua sunt. *De Privilegiis.* Cap. *Consultationi.* GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 33. quod est ultimum.

VI. Privilegium Personale cum Personâ extinguitur. *In VI. De Reg. juris.* Reg. 7.

VII. Privilegium, seù favor indultus ratione minoris ætatis, postquàm cœpit habere locum, non extinguitur; licèt Minor pervenerit ad majorem ætatem. *De Sent Excom.* Cap. *Pueris.* Summarium sic se habet. LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. *Cap.* 60. quod est optimum.

Quæ hìc collecta sunt de Privilegiorum perpetuitate, per ea interpretanda & moderanda sunt, quæ *Sect. IX.* colligenda sunt de Modis, quibus Privilegia amittuntur, nec non per ea, quæ notat VAN ESPEN in Commentario in CAUS. XXV. ubi insinuat, quòd sicut Canones subjiciuntur Dispensationi, quandò urget necessitas, vel evidens utilitas id exposcit, ita Privilegia subsunt Derogationi, Restrictioni, imò & Revocationi, cùm similes causæ id postulant; probatque, quòd circà utrumque GRATIANUS Papæ nimiùm tribuat, & à Pristinâ Disciplina multùm discedat, dùm docet, illum esse Canonum Dominum atque ab his dispensare, atque illis derogare per Privilegia, prout sibi faciendum videtur, ad id ductus falsarum Decretalium lectione, quas pro genuinis habebat. Sed de his fusiùs & dilucidiùs, dùm conferetur Gratiani Collectio cum aliis, ubi de ejus nævis agetur.

SECTIO VII.

De Privilegiis in ordine ad Forum Contentiosum.

I. PRivilegium à Papâ concessum præsumitur verum, cujus tenor in Registro ipsius Papæ invenitur incorruptus. *De in integrum Restitutione.* Cap. *Tùm ex litteris. §. nos igitur. fin.* LIB. I. DECR. TIT. XLI. *Cap.* 5.

II. Litteræ prohibitionis contrà Privilegium obtentæ, nullum debent præjudicium facere, quominùs liberum sit illo uti ei, qui in possessione ejus est; quòusque Definitivâ Sententiâ decernatur, an illud jus debeat habere. *Ut lite pendente* &c. Cap. *A memoriâ* LIB. II. DECR. TIT. XVI. *Cap.* 1.

III Cùm Privilegia in possessionibus abraduntur, judicari falsa non possunt, nec etiam haberi suspecta. *De Fide Instrument.* Cap. *Ex litteris.* LIB. II. DECR. TIT. XXII. *Cap.* 3.

IV. Privilegiorum copia facienda est Adversario ad inspiciendum. *ibid.* Colligitur.

V. Privilegia non inspecta non valent argui falsitatis. *De Fide Instrum.* Cap. *Accepimus.* LIB. II. DECR. TIT. XXII. *Cap.* 4.

VI. Cùm difficile sit & periculosum Privilegia exhiberi apud Sedem Apostolicam, præcipi debet, ut exhibeantur in Loco vicino, congruo, & securo. *ibid.*

VII. Volenti Privilegia falsitatis arguere debet exhiberi in Loco congruo & securo, intrà certum tempus à Judice definiendum. *ibid.*

VIII. Interim non debent illa Privilegia vacillare, sed Sententia eorum obtentu lata, debet inviolabiliter observari. *ibid.*

IX. Falsitas Privilegiorum deprehendi potest ex annotatione Indictionis, ex qualitate Chartæ, ex Sigillo, ex scripturâ Notarii. *De Fide Instrum.* Cap. *Inter Dilectos.* LIB. II. DECR. TIT. XXII. *Cap.* 6.

X. Privilegium est sine vitio falsitatis, quod sine reprehensione Bullæ, Chartæ, vel litteræ apparet. *De Privilegiis* Cap. *Cùm olim. fin.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 12.

XI. Ex Formâ petitionis, quæ in ipso Privilegio declaratur, judicari debet, quale sit Privilegium. *ibid. Cap.* 6. *§. cæterùm.*

XII. Idem Privilegium non potest esse Donationis & Confirmationis ejusdem rei, cùm eadem legitimè nequeant confirmari pariter & donari. *ibid. §. cæterùm.*

XIII. Si Privilegium Donationis, quod est principale, non tenuit, nec Privilegium Confirmationis, quod est accessorium, ac ex eo, vel ob id, dignoscitur esse secutum, valere potest. *ibid. §. Cùm igitur.*

XIV. Privilegium, quod videtur esse Donationis, si de rebus priùs habitis & possessis, sermo sit, intelligi debet esse Confirmationis. *De Fide Instrum.* Cap. *Inter Dilectos. §. cæterùm.* LIB. II. DECR. TIT. XXII. *Cap.* 6.

XV. Magis autoritas Privilegii, quàm depositio Testium attendi debet. *De Præscriptionib.* Cap. *Ad Audientiam. init.* LIB. II. DECRET. TIT. XXVI. *Cap.* 13.

XVI. Privilegium obscurum non probat: *De Præscriptionib.* Cap. *Auditis.* GLOSSA. colligit. Ex §. *verùm* & §. *Quocircà.* LIB. II. DECRET. TIT. XXVI. *Cap.* 15.

XVII. Juxtà tenorem Arbitrii, judicatur contrà Privilegia tàm antè, quàm post Arbitrium promulgata. *De Præscript.* Cap. *Cùm olim. fin.* LIB. II. DECRET. TIT. XXVI. *Cap.* 18.

XVIII. Qui habet Privilegium, Præscriptio quoad hoc nihil addit. *ibid.* Cap. 19. *Veniens. §. ult.* GLOSSA colligit, & in Verbo *renunciavit*, asserit, quòd Præscriptio & Privilegium contraria sunt, ex quo simul esse non possunt, quia ingressus unius operatur egressum alterius.

XIX. Contrà Privilegium admittitur probatio, seù defensio. *De Sent. & Re Judic.* Cap. *Subortâ.* GLOSSA colligit. §. *Verùm.*

XX. Non sufficit objicere aliquid rationabile contrà Privilegium, nisi probetur, quod objectum est. *De Sent. & Re Judic.* Cap. *Subortâ.* junctâ GLOSSA. LIB. II. DECR. TIT. XXVII. *Cap.* 21.

XXI. Si Privilegium non fuit coram Papâ exhibitum, prætextu Privilegii de novo reperti, non debet Sententia retractari. *De Sent. & Re Judic.* Cap. *Subortâ. §. Judicib. fin.* LIB. II. DECR. TIT. XXVII. *Cap.* 12.

XXII. In-

XXII. Indulgentia Apostolicæ Sedis Legati, quâ quid permissum est Hominibus terræ alicujus, sic est intelligenda, ut consultius sit Multitudini & observatæ Consuetudini deferre, quàm aliud in dissentionem & scandalum Populi statuere, quâdam adhibitâ novitate. *De Consanguinitate.* Cap. *Quòd Dilectio.* LIB. IV. DECR. TIT. XIV. *Cap.* 3.

XXIII. Si Prædecessoris Privilegium fuit Papæ Successori in Judicio præsentatum, & ipse tulit Sententiam contrà illud, intelligitur reprobasse. *ibid.* §. *Judicibus.*

XXIV. Si Summus Pontifex in Privilegio intelligeret tantummodò de unâ re, de illâ tantùm poneret. *De Decimis.* Cap. *Ad Audientiam.* §. *Mandamus. fin.* LIB. III. DECR. TIT. XXX. *Cap.* 12.

XXV. Romana Ecclesia alicui nonnisi certâ ratione inspectâ singularibus voluit Beneficiis indulgere. *De Privilegiis.* Cap. *Sanè. fin.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 9.

XXVI. Inspicienda sunt Ecclesiarum Privilegia; & ipsorum tenor est diligentiùs attendendus. *ibid.* Cap. *Recipimus.* §. *Inspicienda. init.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 9.

XXVII. Perspiciendum est, quid in Privilegio contineatur, ad verum ejus tenorem servandum. *De Privilegiis.* Cap. *Ex ore.* §. *Porrò.* Colligitur. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 17.

XXVIII. Nulli Privilegiato credendum est, nisi Privilegium suum inspiciendum concedat. *ibid.* Cap. *Porrò.* GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 7.

XXIX. Quod aliquibus donatum est, totum ex inspectione Privilegiorum suorum adverti debet. *ibid.* Cap. *Porrò.* seù *Cap.* 7.

XXX. Super amissione ac tenore Privilegiorum Testes recipi possunt, quos Pars duxerit producendos. *De Privilegiis.* Cap. *Cùm olim.* §. *Te igitur.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 12.

XXXI. Ecclesia utens duplici Privilegio, licèt succumbat ex uno, potest nihilominùs ex alio se juvare, & obtinere: *De Privileg.* Cap. *Cùm olim.* juncto Summario. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 14.

XXXII. Sententia lata contrà Privilegium Sedis Apostolicæ non tenet. *De Privil.* Cap. *Ex parte.* §. *Nos autem.* GLOSSA colligit. *fin.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 13.

SECTIO VIII.

De Innovatione & Confirmatione Privilegiorum.

I. SIcut Testes ex causâ (lite non contestatâ) admittuntur; sic ex æquitatis similitudine, Privilegia quasi jam nimiâ vetustate consumpta innovari convenit. *De Confirmatione utili* &c. Cap. *Cùm Dilecta. §. Nos igitur.* LIB. II. DECR. TIT. XXX. *Cap.* 4. Utrumque sic, ne pereant probationes.

II. Ut innovari possint Privilegia à Sede Apostolicâ, propter viarum discrimen injungit Summus Pontifex Commissariis aliquibus, ut ea inspiciantur diligenter, & tenorem ipsorum fideliter transcribentes, sub sigillis suis ad Romanam Curiam transmittant. *De Confirmatione utili* &c. Cap. *Cùm Dilecta.* LIB. II. DECR. TIT. XXX. *Cap.* 4. *init.* hâc cautelâ tutè jactura Privilegii prævenitur.

III. Pendente Causâ, peti potest Innovatio Privilegii. *De Privilegiis.* Cap. *Ex parte.* GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 13.

IV. Privilegii Innovatio propter contradictionem Partis asserentis, hoc in suum præjudicium redundare, non debet effectui mancipari. *ibid. De Privilegiis.* Cap. *Cùm olim. init.* GLOSSA coll. & *De Confirm. utili.* Cap. *Cùm Dilecta.* GLOSSA coll. LIB. II. DECR. TIT. XXX. *Cap.* 4.

V. Per Innovationem Privilegii, non plus juris Ecclesiæ accrescit, quàm per Privilegia præcedentia obtinuit. *De Privil.* Cap. *Ex parte.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 13.

VI. Per Innovationem Privilegii non novum conceditur, sed antiquum jus conservatur. *ibid. fin.*

VII. Ex Innovatione Privilegii novum jus non acquiritur, sed antiquum, si quod habetur, per Innovationem Privilegii conservatur. *De Confirm. utili* &c. Cap. *Cùm Dilecta. §. Nos igitur.* LIB. II. DECR. TIT. XXX. *Cap.* 4.

VIII. Innovatio Privilegii nec jus novum confert, nec etiam tollit vetus. *De Privileg.* Cap. *Quia intentionis. init.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 29.

IX. Post Innovationem in eo statu est Privilegiatus, in quo, tempore impetratæ Innovationis, dignoscitur extitisse. *ibid.*

X. Per Innovationem nullum juris aliàs eidem Privilegiato competentis præjudicium generatur. *ibid. fin.* Vide *De fide instrum.* Cap. *Inter Dilectos. §.* 7. & 8. LIB. II. DECR. TIT. XXII. *Cap.* 6.

XI. Cùm Donationis titulus allegatus nullus est, Confirmatio Papæ super tali Donatione etiamsi Authenticum appareat, juri alterius nullatenùs derogat. *De Decimis.* Cap. *Dudùm. §. Ult.* LIB. III. DECR. TIT. XXX. *Cap.* 31.

XII. Quod n. 4. dixit *Glossa* de suspendendâ Privilegii Innovatione ob contradictionem Adversæ Partis asserentis, quòd noxia sibi foret, admittendum non videtur, quia hæc Contradictio frivola esset, cùm Innovatio obesse Parti non possit, idque cuique evidens est: nec confirmatur *Glossæ* sententia ex facto narrato in Textu, nempè quòd Papa ob talem contradictionem abstinuit ab Innovatione sibi petitâ, cùm expositio Partium facta in Rescripto vi decisivâ careat, istaque tota maneat, resideatque in Definitione datâ à Papâ.

SECTIO IX.

De variis Modis, quibus amitti possunt Privilegia.

I. SIc decet fidem Sanctorum Patrum in Ecclesiâ servari Catholicâ; ut quod habuit, amittat, qui improbabili temeritate, quæ non accepit, assumpserit. CAUSA XXV. QUÆST. II. Cap. 22.

II. Liberum est unicuique suo juri renunciare. *De Privilegiis.* Cap. *Si de terrâ.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 6. *fin.*

III. Quilibet renunciare valet ei, quod pro se noscitur introductum. *De Regularib.* Cap. *Statuimus.* LIB. III. DECR. TIT. XXXI. *Cap.* 33.

IV. Privilegium meretur amittere, qui permissâ sibi abutitur potestate. *De Sent.* Cap. *Cùm olim. med.* in int. LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. *Cap.* 12.

V. Privilegio libertatis nullus renunciare potest in præjudicium Papæ. *De Sent. & Re Judicatâ.* Cap. *Subortâ.* GLOSSA colligit. LIB. II. DECR. TIT. XXVII. *Cap.* 21.

VI. Privilegium Personale per unum actum contrarium amittitur. *De Constitutionib.* Cap. *Cùm accessissent. §. Quocirca. fin.* GLOS. coll. LIB. I. DECR. TIT. II. *Cap.* 8.

VII. Qui per Quadraginta annos contrà Indulta Privilegia egit, eis renunciasse tacitè præsumitur. *De Privilegiis.* Cap. *De accedentibus.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 15. juxtà *Cap.* 6. *Eod.* TIT. sufficit tempus triennale, quia Præscriptio concurrebat cum Jure Communi, ideòque favorabilior. *Vide* GONZALEM *in illud* & GLOS. *Cap.* 15. in *Verbo* 40.

VIII. Si quæ Privilegia Ordini alicui specialiter Sedes Apostolica indulsit, non factâ mentione illius Ordinis non amittuntur. *De Rescriptis.* Cap. *Cùm Ordinem.* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 6.

IX. Privilegium meretur amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate; DISTINCT. VII. *C.* 7. *Ubi. init.*

X. Ecclesia, quæ non utitur Privilegio suo per 40. annos continuos, illud amittit. *ibid.* GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 15.

XI. Idem habent iisdem verbis plures alii Textus, quorum

quorum præcipui sunt. CAUS. XI. QUÆS. III. Cap. 63. *Privilegium. De Regul.* Cap. *Licet. init.* Et §. *Talis.* LIB. III. DECR. TIT. XXXI. Cap. 18. *De Privilegiis.* Cap. *Tuarum. §. 2. Verùm.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 11. *De Elect.* Cap. *Venerabilem.* post *init.* LIB. I. DECR. TIT. VI. Cap. 34. Ex illorum lectione hic fructus saltem percipitur, quòd doceant quibus modis quisque possit abuti suis Privilegiis, variaque hujus abusûs exempla.

XII. Qui Indulgentiam, quam habet, non servat & contrà illam autoritate propriâ agit, illam amittit. *De Præbendis.* Cap. *Pro illorum. §. Quia verò.* GLOSSA coll. LIB. III. DECR. TIT. V. Cap. 22.

XIII. Qui aliorum Privilegia recipere contemnit, concessa sibi Privilegia meretur amittere. *De Privilegiis.* Cap. *Dilecti.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. *Cap.* 4.

XIV. Sancta Romana Ecclesia, suâ autoritate, congregata valet disjungere, & disjuncta congregare, Rationis tamen æquitate consideratâ: Undè vel pietatis, vel necessitatis intuitu, semel à se concessa valet vel in totum vel in partem commutare. Pro necessitate namque vitiorum corrigendorum Privilegia Ecclesiarum multarum, vel imminuuntur, vel penitùs immutantur, sivè personaliter, sivè generaliter. GRATIANUS post Cap. 21. *Posteaquàm.* QUÆST. II. CAUS. XXV.

XV. Qui non utitur Privilegio sibi indulto legitimo tempore, amittit illud, eoque modo non potest se in hâc parte tueri. Cap. *Si de terrâ.* Junctâ GLOSSA. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 6.

XVI. Privilegia propter abusum possunt meritò revocari. *De Privilegiis.* Cap. *Ut Privilegia.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 24.

XVII. Detestanda Iniquorum perversitas abstinere nesciens vetitis, nec gaudere debito modo concessis, dignè plerùmque Officium excitat Præsidentis, ad ea, quæ justâ fuerant consideratione concessa, cùm in abusum ea vergere circumspicit, discretione prævia revocanda. *In* VI. *De Concessione Præbendæ.* Cap. *Detestanda. init. In* VI. LIB. III. TIT. VII. Cap. 2.

XVIII. Per Privilegium Papæ Privilegiis suorum Prædecessorum non extitit derogatum, cùm de ipsis nullam fecerit mentionem. *De Præscriptionibus.* Cap. *Veniens. §. Chrisma. fin.* LIB. II. DECR. TIT. XXVI. Cap. 19.

XIX. Præsertim, cùm & ipse Papa Privilegium illud concessit salvis Constitutionibus non solùm Romanæ Ecclesiæ, sed ipsius etiam Legatorum. *ibid.* Cap. 19.

XX. Si occasione Privilegiorum Ecclesiæ prægraventur; iis derogandum est in toto, vel in parte. *De Decimis.* Cap. *Nuper.* GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXX. Cap. 34.

XXI. Generali Privilegio per Speciale derogatur. *De Rescriptis.* Cap. *Pastoralis* LIB. I. DECR. TIT. III. *Cap.* 14.

XXII. Legitima causa revocandi Privilegium, cùm aliqui Indultis Apostolicis confidentes, alios confidentiùs in suo jure molestant, & Ordinariorum Jurisdictionem contemnunt pariter & eludunt. *In VI. De Privilegiis.* Cap. *Ne aliqui.* junctâ GLOSSA. *In VI.* LIB. V. TIT. VII. *Cap.* 5.

XXIII. In necessitate cessat Privilegium. *De Immunitate Ecclesiarum* Cap. *Pervenit.* GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XLIX. *Cap.* 2.

XXIV. Ex causâ cessat sivè perditur Privilegium. *De Clericis non residentibus.* Cap. *Cùm sint.* GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. IV. *Cap.* 16.

XXV. Si Privilegium ex prece factum incipiat enorme detrimentum inferre, revocandum est. *De Decimis.* Cap. *suggestum* GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXX. *Cap.* 9.

SECTIO ULTIMA.

De Conservatoribus Privilegiorum.

I. IN Antiquo Decretalium Jure nihil habetur de hujusmodi Conservatoribus. Recentiori tempore, cùm Laïci Juri dicundo magis incumbere cœperunt, Ecclesiarum & Monasteriorum Privilegia paulatim impugnabantur: quare Summi Pontifices præfecerunt Viros aliquos Insignes, qui Privilegiis hujusmodi conservandis invigilarent, quibus etiam ea committebant, quæ ad eorum mutationes aut alia similia spectabant.

II. Itaque Conservatores dicebantur, qui aliquibus à Sede Apostolicâ concedebantur, ut eos à manifestis injuriis & violentiis tuerentur, eorumque Privilegia conservarent. *Ex Constitutionibus* INNOCENTII IV. & BONIFACII VIII. *In VI. De Officio & potest. Jud. Deleg.* Cap. *Statuimus.* & Cap. *Hac Constitutione.* Quæ de eorum Jurisdictione statuta fuerant, jam non sunt in usu, sola Protectionis ac Tuitionis cura relicta est. Habet Universitas Parisiensis adhuc suos Conservatores Episcopos Meldensem, & Sylvanectensem.

III. Tota illorum Jurisdictio Forensis transiit ad Conservatores Regios singulis Regni Universitatibus à Rege concessos; de quibus in *Ordin. Regiâ* 1669. TIT. IV. *Art.* 28. 29. 30. 31. item in *Stylo Consilii.* p. 24.

IV. Conservatores possunt eos à manifestis injuriis & violentiis defendere, quos Summus Pontifex eis committit defendendos. *In VI. De Officio & potest. Jud. Deleg.* Cap. *Statuimus.* LIB. VII. TIT. XIV. *Cap.* 1.

V. Illi non possunt extendere suam potestatem ad alia, quæ Judicialem indaginem requirunt. *ibid. in VI.* LIB. I. TIT. XIV. *Cap.* 1.

VI. Appellatione Judicum non comprehenduntur Conservatores. *ibid.* Colligitur.

VII. Conservatores deputari non possunt, nisi Episcopi vel eorum Superiores, aut Abbates, seù Dignitates vel Personatus in Cathedralibus vel Collegiatis Ecclesiis obtinentes. *In VI. De Officio & potest. Judic. Deleg.* Cap. *Hâc Constitutione.* init. LIB. I. TIT. XIV. *Cap.* 15.

VIII. Idque meritò, cùm hæc requirantur in Delegatis Apostolicis, & Conservatores sint ex illorum præcipuis, & præterea perpetui esse soleant.

IX. Nullus Conservatorem habeat eum, qui sub ipsius Jurisdictione, Dominio, vel Districtu Ecclesiastico, vel Temporali consistat. *ibid. §. 1. nec aliquis.*

X. Nullus Prælatus, vel alia Persona Ecclesiastica, Secularis vel Regularis intrà Regnum Franciæ consistens, aliquem vel aliquos, Clericos, vel Laïcos coràm aliquo Conservatore, per Sedem Apostolicam autoritate Litterarum Sedis ejusdem Deputato, vel Deputando, seù ejus Commissario quâcumque occasione, vel causâ, ad Judicium extrà Regnum prædictum, nec etiam super hujusmodi juribus cessis sibi etiam infrà ipsum Regnum trahere, aut aliquatenùs molestare seù inquietare valeat, vel præsumat. *Bullâ* URBANI V. *datâ Massiliæ 6. Idus Maii, Pontificatûs anno* 5. & refertur *Tomo Probationum Libertatum Gallicæ Nationis. Cap.* 9. *p.* 202. & 203.

XI. Dicti Conservatores contrà aliquos procedere, aut in aliquos, vel aliquem Excommunicationis, Suspensionis, vel Interdicti Sententias promulgare non valeant, vel præsumant. *ibid.*

XII. Omnes Processus & Sententiæ hujusmodi, quos contrà Ordinationem prædictam fieri contigerit, irriti sint & inanes. *ibid.*

PARS II.

Complectens Regulas circà Privilegia, è solo Textu Juris Canonici desumptas quoad sensum, cùm explicatione aliundè etiam deprompta.

INter Tractatus ad Juris Canonici Prolegomena pertinentes, in quibus, de Jure Canonico considerato in genere, agitur, Tractatum de Privilegiis collocamus: hâc potissimum ratione moti, quòd Privilegia, ut infrà dicetur, sint quædam Leges; hunc autem Tractatum Tractatui de Rescriptis annectimus ob maximam, quam habent Privilegia, cum Rescriptis Connexionem; sunt enim quodammodò Rescripta, Gratiæ, cùm per ejusmodi Rescripta, ut plurimùm acquirantur Privilegia, & circà quamlibet istorum Rescriptorum materiam, versentur: præterea quæ de Rescriptis falsis aut falsitate suspectis, de dubiis, de obscuris, aliaque similia, Privilegiis optimè conveniunt adaptantur-ve.

Cæterùm, quantùm ad Ordinem, quem in tractando de Privilegiis sequemur, servato in aliis Tractatibus, sed maximè in Tractatu de Rescriptis, non absimilis erit; videbimus siquidem 1. Quid sit Privilegium, 2. Quotuplex; 3. Quid peculiare doceat Jus Canonicum circà quamlibet Privilegiorum speciem; 4. Quæ necessaria, ut valeat; 5. Quibus viis acquiratur; 6. Quis dare possit; 7. Quibus dari possit: 8. Quæ Materia, sivè circà Quæ versetur; 9. Quæ Forma; 10. Qui effectus; 11. Quomodò interpretandum; 12. Quomodo servandum; 13. Quibus viis amittatur; 14. De Innovatione; 15. De Usurpatoribus & Contemptoribus; 16. De Privilegiis in Corpore Juris clausis; 17. De Conservatoribus; 18. De exhibendis Privilegiis, & quâ Formâ.

TITULUS I.

Quid sit Privilegium?

Antequàm explicemus, quæ sit Privilegii Natura, notandum, Rem hoc vocabulo significatam in Jure Canonico donari variis nominibus. Vocatur enim 1. Privilegium, quod juxtà vocabuli Etymologiam tria significat, quæ eodem recidunt; nempè, Legem privatam, Cap. 25. De Verborum significatione. Privatorum Legem; *C.* 3. Dist. III. & quod in privato fertur, *ibidem.* Dicitur autem Privilegium, Lex, quia servandum ut Lex, & à Potestate condendi Legem emanat; Dicitur Lex privata, vel Privatorum, quia in favorem quorumdam Privatorum conceditur. 2. Indulgentia. *Cap.* 3. *De Privilegiis.* 3. Beneficium. *Cap.* 16. *De Regulis Juris in* VI. 4. Gratia. *Cap.* 11. *De Concess. Præb.*

Hæc autem tria postrema nomina Rei Privilegio significatæ dari videntur, ratione originis; procedit etenim ex misericordiâ, liberalitate, & pietate Concedentis; undè, cùm infinita propemodùm sint, quæ similem habent originem, quæque non ideò similia habent nomina, evidens est, nullum ex his nominibus Rei per Privilegium significatæ proprium esse; restat ergò, quòd aut nullum habeat in Jure nomen proprium, aut si quod habet, non aliud sit, quàm Privilegium, quo ab aliis Gratiis, Beneficiis, Indulgentiis-ve distinguitur.

Notandum etiam, quodvis Privilegium, vel à Jure Communi eximere, vel aliquid contrà Jus Commune, aut præter Jus Commune concedere. His notatis.

REGULA UNICA.

Quæ propriam Privilegii Naturam continens, totam ferè hujus Tractatûs Materiam explicat.

Privilegium est Lex privata à Lege Communi eximens, vel aliquid contrà, vel præter illam Legem, concedens.

Dicitur de Privilegio, quòd sit *Lex privata*, ob Primam allatam rationem.

Additur, *à Communi Lege eximens*; quia unus ex effectibus Privilegii interdùm est, quòd eximat à communi obligatione per Leges aliis impositâ, veluti cùm Subditos à Jurisdictione Superioris subtrahit.

Additur, quòd aliquid *contrà Legem Communem concedat*; quia jura, quæ Quibusdam Jure Communi debentur, in alios quandòque transfert, ut cùm debitæ Parochis Decimæ aliis percipiendæ dantur.

Postremo additur, quòd *præter Legem Communem aliquid concedat*; quia jura aliis Lege Communi debita nonnullis communicantur, quibus tali Lege non debentur, ut cùm Honores & Ornamenta Episcopalia Abbatibus permittuntur.

Ex Dictis in hoc Titulo sequitur, 1. Quòd Privilegium quandòque idem sit cum Dispensatione, nimirùm, cùm in exemptione à Lege Communi consistit; quo casu Privilegium non immeritò vocatur Indulgentia, ipsique applicari potest quidquid dictum est de Naturâ, Causis, Effectibus Dispensationis, dùm de Vicario Generali tractatum est, ideòque hoc in Tractatu de Privilegiis multa omitttentur de industriâ, ne, quæ in memorato Tractatu dicta sunt, sine necessitate in isto repetantur: id ergò advertat Lector, ne quæ Tractatui isti desunt, Autorem præterfugisse existimet, sed multò magis, ut illa citato loco quærat, eaque discat quæ ignorare non debet.

2. Quòd si quandò Privilegium de Jure Communi esse dicatur, seù ad Jus Commune pertinere, Jus Commune non sumatur pro Lege, quâ major Reipublicæ Pars ligatur & regitur, quæque idcircò Lex Communis rectè nuncupatur; sed pro Legibus Generalibus ad Rempublicam regendam necessariis, quo sensu non solùm Privilegia rigorosè sumpta, sed & Dispensationes justâ de causâ concessæ, imò & Leges pœnales de Jure Communi esse dicendæ sunt, cùm Dispensationes justæ, Legesque pœnales, inter necessaria ad rectam Reipublicæ administrationem recensendæ sint: De quibusdam speciatim dicitur, quòd sint de Jure Communi, quia Corpore Juris includuntur, Jus Commune continente.

TITULUS II.

Quotuplex sit Privilegium?

REGULA.

Non aliæ Privilegii Divisiones è Jure Canonico colliguntur, quàm istæ.

I. Privilegium, *C.* 16. 17. *De Privilegiis. C.* 5. *De Arbitris*, est vel *Totale*, vel *Partiale*.

Totale, quandò Abbatia eximitur in Capite, & in Membris, à totâ Episcopi Jurisdictione.

Partiale, quandò eximitur tantùm in Capite, non in Membris; in parte, non in toto, ab hujusmodi Jurisdictione: vel quandò Persona exempta est tantùm ratione unius rei, non alterius; unius loci, non aliûs.

II. *Cap.* 16. 21. *De Privilegiis*, vel est *Personale*, vel *Reale*, vel *Locale*.

Personale, quale, quo Episcopo permittitur, ut Beneficiorum suæ Diœcesis fructus per quoddam tempus percipiat.

Reale, quale, quo agri Monachorum à Decimarum solutione eximuntur.

Locale, quale, quo conceditur Monasterio, ne possit ab Episcopo Censuris percelli.

III. *Cap. 6. De fide Instrum.* Aliud est Privilegium *Donationis*, aliud *Confirmationis*.

Donationis, quale, quo acquirendi Incapaci res immobilis donatur.

Confirmationis, quale, quo hujusmodi Donatio confirmatur.

IV. *C. 2. De Præbendis in* VI. Aliud *in Corpore Juris clauditur*, aliud *non*.

Prioris Generis est, illud, quo Monachi à Lege Diœcesana solvuntur.

Posterioris est, illud, quo Nonnulli Canonici Sedi Apostolicæ immediatè subiiciuntur.

Vide FAGNANUM circà Privilegium Prioris generis *in Cap. 11. de Major. & Obed. n. 35.*

V. *C. 12. De Foro Competenti. C. 36. De Sentent Excommun.* sunt Privilegia, quæ *dantur Membris in honorem totius Corporis*; qualia, quæ conceduntur Clericis, ne possint à Judice Sæculari quibusdam in Casibus judicari, nevè à quovis violenter percuti, quin sit ipso facto excommunicatus. Sunt alia, quæ, *nullâ habitâ ratione Corporis, Membris conceduntur*; tale est, quo quis fit ad Dignitate n Eligibilis, ad quam Jure Communi vel Particulari Ineligibilis erat; quale etiam, quo Pallii usus Episcopo conceditur. *C. 5* DIST. C.

VI. Aliud est Privilegium *Scriptum*, aliud *non Scriptum*.

Scriptum, quale, quod Canone, vel Rescripto conceditur.

Non Scriptum, quale, quod Præscriptione, vel Consuetudine acquiritur.

VII. Aliud *Communi Juri contrarium*, aliud eidem Juri *conforme*.

Prioris exempla passim habentur in Canone ac talia sunt pleraque eorum, quæ in Corpore Juris continentur, quæque colliguntur TITULO. XVI.

Posterioris exemplum legitur *Cap. 18. De Verborum Significatione.*

VIII. Aliud est *falsum*, CLEM. 2. *De Privilegiis.* hujus generis exemplum præbet; vel *Falsitatis Suspectum*, quale, quod à Concedente, cui tribuitur, non emanavit, vel non emanasse videtur; Aliud est *Verum* vel ab omni falsitatis specie alienum, quale, quod concessum est ab eo, cui tribuitur, vel concessum justè creditur.

TITULUS. III.

Quid Peculiare habeatur in Jure Canonico circà diversas Privilegii species.

REGULA.

Non alia in Corpore Juris Canonici habentur circà quæsitum in §. quàm ista.

I. Privilegium Personale. *C. 6. De Institutione C. 7. De Regulis Juris, in VI.* sequitur Personam: hinc pereunte Personâ, perit; hinc, eâdem transeunte è Loco in Locum, cum illâ transit.

II. *Cap. 6. De Instituti. C. 33. De Privil.* Res semel Privilegiata, est semper Privilegiata, nisi aliud in Privilegio exprimatur: durat ergò rei Privilegium, quandiù res, gaudetque Privilegio quicunque illam possidet, transit enim res cum Privilegio suo ad quemlibet Possessorem, sicut ad eundem transit cum onere suo. Hinc, si Dignitatis Possessor annexum Dignitati Privilegium abjuret, non perit Privilegium quoad Dignitatem, sed quoad Personam tantùm. Ad cujus intelligentiam Nota, in Privilegio, sicut in Dignitate, distingui posse proprietatem & usum; proprietatem Privilegii annecti Dignitatis proprietati, usum verò, usui; undè cum Dignitatis Possessor non habeat nisi illius usum, hinc fit, ut solo Privilegii usu potiatur. Infertur hæc Observatio ex *C. 6. citato.*

III. Privilegiati ratione Loci, Privilegium amittunt, si ex illo exeant. *C. 16. 21. De Privil.* Hinc Monasterii vel Collegii Membra, quæ ratione Loci, in quo habitant, ab Ordinario Censuris ligari non possunt. *C. 1. De Privilegiis in VI.* iis subduntur, si illinc discesserint; hinc etiam, quicquid ab Exemptis ratione Loci fit, vel possidetur, extrà Exemptionis Locum, Ordinarii Jurisdictioni subjicitur; undè, si delinquant, si contrahant, si rem possideant, ratione Delicti, Contractûs, Rei, Episcopo subduntur. *Cap. 6. De fide Instrum.*

IV. Unum & idem Privilegium non potest simùl esse Donationis & Confirmationis; sed istud illud supponit, adeò ut illius meminisse debeat, & sit nullius roboris, si illud non præcesserit, vel non valuerit. *ibidem Cap. 13. de Sent. & re jud.*

Si confirmetur validum Privilegium à Superiore Concedentis, novam & majorem accipit autoritatem.

V. Privilegia in Corpore Juris clausa, sunt duplicis generis; sunt enim quædam, quæ haberi possunt tanquàm Pars Juris Communis: talia sunt Privilegia Archiepiscoporum & Patriarcharum; conveniunt siquidem omni Archiepiscopo, & omni Patriarchæ, ideòque Commune Jus ergà illos faciunt; talia sunt etiam Privilegia quæcumque omnibus Regularibus communia, sunt etenim hæc Privilegia Jus Commune ergà Regulares.

Sunt quoque alia Privilegia, quæ censenda sunt velut Exceptiones Juris Communis; talia sunt, quæ quibusdam Regularibus conceduntur de non solvendis Decimis è terris, quas propriis manibus excolunt, vel de percipiendis Decimis Parochiarum, quarum Patroni sunt.

Privilegia in Corpore Juris clausa. *Cap. 10. De Rescriptis in VI.* ab ailis differunt in eo, quòd illis derogatur per Constitutiones contrarias, etsi de illis expressam mentionem non faciant; aliis verò Privilegiis nulla fiat Derogatio, nisi expressa sit in hujusmodi Constitutionibus; differunt etiam in eo, quòd qui Posterioribus innititur, illa exhibere debeat; non idem qui Prioribus.

VI. Privilegia Juri Communi contraria, *Cap. 18. De Consuetud.* sicut & Rescripta, Consuetudo, Statutum, Præscriptio, eidem Juri oppositа, quoad fieri potest, restringenda.

VII. Privilegia toti Corpori concessa, sunt duplicis generis, alia enim concessa sunt in Bonum & Commodum cujusque Membri; alia verò in Honorem totius Corporis. *C. 12. De For. Compet.* Priori generi renuntiari potest à quolibet Membro: Posteriori verò non potest; cujus ratio: Quilibet proprii Commodi Dominus est, *Cap. 36. De Sententiâ Excommunic.* sed non Commodi & Honoris alieni.

Ob parem rationem. *C. 5. De Arbitris*, nulla Ecclesia, nullum Monasterium renuntiare potest Privilegiis, quibus illorum Ordinarius Superior illa sibi immediatè justâ de causâ subjecit, (Nota Exemptos in Gallia validè renuntiare Exemptioni sine Summi Pontificis consensu) nisi accedat hujusce Superioris assensus, ut accedere videtur tacitæ Renuntiationi, quæ Præscriptioni annectitur.

VIII. Partiale Exemptionis Privilegium *Cap. 10. De Privileg. in VI.* his & consimilibus modis dignoscitur, nempè, si concessâ circà aliqua exemptione, addatur quòd *in indicium perceptæ libertatis solvetur annuus Census Ecclesiæ Romanæ.* Idem, si post illam adjiciatur, ea Clausula *in Speciales Ecclesiæ Romanæ Filios assumpti sunt.*

Totale verò Exemptionis Privilegium his locutionibus exprimitur, nempè, si dicatur in Privilegio, vel in sententiâ super Exemptione principaliter pronunciatâ, *Ecclesiam esse exemptam*; vel *juris* BEATI PETRI *existere*; vel *ad jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ*, vel *ad Romanam Ecclesiam specialiter, vel sine medio, vel etiam simpliciter pertinere*; vel *Ecclesiam esse liberam*; vel *Romanæ Ecclesiæ Libertate potiri*; vel demùm *hujus Ecclesiæ Ministros in proprios & speciales subjectos recipi*

recipi; vel *in hoc speciali gaudere prærogativâ*; vel *in indicium perceptæ Libertatis annuum Censum Ecclesiæ Romanæ solvere*; vel *Papam ab Ordinarii Potestate illam eximere*; vel *nolle, ut iste audeat in illâ Cathedram collocare, aut imperet, faciatve aliquam Ordinationem, etsi leviſſimam.* Cap. 5. *De Restitut. in integrum. Cap.* 10. *de Privil.*

IX. Privilegium habendum est verum, cujus tenor invenitur incorruptus in Regesto illius, qui concessisse dicitur.

Non sunt judicanda falsa Privilegia, vel falsitatis suspecta propter abrasionem in loco non substantiali: *Cap.* 3. *De fide Instrument.* & GLOSS. in Verbo *Possessionibus*, ut si quæ conceduntur circà Immunitates Possessionum, abradantur in loco, in quo Possessiones enumerantur, & abrasio respiciat tantùm vel nomina, vel situm Possessionum, quæ aliàs verè ad Privilegiatum pertinent.

Nota obiter, quòd loco *Possessionibus*, legendum videatur cum *Cujacio*, *Positionibus* vel *Propositionibus*, quæ hìc nihil aliud sunt, quàm Facti narratio vel expositio, quòdque ista lectio alii, quæ in omnibus Codicibus habetur, sit præferenda, etsi in nullo Codice reperiatur, cujus ratio est, quia lectio ista omnem ambiguitatem tollit, sensumque efficit congruum, qui talis est, *Rescriptum Justitiæ non est falsum judicandum, nec falsitatis suspectum, etsi Litura sit in Narratione Facti, cùm Privilegia, ut potè Rescripta Gratiæ, quæ falsa vel falsitatis suspecta faciliùs præsumuntur, non censeantur falsitati veræ vel apparenti obnoxia, si in Facti expositione abradantur.*

Si verò communis lectio retineatur, non nulla subintelligenda sunt, ut apparens sensus habeatur, qualis, quem suprà cum Glossâ, ac Interpretibus, qui eam communiter sequuntur, excogitavimus.

Adversario Privilegia falsitatis arguere volenti exhibenda sunt. *Cap.* 4. *De fide Instrumentorum*, idque in Loco congruo & securo.

Pendente lite circà falsitatem Privilegiorum, inviolabiliter observanda est Sententia, quæ illorum obtentu anteà lata est. *ibidem.*

Privilegium sine falsitatis vitio esse videtur. *Cap.* 12. *De Privilegiis.* Si sine reprehensione Bullæ, Chartæ vel Litteræ apparet; omnis enim falsitatis Nota ex defectu Formæ desumitur. *C.* 6. *De fide Instrum.* defectus autem hujusmodi respicit, vel annotationem Indictionis, Scripturam Notarii, abrasionem, vel lituras: quæ omnia ad Litteram reducuntur, vel Sigillum, quod idem est cum Bullâ, vel Chartæ qualitatem, quæ tangitur voce Chartæ.

TITULUS IV.

Quæ necessaria, ut Privilegium valeat?

REGULA I.

Non valet Privilegium, nisi in eo exprimantur, quæ exprimenda sunt in Rescripto Gratiæ, ut valeat istud.

C. 22. *De Verborum significatione. C.* 19. *de Præscription.*

REGULA II.

Quæ irritant Legem, irritant etiam Privilegium.

C. 19. *De Testibus*, è quo colligitur, Privilegia Rationi contraria non valere, sicut nec Leges: Hinc, sicut Lex à non Habente potestatem condita, nulla est; ita Privilegium ab eo, qui concedere non valet, concessum, irritum est; undè nullius sunt roboris, tàm Privilegium circà Temporalia ab Ecclesiâ concessum, quàm Privilegium circà Spiritualia à Principe datum.

REGULA III.

Privilegium, quod in alterius præjudicium conceditur, non valet, si istud à Concedente ignoretur, habendumque subreptitium, nisi motu proprio concessum fuerit.

Cap. 3. *De Decim.*

Hinc Privilegium super re litigiosa, pendente lite, concessum, non valet, *Cap.* 5. *Ut lite pendente*, nisi de lite mentionem faciat; hinc, si adversetur compositioni inter aliquos factæ, non valet nisi de compositione in eo fiat mentio.

Hinc, quotiès subsistere potest Privilegium, sine alterius præjudicio, censendum est concessum sine tali præjudicio.

REGULA IV.

Si instrumentum, à quo originem accepit Privilegium, non valet, nec etiam Privilegium valet.

Cap. 13. *De Sentent. & Re Judic.*

REGULA V.

Privilegium Posterius, nisi de Priori, cui adversatur, mentionem faciat, non valet.

Cap. 14. *De Præscript.*

REGULÆ RATIO. Ignoratum præjudicium Concedentem à concedendo Privilegio dimovere potuisset.

REGULA VI.

Ut valeat, quoad effectum Privilegium, requiritur, ut illius notitia perveniat ad eos, quorum intereſt; nisi alicui potestatem adimat in alterius favorem; tunc enim sufficit, ut innotescat ei, cui favet.

Cap. 1. *De Concess. Præb. in* VI.

Hinc, si Privilegium alicui detur, quo ab Ordinario excommunicari nequeat, vel quo Beneficium primò vacaturum alii, quàm sibi conferri non possit, valet Privilegium, quoad effectum, etsi Ordinario notum non sit, sed soli Privilegiato; hoc enim Casu Excommunicatio, quâ Privilegiatum Ordinarius ligaret, nulla foret; Collatio quoque facta alteri, quàm Privilegiato, nullius roboris esset. *ibidem.*

TITULUS V.

Quibus Viis acquiratur Privilegium, vel non?

REGULA I.

In Corpore Juris non aliæ habentur Viæ, quibus Privilegium acquiratur, quàm istæ.

I. Canone à legitimâ Potestate condito. *C.* 8. CAUS. IX. QUÆST. III.

II. Rescripto ejus, cujus est Privilegium concedere. *Cap.* 8. *Citato.*

III. Consuetudine, quæ ad hoc esse debet rationabilis & legitimè præscripta. *C.* 11. *De Consuet.*

IV. Præscriptione, quæ Quadragenaria esse debet, si de aliis Ecclesiis agatur, quàm de Ecclesiâ Romanâ, contrà quam nulla valet nisi Centenaria. *Cap.* 14. *De Privil. C.* 4. 6. 13. 14. 17. *De Præscript.*

Differt autem Consuetudo à Præscriptione, in eo, quòd Præscriptio potest esse unius, Consuetudo non est nisi plurimorum.

V. In statum superiorem vel parem erectione. *Cap.* 16. *De Major. & Obed.* Hinc Ecclesia Archidiacono tùm subdita, si in Cathedralem erigatur, illi subesse desinit; Idem de Capellâ Parochiæ subjectâ, si in Parochiam erigatur.

REGULA II.

Non aliis Viis acquiritur Privilegium, quàm expressis in Jure.

RATIO: alia Via excogitari nequit, quæ ad aliquam istarum non reducatur.

REGULA III.

Non acquiritur Privilegium Usurpatione & Surreptione.

C. 21. 22. DIST. XCIII.

TITULUS VI.

Qui Privilegia dare possint, quique in Canone id posse dicantur?

REGULA I.

Quicunque Leges vel Statuta condere potest, Privilegia quoque circà illa concedere potest.

REGULÆ RATIO. Ejus est solvere, cujus est ligare.

REGULA II.

Quandò Privilegium Legi vel Consuetudini Universali opponitur, ab eo solo dari potest, qui à tali Lege dispensare potest.

C. 8. DIST. C. probat, tale Privilegium à Papâ concedi posse; Idem probat. *C. 9. de Offic. Ordin. C.* 8. CAUS. IX. QUÆST. III.

REGULA III.

Temerarium & indignum est, aliquem propriâ autoritate præsumere, quod alii, certâ ratione inspectâ, singulari concessum fuit Privilegio.

Cap. 9. De Privil.

REGULA IV.

Unum & idem Privilegium tàm à Prælato Inferiori, quàm à Superiori simul concedi potest.

Cap. 14. De Privileg.

REGULA V.

Privilegia, quibus Concedens alienos Subditos sibi immediatè subjicit, non ab alio manare possunt, quàm ab Habente potestatem supremam.

Infertur ex *Cap. 9. De Offic. Ordin.* Infertur quoque ex omnibus Locis, in quibus vetatur Metropolitano, ne in primâ instantiâ judicet, qui sibi non immediatè subsunt.

Hinc etsi Metropolitanus, Primas, Patriarcha, sint Episcopis Superiores, non leguntur in Canone posse istorum Subditos sibi immediatè subjicere; de Papâ verò pluriès legitur id posse. *Cap.* 12. 13. *De Privileg.*

In Galliâ non valent hujusmodi Privilegia, nisi consentiant Prælati, quibus nocent.

REGULA VI.

Qui in Jure Canonico Privilegium dare posse dicuntur, hi sunt.

I. Papa *Cap.* 8. CAUS. IX. QUÆST. III. *C.* 12. 13. 14. *De Privileg.* & passim alibi.

II. Episcopus *C.* 14. *De Privileg. C. 6. De Relig. Dom. C.* 13. *De Sent. & Re Jud. C.* 5. *De His, quæ fiunt in part. decisa.* Cui ad hoc necessarius est liber Capituli sui consensus, si Rem, vel Personam, vel Locum à suâ Jurisdictione eximat: Exemptio enim hujusmodi est quædam alienatio.

III. Concilium Particulare *C.* 46. CAUS. XVI. QUÆST. I.

IV. Concilium Generale *C.* 2 *junctâ Correct. Rom.* Nota & *C.* 17. CAUS. XXV. QUÆST. II.

TITULUS VII.

Quibus dari possunt Privilegia? Quibus de Causis? & Quomodò danda?

REGULA I.

Quibuscunque dari possunt Leges, Privilegia dari quoque possunt, si Gratiis quibusque Indignos exceperis.

REGULÆ RATIO. Privilegia sunt Leges privatæ.

EXCEPTIONIS RATIO. Privilegia sunt Gratiæ.

REGULA II.

Collegio, quod nondùm existit, Privilegia, sicut nec Leges, dare non convenit.

C. 5. *De Eccles. ædif.*

REGULA III.

Privilegia, tàm quæ à Jure Communi eximunt, quàm quæ Concedenti vel Aliis sunt nociva, sine justâ causâ danda non sunt.

Prior Pars patet ex locis, quibus alibi ostensum est, sine justâ causâ à Lege non esse dispensandum. Posterior patet ex *C.* 16. *De Cler. non Resid.* & *C.* 9. *De Decim.* quæ docent revocanda Privilegia, quæ fiunt nimiùm nociva.

REGULÆ RATIO. Prioris generis Privilegia sunt perpetua à Jure Dispensatio: at Dispensatio à Jure Nemini sine justâ causâ danda est; sicut nec Jus sine justâ causâ constituendum. Privilegia verò Posterioris generis à majori justam causam exigunt, cùm injustum sit, ut sine sine justâ causâ sibi vel alii Quis noceat.

REGULA IV.

Quandò Privilegium Superioris Dignitatis Inferiori communicatur, ita communicandum, ut Superiori sua supereminentia conservetur.

Colligitur è *Cap. 6. De Privileg. in* VI.

Hinc Abbatibus non est concedendus Episcopalium Ornamentorum usus, in his Cœtibus, in quibus Episcopi suis utuntur. *ibid.*

REGULA V.

Qui similem cùm aliis vitam suscipiunt, simili debent gaudere Privilegio; ac è contrà.

C. 3. *De Privileg.*

Hinc Privilegiatorum Confratres, qui ad illos non omninò se transferunt, illorum Privilegiis non plenè potiuntur. *Cap.* 32. *ibidem.*

TITULUS VIII.

Circà Quæ versetur Privilegium? & de Quibus id exprimatur in Canone?

REGULA I.

Circà eadem Privilegia versantur, circà quæ Leges.

REGULA II.

Quæcumque præscribi possunt, ex Privilegio concedi possunt, etsi Quædam nequeant præscribi, quæ ex Privilegio haberi possunt.

Exceptionis exempla leguntur *Cap.* 11. 12. *De Præscr.*

REGULA III.

Quæ dicuntur in Canone ex Privilegio concedi posse, hæc sunt.

I. Jurisdictio tàm Contentiosa, quàm Voluntaria, tàm Criminalis, quàm Civilis, *Cap.* 12. *De Excess. Præl. C.* 9. *De Offic. Ordin. C.* 13. *De foro competenti.*

Hinc cognitio Causarum Matrimonialium, injunctio Pœnitentiæ publicæ, Indulgentiarum Concessio, aliaque ejusmodi, quæ ad Episcopos Jure Communi pertinent, ex Privilegio aliis competere possunt; hinc Clericorum Capitulo servientium correctio & punitio, quæ

quæ Jure Communi ad Episcopum spectat, ex Privilegio ad Capitulum pertinere potest ergà Diœcesanos.

II. Jura Episcopalia & Parochialia ergà Parochianos *Cap.* 16. 17. *De Excessibus Prælat. Cap.* 18. 19. *De Præscripti.* Si enim, dùm alii his juribus subduntur, ab his eximamur, exemptio nostra est Privilegium. Hinc, cùm Jus Episcopale sit, ut Diœcesanos ad Synodum venire cogat; Regulares, qui ab hoc Jure eximuntur, Privilegiati sunt. Cùm Jus audiendi Parochianorum Confessiones, aliaque Sacramenta Parochianis administrandi, Parochiale sit, quibuscunque concessum est, ut ab alio Sacramenta recipere possint, quàm à Parocho, Privilegium acceperunt. Plurima possent afferri exempla alia, quæ *cit. Cap.* 1. aliaque non pauca subministrarent, sed allata sufficiunt.

III. *Cap.* 9. *De Offic. Ord. in* IV. Vacantium Ecclesiatum fructus, ex speciali Privilegio pertinere possunt Prælatis, quibus subjectæ sunt; Idem dic de spoliis defunctorum illarum Rectorum.

IV. *Cap.* 21. 22. DIST. XCIII. Vestes Sacræ, ut Compagæ, & Mappulæ, quibus Clerici uti non possunt sine Privilegio ab Apostolicâ Sede concesso: dicendum idem de Pallio, quo in Divinis uti non licet nec Episcopis, nec Archiepiscopis, nec aliis Papæ Inferioribus, sine speciali Sedis Apostolicæ gratia: *tota* DIST. C. *totus* TITULUS *De Usu & Autorit. Pal.*

V. Sacra Ordinum Officia ergà Monachos, qui Solitariam Vitam vovent & vivunt; ad ea enim vocari nequeunt sine concesso à Papâ, vel ab Episcopis Privilegio. *C.* 9. *&c.* CAUS. XVI. QUÆST. I.

VI. Electio ad Abbatiam vel ad Episcopatum. *Cap.* 39. CAUS. XVI. QUÆST. I. Monasterio siquidem concedi potest, quod illius Abbas eligi nequeat sine Regali Provisione, quòdque Electus Abbas non possit ad Episcopatum provehi.

VII. Ut omnia uno verbo comprehendantur, ex Privilegio concedi posse in Canone dicuntur quæcunque res, circà quas in Corpore Juris extant conceſſa Privilegia, quæ colliguntur in TIT. *De Privilegiis in Corpore Juris clausis.*

REGULA IV.

Non extat in Jure Privilegium, quo Quis possit cum Excommunicatis communicare & sine Excommunicatione manus violentas in Clericum injicere.

C. 8. *De Sent. Excommunic.*

TITULUS IX.

De Pertinentibus ad Privilegiorum Formam.

REGULA I.

Concessa aliter, quàm Scripto, Privilegia valent.

C. 7. CAUS. XXV. QUÆST. II.

REGULA II.

Nulla alia in Jure reperiuntur, quæ ad Privilegiorum Formam quodammodò pertineant, quàm ista; Data, Indictio, Charta, Encaustum, Scriptura, Sigillum, Locutiones, quibus exprimuntur; circà quæ nihil aliud docet, quàm quod continent sequentes Regulæ.

C. 6. *De Fide Instr.*

REGULA III.

Falsitatis suspecta habentur Privilegia, vel saltem ut invalida habentur.

I. Si consumpta fuerint in Indictionis annotatione, ubi falsitas facilius deprehendi potest, vel si in eo loco sit ratura. *ibidem.*

II. Si Scriptura appareat recentior, Charta verò sit vetustissima; *ibidem.*

III. Si aquâ infectum videatur Encaustum, ut Scriptura recens, antiqua appareat. *ibidem.*

IV. Si enormis sit in Sigillo fractura, vel si Imago non conveniat Privilegium Concedenti, vel si Sigillum Chartæ subjunctum videatur. *ibidem.*

V. Si manu publicâ non sit confectum. *ibidem.*

VI. Si Nomen proprium Concedentis certò legi non possit, vel quia deletæ sunt Litteræ præcipuæ, vel aliâ de causâ. *ibid.*

REGULA IV.

Si Privilegium Exemptionis sit totale, & de Ecclesia agitur, his & similibus loquendi modis exprimitur.

C. 10. *De Privileg. in* VI.

1. Ecclesia Exempta sit Libera, vel libertate Ecclesiæ Romanæ potiatur. 2. *Beati Petri* juris existat, ad jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ, vel ad illam specialiter, vel sine medio, vel simpliciter pertineat. 3. In hac prærogativâ gaudeat speciali. 4. Ad perceptæ Libertatis Indicium, Ecclesiæ Romanæ Censum solvat annuum. 5. Episcopus non audeat in illâ Cathedram collocare, imperare, vel Ordinationem facere. 6. Hujus Ecclesiæ Clericos in proprios & specialès Subjectos Ecclesiæ Romanæ susciplmus.

REGULA V.

Si Privilegium hujusmodi partiale sit, his & similibus concipitur loquendi modis. *ibidem.*

In tali re vel articulo exempta sit Ecclesia, ut, verbi gratiâ, Censuris Ordinarii non subjiciatur: idque locum habet, etsi addatur Clausula de solvendo annuo Censu Ecclesiæ Romanæ, ad perceptæ Libertatis indicium. Hæc enim Clausula restringenda est ad præmissum Libertatis articulum.

Cætera, quæ ad Formam Privilegiorum spectare possunt collecta sunt, in TIT. *De Interpretatione Privilegiorum.*

TITULUS X.

Quid Privilegia efficere possint, vel non possint?

REGULA I.

Quidquid à Privilegiato exigitur contrà Privilegii sui tenorem, id licitè denegat, etsi à Superiore petatur.

Cap. 5. *De Excess. Prælat.*

Hinc, si quid Episcopi ab Abbatibus exigunt contrà Libertatem Ordini suo à Summis Pontificibus concessam, Abbates denegare possunt.

REGULA II.

Sententia legitimo Privilegio contraria, non valet.

C. 7. *Eod.* TIT.

Hinc, si qui Clerici vel Regulares à dimidio procurationis ob Visitationem debitæ eximerentur, atque Censuris ferirentur, à Superioribus ex eo solo, quòd nolunt integram persolvere, nulla foret Sententia. Infertur ex *citato Cap.* 7.

REGULA III.

Singulorum Privilegia Legem Communem facere non possunt, sivè quod eodem recidit, Privilegium Personale ad Jus Commune trahi non potest.

Cap. 39. CAUS. XVI. QUÆST. I. *C.* 2. CAUS. XXVI. QUÆST. II. GRATIANUS post *C.* 16. CAUS. XXV. QUÆST. I. *C.* 11. *De Conces. Præb.*

REGULA IV.

Ut Legi, sic Consuetudini Universali derogare potest Privilegium.

C. 7. DIST. C.

REGULA

REGULA V.

Exemptio ab Ordinarii Jurisdictione non efficit, ut si Exempti publicè delinquant, vel Privilegiorum metas transgrediendo, vel non concessas Immunitates sibi vindicando, ab Ordinario corrigi ac coerceri nequeant.
C. 10. 11. *De Privil.*

REGULA VI.

Quidquid fit contrà alicujus Privilegium, ab alio, quàm ab eo, qui Privilegio renuntiare vel derogare potest, rescissioni obnoxium est.
C. 10. *De Elect.*

REGULA VII.

Cessante Causâ Privilegii, non cessat jus acquisitum illa durante.
C. 6 De Excomm.

Hinc, Impubes, qui incidit in Canonem, *si quis suadente*, absolvi potest ab Ordinario etiam post pubertatem. Idem dicendum videtur de Religioso, qui post lapsum in hujusmodi Excommunicationem, & antè obtentam illius Absolutionem invalidè Professus declaratur, atque ex Regulari Statu egressus, ab incursâ Excommunicatione absolvi petit.

REGULÆ RATIO: In Casu isto non attenditur tempus, quo Absolutio petitur, sed tempus, quo commissa est culpa.

REGULA VIII.

Privilegii Autoritas circà rem in ea contentam, contrariæ Testium Depositioni, circà eandem rem, præferenda est.
C. 13. *De Præscript.*

REGULA IX.

Ut inanes rejiciuntur Litteræ Privilegiis contrariæ, nisi de iis mentionem fecerint.
C. 20. *De Sent. & Re Jud.*

REGULA X.

Non retractatur Sententia Privilegio adversa, ob repertum postea Privilegium, secùs, si ex negligentiâ Procuratoris ostensum non sit.
C. 21. *De Sent. & Re Jud. C.* 2. *De in integr. Restit.*

REGULA XI.

Privilegium, contrà quod sciens Judex judicat, tanquàm reprobatum habetur, fitque nullius vis, si irreformabile sit latum judicium.
C. 21. *De Sent. & Re Judic.*

REGULA XII.

Privilegium non derogat Conventioni, nisi de illâ mentionem faciat; idem de omnibus dicendum, quæ in facto consistunt.
C. 3. *De Decim.*

REGULA XIII.

Pendente circà Privilegium lite, Qui in illius est possessione, in eâ relinquendus est, usque ad Definitivam Sententiam.
C. 1. *Ut lite pend.*

REGULA XIV.

Privilegium post Præscriptionem incœptam obtentum, illam inutilem facit.
C. 19. *De Præscr.*

REGULÆ RATIO: Vel enim consummata est Præscriptio, quandò obtinetur Privilegium, & tunc ipsâ Privilegii impetratione Præscriptioni renunciatur; vel non est consummata, & tunc impetratione Privilegii interrumpitur Præscriptio.

TITULUS XI.

Quomodò Interpretanda Privilegia?

Ad dilucidam hujus Quæstionis solutionem, supponendum inter Privilegia, nonnulla esse, quæ Nemini præjudicant; quædam, quæ Concedenti tantùm sunt onerosa; alia, quæ aliis, quàm Concedenti nocent; alia denique, quibus restituitur Jus Commune per Derogationem Consuetudini huic Juri contrariæ.

REGULA I.

Privilegia Nemini nociva, vel soli Concedenti, sunt largissimè interpretanda.

Hinc, Beneficium Principis est largissimè interpretandum. *Cap.* 16. *De Verb. signif.* In Beneficiis plenissima est interpretatio facienda. *C.* 22. *De Privil.* Idem dicendum de Privilegio Jus Commune partim restituente. *C.* 18. *De Verb. signif.* Idem quoque de Privilegio Divino Cultui favente. *C.* 30. *De Privil.* Hinc de his Privilegiis intelligendum est, quidquid de favorabili Privilegiorum Interpretatione in Jure Canonico habetur: ideòque ad illa non extendendum, quod circà strictam Privilegiorum Interpretationem mox collecturi sumus.

REGULA II.

Privilegia Aliis, quàm Concedenti onerosa, strictè interpretanda sunt, atque, quoad fieri potest, restringenda; idem dicendum de Privilegiis utilitati publicæ contrariis.
C. 16. 17. 18. 19. *De Privil. C.* 41. *De Conc. Præb.*

Hinc Privilegia ad Jus Commune revocanda, sivè quod eodem recidit eo sunt interpretanda modo, quo à Jure Communi minùs recedant. *C.* 18. *De Censu. C.* 31. *De Privileg. C.* 6. *De Consuet. C.* 10. 19. *De Privil. Cap.* 30. *De Privil. Cap.* 17. *De Verborum signif. C.* 7. 8. *De Privil.*

Hinc Privilegia ista de Casu in Casum, de Personâ in Personam, de Loco in Locum, de Re in Rem non sunt extendenda. Hinc non censetur concessum, nisi quod in Privilegio exprimitur. Hinc Clausula, *Salvo aliorum jure*, censetur subintellecta, nisi aliàs fiat inutile Privilegium. Hinc Privilegia, quæ à servando Interdicto in parte eximunt, sunt restringenda, quantùm patitur Privilegiorum Textus.

REGULA III.

De sensu Privilegii ex illius tenore judicandum.
C. 9. *De Sepulturis* docet, quòd in quibusdam Privilegiis Clausula *salvo aliorum jure* apponi soleat. Prætereà in plerisque Privilegiis, quæ in Corpore Juris clauduntur, inserta est, undè inferre fas est, illam subintelligi, cùm non apponitur.

REGU-

REGULA IV.

Ecclesia non censetur Exempta ab Ordinarii Jurisdictione ex eo, quòd Ecclesiæ Romanæ Censum solvat; nisi in Instrumento Censûs illum in indicium libertatis perceptæ solvere dicatur. *C.* 10. *De Privil. in VI.* quæ Clausula denotat plenam Exemptionem, nisi subjungatur concessæ quoad unum alterumve libertati.

REGULA V.

Qui cum rebus suis sub Papæ Protectione suscipitur, non ideò Ordinarii sui Jurisdictioni subtrahitur.
C. 18. *De Privileg.*

REGULA VI.

Ubi majus concessum est, ibi minus concessum esse videtur, sivè, Quod in majori conceditur, licitum videtur in minori.
C. 27. *De Dec, C.* 13. *Qui Filii sint Legit.*

Restringenda Regula ad Casum, in quo plus continet quod est minus; nempè quandò agitur de rebus ejusdem ordinis & generis, nec aliundè justæ urgent rationes, quæ suadeant minus exceptum esse, quales extant, quandò Privilegium nimiùm nocivum fit, si minus majori jungatur.

Hinc in Privilegiorum Materia non valet ratiocinium à pari; imò nec à majori, nisi in Casu mox expresso. *C.* 9. *de Privil.*

REGULA VII.

Ab eo est facienda Privilegii interpretatio, à quo concessum est, idque tunc maximè, quandò timendum videtur, ne minùs, sanè intellectum ad abusum trahatur.
C. 12. *De Jud. C.* 23. *De Verb. Signif. C.* 24: *De Privil.*

Hinc Sedis Apostolicæ Privilegia ab illâ sunt interpretanda.

REGULA VIII.

Privilegia eo modo interpretanda sunt, quo valeant potiùs, quàm pereant.
C. 25. *De Verb. Signif. C.* 6. *De Fide Instr.*

Hinc, cùm Privilegium esse nequeat Confirmatorium & Donatorium circà eamdem rem, ita interpretandum, ut sit partim Donatorium, partim Confirmatorium. Hinc rejiciendæ interpretationes. *C.* 30. *De Privil.* quibus admissis, Privilegia nihil indulgent.

REGULA IX.

Privilegia interpretanda sunt secundùm Multitudinis sensum Regionumque eorum, quibus data sunt, Consuetudinem.
Cap. 3. *De Consang.*

Hinc aliàs si indulgeretur alicui Nationi. *Cap.* 3. *Cit.* ut in Sexto Gradu Consanguinei invicem conjungi possent, hæc Indulgentia intelligenda erat tantùm de iis, qui in Sexto utrobîque erant, non de iis, quorum alter in Sexto alter verò in Secundo, vel Tertio, quandò Consuetudo terræ erat, ut separarentur qui juxtà unam Lineam in Sexto erant, & juxtà aliam in Tertio.

REGULA X.

Non sunt ita interpretanda Privilegia, ut plus dispendii, quàm utilitatis afferant Privilegiatis.
C. 33. *De Privil. C.* 6. *De Elect. C.* 61. *De Regul. in VI.*

REGULÆ RATIO. Quæ in favorem alicujus introducta sunt, in ejusdem læsionem redundare non debent.
C. 25. *De Verb. Signif.*

REGULA XI.

Privilegium in quo quidpiam conceditur juxtà præteriti temporis morem, non conditionaliter, sed causaliter est intelligendum; id est non judicandum, illud, concedi si talis fuerit temporis præteriti mos, sed potiùs, quia talis est.

REGULA XII.

In Privilegiis verbum generale indefinitè prolatum ad futurum extenditur.
Cap. 22. *De Privil.*

REGULA XIII.

Quoties plura extant circà idem Privilegium Rescripta Priora, si obscura sint, per Posteriora sunt interpretanda.
C. 25. *De Verb. Signif.*

REGULA XIV.

Quandò ea, quæ in Privilegiis continentur, pendent ex Locorum Consuetudine, interpretanda sunt juxtà Locorum, in quibus degunt Privilegiati, Communem Usum.
C. 9. *De Sepult.*

REGULA XV.

Quandò Privilegium ad petitionem illius, qui accipit, conceditur, ex Forma petitionis, quæ in ipso declaratur, explicari potest, si obscurum sit.
C. 6. *De Fide Instrum.*

Cæteræ, quæ ad Privilegiorum interpretationem pertinent, Regulæ collectæ sunt in Titulo *De Formâ Privilegiorum* circà Locutiones, quibus Privilegia conspiciuntur.

TITULUS XII.

Quomodò servanda sint Privilegia?

REGULA I.

Circà Privilegiorum Observationem Quinque attendenda potissimùm sunt.

I. *Autoritas Concedentis. C.* 2. 5. CAUS. XXV. QUÆST. II.

Hinc Privilegia à Conciliis, quibus præfuit Spiritus Sanctus, quorumque Canones totius Mundi reverentiâ consecrati sunt, præ cæteris servanda sunt, nec in fraudem illorum ferendæ sunt Sententiæ. *C.* 26. *De Privilegiis.* Idem dicendum de iis, quæ Universalis Ecclesiæ consensu firmantur, nec non de illis quæ, Veneranda concessit, & probavit Antiquitas. Hinc Metropolitanorum Privilegia ob totidem causas illæsa manere debuissent, sed præcipuè Privilegium celebrandi Concilia, Majoraque suæ Provinciæ in illis judicandi, aliavè tractandi Negotia. Hinc Privilegiis Apostolicis deferri debet. *C.* 16. *De Privil.*

II. *Utilitas Rei Concessæ. Cap.* 2. *Cit. in fine,* ut in Correct. Rom. *C.* 9. *ibidem.*

Hinc servanda sunt Monachis Privilegia, quibus vel ab audiendâ in Parochiis suis Missâ, aliisque Officiis, vel à solvendis Temporalibus Juribus ab aliis, Parocho vel Episcopo debitis eximuntur; Prius siquidem Solitariæ Monachorum Vitæ favet, removens ab illis, quam fugiunt, Dissipationis, vel Divagationis materiam; Posterius, quam vovent, honorat paupertatem.

Hinc

Hinc etiam servandum est, concessum Clericis, ut & Monachis, Privilegium Canonis, quo conservatur Ministris Dei præcipuisque illius Servis debitus honos.

III. *Privilegiati merita. C. 2. De Privilegiis* EXTRAV. COMMUN. in quo CLEMENS V. declarat ob merita PHILIPPI PULCHRI, & Prædecessorum suorum, nec non & Francorum, se nolle Regi, vel Regno, vel Regnicolis præjudicari per EXTRAVAG. *Unam Sanctam. C. 1. Eod.* TIT. in quâ BONIFACIUS VIII. definit, omnes Reges in Temporalibus Romanæ Ecclesiæ subesse.

Hinc concessa Franciæ Regibus Privilegia, ne Censuris feriri queant; ne Interdicto subjici possit illorum Regnum; ut in Regionibus Bello quæsitis, sicut in Regno suo, ad Consistorialia Beneficia nominet; adeò servanda sunt, ut revocari nequeant, nec illis derogare fas sit. Cujus Ratio: hujusmodi Privilegia oneroso titulo acquisita sunt, nimirùm insignibus ergà Ecclesiam Romanam beneficiis: injustè ergo violarentur.

IV. *Gravia, quæ ex injustâ Privilegiorum violatione sequuntur incommoda.* (*C. 4. 7. 10.* CAUS. XXV. QUÆST. II.) quorum in Canone ista exprimuntur. *Prælatus, qui data à Prædecessoribus Privilegia non servat, Everſor est, non Constructor, exemplo suo Successores docet, ut quæ concessit, dissolvant, injuriam sibi ipsi facit, cui succesſit, inhonorans.*

V. *Privilegiorum Verba, tenor, & Concedentis intentio*; circà quæ docet Jus Canonicum, non esse à Verbis Privilegiorum recedendum, dùm clara sunt. *C. 8. 12. De Decim. C. 7. De Privileg.* nec à Concedentis intentione, quandò manifesta est; eoque Casu Privilegium integrè servandum.

Hinc, cùm per Labores Monachorum intelligatur tàm Cultura terrarum Novalium, quàm Antiquarum, non sunt cogendi, ut de antiquis Decimas solvant, si à Decimis laborum suorum sunt exempti. Hinc etiam cùm evidens sit illum, qui Decimas simpliciter concedit, dare velle quidquid nomine Decimæ intelligitur, nomineque isto intelligi tàm futuras, quàm præsentes, tàm Novales, quàm Antiquas Decimas, ab hujusmodi Privilegio, quo Decimæ sine restrictione dantur, non sunt excipiendæ Decimæ vel futuræ, vel novales; Exemplum prius habetur in *C. 12. De Decim.* posterius legitur in *C. 27. Eod.* TIT. Hinc Privilegiorum limites nec à Privilegiatis, nec ab aliis transgrediendi sunt. *C. 1. De Privil. in* VI. Hinc Inferior non tenetur obedire Superiori aliquid exigenti vel percipienti contrà tenorem sui Privilegii. *C. 5. De Excess. Prel.*

REGULA II.

Privilegia, quæ non sunt manifestè nulla, nullo modo sunt violanda, maximè si Ecclesiis, vel Episcopo, aut Monasteriis, concessa fuerint.

C. 2. 20. CAUS. XXV. QUÆST. II.

Hinc non licet Episcopo excommunicare Communicantes cum Religiosis, quibus indultum, ne ab ipso excommunicari queant; hoc enim modo indirectè violaret concessum his Religiosis Privilegium. *C. 26. De Privil.*

REGULA III.

Sicut Privilegiati non sunt frustrandi Privilegiorum suorum effectu, ita jure suo contenti, debent non impedire justitiam aliorum

C. 6. De Privil. in VI. *C. 10. De Privil.*

REGULA IV.

Qui Privilegii conditionem non implet, illius fructu gaudere non debet.

C. 12. De Cler. non Resid.

Hinc Canonici non gaudent Privilegio Clericorum non residentium Studiorum causâ, si alibi morentur, quàm in Locis, ubi sunt Studia Generalia. *ibidem.*

REGULA V.

Gratiæ, quæ si ad consequentiam traherentur, in fraudem Canonum justorum fieri possent, semel executioni mandari possunt, sed ne, in posterum fiant, impediendum.

C. 11. De Concess. Præb.

Hinc, cùm Privilegium, quo cuidam conceditur Potestas conferendi Beneficium primò vacaturum, si ad consequentiam traheretur, concedi posset in fraudem Canonis saluberrimi, quo Beneficia promitti prohibetur, antequàm vacent, servari semel potest, sed impediendum, ne hujusmodi Privilegia in posterum concedantur, *ibid.*

REGULA VI.

Si concessam sibi Indulgentiam non servat Privilegiatus, alii servare non tenentur.

C. 22. De Præb.

Hinc, si Capitulum, cui Papa concessit Privilegium de non excedendo certo numero Canonicorum, non servat, Papa illud servare non tenetur; Quod de hoc, post abrogata Mandata Apostolica, facto inutili Privilegio in exemplum adducitur, ad alia, quæ adhuc vigent vel vigere possunt, extendendum est.

TITULUS XIII.

Quibus modis amittatur Privilegium?

REGULA

Quibus modis acquiritur Privilegium, iisdem amittitur.

C. 1. De Reg. Juris. & C. 22. De Præbend.

Hinc amittitur Privilegium Canone, vel Rescripto, vel Consuetudine, vel Præscriptione sibi contrariis; Hinc etiamsi Præscriptione id fiat, & agatur de Privilegio, quo quis Exemptus Sedi Apostolicæ immediatè subjicitur, centenaria debet esse Præscriptio. *C. 4. De Confirm. utili vel &c.*

Sed præter istos sunt alii, nempè 1. *Renuntiatio*, tacita vel expressa; Tacita, quandò à Privilegiato fiunt actus contrarii Privilegio, vel patitur ab aliis fieri. Hinc Renuntiatio tacita semper reperitur in Præscriptione, cùm non acquiratur nisi alterutro modo. *C. 8. De Constitut.* Expressa, quandò Privilegiatus verbo vel scripto declarat, se Privilegio suo uti nolle. Qui modus tamen locum non habet in Privilegiis, quibus Membra gaudent propter honorem Corporis: his enim facta à Membris renuntiatio non valet. *C. 12. De Foro Compet. C. 36. de Sent. Excomm.*

2. *Abusus Privilegii*; qui enim eo abutitur, illud amittere meretur; idem dic de Usurpatione juris non concessi, quod de Privilegii abusu. *C. 7.* DIST. LXXIV. *C. 63.* CAUS. XI. QUÆST. III. *C. 11. 24. De Privilegiis.*

3. *Enormia Crimina* Clericum exuunt Privilegio Fori & Canonis, si in his deprehendatur. *C. 22.* CAUS. XXV. QUÆST. II. *C. 27. De Privileg. C. 23. 35. De Sentent. Excom. C. 16. De Vita & Honest.* Eadem quoque amittit, si ut Laïcus incedens in delictis deprehendatur.

4. *Derogatio*, quâ pars Privilegii, vel usus amittitur, quæque sit vel à Concedente, vel à Confirmante, vel à Possessore; ab Isto, si tale sit, cui renuntiare possit; ab Aliis, nisi titulo oneroso comparatum fuerit. *C. 8. De Rescript. in* VI. *C. 1. De Pactis in* VI. *C. 18. De Præscript.*

5. *Sententia Arbitri, vel aliûs Judicis.*

6. *Cessatione causæ.*

7. *Si maximè damnosum fiat.*

Notandum circà vias sivè modos, quibus dictum est, amitti Privilegia, unam & alteram tantùm esse, quâ non cesset ipso facto, nempè abusum, & cessationem causæ; sunt enim duntaxat motiva illa revocandi.

Singu-

Singulos hos Privilegiorum amittendi modos GLOSSA his Versibus comprehendit.

Indultum tollit Contemptus, Crimen, abusus,
Oppositum factum, damnum, tempus variatum.

Per *Contemptum* intelligit Renuntiationem tacitam vel expressam: Distinguit *Crimen ab abusu*: licèt abusus sit quandòque Crimen; & non immeritò, quia sunt Crimina, ut inferiùs in Quæstionibus dicetur, quibus ipso facto cessat Privilegium; abusus verò non privat ipso facto, sed meretur tantùm, ut quis eo privetur. Per *Oppositum factum* intelligi potest actus contrarius Privilegiati, quo etiam unico cessat Privilegium, quia continet renuntiationem tacitam; vel Actus contrarii illorum, quos Privilegium lædit, qui Actus plures esse debent, & durare per 40. annos pacificè, non conquerente Privilegiato, & sine interruptione. Propter *damnum* non perimitur ipso facto Privilegium, sed causa justa est illud revocandi. Idem dicendum de *tempore variato*, hic modus idem est ac cessatio causæ.

Iis modis, quibus amitti potest Privilegium, unum adhùc adjicere licet, nempè *ipsam jacturam Instrumenti Privilegium continentis*, si ipsa jactura probari nequeat, nec Testibus Deponentibus se legisse ea, quæ continebat, nec scriptis Instrumentis de illo mentionem facientibus, & de iis, quæ concedebat.

TITULUS XIV.

De Privilegiorum Innovatione.

REGULA I.

Non alii in Jure Canonico exprimuntur Casus, in quibus innovandum sit Privilegium, quàm isti.

1. Si deperdatur, & per Testes probetur deperditio, atque etiam per eosdem testimonium de illius tenore feratur.

2. Quandò justus est timendi locus, ne pereat Privilegium, *C. 4. de Confirm. utili*, ut, cùm nimiâ vetustate jam quasi consumptum est, vel cùm scriptum est, vel insculptum in materiâ, quæ facilè consumitur, qualis vetus papyrus, quale etiam lignum commune, vel cùm mittendum est ad Judicem per vias discrimine plenas, quo casu Judex Commissariis aliquibus injungere debet, ut illud diligenter inspiciant, & illius tenorem fideliter transcribentes sub sigillis suis transmittant.

REGULA II.

Privilegii Innovatio nec addit novum jus, nec confirmat vetus, sed tantùm conservat.

Cap. 13. de Privil. C. 4. de Confirm. utili.

Nota obiter, duplicem distinguendam Innovationem; aliam, quæ fit, quandò Privilegium transcribitur, aliam, quæ fit, quandò concessum jam Privilegium de novo datur; de Priori loqui *C. 12. de Privil. & C. 4. de Confirmatione*; de Posteriori. *C. 13. de Privilegiis.* Regulam primam Priori tantum convenire; secundam verò, utrique.

REGULA III.

Privilegii Innovationem petere possunt hi, quorum interest, eamque à Concedente.

C. 13. De Privilegiis.

Hinc, si pendente lite, alterius Partis interfit, ut Privilegium innovetur, innovationem petere potest. *Ibidem.*

TITULUS XV.

De Usurpatoribus Privilegiorum ac de eorum Contemptoribus.

REGULA I.

Privilegiorum Usurpatores coërcendi sunt, ne ad talem usurpationem aliis via aperiatur.

C. 21. Dist. XCIII.

REGULA II.

Coërcendi sunt ab Ordinario Exempti, qui Immunitates non concessas, tanquàm concessas, temerè sibi vindicant.

C. 11. de Privileg. in integra.

REGULA III.

Ecclesiastica Privilegia Calcantes, Sacrâ Corporis Christi Communione privandi sunt.

C. 24. Caus. XII. Quæst. II.

REGULA IV.

Privilegiis propriis privandus est, qui aliena contemnit.

C. 4. de Privil.

TITULUS XVI.

De Privilegiis clausis in Corpore Juris.

REGULA.

Non alia sunt in Corpore Juris clausa Privilegia, quàm ista.

I. Monachi à Lege Diœcesanâ, sivè à Juribus Temporalibus Episcopo solvendis eximuntur. *C. 34. Caus. XVI. Quæst. I. C. 18. de Offic. Ord.*

II. Prædecessores *Hadriani* omnibus ferè Religiosis concesserant, *Cap. 10. 34. De Decimis*, Decimas Laborum suorum; *Hadrianus* hoc Privilegium restrinxit ad Cistercienses, Templarios, Hospitalarios; Cæteris verò indulsit tantùm Decimas Novalium, quæ propriis manibus excolunt; hanc restrictionem ab *Hadriano* factam confirmavit *Honorius* III. verùm *Innocentius* III. in CONCILIO GENERALI Privilegium Cistercienſium, aliorumque Regularium, qui similibus gaudebant Privilegiis, eo modo moderatus est, ut quoad terras jam possessas restaret incolume, sed ad acquirendas non extenderetur.

III Plerisque Privilegiatis circà Decimarum perceptionem, *C. 2. de Decim in* VI. indultum erat, ut proportione, quâ Veteres recipiebant, Novales perciperent, nisi Veteres totaliter percepissent, quo casu medietas Novalium sibi tantùm debebatur: ab hâc restrictione Cistercienses & Carthusiani excipiebantur.

IV. Speciali Privilegio concessum est Hospitalariis, *Cap. 10. de Sepult.* ut in Ecclesiis suis sepeliant, qui in illis sepeliri volent. Idem Privilegium concedit *Clemens V.* in CONCILIO VIENNENSI *Clem. 2. de Sepultur.* Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, salvo jure Parochorum.

V. Iisdem idem Papa concedit *ibidem*, ut invitis Episcopis possint Confessiones audire, si ex Religiosis à Prælatis Regularibus sibi præsentatis nullum velint ad audiendas Confessiones approbare. *C. 15. Sess. XXIII.* derogat huic Privilegio CONCILIUM TRIDENTINUM.

VI. Hospitalariis concessum est, *Cap. 8. de Privil. in 1. Collect.* ut in eorum adventu semel in anno Divina Officia celebrentur in Ecclesiâ interdictâ.

VII. Canonici Capellæ Ducis Burgundiæ à nullo Episcopo nec Archiepiscopo Censuris ligari possunt, *Cap. 16. de Privileg.* Idem Privilegium quàmpluribus Religiosis concessum erat, imò & multis aliis, quoad quos restrictum ita est, ut Ordinariorum Censuris per Sententiam latis subjiciantur. *C. 5. De Privileg.* in VI.

VIII. Fratribus Prædicatoribus & Fratribus Minoribus concessum est, *C. 30. De Privileg.* ut cum Altari viatico, ubicùnque velint, celebrare possint. *C. 12. De Privileg. in* VI. Idem dic de Episcopis, in quorum honorem additur, quòd possint per alios coràm se sibi facere celebrari.

Notandum, quòd *citato Cap. 30. De Privileg.* prout est *in 5. Collect.* Minorum tantùm meminit, quòdque à GREGORIO IX. ad Prædicatores extensum est.

IX. Qui ſtudent Romæ Juri Canonico vel Civili, iiſdem Privilegiis, quibus Studentes in Studiis Generalibus, potiuntur. *C.* 2. *De Privileg. in* VI.

X. Canonici à Capitulis miſſi ad vacandum Theologiæ in Studiis Generalibus, per Quinquennium Beneficiorum ſuorum reditibus gaudent. *C.* 5. *De Magiſtr.*

XI. Parochi eodem Privilegio gaudent per Septennium, ſi permittente Epiſcopo, illud tempus in Studiis Generalibus tranſigant, *C.* 34. *De Elect. in* VI.

XII. Patriarchæ *C.* 23. *De Privileg.* Cæteris Epiſcopis præeminent; Conſtantinopolitanus Primum poſt Papam occupat locum; Alexandrinus Secundum; Antiochenus Tertium; Hieroſolymitanus Quartum; poſt acceptum à Papâ Pallium ſuis Suffraganeis largiuntur, Crucem antè ſe deferri faciunt, ubique, exceptis Locis, in quibus adeſt Papa, vel illius Legatus Apoſtolicæ Legationis utens Inſigniis.

XIII. Anglis conceſſum dicitur, *C.* 17. *De Foro Compet.* Privilegium, quo citrà Mare pro Cauſis Pecuniariis conveniri non poſſint; idque à Sede Apoſtolicâ *Cap.* 17. *De Foro Competenti.* De hoc Privilegio tanquam de re certâ non loquimur, quia GREGORIUS IX. è quo *C. cit.* ſumitur, de illo dubitare videtur.

XIV. *C.* 1. *Ut Lite pendente.* Eboracenſi Archiepiſcopo conceſſum erat ab HONORIO II. ut per totam Angliam Crucem deferre poſſet, quod ab ALEXANDRO III. confirmatum fuerat.

XV. *Clem.* 2. *De Privileg.* permittitur Archiepiſcopo, ut per quævis Loca exempta Provinciæ ſuæ, Crucem deferre faciat, Populo benedicat, Divina privatim & publicè audiat, eademque celebrare in Pontificalibus poſſit, vel coràm ſe celebrari faciat ſine Pontificalibus; eadem permittuntur Epiſcopo præter primum, quod ſibi non convenit.

XVI. Sunt Abbates, quibus indultum eſt, *Cap.* 3. *De Privil. in* VI. ut, dùm Officia Divina celebrant in Eccleſiis ſibi pleno jure Subjectis, poſt Miſſarum Solemnia & Veſpertinas ac Matutinas Laudes Populum ſolemniter benedicere poſſint, utque Converſis Monaſteriorum ſuorum, ſuper quos Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercent, Tonſuram conferre valeant Clericalem.

XVII. *C.* 6. *De Privil. in* VI. Abbatibus, tàm non Exemptis, quàm Exemptis, conceſſus eſt uſus Mitræ, modò in Conciliis Provincialibus, quibus intereſſe debent, non Exempti utantur tantùm Mitris ſimplicibus albis ac planis; Exempti verò aurifriziatis, ſine Laminis aureis, vel argenteis, & ſine gemmis.

XVIII. Epiſcopis, *Cap.* 4. *De Sent. Excomm. in* VI. illorumque Superioribus indultum eſt, ne Cenſuris ipſo facto incurrendis ſubjiciantur, niſi in Canonibus, quibus feruntur, exprimantur.

XIX. *C.* 1. CAUS. XVI. QUÆST II. omnibus Monachis datur licentia, ut Eccleſiarum ſuarum Presbyteros inveſtiant, id eſt inſtituant: idque, ne inter Monachos & Clericos ab alio, quàm à Monachis inſtitutos, inſtigante Diabolo, diſcordiæ, diſſenſiones, & ſciſſuræ fiant.

Verùm Privilegium iſtud revocatum vel potiùs temperatum videtur, *C.* 6. *ibidem*, adeò, ut qui in Eccleſiis Monachorum inſtituendi ſunt Presbyteri, à Monachis eligantur, ab Epiſcopis verò probentur & inſtituantur, eoque temperamento, Monachis & Epiſcopo obnoxii facti Sacerdotes inſtituti, avocantur, ne hos vel iſtum lædant.

Ut utrumque locum conciliet GRATIANUS, Priorem de Eccleſiis pleno jure conceſſis interpretatur, Poſteriorem de aliis; ſed in neutro hujus diſtinctionis fundamentum apparet.

A verò forſan non aberraret, qui Caput illud de Eccleſiis, in quibus à Monachis & pro Monachis Officia Divina celebrantur, iſtud verò de Eccleſiis, in quibus pro Populo Divina fiunt, intelligeret; Quæſtio ſiquidem in illo propoſita, circà Eccleſias pro quiete Monachorum à Conciliis conceſſas, verſatur; in iſto verò de ſolis Eccleſiis Parochialibus ſermo fit; ſed cùm Prior ſuppoſititius ſit, non multùm curandum de illius cum Poſteriori conciliatione.

XX. Extant Religioſi, quibus ab Apoſtolicâ Sede conceſſum eſt. *Clem.* 1. *De Privil.* §. 2. ut Familiaribus ſuis, Domeſticis, aut Pauperibus in Hoſpitalibus ſuis degentibus, Sacramenta poſſint Eccleſiaſtica miniſtrare, ipſiſque Privilegium à CONCILIO VIENNENSI conſervatur, *ibid.* & à CONC. TRID. *C.* 11. SESS. XXV. *De Regularib.*

XXI. Hoſpitalariis, Templariis, & Quibuſdam aliis, tùm Monachis, tùm Canonicis, à Sede Apoſtolicâ indultum erat, ne quis, poſtquàm profeſſus erat, apud eos, ad alium Locum poſſet invitis iis, arctioris etiam vitæ obtentu, tranſire *C.* 18. *De Regular.* Privilegium iſtud ita interpretatur INNOCENTIUS III. ut illud deſtruere videatur, cùm ad Jus Commune reſtringat, ait enim intelligendum eſſe de Caſibus, in quibus ex levitate, vel ex temeritate in ſtrictiorem tranſire quis vellet; hoc autem ſic intellecto nihil conceditur Hoſpitalariis, quod Jure Communi ſibi aliiſque non concedatur.

Nihilominùs inutile non erat Privilegium, hoc enim operabatur, ut duplici vinculo impedirentur Hoſpitalarii, aliique memorati, ne ſine juſtâ cauſâ & ſine maturâ deliberatione in arctiorem Religionem tranſirent; nempè vinculo Privilegii, & vinculo Juris Communis: Duplici exemplo id confirmari poſſet; Clauſula, *appellatione remotâ*, etſi excludat appellationem frivolam, quæ Jure Communi excluditur, inutilis non judicatur. Votum quoque rei præceptæ, quamvis ad nihil novi obliget, inutile non cenſetur. *C.* 7. *De Regul.* docet Ciſtercienſes fuiſſe ex illis Monachis, quibus id genus Privilegii conceſſum erat.

TITULUS XVII.

De Conſervatoribus Privilegiorum.

REGULA I.

In toto Juris Canonici Corpore, prout etiam Concilium Tridentinum comprehendit tanquàm præcipuam Septimi Decretalium Partem, non extant niſi Capita tria, quæ de Conſervatoribus loquantur, nempè.

C. 1. & 15. *De Off. Jud. Deleg. in* VI. & *C.* 5. SESS. XIV. CONC. TRIDENT. *de Ref.*

REGULA II.

Non ab alio dabantur, in Jure, quàm à Sede Apoſtolica.

REGULA III.

Conſervatores dicuntur, qui ad Privilegia aliquorum conſervanda dantur.

REGULA IV.

Quæ circà Conſervatorum Juriſdictionem docet Jus Canonicum, non ſunt in uſu, ſed ipſis ſola remanet Protectionis cura.

REGULA V.

Antè Conſtitutionem INNOCENTII IV. relatam, circà Conſervatores habetur nihil in Corpore Juris Canonici: attamen de Conſervatorum Commiſſione INNOCENTIUS IV. loquitur, ut de re uſitatâ, undè illam introduxiſſe non videtur.

C. 1. *De Off. Deleg. in* VI.

REGULA VI.

Ob id ſolum dantur, ut à manifeſtis Injuriis & Violentiis Privilegiatos tueantur; in eo ſolo Munus & eorum Juriſdictio conſiſtunt.

C. 1. 15. *De Off. Deleg. in* VI.

Hinc conjicere licet, quòd Privilegiati vexati à Judicibus Ordinariis, circà Privilegia ſua, ad Summos recur-

recurrerint Pontifices, & Extraordinarios obtinuerint, qui ab hujusmodi vexationibus eos defenderent, ac promptissimè liberarent.

REGULA VII.

Quæ Judicialem exigunt Indaginem Conservatoribus expresè prohibentur; Interdicitur quoque illis, ne extrà Civitates vel Diœceses, in quibus deputati sunt, procedant, nevè Quemquam à fine Diœcesis ipsius ultrà unam diætam trahant, nevè etiam vices suas cuiquam committant, exceptis Citationibus & Sententiarum Denuntiationibus, si primum ex his vetitis violetur, Conservator fit per annum ab Officio suspensus; Pars, quæ id procurat, Excommunicationem incurrit, à quâ absolvi nequit, nisi post integram expensarum solutionem, præterea, quod fit, irritum est, sicut & cætera prohibita, si violentur.

REGULA VIII.

Quibusvis Fidelibus hujusmodi Conservatores dantur, iis etiam, qui hocce præsidio non indigere videntur, quales Principes Supremi, sed præcipuè Personis Ecclesiasticis tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, nec non & Universitatibus & Hospitalibus.

C. 15. *De Off. Deleg. in* VI.

REGULA IX.

Quoad durationem, & nonnulla alia, Officium Conservatoris cum Delegati Officio convenit.

C. 15. *De Off. Deleg. in* VI. §. *Officium.*

REGULA X.

Conservator Conservatoris sui nullus esse potest: nec etiam cujusvis sui Superioris, nisi de Rege Superiore agatur. Excluditur ab hac Commissione, Quicumque non est in Personatu vel suprà constitutus.

C. 15. *De Off. Deleg. in* VI. §. *Nullus.*

REGULA XI.

Litteræ Conservatoriæ, quibus permittitur tàm Actori, quàm Reo, ut eligat Conservatorem, sivè in Criminalibus, sivè in Civilibus, sivè pro Causis Familiarium suorum, sivè pro suis, à CONCILIO TRIDENTINO abolentur; respectu utriusque, quoad Criminalia; respectu Actoris tantùm, quoad Civilia; respectu verò Rei ita restringuntur, quòd iis uti non valeat, nisi pro se, & duobus suis Familiaribus, quos propriis sumptibus sustentat, quòdque si à Reo electus Conservator Actori suspectus sit, vel inter Istum & Ordinarium de Competentiâ lis sit, non procedatur, antequàm per Juris arbitros super Suspicione vel Competentia fuerit judicatum.

C. 5. SESS. XIV.

REGULA XII.

Excipit à Decreto suo CONCILIUM TRIDENTINUM Universitates Doctorum, vel Scholarium Collegia, Regularia Loca, Hospitalia hospitalitatem actu exercentia, nec non istorum omnium Locorum Personas, id est Rectores. *ibidem*

TITULUS XVIII.

De exhibendis Privilegiis.

Circà Privilegiorum exhibitionem, Duo quæri possunt; 1. An qui voluerit uti Privilegio, illud exhibere teneatur? 2. An eo casu, quo exhibendum est, Originale exhibendum sit?

REGULA I.

Quicunque Privilegium allegat in Corpore Juris non clausum, illud exhibere tenetur.

Colligitur 1. ex *C.* 1. *De Elect.* EXTRAVAG. COMM. Docet, non credendum Asserenti se in Officio, vel Gradu, vel Dignitate constitutum, nisi, quod asserit, legitimis ostenderit documentis; undè sequitur nec credendum Alleganti Privilegium, nisi illud exhibuerit.

2. Ex *Can.* 8. DIST. C. In eo S. GREGORIUS scribens *Joanni Episcopo Ravennæ*, asserenti à Prædecessoribus Papis singularia Privilegia circà Pallium accepisse, ait, oportere, ut illa ostendat, sibi concessa esse.

3. Ex *Cap.* 7. & 8. *De Privileg.* In iis enim præcipitur, ut ex tenore Privilegiorum, quæ emergunt, circà illa, dubitationes solvantur; undè consequens est, exhibenda esse ipsa Privilegia, si de illorum existentiâ dubitetur; cùm sicuti tenor Privilegiorum probat, quid contineant, ita ipsa Privilegii Communicatio probat, illud esse concessum.

REGULA II.

Ipsum Privilegii Originale exhibendum est, nisi justâ de causâ, autoritate Judicis, illud descriptum, post accuratum illius examen, pateat.

Regula infertur ex *C.* 5. *De Crim. falsi.* Enumerat fraudes, quibus fálsa Instrumenta cuduntur, hinc consequitur, ipsa Instrumenta, prout primùm facta sunt, inspicienda esse, ut facilè dignosci possit, an sint legitima an supposititia. Idem insinuant *C.* 7. & 8. *De Privileg.* cùm ad ipsum tenorem Privilegiorum remittant, ipse autem tenor certò sciri nequeat, non inspecto Originali.

Exceptio colligitur ex *C.* 16. *De fide Instrument.* Tradit, Transumpta, autoritate Judicis facta, post diligentem ipsorum Instrumentorum inspectionem, propter vetustatem aliamvè justam causam, eamdem autoritatem habere, ac Originalia.

Utraque Regula cum ipsâ etiam exceptione, aliisque pluribus notatu dignis, legitur etiam in *C.* 7. *De Privileg. in* VI. Hæc enim habet. *Statuimus, ut ii, qui se asserunt per Privilegia seù Indulgentias Apostolicæ Sedis Exemptos, à Locorum Ordinariis requisiti, hujusmodi Privilegia vel Indulgentias, quibus se dicunt fortè munitos, ipsis Ordinariis, in Loco congruo & securo, aut aliquibus Prudentibus Viris omni suspicione carentibus, ad hoc per dictos Ordinarios Deputatis, intrà terminum competentem pro Facti qualitate, ipsorum Ordinariorum aut Delegatorum suorum arbitrio, moderandum, justo impedimento cessante ostendere, ac ad legendum integraliter exhibere, nec non de articulis, de quibus Controversia fuerit, transcriptum tradere teneantur.* Integrum locum referimus, quia ad rem maximè accommodatus videtur, cùm doceat 1. exhibendum Privilegium, si ab eo, cujus interest, exhibitio requiratur, 2. exhibendum ipsum Originale; id enim denotant hæc verba, *hujusmodi Privilegia.... quibus se dicunt munitos*, & circumstantiæ inferiùs notandæ. 3. ipsi Transcripto fidem adhibendam, ubi de ipso Privilegio constat. 4. ut sine timore Originale exhiberi possit, cavendum de ipsius securitate. 5. exhibitionem faciendam non solùm Ordinariis, sed etiam Deputandis ab Ordinariis. 6. præfigendum tempus ab Ordinario ut & à Delegato, intrà quod Privilegia exhibeantur. 7. exhibendum totum, etsi de speciali articulo agatur, ut patet ex verbo *integraliter*, idque duplici ratione. 1. quia Præcedentia & Subsequentia possent articulum illum restringere. 2. quia ex ipsâ Privilegii Formâ, aliisque circumstantiis suprà notatis, deprehendi posset, ipsum esse falsum. GLOSSA in verbo *integraliter.*

PARS III.

Continens prætermissa in duabus præcedentibus, nempè Quæstiones varias circà Privilegia, necnon & Regulas circà Exemptiones Regularium tàm in Spiritualibus, quàm in Temporalibus.

EXtant non pauca in Tractatu de Privilegiis, quæ vel obiter dicta, vel primis labris vix delibata, vel non discussa, ut par est, fusiùs nunc explicanda accuratiùsque tractanda sunt.

Extant quoque alia, quæ omninò prætermissa sunt: Ne manco idcircò remanente Tractatu, totus, qui ex illo expectandus est, non capiatur fructus; Quæ desunt supplere non piget, idque tùm Quæstionibus, tùm Regulis, tùm Observationibus, prout rerum addendarum natura postulabit.

Per Quæstiones tractabuntur quæ Dubia occurrent, adductâ statim dubitandi causâ, quam decidendi Rationes subsequentur, cum Objectionum solutionibus; Regulæ continebunt, quæ certa videntur: in illis texetur Historia Exemptionum, quoad Textus Juris subministrare poterunt, ideòque in illis ordo Temporis exactè servabitur.

Prima omnium hoc modo discussarum erit Exemptio à Visitatione, circà quam quidquid de illâ habetur in *Corpore Juris* & in *Concilio Tridentino* elucidabitur: hinc ad Exemptionem circà Temporalia transitus fiet, eaque sigillatim & generatim explicabitur; eodem planè modo agetur de Exemptione in Spiritualibus: in utrâque præcipua cura erit de iis, quæ Regulares spectant.

Observationes adhibebuntur tàm in Quæstionibus, quàm in Regulis; perpaucæ erunt eaque duntaxat hoc modo exponentur, quæ nec Quæstionibus, nec Regulis explicari poterunt, illis exceptis, quæ ad intelligentiam Quæstionum, illarumque Decisionum, vel Objectorum solutionem, vel Regularum expositionem necessariæ sunt, nec non Præparatoriis ad Distributionem vel Dispositionem rerum tractandarum, seù illarum Divisionem. In Quæstionibus ordo rerum, ut plurimùm, servabitur, ut invicem sese dilucident; Aliæ sunt principales, Aliæ ac essoriæ vel incidentes: Istæ in Quæstiunculas simili ordine digerendas subdividentur: In utraque Quæstionum, quæ apud Gallos peculiaria sunt, examinabuntur.

SECTIO I.

Continens Quæstiones XXII. fusè tractatas, debitoque ordine dispositas.

QUÆSTIO I.

An de Privilegiis sanè dici queat, illa ad Jus Commune pertinere?

Quærendi causa: Infinita propemodùm vigent Privilegia, quæ Juri Communi contraria sunt: inter alia, talia sunt ferè omnia, quæ ex Corpore Juris collecta sunt: talia etiam sunt quæcunque ab Ordinariâ Jurisdictione Clericorum, tàm Regularium, quàm Sæcularium Exemptiones, sivè seorsim, sivè conjunctim sumantur; talia quoque Episcoporum sunt vel Archiepiscoporum, qui Jurisdictioni proximi Superioris subtracti; talia sunt præterea, quibus Laici Clericalium Jurium sivè Muniorum participes fiunt, quorumque præcipua quibus Laicis præsentandi ad Beneficia, vel illa conferendi, vel Decimas percipiendi facultas conceditur.

Propositæ Quæstioni *Respondetur*, ex æquivocatione totam pendere, quâ sublatâ, cessat Quærendi causa.

Jus Commune duobus modis sumitur.

1. Pro Lege, quæ majori saltem Reipublicæ Parti communis est; 2. Pro Legum omnium Generalium ad Rempublicam regendam requisitarum Collectione. Si priori sensu sumatur Jus Commune, non sanè dicitur Privilegium ad Jus Commune pertinere. Si verò altero sensu accipiatur, id rectissimè dicitur; Privilegia enim sunt Gratiæ, Indulgentiæ, Remunerationes, sine quibus non benè administratur Respublica, ideòque ut ab Bonum Commune, ita ad Jus Commune pertinent: verùm ad vitandam æquivocationem à prædictâ locutione similibusque abstinendum est.

Nec *Obstat*, quòd Jus Commune sit velut Regula, Privilegium verò quasi hujus Regulæ Exceptio, Exceptio autem Regulæ contraria non sit. Nam quandò dicitur, Exceptionem non adversari Regulæ, sensus est, quòd illàm non destruat: sed non negatur rem, quæ in Exceptione constituitur, rei constitutæ in Regulâ oppositam esse: vel dici potest, Exceptionem non esse Regulæ contrariam, quoad finem, cùm utriusque finis sit Communis Utilitas, sed quoad effectum adversari, in eo, quòd Exceptio permittit vel prohibet, quod Regula vetat vel permittit.

QUÆSTIO II.

Nùm Privilegia, prout ab bonum Reipublicæ Regimen necessaria, favorabilia sint? Si verò favorabilia, undè fit, ut strictè sint interpretanda?

Respondetur, extrà dubium esse, Privilegia eo modo considerata valdè favorabilia esse, cùm evidens sit, eodem quo publicum bonum favore, ideòque maximo, prosequenda esse; id tamen nullatenùs impedire, quin Privilegia strictè interpretanda sint, quamvis Favores conveniat ampliari. Cujus rei duplex est causa; *Prior*; Plurima sunt Privilegia, quæ quantùm prosunt, quibus conceduntur, tantùm aliis nocent; qualia sunt, quibus cuidam Hominum generi dantur, quæ alii Jure Communi debentur, ut Decimæ Parochis debitæ, & Monachis concessæ. *Posterior*; Præsumendum Privilegii Autorem, alios, quàm quos expressit in illo comprehensos noluisse, cùm verò similimum, sit quòd alios expressisset, si ad alios trahi voluisset; quid enim sunt Privilegia nisi permansuræ Legis Derogationes ab illius Conditore, justoque Boni Publici Judice ac Vindice? Credendum ergò integram servare voluisse Legem, quoad ea, in quibus Privilegia illi expresè non derogant, atque ad id ex eo motum esse, quòd extrà Casus expressos, contrariam Publicæ Utilitati existimavit derogationem.

QUÆSTIO III.

Nùm propter privatam alicujus utilitatem concedi possit Privilegium?

Quærendi causa: Privata Lex dicitur Privilegium; undè sicut Lex Publica, Utilitati Publicæ consulere debet, ita & Lex Privata, Privatæ Utilitati.

Respondetur, quòd quotiès Privata Utilitas cum Publicâ concurrit, propter privatam utilitatem concedi potest Privilegium, sed in illo concedendo Publica Utilitas præcipuè inspicienda est; Quibus fulcitur hæc Responsio, Canones accuratè collectos habes in *Tractatu de Vicario Generali, Titulo de Dispensatione*. Præterea S. LEO insinuat, propter communem utilitatem, Privilegia concedi, dùm afferens causam, propter quam Ecclesiarum Privilegiis non vult derogare, ait, quòd ad *suum tenderet reatum, si foret major apud se Fratris unius voluntas, quàm Universæ Domûs Domini Communis Utilitas. C.* 2. CAUS. XXV. QUÆST. II. *junctâ Correctione Romanâ.* Idem insinuat GREGORIUS. *C.* 9. CAUS. XXV. QUÆST. III.

QUÆSTIO IV.

An in Corpore Juris Privilegiorum causæ aliquæ speciatim exprimantur? & Quæ sint?

Respondetur, causas hujusmodi in Jure plures exprimi, sed non alias legi, quàm istas.

Primò.

Primò. Ut Monachorum quieti prospiceretur, atque ut in Monasteriis Conversantes, in Dei Servitio liberâ mente perseverarent, in nonnullis articulis ab Episcoporum autoritate exempti sunt. *C.* 5. 6. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Eodem ferè recidit quæ habetur. *C.* 9. CAUS. XXV. QUÆST. II. nempè ut piæ desiderium voluntatis, laudandæque devotionis intentio adjuventur.

Hinc prohibitum, ne publicæ ab Episcopis Missæ cantentur in Monasteriis; ne in illis Cathedram collocent ad prædicandum; ne aliquam imperandi autoritatem in illis exerceant, nempè ut Judices, sedentesque ibidem pro Tribunali; ne Ordinationem ullam, vel leviſſimam, in illis, nisi ab Abbate rogati faciant, quâ voce vel Constitutionem vel Ceremoniam Sacram, quâ Sacri Ordines conferuntur, intelligè; ne sine Prælatorum consensu, Monachum ad alia Monasteria transferant, vel ad Ordines promoveant.

Prohibitum quoque, ne de Monasteriorum rebus quidquam quocunque modo sibi vindicent Episcopi, ne conditionibus Ecclesiasticis, sivè Angariis, vel quibuslibet obsequiis sæcularibus subjaceant Monasteria.

Quæ de Missis publicis aliisque similibus dicta sunt, ad cætera, quæ, ut illæ, Popularis Conventûs occasio sunt, extendenda sunt.

Nec obstant *Can.* 13. CAUS. XVI. QUÆST. I. *Can.* 30. CAUS. XVIII. QUÆST. II. in quibus damnantur qui in Monasteriis Missas celebrari impediunt, de Missis enim privatis, sivè à quibus Popularis Turba excluditur, intelligendi sunt.

Secundò & *Tertio.* Ex quibusdam Juris Textibus colligitur à solutione Jurium Temporalium Monachos, Clericosque communem vitam agentes, immunes factos esse, tùm quia pauperes erant, tùm quia superflua pauperibus erogare solebant, aut tenebantur.

Priorem causam afferre videtur de concessâ Monachis Exemptione PASCHASIUS II. *C.* 47. CAUS. XVI. QUÆST. I. In eo enim post probatam à Decimis libertatem Monachis Clericisque communiter viventibus factam, addit, *undè* B. GREGORIUS *sic ait*: *communi vita Viventibus jam de faciendis portionibus, vel exhibendâ hospitalitate, & adimplendâ misericordiâ vobis quid erit loquendum? Cùm omne, quod supereſt, in Cauſis Piis & Religioſis erogandum ſit, dicente Domino, Quod supereſt date &c.*

Priorem de eâdem Exemptione causam insinuat ALEXANDER III. *C.* 9. *de Decim.* dùm docet, revocandam à Decimis immunitatem Abbatiis concessam, quandò possessionibus ditatæ sunt.

Quartò. Propter inobedientiam rebellionemque alicujus Ecclesiæ. *Cap.* 8. *de Major & Obed.* illius Subditi ab ejus Jurisdictione eximuntur. Hinc, dùm Ecclesia Constantinopolitana inobediens & rebellis erat, Ecclesiæ Cypri sibi subditæ ab ejus Ecclesiæ Jurisdictione liberæ factæ sunt.

Quintò. In Avaritiæ, Hæresis, Schismatisque pœnam, ab alterius Jurisdictione Immunitas conceditur. *Cap.* 19. *de Præscript.*

Hinc Monachis *S. Martini de Pannoniâ* concessum, ut Spiritualia, quæ ab Episcopo Veprimensi postulare tenebantur, ab alio reciperent, si ille vel gratis dare nollet, vel Catholicus non esset, vel Gratiam Sedis Apostolicæ non haberet.

Sextò. Propter Personarum ergà Ecclesiam, Benèmerita, Privilegium tribuitur. EXTRAVAG. II. *De Privileg.*

Hinc *Clemens V.* existimans EXTRAVAG. *Unam Sanctam de Maj. & Obed.* quâ omnia Fidelium Regna in Temporalibus Papæ subjiciuntur vel subjecta declarantur, Franciæ aliquod præjudicium generare posse, propter Regum Subditorumque illius Regni merita, declarat se nolle, ut illa *Extravag.* Franciæ ullo modo noceat, atque propter illam Papæ ampliùs, quàm anteà, subjiciatur Francorum Regnum; quæ Declaratio ut CLEMENTIS ergà Francos benevolentiæ testimonium habenda est, non autem ut res necessaria, ne *Extravag.* prædicta noceret; cùm BONIFACIUS VIII. illius Autor novum in eâ Jus non statuat, sed declaret tantùm definiatque, Jure Divino Potestatem Terrenam Supremæ Potestati Spirituali subesse, ita ut, si illa deviet, ab istâ judicanda sit; undè CLEMENS V. ab illâ Constitutione Francos eximere non debuerat, sed vel integram ergà illos relinquere, vel falsam omninò illius Doctrinam, qualis est, declarare.

Duo hìc mirari subit, alterum, Constitutionem *Unam Sanctam* in suâ collectione BONIFACIUM VIII. non inseruisse: cùm juxtà *Pithœum* condita fuerit circà annum 1302. & in eâdem plures habeantur, quæ juxtà eandem Chronologiam sunt ejusdem anni 1302. ut videre est in TIT. *de Rescript.*

Sed ad illud dicendum, *Albertum de Rosato* scripsisse (referente *Pithœo* in *Synopsi Historicâ circà Canonum Collectiones*) Collectionem Sexti Decretalium factam esse circà annum 1299. undè, vel citatæ de Rescriptis Constitutiones additæ sunt, vel apposita Chronologica Nota, erronea est, aut mendosa. Idemque censendum de Constitutionibus, quæ circà an. 1300. conditæ notantur. Sed si Primum, totus ferè Titulus de Rescriptis additus erit: si Posterius, non sibi constabit *Pithœus*, cùm in *cit. Synopsi* circà annum 1299. conditum Sextum dicat, & in fine hujusce Collectionis à BONIFACIO conditæ, in verbo, *Anno Quarto*, hanc apponat notam 1298. & memoratas Constitutiones factas notet, vel circà annum 1300. vel circà annum 1302. Hæc omnia conciliandi cura remittenda est ad futuram Editionem Corporis Juris.

Alterum, CLEMENTINAM *De Privilegiis*, de quâ mox dictum, omissam esse à CLEMENTE V. & à JOANNE XXII. etsi condita dicatur circà annum 1306. & *Collectio Clementinarum* publicata non fuerit nisi an. 1313.

Ad id dicendum, inter easdem *Extravag.* alias duas *Clementinas* ejusdem anni 1306. nempè Secundam & Tertiam. *De vita & honest.* Duas quoque factas circà annum 1307. nempè Tertiam & Quartam *De Sent. Excom.* illasque Quatuor *Clementinas* minùs utiles non videri, quàm *Clementinam de Privilegiis*, cujus omissio mira visa fuit.

Septimò Officiales Curiæ Romanæ, nec non ibidem negotia Persequentes ab Ordinariorum Censuris liberi facti sunt, ut obsequiis ejusdem Curiæ promptiores se exhibeant Officiales, aliique ad illam liberiùs recurrant.

Octavò, Jus præsentandi, aliaque similiter Spiritualia Patronis Laïcis concessa, Privilegia sunt, quæ ad defensionis Ecclesiæ subsidium inventa sunt. *C.* 12. *De Pœnis.*

Nonò, Ne à Superiore Oppressus vel malè Habitus, iterùm ab eodem vel illius Successoribus vexetur, à Jurisdictione illorum eximitur. *C.* 52. CAUS. XVI. QUÆST. I.

Decimo, Quia indecens esset, ut Inferior Superiorem ligaret vel solveret, atque Filius in Parentem potestatem haberet, Ecclesia in Cathedralem erecta ab Archidiaconi, cui suberat, Jurisdictione eximitur. *C.* 16. *De Maj. & Obed.*

Notandum, concessas in pœnam Reorum, quoad victuri erant, Immunitates justissimas videri, sed quòd in Successores, etsi innoxios, pœna extendatur, durum nimis censendum esse, nisi qui in pœnâ succedebant, in præmio etiam succederent.

QUÆSTIO V.

Num Exemptio à Privilegio differat?

Quærendi causa: Etsi omne Privilegium sit Exemptio, ex eo quòd ab aliquo debito eximat, nonnulla sunt, quæ Exemptioni conveniunt, & Privilegio convenire non videntur; extant enim Exemptiones Temporales, qualis, quâ Appellans eximitur à Jurisdictione sui Judicis etiam in aliis, quàm Appellationis Causis, si illum ut sibi suspectum recusare velit. *C.* 6. 24. *De Appellat.* qualis etiam, quâ Inferior Temporali Officio, sui Superioris fit Superior *C.* 26. DIST. XCIII. *C.* 1. DIST. XCIV. Privilegium autem ex naturâ suâ videtur esse perpetuum, cùm Principis Beneficium deceat esse mansurum.

Respondetur, Exemptionem à Privilegio tanquàm par-

tem à toto, differre, cùm Privilegium eximat vel concedat: Exemptio verò rigorosè sumpta, duntaxat eximat; falsum autem esse, Privilegio non convenire, ut sit temporale, cùm Privilegium pendeat ex causâ, quæ temporalis esse potest, imò in ipso Jure legantur Privilegia Temporalia, quale, quo Theologiæ Studio Vacans; per Quinque annos Beneficiorum fructus, absens percipit. *C.* 5. *De Magistr;* quale etiam, quo Parochus propter eandem causam, per Septennium, Parochiæ suæ fructus etiam absens lucratur. *C.* 34. *De Elect. in* VI.

QUÆSTIO VI.

Num Exempti dici debeant Metropolitani, qui immediatè subsunt Summo Pontifici?

Quærendi causa: Episcopalis Hierarchia constat Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis, & Summo Pontifice; undè Metropolitani Papæ proximè subjecti, duplici subjectionis gradu liberantur.

Respondetur; Metropolitanos hujusmodi Exemptos dicendos non esse, nisi extent Primates, vel Patriarchæ, Primatiæ, vel Patriarchatûs jure actû gaudentes; non enim in re, de quâ agitur, considerandum, quid aliàs factum fuerit, vel quid in aliis Regionibus fiat, sed inspiciendum duntaxat præsens tempus, ususque Locorum, de quibus quæritur, alioquin Presbyteri, qui immediatè subsunt Episcopo, Exempti dicendi essent, etiam in Regionibus, in quibus nulli sunt Archipresbyteri, vel si sint, suo non potiuntur jure. Quod de Presbyteris respectu Archipresbyteri dictum est, ad Diaconos Archidiaconi respectu extendendum; alioquin etiam abrogatis Corepiscopis Districtuum suorum Parochi Exempti fuissent, ideòque Quamplurimi Curati inter Exemptos collocandi essent; uno verbo, quotiès Jurisdictionis gradus aliquis periret, tot fierent Exempti, quot illi gradui subjiciebantur; & è converso, antè hujusmodi gradûs institutionem, Exempti dici poterant, Quicumque posteà Instituto subjecti fuerunt.

QUÆSTIO VII.

Quæ præcipua sint Exemptorum genera?

Ad præcipua Quæstio restringitur, quia illa nosse refert, eaque discutere, quæ ad illa pertinent.

Respondetur, non ignoranda Exemptorum genera hæc esse. 1. Alii sunt Sæculares, Alii Regulares. 2. Alii sunt intrà alicujus Episcopi Diœcesim constituti, Alii sunt nullius Diœcesis. 3. Alii præter Exemptionem, ipsi habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, Alii hâc Jurisdictione non gaudent. 4. Alii sunt, qui Papæ immediatè subsunt; Alii, qui proximè Superiori ejus, à cujus Jurisdictione eximuntur.

QUÆSTIO VIII.

An de Exemptis Sæcularibus in Corpore Juris mentio fiat? atque etiam, An circà hujus generis Exemptionem Antiqui ibidem reperiantur Canones?

Ad primam Quæstionis Partem, Respondetur, in Corpore Juris sermonem fieri de multiplici Exemptione Sæculari.

Agitur 1. de Exemptione, quæ fit mutatione Statûs, idque *C. Unico* DIST. CI. in quo Episcopus Suffraganeus æqualis fit suo Metropolitano, Ecclesiæ suæ in Metropolim erectione: *Can. Calced.* ann. 451. *C.* 16. *De Maj. & Obed.* GREGOR. IX. ann. 1227. in quo Ecclesia, quæ Archidiacono subest, ipsius Jurisdictioni subtrahitur, erecta in Cathedralem.

Agitur. 2. de Exemptione, quâ Ecclesia alterius Ecclesiæ Jurisdictioni subtrahitur, sine ullâ Statûs mutatione; idque *C.* 52. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quo Episcopus Metropolitani Jurisdictioni subtrahitur, utrâque in eodem statu permanente Ecclesiâ. PELAG. II. *an.* 577.

Agitur. 3. de Exemptione, quâ, servatâ Metropolitano suâ autoritate, Suffraganeo conceditur Præsessionis honor in Conciliis, idque in *C.* 2. CAUS. XXV. QUÆST. II. *junctâ Correct. Rom. notâ*, in quo S. LEO illæsa manere præcipit Ecclesiarum Privilegia à Nicena Synodo concessa, inter quæ non minimum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Privilegium, quo ipsius Episcopus Cæsareensem Archiepiscopum Metropolitanum suum præcedendi jus accipit, integrâ in reliquis remanente istius Dignitate.

Agitur 4. de Exemptione, quâ quoad Correctionem Subditi, Ordinario suo immediatè non subsunt, idque. *C.* 13. *De Off. Ordin.* in quo Canonici, qui per Capitulum corrigi consueverunt, ab eodem corrigendi dicuntur.

Agitur 5. de Exemptione, quâ Deputati servitio Capituli aliorumvè Clericorum, Conquerentibus respondent, non coràm Episcopo, sed coràm illis, quibus deserviunt, idque *C.* 13. *De Foro Compet.* in quo id deciditur in favorem Capituli Belvacensis, aliorumque ejusdem Diœcesis Clericorum.

Ad Posteriorem Quæstionis Partem Respondetur, Canonem Antiquiorem circà primam Exemptionem ex CONCILIO CALCEDONENSI *anno.* 451. celebrato depromptum esse, sed minimi momenti rem esse hujus Exemptionis Antiquitatem nosse.

Secunda Exemptio primùm à PELAGIO II. ad Pontificatum evecto *an.* 577. concessa fuit, deindè à GREGORIO illius Successore innovata *an.* 592.

Molinæus in hunc locum ait, hanc Exemptionem secundam mali exempli Exemptionem esse; ad id fortè motus, vel quia sine causâ concessa videtur, vel quia quæ conjiciatur, sufficiens Successorum respectu non apparet, vel quia Episcopus Thebanus, qui Larissæi Archiepiscopi Jurisdictioni subtrahitur, Responsalibus Papæ Constantinopoli degentibus, in minimis subjicitur, in majoribus verò immediatè Summo Pontifici.

Sed quæcumque ex his Rationibus ad istam opinionem determinavit *Molinæum*, vix probari potest. Nam 1. conjicere licet, concessam hanc Exemptionem propter, causam eandem, propter quam innovata est, nempè propter illatas ab Archiepiscopo Larissæo Episcopo Thebano injurias.

2. Causa hæc, & justa, & sufficiens, etiam ergà Successorem videtur; Justa, cùm æquissimum sit, ut à calumnias inferendi vel patiendi periculo quis liberetur: Sufficiens ergà Successorem, cùm ex *fine cit. Canonis* colligi possit, Thebanum Episcopum à Metropolitano suo vexatum, propter Temporales, quæ inter utramque Sedem intercrant, Contentiones. Hîc enim Arciepiscopo Larissæo præcipitur, ut res, tùm mobiles, tùm immobiles, Episcopi Thebani, quas retinere dicitur, eidem restituat.

3. Causæ Majores jamjàm ab INNOCENTIO I. Sedi Apostolicæ reservatæ fuerant. Unde GREGORIUM Thebanum Episcopum in majoribus sibi immediatè subjiciens, nihil novi statuit: in minoribus verò illum Responsalibus suis subjicit potiùs, quàm Constantinopolitano, quia cognitâ sibi Responsalium suorum probitate, aliisque ad justè judicandum animi dotibus, sperabat ab illis justiores Sententias.

Cùm *Nicænum Concilium* à quo Tertia Exemptio fluxit, *ann.* 325. fuerit celebratum, hinc fit, ut ista Exemptio omnium Sæcularium Exemptionum antiquissima sit, sed præterquàm quòd hæc Exemptio non magni videatur momenti, adeòque singularis fuerit, ut nec in Corpore Juris, nec in Historiâ Ecclesiasticâ, quidquam simile legatur, non multùm refert, cujus sit Antiquitatis cognoscere.

Non idem dicendum de Quartâ Exemptione; Cùm enim multa Capitula Canonicos suos corrigendi jure potiantur, scire interest, quo tempore, sicut & quâ autoritate, cœperit hæc Exemptio, ideòque utrumque accuratè notandum.

Antiquiorem circà illam *citato Canone* nullum in Corpore Juris invenimus. Citatus autem Canon è *Concilio Lateranensi* sub INNOCENTIO III. *ann.* 1215. celebrato desumitur, sed hinc colligi non potest, tunc temporis hanc Exemptionem cœpisse, cùm CONCILIUM illam

non

non introducat, sed à Consuetudine introductam confirmet; imò antiquiorem fuisse colligitur ex eo, quòd Consuetudo, quâ jus Ecclesiasticum acquiritur, legitimè præscripta esse debeat, ac ad illam Præscriptionem quadragenaria saltem possessio requiratur; prædicta quoque Consuetudo ex his esse potuerit, cujus initium Hominum memoriam excedit.

Quinta Exemptio non est Quartæ absimilis; in hoc enim differt solùm, quòd in illâ nedùm de Jurisdictione Capituli, per Privilegium acquisitâ, sed etiam de simili Jurisdictione aliorum Clericorum agatur, quòdque non correctionem Canonicorum ex officio faciendam respiciat, sed facultatem audiendi querelas contà Deputatos servitio Capituli, aliorumvè Clericorum: Canon, qui de illâ loquitur, ex INNOCENTIO III. circà *an.* 1210. Episcopo Belvacensi scribente desumitur; hinc tamen concludere non licet, tunc temporis ortam esse, cùm illam INNOCENTIUS non concedat, sed tantùm probet, posito quòd ex Indulgentiâ, vel ex Consuetudine legitimâ proficiscatur.

Circà Canonem, quo Quarta probatur Exemptio, non omittendum, Jurisdictionem, quâ gaudent Capitula exempta, ab Episcopo independentem non esse, cùm ad illius commonitionem vel jussionem illam exercere debeant, & nisi intrà terminum ab eodem constitutum illam exerceant, illam amittant in Episcopi commodum, qui Canonicos perindè corrigere valet, ac si nullam Capitula illos corrigendi facultatem haberent.

QUÆSTIO. IX.

An Metropolitanorum in Suffraganeos Jurisdictio dici debeat Privilegium?

Tanta est Privilegii cum Exemptione Connexio, ut antequàm finiatur de Exemptione Sæculari Tractatio, prætermissa hæc circà Privilegia Quæstio examinanda visa sit.

Quærendi causa: Metropolitanorum Jurisdictio è Jure Communi emanat; cùm ergò Privilegium ab illo Jure Exceptio sit; Jurisdictio prædicta, Privilegium non dicenda videtur.

Respondetur, eâ non obstante ratione, istam Jurisdictionem in Variis Juris Textibus Privilegii nomine donari; nam 1. *C.* 2. CAUS. XXV. QUÆST. II. tàm prout à *Gratiano* refertur, quàm prout in notâ à *Correct Rom.* additâ habetur, Jurisdictio cujusque Ecclesiæ in aliam Privilegium nominatur; nam per Privilegia Ecclesiarum, quæ illæsa manere præcipit, tàm Jurisdictionem, quàm alia Jura intelligit. 2. *C.* 6. *ead.* CAUS. & QUÆST. ubi S. LEO de Metropolitanorum Jurisdictione expresè loquens, illam Privilegium nominat, dùm Apostolicæ Sedis Vicario dicit vices suas delegare, eâ lege, ut Metropolitanorum Privilegia serventur.

QUÆSTIO. X.

An in Occidente antè Sæculum IX. fuerint Primates, sivè Episcopi, qui pluribus Archiepiscopis præessent?

Ex Decisione hujus Quæstionis patebit, an per illa Sæcula potuerint esse Metropolitani Exempti? Eo etiam solo fine proponitur.

Quærendi causa: Sunt Eruditi Viri, qui per totum hoc tempus Primatibus caruisse Occidens affirment.

Respondetur, ex variis Juris Textibus colligi contrarium; de Primatibus siquidem expresè loquuntur, ut de re in Occidente existente, *Can.* 1. & 2. DIST. XCIX. desumpti ex *Epistolis ad Italiæ Galliæve Episcopos scriptis ab* ANACLETO & ab ANICETO. De iis etiam loquuntur expresè, tanquàm de re in Occidente existente, *C.* 3. CAUS. II. QUÆST. VI. desumptus ex *Epistolâ* ejusdem ANACLETI *ad Universos Episcopos* scripta. Etsi autem hæ Epistolæ ANACLETI & ANICETI non sint, sed ipsis suppositæ, constat tamen scriptas antè IX. Sæculum, nam ineunte hoc Sæculo citantur: atqui verisimile non est, illum, qui ANACLETO vel ANICETO has Epistolas supposuit, adeò dementem fuisse, ut illos Pontifices de Primatibus loquentes inducat ad Occidentis Episcopos tanquàm de re apud istos existente, si saltem suo tempore non extitissent in Occidente Primates: præterea Impostoris hujus finis non alius fuisse videtur, nisi ut Ecclesiasticam sui ævi Politiam veteribus firmaret testimoniis. Quod de Epistolâ ANACLETI & ANICETI dictum est, ad *Epistolam* CLEMENTIS & LUCII vel STEPHANI I. è quibus desumpti sunt *C.* 1. & 2. DIST. LXXX. quæque de Institutione Primatum & Patriarchârum à PETRO factâ in Civitatibus, in quibus Gentiles Primates habebant, vel Primos Flamines, vel Archiflamines, extendendum est.

Confirmari potest ad Quæstionem propositam Responsio ex *C.* 3 CAUS. XXV. QUÆST. II. Desumitur ex GREGORII *Augustino Anglorum Episcopo Responsione IX.* ann. 604. In illo dicit *Augustino* GREGORIUS, se in Episcopos Galliarum autoritatem illi non dare, quia Episcopus Arelatensis ab antiquis Prædecessorum suorum temporibus Pallium accepit, istumque autoritate perceptâ privare non debet; præcipit que eidem, ut si per Galliarum Provincias transeat, ac ex autoritate aliquid agendum fuerit cum prædicto Arelatensi Episcopo, id agat; indè enim sequitur vel tunc in Galliis nullum alium fuisse Metropolitanum, quàm Arelatensem Episcopum; vel istum fuisse Primatem: Prius communiter rejicitur, Posterius ergò verum censendum.

Dici non potest, Arelatensem Episcopum fuisse Vicarium Apostolicum, & hujusmodi Vicarium à Primate multùm differre; Nam vel fuit Vicarius Temporalis & ex Commissione, vel Perpetuus ratione Sedis; non Prius, Gregorius enim insinuat, Episcopum Arelatensem suam in Episcopos Galliarum autoritatem accepisse cum Pallio, Vicarius autem Temporalis autoritatem eo modo suam non accipiebat: si Posterius, Arelatensis Episcopus Primas erat, cùm Vicarius Apostolicus ratione Sedis, nihil aliud esset, quàm Primas.

Quod in hâc Quæstione supponitur ut certum, nempè IX. Sæculo Primates in Occidente extitisse, patet ex *Can.* 8. CAUS. IX. QUÆST. II. in quo NICOLAUS testatur *ann.* 864. Sigebodum Narbonensem Archiepiscopum apud se conquestum fuisse, se vexari à Radulfo Bituricensi Patriarchâ, in eo quòd Iste suam Jurisdictionum usurparet: nomen autem hoc Patriarcha, ad minùs significabat Primatem, qui dicitur Minor Patriarchâ.

QUÆSTIO. XI.

An Exemptiones Sæculares favorabiles minùs sint, quàm Regulares? atque, ut res in Exemplo posita clarior fiat, *Quæritur, verbi gratiâ, an Exemptio Monasterii ab Episcopi Jurisdictione, favorabilior sit, quàm Capituli Sæcularis Exemptio ab eâdem Jurisdictione?*

Quærendi causa: Non idem vitæ genus in Episcopis ac in Monachis, ac quamvis lectione illud optimè callerent, experientiâ tamen usuque non noverunt, undè sanè minùs de illo judicare poterant, quàm Monachi: hinc quoad Vitam Monasticam justa videtur Monachorum ab Episcopi Jurisdictione Exemptio; In Capitulo autem Sæculari locum non habet ista ratio, præterea Monasteria in Congregatione posita, Prælatos Regulares habent, qui illa corrigant, & alios, qui Correctores unà cum Monasteriis visitent, & corrigant; quod nec etiam Capitulo Sæculari convenit.

Respondetur, Capitulum Sæculare allegare pro se rationes posse, quas Monasterio afferre non licet, sunt sæpè sæpiùs inter Capitula & Episcopos Contentiones Temporales, propter quas, si Jurisdictioni Episcoporum subsint Capitula, ab Episcopis vexari poterunt, Contentiones autem istæ oriuntur ex eo, quòd nonnulla Jura, Terras, Ecclesias, aliaque hujusmodi communia habeant Episcopi cum Capitulis, cum quibus aliàs idem Corpus constituebant, omniaque communia habebant. Nihil autem tale Monachis convenit.

Præterea Ratio illa potentior videtur, quàm quæ primò pro Monachis allegata est, cùm ista nimis probet; hinc enim inferre fas esset, quòd nedùm Moniales, quarum pleræque Episcopo semper subjectæ fue-

runt, sed & Vitam Conjugalem Viventes, ab Episcopi Jurisdictione liberæ esse deberent.

Quoad Posteriorem Rationem pro Monachis allegatam, fatendum, quòd si Capitulum Sæculare, ab Episcopo Exemptum, non habeat, qui illud visitet, corrigat, illius Exemptio favorabilis minùs erit, quàm similis Monasterii Visitatorem habentis Exemptio.

QUÆSTIO XII.

An Capitulum Papæ vel Metropolitano immediatè subesse possit dici, etsi Papa vel Metropolitanus suam super illud Jurisdictionem proximè non exerceat, nec per se, nec per alios?

Quærendi causa: Disserendum videtur de Capitulo pariter, ac de Privato; Iste autem suo Episcopo immediatè subjici non dicitur, nisi Episcopus in illum suam proximè exerceat Jurisdictionem, id est, nisi in primâ Instantiâ illum judicet; non ergò dici poterit, Capitulum Papæ immediatè subesse, nisi in illud Papa suam proximè exerceat Jurisdictionem, vel per se, vel per alium, sivè nisi de illius Causis in primâ Instantiâ cognoscat.

Respondetur, Affirmativam Sententiam videri sequendam, nec valere similitudinem; cùm Privatus sui ipsius Judex esse nequeat, Collegio verò quodlibet Membrorum judicare liceat. Cujus Rei exempla passim submistrant quævis Judicum Curiæ: Ratio distinctionis inter Corpus, & Privatum quemlibet evidens est, cùm Corpus sit capax Jurisdictionis, illamque habere possit à Lege, vel acquirere per Consuetudinem, aut per Præscriptionem; è contrà Privatus quilibet Jurisdictionis circà se ipsum incapax est, ideòque nullo ex his modis acquirere potest.

Nec dicas, quòd immediatè subjici alicui, idem sit, ac non alium primum Judicem cognoscere: id enim intelligendum de alio Judice, qui à Collegio distinguatur, quandò de Collegio agitur.

Quæret forsan aliquis, Undè Collegia Jurisdictionem in se ipsa exercentia illam acceperint? Si quæ Metropolitano immediatè subjecta in secundâ Instantiâ ad Metropolitanum recurrunt, nec iste habeat ullos Casus, de quibus in primâ Instantiâ cognoscat, usurpasse videntur, quia illam accipere non potuerunt à Metropolitano, alioquin à Metropolitano ad ipsum Metropolitanum appellaretur, cùm Collegia ista illius Vicarii essent in totâ Jurisdictione, ideòque idem cum ipso Tribunal haberent Metropolitani. Nec etiam à Papâ illam Jurisdictionem accipere potuerunt, quia Metropolitano immediatè subjicere volens, ipsos sui ipsorum Judices in primâ Instantiâ non constituisset. Si verò prædicta Collegia Papæ immediatè subsint, Jurisdictionem in se ipsa à Papâ accipere potuerunt, quia etsi Papæ Vicarii essent, ab illis ad Papam in secundâ Instantiâ appellari posset, cùm Jurisdictionis illius portionem tantùm haberent; nec dici posset, quod prædicto Casu totam, quam haberet ut illorum Collegiorum Ordinarius, Jurisdictionem daret, quia sunt Casus Papæ etiam ut Judici Ordinario, sivè Primo, reservati, quos non committeret, ideòque totam, quæ ad se pertinet, Jurisdictionem, ut Ordinarium, non communicaret.

QUÆSTIO XIII.

An Exemptiones, quibus Episcoporum Subditi Metropolitanis immediatè subjiciuntur, præferendæ sint iis, quibus iidem immediatè subsunt Papæ?

Quærendi causa: Posteriores non solùm honorabiliores, sed etiam utiliores videntur, cùm potentius præsidium Exemptis procurent.

Attamen *Respondetur*, Posterioribus Priores præferendas, tùm quia Exemptorum, qui Papæ proximè subsunt, necessitas, utilitasque illum cogit, ut Inspectores, Visitatoresque in Partibus deputet; tùm quia hujusmodi Exemptiones onerant Papam, non honorant, atque hinc vilipendendi locus.

Metropolitanus verò hinc multùm honoratur, ideòque in hoc habet, quòd illas æstimet: tùm quia tot tantisque distentus negotiis Papa nativo Gregi vix attendere potest, Metropolitanus verò paucioribus minoribusque pressus, additæ Gregi suo portiunculæ regendæ satis sufficit; tùm, demùm quia quicunque in partibus suo Superiore caret, quodammodò Acephalus est, cùm sine Capite convenienti esse videatur; quam postremam rationem ex *C.* 8. DIST. XCIII. colligere licet.

QUÆSTIO XIV.

An certum sit, Privilegium vel Exemptionem amitti unico actu contrario?

Quærendi causa: Privilegium, seù Exemptio non acquiritur unico actu, sed pluribus ad hoc opus est, ac prætereà possessione pacificâ non interruptâ per 40. annos; videtur ergò, quòd amitti non debeat unico actu, cùm per quascunque causas res nascitur, per easdem dissolvatur, *C.* 1. *De Regulis Juris*. Hinc etiam adduci potest *C.* 4. *de Confirm. utili*. Docere enim videtur, Privilegium non amitti actibus contrariis, nisi durent per tempus ad Præscriptionem requisitum, cùm declaret Episcopum Hildesemensem non manutenendum in possessione Jurisdictionis, in Monasterium suæ Diœcesis Sedi Apostolicæ immediatè subditum per Privilegium, nisi ea per 100. annos sine interruptione fruitus fuerit.

Allatis Argumentis adversari videntur *C.* 8. *De Constitut.* & *C.* 22. *De Præb.* In priori dicitur, quod suppressio alicujus Dignitatis facta autoritate Capituli, & à Sede Apostolicâ confirmata, unico actu contrario revocetur, nimirùm unicâ ad hanc Dignitatem promotione ab ipso Capitulo factâ; In posteriori habetur, quòd Capitulum, cui indultum est à Sede Apostolicâ, ne plures sint in eo Canonici quàm 40. amittat hoc Indultum, si quem creet Canonicum ultrà hunc numerum. Iisdem quoque Argumentis repugnare videtur ipsa ratio, nam Privilegiatus agens contrà Privilegium, actione suâ illi renuntiare censetur, & hæc renuntiatio tacita unicâ actione fieri potest, sicut & expressa.

Cùm ergò pateat propositam Quæstionem meritò agitari, hinc consequens est, meritò quoque solvendam suscipi. Ad solutionem autem, Distinguendum inter amissionem Privilegii, quæ fit per Præscriptionem, & amissionem, quæ fit per Renuntiationem; Ad Priorem pluribus actibus non interruptis opus est, atque etiam spatio temporis ad præscribendum requisiti: Ad Posteriorem sufficit unicus actus: hoc autem discrimen est inter Actus, quibus præscribitur, & Actus quibus renuntiatur, quòd isti fiant à Privilegiato, illi autem ab ipso Præscribente.

QUÆSTIO XV.

An Prælatus non Exemptus ab Ordinarii Jurisdictione, possit præscribere Episcopalem Jurisdictionem?

Quærendi causa. Hujus Jurisdictionis Capax est, cùm sibi possit committi etiam ab Episcopo, non solùm Commissione Particulari, sed & Generali, quâ tota vel ferè tota Jurisdictio delegatur; hinc factum est, ut Prælati Inferiores multa Jura Episcopalia contrà Episcopum præscripserint. Talia sunt 1. Jus conferendi Beneficia in Decanis, Præpositis, Archidiaconis, Capitulis. 2. Jus prædicandi in Theologo, in Parocho. 3. Jus absolvendi à Casibus reservatis in Pœnitentiario. 4. Jus visitandi in Archidiacono & in Archipresbytero. 5. Jus exercendi Jurisdictionem in primâ Instantiâ ergà aliquos in Capitulis quibusdam: Ex illâ autem talium Jurium Præscriptione inferri posse videtur, talia quoque Episcopalia Jura ab eodem Prælato non Exempto præscribi posse; sicut enim præsumptum est, Episcopum talia Jura transmisisse in Prælatos Inferiores, patiendo, ut illa exercerent sine Commissione expressâ, sic præsumere idem liceret de cæteris Juribus, si per 40. annos possiderentur à Prælatis non Exemptis, Episcopo non contradicente.

His

His non obstantibus, *Dicendum*, Quædam esse Jura Episcopalia, quæ à Prælato non Exempto præscribi non posse certum est; Talia sunt, quæ Episcopo tribuuntur cum hâc Clausulâ, *non Obstante quâcunque Præscriptione*, ut Confessorum Approbatio, C. 15. SESS. XXIII. Concessio Litterarum Dimissoriarum, C. 10. *Ead.* SESS. Approbatio Prædicatorum, C. 4. SESS. XXIV. Institutio Præsentatorum ad Beneficia C. 13. SESS. VII. Visitatio Ecclesiarum etiam Exemptarum, C. 8. *Ead.* SESS. Ratio est, quia semper reclamat illa prohibitio, ac impedit, ne sit bona fides ex parte Præscribentis ideòque irritam facit Præscriptionem ipsam.

Objici posset contrà Decisionem, quòd Canones vetantes præscriptionem in re Juris Positivi sint ipsimet Præscriptibiles; hinc factum, quòd Canones vetantes, ne Procuratio solvenda Visitatori præscriberetur, nonnullis in Locis præscripti sint, hancque Præscriptionem approbet CONCILIUM TRIDENTINUM. Objecto huic *satisfit* dicendo, quòd prædicta Jura tanti momenti sint, ut nunquàm à Prælato Inferiori pacificè possideri Episcopi passuri sint.

Jura autem ejusmodi ideò excipio à Præscriptione, quia prohibetur à Canone circà illa Præscriptio: Circà alia verò Jura jam præscripta à Prælato non Exempto, vel præscribenda, Notandum duco exerceri non posse contradicente Episcopo, quia cùm Prælatus iste Episcopo Subjectus supponatur, consequens est, ut censeatur illa Jura præscripsisse vel præscribere eâ lege, ut illa tanquàm Subditus, prout est, exercebit: undè sequitur, quòd propriè loquendo, Prælatus Episcopo Subditus non potest præscribere Jura Episcopalia, quia illa exercet tantùm nomine Episcopi, & quæ nomine alicujus possidentur, nunquàm præscribuntur contrà illum: nam Præscriptio acquirit dominium, qui autem aliquid possidet nomine alieno, illius Dominus fieri nequit.

QUÆSTIO XVI.

An Prælatus Exemptus possit præscribere Jura Episcopalia? & Quæ dubitandi ratio?

Si Prælatus hujusmodi præscriberet Jura Episcopalia, illa exerceret suo nomine ut propria, non ut commissa sibi ab Episcopo Diœcesano nomine illius, cùm à Jurisdictione Episcopi Diœcesani liber supponatur; nec etiam illa exerceret nomine illius Episcopi, cui immediatè subest, sivè Metropolitani, sivè Primatis, sivè Papæ, cùm non videatur ad id ab illo Delegatus, nec ullo appareat modo velle hunc Episcopum, ut à tali Prælato talia Jura suo nomine exerceantur: absurdum autem videtur, ut Prælatus Secundi Ordinis suo nomine exerceat Jura Prælatorum Primi Ordinis seù Episcoporum, sic enim evertitur ordo à Deo institutus, cùm Prælati Primi Ordinis à Spiritu Sancto positi sint, ut regant Ecclesiam Dei, cæteri verò sint ex iis, qui ab iisdem regendi sunt, undè Prælati isti exercere non possunt Jurisdictionem, quâ Ecclesia Dei regitur nomine proprio, sed tantùm nomine eorum, quorum est illam regere.

Verùm hæc aliavè similia non obstant, quin *Dicamus*, Prælatos Exemptos præscribere posse Jura Episcopalia. Ad hanc Sententiam adducimur his rationum momentis; Plures extant Juris Textus, qui id tanquàm indubitatum supponunt. Primus est *C. 15. De Præscript.* In eo INNOCENTIUS III. præcipit, ut Abbati cuidam adjudicentur Jura, quæ præscripsisse contrà Episcopum Wigornienſem probaverit. Alter Textus est C. 18. *eod.* TIT. in illo idem Pontifex Abbatem Sancti Salvatoris de Ticheto ab impetitione Episcopi Lucani absolvit super plurimis Juribus Episcopalibus, declaratque, se id facere, quia Abbas ostenderat, se illa legitimè præscripsisse.

Iidem Textus docent, quæ Jura Episcopalia præscribi possunt; Prior enim expresè meminit Processionum, Procurationum, Decimationum, Cognitionis Causarum Matrimonialium, Juris Suspensionem, & Interdictum ferendi.

Posterior mentionem facit de Institutione, Destitutione, & Ordinatione Plebani, & Clericorum, Baptismo, & Pœnitentia super levioribus culpis, perceptione Decimarum, de Officiis Divinis celebrandis, de excommunicando & interdicendo, & absolvendo.

Ex his Juribus, quæ recensuimus, nonnulla sunt, quæ maximum locum occupant, inter Jura Episcopalia: ejusmodi sunt Approbatio ad Administrationem Sacramentorum, Excommunicatio, ac ab illâ Absolutio, Cognitio Causarum Matrimonialium, Institutio & Destitutio Plebanorum seù Curatorum; undè sequitur, quòd si hæc Jura Episcopalia præscribi possunt, idem dicendum de cæteris, excipienda tamen ea, circà quæ Jure Novissimo *Concilii Tridentini* prohibita est Præscriptio, quæque suprà *Quæstione* XV. notata sunt.

C. 12. *de Excess. Præl.* meminit etiam quorumdam Jurium Episcopalium, quæ præscribi possunt ab Abbatibus: hæc autem sunt Injunctio Pœnitentiarum Publicarum, & Concessio Indulgentiarum.

Ad Rationes oppositas Respondeo, Prælatum Exemptum exercere nomine Episcopi, cui immediatè subest, Jura quæcunque contrà Episcopum Loci præscribit, sicut & ea, quæ ex ipsâ Exemptione recipit, v. gr. Quotiès Summus Pontifex eximit Monasterium ab Episcopi Jurisdictione, illud quasi immediatè subjicit suæ Sedi; Jura, quæ Episcopus exerceret in illud Monasterium, Papa sibi reservat, & Abbati nonnulla committit suo nomine exercenda, ideòque Abbas eâ Exemptione fit quodammodò Episcopus hujus Monasterii; undè, si deindè aliqua sua Jura Episcopalia circà Sæculares præscribat, ea acquirit exercenda eodem nomine, quo exercet illa, quæ habet circa Regulares; eo enim casu subrogatur Papa Episcopo Diœcesano, & si Papa Abbati committat quædam Episcopalia Jura ex his, quæ ipse acquirit succedendo loco Episcopi, Abbas fit Papæ Vicarius quoad illa Jura Episcopalia, eoque nomine Vicarii Papæ, capax efficitur acquirendi cætera Jura Episcopalia ad Jurisdictionem pertinentia, ipsoque Divino Jure Episcopali Caracteri non reservata, undè illa præscribere potest, modò ex illis non sint, circà quæ prohibetur Præscriptio. Quod de Prælato Exempto immediatè Subdito Sedi Apostolicæ dictum est exempli gratiâ, idem dicendum de eo, qui immediatè subest Metropolitano, Metropolitanus fit ejus Episcopus, & si quæ Prælatus exerceat in Regulares, Episcopalia Jura nomine Metropolitani illa exercet.

Si quis autem quærat, quæ sint Episcopalia Jura, quæ ab Abbate Exempto in Regulares exercentur, Respondeo, hæc esse, nempè Approbationem Confessariorum ad audiendas Confessiones Regularium Subditorum, Approbationem Regularium Subditorum ad celebrandam Missam in Monasterio; Approbationem ad prædicandum solis Regularibus Subditis; Benedictionem Ornamentorum ad Divina celebranda Officia; Concessionem licentiæ transeundi ex Diœcesi ad Diœcesim, quæ respondet Literis *Exeat* vocitatis & ab Episcopo concedendis.

Sunt, qui obiiciant, Prælatum Exemptum, incapacem esse Præscriptionis Jurium Episcopalium ergà Sæculares defectu bonæ fidei, quia ignorare non potest illa Jura sibi non pertinere, cùm Sæculares sibi non subjiciantur, sed Episcopo, in cujus Diœcesi habitant. Sed hæc objectio nullius roboris esse videtur, cùm fieri possit, ut Prælatus recèns promotus audiat à fide dignis Testibus, Prædecessores suos exercere solitos fuisse Jurisdictionem Episcopalem in Sæculares, hisque credens testimoniis pergat illam exercere, Episcopo non contradicente, idemque faciat Successor & Successoris itidem Successor, per 40. & amplius annos, Sede Episcopali plenâ, & Episcopo nullo conquerente. Fateor primum Prælatum, qui hanc Jurisdictionem exercere cœpit, mala fide possessionem inchoasse, nisi deceptus fuerit falsis Testimoniis falsò attestantibus, Prædecessorem illâ Jurisdictione potitum fuisse; sed inchoata malâ fide Possessio, bonâ fide continuari potuit à Successore Possessoris malæ fidei, ignorante malam fidem Prædecessoris;

cessoris; potuit quoque bona fides istius Successoris ad Successores transire, iisque prodesse ad complendam Præscriptionem incipientem à Possessore bonæ fidei, & à similibus continuatam ad usque consummationem.

Sunt Alii, qui objiciant ad Præscriptionem requiri, ut in nullâ temporis parte habeatur conscientia rei alienæ *C. 20. de Præscript.* undè concludunt, Prælatos Exemptos nunquàm posse præscribere Jurisdictionem Episcopalem; quia inest semper mala fides initio possessionis. Sed majoris ponderis non est ista objectio, cùm certum sit, *citatum Caput* loqui tantùm de parte temporis ad Præscriptionem requisiti, loquitur enim de Præscribente, & exigit, ut in nullâ temporis parte ad præscribendum necessarii ipse conscientiam habeat rei alienæ; in Casu autem objecto Præscribens non habet conscientiam rei alienæ in nullâ temporis parte ad Præscriptionem requisiti, cùm supponamus, non computari possessionem ad Præscriptionem requisitam, nisi eo tempore, quo cœpit esse conjuncta cum bonâ fide, & eadem bona fide continuatam fuisse, usque ad tempus ad id præfinitum.

Adjiciunt nonnulli, possessionem hujusmodi nec inchoari, nec continuari posse, cum bonâ fide, idque quia reclamant Canones omnibus noti, aut saltem à Prælatis Exemptis cognoscendi, incessanter dicentes, Episcoporum esse regere Populos sibi Subditos, alios verò, qui illos regunt aliter, quàm eorum Episcoporum nomine, rem alienam administrare. Sed illa Objectio non magis urget, quàm præcedentes; sunt enim plures Textus loquentes de Ecclesiis, quæ pleno jure Regularibus concessæ sunt, undè inferre est, illas fuisse concessas cum Jurisdictione illas regendi independenter ab Episcopo; ejusmodi sunt *C. 31. De Præb.* & *Cap. 3. De Privileg.* Hinc Prælatus hos Canones alioquè similes callens existimare potest, Ecclesias, quas Prædecessores bonæ famæ rexerunt concessas Monasterio pleno jure, id est cum totâ Jurisdictione Episcopali, eaque ductâ opinione, licuit sibi legitimum Possessorem se se reputare; rem ipsam scrutandi causam non habuit, cùm Prædecessorum probitas de illâ dubitare non pateretur. Successor in Dignitate non est pejoris conditionis, quàm Successor in Hæreditate, undè sicut iste præsumere potest, Autorem suum justè possedisse, si boni nominis fuerit, & continuare possessionem bonâ fide, quam alter malâ fide habuit, nec vituperatione dignus, si huic præsumptioni, quam justam judicat, innixus possessionem inchoatam continuat, non perquisitâ primâ possessionis origine, ita idem dicendum videtur de Successore in Dignitate circà Jura à Prædecessore, viro probo habito, possessa, eadem de illo præsumente, & propterea originem Possessionis perscrutari negligente, imò nec cogitante.

Instant Iidem, & dicunt, nulli licere contrà Generalem Ecclesiæ Disciplinam præscribere, quia ipsa reclamat semper contrà Præscribentem, & exprobrat usurpationem; ideòque INNOCENTIUM III. *C. 5. De Consuetudine*, irritare Consuetudinem huic Disciplinæ contrariam, quâ pendente Interdicto Generali quoddam Capitulum Officia Divina solemniter celebrabat. Sed non attendunt Exemplum, allatum non congruere, quia irritata ab INNOCENTIO III. Consuetudo disrumpebat, ut ipse ait, meritum Ecclesiasticæ Disciplinæ; efficiebat enim, ut Interdictum Generale sine ullo fructu foret, cùm celebrante solemniter Divina Officia Capitulo B. Petri Cenomanensis Civitatis pendente Interdicto, totius Urbis Incolæ nullum vel saltem minimum sentirent incommodum ex Interdicto, ideòque istud illos minimè vel parùm excitabat ad emendandam culpam, propter quam ferebatur Interdictum: at si Prælatus Exemptus, pleraque Jura Episcopalia ergà Regulares exercens nomine Papæ vel Metropolitani, alia acquirat in quâdam Civitate circà Sæculares, non disrumpitur nervus Disciplinæ Ecclesiasticæ, cùm Pars illa regi possit à Prælato Exempto, pari vigilantiâ vel sollicitudine ac regeretur ab Episcopo Diœcesano.

Verum quidem est, Populum utiliùs regi posse ab Episcopo, quàm à Prælato Exempto, quia major est Episcopi ergà illum autoritas propter eminentem ipsius Dignitatem, ideòque major Populi ergà Episcopum reverentia; sed propter hoc solum non fit impræscriptibilis Jurisdictio Episcopalis à Prælato Exempto; hoc unum hinc inferre licet, Ecclesiam posse justè prohibere Præscriptionem hujusmodi circà nonnulla Jura, quæ ab Episcopo exerceri refert, ut videtur factum à CONCILIO TRIDENTINO locis suprà citatis.

Quæ hactenùs dicta sunt de Prælato Exempto circà capacitatem præscribendi Jura Episcopalia, certa sunt Jure Communi; At Jure Gallico videntur incerta; dubitari enim potest, an Prælatus ejusmodi præscribere possit sine titulo saltèm colorato, qui exhibeatur, idque infertur ex eo, quòd Capitula Senonense, Bajocense, aliaque, Monasterium Jotrense, Monasterium Regulæ in Diœcesi Lemovicensi Senatûsconsulto declarata sunt subesse Ordinariæ Jurisdictioni, etsi allegassent probassentque possessionem immemorialem, nullo tamen exhibito titulo; hæc consequentia non est usquequâque vera, nam in casibus allegatis non agebatur de Prælato, qui certò Exemptus esset, cuique disputaretur facultas præscribendi alia Jura Episcopalia, quàm quæ in Privilegii titulo continentur, ut in hâc Secundâ Quæstionis Parte de eo solo agitur: sed agebatur de Prælato, qui justè præsumebatur Subditus, quia nullo titulo probabat, se Exemptum, & de isto in primâ Quæstionis Parte dictum est non posse præscribere Jura Episcopalia, ut ea independenter ab Episcopo exercere possit; Quidquid sit, hoc certum discrimen inter Jus Commune & Jus Gallicum reperio, quòd Jure Communi ex possessione memoriam Hominum excedente præsumitur titulus, undè qui gaudet eâ possessione manutenetur, etsi non possit exhibere titulum; at Jure Gallico titulus non præsumitur, sed potiùs usurpatio Sede Vacante inchoata, & continuata Episcopo negligente petere tituli exhibitionem.

Quæri obiter potest, cur in Galliâ præsumitur titulus in Laïco, qui possidet Decimas per tempus memoriam Hominum excedens, etsi Laicus sine Privilegio incapax sit juris percipiendi Decimas, ideòque etiam haud capax illud jus præscribendi; titulus verò non præsumatur in Prælato possidente à tempore memoriam Hominum excedente Jura nonnulla Episcopalia, cùm non videatur egere magis Privilegio ad illa Jura possidenda, quàm Laïcus egeat Privilegio ad possidendum Jus decimandi.

Respondetur, discrimen hinc peti, quòd Laïci habeant Privilegium possidendi Jus decimandi in Corpore Juris inclusum, nempè in *C. 19. De Decim.* insinuante esse Laïcos, qui sine periculo Animarum retinebant Decimas, qui alii esse nequeunt, quàm qui infeudatas habebant; undè notat PITHOEUS Veterem Codicem addere, *non infeudatas*, ea propter Laïci, qui à tempore memoriam Hominum excedente possident Jus decimandi, præsumuntur illas possidere Infeudatas à tempore præcedente textum illum, qui prohibet Decimas aliter possidere; at Prælatus non habet in Corpore Juris Privilegium, quo possit Jura Episcopalia possidere, undè, qui illa possidet, non præsumitur justè possidere, ideòque docere debet de Titulo.

QUÆSTIO XVII.

An qui abutitur Privilegio illud eo ipso amittat?

Respondetur, Textus suprà citatos, dùm de viis, quibus amittitur Privilegium, actum est, ostendere pœnam hanc esse Sententiæ ferendæ: dicunt enim omnes, quòd qui concessâ abutitur potestate, mereatur illam amittere. Iis addendus locus ex *S. Augustino* desumptus, & à *Corrector. Rom.* relatus *C. 63.* CAUS. XI. QUÆST. III. hic autem est, *Judicio Legum jure ab obtentâ Dignitate dejicitur, qui Privilegio sibi concesso abutitur.* Sensus enim est, Leges justè judicare, hujusmodi Hominem dejiciendum esse. Excipienda quædam Privilegia, de quibus Canones dicunt, quòd ipso facto amittantur in quibusdam Casibus; id dicunt de Privilegio Fori, & Canonis. *C. 27. De Privil. C. 33. 35. De Sententiâ Excomm.*

QUÆS-

QUÆSTIO XVIII.

An Privilegium pereat, eo ipso, quòd maximè damnosum fiat, vel quòd cesset causa, propter quam concessum est?

Dubitandi Ratio circà Primum; Privilegium est Gratia: Gratia autem injusta fit, quandò incipit maximum alteri inferre præjudicium.

Ratio dubitandi circà Alterum Quæsitum; Cessante causâ cessat effectus.

Ad Primam Quæstionis Partem Respondeo, C. 9. De Decim. docere, revocandum, vel moderandum Privilegium, quod fit aliis maximè nocivum; loquitur de Privilegio non solvendi Decimas concesso Cistercienſibus, quandò raræ erant illorum Abbatiæ, atque etiam pauperes, declaratque illud revocandum, aut saltem moderandum ex eo, quòd Abbatiæ Cistercienſis Ordinis adeò augmentatæ & ditatæ fuissent, quòd multi Viri Ecclesiastici de Privilegio illo conquererentur. Eâ de causâ CONCILIUM LATERANENSE 1216. *C.* 34. *De Decimis* restringit Privilegium illud ad Terras jam acquisitas, quas Religiosi suis manibus aut sumptibus excolebant, volens, ut de Terris posteà acquirendis, quoquo modo illas exculturi essent, Decimas solverent, & de Terris alienis ipsorum manibus vel sumptibus excolendis idem præstarent. Quod præcepit Concilium circà Cistercienſes, ad alios Religiosos idem Privilegium Habentes extendit.

Iidem Textus ostendunt etiam, quòd cessante causâ Privilegii non cessat eo ipso Privilegium, cùm ex iis colligatur, quòd paupertate Regularium cessante, non cessasset Privilegium solvendi Decimas, cujus causa fuerat præcipua.

QUÆSTIO XIX.

An, si Ecclesia alicujus Civitatis Cathedralis obtineat Exemptionem ab Ordinariâ Jurisdictione, nullâ factâ mentione Exemptionum similium concessarum plerisque Ecclesiis ejusdem Civitatis, postrema hæc censenda sit obreptitia?

Quærendi causa; Rescriptum postremæ Exemptionis non potest esse obreptitium, ob omissam in illo mentionem anteriorum Exemptionum concessarum, in eâdem Civitate Cathedrali, si nulla extet Lex, quæ adstringat ad faciendam hujusmodi mentionem; quod sic ostendi potest: Ratio proxima, cur in Secundo Rescripto circà eandem rem, de Primo facienda est mentio, alia non est, quàm quia extat Lex, quæ hanc mentionem exigat, & habetur *C.* 3. 9. 23. *De Rescript.* Idemque dicendum de cæteris rebus exprimendis: extant Leges, quæ obligant ad illas exprimendas, ut videre est ex Textibus circà id collectis, dùm de Rescriptis egimus. Nulla autem habetur Lex, quæ cogat, ut in postremâ Exemptione de similibus aliis obtentis mentio fiat.

Eà tamen non obstante Ratione, *Dicendum*, quòd obreptitia videatur Exemptio, quæ de pluribus aliis similibus concessis in eâdem Civitate Cathedrali non meminerit. Hæc Sententia infertur ex *C.* 20. *De Rescriptis*; docet enim in Rescripto exprimenda, quæ dimovere possunt Summum Pontificem à concedendâ Gratiâ: avocari autem plurimùm potest Summus Pontifex à concedendâ Exemptione, si sciat, jam plures similes concessas esse, in eâdem Civitate Cathedrali; cùm præsumendus sit, nolle Episcopum totâ ferè Jurisdictione spoliare in præcipuo Loco Diœceseos, eoque modo illi spem auferre utiliter regendi Diœcesim; nam quæ ab Ecclesiis Civitatis fiunt, trahuntur in exemplum ab Ecclesiis aliorum Locorum; ideòque si Episcopus caruerit potestate reformandi Ecclesias Civitatis, vix poterit cæteras corrigere. Non ignorant Summi Pontifices, strictè præcipi Episcopis, ut præcipuè resideant in Civitate Cathedrali, quòdque ejus præcepti ea mens sit, ut suâ præsentiâ Clerum præcipuum Diœceseos in officio contineant, idque ab illis præstari non posse, si careant in illum Clerum autoritate.

Extat ergò Lex, quæ saltem confusè præcipit, ut Rescriptum Exemptionis novissimæ, anteriorum Exemptionum ejusdem generis in eâdem Civitate Cathedrali concessarum mentionem faciat; eaque notatu dignior, quòd è Ratione Naturali petatur, dictat enim, ut, qui Gratiam postulat, non celet, quæ amovere possint ab illius Concessione, ne Gratia non congua concedatur in Concedentis opprobrium.

QUÆSTIO XX.

An Privilegia aliis, quàm Concedenti, nociva concedere liceat, non vocatis, quorum interest?

Quærendi causa: Concessio Privilegiorum non est Actus Judiciarius, ideòque necessarium non videtur, ut Partes vocentur.

Verùm non obstat hæc Ratio, quin *Dicendum* sit, quòd non liceat Privilegia concedere, non vocatis, quorum interest. Colligitur hæc Sententia ex eo, quòd ad Concessiones aliarum Gratiarum aliis, quàm Concedentibus, nocivarum, requiritur vocatio eorum, quorum interest, quod patet hâc Inductione.

Inter Gratias hujusmodi collocantur 1. Unio Beneficiorum, utpotè Collatori, aliisque Pluribus, ut plumùm nociva. 2. Erectio Parochiarum, Episcopatuum, Metropoleon, Primatiarum, in alieno Districtu. 3. Ædificatio novorum Monasteriorum in Locis, in quibus extant jam alia. 4. Missarum Reductio. 5. Alienationes Rerum Ecclesiasticarum. Ideò autem in his omnibus casibus vocandi sunt, quorum interest, quia de præjudicio alieno agitur, ac æquum non est, ut illud inferatur, non auditis iis, quibus inferendum; cùm fieri possit, ut rationes opponendas habeant, quæ à Gratiis concedendis dimoveant.

Huic Innixum fundamento CONCILIUM CONSTANTIENSE vetat, ne Exemptio ulla concedatur, non vocatis, quorum interest, in Decreto *Attendentes* SESS. XLIII. Eâdem de causâ idem prohibet CONCILIUM LATERANENSE sub LEONE X. SESS. X. aliterque concessas, irritas decernit.

Adducta Exempla solvunt Argumenta oppositâ, cùm nullum eorum sit Actus Judiciarius, & tamen quodlibet requirat vocationem Partium.

Hinc, si Privilegia non solvendi Decimas, vel percipiendi illas, quæ aliis debebantur, concessa sunt, non vocatis, quorum intererat, ab æquitate non nihil recessisse videntur, qui illa concesserunt. Idem dicendum de Exemptionibus datis, vel Monasteriis, vel Capitulis, à Jurisdictione Episcopi Diœcesani, nec non de iis, quæ concessæ sunt ipsis Episcopis à Jurisdictione Metropolitani, si vocati non fuerint, quorum intererat. Eâdem de causâ plurima habemus Exempla Exemptionum à Jurisdictione Episcopi, in quibus expressa sit mentio consensûs Episcopi. Quædam refert THOMASS. *Part.* IV. *L.* I. *C.* 53.

QUÆSTIO XXI.

An, pendente lite circà Exemptionem, Exempti eâ gaudere debeant?

Quærendi causa: Si lis non fuerit manifestè injusta, Exemptio dubia habenda, in dubio autem judicandum videtur pro Episcopo, quia in Jure Communi fundatur, ideòque pro indubitato illius Jus tenendum sit, donec Exemptio probetur: præterea discurrendum hîc videtur de Judicio circà possessionem Exemptionis, ut de Judicio circà proprietatem ejusdem Exemptionis, quia possessio pendet è titulo, quo de proprietate judicatur: At manente dubio circà proprietatem Exemptionis, judicandum pro Episcopo, quia titulus illius certus est, Exemptorum verò titulus incertus, certus autem titulus incerto prævalere debet, videtur ergò, quòd, manente eodem dubio circà Possessionem, Possessio adjudicanda sit Episcopo.

His non obstantibus, *Dicendum*, quòd, si Exempti allegant Privilegium probabile cum Præscriptione 40. annorum, pendente lite circà validitatem Privilegii & circà Præscriptionem, adjudicanda est Possessio Exemptis. *C.* 7. *de Privileg. in* VI. Ratio est, quia hujusmodi Privilegium causam justam præbeat præscribendi, & multò magis possidendi, cùm Præscriptio nihil aliud sit, quàm fructus Possessionis coloratæ, pacificæ, & non interruptæ per tempus præfinitum. Insinuatur hæc Ratio à BONIFACIO VIII. Autore *citati Capitis*. Si verò non allegetur Privilegium probabile cum Præscriptione Quadragenariâ, sed sola Præscriptio,

tio, videtur, quòd tunc adjudicanda est Possessio ipsi Episcopo, quia Exemptorum Possessio non appareat colorata, deficiente titulo colorato, qui alius esse non potest, quàm Privilegium probabile; Excipio Casum allegatæ Præscriptionis memoriam Hominum excedentis, propter præsumptionem tituli perditi, cùm vix credere sit, Episcopos per hujusmodi tempus passos fuisse, ut Monachi vel Clerici sui pro Exemptis sese habuissent, non exhibito titulo.

QUÆSTIO XXII.

An Exemptiones, quibus totus Ordo Religiosus eximitur à Jurisdictione Episcoporum, aut Monasterium à Jurisdictione Ordinarii, aut Capitulum, aut Episcopus à Jurisdictione Metropolitani, executioni mandari possint sinè Litteris Regiis Patentibus?

Quærendi causa: Exemptiones hujusmodi sunt Spirituales, Potestas verò Regia ad res Temporales restringitur.

Nihilominùs *Dicendum*, has Litteras esse necessarias ad executionem Exemptionum memoratarum; idque, tùm quia Rex est Protector Canonum in Regno receptorum, & Exemptiones hujusmodi derogant his Canonibus, tùm quia eædem Exemptiones conceduntur Bullis Pontificiis, quæ in Regno executioni mandari non possunt, absque Litteris Regiis, Tabulatis Parlamenti, in cujus Districtu exequendæ sunt, insertis; tùm quia eædem Exemptiones nonnullam habent connexionem cum Administratione Civili, cùm soleant secum invehere Libertatem à quibusdam Juribus Temporalibus, ut patebit ex dicendis circà Exemptiones à Juribus Temporalibus.

Prætereà discurrendum videtur de his Exemptionibus, sicut de Erectionibus novorum Episcopatuum, aut Archiepiscopatuum; dùm enim erigitur novus Episcopatus, subtrahitur Jurisdictioni alicujus Episcopi Regio aliqua, quæ sub Regimine novi Episcopi collocatur: in erectione verò Archiepiscopatûs, subtrahuntur plures Episcopatus Jurisdictioni cujusdam Archiepiscopi, & sub Ditione alterius novi Archiepiscopatûs collocantur: undè visuntur in his Erectionibus nonnullæ Exemptiones similes illis, de quibus sermo est, cùm per istas nihil aliud fiat, quàm subtractio Jurisdictioni Ordinariæ, & subjectio alienæ. At Episcopatus vel Archiepiscopatus erigi non possunt absque Litteris Patentibus, si qui autem aliàs erecti videntur absque Litteris Patentibus, ut Archiepiscopatus Tolosanus, & Episcopatus nonnulli, qui sibi subjecti sunt, hoc factum est, quia existimatum justis de causis, eo casu sufficere consensum tacitum ipsius Regis; nunc autem propter rationes suprà adductas expressus semper exigitur, declaratus Litteris Patentibus, nedùm in his Erectionibus, sed etiam in quibusvis Exemptionibus etiam Spiritualibus; qui usus jam Sæculo VII. vigebat. Hujus rei fidem facit *Formula Prima & Secunda* MARCULFI, qui eo Sæculo vixit, ut notat HIERONYMUS BIGNONIUS. Respicit Exemptionem Monasterii à quolibet Jure Temporali Episcopi circà Res Sacras, aut conficiendas, aut administrandas, aut distribuendas ab Episcopo, item Exemptionem à Juribus Episcopalibus Spiritualibus, quæ Monachorum quietem turbare possent, qualia Jura collocandi Cathedram Episcopalem in Monasterio ad prædicandum, administrandi Sacramenta Confirmationis, vel Ordinis, faciendi solemniter Sacrum. Ecclesia Monachorum tunc erat interna, ut etiam nunc Ecclesiæ Carthusianorum & aliorum quorumdam Religiosorum Solitariorum; non exterior, ut Ecclesiæ aliorum Regularium; ideòque non poterat Episcopus in illâ Ecclesiâ solemniter obire Munia Pontificalia, concurrente Plebe Cleroque, quin tumultus in Monasterio fieret, turbareturque pax & tranquillitas Monasterii; quæ ratio, cùm cesset ergà illos Regulares, quorum Ecclesia est exterior, hinc factum, ut desierit hujusmodi Exemptio. Utraque Exemptio ab Episcopi Jurisdictione conceditur. In secundâ Formulâ Rex confirmat utramque Exemptionem, additque Immunitatem à Juribus Regalibus.

Difficultas remanet solvenda, nempè, nùm Litteræ Patentes adeò sint necessariæ ad executionem Exemptionis etiam Spiritualis, ut nulla futura sit, si illæ defuerint, & nulla fuerit aliàs, iisdem deficientibus Litteris. Pars Prior nunc indubitata censetur, ita ut haud dubiè, si ab Executione hujusmodi Exemptionis appellaretur tanquàm ab abusu, irrita declararetur.

Circà Posteriorem Partem, sunt qui distinguant inter Exemptionem executioni mandatam absque Litteris Patentibus ab annis 30. & ampliùs, & illam, quæ executioni mandata est infrà 30. annos; æstimantque Secundo Casu nullam fore judicandam, non autem Primo. Hæc sententia innititur Declarationi Regiæ, 1666. mense Decembri, quæ Erectiones Monasteriorum factas absque Litteris Patentibus antè 30. annos irritas non decernit, sed illas solas, quæ intrà 30. annos factæ sunt: hæc autem Ratio non convincit, cùm ex cassatione Monasteriorum ante 30. annos erectorum sequantur incommoda, quæ in cassatione Exemptionis etiam antiquioris locum non habent; nam v. g. si Erectio Monasterii Monialium in Congregatione non positarum irrita decernatur, Moniales Professæ coguntur quandòque in Sæculo remanere, vel vim sibi inferre per totam vitam, si in alia Monasteria transferantur, circà quæ propensò non sunt animo, ex cassatâ verò antiquiore Exemptione, nullum nascitur incommodum.

Quidquid sit de hâc sententiâ, justus est credendi locus, antiquas Exemptiones non ob id solùm, quòd executioni mandatæ sunt sine Litteris Patentibus, nullas declaratas non iri, cùm nullâ Lege id prohiberetur, tunc enim non concedebantur, Episcopis invitis, THOMASS. *Discipl. Part.* IV. *L.* 1. *C.* 54. ideòque hujusmodi Litteræ necessariæ non erant, cùm illarum necessitas cœperit ex recursu Ordinariorum ad Regem, ut ab iis arceret vexationes Exemptionum, ipsis repugnantibus, frequenter concessarum.

SECTIO II

Quæstiones circà Indicia certa incertavè Exemptionis.

QUÆSTIO I.

Est-ne certum Argumentum Exemptionis alicujus Ecclesiæ, Capituli, vel Monasterii, si de iis in aliquâ Scripturâ dicat Papa, quòd Exempta vel Libera sint, vel ad jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ pertineant?

Resp. Distinguendum; vel illa Scriptura continet Donationem libertatis seù exemptionis, aut Sententiam de eâdem exemptione latam, vel neutrum continet. Si Primum, sufficienter hinc probatur exemptio; secùs, si Secundum. *C.* 10. *De Privileg. in* VI. hanc distinctionem insinuat.

QUÆSTIO II.

Jus ferendi Mitram, aliave Ornamenta Episcopalia, est-ne certum Indicium Libertatis?

Resp. Non; Quia jus illud concessum est non Exemptis, ut & Exemptis. *C.* 6. *De Privil. in* VI. præscribit Formam Mitræ, quâ uti possunt non Exempti.

QUÆSTIO III.

An inferri potest, Ecclesiam esse Exemptam ab Ordinarii Jurisdictione ex eo, quòd non utatur Breviario Diœcesano?

Resp. Non; Quia sunt Ecclesiæ non Exemptæ, quæ aliud habent Breviarium, quàm Ecclesia Cathedralis; talis est Ecclesia Collegiata Roïensis Diœcesis Ambianensis: in eo jure conservata est Senatûsconsulto Parisiensi 1669. 30. Decemb. Non diffitendum tamen, eâ in re, inesse aliquid Exemptionis, suppositò quòd Ecclesia illa cogi non possit ab Episcopo, ut Breviario Diœcesano utatur, cùm Jure Communi quælibet Ecclesia Episcopo subjiciatur quoad modum recitandi Divinum Officium; idque insinuat CONCIL. TRID. in Decreto *de Observ. & evitand.* SESS. XXII. quia supponit ad Episcopos pertinere, ea præscribere, quæ Divinum Cultum

tum respiciunt; & recitatio Divini Officii ad illum cultum maximè spectat.

QUÆSTIO IV.

An Exemptio concludi possit ex eo, quòd à Diœcesano Censuris plecti non possit?

Resp. Non, si agatur de Exemptione totali; id ita declarat. *C.* 10. *de Privil. in VI.* secùs, si de partiali sermo sit, ex quo enim quis nequit Censuris feriri ab Ordinario, in illo ab ejus Jurisdictione exemptus est.

QUÆSTIO V.

Quam Exemptionem denotent hæ voces, multa libertate donantur, libera sit Ecclesia, gaudeat libertate, potiatur libertate Ecclesiæ Romanæ, *An solam Immunitatem à Juribus Temporalibus, an etiam Exemptionem à Juribus Spiritualibus, qualia Jura corrigendi, visitandi, ordinandi, administrandi cætera Sacramenta?*

Resp. Allatæ locutiones significant tantùm Exemptionem à Juribus Temporalibus, quæ, cùm Servitutes censeantur, meritò fit, ut Exemptio ab his Juribus, Libertas vocetur, Jura autem Spiritualia dici non possunt Servitutes, cùm proximè respiciant Animarum Salutem, ac conducant ad fidele Deo obsequium exhibendum, cui servire regnare est: has autem locutiones videre est in. *C.* 7. *de Privil. C.* 10. *de Privil. in VI.*

QUÆSTIO VI.

An denotetur plena Exemptio hâc locutione, liber ab omni Consuetudine Episcopali?

Resp. Non, sed denotatur tantùm Immunitas à Juribus Temporalibus Episcopo solvendis, quæ vocabantur Consuetudines, quia à Consuetuetudine pendebant: hujus rei argumentum habes in *C.* 16. *de Sim.* in eo dicitur de jure, quod pro Chrismate exigebatur, illud appellatum esse Consuetudinem: adde, quòd Jura Episcopalia Spiritualia, non possunt propriè vocari Consuetudines, quia à Consuetudine non sunt introducta, nec ab ea omninò pendent, sed vel Jure Divino instituta, vel Jure Ecclesiastico Communi.

QUÆSTIO VII.

Inferri-ne potest plena Exemptio; ex hac locutione; Ecclesia Exempta ab omni onere Jurisdictionis Pontificalis?

Resp. Non, quia hîc Jurisdictio propriè non sumitur pro Imperio Episcopali in alium; cùm nullus sit Exemptus, qui liber sit ab Imperio Episcopali, ut enim suprà observatum, nullus eximitur à Jurisdictione sui Episcopi, quin subjiciatur Jurisdictioni alterius Episcopi, vel Metropolitani, vel Primatis, vel Papæ, isti enim quoquo modo vocentur sunt Episcopi, sicut & illi, qui id nominis retinent; hâc ergo locutione denotatur tantùm Exemptio ab omni Jure Episcopali Temporali, quod ideò vocatur onus Jurisdictionis Pontificalis, quia jus onerosum est debitum ratione prædictæ Jurisdictionis.

QUÆSTIO VIII.

Quæ Exemptio significatur hâc locutione, ut nullus Episcopus Clericum vel Monachum talis Ecclesiæ vel Monasterii synodare nequeat? *Habetur in C.* 21. *De Privil.*

Resp. Hâc locutione eximitur, quia à Correctione in Synodo faciendâ solvitur, illi enim, qui in Synodo corrigebantur synodari dicebantur, ut nunc qui in Capitulo corriguntur, capitulari (*être Chapitrés*) dicuntur.

QUÆSTIO IX.

An Exemptio à Lege Diœcesana, de quâ in Tract. de Vicario Generali, *importet Immunitatem ab omni Jure Episcopali Temporali?*

Resp. Ita, si excipias jus emendæ; quod ad Legem Jurisdictionis spectat. *C.* 18. *de Off. Judic. Ordinar.*

QUÆSTIO X.

Quid significent hæc Verba, circà Clericos vel Monachos Exemptos, illos ad jus Professionis non teneri, quia libertati contrarium, *respiciunt-ne Exemptionem Spiritualem, an Temporalem?*

Resp. Ad Temporalem spectare videntur: horum enim sensus est, ni fallor, illos esse Exemptos ab agnoscendo Episcopo tanquàm Domino, seù potiùs Administratore rerum, quas possident, & à solvendis Juribus debitis ratione hujus Dominii.

Tom. I.

Quæstiones circà amissa vel combusta vel subrepta Privilegiorum Instrumenta.

QUÆSTIO I.

Prælatis asserentibus amisisse Privilegia, fideisne adhibenda, si assertionem fide dignam non ostenderint?

Resp. Asserenti perdidisse Privilegii Instrumentum & assertionem non probanti, non magis credendum, quàm illi, qui se jactitat habere Privilegium & non ostendit; uterque profert rem probationis indigentem; undè hæc Decisio stabilitur iisdem Textibus, quibus suprà monstratum est, illos, qui se asserunt Privilegio munitos, illud ostendere teneri. *C.* 7. *de Privil. in VI. C.* 1: *de Elect.* EXTRAVAG. COMMUN.

QUÆSTIO II.

Quomodò probanda Instrumenti Privilegium Continentis amissio?

Resp. Si de Privilegio à Sancta Sede concesso agatur, antè omnia exponenda est Summo Pontifici hæc amissio, ut deleget aliquem, qui probationes ipsius nomine recipiat, & coràm Delegato producendi Testes, qui jurati deponant, quidquid circà illud Privilegium sciunt; Delegatus autem curabit, ut Depositiones fideliter scriptis excipiantur, quo peracto, si quæ sit Pars Adversa, quæ neget, ullum extitisse Privilegium, producet Testes, quibus destruat aliorum Depositiones. *C.* 12. *de Privil.* Deponentes pro Privilegio, allegare possunt facta, quæ probent in eo contenta, quale est Papam ad osculum admisisse Excommunicatum ab Episcopo, à cujus Jurisdictione asserunt illum fuisse Exemptum, etsi justa esset Excommunicationis causa, & de Excommunicatione, nec non & de causâ conscius esset. *ibid.* ita Jure Communi.

Jure verò Gallico amissio Privilegii eodem modo probanda est, ac amissio Regestorum Baptismatum, Sepulturarum, & Matrimoniorum. TIT. XX. *art.* 14. *Ordin. Reg.* 1667. Regestorum autem jactura probatur & Titulis, & Testibus; eoque casu inter Titulos collocantur Chartæ domesticæ Parentum Defunctorum, in quibus notarunt Filiorum ortum, Baptismum, Matrimonium, Sepulturam. Pars Adversa admittitur ad probandum contrarium, &, si Reipublicæ interfit, auditur Procurator Regius. Inter Casus autem, quibus audiendus est, collocantur illi, in quibus agitur de qualitatibus ad Beneficia requisitis, de Receptione, Juramento, & Installatione ad Munera Officiaque; cùm ergò Privilegium amissum respicere possit qualitates ad Beneficia requisitas, aliaque Bonum Publicum spectantia, accidere potest, ut in probatione amissionis Privilegii vocandus & audiendus sit Procurator Regius.

Si de Privilegio Temporali ageretur, Inquisitio facienda esset ab eo, qui à Rege, à quo illud emanasset, committeretur.

QUÆSTIO. III.

Qualiter Innovandum sit deperditum Privilegium?

Resp. Post Inquisitionem factam à Deputato circà Privilegii jacturam, & ea, quæ in illo Continebantur, si constet de deperdito Privilegio & de contentis in eo, Inquisitor subjungit Inquisitioni judicium, declaratque, jacturam Privilegii satis probatam esse, atque ostensam, hæc & alia in eo expressa fuisse, si id faciendi facultas sibi data fuerit: alioquin Delegans, sivè Papa, sivè Rex hanc facit Declarationem, vel novum Privilegium veteri simile concedit. *C.* 12. *de Privil. Formul.* MARCULFI *L.* 1. 33. & BIGNONIUS in illam.

Quæstiones de Exemptionibus abrogatis per Canones Jus Commune continentes.

Restringimus has Quæstiones ad Exemptiones abrogatas à Canone Generali, quia Abrogationes factæ vel Præscriptione, vel Consuetudine, vel Canone Particulari, vix sciri possunt in Locis, ubi factæ non sunt, cæteræ verò facillimæ cognitu sunt.

Quæ circa prædictas Exemptiones quæri possint, hùc reduunt: An extent? Quotuplex earum genus? Cur abrogatæ? An abrogatio subsistat? An non abrogatæ approbatæ sint?

QUÆSTIO I.

Extant-ne Exemptiones à Canone Generali abrogatæ?

Resp. Extant plurimæ hujusmodi Exemptiones. Patebit hoc ex iis, quæ dicturi sumus de Variis illarum Generibus.

QUÆSIO II.

Quot sunt Genera Exemptionum à Canone Universali abrogatarum?

Resp. Triplex est Genus. *Primum* earum, quæ partim abrogatæ, partim conservatæ sunt; *Secundum* earum, quæ omninò abrogatæ sunt post Concessionem; *Tertium* earum, quæ per Præventionem abrogatæ prohibitione cum Decreto irritante.

Præcipua, quæ pertinent ad Primum Genus Exemptionum abrogatarum, collegi in *Tractatu de Vicario Generali*, TIT. *de Jurisdictione Episcopi à Canone Tridentino restitutâ circà Exemptos*, Cætera habes in Decreto LEONIS X. in CONCILIO LATERANENSI V. 1515. SESS. X. circà Exemptiones, Incipit *Regimini*. Hæc autem sunt 1. Exempti, quicunque sint, qui incorrecti remanent propter negligentiam illorum, quibus illorum Correctio demandata est, subjiciuntur Jurisdictioni Ordinariæ, si intrà præfixum tempus ab Ordinario, Correctio facta non fuerit, cum hâc tamen restrictione quòd Ordinarius Inquisitionem factam, & Processum debitè instructum mittet ad Pontificem, ut Exemptos Reos puniat.

2. Protonotarios non deferentes habitum & Rochettum, Protonotariatus Insignia, & Officiales Sedis Apostolicæ actu Officia sua non Exercentes, judicare potest Ordinarius in Causis Criminalibus non excedentibus summam ibi præfixam.

3. Familiaritatis Litteras Habentes à Cardinalibus, qui non sunt actu Commensales, Ordinario subsunt, nisi vel propter eorum negotia ab iisdem missi fuerint, vel recreationis causâ, per tempus abfuerint.

4. Visitare potest idem Ordinarius semel per annum singula Monialium Monasteria immediatè subjecta Sedi Apostolicæ.

Secundum Genus Exemptionum, nempè omninò abrogatarum, videre est in *Concilio Constantiensi* SESS. XLIII. Decreto *Attendentes*, In illo abrogantur omnes Exemptiones concessæ per 40. annos elapsos à morte GREGORII XI. an. 1378. usque ad istam Sessionem, quæ est an. 1417. tàm Monasteriis & Capitulis, quàm Singularibus Personis. Excipiuntur, 1. Quæ toti Ordini concessæ sunt. 2. Quæ in Fundatione Monasterii, Capituli, Beneficii, concessæ. 3. Quæ ab Universitatibus vel Collegiis impetratæ. 4. Quæ per modum Confirmationis, vel Augmenti, seù Additionis factæ. 5. Quæ Auditis, quorum intererat, & Consentientibus Ordinariis, obtentæ. Revocantur & abrogantur quoque Exemptiones omnes perpetuæ, quæ per Inferiores à Papâ per idem tempus concessæ sunt.

Tertium Genus Exemptionum abrogatarum, nempè earum, quæ per Præventionem abrogatæ sunt, habes in Decreto *Regimini* suprà citato V. *Concilii Lateranensis*. In illo irritas decernit Exemptiones, quæ concedentur absque rationabili causâ, & iis, quorum interest, non Citatis. De vocandis Partibus item caverat *Concilium Constantiense*. SESS. XLIII. *Decreto suprà citato*.

QUÆSTIO III.

An Abrogatio prædictarum Exemptionum vigeat adhùc?

Resp. Nullum legi Canonem, qui abrogatas has Exemptiones restituat; extare verò videntur nonnulla Exempla contraria Decreto irritanti Exemptiones concessas non Citatis, quorum intererat; Tales sunt Exemptiones concessæ quibusdam Ordinibus Regularibus post dictum *Concilium Lateranense*. Veluti, quæ Societati Jesu, Monialibus Carmelitanis, Congregationi de Doctrinâ Christianâ, Ordini Monialium Calvariæ; Dico, illas Exemptiones videri contrarias Decreto citato, quia generale est, nec ullum Exemptionis genus exipit, undè intelligi potest tàm de illis, quæ totum Ordinem respiciunt, quàm de illis quæ singulares Conventus, vel Domos, vel Personas: præterea, dùm agitur de Exemptione toti Ordini conferendâ, multò major est Ratio audiendi eos, quorum interest, quia ad Plures extenditur præjudicium, nempè ad omnes Episcopos; cùm in singulis Episcopatibus erigi possint Conventus Ordinis Exempti; idcircò existimo, Exemptiones prædictas includere conditionem, *Salvo Ordinariorum consensu*.

QUÆSTIO IV.

Cur Exemptiones memoratæ abrogatæ fuerint?

Resp. Causæ Abrogationis inferuntur ex duobus Decretis citatis, Hæ autem sunt, 1. Concessio facta fuerat absque justâ causâ, Quod colligitur ex his verbis Decreti *Attendentes, pro voluntate suâ*, quibus insinuat, Pontifices illas Concedentes voluntatem suam, non rationem, secutos fuisse. 2. Concessæ fuerant propter importunitatem Petentium: id expresè habet idem Decretum. 3. Concessæ erant non Auditis, quorum intererat, ac non Consentientibus Ordinariis; Infertur ex eo, quòd idem Decretum excipiat, conservetque nominatim Exemptiones concessas auditis, quorum intererat, & Consentientibus Ordinariis: præterea expresè in fine damnat Exemptiones aliter concedendas. 4. Exemptiones occasionem dabant liberiùs peccandi & impunè. *Vid.* Decretum, *Regimini*.

QUÆSTIO V.

An Quævis à CONCILIO TRIDENTINO *facta Abrogatio vim suam habeat?*

Resp. Abrogationes factæ à *Concilio Tridentino* circà Exemptiones Ecclesiarum Cathedralium, vires suas non habent; nam 1. extant Ecclesiæ Cathedrales etiam in Provinciis, quæ *Concilii Tridentini* Decreta omnia & singula solemniter receperunt, quæ protestatæ sunt contrà Abrogationes suorum Privilegiorum, Exemptionum que; ejus generis sunt Ecclesiæ Cathedrales Provinciæ Cameracensis; Illarum Protestatio habetur CONC. *Tom. XV.* p. 200. his concepta verbis, *Protestando tamen validitatem Privilegiorum nostrorum, Jurisdictionum, Exemptionum nobis firmam fore autoritate Sedis Apostolicæ, si Sanctissimus Dominus Noster Papa, nostris rationibus exhibitis, det seù Interpretationem, seù Moderationem Decretis Concilii Tridentini.*

QUÆSTIO VI.

An Exemptiones non abrogatæ à CONCILIO CONSTANTIENSI, *ab eodem censeantur approbatæ?*

Resp. Videntur approbatæ, quia post aliarum Abrogationem, Concilium hæc addit, *Cæteris autem Exemptionibus antè obitum dicti Gregorii habitis, vel concessis, nullum volumus per hoc præjudicium generari.* Sed hæc Ratio non evincit, Concilium has Exemptiones approbasse, cùm allata verba significent tantùm, Concilium velle illas salvas esse, seù non abolitas, & longè absit ab Approbatione consilium non abrogandi; eodem planè modo, quo Permissio à Tolerantiâ distat; Quod enim permittitur; approbatur: Quod verò toleratur, non approbatur; sed duntaxat salvum esse finitur usquequò possit abrogari. Præterea certum est, non potuisse Concilium approbare Exemptiones, quibus inerant vitia, propter quæ cæteras abrogabat, nempè defectum justæ causæ, defectum Citationis eorum, quorum intererat, & Consensûs Ordinariorum, qui spoliabantur jure: at verò similimum est, inter Exemptiones antè obitum GREGORII XI. concessas, non paucas extitisse, quæ his vitiis laborabant.

SECTIO III.

Quæstiones nonnullæ extrà locum suum positæ, præcedentium Expositoriæ vel Suppletoriæ.

QUÆSTIO. I.

An qui Jurisdictionem contrà Episcopum præscribit, non præscriptâ Territorii parte, illam ita acquirat, ut Episcopus per Præventionem illam exercere nequeat?

Quærendi causa: Quoties Territorii pars non præscribitur, Jurisdictio remanet in illo, ad quem Territorium pertinet: si ergò, non præscriptâ Territorii parte Jurisdictio præscribatur contrà Episcopum, ita ut iste nec per Præventionem exercere valeat, sequitur, quòd ex suppositione Jurisdictionem habeat, cùm locus, in quo exercenda est, sibi subesse supponatur, aliundè verò

Jurisdic-

Jurisdictione careat, cùm illam etiam per Prævention-em exercere nequeat.

Respondetur, totam alicujus Loci Jurisdictionem Spiritualem præscribi non posse, quin præscribatur Territorii pars, in quo existit, ita ut illam ex Prævention-e exercendi facultas non remaneat penès illum, ad quem anteà pertinebat, alioquin in eodem Loco Duo Capita forent nequaquàm sibi Subordinata: Partem verò Jurisdictionis posse præscribi, Territorii parte non præscriptâ; non enim repugnat certam Jurisdictionis partem ab uno possideri, aliam verò ab alio, cùm in eodem Districtu diversæ Personæ circà diversas res Jurisdictione potiantur; prætereà id clarè demonstrant. *C.* 15. & 18. *De Præscript.* in quibus Jurisdictionis pars Jure Communi adjudicatur Episcopo, Præscriptionis autem Jure alia pars Abbati tribuitur in eodem Territorio.

QUÆSTIO II.

Quæritur, An in Corpore Juris Canonici mentio fiat de Exemptis nullius Diœceseos, an saltem de iis sermonem faciat Concilium Tridentinum?

Ad Primum Respondetur, de hujusmodi Exemptis ne verbum quidem haberi in toto Juris Corpore.

Ad Secundum Respondetur, CONCILIUM TRIDENTINUM loqui de Exemptis nullius Diœcesis, *C.* 10. SESS. XXIII. *C.* 2. SESS. V. *De Ref.* §. *id verò*, in quo de Monasteriis, quæ, etsi intra Diœcesim sint, nullius esse Diœcesis non desinunt, quia non à Jurisdictione solùm, sed à Situ libera sunt; & §. *Si quæ verò*, in quo *Concilium* loquitur de Monasteriis nullius Diœcesis existentibus, quia revera intrà nullam sita sunt.

Circà quod notandum, Locorum nullius Diœcesis duplex genus esse; Aliud nempè illorum, quæ ad nullam unquàm Diœcesim pertinuère, qualia, quæ à Paganis aliisque Infidelibus possessa, ad Fidem à Monachis Episcopo nulli Subditis conversa, iisque relicta, vel nonnullæ Insulæ Monachis eâdem similivè de causâ concessæ: qualia etiam, quæ extrà Fines cujusvis Diœcesis in Episcopatuum erectione relicta, vel in Confinibus alicujus sita, Exemptione extrà Fines constituta sunt. Aliud Locorum nullius Diœcesis genus est, illorum, quæ intrà alicujus Diœcesis, vel initio vel successu temporis comprehensa ita ab Episcopo exemit Papa, ut etiam inter ipsius Diœceseos Membra recenseri noluerit dicique ad illam pertinere.

QUÆSTIO III.

Quæritur, an in Jure de Exemptis, qui Jurisdictionem habeant Episcopalem, vel saltem in CONCILIO TRIDENTINO *sermo fiat?*

Ad Primum Respondetur, Textus omnes, qui loquuntur de Monasteriis vel Abbatibus, quæ Jura Episcopalia, vel omnia, vel illorum partem, præscripserant, de Exemptis, qui Jurisdictionem Episcopalem vel in toto, vel in parte habent, mentionem facere; Tales autem *C.* 15. 18. *De Præscript. C.* 3. *De in integrum Restitut.*

Idem dicendum de Textibus, qui loquuntur de Regularibus Ecclesias pleno jure Possidentibus; Tales sunt *C.* 13. *de Sent. & Re Jud. C.* 31. *De Præb. C.* 3. *De Privil.* §. 2. *C.* 3. *De Privileg. in VI.* quod in §. *nec eis licitum.* de Abbatibus.

Ad Secundum Respondetur, CONCILIUM TRIDENTINUM *C.* 11. SESS. XXV. de Regularibus, expressè loqui de Abbatibus ac aliis Superioribus Regularibus, qui Jurisdictionem Episcopalem habent.

QUÆSTIO IV.

Quæritur, An Exemptio, quâ Quis immediatè Sedi Apostolicæ subest, memoretur in Jure & in CONCILIO TRIDENTINO?

Respondetur 1. Apud GRATIANUM memorari duobus locis, nempè *C.* 52. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quo primùm eximit PELAGIUS, deindè GREGORIUS Episcopum à Jurisdictione sui Metropolitani, illumque Papæ immediatè subjiciunt; & *C.* 18. CAUS. XVIII. QUÆST. II. in quo Exemptionem hujusmodi in Abbatibus damnare videtur PASCHALIS II. dùm ait, *Abbatibus, qui neque sub Episcopo, neque sub Metropolitano, neque sub Primate, neque sub Patriarchâ sunt, nullus prorsùs Episcoporum Episcopalia administret. Cùm enim se nulli Episcopo omninò subesse profiteantur, consequens est, ut nullus Episcoporum, quæ sua sunt, eis tanquàm Extraneis largiatur.* Sed verisimiliter loquitur de Exemptione usurpatâ.

2. Apud GREGORIUM IX. iterùm atque iterùm de Exemptione hujusmodi fieri mentionem, hujusque rei testes esse. *C.* 4. *De Confirm. utili C.* 2. *De Capel. Monachorum. C.* 8. 12. 13. 16. 17. *De Privil. C.* 7. 8. *De Statu Monach. C.* 7. *De Consuet. C.* 5. *De Arbitris.*

3. Apud BONIFACIUM *C.* 4. 10. *De Privil.* ex quorum priore colligi posse videtur, Exemptorum nomine intelligi, qui ab Ordinarii Jurisdictione liberi Summo Pontifici immediatè subsunt, cùm ibidem ALEXANDER IV. hujusmodi Exemptos simpliciter Exemptos vocet, dùm ait: *Exempti autem sine Nostrâ Licentiâ Oratoria non constituant.*

4. Apud CLEMENTEM V. *Clem.* 2. *De Statu Monachor.* ex quâ inferre licet, Exemptarum Monialium duplex fuisse genus, nempè alias, quæ Sedi Apostolicæ immediatè subserant; alias verò, quæ nec Papæ, nec Ordinario proximè subjiciebantur, sed vel Archiepiscopo, vel Primati vel Regularibus ejusdem Ordinis.

Posterioris Monialium generis plura præbet exempla Gallia, cùm Carmelitanæ, Calvarianæ, Benedictinæ nonnullæ, nec Papæ, nec Ordinario, sed aliis Superioribus tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, quos sibi eligunt, proximè subsint. In EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS *C.* 1. *De Privileg. C.* 9. *De Præb.*

QUÆSTIO V.

Quæritur, An, & in Quo differat Monialium Exemptio à Monachorum Exemptione?

Respondetur, in nonnullis certè differre, eaque esse non alia, quàm ista. 1. Quæcunque Monialium Monasteria Sedi Apostolicæ immediatè Subjecta visitari ab Ordinario possunt, tanquàm Sedis Apostolicæ Delegato. *Clem.* 2. *De Statu Monach.* 2. Eadem Monasteria ab Episcopo tanquàm ejusdem Sedis Delegato gubernanda esse, constituitur. *C.* 9. SESS. XXV. *De Regular.* 3. Circà Monialium Exemptarum Clausuram Episcopo facultas datur, illam restituendi, ubi violata est, conservandi, ubi inviolata est, Inobedientes & Contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas compescendi, eaque omnia Apostolicâ autoritate faciendi. 4. Nullum Monialium Monasterium Romæ Situm, Titulo cujusvis Cardinalis subest *C.* 2. *De Capel. Monachor.* Ex his autem Articulis ergà Monachos nullus locum habet.

Articulus alius extat, in quo Moniales Exemptæ à Monachis itidem Exemptis differre videntur, nempè in eo, quòd Moniales sint, quæ nec Papæ, nec Ordinario immediatè subsint, sed aliis; at in hoc non differunt cùm *C.* 7. *de Statu Monach.* mentionem faciat de Monachis, qui per Visitatores à Capitulis Generalibus Deputatos gubernantur, corrigunturque.

Aliud quoque videtur esse discrimen inter Moniales Exemptas & Monachos Exemptos, in eo scilicèt, quòd illarum Monasteria, cùm non dependeant alia ab aliis, peculiari Singula egent Exemptione. Monasteriis verò Monachorum ob contrariam rationem Generalis Exemptio sufficiat: at falsum, utrosque inter hoc esse discrimen, cùm de Monasteriis Monachorum, quæ ab aliis alia invicem non dependent mentio fiat in *C.* 7. *de Statu Monachor.* prætereà, ut Generalis Exemptio Monasteriis sufficiat, non requiritur, ut alia aliis subsint, sed satis, ut ejusdem sint Ordinis, vel Congregationis.

Notandum circà Clausuram, quòd Jure Communi Moniales semper Subjectæ fuerunt Episcopo, saltem ut Sedis Apostolicæ Delegato, nec ullum extat peculiare cuiquam illarum Congregationi, vel Monasterio Privilegium in Corpore Juris clausum; cùm in toto Juris Corpore, junctoque Concilio Tridentino, duo sint Textus tantùm, qui de Clausurâ loquantur, nempè *Caput Unicum, de Statu Regul. in* VI. & *C.* 5. SESS. XXV. *de Regular.* In utroque autem, Episcopo quoad Clausuram subjiciuntur Moniales, aut ut Ordinario, aut ut Sedis Apostolicæ Delegato.

QUÆSTIO VI.

Quæritur, An Prælatus, cui Exemptus immediatè subjicitur, quam haberet Ordinarius, in illum habeat Jurisdictionem?

Respondetur, id ita esse, variis ex Juris Canonibus colligi; nam 1. *C.* 44. *de Elect.* docet, Exemptos immediatè Sedi Apostolicæ Subjectos teneri Confirmationem petere ab illâ Sede, sicut peteret ab Ordinario suo.

2. *C.* 7. *de Consuetud.* ostendit, Exemptum Dignitati renuntiare non posse sine Papæ Licentiâ, sicut non posset, non permittente Ordinario.

QUÆSTIO VII.

Quæritur, An Prælato Exempti Proximo illum corrigere negligente, Ordinarius istius negligentiam supplere possit?

Quærendi causa. In Exempti commodum datur Exemptio, cessare ergò debet, quandò id illius exposcit utilitas.

Respondetur, quosdam Juris Textus affirmativæ sententiæ favere: nam in *C.* 6. *de Offic. Ordin.* docetur, Delegati desidiam in Appellationis Causâ ab Episcopo suppleri posse. Appellans autem inter Exemptos quoad aliquam partem connumerari potest.

C. 7. *Eod.* TIT. permittit Archiepiscopo Ausitano, ut, si Regularium Vagantium, propriumque Habentium, Prælati ab ipso commoniti ad Monasteria revocare, proprium abdicare, illos compellere neglexerint, per Suspensionem Beneficii Officiique ipse compellat. Istud autem Caput de omnibus Provinciæ Ausitanæ Regularibus indistinctè loquitur, inter quos non fuisse nonnullos Exemptos credere fas non est.

C. 19. *Eod.* TIT GREGORIUS IX. Episcopum vituperans, quòd Exemptos correxisset, quanquàm illos corrigere Abbas paratus esset, insinuat, illum vituperandum non futurum fuisse, si Correctionem Abbas neglexisset.

Eidem sententiæ favet CONCILIUM TRIDENTINUM. *C.* 8. SESS. XXI. *de Ref.* quod Episcopis visitare permittit Commendata Monasteria, in quibus viget Regulæ Observantia, si moniti Prælati Regulares intrà sex menses non visitent.

QUÆSTIO VIII.

Quæritur, An ex quo alicui jure pleno subjecta est Ecclesia, omni Episcopali Jure gaudeat?

Quærendi causa: Circà rem habere plenum jus, & habere totum jus, idem esse videtur.

Respondetur 1. fieri non posse, ut cuicumque pleno jure subest Ecclesia, quolibet Episcopi Jure in illâ potiatur, cùm sint Jura non pauca, quorum soli Episcopi capaces sunt, alii autem, quàm Episcopi, Ecclesias pleno jure possidere possunt.

2. Jura Episcopalia duplicis esse generis; Alia nempè sunt Personalia, atque ideò per alios exerceri nequeunt: tale est jus solemniter benedicendi Populum post Missarum Solemnia, Vespertinas, & Matutinas, vel per vias & plateas; Alia non Personalia, quæ per alios exerceri possunt, talia sunt Tonsuræ, Chrismatis Distributio, aliaque similia, de quibus. *C.* 13. *de Sent. & Re Jud.*

Prioris generis Jura non competunt cuicumque Ecclesias pleno jure Possidenti; idcircò Populum solemniter benedicendi facultas ad Abbates pleno jure Ecclesias Possidentes, sine speciali Privilegio, non pertinet. *C.* 3. *De Privil. in* VI. quin imo ad priorem prædicti juris partem Privilegium istud restringitur ibidem, nempè ad benedicendum in Ecclesiâ.

Posterioris verò generis Jura cuique Ecclesias pleno jure Possidenti pertinere possunt, idque docet. *C.* 13. *De Sent. & Re Judicata.*

QUÆSTIO IX.

Quæritur, An, per Libertatem alicui Ordini, vel Monasterio, vel Capitulo in Exemptionis Privilegio concessam, absoluta Exemptio intelligatur?

Quærendi causa: Libertas duplex, perfecta & imperfecta, de utràque ergò Privilegium intelligi potest.

Respondetur, ex variis Juris locis colligi, per Libertatem, absolutam Exemptionem non intelligi, nam 1. *C.* 5. *De Excess. Præl.* ex quo nascitur difficultas, agnoscit, quòd Cistercienses, quibus concessam dicit Libertatem ab ALEXANDRO III. illiusque Prædecessoribus, Episcopo obedientiam debeant. 2. *C.* 43. *De Simon.* ex HONORIO III. desumptum, idem agnoscit, referendo Juramentum ab Abbatibus Cisterciensibus Episcopo præstari solitum, in quo inter alia promittebant Abbates Subjectionem, Obedientiam, Reverentiam secundùm Regulam S. Benedicti. 3. *C.* 1. *De Supplend. negl. Præl.* ostendit, Abbates Cistercienses Episcopo Diœcesano quoad Benedictionem recipiendam subjici; Ab ALEXANDRO III. desumitur hoc Caput, qui Ordinem Cistercienſem à Prædecessoribus suis liberum factum suprà dixit. 4. *C.* 7. *De Privil.* docet, eos, qui libertate donantur, plus minùsve libertatis habere pro tenore Privilegiorum.

QUÆSTIO X.

An sit aliquod Privilegium Ecclesiasticum, quod amitti nequeat?

Omnia hujusmodi Privilegia, ad quatuor genera reducuntur; nempè, 1. Canonis, *Si quis suadente*, quo excommunicantur, ipso facto, qui in Ecclesiasticos sivè Sæculares, sivè Regulares violentas manus temerè injiciunt, 2. Fori, quo iidem eximuntur à Jurisdictione Judicis Sæcularis, 3. Rerum, seù Bonorum, quo illa ab oneribus, quibus subsunt Bona Sæcularia, eximuntur. 4. Locorum, quo à pœnis liberantur Rei ad illa Confugientes.

Hoc posito, Quæritur, an inter illa aliquod sit, quod amitti non possit? Quæstio hæc figillatim variis in locis hujus Operis decisa est affirmativè, ostensumque, hæc Privilegia esse ab Humano Jure introducta, ideòque, ab eodem aboleri posse; Primum à Jure Ecclesiastico merè Positivo; cætera à Principibus concessa, proindèque ab iisdem revocari posse; vel minùs post stabilitam hanc Sententiam, meliori modo, quo fieri potuit, Sententia contraria, quæ videtur esse ferè communis Canonistarum, existimantium tria postrema Juris Divini esse, exposa est. Ut autem Lector hujus Decisionis hùc illùcque dispersæ moneatur, totaque insimùl habeatur, hanc Quæstionem proponendam duximus; necessarium quoque visum est indicare loca præcipua, in quibus hâc de re actum est; sunt autem 1. *Tractatus de Censuris*, ubi fusissimè explicatus est citatus Canon. 2. *Tractatus de Judiciis*, ubi probatum est Exemptionem Ecclesiasticorum à Foro Sæculari merum, esse beneficium Principum, tàm quoad Civilia Negotia, quàm quoad Crimina. 3. *Tractatus de Immunitatibus*, ubi de illâ, quæ ad Res pertinet, & de illâ, quæ versatur circà Loca; De his singulis Privilegiis egerunt præter GERMONIUM Taurinensem Archidiaconum, qui tres Libros de prædicta Immunitate triplici composuit amplissimos, FAGNANUS, & GONZALEZ, idque variis in locis, illaque, is præter Primum, Juri Divino ascribit, ideoquè illa amitti non posse, saltem quoad maximam illorum partem.

QUÆSTIO XI.

Quæritur, An sint, qui Jurisdictioni Episcopi non subsint in Judiciis ad Doctrinam pertinentibus: ita ut sibi liceat judicare falsum, quod verum Episcopus declaravit, vel falsum dicere, quod verum Episcopus judicavit; accipere Opus aliquod ab Episcopo non probatum pro Normâ docendi ac judicandi de veritate vel falsitate Doctrinæ, in solvendis dubiis circà Doctrinam propositis?

Quærendi causa. Academiæ Theologicæ jactitant sese ab Apostolicâ Sede institutas, suumque Cancellarium, qui ad gradum Doctoralem admittit, id facere, ut Delegatum ejusdem Sedis, ideòque, dùm benedicit Doctores, illis declarat, se illis concedere licentiam docendi ubicùnque Terrarum, quam profectò dare non posset, nisi ab eo, cujus Potestas per totum Orbem Christianum extenditur, autoritatem suam teneret.

Hinc autem sequi videtur, Academias istas in Judiciis circà Doctrinam non subesse Episcopo, proindèque posse in Re Doctrinali aliud sentire & docere, quàm ipse Episcopus sentiat, doceatque.

Respondeo, eâ non obstante dubitandi ratione, dicendum, quòd nulla sit circà Doctrinam Exemptio ab Episcopi Jurisdictione; id patet ex Decretis CONCILII TRIDENTINI: Præcipiunt enim, ut Exempti circà Prædicationem, circà Lectiones Theologicas, circà Librorum

rum Censuram, nec non eorum Approbationem, Episcopis pareant. SESS. IV. *C. Unico.* SESS. V. *C.* 1. & 2. SESS. XXIV. *C.* 4. In his Decretis Concilium expresè meminit Regularium, quorum maxima Pars ab Episcopi Jurisdictione eximitur. Notandum obiter, Concilium Academias Theologicas Episcopo ita Subjectas velle, ut vetet, ne quis in iis Theologiam legat, nisi ab Episcopo ad id probatus. Idem patet Edictis Regiis, nempè inter alia *Art.* 30. EDICTI 1695. *circà Jurisdictionem Ecclesiasticam.* Idem inferre est ex Litteris Patentibus circà Publicationem Constitutionis *Vineam Domini Sabaoth.* 1705. ac Constitutionis *Unigenitus* an. 1714. hinc facilis solutio rationis oppositæ, siquidem patet, Potestatem Academiarum circà Doctrinam subesse Potestati Episcopali, Clave non errante.

QUÆSTIO XII.

Quæritur, An Actus, quo deliberatur ab Academiâ Theologicâ, an hoc illud-vè Opus recipiendum sit pro Norma docendi, sit Actus Jurisdictionis?

Videtur, quòd hic Actus ad Jurisdictionem non spectet, cùm nihil aliud esse appareat, quàm Examinatio, an dignum sit, ut habeatur pro Normâ docendi & judicari possit ab Academiâ de hoc dubio, absque Jurisdictione, eodem planè modo, ac de illo judicat Doctor privatus.

Contrarium tamen *Tenendum* sentio, quia finis proximus illius Deliberationis est, ut ipsa Academia sibi Legem statuat strictè servandam, sequendi Doctrinam in Opere contentam, tàm in disputando circà Res Theologicas, quàm in decidendo proposita dubia, Lex autem non conditur absque Jurisdictione.

Hanc Resolutionem confirmat *Canon* 3. DIST. IV. in quo *S. Augustinus* comparat Judicium, quo habita Deliberatione judicatur, aliquid in Legem statuendum vel accipiendum, cum Judicio, quo juxtà illud jam pro Lege receptum, judicatur. Hinc autem sequitur, quòd sicut Judicium Posterius, est Actus Jurisdictionis, idem quoque de Priori dicendum sit. Hinc ruit allata Comparatio judicii Doctoris Privati cum judicio Academiæ, cùm propriè loquendo nemo possit habere jurisdictionem in se ipsum.

SECTIO IV.

Regulæ circà Exemptiones. Et primò, de Exemptione circà Visitationem.

REGULA I.

Ex corrigendi jure nascitur visitandi jus, medium enim ad Correctionem aptissimum Visitatio, Correctio verò Visitationis potissimus finis.

Hinc in Jure Visitatio & Correctio, tanquàm quæ separari non debeant conjungi solent; Correctio præcipitur aut permittitur, quotiès Visitatio præcipitur, aut, cui de Jure pertinet, permittitur. Hujus Conjunctionis testimonia habes *C.* 7. 8. *De Statu Monach. Clem.* 2. *Eod.* TIT. C. 3. 4. SESS. VI. *De Ref. C.* 11. SESS. XXV. *De Regul.* Hinc Visitatio ejusdem utilitatis, necessitatis-vè est, ac Correctio; hinc, sicut Correctio à Subdito contrà Prælatum præscribi non potest, ita nec Visitatio; & sicut Prælatus contrà Prælatum corrigendi Subditos alienos jus præscribere potest, ita & visitandi jus alienos Subditos.

Hinc, sicut in Correctoriis, Appellatio Sententiæ effectum non suspendit, ita quæ in Visitatione statuuntur Appellatione non suspenduntur.

Hinc, cujus est corrigere, ejus est & visitare.

Hinc Juris Textus, quibus alicui vindicatur corrigendi facultas, eidem visitandi potestatem tribuunt.

Hinc, qui præscribit jus corrigendi, visitandi jus etiam præscribit.

Sed ne, quæ dicta sunt, errandi occasio sint, Notandum, corrigendi jus alicui competere posse Lege Divinâ & Lege Humanâ: Priori modo, pertinere ad Prælatum, inter quem & Subditos Divina est Subordinatio; Posteriori, spectare ad Prælatum, qui aliis Humano Jure tantùm præest. Contrà Legem Divinam præscribi non posse; Contrà Humanam posse.

Hinc cùm Illi, qui à Spiritu Sancto positi regere Ecclesiam Dei, Jure Divino Regendis præsint, oportet ut saltem Episcopi, qui inter illos præcipui sunt, Divinâ Lege corrigendi jus habeant, atque ideò, ut contrà Episcopum ipsius Grex à Correctione Exemptionem præscribere nequeat; cùm verò Metropolitanus Episcopis non præsit nisi Lege Humanâ, oportet, ut Episcopi contrà Metropolitanum ab istius Correctione Immunitatem Præscriptione acquirere possint.

Quod de Metropolitanis dictum est, ad Primates, Patriarchas similesque Prælatos Constitutione Humana Institutos extendendum.

Hinc malè discurreret, qui diceret, contrà Metropolitanos à Visitatione Libertatem præscripserunt Episcopi. Episcoporum ergò Subditi contrà ipsos eandem Libertatem præscribere possent.

Hinc, cùm Humanâ tantùm Lege fiat, ut talis Grex tali Pastori adunetur, subjiciaturque, Lex verò Divina præcipiat, ut quilibet Grex cuidam subsit Pastori; oportet, ut talis Grex Exemptionem à Visitatione talis Pastoris præscribere possit; Libertatem verò à Visitatione cujusvis præscribere nequeat.

Quæ de Visitatione hactenùs dicta sunt, omnium circà illam Canonum fundamenta sunt, idcircò illorum, qui de Exemptione à Visitatione loquuntur, Collectioni præmitti debuerunt, ut faniùs judicare liceat, quæ circà Visitationem Exemptio concedi possit, vel non possit.

REGULA II.

A Visitatione, quæ nec à Jure præscripta, nec permissa, vel quæ præcepta in Desuetudinem abiit, nulla est propriè dicta Exemptio.

Hinc, cùm Primati vel Patriarchæ Canones nunquàm præceperint, nec permiserint, ut Districtus suos visitarent, nullus propriè dici potest ab illorum Visitatione Exemptus.

Hinc quoque, cùm Canones Metropolitano præcipientes ut Provinciam suam visitet, jamdiù obsoleverint, ab illius Visitatione, quis ineptè diceretur Exemptus.

REGULA III.

Nemini unquàm à Jure indultum est, ut à nullo Prælato visitetur; imò, ne id fiat, non unus Canon prohibet.

Prohibitio, de qua loquitur Regula, colligitur ex. *C.* 8. DIST. XCIII. *C.* 18. CAUS. XVIII. QUÆST. II. *C.* 12. 16. *De Præscript. C.* 7. *De Statu Monach. Clem.* 2. *Eod.* TIT. eaque justissima est, nam Acephalus foret, qui Visitatore careret, indignus esset, quibus egeret, Pastoris auxiliis, Subditus non haberet, cui obediret, nec Ovis, qui illam Esurientem pasceret, Deviantem reduceret, Infirmam curaret: quantùmvis Quis Exemptus sit, Visitationi Ordinarii tanquàm Sedis Apostolicæ Delegati, vel illorum, qui sibi maximè præsunt, subjicitur: demùm, ne quis sine Visitatore sit, Abbates, Prioresque, qui proprios non habent Abbates, celebrare Capitula Generalia tenentur, in quibus Visitatores sibi eligant. *C.* 7. *de Statu Monach.*

REGULA IV.

Ex eo, quòd alicui dentur peculiares Visitatores, non eximitur ab Ordinarii Visitatione.

Colligitur ex *C.* 7. *de Statu Monach.* In illo enim additâ Clausulâ, *Salvo jure Diœcesanorum,* illis conservatur visitandi jus ergà illos, quibus peculiares dantur Visitatores; TANCREDUS in illud *C.* sic illud interpretatur *in Notis suis in* 4. *Collect.*

Circà quod Notandum, tunc temporis, nempè sub INNOCENTIO III. *Pontifice* extitisse Abbates, Prioresque, in Congregatione non positos, quique ideò Capitulum Generale celebrare non consueverant; inter illos autem fuisse, qui Sedi Apostolicæ immediatè subserant, alios verò, qui Episcopo Subjecti remanserant: tàm Exemptos, quàm non Exemptos, simùl convenire debuisse, & in Capitulo Generali Visitatores eligere, qui vice Papæ, illos visitarent & corrigerent, eâ tamen lege, ut Deponendi Episcopo denuntiarentur, ut illos deponi curaret, quo illud Negligente, ad Sedem

Apostolicam referenda res erat; propter Exemptos Visitatoribus suas vices commitere debuisse,& propter non Exemptos Depositionem vel Depositionis curam Episcopo fuisse remittendas. HONORIUM verò III. *C. sequenti*, circà Depositionis negotium, Exemptos à non Exemptis distinxisse: Priorum Depositionem quovis casu Sedi Apostolicæ reservasse; Posteriorum Episcopo dimisisse.

REGULA V.

Clementinâ 2. de statu Monach. antiquior nullus Textus est, qui de Exemptione à Visitatione Episcopi mentionem expressam faciat.

REGULA VI.

Eadem Clementina insinuat, à Visitatione Episcopi Libertatem cœpisse cum absolutâ ab ejusdem Jurisdictione Exemptione, quâ, qui potiuntur, soli sunt, qui dici possint absolutè Exempti, ideòque longè anteà, confusè saltem illius Canones meminisse.

Tancredus in *C. nihil. de Elect.* vocem, *Exemptus* sumit absolutè. Idem facit *Summarium C. Grave. De Off. Ordin.*

REGULÆ FUNDAMENTUM. CLEMENS V. Distinguens Monialium Monasteria in Exempta & non Exempta, præcipit, Priora visitari ab Episcopo tanquàm Sedis Apostolicæ Delegato, si huic Sedi immediatè subsint; sin autem, ab iis, quibus proximè subjiciuntur, Posteriora verò ab Episcopo,ut Episcopo: Quâ Distinctione ostendit, Exemptorum nomine intelligendos, qui ab Episcopi Jurisdictione omninò liberi facti sunt; undè sequitur, quòd, cùm longè anteà Canones de absolutâ Episcopi Jurisdictionis Libertate loquantur, Exemptionis à Visitatione Episcopi confusè saltem multò antè CLEMENTEM V. mentionem fecerint.

Textuum autem Juris Canonici,qui absolutæ Exemptionis ab Episcopi Jurisdictione meminêre, antiquissimi videntur, qui ex Epistolis ALEXANDRI III. desumpti sunt, quales inter alios *C.3. de Privil.* in quo de abusu à Fratribus Templi & Hospitalis, aliisque Religiosis ab Episcopi Jurisdictione Exemptis ratione hujus Exemptionis commisso. §. 2. *Eod. Cap.* In quo mentio fit de Ecclesiis pleno jure possessis ab hujusmodi Exemptis, Ecclesiæ autem istæ ab Episcopi Jurisdictione omninò liberæ sunt. §. 4. *Eod. Cap.* In quo de Confratribus Regularibus in proprietatibus suis Remanentibus, dicitur Episcopo Subjectos remanere, quia Ordinum prædictorum Membra non sunt. *C.* 8. In quo docet, malè concludi,quem Ecclesiæ Romanæ immediatè subesse ex eo, quòd illi Sensum solvat, cùm sicut non omnes Ecclesiæ,quæ Sedi Apostolicæ proximè subsunt, eidem Sedi solvunt Censum, ita nec omnes, quæ illi Censum solvunt, ad illam immediatè pertinent. INNOCENTIUS III. In *Cap.* 17. *De Privil.* de concessâ Exemptione absolutâ Cœnobio Evasenensi in Diœcesi Wigornensi à CONSTANTINO ad Pontificatum electo an.707. mentionem facit.

Idem INNOCENTIUS. In *Cap.* 4. *De Confirm.* similis Exemptionis concessæ ab AGAPETO Monasterio de Gandasen in Diœcesi Hildesemensi meminit. AGAPETUS autem *Junior* an. 946. ad Pontificatum promotus est, *Senior* verò ann. 534.

Quod in hâc Regula VI. dictum de absolutâ Exemptione,explicandum juxtà Quæstionem VIII. earum,quæ extrà locum suum positæ sunt.

REGULA VII.

Antè & post Exemptiones quoad Spiritualia Sæculo VI. Monasteriis concessas, complures sunt Juris Textus, qui Episcopi Visitationi Monasteria subjiciunt, vel Subjecta supponunt, declarant, attestantur.

Textus, qui rem probant, hi esse videntur 1. *C.* 16. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Desumitur ex *Concilio Arelat.* celebrato an. 511. in quo Abbates dicuntur esse in Potestate Episcoporum atque ab iis corrigendi, si quid extrà Regulam suam faciant, Visitatio autem ad Corrigendorum notitiam, Correctionemque, necessaria est.

2. *Caput* 29. *ibidem* relatum, ex eodemque Concilio desumptum, quod Episcopis præcipit,ut non semel, sed sæpiùs in anno visitent Monasteria Monachorum, ut, si aliquid corrigendum fuerit, corrigant.

3. *C.* 10. CAUS. X. QUÆST. I. è *Concilio Tarraconensi* an. 516. celebrato desumptum; in hoc enim Concilium Episcopo præcipit, ut annuis vicibus Diœceses visitet, Ecclesiasque Destitutas vel Dirutas reparari procuret, ideòque,cùm Monasteria sint Diœcesum Membra, illorumque Ecclesiæ inter illas,quæ ad Diœcesim pertinent, recenseantur, hæc inter visitanda, comprehendi Monasteria dubium non est.

4. *C.*17. *Ead.* CAUS. & QUÆST. in quo *Concilium Arelatense* an. 554. constituit, ut Monasteria, vel Monachorum Disciplina, ad eum Episcopum pertineant, in cujus Territorio sita sunt. Hæc autem Disciplina vix manuteneri potest, sine Visitatione.

5. *C.* 28. CAUS. XVIII. QUÆST. II. in quo GREGORIUS an.598. ait visitandi, exhortandique ergò ad Monasterium, quotiès placuerit, ab Antistite Civitatis accedatur.

6. *C.*1. *Ead.* CAUS. & QUÆST. in quo *Concilium Toletanum* IV. an. 633. Abbates Episcopi Correctioni subjicit.

7. *C.* 9. CAUS. X. QUÆST. I. in quo *Concilium Taburiense* an. 895. Episcoporum negligentiam circà visitandos Greges, avaritiamque reprehendit; Negligentiam, quia non visitabant, cùm possent; Avaritiam, quia Visitationis Procurationes exigebant, eosque hortatur, ut Sollicitiores sint. Cùm autem Monasteria Procurationi solvendæ obnoxia sint, ut citanda mox Capita monstrabunt, ea in hoc Textu comprehendi verosimile est.

8. *C.* 14. *de Cens.* in quo LUCIUS III. an. 1181. declarat, Monasteria Bononiæ, sicut & cætera Provinciæ Ravennatensis Archiepiscopi, Procurationes ratione Visitationis debitas isti solvere teneri.

9. *C.*21. *Eod.* TIT. in quo INNOCENTIUS III. an.1212. ait, Monasterium Sancti Stephani, cui omnia Temporalia Jura remiserat, teneri tamen ad Episcopum procurandum ratione Visitationis, idque moderatè, & bis in anno, modò duplicem Visitationem necessitas postulet.

10. *C.* 16. *De Præscript.* in hoc INNOCENTIUS III. eodem anno Monasterium S. Maglorii ad procurandum Archiepiscopum Senonensem illud visitantem condemnat, declaratque per longissimum tempus Procurationem non solvendo, illam, sicut nec Visitationem, contrà suum Archiepiscopum præscribere non potuisse.

11. *Cap.* 17. *De Offic. Ordinar.* in quo HONORIUS III. ann. 1220. prohibet Archiepiscopo Remensi, ne Monasterium S. Remigii Visitans, secum Sæculares introducat, qui Dissolutionis materiam subministrare possent.

Circà Citatos Textus notandum, illis adjici posse, quoad Sæcula Quartum præcedentia, quoscunque Canones, qui Episcoporum in Monasteria Jurisdictionem testantur; quales inter alios *C.* 11. CAUS. XVIII. QUÆST. II. in quo *Concilium Carthaginense IV.* ann. 398. præcipit, ut qui Sacerdos Religiosis Fœminis præponendus est, ab Episcopo Loci comprobetur. *C.*10. *Ead.* CAUS. & QUÆST. in quo *Concilium Calcedonense* an. 451. contrà Monachos Episcopo Inobedientes Excommunicationem ferendam decernit. *C.* 17. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quo *Idem Concilium* jubet, ut Monachi absque Episcopi licentiâ Vagantes ad repetenda Monasteria cogantur, *C.* 12. *Eâd.* CAUS. & QUÆST. in quo *Idem Concilium* ait, Episcopum debere Monasteriis curam sollicitudinemque exhibere: hos autem adduci posse,quia evidenter ostendunt Monasteria visitandi jus ad Episcopum pertinere, cùm inter præcipuas Jurisdictionis Episcopalis Partes numeretur.

Notandum quoque Textuum citatorum alios desumi ex Conciliis, quæ vel in Bithyniâ, vel in Africâ, vel in Galliâ, vel in Hispaniâ, vel in Germaniâ celebrata sunt; alios ex Epistolis Pontificum Italiam respicientibus: undè patet, potissimas Ecclesias probasse, Monasteria ab Episcopis visitari.

Notandum, Epistolas, ex quibus desumpti sunt nonnulli ex Citatis Textibus, scriptas esse XII. & XIII. Sæculo, quibus Regularibus maximè fautum est.

REGU-

REGULA VIII.

Circà Subditorum Visitationem, quæ Episcopi ut Ordinarii non possunt, tanquàm Sedis Apostolicæ Delegati possunt.

Hinc nulla impedit Exemptio, ne præcipiant ac exequantur, *C.* 10. SESS. XXIV. *de Reform.* quæ ad illorum Correctionem necessaria existimant.

Quæri potest, Quales sint illi Subditi, de quibus hîc Concilium? Respondetur oportere, ut de Subditis, qui plenè Exempti non sunt, loquatur, cùm isti propriè Subditi non sint, pluresque ex istis ab Episcopi Visitatione substrahat; Quòd si de istis, ut de aliis, loquatur, dicendum, hic Regulam Concilium constituere, alibi Exceptiones ponere.

REGULA IX.

Ecclesiarum Cathedralium, aliarumque Majorum, nec non Personarum, quibus constant illarum Capitula, Exemptio abrogata est à CONCILIO TRIDENTINO quoad Visitationem, sicut & quoad Correctionem.

C. 4. SESS. VI. *de Ref.*

REGULA X.

Idem dicendum quoad Capitula Ecclesiarum Collegialium.

C. 6. SESS. XXV. *de Ref.*

REGULA XI.

Idem dicendum de quibuscunque Beneficiis Commendatis, in quibus non viget Regularis Observantia; quoad verò illa, in quibus viget, si Superiores moniti, intrà sex menses nec visitaverint, nec correxerint, Regularium negligentiam supplere potest & debet.

C. 8. SESS. XXI. *de Ref.*

REGULA XII.

Idem dicendum de quâvis Ecclesia Sæculari nullius Diœcesis.

C. 9. SESS. XXIV. *de Ref.*

REGULA XIII.

Idem dicendum de quovis Clerico Sæculari personaliter Exempto.

C. 3. SESS. VI. *de Ref.* *C.* 14. SESS. XIV. *de Ref.* §. *Nec quævis.*

REGULA XIV.

Idem de quolibet Regulari extrà Monasterium Degenti, & Delinquenti. *Ibidem.*

REGULA XV.

Idem dicendum de Hospitalibus, Collegiis, Confraternitatibus, Scholis nuncupatis, nisi sub immediatâ Regum Protectione sint.

C. 8. SESS. XXII. *de Ref.*

REGULA XVI.

Moniales quæcunque Episcopi Visitationi subsunt, exceptis his, quæ à Deputatis in Capitulis, Generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur.

C. 9. SESS. XXV. *De Regular. Clem.* 2. *De Statu Mon.*

Restrinxisse Clementinam Concilium Tridentinum videtur; cùm Clementina de proximis Monialium Prælatis indistinctè loquatur, Concilium verò de solis Regularibus; hinc colligi posset, Moniales, quibus Sæculares Clerici præsunt, juxtà Concilium Tridentinum Episcopi Visitationi subesse debere, sed certa non esset hæc consequentia, cùm potuerit loqui de solis Regularibus Monialium Prælatis, quia alios tunc habere non solebant.

REGULA XVII.

Recipiendæ à Monialibus, antè Susceptionem habitûs, & antè Professionem ab Episcopo examinandæ, & explorandæ sunt.

C. 17. SESS. XXV. *De Regularibus.*

Canonicas Sæculares, quæcunque sint, visitat Ordinarius, vel suâ vel Apostolicâ autoritate. *Clementina* 2. *De Statu Monach.*

REGULA XVIII.

Quoad Animarum curam, Sacramentorumque administrationem, nulla est ab Episcopi Visitatione Exemptio, nisi in favorem, 1. Monasterii Cluniacensis cum Limitibus suis. *C.* 11. SESS. XXV. *de Reg.* 2. Monasteriorum quoque, quæ Ordinum Capita sunt. 3. Nec non illorum, in quibus Abbates, vel alii Regulares Superiores, Jurisdictionem Episcopalem & Temporalem habent in Parochos & Parochianos.

Iis adde Monasteria nullius Diœcesis; Quod infertur ex eo, quòd *citatum Caput* loquatur tantùm de Monasteriis in Diœcesi sitis.

REGULA XIX.

Tam Loca, in quibus Cura exercetur, quàm Personas, quæ illam exercent, respicit hæc Exemptio. *Ibidem.*

REGULA XX.

Antè CONCILIUM TRIDENTINUM Nemini concessa à Jure fuerat similis Exemptio, sed probata tantùm erat, concessâ scilicet aliis, quàm Episcopis, Ecclesias pleno jure possidendi licentiâ.

REGULA XXI.

Plura alia sunt Spiritualia, circà quæ CONCILIUM TRIDENTINUM abrogavit omnem Exemptionem, exceptâ illâ, quæ Jurisdictioni quasi Episcopali jungitur.

REGULA XXII.

Hujusmodi alia non sunt, nisi ista. Verbi Dei Prædicatio, Malaque ex ipsius abusu Nascentia. *C.* 2. SESS. V. Censuræ ab Episcopo promulgatæ, Festi ab eodem Præcepti. *C.* 12. SESS. XXV. *De Regular.* Novorum Miraculorum admissio; Novarum Reliquiarum receptio; Novæ & Insolitæ Imaginis expositio, Decreta de Invocatione, Supplicationes Publicæ. *C.* 13. SESS. XXV. *De Regularibus.*

Exceptionis Ratio. Tali Gaudens Exemptione quasi Episcopus est.

REGULA XXIII.

Ex eo, quòd Religiosi habeant Prælatos Regulares, qui illos visitent, non sequitur, quòd ab Episcopi Visitatione Exempti sint.

Colligitur Regula 1. ex omnibus Juris Textibus, qui faciendam à Metropolitano Provinciæ suæ Visitationem probant, cùm potior non sit ratio, cur qui visitati sunt ab Episcopo, & plerùmque etiam ab Archidiacono, iterùm à Metropolitano visitentur, Visitati verò à Prælatis Regularibus ab Episcopo iterùm non visitentur.

Nec dici potest, quòd Episcopi Visitatio dissensionis materiam præbere posset, cùm contingere posset, ut factis à Prælato Regulari Constitutionibus contrarias ederet, atque hinc Religiosi inter se dividerentur, aliis pro Episcopo stantibus, aliis verò pro Prælato Regulari, nam simile incommodum nasci potest ex Visitatione Metropolitani, consequenti Episcopi Visitationem; sed sicut in posteriore casu cessat incommodum, si Visitati attendant Inferiorem Superiori cedere debere, ità in primo casu, similis cogitatio, ne quod timetur, malum nascatur, impedire poterit.

Textus autem, qui prædictam Metropolitani Visitationem probant, sunt. *C.* 16. *De Præscript. C.* 14. 22. 25. *De Censibus. C.* 1. 2. 4. *Eod.* TIT. *in* VI. *C.* 3. SESS. XXIV. *De Ref.*

2. Colligitur eadem Regula ex locis, quibus Legatorum Sedis Apostolicæ visitandi facultas struitur; qualia sunt. *C.* 23. 25. *De Censibus*, quæ enim circà Metropolitani Visitationem, ergà Suffraganeos eorumque Diœceses notata sunt, in Legatorum Visitatione locum habent, cùm Visitatas ab Episcopis, & à Metropolitanis Ecclesias ipsi etiam visitarent.

3. Ex *C.* 7. *De Statu Monach.* ex quo inferunt Interpretes, quòd non Exempti, etsi peculiares habeant Visitatores, ab Episcopo tamen visitari etiam possint.

4. Ex antiquâ Ecclesiæ praxi, quâ, etsi Monachi ab Abbatibus corrigerentur, ab Episcopo etiam corrigi poterant, quæque adhùc durat in plerisque Monialium Congregationibus, nec non in plurimis Clericorum, tùm Sæcularium, tùm Regularium, Societatibus non Exemptis.

REGULA XXIV.

Ecclesiæ Sæculares nulliûs Diœcesis subjiciuntur Visitationi Episcopi Vicinioris, si pateat quis Vicinior; vel ejus, qui in Concilio Provinciali à Prælato electus est.

C. 9. Sess. XXIV. *De Ref.*

REGULA XXV.

Personæ Sæculares Incolentes Loca nullius Diœcesis, intrà Limites alicujus Diœcesis Consistentia, quoad Ordines & Dimissorias Episcopo subsunt. *C.* 10. Sess. XXIII. *De Ref.*

SECTIO V.

De Regularium Exemptione in Temporalibus.

Antè omnia adverte Immunitatum vel Exemptionum genus duplex distingui posse: sunt enim, quibus à Juribus debitis Quis eximitur, sunt etiam, quibus ab Exactionibus indebitis Quis liberatur, qualis inter alias, quæ legitur in *C.* 64. Caus. XVI. Quæst. I. De Priori autem genere hîc sermonem fieri, non de Posteriori; idque, quia Posterius nihil habet, quod ad Jus Commune, ad meram justitiam non pertineat, & si quid Gratiæ ipsi inesse videatur, id esse nequit, niti sub Tyranni Dominio, ergà quem non malefacere, benefacere est; animus autem est, sicut esse debet, de sola Gratiosâ Exemptione agere.

REGULA I.

Circà Temporalem Regularium Exemptionem, antiquius nihil in Jure habetur, quàm *C.* 34. Caus. XVI. Quæst. I.

Desumitur Canon hic è *Concilio Ilerdensi* an. 524. celebrato. In illo præcipitur, ut *quæ in Jure Monasterii de facultatibus offeruntur, in nullo Diœcesanâ Lege ab Episcopis contingantur.*

Ad intelligentiam Canonis hujus, sciendum ex oblatis Deo rebus Episcopo tanquàm Diœceseos Capiti, debitam esse portionem quartam, nempè ex iis, quæ extrà Altare offeruntur: *C.* 26. 27. 28. Caus. XII. Quæst. II. tertiam verò, vel medietatem ex iis, quæ Altari accedunt. *C.* 7. 8. Caus. X. Quæst. I. Præterea eodem Titulo à Singulis Diœceseos Ecclesiis solvendum esse Episcopo Cathedraticum, sivè duos solidos in Cathedræ Episcopalis honorem. Sciendum quoque, debita Episcopo Jura, tanquàm Diœceseos Capiti, ex Fundamento suo Diœcesanam Legem vocari; hinc *Concilium Ilerdense* Exempta volens Monasteria à prædictis Juribus, prohibet Episcopis, ne in illorum utilitatem oblatâ Lege Diœcesanâ utantur: hinc factum, ut Temporalis Regularium Exemptio, Immunitas à Lege Diœcesanâ dicta sit; hinc quoque, ut Exemptio Temporalis ab Exemptione Spirituali distingueretur, facta est Episcopalium Jurium divisio, in ea, quæ Lege Diœcesana debentur, & ea, quæ ad Episcopos pertinent Lege Jurisdictionis. Hujus distinctionis Testimonium & Exempla habent *C.* 16. 18. *De Off. Judicis Ordin.*

Attamen in nonnullis Juris Textibus Lex Diœcesana pro Jurisdictionis Lege usurpatur, ut videre est *C.* 49. *De Elect. C.* 22. *De Regular. C.* 9. *De Hæreticis* §. *Si qui. C.* 4. *De Capell. Monach. C.* 9. *De Maj. & Obed.* quæ Capita, ut par est, inferiùs suo loco explicabuntur: nunc autem dicendum obiter, genus pro specie in *cit. Cap.* poni.

REGULA II.

Temporalis Regularium Exemptio, pluriès posteà diversoque Tempore innovata est, & confirmata.

Primum istarum Innovationis, ac Confirmationis Exemplum legitur in *C.* 1. *De Statu Monach.* in quo S. Gregorius scribens Archiepiscopo Neapolitano circà ann. 600. hæc habet: *Alicui Monasterio nec tu, nec Presbyteri tui præter diligentiam Disciplinæ aliquid molestiæ inferatis, aut si quid illis pro diversorum devotione accesserit, vobis vindicare æstimetis, cùm Monachis sibi servientibus debeat proficere, quidquid à Fidelibus taliter offerri contingit.* Hæc Gregorius, quibus docet, Episcopum nihil Juris Temporalis in res Monasterio oblatas prætendere posse, insinuatque id provenire ex Offerentium intentione, quæ est, ut ipsorum Oblationes in Monachorum usus convertantur.

Secundum ejusdem rei Exemplum habetur in *C.* 5. Caus. XVIII. Quæst. II. Desumitur hoc *C.* è S. Gregorio omnibus Episcopis Scribente an. 601. Inscribitur de Libertate *Monachorum*; tria continet, quæ ad rem optimè faciunt. 1. Prohibet, ne de Reditibus, Rebus, Curtis, vel Chartis Monasteriorum, Cellulis, Villulis quidquam quovis modo usurpetur. 2. Vetat-ne Monasteria conditionibus Ecclesiasticis, seù auguriis, vel quibuslibet obsequiis Sæcularibus ullo modo subjaceant, nevè ullis Canonicis rebus deserviant. 3. exprimit finem utriusque prohibitionis, nempè, ut remotis vexationibus, ac cunctis gravaminibus, Divinum Opus cum magna animi devotione perficiant.

In notâ *Correct. Rom.* dicitur *C.* istud legi in Decreto Concilii Lateranensis edito à B. Gregorio pro Quiete & Libertate Monachorum: Decretum autem extare *Tomo II.* Conc. inter Decreta Gregorii I. magnamque ejus partem referri ab ipsomet Gregorio. *L.* 7. *Reg. Indict.* 1. *Epist.* 18. *Parte* 1. *Marciniano Episcopo Ravennati.*

Prior prohibitio detegere videtur causam, propter quam de Monachorum rebus sese immiscere prohibentur Episcopi, nempè, ne hinc aliquid usurpandi occasionem habeant. In Posteriore sub variis Locutionibus eadem res prohibetur, nempè, ne ullum Jus Temporale exigatur à Monachis.

Sed non dissimulandum, Textum hunc Gregorio I. suppositum videri posse, tùm quia longè posterior videtur usurpatio Locutionis hujus, *Interdicimus in Nomine Domini nostri* Jesu Christi *& Autoritate* Beati Petri, *vice cujus Romanæ Ecclesiæ præsidemus*; tùm quia legitima Jura vexationes ac gravamina vocat; tùm quia à Juribus Sæcularibus, sicut & ab Ecclesiasticis, Monasteria eximit, proindèque in Temporalia Laïcorum, potestatem sibi vindicat. Nihilominùs Gregorio I. abjudicari non debet propter debitam Codicibus Vetustioribus fidem, aliasque causas, quæ & Collectores Conciliorum, & Correctores Gratiani moverunt, ut Papæ hujus fœtum legitimum existimarent. Hac de re Vid. Florens in *Cap. Auditu* 10. *De Præscript. C.* 2. *Operum. Part. I. p.* 272. ubi inter alia dicit, præfatum Concilium Lateranense ex duabus Epistolis Gregorii contextum, quod minuere potest, non tollere autoritatem Decreti citati, si in Epistolis habeatur, quod ex illis mox relatum est. Relati mox Textûs pars maxima legitur *C.* 42. Caus. XVII. Quæst. IV. quod *C. Palea* inscribitur, eòque loci temerè translatum notant *Correct. Rom.* tùm quia de rerum Ecclesiæ alienatione non loquitur, ut præcedentia Capita, tùm quia congruentiori loco inferiùs legitur.

Tertium Innovatæ & Confirmatæ Regularium in Temporalibus Exemptionis Exemplum, est in *C.* 1. Caus. XVIII. Quæst. II. Desumitur hoc Caput ex Concilio Toletano IV. celebrato an. 633. In illo sub Excommunicationis pœnâ prohibetur Episcopis, ne quidpiam de Monasterii rebus usurpare præsumant.

Quartum Innovatæ & Confirmatæ Regularium in Temporalibus Exemptionis Exemplum refertur. *C.* 8. Caus. X. Quæst. III. *E Concilio Toletano* VII. an. 646. Celebrato desumitur hic Canon. Quod in illo ad propositum facit, his verbis continetur: *Monasteriorum tamen Basilicis ab hâc pensionis solutione sejunctis.* Loquitur de pensione duorum solidorum à quâlibet Diœceseos Basilicâ Episcopo quotannis solvendâ, juxtà *Bracharienses Synodi* definitionem in *C.* 1. Caus. X. Quæst. III. relatam. Hanc autem definitionem ad Episcopos Provinciæ Gallicanæ extendit Concilium Toletanum, quod & poterat & debebat; Poterat quidem, nam tunc Temporis Archiepiscopus Narbonensis cum Suffraganeis suis Toletano suberat, quia Toletum, ut Sedes Regis Gothorum, Primatis Honore fruebatur ergà Episcopos totius hujusce Regis Ditionis; Debebat, quia

pro

pro solvendo à qualibet Basilicâ in honorem Cathedræ Episcopi, nimium exigebant.

REGULA III.

Prædictæ in Temporalibus Regularium Exemptioni hactenùs non extitit derogatum ab ullo Juris Textu.

REGULA IV.

Exemptio hujusmodi ad Capellas Monasteriis annexas, Ecclesiasque Parochiales iisdem Subjectas, non extenditur.

C. 15. *De Præscript. C.* 6. *De Relig. Domibus C.* 19. *De Censibus C.* 17. *De Privil.*

Verùm, ut Regulæ veritas magis eluceścat, cujuslibet citati Textus argumentum exponendum.

In 1. Episcopus Wigornienśis cum Abbate de Hevesćam circa Ecclesias Vallis de Hevesćam contendit; Uterque, sibi pleno jure subjici, dicit; ideòque tàm quoad Temporalia, quàm quoad Spiritualia. Ad Controversiam istam terminandam Helienśem & Roffenśem Episcopos committit INNOCENTIUS III. præcipitque, ut si Abbas probaverit, illas Ecclesias prædicto modo ad se pertinere, sivè ex Privilegio Summorum Pontificum, sivè per Præscriptionem, Episcopo Wigornienśi silentium imponant; si verò pateat, Privilegium non valere, vel Ecclesias illas nullo alio jure ad Abbatem pertinere, pro Episcopo pronuntient, si allegatam ab Abbate Præscriptionem interruptam fuisse, quoad nonnullos articulos, tàm Legis Diœcesanæ, quàm Legis Jurisdictionis, & inter alia circà solutionem denariorum S. Petri, quoad Legem Diœcesanam pertinet, & circà Causarum Matrimonialium Cognitionem, quæ Jurisdictionis Legem spectat, quoad illos articulos Episcopo Ecclesias illas adjudicent.

In 2. agitur de Controversiâ inter Albanenśem Episcopum & Abbatem Criptæ Ferratæ circà Ecclesiam Castri, quod Pauli dicitur; Episcopus dicit, illam sibi respondere debere in omnibus Juribus Episcopalibus, Abbas verò fatetur, id ita esse Jure Communi, sed Monasterium Libertatem integram redemisse à *Lavitano* Albanenśi Episcopo, qui quidquid juris habebat in Monasterio, & in Ecclesiis ad Monasterium pertinentibus, & inter quas controversa Ecclesia recenśetur, illi concessit in Emphyteusim sub annuâ octo denariorum usualium pensione, enumerans autem Jura Monasterio concessa de tertiâ Mortuariorum, quæ haud dubiè Jus Temporale est, mentionem facit; Episcopus Respondet, irritam esse hujusmodi Concessionem, utpotè Simoniacam, cùm multa Spiritualia inter concessa, sub prædictâ pensione habeantur. INNOCENTIUS III. utroque audito, liberam ab Episcopo judicat prædictam Ecclesiam propter concessionem à *Lavitano* sub pensione factam, quam legitimam probat ex usu Ecclesiæ Romanæ, quæ in Locis, quæ ab Episcopo eximit, in signum concessæ libertatis Censum sibi reservare solet. Hæc Decisio restringenda ad Casum, in quo modicus est Census, aliàs Simoniæ faveret, vel ad Casum, in quo Census constitutus est ob solam Jurium Temporalium Cessionem.

In 3. Idem INNOCENTIUS III. Abbatem Prilatenśem condemnat, ad quartam Decimarum Episcopo Cæsar-Augustano, ratione duarum Ecclesiarum, in istius Diœcesi constitutarum solvendam, aliaque Jura Episcopalia præstanda, idque quia Episcopus iste has Ecclesias in Diœcesi suâ constitutas probaverat.

In 4. Idem INNOCENTIUS III. *C.* 17. *De Privil.* Abbatem Evasem vel Evasinenśis Cœnobii condemnat, ut Synodo Episcopi Wigorn interfit, & consueta Jura solvat, ratione Ecclesiarum, quas ille in istius Diœcesi possidet; idque, quia in Privilegiis huic Cœnobio à Summis Pontificibus concessis, utrumque Episcopo conservatur.

REGULA V.

Temporalis à Jure concessa Regularibus Exemptio, omnia Episcopo debita Temporalia Jura non comprehendit.

REGULA VI.

A procurando Episcopo Visitante Monasteria à nullo Juris Textu eximuntur; sunt è contrà Nonnulli, qui Juri huic Subjecta expresè declarant.

Prior Regulæ Pars probari nequit, nisi refutatione eorum, quæ contrà illam opponi possunt; quale nullum occurrit, nisi *C.* 28. CAUS. XVIII. QUÆST. II. in quo GREGORIUS permissum Episcopo declarans, ut, quotiès voluerit, Monasteria visitet, præcipit, ut sic Charitatis officium impleat, ut hinc nullum gravamen incurrant; sed frustrà hic Canon opponeretur, cùm debita propter justam Visitationem Procuratio, gravamen dici nequeat.

Non diffitendum tamen ex *C.* 17. *De Censibus* conjici posse, aliquod à Jure concessum Monachis visitantem Episcopum non procurandi Privilegium; cùm in illo INNOCENTIUS III. dicat, omnes ad Visitantem procurandum teneri, nisi speciale habeant Privilegium.

Verum quidem est, *cit. Cap.* loqui de Legatis, Nuntiisque Sedis Apostolicæ: sed cùm sit eadem ratio ergà omnes Visitatores, nempè debere metere Carnalia, qui Spiritualia seminant, ut hìc dicitur; neminem debere suis militare stipendiis, ut legere est *C.* 16. *De Præscript.* Quod de *Nuntiis C.* 17. *De Censibus* dicit, ad alios Visitatores optimè extenditur; Porrò hinc aliud nihil colligi potest, nisi, per Privilegium eximi ab hoc Jure nonnulla Monasteria, undè non sequitur Exemptionem hujusmodi à Jure datam esse.

Posteriorem Regulæ Partem probat *C.* 14 *De Censibus*, in quo LUCIUS III. Archiepiscopo scribens circà an. 1181. ait, se Monasteria Bononiæ condemnasse ad solvendas ipsi Archiepiscopo illa Visitanti, dùm Provinciam visitat, Procurationes, idque se fecisse, quia intentio Archiepiscopi fundata sibi visa Jure Communi & Consuetudine, quâ tùm alia Monasteria Provinciæ Procurationes prædictas præstabant, tùm Monasteria Bononiæ Prædecessoribus illius eandem exhibere solebant.

Eandem, quoque probat *C.* 21. *Eod.* TIT. *De Censibus*, in quo INNOCENTIUS III. scribens Priori S. Stephani circà an. 1212. decidit, Episcopo remittente omnia, quæ Monasterio imposita sunt vel imponi possunt, Servitia, seù Jura Temporalia, Procurationem ratione Visitationis debitam non esse remissam; idque, quia Visitationi annexa est Procuratio, & ad Visitationem causâ Correctionis tenetur Episcopus.

Idem facit *C.* 16. *De Præscript.* In illo enim idem INNOCENTIUS Episcopo Parisienśi scribens circà annum 1212. definit, Monasterium S. Maglorii Archiepiscopo Senonenśi Provinciam suam Visitanti Procurationem debere, etsi Archiepiscopi Prædecessores nunquàm exegissent, nec Monasterium solvisset, Definitionis suæ causam affert, Procurationem contrà Visitantem præscribi non posse.

Idem colligitur ex *C.* 24. *De Censibus*, in quo HONORIUS III. Episcopo Cenomanenśi Procurationem adjudicat contrà Conventum de Cultura, idque etsi nunquàm solvisset & in Civitate Cenomanenśi constitutus esset; ad hoc motus, quòd Exemptionis Privilegium nullum exhiberent.

REGULA VII.

Duo alia extant Temporalia Jura, quæ eodem loco habentur, quo Procurationes, quæque Episcopis à Monachis pariter debentur. Prius est, si Consuetudine introductum sit, ut in Monasteriis gratis excipiantur ad Charitatis pabulum. EXTRAVAG. I. *De Censibus* §. *hujusmodi*, de hoc jure loquitur. Posterius est, ut Moderativum, sivè Charitativum Subsidium, à Monasteriis petere possint, tàm ex Privilegio, vel Consuetudine, quàm de Jure. *ibidem* §. *Præmissis.*

REGULA VIII.

Non obstante Regularium in Temporalibus Exemptione, Census tempore Fundationis, vel tempore Concessæ ab Episcopo Libertatis, Monasterio impositus, eidem debetur.

Prior Casus infertur ex *C.* 21. *De Censibus*, in quo videre est, Episcopos Faventinos, ab Ecclesia S. Stephani ad Moniales pertinente, spallas consuevisse exigere, quod jus in Fundatione impositum verisimile.

Spallæ

Spallæ autem nomine intelligitur armus vervecinus vel bovinus; hic autem in Dominii signum à Dominis aliquem fundum in feudum dantibus reservari solebat. Infertur, quoque ex *Cap.* 30. CAUS. XVIII. QUÆST. II. in quo PELAGIUS præcipit, ut quæ tempore Fundationis, vel Dedicationis Monasterii, Episcopo reservata sunt, solvantur, nec aliud, quidquam ab illo exigatur.

Posterior Casus in *C. 6. De Religios. Domibus*, eo modo, quo suprà expositum est, habetur.

REGULA IX.

Quod de Censu tempore Fundationis reservato dictum est, ad alia Jura eodem tempore reservata extendendum est; Idem dicendum de Jure, quod reservato in Fundatione Juri subrogatum est.

Prior Pars habetur in *C.* 30. CAUS. XVIII. QUÆST. II. *mox citat.* in quo à PELAGIO jubetur, ut si constet, tempore Fundationis medietatem Oblationum, quæ Dedicationis, vel Natalis Martyrum die, quorum Reliquiæ sunt in Monasterio, fiunt, Episcopum sibi reservasse, medietas hæc eidem detur.

Posterior legitur in *C.* 21. *De Censibus mox etiam* CIT. in quo Cereus trium Librarum subrogatus, in locum spallarum, quas in Fundatione reservatas fuisse præsumere licet, Episcopo solvendus dicitur.

REGULA X.

Quæ ratione Sepulturæ Monasteriis feruntur, à Jure Paræciali, vel Episcopali, libera non sunt; Idem de Oblatis ab eo, qui in ægritudine Monasterium ingressus ex illâ decedit.

Passim TIT. *de Sepultur.* sed præcipuè. *C.* 2. 4. 8. 9. 10.

REGULA XI.

Ratione speciali ab eâdem Exemptione excipiuntur Decimæ.

Patet Regula ex eo, quòd Jus Decimarum habetur quodammodò Divinum, quod de aliis Juribus ab hac Exemptione exceptis dici non potest, cùm merè Humana censeantur, undè, ut à Decimis eximerentur, non sufficiebat generalis Exemptio, eam etiam ob rem à Decimis Speciali Indulgentiâ Exemptio Regularibus concessa est.

REGULA XII.

A Temporali, Regulari Exemptione non alia excipiuntur Jura, quàm quæ memorata sunt suprà.

Regula patet ex eo, quòd generalis sit Exemptio. *C.* 5. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Exceptiones autem nullæ in Corpore Juris leguntur, quàm memoratæ.

Non obstat *Cap.* 21. *De Censibus*, in quo Episcopus Faventinus promittens alia jura Monasticæ Ecclesiæ non imponere, insinuat, se id posse; nam præterquàm quòd rei debitæ remissio promitti potest, INNOCENTIUS III. in fine Capitis docere videtur, Episcopum à Monasterio aliud exigere non posse, quàm pensionem prædicto tempore reservatam & Procurationes.

Addè, quòd, si præter expressè præmissa, alia jura pro voluntate exigere possent, Regularibus Exemptio sua non prodesset, cùm novorum Jurium impositione, tantùm ab iis excipi posset, quantùm est illud, quo eximuntur.

REGULA XIII.

Etsi Temporalis Exemptio Regularibus sit à Jure concessa, peculiari tamen Privilegio nonnullis à Sede Apostolica concessa est, vel potiùs confirmata. *C.* 5. *De Excess. Prælat.*

REGULA XIV.

Prædicta Exemptio non impediebat, quominùs ab Episcopis Oeconomi constitui possent in Monasteriis.

C. 3. CAUS. XI. QUÆST. III. *in* 7. *Synod.* an. 787.

RATIO. Vi Exemptionis Temporalis Regularibus licere videtur inconsulto Episcopo alienare.

Colligitur Regula ex *Clementinâ* 1. *De Rebus Ecclesiæ alien.* in quâ CONCILIUM VIENNENSE permittens Prioribus vel Administratoribus, poscente Prioratuum vel Administrationum necessitate, vel utilitate, Terras in feudum dare, non ad aliud illos astringit, nisi ut Conventûs sui, si habeant, vel si careant, proprii Prælati, id est Abbatis assensum obtineant. *Vide* GLOSSAM in Verb. *proprii.*

Nec dici potest, Concilium loqui de Exemptis tàm in Spiritualibus, quàm in Temporalibus; nam *Concilium* indistinctè loquitur, ac præterea Exemptio in Spiritualibus Temporalem Exemptionem non auget.

Colligitur quoque Regula ex *C.* 11. *De Reb. Eccles. alien.* in quo INNOCENTIUS III. scribens Episcopo Maurienſi in Sabaudiâ præcipit, ut infeudatio facta in enorme Monasterii dispendium rescindatur, non aliam exprimens rescissionis causam, quàm læsionem enormem, licèt Episcopi autoritas non interveniſſe videatur, cùm de illius interventu nulla fiat mentio.

Nec dici potest, quòd Monasterium, de quo ibi, forsitan Exemptione Spirituali gaudebat, cùm, ut dictum est, major non fiat indè Temporalis Exemptio.

Colligitur etiam ex *C.* 1. *De Reb. Eccles. alien.* in quo, circà alienationem Bonorum ad Ecclesias sibi Subjectas pertinentium, parem, ac Episcopus in suis, potestatem habere Abbas supponitur. Colligitur etiam ex *C.* 2. *De His, quæ fiunt à Præl. &c.* quod declarat ratam esse alienationem ab Abbatissâ, Conventu sciente, & non contradicente, factam.

Non obstat Regulæ *C.* 40. CAUS. XVII. QUÆST. IV. in quo Concilium Agathense permittit Episcopis, ut revocent factas sine ipsorum licentia vel notitia per Abbates Monasticorum Bonorum alienationes: cùm Concilium hoc Temporalem Regularium Exemptionem præcesserit, celebratum enim fuit ann. 506. Exemptio verò ann. 524. incœpit; adde, quòd fortè in Galliâ nondùm recepta erat hæc Exemptio.

REGULA XV.

In Canone nihil est, quod ostendat Monasteria Mulierum sub Temporali Regularium Exemptione non comprehendi; est ècontrà aliquid, ex quo colligi possit contrarium.

Prior Pars probari nequit nisi refutatione eorum, quæ objici possunt, qualia nulla occurrunt; Posterior patet ex eo, quòd nonnulli Canones indistinctè loquantur, atque etiam in favorabilibus sub nomine Monachorum Moniales comprehenduntur, quia favores sunt ampliandi.

REGULA XVI.

Jam ab aliquot Sæculis Temporalis Regularium Exemptio, multò minùs utilis est, quàm antea erat.

Infertur ex eo, quòd à Sæculo XIII. plerisque in Locis abrogata sunt nonnulla Episcopalia Jura, qualia sunt Tertia, vel Quarta, vel Medietas Oblationum, sivè in Altari fierent, sivè extrà, Cathedraticum, Synodaticum, Denarius Chrismatis, aliaque similia.

REGULA XVII.

Temporalis Regularium Exemptio cum Spirituali eorumdem Exemptione, prout utraque à Jure conceditur, convenit in eo, quòd utraque plura Jura Episcopo demit: differt verò in eo, quòd Jura, quæ Spiritualis Exemptio aufert alii Episcopo, vel Metropolitano, vel Primati, vel Papæ tribuit; quæ verò Temporalis demit, neutri illorum tribuit; differt quoque Spiritualis à Temporali in amplitudine, quæ in istâ major, quàm in illâ, cùm Temporalis omnes Regulares spectet, Spiritualis verò, nonnullos; Pauci à Temporali excipiuntur Articuli; per Spiritualem pauci concedantur.

Prior Comparationis Pars patet ex dictis; Posterior ex dicendis patebit.

REGULA XVIII.

Utraque Exemptio in eo etiam convenit, quòd extrà Casus à Jure concessos, Exemptis incumbit probatio; in istis verò, Episcopo, si in his sibi Subjectos prætendat.

Colligitur ex *C.* 4. *De Confir. util. &c. C.* 8. *De Relig. Dom.*

De Spirituali Regularium Exemptione ab Episcopi Jurisdictione.

REGULA I.

Jure Communi quoad Spiritualia Episcopi Jurisdictioni

dictioni subsunt Regulares; sivè ad Munera Clericalia, sivè ad Vitam Laïcam fuerint instituti.

Concilium Arelatense ann. 554. supponit, Monachos quoscunque subesse Episcopis, dùm indistinctè dicit, *Monasteria vel Monachorum Disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cujus sunt Territorio constituta.* Referuntur hæc verba *C.* 17. CAUS. XVIII. QUÆST. II.

Regula patet quoad Prius Regularium genus ex *C.* 4. 10. 12. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quibus PASCHALIS II. CALIXTUS II. *Concilium Calcedonense* vetant Monachis ad Sacerdotium Promotis, ne ullum circà Populum sacrum Munus obeant, nisi ab Episcopis facultatem acceperint.

Patet etiam quoad Posterius Regularium genus ex *Cap. 6. 7. Ead.* CAUS. & QUÆST. in quibus dicit HIERONYMUS de Monachis, quod pascantur ut Oves, quòd sine Presbyterorum Concilio nihil Monachis agere liceat, quòd si delinquerint, possunt Presbyteri illos Satanæ tradere. Patet etiam ex eo, quòd S. GREGORIUS *C.* 2. DIST. LXXXIV. docet, Episcopos debere Monasteriorum sollicitudinem gerere. Idem ferè habetur *C.* 1. *Ead.* DIST. Patet quoque ex *C.* 10. CAUS. XVIII. QUÆST. II. in quo *Concilium Calcedonense* eadem pœnâ plectit Monachos, ac Laïcos similiter delinquentes, aliâ priùs contrà Clericos propter eamdem culpam pœnâ statutâ.

REGULA II.

Antè Privilegia quibusdam Regularium generibus concessa, Regularis Status neminem ab Episcopi Jurisdictione eximebat.

Colligitur Regula ex eo, quòd sine Episcopi consensu nullum vitæ Regularis genus instituì poterat. *C.* 13. CAUS. XVIII. QUÆST. II. nec Monasterium construi. *C.* 10. 12. *Ibidem* id prohibentibus *Conciliis Calcedonensi & Agathensi.*

Colligitur quoque ex eo, quòd Abbates in Episcoporum Potestate consistebant; si quid extrà Regulam facerent, ab Episcopis corrigebantur; Vocati ab Episcopo semel in anno, in Loco ab eodem Episcopo electo conveniebant; *C.* 16. *Ead.* CAUS. XVIII. QUÆST. II. E *Concilio Aurelianensi* an. 511. celebrato desumitur.

Patet demùm ex natura Status Regularis, qui cùm sit humiliationis, subjectionis, obedientiæ Status, Monachos obligat, ut sivè sint Clerici, sivè Laïci, cæteris magis Subjectos Episcopo sese exhibeant.

REGULA III.

Antè Sæculum VI. Spiritualis Regularium Exemptionis nullum in Jure extat vestigium; hoc autem Sæculo, aliisque sequentibus multiplex conceditur.

Patet Regula ex eo, quòd antiquior Canon circà hanc rem sit in *C.* 4. CAUS. XVIII. QUÆST. II. desumptus ex Epistolâ PELAGII ad *Mellitum* Subdiaconum scriptâ circà annum 557. In illo enim PELAGIUS permittit Monachis, ut inconsulto Episcopo, Abbatem suum eligant, nec dici potest, id ad illos Jure Communi pertinere, cùm Monasteria Pars sint Ecclesiæ, ad quam regendam Episcopi à Spiritu Sancto positi, ideòque officiorum, quibus præcipuè reguntur, distributio ad Episcopos pertinere debet. Ea prima omnium Exemptionum Spiritualium, de quibus mentio fit in Corpore Juris.

Secunda est in *C.* 11. DIST. XVIII. in eo sita, quòd Abbates ad Synodum Diœcesanam non vocentur, nisi subsit rationabilis causa: ejusdem meminit etiam GRATIANUS post *Can. fin.* QUÆST. II. CAUS. XVIII. desumi dicitur è *Concilio Turonico* celebrato an. 570. at nullum est hujus anni Concilium Turonicum & in *Can.* 2. *Conc.* II. hujus nominis, quod habitum est an. 567. ne verbum de hâc Exemptione.

Tertia est in *C.* 7. CAUS. XVIII. QUÆST. II. desumpta ex Epistolâ GREGORII *Secundino* Episcopo scriptâ an. 593. illo in Capite GREGORIUS prohibet, ne in Monasteriorum Ecclesiis Baptisterium construatur, præcipitque, ut quæ ibidem constructa jam fuerunt, destruantur, Destructorumque loco Altare ad celebranda Mysteria fundetur.

Quarta legitur in *C.* 5. & 6. *Ead.* CAUS. & QUÆST. desumptis ex Epistolâ GREGORII ad *Castorium* Ariminensem scriptâ circà an. 595. In priore GREGORIUS post innovatam Abbatem eligendi facultatem, prohibet, ne in Monasteriis Publicæ Missæ fiant per Episcopum, vel per Clericos; In posteriore eandem repetit prohibitionem.

Quinta, sexta, septima in *eodem Cap. 6.* reperiuntur: In hoc autem positæ sunt, ut Episcopus in Monasteriis non audeat Cathedram collocare, scilicet ad prædicandum, nec imperandi exercere potestatem, Constitutionibus videlicet Regulæ contrariis Vitæque Monasticæ *C.* 17. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quo Concilium Calcedonense Monachis vagari prohibens, excipit illos, qui ab Episcopo aliquid injunctum habent, vel Mandatis, quæ è Monasterio Monachos exire cogant, de quibus nec leviſſimam Ordinationem non rogatus ab Abbate facere, nimirùm Monachos etiam ad Ordines Minores promovendo.

Quam addit GREGORIUS Ratio, nempè quatenùs Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate, ad sextam & ad septimam pertinet, quia & Constitutionibus & Præceptis & Ordinatione Monachi extrahi possunt, Abbatum potestate. Octava est in *C.* 5. *ejusdem* CAUS. & QUÆST. in quo *Concilium Lateranense* sub GREGORIO I. an. 601. celebratum post innovatas & explicatas primam & sextam Collectarum hic Exemptionum, prohibet, ne, invito Abbate, vel sine illius testimonio & concessione Monachus ullus assumatur, sivè ad ordinanda alia Monasteria, sivè ut teneat aliquem in Ecclesiâ locum, atque ad aliquem promoveatur honorem. Primam autem Exemptionem explicat ibi *Concilium*, dùm ait, *Defuncto Abbate Congregationis, non Extraneum sed Fratrem, quem propria voluntate Concors Fratrum Societas elegerit eligendum, Electumque sine dolo & venalitate Ordinandum: quòd si aptam inter eos Personam non invenerint, de aliis Monasteriis simili modo eligant Ordinandum.*

Septimam etiam explicat his verbis, *Pariter custodiendum est, ut, invito Abbate, nec ad Sacros Ordines, nec ad Clericatûs Officium tolli exindè Monachi debeant.*

Non prætermittendum, Primam Exemptionem non ubique servatam videri, nam *Concilium Toletanum* IV. an. 633. *C.* 1. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Episcopis, quos sub nomine Sacerdotum intelligit, præscribens, quid in Monasteriis sibi vindicare possint vel non, inter ea, quæ possunt Abbatum, aliorumque Officiorum Institutionem recensetˌ sed dici potest, per Institutionem aliud intelligere, quàm Electionem, cùm expresè significet, se nolle aliud Episcopis concedere, quàm quod Canones præcipiunt; atqui, ut ostensum est, Canones Abbates suos eligendi, facultatem Monachis reservant.

Secundam Exemptionem non servatam probare non licet ex *C.* 16. CAUS. XVIII. QUÆST. II. in quo *Concilium Aurelianense Primum* præcipit Abbatibus, ut semel in anno conveniant in loco, in quo ab Episcopo vocabuntur; nondùm enim concessa erat hæc Exemptio, cùm Concilium Aurelianense celebratum dicatur ann. 511. Turonicum verò an. 570.

Contemptam tamen interdiù, pluribus saltem in locis, fuisse conjicitur ex eo, quòd Apostolicæ Sedis Indulgentiâ eguerint Cistercienses, ut ad Synodum ire non cogerentur. Colligitur hæc Conjectura è *Cap.* 3. *De statu Regul. Collect.* 2. in quo ALEXANDER III. scribens omnibus Episcopis, Cistercienses ipsis commendans, rogat, ut contrà antiquam Consuetudinem & Libertatem huic Ordini ab Ecclesiâ Romanâ concessam, ad Synodum Conciliumque ire non cogant. Infractæ Exemptionis hujus causa fuisse videtur Episcoporum avaritia, qui, cùm aliquot nummos exigerent ab his, qui Synodo aderant, ut simile lucrum ab Abbatibus perciperent, ad Synodum cogebant.

Abrogatam hanc Exemptionem ab INNOCENTIO III. infertur ex *C.* 9. *De Maj. & Obed.* dum ait, ab Episcopo per Censuras compelli posse Abbates sibi Subditos, ut ad Synodum veniant. *Tancredus in illud Caput* ad Abbates Populum habentes illud restringit, INNOCENTIUS ècontra indistinctè loquens, hanc restrictionem damnare videtur; præterea vel *Tancredus* loquitur de Abbatibus Animarum curam per se exercentibus, vel de Abbatibus per alios ipsam curam exercentibus: si de istis, ad Synodum cogere sufficeret illos, per quos cura exercetur;

si

si de illis; Constitutio INNOCENTII vana erit, quia non extant hujusmodi Abbates; fatendum tamen, *Tancredum* de Abbatibus, qui per alios Curam exercent, intellectum defendi posse, cùm Abbates hujusmodi sint veluti Principales Rectores, eoque modo considerati de Ovibus Primo Diœcesis Pastori rationem reddere debent ideòque Synodo, in quâ hæc ratio redditur, interesse.

REGULA IV.

Memoratæ hactenùs Exemptiones non impediunt, quin Jurisdictionem in Monasteria retineat Episcopus. *C. 2. De Relig. Dom.*

REG. RATIO. Exceptiones sunt prædictæ Exemptionis; Exceptiones autem firmant, non destruunt Regulam.

REGULA V.

Quandiù in prædicto statu remansit Spiritualis Regularium Exemptio, Conservatæ in illos Jurisdictionis Episcopalis Insignia extitêre Vestigia: Abbatum Correctio, illorum Depositio, vel voluntariæ abdicationis Authorisatio.

De Correctionis jure fit mentio in *C.* 1. CAUS. XVIII. QUÆST. II. De jure deponendi sermo fit *C.* 15. *ibidem.*

De Resignationis admittendæ facultate loquitur *C.* 9. *ibidem.*

REGULA VI.

Circà Ecclesias saltem Parochiales ad Regulares pertinentes, nullus est Juris Textus, qui illas ab Episcopi Jurisdictione eximat.

Non Obstat *C.* 1. CAUS. XVI. QUÆST. II. in quo JOANNES VIII. prædictarum Ecclesiarum Regularibus Institutionem concedere videtur his verbis: *Monachis licentiam damus suarum Ecclesiarum Investitores fieri*, id est, Institutores; nam vel loquitur JOANNES de Ecclesiis, in quibus ipsi Monachi Divina Officia pro se ipsis solis celebrabant, quod inferre licet ex eo, quòd loquatur de Ecclesiis pro Quiete Monachorum ipsis concessis; vel per Institutionem, *Præsentationem* intelligit, quod colligere fas est ex eo, quòd solum præsentandi jus sufficit ad vitanda incommoda, propter quæ Monachis instituendi facultatem concedit, nempè, ne, si ab Episcopo præficiantur Ecclesiarum Rectores, pro Episcopo stent contrà Monachos, istis Infensi noceant; vel de Ecclesiis, quibus nulla Animarum cura annexa est, qualia sunt Oratoria, Capellæ Rurales.

Confirmatur hujus Capitis expositio ex *C.* 11. CAUS. XVI. QUÆST. I. & ex *C.* 6. CAUS. XVI. QUÆST. II. In Priore ALEXANDER II. an. 1067. nonaginta annis post relatam JOANNIS VIII. Constitutionem, quæ est anni 876. à Prædicatione Populorum abstinere Monachis præcipit, quæ inter Munera, circà Animarum Curam minimum est; si ergò Monachis animarum Curæ sese immiscere etiam in minimis non permittebatur, quomodò ipsis concessum esset, ut plenam illarum Curam Presbyteris Ecclesiarum Parochialium committerent?

In Posteriore URBANUS II. an. 1095. clarè docet à Jure non permitti Monachis Animarum curam committere, dum ait, *Sanè, quia Monachorum quidam Episcopis suum jus auferre contendunt, statuimus, ne in Parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcopi consilio Presbyteros collocent, sed Episcopi Parochiæ Curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant*; nam URBANUS II. Usurpatores Episcopalis Juris non vocaret Monachos, qui, inconsulto Episcopo, Parochiis providebant, si à Jure talis facultas ipsis concessa esset, nec etiam eo casu quidam tantùm id egissent, sed id commune fuisset omnibus; honorem hujusmodi Monachi alii non neglexissent.

REGULA VII.

Si JOANNES VIII. circà Parochiales Ecclesias Monachis concessas, Monachos ab Episcopi Jurisdictione eximisset, Exemptio hæc abrogata fuisset ab URBANO III. *C.* 1. *De Capel. Monach.*

Patet Regula ex lectione Cap. Hæc enim in illo habet URBANUS *In Ecclesiis, ubi Monachi habitant, Populus per Monachos non regatur: sed Capellanus qui Populum regat ab Episcopo, per consilium Monachorum, instituatur; ita ut ex solius Episcopi arbitrio, tam Ordinatio ejus, quàm Depositio, & totius vitæ pendeat Conversatio.*

Relatum Caput, est Pars *Capitis* 1. *Collect.* 1. *Eod.* TIT. dicitur ibidem conditum in *Concilio Claromontano*, (celebratum autem est hoc Concilium ann. 1095.) Animarum curam ad Episcopum ita pertinere sensit hoc Concilium, ut plenam in Presbyteros Parochiales Potestatem ipsi tribuerit, atque in hoc uno illam restrinxisse videatur, quòd ad illorum Institutionem obligarit Episcopum, ut Monachorum consilium requireret.

REGULA VIII.

Exemptio circà Spiritualia nulla est, quæ sit à Jure concessa communiter omnibus Regularibus ab Episcopi Jurisdictione.

REGULA IX.

C. 1. DIST. LXIX, *C.* 11. *De Ætat. & Qual. & Ordine Præf. Abbatibus Benedictis & aliundè Presbyteris indultum est, ut Lectores manûs impositione facere possint in proprio Monasterio*; quæ postrema verba, Exemptionem ad Monachos ejusdem Monasterii restringunt.

REGULA X.

C. 11. *de Ætat, & Qual.* Iisdem indultum quoque est, ut per Tonsuram, quam Laïcis ad Monasteria Convolantibus faciunt, Clericalis Ordo conferatur.

REGULA XI.

C. 3. *De Privil. in VI.* Extenditur illorum Abbatum Exemptionis Privilegium ad illos, in quos Jurisdictionem habent Episcopalem:

REGULA XII.

Revocatur, quoad hanc extentionem, à *Concilio Tridentino C.* 10. SESS. XXIII. *De Ref.* dùm restringit Privilegium ad Subditos Regulares.

Nec Obstat, quòd de Abbatibus Jurisdictionem quasi Episcopalem Habentibus, expressam ibidem mentionem non faciat, cùm sub Abbatibus nullius Diœcesis, de quibus agit, comprehendantur, idque sufficiat propter Privilegii ad Jus Commune reductionem, quæ maximè favorabilis est.

REGULA XIII.

Prædicatoribus & Minoribus concessum fuerat à BENEDICTO XI. ut sine licentiâ Episcoporum in plateis, atque alibi, certis casibus prædicare possent & Confessiones audire. EXTRAV. 1. *De Privileg.* Si omnes ad hoc Præsentatos Religiosos rejiceret Episcopus. Posterius Privilegium à CLEMENTE V. revocatum, *Clement.* 2. *de Sepult.* Prius verò à *Concilio Tridentino C.* 2. SESS. V. *De Ref.*

REGULA XIV.

De Sup. negl. Abbatibus Cistercienſibus, quos Episcopus ter monitus vel rogatus benedicere negligit, indultum est, ut non Benedicti Monachos suos benedicere possint, & alia, quæ ad illud Officium pertinent, exercere, donec Episcopus illos benedicat.

REGULA XV.

Nullum Monasterium Romæ Situm Titulis Cardinalium subest, sed quodlibet nullo medio ad Romanam Ecclesiam pertinet.

C. 3. *De Capel. Monach. in integra relat. in Coll.* 3 *C. un. Eod.* TIT.

REGULA XVI.

Jure Decretalium Exempti, etiam Sedi Apostolicæ immediatè Subditi, Episcopo subsunt quoad ea, quæ contrà Hæreticos instituta sunt.

C. 9. *De Hæret. §. Si qui.*

Hæc sunt, quæ adjicienda duximus Tractatui de Privilegiis, tàm ad explicandum jam dicta, quæ Explicatione egebant, quàm ad colligendum, quæ ex ipso Corpore Juris colligenda supererant, ut utroque augmento neque obscurus, neque mancus permaneret.

FINIS.

INDEX

INDEX
VERBORUM ET RERUM
TOMI PRIMI.

Littera *a* Priorem Partem indicat, littera *b* Posteriorem.

ABBAS.

ABBAS. *Qui Abbates à Jurisdictione Episcopi sint immunes?* 201. 202. *Et qui per tempus litis, an Episcopus, an Abbas Jurisdictione fruatur*, ibid. a.

An Abbates jus habeant assistendi Conciliis Generalibus per Procuratorem, 41. *Nullus Abbas Concilia Orientalia suo nomine subscripsit*, 99. *Quo jure adsunt Conciliis Generalibus*, 66. a. Vide COMMISSIO.

ABBATISSÆ.

Abbatissæ. Quid statuerit Concilium Tridentinum circa earum Electionem, conciliantur duo loca Concilii quæ videntur sibi opposita, 176. a.

ACADEMIÆ.

Academiæ subsunt Episcopo in rebus circa doctrinam, 125. b.

ACCEPTATIO CANONUM.

Acceptatio Canonum, 26. 65. a.

ACCEPTATIO.

Acceptatio. Quare præceptum generale egent Acceptatione, ut liget, non verò præceptum particulare, 109. a. *Discrimen inter non Acceptationem legis & abrogationem*, ibid. *Discrimen inter privatas quasdam personas & corpus aliquod, verbi gratiâ, nationem circa Acceptationem legum humanarum*, 109. & 110.

Acceptatio ab iis qui non interfuerint necessaria est, tùm ubi agitur de fide & moribus, tùm cùm agitur de Decretis Disciplinæ, 103. a. *Nullum Concilium perfectè generale nisi per Acceptationem*, ibid. *Praxis Ecclesiæ circa hoc caput*, ibid. *hujus Acceptationis defectu plures Canones Conciliorum Generalium nunquam obligavere Gallos*, 104. *Solvitur objectio quæ petitur ex discrimine Conciliorum Particularium & Generalium*, 105. a.

Acceptatio quare jus condendi Leges Ecclesiasticas non est inutile, licet eæ non obligent, nisi acceptatæ sint, 108. a. *refutatur sententia oppositæ* Fagnani, 108. & seq. a.

ACTUS.

Actus, alii sunt nulli, alii annullabiles: definitio amborum, 38. b. *Alii dissolubiles, alii indissolubiles. An sit aliqua species actûs, qui initio nullus, tractu temporis convalescat, vel qui initio validus per subsequens factum invalidus fiat*, ibidem. *Qui actus illiciti habentur, quod expressè non permittantur, qui verò liciti videntur, quod diserte non interdicantur*, 39.40. b. *Conciliatio Canonum materiam hanc spectantium*, ibidem. *Per quam legem actus facti irritentur*, 30. & seq. a. Vide LEX PURE PROHIBITIVA.

An nullitas actûs sit pœna? 32. a.

ACTA CONCILIORUM GENERALIUM.

Quorum Conciliorum Acta existunt, 98. a. *Quænam Actorum divisiones*, ibid. *Ex quibus instrumentis constant*, 98. *Quinam sunt eorum caracteres*, 99. a.

ADITIO PROLEGOMENIS, 357.

ADMINISTRATIO DIOECESIUM.

Administratio Diœcesium, 140. & seq. *Non est merè Monarchica ex* CHRISTI *institutione, probatur ex Scripturâ*, 140. & seq. *Non est partim Democratica nempè popularis*, 141. a. *Quo fine Populo, quo fine Presbyteris agenda communicabantur*, 141. & seq. *Infertur Presbyteros in Diœcesis administratione partem habuisse ex Canonibus, qui vetabant Metropolitanis sine Suffraganeis Episcopis, quoad bonum Provinciæ commune aliquid præstare*, 143. *Autoritates plurimæ quæ id probant*, ibid. *Infertur etiam ex usu Synodos Diœcesanos celebrandi ex successione Capituli Cathedralis ad Diœcesis administrationem Sede vacante, ex deputatione cujusdam è Clero ab Episcopis absentibus ad consilia ex clausulâ de consilio fratrum aut simili*, 144. a.

AFRICANA CONCILIA.

Africana Concilia. notanda in Conciliis Africanis circa convocationem, 112. *tempus celebrationis*, ibid. *locum*, ibid. *qualitatem*, 113. *numerum*, ibid. *præsidentiam*, ib. *formam Canonum*, ibid. *sumptus*, 114. a. *pœnas contra absentes*, ibid. *autoritatem secundi ordinis*, ibid.

ALIENATIO.

Sine Capituli consensu magnas alienationes Episcopus non potest facere, 135. a.

ALIMENTUM.

Episcopus non debet Clericos ordinare absque Alimentorum assignatione, 188. *Qui Clerici intelliguntur*, ib. *Successor ad id tenetur*, 189. a.

ALTARE.

Licet Episcopis & Cardinalibus uti Altari portatili tùm intra Diœcesim, tùm extra Diœcesim, exceptâ Urbe Romanâ, 190. *Quibus & quando uti possint Altari*

Altari portatili, 190. *Differt à lapidibus consecratis*, 190. a.

Privilegium utendi Altari portatili Dominicanis, & Fratribus Minoribus, quare abrogatum. Vide PRIVILEGIUM.

ANTONIUS AUGUSTINUS.

Comparatio ejus Epitomes cum Collatione Gratiani, 357. a. *Quo jure terminavit suam Collationem*, ibid. *Quænam sit ejus materia*, 357. a. Vide COLLECTIO.

APPELLATIO.

Appellatio ut abusu quandonam legitima est, 21. *Locum habet quando evidens est violatos esse Canones*, ibid. a.

AUTHORISATIO COLLECT. DECRET.

Authorisatio Collectionum Decretalium, 249. *De quâ agitur, fit per expressum Diploma*, ibid. *Duo referuntur Diplomata quæ sunt extra Corpus Juris illas authorisantia, cætera tantùm laudantur*, 249. & seq. *Quid observandum circa duo priora*, 240. *Quid circa cætera*, 250. a.

AVUS.

An illegitimus possit Avi Beneficium possidere? Vide ILLEGITIMUS.

BENEFICIUM.

BENEFICIUM, *quare nec conferri nec promitti debet antequam vacat*, 204. a.

BENEFICIATORUM TESTAMENTUM.

Vide TESTAMENTUM.

BLESENSIS.

De quibus Conciliis an Generalibus, an Particularibus loquitur Ordinatio Blesensis hâc voce, sub pœnis per Concilia latis, 181. & seq. *De quibus pœnis*, 182. a.

BURCHARDUS.

Ejus Collectio collata cum Collectionibus Juris Canonici Observationes in illam, 242. 243. a.

CANON.

CANON. *Per Canonem aliquando legem non scriptam, aliquando rectum ordinem, rectam disciplinam, intellexerunt priora Concilia*, 40. 41. *Quandonam Canones abrogantur aut per non usum aut per usum contrarium*, 109. a.

Canones. Momenta quæ reverentiam Canonibus, in se spectatis, procurant, 2. *Illos Clerici callere & legere assiduè tenentur*, 2. & 3. a. *Religiosi, imò & Laici illos servare debent*, ibid. *De his Sacerdotes ordinandi sunt examinandi*, 3. a. *Quis potest Canonum esse Promulgator*, ibid. *Qui iis student in celebri Universitate fructus in absentiâ percipiunt*, ibid. *Quâ curâ à Clericis servandi*, 3. & 4. a. *Episcopi excusari non possunt si eos violari sinunt*, ibid. *Quibus pœnis multentur qui eos observare negligunt*, ibid. *Qui eos non recipit suspectus in fide habetur*, 7. *Per Canonem aliquando Legem non scriptam intellexerunt priora Concilia*, 40. 41. a.

Canon an omnes obliget independenter ab omni receptione per usum, 22. & seq. a. *Præcipua Decreta quæ insinuant servandos Canones qualescumque*, ibid. *Momenta quibus utuntur*, 22. 23. *Quid respondendum incommodis hinc emergentibus*, 24. a. *Quando intelligendæ sunt propositiones generales Canonum observandorum*, ibid. *Horum Decretorum explicatio*, 24. *Publicatio facta Romæ non sufficit*, 25. a. *Quibus incumbit*, ibid.

Quibus (quando Canones antiqui cum posterioribus pugnant) standum sit, 41. b.

Qui Canones absolutè permittunt, qui verò prohibent autoritatem præstare rebus quas promittunt, 46. 47. b. *Collatio eorum*, ibid.

Canones abrogati, in quo differunt à malè observatis, 164. *An Tridentinum utrosque renovaverit*, 164. 165. a.

Canonum non servatorum numerus longè minor est aliorum numero, 92. b. *In quo differunt ab abrogatis*, ibid. *Quid requiritur ut Canon per usum contrarium abrogetur*, ibid. *Regulæ quibus Canones non servati ab aliis secerni possunt*, 92. 93. 94. *Plurimi sunt tantùm ex parte abrogati*, 92. *In exemplum Canonum non servatorum in Galliâ Canones quidam adducuntur, qui tangunt Summum Pontificem*, 92. 93. *Utilitas notitiæ Canonum abrogatorum*, 93. 94. 95. b.

CANONES APOSTOLORUM.

Canones Apostolorum. Conjectura nova circa eorum originem, 38. a. *Collatio eorum cum Canonibus quinque priorum Sæculorum*, ibid. *Fructus hujus Collationis*, ibid. *Quæ certa sunt circa illos*, 38. & seq. a. *Cui tribuitur eorum Collectio*, 39. a. *à Collectore nullum habent autoritatem*, ibid. *Momenta quæ inclinant, eos ab Apostolis non fuisse factos*, ibid. *Quis primus meminit Collectionis Canonum Apostolorum*, ibid. *Quot Dyonisius Exiguus vulgavit. Quot Joannes Antiochenus*, ibid. *Inter eos quidam erronei, quidam sibi mutuò adversantur, quidam doctrina Occidentalis Ecclesiæ oppositi*, ibid. *Quare non omnes refert Dyonisius*, ibid. *Non ideò antiqui quia veterem disciplinam sapiunt*, 40. a.

Ex his Canones similes Conciliorum priorum sæculorum non sunt decerpti sed potiùs è contrà, 40. *Quare per Canones laudatos à Conciliis quinque priorum Sæculorum non intelliguntur Canones Apostolorum*, 41. & seq. *Discrimen eorum*, ib. *Unde oritur illorum discrimen*, 62. a.

Collatio Canonum Apostolorum cum Canonibus quinque priorum Sæculorum, 45. & seq. *Horum quidam Regularum Gallicanarum æquitatem probant*, 163. *Qui fructus percipi potest ex illa Collatione*, 63. a. *Canonicum idem est ac regulare*, 1. b.

CAPELLANI CAPELLARUM REGIARUM.

Capellani Capellarum Regiarum subjecti Ordinario, 195. a.

CAPITULUM ECCLESIÆ CATHEDRALIS.

Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Clerum Diœcesanum repræsentat, 135. a. *Quæ sine Capituli consensu Episcopus statuere non potest*, ibid. *Et quæ sine ejus consilio*, ibid. 142. 143. a.

CAPITULARIA REGUM FRANCIÆ.

Capitularia Regum Franciæ ex quibus componuntur, 18. a. 241. a.

CARDINALES.

Cardinales Jure humano tantùm adsunt Concilio Generali, 66. a.

CARTHAGINENSIA CONCILIA.

Carthaginense II. Concilium suppositititium est, 113. *IV. Suspectum falsitatis*, 113. *Rationes pro & contra*, 114. 115. a.

CLAUSULA.

Clausula proponentibus legatis *in Tridentino posita, licet odiosa videntur, tamen non minuit autoritatem Concilii Decretorum*, 159. a.

Clausula salvâ Sedis Apostolicæ autoritate *in Concilio Tridentino quomodo intelligenda*, 158. a. *Sententia diversa*

diversa plurium circa hanc clausulam, ibid. *Est testimonium reverentiæ Sedis Apostolicæ debitæ*, 158. a. *Nec per eam Decreta Concilii mero Pontificis arbitrio relinquuntur*, ibid. *Quænam est origo hujus clausulæ*, 159. a. *Non debet sub intelligi in Canonibus Conciliorum vetustiorum*, ibid. *An sit novitas introducta à Concilio Tridentino*, 168. a.

CLERICI.

Clerici Sacros Canones callere tenentur, 23. *Ad eos legendos ab Episcopis Clerici Parochiani sunt impellendi*, 2. & 3. a. *juxta eos vivere debent & prædicare*, ibid.

CLERUS GALLICANUS.

Hujus Comitia Generalia similia Conciliis Nationalibus Africanis per repræsentationem, 113. a.

COADJUTORIÆ.

Coadjutorias cum futurâ successione reprobat Jus vetus & novum, 204. a. *Eæ sunt odiosæ, Coadjutoriæ verò ad tempus sunt favorabiles*, ibid. *Discrimina inter utrasque*, 205. a. *Causa dispensationis tùm finalis tùm efficiens*, ibid.

COLLATIO.

Collatio aliorum Operum huic affinium. Similitudines & dissimilitudines cum hoc, 265. & seq. a.

Collatio Collectionum Corporis Juris Canonici cum Collectionibus anterioribus, tàm Orientalibus quàm Occidentalibus generatim, 234. 235. a.

Collatio Decreti cum Collectionibus Martini Braccarensis, 239. *Isidori*, 240. *Capitularium Regum*, 241. a. *Hadriani*, ibid. *Et circa illam Observationes*, 241. 242. *Burchardi* 242. *Ivonis & circa illam Observationes*, 243. & seq.

Collatio Corporis Juris Occidentalis cum Corpore Juris Orientalis, 245. & seq. a.

COLLECTIONES.

Collectiones Græcorum quænam præcipuæ sint? 236. *Observationes circa illas*, 236. 237. 238.

Collectiones Latinæ Corporis Juris Collectionibus anteriores speciatim & cum his collatæ, 238. *Observationes in illas*, 238. 239. a.

Collectionis Gratiani, quæ vocatur concordia Canonum Discordantium, Collatio eum cæteris Collectionibus Corporis Juris, 210. & seq. a. *Illarum dissimilitudo*, ibid. *Va dè differt ab aliis Collectionibus quantùm ad formam vel modum*, 212. & seq. *Forma Collectionis Gratiani*, 212. *Forma aliarum Collectionum contentarum in Corpore Juris*, 212. & seq. a. *Differt etiam quantùm ad materiam. Collectio Gratiani continet antiquam Disciplinam, cæteræ novam*, ibid. *Multi sunt Canones supposititii*, 213. 224. *Multi aliis quam genuinis Authoribus attributi*, 214. a. *Multi absque inscriptione, plurimi ex Principum Legibus desumpti*, ibid. *Plures textus à Gratiano compilati vim Legis non habent*, ibid. *Apud Gratianum multi textus Pontificum, Conciliorum, Patrum, omissâ mentione operis vel quoti. Quando plures sunt Pontifices vel Concilia ejusdem nominis*, ibid. *Notabiles omissiones in Decreto*, 215. *Errores & mendæ primæ partis*, 215. 216. *Quorum præcipui. Concilium non cogi legitimè sine autoritate Papæ, absque quâ Synodi Provinciales non habent Jus condendarum Constitutionum; sed tantùm corrigendi; in majoribus esse potestatem jubendi, & in minoribus necessitatem obsequendi: Papam à Concilio non posse judicari*, 216. *Alius error circa continentiam Diaconorum*, 217. a. *Alius circa omissionem alicujus inferioris Ordinis*, 217. a. *Plurimi circa autoritatem Legum, Principum circa bona vel Res Ecclesiasticas*, ibid. *Errores & nævi secundæ partis*, 218. & seq. *Versantur præcipuè circa Simoniam, Juramenta in cauta, Purgationem vulgarem, Papam*, 218. *Circa Judicia, Electiones Episcoporum, Translationes, Ordinationes ab Hæreticis factas, Ordinationem Diœcesanorum Episcoporum à Papa, Extensionem Jurisdictionis Metropolitanorum, Primatum, Patriarcharum, jus judicandi Ecclesiam Romanam, jus Principum in bona Ecclesiastica, jus Cathedraticum, Canonem* Si quis suadente, *Censuras*, 219. *Circa Possessionem Bonorum à Clericis, usum Matrimonii, Furtum, Excommunicationem, Decimas, Præscriptionem*, 220. *Jus Parentum filios ante pubertatem Domino dicandi, pluralitatem Beneficiorum incompatibilium, militiam à Clericis exercendam potestatem Sacramenta conferendi ab Excommunicatis, Hæreticis*, 221. a.

Collectionum Gratiano posteriorum errores & mendæ, 224. & seq. a. *Unde plurimi originem trahunt?* ibid. *Versantur præcipuè circa autoritatem Ecclesiæ in Principes, Pontificum, Potestatis in Spiritualibus, ex quibus duobus Capitibus multi deducuntur alii errores*, ibid. *Cæteri præcipui versantur circa Jus Principum, circa Bona Ecclesiastica immobilia, superioritatem Conciliorum supra Papam*, ibid. *Circa indissolubilitatem matrimonii consummati, Episcopatûs renunciationem, sine licentiâ Pontificiâ Dispensationes; renunciationem Exercitio Ordinis Episcopalis authoritate privatâ, ætatem & qualitatem præficiendorum*, 225. *Circa Ordinationes, Subordinationem Archipresbyteri Archidiacono, Inquisitionem sælerum, Pontifici vel Principi obedientiam, punitionem Clericorem*, 226. *Circa judicia, confectionem contractuum sine participatione Principum, Possessionem, Restitutionem Spoliatorum, Pœnam in confitentem suum crimen, testes & testimonia*, 227. *Circa Jus jurandum, Præscriptionem, Appellationes amisso medio, obligationem abstinendi à communicatione in Sacris, bonorum temporalium acquisitionem, Administrationem, Alienationem, indissolubilitatem Matrimonii Conjugum lepra superveniente*, 228. *Circa Affinitatem, impotentiam, circa plura falsa Principia, & in congruas Scripturæ Applicationes, circa distinctionem Impedimentorum dirimentium & prohibentium Divortium*, 229. *Circa potestatem Jus legendi, Clericos criminosos, potestatem Papæ prætensam Principes deponendos, censuras in Principes tributa imponentes*, 230. *Contra subjectionem omnis creaturæ*, 231. a. *Plurima alia principia erronea continet*, ibid. Vide GRATIANUS.

Collectionum Gratiani & Antonii Augustini comparatio, 357. *Quænam prævalet*, 357. 358. *In quibus differunt*, 357. *In quibus conveniunt*, 358. a. *Omissiones Antonii Augustini*, ibid.

COLLEGIUM.

Unde Collegia Jurisdictionem in seipsa exercentia illam acceperint, 116. *Et an possint dici Papæ immediatè subdi, licèt Papa in ea suam proximè Jurisdictionem non exerceat, nec per se, nec per alios*, 116. b.

Quid necesse sit ut Collegium aliquam rem approbet, 163. a

COMMISSIO.

An Episcopus committere possit Sacerdoti reconciliationem Ecclesiæ pollutæ Abbati, Sacerdoti, Benedicto, conferendi tonsuram suis Diœcesanis, & degradationem Clerici in Sacris constituti, 193. 194. a.

COMMUNIO.

Hoc verbum in veteribus Canonibus est æquivocum, 43. a. *Conciliatio plurimorum Canonum, qui videntur inter se pugnare*, 33. & seq. b.

CONCILIUM.

Quid sciendum circa Conciliorum nomen? 63. a. *Quid intelligitur Concilii nomine?* ibid. *Quibus aliis nominibus donatur?* ibid. a. *Concilii natura*, ibid. *In quo cum aliis*

aliis cœtibus Concilium convenit, in quo difert, 63. A quo debet congregari? ibid. *Conciliorum finis, 64. Cujus est præsidere,* ibid. *Quis ordo sessionis?* ibid. *Conciliorum divisio in genere,* ibid. *Ad quem pertinet Conciliorum interpretatio sive juridica, sive expositoria, 65. a. Cujus sit à Conciliorum Decretis dispensare, & in quo casu est dispensandum vel non?* ibid. *Quæ necessaria ut Decreta Conciliorum ligent?* ibid. *Quot modis delinquatur in Conciliis?* ibidem. *Pœnæ in Concilia delinquentes, 66. a.*

CONCILIUM GENERALE.

Quid requiritur ut Concilium sit Generale? 66. a. Qui in eo sunt vocandi Jure Divino? ibid. *Quare non est necesse ut omnes Episcopi adsint?* ibid. *Cujus sit illud convocare & ei præesse?* ibid. *Quandonam non est necesse ut Papa convocet, & ei præsit?* ibid. *Quæ Concilii Generalis autoritas?* ibid. *In quo ejus Constitutiones dicuntur fieri per Spiritum Sanctum? 66. 67. In quo dicitur à Papa robur accipere? 67. a. Inter Concilia Generalia nulla distinctio quoad potestatem definiendi & statuendi, nec quoad definitiones, quæ fidem & mores respiciunt,* ibid. *Quædam autem est circa Constitutiones, circa Disciplinam,* ibid. *In quo Concilium Generale difert à Particulari?* ibid. *In quo convenit? 67. 68. In quo est huic præferendum? 67. Illius judicium circa facta est reformabile, 68. a.*

Concilium Generale repræsentat Universalem Ecclesiam, 74. Observationes Generales circa Concilia Generalia, 73. & seq. Conditiones ut Concilium pro Generali habeatur, 73. Quid intelligitur per Concilium Generale? 74. a. Potestatem habet obligandi omnes fideles, ibid. *Infallibile est,* ibid. *Et ideò definitiones à Conciliis præcedentibus factas nullum Concilium discutit, sed Sancti Spiritus oracula habentur, 74. 75. E contra discusserunt id quod à Summis Pontificibus fuerat definitum, 75. Quid requiritur ut decisio Concilii Generalis pro definitione, seu fidei articulo habeatur?* ibid. *Quibus sæculis habita sunt Concilia Generalia? 76. a. In quibus locis,* ibid.

Concilium Generale De quorum œcumenitate disputatur? 76. a. In quibus Decreta & Canones tribuuntur Papæ cum clausulâ approbante Concilio? ibid. *Quorum Acta integra supersunt?* ibid. *A quo fuerunt convocata?* ibid. *Quæ diutiùs duravere?* ibid. *Quæ translata?* ibid. *Quæ sub pluribus legitimis Pontificibus habita sunt?* ibid. *Quorum Decreta à Conciliis subsequentibus nominatim approbata fuere?* ibid. *Undenam nomen trahunt?* ibid. *Quam qualificationem sumpserunt? 77. Quodnam primum se dixerit Spiritu Sancto congregatum?* ibid. *Singula Concilia Generalia Orientalia ab Imperatoribus convocata fuere, Occidentalia verò à Pontificibus, excepto Pisano, à Cardinalibus convocato,* ibid. *An Occidentalia convocata fuere de consensu Principum?* ibid. *Quæ causæ fuere convocationis Conciliorum Generalium, tùm Generales, tùm Speciales?* ibid. *Singulorum spiciatim causæ particulares enumerantur,* ibid. & seq. *Quo in loco mediato & immediato, nempe quâ in urbe, an in Ecclesiis, an in Palatiis, Episcopali, Regali, Imperiali? 84. 85. Quibus Papa per s præfuit? Quibus per Legatos, & quibus non præfuit? 86.* & seq. *Ordo in concessu,* ibid. *Quem locum habuerunt Abbates Generales, Abbates Particulares, Legati non Episcopi, Laïci, Protonotarii, Auditor Generalis Ordinum Mendicantium, Deputati Universitatum & alii? 86. 87. Quis in Conciliis Orientalibus præsedit; quis in iis ordo Sessionis? 37. 38. Quare in Conciliis Orientalibus Imperator præfuit? 88. Quare utraque potestas Spiritualis & Temporalis in Conciliis concurrere debet? 88. Plures Prælati in Conciliis per Procuratorem interfuerunt, 89. 90. a. Modò inferiores modò superiores Procuratoris munere functi sunt,* ibid. *Quædam notanda circa munus Procuratoris, 90. a. Quomodo Imperatores in iis interfuerunt,* ibid. *Ex quibus Actis dignoscitur, qui per Procuratorem interfuerunt? 90. 91. Quibus modis sententiæ latæ sunt, an per Capita, an per Collegia in Conciliis tùm Orientis tùm Occidentis? 91. 92. Quis modus naturalior? 91. Quare modus per Capita Sententias dicendi aliquando postponendus fuit? 92. Quæ Concilia definitiones fecerunt circa fidem & mores? 92.* & seq. *a.*

CONCILIUM PARTICULARE.

Concilium Particulare. Quomodo dignoscitur Concilia fuisse Patriarchalia vel Primatialia? 69. Quid in Jure Canonico legitur circa Concilia Primatialia vel Patriarchalia? 69. 70. a.

Concilium Particulare quid sit? 67. Illius finis, 68. a. A Conciliis particularibus plurimi Canones conduntur, ibid. *Ad quem pertinet eorum Decreta interpretare?* ibid. *Eorum judicium circa facta est reformabile,* ibid. *Conciliorum Particularium divisio,* ibid. *In quâ Classe ponenda Concilia Nationalia? 65. Cujus sit Concilii Particularia convocare, iisque præesse? 68. a. Quæ eorum autoritas?* ibid. *Quos eorum Decreta ligant?* ibid. *Concilia Particularia pluribus Legibus præcepta sunt, & sub quibus pœnis? 69. In quibus inter se conveniunt & differunt, & undnam præcipua eorum differentia?* ibid. *Quænam Concilia sunt anteponenda, an Generalia, an Particularia?* ibid.

CONCILIUM PROVINCIALE.

Loca juris quæ de eo habentur, 70. a. A quo sit convocandum? ibid. *Qui ad illud sunt vocandi?* ibid. *Cur ad Concilia Provincialia vocanda sint Capitula Ecclesiarum Cathedralium? 71. a. Quæ causa eximit à veniendo ad illud?* ibid. *Ad quid tenentur vocati qui venire nequeunt?* ibid. *Quæ pœnæ in jure contra Episcopos venire nolentes?* ibid. *Quæ in Concilio Provinciali agenda? 72. a. Ejus decreta publicanda,* ibid. *A quo eorum observatio curanda?* ibid. *Quâ pœnâ plectendus qui utrumque negligit?* ibid. *Quæstiones circa fidem Concilium Provinciale definit in primâ instantiâ, 64. Quo tempore convocandum sit Concilium Provinciale? 70. a.*

CONCILIA.

Conciliorum utilitas, 5. 6. Ecclesiasticæ Disciplinæ suffragium præstant ad vitandas & sedandas discordias, 5. 7. Subveniunt ruenti mundo, 6. a. Horum institutor Christus, ibid. *Tempore Conciliorum ferventiùs orandum,* ibid. *Dicuntur nervi Ecclesiæ,* ibid. *Quando convocanda?* ibid.

Conciliorum necessitas & autoritas, 6. 7. a. In iis Spiritûs Sancti præsentia promittitur, ibid. *Quatuor priora Concilia sicut quatuor Evangelia venerari se dicit Sanctus Gregorius VII. hæreses, errores, schismata extirpant, excessus corrigunt.*

Concilium recipere non est approbare omne quod gessit, sed tantùm recipere definitiones illius, exceptis Decretis quæ contraria sunt doctrinæ vigenti, 106. a.

Utrùm verum sit, ea, quæ ad fiedm attinent collocavisse in Symbolis, formulis fidei & decretis; quæ verò ad mores & ad Disciplinam, in Canonibus: & quas exceptiones patiatur effatum illud, 235. a.

CONCILIA GENERALIA.

Concilia Generalia. Quorumdam definitiones in particulari enumerantur, 93. 94. Quare Tridentinum videtur ad examen vocavisse præsentiam realem & transubstantiationem jam definitas in Concilio Lateranensi, 94. Forma definitionum à Conciliis Generalibus factarum? 94. & seq. *Diversis nominibus insigniuntur definitiones Conciliorum Generalium, modò Symbolum, modò*

modò Decretum, modò Definitio, modò Sententia, tùm Terminus, tùm Censura, mox Constitutio, mox Canon nominantur, 94.95. a. *Quid in quolibet sancitum fuit?* ibid.

CONCILIA PROVINCIALIA.

Concilia Provincialia lites judicabant, 126. *Ad eà provocabatur*, 125. *Pœnas infligebant iis qui eis interesse negligebant*, 123. *Episcopi legitimè retenti ad ea suo loco mittere tenebantur*, 122. *Ab iis discedere sine justâ causâ & licentiâ vetabatur*, 127. a.

CONCILIA FALSA.

In corpore juris memorata quæ sint? 261. a. *Notæ eorum falsitatis*, ibidem.

CONCURSUS.

An locum habeat in Dignitatibus Cathedralium & Collegialium, & aliis Beneficiariis, in Prioratibus regularibus in Commendam datis? 198. a. *Ad quod tempus prorogari potest Concursus?* ibid. *Concurrentes rejecti habent jus appellandi*, ibid. *Loco scrutatorum Synodalium Episcopus alios potest substituere, & quos, & per quod tempus?* 199. a. *Concursus locum non habet in Curis regularibus in Titulum, nec in Commendam habitis, in Vicariis perpetuis, in Curis Patronatûs Laïcalis*, ibid. *Locum habet in Curis Patronatûs Laïcalis ad Episcopum devolutis*, 200. a. *An Vicarius Apostolicus directionem habeat Concursûs sicut Episcopus?* ibid. *An Concursus habeat circa curas Patronatûs Ecclesiastici Vacantes, Sede Vacante?* ibid.

CONVOCARE.

Convocare Concilium. Vide CONCILIUM.

COMITIA.

Comitia Generalia Cleri Gallicani sunt similia Conciliis Nationalibus per repræsentationem. Vide CLERUS GALLICANUS.

CONFIRMARE.

Hujus vocis triplex sensus, 170. *An & cur Tridentinum Concilium à Papâ confirmationem decretorum suorum poposcerit?* 168. 169. a.

An confirmatio Conciliorum per Sanctam Sedem necessaria est? 154. a.

CONFIRMATIO CONCILIORUM GENERALIUM.

Concilia legitimè coacta non indigent Confirmatione Pontificiâ ad obligandum, 100 a. *Quid sentiat Ecclesia Gallicana circa hanc quæstionem*, ibid. *An hanc Confirmationem petiere Concilia & quæ?* 101. 102. *Solum Concilium Tridentinum hanc petiit*, 102. *Hæc vox* Confirmatio *variè accepta*, 103. a.

CONGREGATIO.

Quare Congregationes à Papâ institutæ ad interpretationem Concilii Tridentini, majorem fructum non afferunt, 185. a.

CONGREGATIO CONCILII TRIDENTINI.

Quot sunt Congregationes Cardinalium? 206. a. *Quænam autoritatis Decretorum seu Declarationum illarum; & tunc quænam conditiones?* ibid. & seq. *An vim Legis habeant, an sint tantùm Decisiones Magistrales?* 206. a. *Varietas Sententiarum, momenta cujuscumque?* ibid. *Confutatur sententia Fagnani*, 207. a. *Quæ illis communia, quæ peculiaria, à quibus Pontificibus institutæ sint, quo tempore, quo fine, quænam illarum officia?* ibid. & seq. *Sunt respectu Pontificum sicut Consilia quoad Principes*, 207. *Aliæ sunt ordinariæ, quædam extraordinariæ*, 208. a. *Quando Jurisdictio illarum suspenditur?* ibid. *Quibus personis constent?* ibid. *Consistorium constans singulis Cardinalibus, qui sunt Romæ non inter eas annumeratur*, ibid. *Nunc in illo non discutiuntur lites, sed in Congregatione Consistoriali*, ibid. *Consistorium fit ad nutum Pontificis, ibi est ordinarium, vel extraordinarium, publicum vel secretum*, ibid. *Hujus negotiâ ordinaria*, 208. a.

Congregatio Concilii Tridentini à quo instituta, quem ob finem? 209. a. *Hujus decisiones, declarationes dicuntur*, ibid. *Cujus Ministri*, ibid. *Si difficultas occurrat, tenetur Pontificem consulere, extenditur ad revisionem Conciliorum Provincialium, habitorum præcepto Tridentino*, ibid. *Declarationes antiquas quandoque per novas emendat*, ibid.

Congregationes de Regularibus & Episcopis quare adunatæ, quibus personis constent, in eâ non servatur judiciarius ordo, quo die cogitur, quam formam servat? 209. 210. a.

Congregatio Sancti Officii eadem est ac Inquisitio, quo tempore instituta, quem ob finem, à quo, cujus privilegia, cujus Ministri, quibus diebus cogitur, in cujus nomine decreta inscribuntur? 209. a.

CONGREGATIO ACTUUM.

Sola titulo Sacra *vocatur, non est hodiè eadem cum Congregatione Canonisationis Sanctorum, versatur circa ritus, ceremonias, officium divinum à quo & quem ob finem instituta fuit, cujus officiales, & quot, cujus forma in Decisionibus in quo ab eâ differt? Congregatio Canonisationis Sanctorum, hujus forma procedendi*, 210. a.

CONGREGATIO JUDICIS.

Ad quem finem instituta est, cujus officium, à quo, cujus Ministri & quod? 209. a. *facilitas suprimendi & damnandi libros, ejus sententiæ contemptum parit*, ibid.

CONSISTORIUM.

Consistorium institutum est ad Concilii Tridentini interpretationem, 185. *Quot sunt?* 206. a. *Quænam autoritas illius?* ibid. *Quibus personis constet?* 208. a. *A quo institutum?* ibid. *Quomodo dividitur?* ibid. Vide CONGREGATIO.

CONSTITUTIO.

Quid sit? 10. a. *Quotuplex?* ibid. *Quid sit Constitutio Ecclesiastica, quid civilis?* ibidem. *Nihil debet obscurum continere*, ibid. *Qualitates Constitutionis*, ibid. *Ejus materia*, 12. a. *Cujus est condere eas?* ibid. Vide LEX.

CONSTITUTIO.

Constitutio Ecclesiastica est scripta Lex vel universalis vel particularis, 56. b. *In quibus differat à Canone?* ibid. *In quibus differat, vel conveniat cum statuto?* 57. *A quo fieri potest & abrogari, cujus fines, ad futura non ad præterita respicit, ad connexa se extendit, mutari an potest, non ligat ignorantes, benignùs est interpretanda*, ibid. *Quibus casibus liget, quibus non liget?* ibid. *An & quando Ecclesiasticæ circa res temporales constitutiones ligent?* 58. *Quæ constitutiones Ecclesiasticæ mutabiles, quæ immutabiles, quando mutandæ, quando non?* 59. *An omnes æqualiter subditos ligent*, 59. 60. b.

CONSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ.

Constitutiones Ecclesiasticæ, earum autoritas, quantâ curâ servandæ sunt, qui eas violare præsumunt puniendi, qui iis subjiciuntur quasdam oportet quandoque temperare, 47. 48. b.

CONSTITUTIONES PROVINCIALES.

Constitutiones Provinciales obligare non ad pœnam tantùm; sed & ad culpam, nisi aliter expressum sit, 7. a.

CONSTITUTIONES EPISCOPORUM.

Constitutiones Episcoporum contra bonos mores, Canones Paparum, Decreta non valent, non ligant ignorantes, nec Subditos extra Diœcesim, Festivitates indicere possunt, nihil debent immutare in absentiâ eorum quorum interest, nec in præjudicium illorum, nisi consentiant, 49. b.

CONSTITUTIONES REGIÆ.

Constitutiones Regiæ plurimas Constitutiones Concilii Tridentini laudant, 170. *Quare non illud nominant?* 171. *Quid inde inferendum*, 171. a. *Quid his addiderunt Constitutiones Regiæ?* ibid.

CONSUETUDO.

Consuetudo quid sit? Quare vocatur consuetudo? Quid longa consuetudo censeatur? Legum est Interpres. coercendi contemptores, 79. b. *Ejus autoritas, quæ est contra Jus Naturale, vel Divinum, sacros Codices, Ecclesiasticum libertatem est improbanda*, 79. *Quando Humanæ Legi prævalet?* 79. 80. *Mala consuetudo vitanda est, Episcopus debet eam abolere*, 88. *Quandonam cum veniâ suo ingenio quidam sunt relinquendi?* 80. *Quando variæ sunt observandæ consuetudines?* ibid. *Quæ ab Apostolis vel plenariis Conciliis Statuta retinentur, quando sunt diversæ locorum consuetudines, Metropolitanæ Ecclesiæ, vel circumpositarum consuetudo est sequenda*, 81. b.

Consuetudine acquiritur Jurisdictio, Jus eligendi derogatur Juri Communi, ibid.

Consuetudo probatur per testes, per majores; unus actus non sufficit ad eam præscribendam, ad hoc non requiritur actus judicialis, quæ sufficiunt, ibid.

Consuetudo pars est Juris, quare & à quo tempore? 82. *Quid sit & quid significet?* ibid.

Consuetudinum divisiones de quibus in Jure, ibid. *Quid Canon doceat circa consuetudinem scriptam & non scriptam, discrimen inter scriptam & constitutionem*, 82. 83. *Quid sit juxta Canones bona consuetudo, quid circa illam faciendum, quæ talis habenda?* 83. *Quid sit mala consuetudo juxta Jus? Illius exempla. Quid circa eam faciendum*, 83. 84. 85. *Quid sit consuetudo indifferens, quibus notis dignoscatur, illius exempla in Canone relata*, 85. 86. *Unde hauriat vim suam consuetudo?* 86. *Quid possit consuetudo, sive generalis, sive particularis*, 87. b.

Quid expressè in Canone contra consuetudinem prohibeatur, 87. 88. *Canones qui dicunt consuetudinem Canonibus, vel legi contrariam nullius roboris esse, loqui de consuetudine non rationabili, vel nondum præscripta, vel de Canonibus, aut lege, Jus Naturale vel Divinum exequentibus*, 87. b. *Quæ requiruntur ut Jure Canonico sit legitimè præscripta?* ibid. *Quibus viis in Jure abrogetur consuetudo?* 89. b. *An facta vi malæ consuetudinis abrogantur semper cum ipsa?* ibid. *Consuetudines per ipsasmet sunt explicandæ*, ibid. *Considerandum illarum motivum & quomodò illud cognoscatur*, ibid. *Earum dispositionibus nihil addendum*, ibid. *Nec mutandum ac demendum*, 90. b. *Per non usum aboleri potest*, ibid. *Consuetudines sunt stricti Juris, & ideò earum dispositiones strictè servandæ, nisi adversentur rationi naturali*, ibid. *In eis maximè distinguendum quod dicitur per modum limitationis, ab eo quod dicitur per modum exempli; & quomodo id noscitur?* ibid. *Non est distinguendum ubi consuetudo non distinguit*, ibid. *Verba illius sunt explicanda juxtà propriam significationem, aut illius mentem*, ibid. *Consuetudines Juri Communi consonæ recipiunt extensiones Juris Communis*, 91. b. *Consuetudines robur amittunt per Edicta Regia, & quando sine derogatione expressa*, ibid.

CRIMEN.

An Crimen admissum coram duobus vel tribus testibus sit occultum, 195. a.

DECRETA.

DECRETA *nomine Synodi quam nomine Præsidentis de consensu Concilii meliùs concipiuntur*, 273. a. *Quæ Concilia, sive generalia, sive particularia, sua Decreta suo nomine concepere, quæ verò nomine Præsidentis*, ibid.

DECRETALES EPISTOLÆ.

Decretales Epistolæ. Quid per eas intelligitur, 248. *Utilitates legendi Collectiones antiquiores Gregorianâ*, 250. 253. 254. *Prohibitio faciendarum Collectionum Decretalium absque autoritate Sedis Apostolicæ*, 250. *Collectio Gregoriana*, 25. *Collectio Bonifacii VIII.* quam Sextum *nominavit & quare?* 250. 251. *Collectio Clementinarum & à quo fuit facta*, 251. *Collectiones Extravagantium*, 251. 252. *Decretales decessorum Pontifices potuerunt resecare, augere, immutare, & quare?* 252. 253. a.

DECRETALES SUMMORUM PONTIFICUM.

Decretales Summorum Pontificum sunt venerabiliter custodiendæ; si verò sint Scripturæ, statutis Patrum, Juri Communi dissonæ, rejiciendæ, omnes adstringunt, 48. 49. b.

Septimum Decretalium quid continet, quis Autor? Plura vitia habet & quæ? 256. *Multa refert Doctrinæ Galliæ oppositа contra superioritatem Conciliorum, provocationes ad Concilium Generale, annatas spolia Clericorum Pontifici reservata*, 256. *Pauca Tridentini Decreta inseruit*, 257. a.

Falsæ Decretales in Corpore Juris contentæ, 257. a. & seq. *Epistolæ nomen gerentes Pontificum Siricio anteriorum sunt supposititicæ, in nullo reperiuntur Autore Isidori mercatori anteriori*, ibid. *Quædam datæ quibusdam Pontificibus post Siricium*, ibid. *Quo tempore prodiere?* 258. *Quis primus eas sub nomine Pontificum laudavit*, ibid. *Momenta, quibus eorum suppositio probatur & diluuntur objectiones*, 257. 258. *In quo loco fabricatæ sunt, nihil certi*, 258. *Quo propositi*, ibid. *Quantum culpandus Autor*, ibid. *Quæ commoda ex suppositionibus illis Ecclesia Romana perceperit*, ibid. *An ex usu autoritatem acceperunt?* ibid. *An ex confirmatione Pontificum*, 259. *Notæ falsitatis, tùm generales, tùm speciales*, 259. 260. a.

DEGRADATIO CLERICI.

Degradatio Clerici, an possit Abbati committi? Vide COMMISSIO.

DIOECESIS.

Diœcesis gubernatur duobus Pastorum Ordinibus, 140. a.

DELEGATUS.

Qualitas Delegati Sedis Apostolicæ in Tridentino Episcopis sæpè attributa, eos honore afficit & ratione tituli, & ratione negotiorum, id probatur, & refelluntur objectiones, 160. 161. *In praxi nulla fit mentio hujus tituli*, 161. *Primum non fuit Tridentinum quod hâc voce usum fuit*, 161. 162. a.

DEPUTATI.

Deputati ab alio Conciliis non suis sed illius sumptibus eunt & manent, 5. a.

DYONISIUS EXIGUUS.

Ejus Collectio Canonum, 238. 239. a.

DISCIPLINA.

An Ecclesia Nationalis possit sibi Disciplinam constituere, 63. *Exempla quædam*, ibid. a.

Disciplina quæ Concilia Generalia statuta circa Disciplinam fecerunt, quæ non, 296. *quibus nominibus insignita fuere statuta in diversis Conciliis*, 96. *Circa quæ versantur*, ibid. *Quæ quatuor priora Concilia Generalia decrevere circa Disciplinam*, 96. a.

DISCIPULI.

Discipulorum successores Presbyteri sunt, 140. *Discipuli instituti sunt à* CHRISTO *ad regimen Ecclesiæ cum dependentiâ*, 140. *In partem administrationis vocati sunt*, 140. & seq. a.

DISPENSATIO.

Dispensatio quare dicitur Juris relaxatio, 65. *Quotuplex genus Dispensationum*, ibid. Vide CONCILIUM.

Dispensatio vulnus infligit legi, 65. *Quandonam cessare debet Dispensatio*, 65. a. *Rara esse debet Dispensatio*, ib.

Dispensatio quæ Dispensationem inducunt? Qui eam non merentur? Quibus committenda? Quid observandum in Dispensatione concedenda? Quando subreptitia censetur? Utilitas vel necessitas in Dispensatione inspiciendæ sunt; elapso tempore Dispensationis Legi subjiciatur oportet, 51. 52. *Successores Legislatorum habent potestatem dispensandi*, 52. b.

Dispensatio Papæ respicit solùm actus spirituales non sæculares, 12. *An Episcopus dispensare possit id quod Papæ non fuerit reservatum*, 194. a.

Dispensatio. An dispensandi facultas sit adempta Episcopis per reservationem ad Pontificem, 37. b. *Quo pacto Ultra-Montani intelligant illud* Papam supra Jus dispensare, ibid.

DISTRIBUTIO.

Distributiones ab absentibus amissæ quomodo distribuendæ eorum discrimina, 189. a.

DOMICILIUM.

Domicilium per quod tempus acquiratur, 171. a.

ECCLESIA.

ECCLESIA. *Regimen Ecclesiæ an Monarchicum an Aristocraticum*, 111. 112. *Libertas Ecclesiarum quoad Disciplinam*, 112. a.

Ecclesia membrum imperii, 20. a.

Conciliatio textuum quibus Ecclesiæ subditio datur principibus, cum his quibus videtur auferri, 40. 41. b. Vide PRINCEPS.

ECCLESIASTICI.

Ecclesiastici, quibus competit juxta nostrum morem cognitio quarumdam rerum civilium, modò plurium modò pauciorum, prout necessitas temporis vel aliarum circumstantiarum, ex Concessione Principum id habent, 21. a. *non debent confundere potestatem temporalem quam exercent cum spirituali*, ibid.

ELECTIO.

Electio. An Episcopus teneatur eligere digniorem in concursu, 199. *An Canditati possint ab ejus judicio provocare*, ibid. *Quinam effectus hujus appellationis*, 200. a. *Forma Electionis*, ibid.

Electio. An Clerici Sæcularis ad Beneficia Regularia, vel Prælaturas, Electio irrita sit, 187. a.

EPISCOPI.

Episcopi Apostolorum successores, 140. a. *An actuum capite*, 20. *Vox Episcopi Presbiteros complectatur*, 141. a.

Episcopi Inquisitores nati suarum Diœcesium jus habent examinandi Libros, 209. a.

ETHICA CHRISTIANA.

Qui fontes illius juxta Jus Canonicum, 27. *Qui ex illis fontibus anteponendus*, 27. b. *Quandonam ad Summorum Pontificum Decreta est recurrendum*. ibid. *An & quando inter fontes recenseantur Theologorum Sententiæ*, ibid.

EXCOMMUNICATIO.

Conditiones necessariæ ut Canonica sit Excommunicatio, 203. *Notio illius ad solum Judicem Ecclesiasticum pertinet*, 203. *Judex adversùs contumaces Excommunicationem ferre non potest, quando non apparet ex actis processus neque executionem realem, nec personalem fieri posse, exceptâ Excommunicatione ad revelandum*, 204. *Quibus jus concedendi Excommunicationem ad finem revelationis competat*, ibid.

EXEMPTIO.

An qui immediatè Papæ subsunt exempti dicantur, 114. b. *Præcipua Exemptorum genera*, ibid. *An in Corpore Juris mentio fiat de Exemptis Sæcularibus, & qui Canones antiquiores circa illud*, ibid. *Quo tempore Capitula ceperunt frui Jure Canonicos corrigendi*, 114. 115. *An Exemptiones Sæculares minùs sint favorabiles quam regulares*, 115. *Quæ Exemptiones præferendæ*, 116. b. *Exemptio unico actu amittitur, si de renunciatione agatur, pluribus autem & non interruptis, si de præscriptione*, ibid. *In Exemptione concessâ alicui Ecclesiæ civitatis Cathedralis ab ordinariâ Jurisdictione, debet fieri mentio Exemptionum similium concessarum plerisque Ecclesiis ejusdem civitatis, alioquin est obreptitia*, 119. b. *Cui pendente lite possessio adjudicanda? An Exemptio & quando*, ibid. *Ad Exemptionum executionem Literæ Regiæ patentes sunt necessariæ*, 120. *Quæ indicia certa vel incerta Exemptionum*, 120. 121. *An certum Exemptionis argumentum cujusdam Ecclesiæ de quâ Papa dicit eam esse liberam, vel ad Jus Ecclesiæ Romanæ pertinere, an si utatur Breviario Diœcesano*, 120. b. *An si habeat jus ferendi mitram & alia ornamenta Episcopalia*, ibid. *An si à Diœcesano censuris plecti non possit*, 121. *Quam Exemptionis speciem important hæc verba*, libertate donentur: Liberâ sit Ecclesia, potiatur libertate Ecclesiæ Romanæ: Liber ab omni consuetudine Episcopali: Ecclesia exempta ab omni onere Jurisdictionis Pontificalis ut nullus Episcopus Clericum vel Monachum talis Ecclesiæ vel Monasterii synodare nequeat: Illos ad jus professionis non teneri, quia liberati contrarium, 121. b. *Quam immunitatem importat Exemptio à Lege Diœcesano*, ibid. *Extant plures Exemptiones abrogatæ per Canones commune Jus continentes, & quæ illarum species*, 122. b. *An illarum abrogatio vigeat adhuc*, ibid. *Quæ causæ illius abrogationis*, ibid. *Quæ abrogationes factæ à Concilio Tridentino vim suam non habeant, cæteræ*

ab

ab eo non censentur approbatæ, ibidem. *De Exemptis nullius Diœcesis mentio non fit in Corpore Juris Canonici, benè tamen in Concilio Tridentino, iique sunt duplicis generis*, 123. *Utrumque loquitur de Exemptis qui habeant Jurisdictionem Episcopalem*, 123. b. *Pariter de Exemptione quâ quis immediatè Sedi Apostolicæ subest*, ibid. *An & in quo differat Monialium Exemptio à Monachorum Exemptione*, ibid. *Prælatus cui Exemptus immediatè subjicitur, eam quam haberet Ordinarius, habet Jurisdictionem*, ibid. *Prælato exempti proximo illum corrigere negligente istius negligentiam Ordinarius supplere potest*, 124. b. *Quibus Juribus Episcopalibus potiri potest Ecclesia exempta*, ibid. *Quæ Exemptio per libertatem intelligatur*, ibid. *Nulla est circa doctrinam Exemptio ab Episcopi Jurisdictione*, 124. 125. *Recipiendæ à Monialibus ante habitum & professionem ab Episcopo examinandæ*, 127. *Quas Exemptiones Tridentinum abrogavit*, 127. b.

Exemptio: quædam Exemptiones quibus Tridentinum derogavit, 195. a. *Duplex Exemptorum genus*, ibid. *Quandonam personæ sunt exemptæ & loca*, ibidem. *Exemptio aliquando partialis*, ibid. *Personæ quædam exemptæ & non exemptæ*, ibid. *In quo Religiosi subjacent Statutis Episcoporum*, ibidem. *Constitutio Greg. XV.* 13. a. *Capita complectens Jura Episcoporum in Religiosos*, ibid. & 197. *Tutela generalis Pontificis non continet Exemptionem, benè tamen specialis*, 196. a.

Exemptio. Quis circa Regularium temporalem Exemptionem textus antiquior, 128. b. *Ea pluries confirmata*, ibid. *Nec hactenùs à jure derogatum*, 129. b. *Hoc ad Capellas Monasteriis annexas, & Ecclesias Parochiales iisdem subjectas non extenditur*, ibid. *Ea non comprehendit omnia Episcopis debita temporalia jura*, 128. *Nullus textus Monasteria eximit à procurando Episcopo visitante*, 129. *Non obstante eâ censûs tempore fundationis vel libertatis concessæ, vel quodlibet aliud jus reservatum Episcopo eidem debetur*, 129. 130. *Quæ jura à temporali regulari Exemptione excipiuntur*, 130. b. *An Monasteria Monialium sub eâ comprehenduntur*, ibid. *In quo differt regularium Exemptio temporalis à spirituali*, ibid. *Jure communi quoad spiritualia Episcopi Jurisdictioni subsunt Regulares, sive Clerici, sive Laïci: quâ ætate incepit illa Exemptio spiritualis Regularium*, 130. 131. *Quæ Episcopi Jurisdictio in Monasteria fuit & quæ nunc est*, 132. b.

EXSPECTATIVÆ.

Exspectativæ usu receptæ in Galliâ comparantur cum Exspectativis Apostolicis seu Rescriptis, 77 78. *Rufæus quatuor peculiaria Juri Gallicano notat*, 77. *Quot hodiè in Galliâ istarum gratiarum species, & à quo conceduntur. Forma concedendi, quæ Beneficia gratiis Exspectativis Gallicis subjiciuntur*, 77. 78. *Quo tempore istæ gratiæ insinuandæ? Cui? Quid agendum si is, cui diriguntur, illas noluerit adimplere*, 78. b. *Quamdiu durant*, ibid. *Illarum concordia & discrepantia cum Mandatis Apostolicis quoad concedentem & modum quo conceduntur, quoad Beneficia quæ ipsis subsunt, quoad illos quibus diriguntur, quoad durationem & modum quo exspirant*, 77. 78. b.

FAVOR.

FAVOR. *Quandonam res est favorabilis*, 145. 2.

FIDES.

FIDES. *Ad Fidem nullus est cogendus*, 55. b.

FRANCISCI FLORENTIS.

Francisci Florentis Opera. Vide OBSERVATIONES *in ea*, 358. a.

GALLI.

GALLI *Jus Commune antiquum præ cæteris conservarunt. In quo positæ sunt illorum libertates*, 143. *In Galliâ nec Decreta Conciliorum, nec Paparum Bullæ recipiuntur sine Literis Patentibus*, 179. *Concilia Provincialia Galliæ exoptaverunt Concilii Tridentini promulgationem*, 156. 157. *Cur quædam nihil dicunt de illâ solemni publicatione*, 157. a.

GENERALES ORDINUM.

Generales Ordinum quo jure adsunt Conciliis Generalibus, 66. a.

Generales Ordinum quem locum habuerunt, in Conciliis. Vide CONCILIA.

GLOSSA.

Glossa vim Canonis non habet, 231. *Notæ in Glossas*, 232. a. *Qui in Occidente Glossatores Canonici Juris in genere*, ibid. *Qui Autores Glossarum in Corpore Juris insertarum, & quo sæculo*, ibid. *Quo pacto laudantur*, ibid. *Similitudines inter Glossas*, ibid. *Dissimilitudines inter eas*, 233. a. *Glossæ autoritas Magistralis est duntaxat*, ibid. *Quæ commoda Glossarum*, 232. *Cur nostrâ ætate Glossa parvi habetur*, 233. a.

GRADUATORUM PRIVILEGIUM.

Graduatorum Privilegium à Tridentino abrogatum in Galliâ semper observatum, 166. a.

GRATIÆ EXSPECTATIVÆ.

Gratiæ Exspectativæ à Concilio Tridentino abrogatæ, 204. a. *Non comprehenduntur primæ preces Imperatorum, nec indultum concessum Senatui Parisiensi, nec gratiæ Universitatibus concessæ*, ibid.

GRATIANUS.

Gratianus. Quis fuit? Non potuit Collectioni suæ publicam autoritatem tribuere, 210. *Quam non dat mos in scholis legendi*, 211. a.

Gratianus habetur ut Interpres Canonum in his quæ à se dicit, in his verò quæ colligit. Eorum autoritas ponderatur, ibid. *Nec quia inserta est Corpori Juris*, 211. a. *Nec quia Pontifices illum laudarunt*, ibid. *Gregorius* XIII. *Corpus Juris emendando non ideò Collectioni Gratiani publicam autoritatem dedit*, ibid. *Gratianus inter primos Glossatores Occidentis*, 232. a.

Collectio Gratiani circa Excommunicationem, dispensationes pœnitentiam, reconciliationem pœnitentium ab Episcopo, 221. *Circa Matrimonium à Monachis à Monialibus contractum, divortium, cohabitationem, potestatem parentum in liberos, in puberes, affinitatem, adulterium, coactionem in matrimonio*, 222. *Circa frigiditatem, indissolubilitatem, usum matrimonii, necessitatem confessionis, distinctionem pœnitentiæ in solemnem & publicam, raptum, affinitatem*, 223. *Similitudines Gratiani cum posterioribus Collectionibus*, 231. a. Vide COLLECTIO.

Gratiani Collectio Comparata cum Epitome veteris Juris Canonici exarati ab Antonio Augustino, 357. a. Vide COLLECTIO.

GREGORIUS.

Sancti Gregorii Liber de Curâ Pastorali assiduè legendus, 3. a.

HADRIANUS.

HADRIANUS. *Ejus Collectio*, 141. a.

HÆRETICI.

Hæretici. Ludovici VIII. *& Ludovici* IX. *Constitutiones contra Hæreticos*, 15. *Aliæ pœnæ temporales ab aliis Potestatibus Ecclesiasticis contra eos statutæ,*

tæ, 15. 16. *Quare nec Principes, nec Concilia laudavere Canonem III. Concilii Lateranensis IV. circa pœnam ab eo contra Hæreticos stabilitam?* 16. a.

HONORARIUM.

Parochus recipere non potest Honorarium pro Missâ Parochiali, 193. a. *Divisio fructuum Sacrificii, & cujus fructûs licet Honorarium accipere*, ibid. *Non licet duplex Honorarium accipere pro eâdem Missâ*, ibid.

HOMICIDIUM.

An interdictum dispensandi ab homicidio voluntario quoad Ordines Sacros & Beneficia quælibet se extendat etiam post promotionem? 186. *Mutilatio non intelligitur homicidium*, 194. a.

HOSPITALE.

Quid Tridentinum statuit circa illud? 190. *Potest in titulum Clericis Secularibus conferri*, 191. *An fruatur privilegio loci sub immediatâ Regum tutelâ constituti?* 190. a.

IGNORANTIA.

IGNORANTIA *quandonam ignorantia juris & quando ignorantia facti excusant, necne? Conciliatio textuum juris circa illud*, 35. 36. b.

ILLEGITIMUS FILIUS.

Non potest possidere Beneficium in Ecclesiâ in quâ pater ministravit, nec deservire ut Vicarius, 205. a. *Discrimina inter jus vetus & jus novum*, ibid. *An illi possit pater pensiones transferre?* ibid. *Quid si pater nec per se nec per Procuratorem deservierit Beneficium quod abdicavit?* 206. *Quid si filius sit legitimatus?* ibid. *Potest filius illegitimus possidere Ecclesiam dependentem ab eâ quam pater possedit*, ibid. *Quid si de beneficio avi agatur?* ibid.

IMPERIUM.

Non est in Ecclesiâ, sed Ecclesia in Imperio? 20. a.

INTERPRETATIO.

Quid intelligitur per interpretationem hominis, quid per interpretationem juris? 180. *De quâ interpretatione loquitur Pius Quartus vetans ne sine licentia Sanctæ Sedis interpretetur Concilium Tridentinum?* 181. a.

Prohibitiones interpretandi & glossandi decreta Concilii Tridentini quomodo intelligendæ? 233. a.

Interpretatio unde debet procedere, quomodo in dubiis, in obscuris est facienda, quomodo quando agitur de correctione juris veteris, quando de cultu Divino, quando de contractibus, quomodo intelligendus terminus restrictivus, quando de uno negatur, de quibusdam conceditur, quid subintelligendum in statutis Canonicorum numerum præfigentibus, statuta pœnalia sine determinatione temporis, quomodò intelligenda? Constitutiones ambiguæ etiam in re favorabili extendi non debent ad præterita, quid hæc verba, Volumus, nolumus, *significant?* 50. 51. b.

IRREGULARITAS.

An Episcopi possunt dispensare ab irregularitatibus provenientibus ex crimine occulto? Excipitur homicidium voluntarium: an exceptio cadat circa Ordines Minores? 187. a.

Italici Episcopi quid sentiant circa institutionem Episcoporum? 172. a.

ISIDORUS.

Ejus collectio, 240. *Isidorus Mercator primus qui Decretales supposititias citavit*, 257. a.

JUDICES LAICI.

Quid possunt circa res merè spirituales? 21. a.

JURISDICTIO.

Potestas Jurisdictionis alia ordinaria, alia delegata, definitio utriusque & extensio, per quid ordinaria potest restringi, quid per restitutionem acquirat, 39. 40. b.

JUS.

Quare jus dicitur, quotuplex definitio juris naturalis, civilis, & juris gentium? 8. a. *Prærogativæ juris naturalis*, ibid. *Juris gentium exempla*, ibid. *Quid sit jus militare?* ibid. *Ex quo constat omne jus?* ibid.

Jus idem est ac justum, 1. b. *Quare jus, de quo hîc præcipuè, dicitur Canonicum?* ibid. *Definitio Juris Canonici*, 2. b. *In quo præcipuè conveniat cum jure civili?* ibid. *Utrumque potest dici Lex, est humano positivum, differt à jure gentium à more, dividi potest in publicum est privatum, collectum est ex Sacrâ Scripturâ*, ib. *Per utrumque bona acquiruntur, reguntur, possidentur, utrumque continet leges inter se discrepantes, eodem modo instituitur, abrogatur, non ligat ignorantes, qui nosse non potuerunt, dat tantùm formam futuris, nisi caveatur de præteritis, non ligat extra districtum condentis, in utroque non derogatur juri alterius nisi id exprimatur*, 3. *Quomodò jus promulgandum?* 4. b. *Ab utroque urgens necessitas eximit*, ibid. *Quantum utrumque extenditur?* ibid.

In quibus jus Canonicum à jure civili præcipuè differat? 4. *Illud Judex Ecclesiasticus sequi debet*, 5. b. *Ad illud pertinent personæ Deo dicatæ, res spirituales, & circa utrasque judicia non habet quidquam juri divino contrarium*, ibid. *Origo differentiarum utriusque*, 5. 6. *Quandonam Jus Canonicum sit anteponendum Juri Civili?* 5. *Mitiùs agit & quare?* 5. 6. b. *Explicatio & applicatio harum duarum regularum*, ibid. *Judex Ecclesiasticus pœnitentiâ factâ de pœnis Canonicis valet dispensare, non Secularis*, 6. *Aliæ diferentiæ quæ spectant, matrimonium & cultum Divinum*, 7. b.

Juris Canonici Causæ, 7. & seq. *Quæ causa efficiens & quotuplex?* 7. *Quæ causa materialis & quotuplex?* 8. b. *Quæ causa formalis, & quid per eam intelligitur?* ibid. *Quæ causa finalis tùm proxima, tùm mediata?* ibid. *Ex quibus infertur quantùm Jus Canonicum Civili præcellat?* ibid. *An Juris Canonici omnium partium finis sit vita æterna; ad differentiam Juris Civilis quod tendit ad felicitatem temporalem?* 9. 10. *Juris Canonici partes: Dividitur in personas, res & judicia*, 10. *Eorum subdivisiones*, 10. 11. *Quare ordinem Gratiani & Gregorii IX. Collectionum non semper sequimur?* 10. 11. b.

Jus dividitur in Scriptum & non Scriptum, 359. a. *Ejus subdivisio*, ibid.

Conciliatio Canonum qui Jus Divinum & Canonicum confundunt cum his qui utrumque secernunt, 37. 38. *Quandonam Jus Canonicum Juris Divini prærogativas sortiatur, quandonam omnibus Juris humani vitiis est obnoxium*, 38. b.

JUS CANONICUM.

Præcipua momenta quæ impellunt ad Jus Canonicum, 2. *Qui debent esse licentiati in Jure Canonico?* 3. *In Academiis est prælegendum*, 6. a.

JUS CARNOTENSIS.

Ejus Collectio collata cum Collectionibus Corporis Juris. Observationibus in illam, 243. & seq. a. *Primus fuit inter Glossatores Occidentis, regulas excellentes proponit, & quas?* 232. a.

JUS ECCLESIASTICUM.

Jus Ecclesiasticum quid sit, & quantæ amplitudinis existat? 8. a.

JUS EPISCOPI.

Jus Episcopi, Pœnitentiæ impositio, Convocatio Synodi, Jus visitationis, 194. a.

JUS PRIMITIVUM.

Jus Primitivum in quo distinguitur ab hodierno? 11. *Qui fontes Juris hodierni quoad materiam?* 11. 12. *Quod formam,* 12. b.

JUS PRIVATUM.

Quid sit & in quo differt à Jure publico? 9. a. *Leges quædam, quibus Jus privatorum constat, ad publicum pertinent & quare?* ibid.

JUS PUBLICUM.

Jus Publicum aliquando significat possessiones Principum vel Regnorum, aliquando sumitur pro Jure Communi privatorum, 6. a. *Quibus modis Jus dicitur publicum?* 9. 10. a. *Hujus significatio congruentior,* ibid. *Ad hoc pertinet Religio,* 10. a.

Jus publicum Juri publico pactis privatorum derogari non potest, 8. *Quinan sensus, qui casus comprehenduntur in hac regula?* 8. 9. 10. *Dissentiunt D. D.*

Definitio Juris publici, 8. *Variæ hujus vocis* Jus publicum *significationes & æquivocationes,* 9. a.

LEX.

LEX. *Quid sit?* 10. a. *Quotuplex?* ib. *Quid sit Lex publica? Quid privata?* ib. *Qualitates Legis,* ibid. *Quare Lex ponitur?* ib. *Ut obliget debet esse promulgata,* ibid. *Moribus utentium approbata,* ibid. *Distinctio Legis Sæcularis & Ecclesiasticæ,* 11. *Mutuo se adjuvant,* 11. 12. a. *Utriusque materia,* ibid. *Quandonam in rebus Ecclesiasticis recurrendum ad Leges Sæculares,* ibid. *Legibus Imperatorum parendum quando sunt pro veritate; quand verò contra, non obediendum,* 12. a. *Cujus est Leges Sæculares, cujus est Ecclesiasticas condere?* ibidem. *Nec Sæcularis ab Ecclesiastico, nec Ecclesiastica à Sæculari pendent,* 11. 12. *Sæculares Leges debent Ecclesiam protegere,* 12. *Quid Canones doceant circa Leges Sæculares?* 12. 13. *A quâ potestate conditæ sint Leges dignoscitur ex materiæ naturâ?* 19. *Non quia in Conciliis aut in Constitutionibus Principum existunt,* ibid.

Legum Ecclesiasticarum tres species, 14. a. *Aliæ circa res merè temporales, aliæ circa res merè Ecclesiasticas, aliæ circa mixtas,* ibid. *Existunt,* ibid. *Quare Principes plurimas Leges circa res Ecclesiasticas & vicissim Pontifices plures circa res temporales condiderunt?* 19. *Mens Ecclesiæ in Legibus Ecclesiasticis circa res temporales,* 14. 15. 16. *Quædam ex his sunt tantùm pia consilia Regibus proposita,* 14. *Et quænam sint tales?* 15. a. *Quædam factæ sunt ad procurandam executionem Legum Sæcularium utilium Ecclesiæ,* ibid. *Et quænam sint tales?* ibid. *Distinctio facta à Patribus Concilii Valentini inter Francos & exteros probat evidenter has Leges vim non habere, nisi dependenter ab autoritate Principum,* 16. *Exempla quædam hujus speciei Legum,* ibid. 30. *Quasdam ex his fecerunt Concilia ex vigore autoritatis quam à Principibus acceperant,* 16. *Exempla earum,* 16. 17. 40. *Quasdam Principes fecerunt in Comitiis Episcoporum, & Magnatum, & ideò à Compilatoribus vocatæ sunt Canones,* 17. 50. *Aliæ continent Leges Civiles Episcoporum, in quantùm Principes temporales,* 17. a. *Ex his plures inveniuntur in Conciliis Romæ habitis & in Decretalibus,* ibid.

Lex seu Constitutio ad que se extendat, quando ad futura, quando etiam ad præterita, an ad similes casus, an in connexis, an subjaceat legi necessitas? 49. 50. *Qui eam servare tenetur?* 50. *Quando Leges sunt revocandæ?* 51. b. *An revocatio Legis pacta & privilegia tollat, aut statuta & consuetudines particulares?* ibid. *Lex non obligat extra territorium,* 52. *Quando Lex est constituenda? Quando Legislator successoribus non nocet? Lex superioris per inferiorem non tollitur: quando Lex prædecessoris per successorem est custodienda? Quando corrigenda? Quandò abolenda? Juri communi detrahitur per privilegium vel consuetudinem,* 52. 53. *Ubi Jus non excipit, nec nos excipere debemus,* 53. *Licet allegare Leges Principum,* ibid. *An & quomodò Leges observari debeant?* 53. 54. *Quare pœnas Leges imponunt?* 54. *An quod est pœnale potius sit restringendum quam laxandum?* 34. b. *Quamdiù pœnæ sunt duraturæ?* ibid. *Quæ Leges à principibus in rebus sacris conditæ ligent, quæ non ligent?* 58. b.

Leges Ecclesiæ merè Ecclesiasticæ quæ sint? 18. a. *A potestate spirituali pendent,* ibid. *Autoritatem Principum non respiciunt nisi quatenùs Ecclesiæ sunt Protectores?* ibid. *Quare principes aliquando Leges condere circa Disciplinan Ecclesiasticam & fidei Dogmata obligatos rati sunt?* ibid. *Exempla earum,* 18. 19. a.

Leges Ecclesiæ mixtæ, quæ sint? 20. a. *Quâ autoritate fiunt?* ibid. *Eas cum autoritate condit Ecclesia, ideoque non sunt mera consilia ad Principes, pendent etiam à Principibus, qui ideò in iis condendis sunt consulendi?* 20. a. *Quandonam non sunt condendæ,* ibid. a.

Leges Canonicæ in Temporalibus per Civiles temperantur, sicut Civiles per Canonicas in Spiritualibus, 33. *An & quando Lex Prohibitiva irritos faciat actus sibi contrarios?* 34. 35. b. *Conciliantur Canones, qui circa hanc materiam videntur sibi adversari,* ibid. *An & quando successores prædecessorum Leges observare tenentur, & ab iis curandum ut observentur?* 36. 37. *Qui textus in Legibus novitates perniciosas esse dicunt, qui verò docent semper licere novas Leges condere?* 43. *Conciliatio eorum,* 44. *Textus qui docent Legem futuris tantùm providere nisi ad præterita extendat, & qui puniunt actiones nondùm vetitas, qui verò plures casus excipiunt quique hanc punitionem videntur damnare,* 44. 45. 46. *Conciliatio illorum,* 46. b.

Leges Civiles. Iis omnes etiam Episcopi ob temperare debent, & quare? 20. a.

Leges Civilem administrationem respicientes, sive in Conciliis, sive in Decretalibus contentæ non ligant fideles, priusquam sint confirmatæ ab eorum Principibus, 20. *Quid sequeretur ex sententiâ oppositâ,* 20. 21. a.

Lex purè prohibitiva an vi suâ actus contra suam dispositionem factos irritet, etiamsi nullitas actûs non exprimatur? 30. a. & seq. *Distinctio facienda circa hanc quæstionem,* ibid. *Quid Legisperiti, quid Canonistæ sentiunt?* 31. *Exceptio nullitatis circa Matrimonium,* 32. a. *Probatur nullitas ex quibusdam exceptionibus,* ibid. *Quæstio est magni momenti & plures casus comprehendit,* ibid. *Difficultas proveniens ex quibusdnm exceptionibus,* 32. 33. *Proponuntur plurima principia quæstionum explanantia,* 34. & seq. *Ex his principiis quid sentiendum circa quæstionem?* 37. a. *Quomodò Leges Canonesve conciliari possunt?* ibid.

LIBERTATES GALLICANÆ.

Libertates Gallicanæ in quo positæ sint? Vide GALLI.

LICENTIATI.

Licentiati qui debent esse in Jure Canonico? Vide JUS CANONICUM.

LOCUS.

Quæ loca dicuntur religiosa? 190. a. *Ordinarii auctoritati sunt subjecta*, ibid. *Ab illius Jurisdictione subtrahuntur per exemptionem*, ibid. *In quo exemptioni Tridentinum derogavit*, ibid. *Loca sub immediatâ Regum tutelâ*, ibid. *Discrimen inter locum pium & locum religiosum*, 191. a. *Quæ loca inter ipsa ponuntur?* ibid. *Quæ loca Ordinario non subjiciuntur?* ibid.

MANUMISSIONES.

MANUMISSIONES *faciendi in Galliâ modus usque ad nonum Sæculum*, 17. a. *Quomodo in Africâ fiebant?* ibid. *Quoad eas potestas Ecclesiæ à Principibus mutuabatur*, ibid.

MARTINI BRACCARENSIS.

Martini Braccarensis collectio cum decreto collata, ex quibus constat? 239. *Quare illa Papa vocatur?* 240. a. *A Gratiano laudatur*, ibid. *Mutationes continet*, ibid.

MATRIMONIUM.

Quid circa Matrimonium statuerit ordinatio Blessensis? 181. a.

Decretum Tridentini circa Matrimonium filiorum familias ad doctrinam pertinet & ad disciplinam, 177. 183. *Item Decretum circa consensum parentum*, 183. a.

METROPOLITANI.

Metropolitani Italiæ proposuerunt suo nomine Decreta Conciliorum Provincialium cum clausulâ approbante Concilio, 76. a.

MILENITANUM.

Milenitanum II. Concilium suppositititium est, 113. a.

MISERABILES.

Miserabiles personæ qui intelliguntur? 6. b.

MORUM.

Morum duplex genus, alii interni, alii externi, 2. b.

NATIONALE.

NATIONALE *Concilium in quâ Classe ponitur*, 68. a. Vide CONCILIUM PARTICULARE.

NEGOTIA SÆCULARIA.

Negotia Sæcularia quænam Clericis interdicuntur, 165. 166. a.

NOSOCOMIUM.

Nosocomium. Vide HOSPITALE.

NOTATA.

Notata. Vide OBSERVATIONES.

NOVITAS.

Novitas sæpè discordiam parit, 118. a.

NOVITIUS.

Novitius differt ab Abbate, nec comprehenditur sub hoc nomine, 202. a.

NUMERUS CONCILIORUM.

Scitu difficile est quæ & quot sint Concilia pro Generalibus habita apud Gallos, 106. a. *Undenam oritur hæc difficultas?* ibid.

OBLATI.

OBLATORUM *privilegia*, 196. a. *Qui oblati?* ibid. *Qui non gaudent privilegiis oblatorum*, ibidem.

OBSERVATIONES.

Observationes historicæ circa Concilia Generalia, 73. *Observationes circa Concilia in genere*, 73. 74. 75. 76. *Observationes circa Concilia sigillatim considerata*, 76. *Circa nomen*, 76. 77. *Circa convocationem & translationem*. 77. 78. *Circa causas convocationis*, 79. 80. 81. 82. 83. 84. *Circa locum*, 84. 85. 86. *Circa tempus*, 86. *Circa præsidentiam*, 86. 87. 88. 89. *Circa assistentiam per Legatos*, 89. 90. *Circa modum sententiam dicendi*, 91. 92. *Circa definitiones factas in Conciliis Generalibus, in rebus fidei & morum*, 92. *Circa Disciplinam*, 96. a.

Observationes in opera Francisci Florentis, 358. 359. a. *Tria pertinent ad modum docendi Jus Canonicum, eique studendi*, ibid. *Quænam sunt errores Autoris?* 359. 360. *Quid ignoravit?* 360. a.

Observationes in Prænotiones Canonicas, 361. 362. 363. 364. 365. *Finis Prænotionum & Prolegomenorum*, 369. *Differentiæ inter Prænotiones & mea Prolegomena quænam sint?* 360. 361. *Illæ differentiæ probantur*, 361. 162. *Multi Interpretes Juris Canonici omissi sunt ab Autore*, 364. a.

ORDINATIO.

Ordinatio sine titulo Tridentinum hujus ordinationis pœnas redigit ad obligationem alendi Clerici, aut conferendi Beneficii, alias abrogat, 189. a. *Si autem in culpâ sit Clericus suspensionem meretur*, ibid.

ORDO.

Episcopus propter crimen occultum potest promotionem ad Ordines Sacros & ad Dignitates interdicere, non verò à susceptis suspendere ratio discriminis, 186. a. *Idem dic de Prælatis regularibus circa suos Religiosos*, ibidem.

POENA.

POENA *pecuniaria inflicta iis qui non intererant Synodo, piis operibus destinabatur*, 125. a.

An Judex Ecclesiasticus possit imponere pœnas pecuniarias post Concilium Tridentinum? An ad hoc licentia vel consensus Principum sint necessaria? 203. a.

Pœnæ contra eos qui non Parochianos conjungunt, 171. a.

POENITENTIARIUS.

Pœnitentiarius potest in foro inferiori revalidare provisiones nullas, 201. a. *In quibus casibus?* ibid.

PALEA.

Palea quid sit? Plures Canones inscribuntur hoc nomine, 256. a.

PAPA.

Papa est Caput Ecclesiæ Universalis, 180. a. *An hæc Dignitas attribuat illi aliquam jurisdictionem in omnem Ecclesiam?* ibid.

Papa quo sensu dicitur Dominus Canonum? 158. a. *An sit juri positivo superior?* 37 b.

Tridentinum Concilium nihil definiebat vel statuebat nisi consulto Papâ, 168. 169. a.

PAROCHIA.

Parochia & Canonicatûs Beneficia incompatibilia; 195. a.

PAROCHI.

Quo vestimento Synodo intererant? 121. a.

Plures Regulæ circa Sanctorum Patrum scripta à Jure Canonico collectæ, 12. & seq. *Quorum Doctorum Scripta expressè probat Canon*, 12. b. *Qui Ecclesiæ Patres præcipuè appellantur?* ibid. *Quorum confusè tantùm scripta probat?* 12. 13. *Quam autoritatem Sanctorum Patrum Scriptis Jus Canonicum tribuat?* 13. b. *An in Ecclesiasticis Judiciis minorem habeant quam Apostolorum Canones, Concilia ab universâ Ecclesiâ recepta, & Romanorum Pontificum Decreta?* ibid. *Qui Patres aliis in Jure præferuntur?* ibid. *An & quando Summos Pontifices inter Sanctos Patres jus recenseat, vel ab iis secernat?* ibid. *An Sanctorum Patrum loca inter Canones relata vim suam à Canone hauriant?* ibid.

PATRIARCHALE CONCILIUM.

Patriarchale Concilium. Vide CONCILIUM PARTICULARE.

PATRIMONIUM.

Patrimonium. An illius qui sub titulo Beneficii ordinatus illud resignavit, Patrimonium universum vel pars, & quænam acquirat Privilegia Patrimonialis tituli? 188. a. *Privilegia tituli Patrimonialis*, ibid. *Titulus Patrimonialis non amittit immunitates suas per Beneficii acquisitionem*, 189. a.

PISANUM CONCILIUM.

Pisanum Concilium à quo congregatum. Vide CONCILIUM.

PLEBS.

Ecclesia Plebi jus condendi facultatem nunquam concessit, 2. b.

PLURALITAS BENEFICIORUM.

Pluralitas Beneficiorum an Jure communi prohibeatur, quid circa illud statuit Tridentinum, an Episcopus possit circa pluralitatem dispensare? 197. a. *Quid si Episcopus conferat Beneficium ei qui sufficiens habet, an alterutrum vacet?* ibid.

POLITICA.

Politica quid sit? 162. *An ex merâ politicâ Concilium Generale abstinere potest à definiendis certis quæstionibus?* 162. 163. a.

POTESTAS.

Potestatem temporalem subjici spirituali contendunt quidam recentiores, sed eas non confundi volunt, 20. *Quid sequitur ex illâ doctrinâ?* 20. 21. a.

PRÆNOTIONES.

Prænotiones quid sint? 360. a. Vide OBSERVATIONES *in eas.*

PRÆSCRIPTIO.

Præscriptio. An possit locum habere contra secundi Ordinis autoritatem in Synodo? 138. a.

Quæ jura Episcopalia à Prælato non exempto præscribi non possunt? 117. b. *An Prælatus jura Episcopalia præscribere possit, & quæ?* ibid. *Quæ verò excipi possunt*, ibid. *An Regularis Prælatus possit præscribere jura Episcopalia circa Sæculares?* 117. 118. *Quid circa illud Jus Gallicum doceat?* 118. b. *An in his titulis sit exhibendus, an præsumatur?* ibid. *An præscribendo Jurisdictionem præscribatur territorium?* 122. 123. b.

PRÆSENTIA PAROCHI.

Præsentia Parochi & testium ad validitatem matrimonii à Concilio Tridentino introducta, 170. 171. *Autoritate civili in Galliâ adoptata*, 171. *Presbyter à solo Episcopo non debet judicari*, 172. a.

Presbyteri Conciliis Generalibus & Particularibus interesse possunt, 68. a.

Utrùm ad regendam Ecclesiam unà cum Episcopis licet cum dependentiâ instituti sunt, 139. a.

PRIMAS.

In Occidente fuerunt Primates ante sæculum IX. 115. b.

PRIMATIALE CONCILIUM.

Primatiale Concilium. Vide CONCILIUM.

PRINCIPES SÆCULARES.

Principes Sæculares quid possunt, quid debent? 12. 13. *Nihil valent contra Jus Naturale*, 13. *Vide Lex quandonam iis omnes parere debent*, 20. *In dubio præsumpti Principes Sæculares erga Ecclesiam*, 13. 14. a. *Ecclesiæ Protectores esse debent*, ibid. *Non habent potestatem judicandi de his quæ continentur in Canonibus, sed pœnas temporales sanciunt in contemptores*, 24. a. *An non possit in Ecclesiâ nisi obedire?* 40. 41. b.

Utrùm Ecclesia habet potestatem deponendi Principes, qui autoritatem suam convertunt adversùs Religionem Christianam, 20. a. *Sententia recentiorum circa hanc quæstionem, jus quod Principibus tribuit dignitas Protectoris Ecclesiæ*, 22. a.

Princeps, si quid spirituale præcipiat vel vetet nondum ab Ecclesiâ præceptum vel vetitum, Lex illa non ligat nisi ab Ecclesiâ probetur; si jam ab Ecclesia præceptum vel vetitum ligat. Si addat aliquid in pœnam, additamentum temporale ligat, spirituale non ligat, nisi ab Ecclesiâ approbetur? 58. b.

PRIVILEGIUM.

Privilegium juxta propria verba juris multùm habet affinitatis cum rescripto & mandato, 95. *Quid sit? Quotuplex? Quomodo intelligendum?* 95. 96. b *Quid sit privilegium personale? Quid reale, quid donationis, quid confirmationis?* ibid. *Quomodo sunt intelligenda privilegia, ad quas personas, & ad quæ se extendant?* 96. *Quomodo interpretanda?* 97. b. *Quid ut valeant exprimi debet?* ibid. *Quomodo in notitiam venire debent?* ibid. *Quibus concedi possunt, & quinam illis possunt gaudere?* 97. 98. *Quamdiù durant & quandonam extinguntur?* 98. *Quid reperitur in Jure Canonico de Privilegiis in ordine ad forum contentiosum?* 98. 99. *Innovatio & confirmatio Privilegiorum*, 99. *Varii modi quibus amittuntur privilegia*, 99. 100. *De conservatoribus privilegiorum*, 100. *Regulæ circa privilegia*, 101. & seq. b.

Privilegium. Quibus nominibus donatur? 101. b. *Quid sit?* ibid. *Quotuplex?* 101. 102. *Quid peculiare habeatur in Jure Canonico circa unamquamque privilegii speciem?* 102. b. *Personale sequitur personam*, ibid. *Reale sequitur rem quamdiu durat*, ibid. *Quandonam privilegiati ratione loci privilegium amittunt?* ibid. *Quomodo partiale & totale dignoscuntur?* ibid. *Discrimen inter privilegium donationis & confirmationis*, ibid. *Peculiaria circa privilegia in Corpore Juris clausa, circa ea quæ sunt Juri communi contraria, toti corpori concessa, vera, falsa*, 102. 103. *Quæ necessaria sunt ut privilegium valeat?* 103. b. *Requirituine ut illius notitia perveniat ad eos quorum interest?* ibid. *Quibus viis acquiratur privilegium, vel non? Qui privilegia dare possunt? Quibus? Quibus de causis & quomodo?* 104. *Circa quæ versatur, & de quibus id exprimatur in Canone?* 104. 105. *Privilegiorum forma, Quandonam invalida habentur?* 105. *Quibus loquendi modis exprimitur, quando est totale; quibus, quando est partiale?* 105. *Quid privilegia efficere possunt, quid non possunt?* ibidem. *Sententia contraria privilegio non valet, privilegium derogare potest Legi, & Consuetudini universali*, ibid. *Exempti si publicè delinquant, per Ordinarium corriguntur*, 106. *Cessante causâ privilegii, non cessat Jus acquisitum illâ durante*, ibid.

Non

Non derogat conventioni, nisi de eo mentionem faciat, 106 b. *Pendente lite circa Privilegium quis in ejus possessione relinquendus?* ibid.

Privilegia quomodo interpretanda? 106. b. *Quæ largissimè interpretanda, quæ strictè?* ibid. *Ex tenore judicandum,* ibid. *Quandonam Ecclesia vel quis censetur exemptus ab ordinarii Jurisdictione?* 107. b. *A quo interpretanda sunt & quomodo, quando ad petitionem illius qui accipit, quando juxta locorum usum?* ibid. *Quæ attendenda circa privilegiorum observantiam?* ibid. *Quibus modis amittitur privilegium?* 108. *Quando innovandum privilegium?* 109. b. *Innovatio conservat tantùm Jus; qui eam petere possunt?* ibid. *Privilegiorum usurpatores & contemptores coercendi,* ibid. *Quæ sunt in Corpore Juris clausa privilegia?* 109. 110. *Conservatores privilegiorum qui dicuntur, à quo dabantur, quæ capita Juris de iis loquuntur, ob quem finem dantur, quæ illis prohibentur, quibus dantur, an sint in usu, quis potest esse conservator?* 110. 111. *An originale privilegii est exhibendum & quando?* 111. b.

Privilegia in quo sensu ad Jus commune pertinere dicuntur? 112. b. *Quare privilegia strictè sunt interpretanda?* ibid. *Quandonam propter privatam alicujus utilitatem concedi debeant?* ibid. *An & quæ causæ privilegiorum in Corpore Juris exprimuntur?* 113. *Num exemptio à privilegio diferat?* ibid. *An Metropolitanorum in suffraganeos jurisdictio dici debeat privilegium?* 115. *Privilegium unico actu, si de renunciatione pluribus verò, iisque non interruptis, si de præscriptione agatur,* 116. *An & quando qui abutitur privilegio eo ipso amittat?* 118. *An cesset, cessante causâ, vel quando damnosum est?* 119. *In concessione privilegii vocandi ii quorum interest,* ibid. *Quomodo probanda amissio privilegium continentis instrumenti & quomodo innovandum deperditum?* 121. b.

Privilegiorum quot genera, & an sit aliquod quod amitti nequeat? 124. b.

Quibus privilegiis renunciare fas est, quibus non, & quare? 9. a.

Privilegium quod cultum Divinum spectat est favorabile, 190. a.

Privilegium Fratrum Dominicanorum & Minorum utendi Altari portatili abrogatum est, quia ejus ratio cessavit, 190. a.

PROCURATOR IN CONCILIIS.

Procurator in Conciliis. Vide CONCILIUM.

PROCURATORES.

An Tridentinum ademit Jus suffragii Procuratoribus Episcoporum? 168. a. *Et quam ob rationem,* ibid. *Legatus, Clausula* præsidentibus vel proponentibus Legatis Apostolicæ Sedis, *posita est in Sessionibus ferè omnibus Tridentini Concilii,* 168. 169. a.

PROVINCIALE CONCILIUM.

Provindiales Concilium. Vide CONCILIUM.

PUBLICATIO.

Publicatio Legum ex Jure Naturali nascitur, 24. a. *Conciliorum testimonia quæ de illius necessitate mentionem expressam faciunt, & explicant illius modum, cæteraque quæ ad illam pertinent,* ibid. & seq. *Loca clariora circa illam publicationem,* 25. *Quotuplex publicatio Canonum?* 26. *Loca quæ modum illius publicationis speciatim spectant, nempe quo loco, tempore, numero, autoritate?* 26. 27. *Cuidam objectioni responsa plurima,* 27. 28. a. *Ad hoc fiebat Cleri convocatio,* ibid. *Quare Concilium Tridentinum ponitur inter ea quæ non præceperunt disertis verbis promulgationem?* 28. *Alia testimonia circa solemnem publi-*

cationem Canonum in locis ubi servandi sunt? 28. 29. *Probatio petita ex Concilio Tridentino,* 28. *Responsum objectioni petitæ ex silentio Pii IV. de publicatione,* 28. 29. *Responsa aliis objectionibus,* 29. 30. *Sententia Concilii Mexicani anno* 1585. *& Doctorum Ultramontanorum confutata,* 30. a. *Responsio Ecclesiæ Romanæ praxi circa Bullarum promulgationem Romæ tantùm factam,* ibid. *Modus promulgandi leges non est res meræ disciplinæ, nec pendet à voluntate illas ferentis,* ibid.

Publicatio necessaria ut Decreta Conciliorum ligent, 65. 207. a.

Publicatio, qui textus significant Canones obligare statim atque promulgati sunt, qui vero insinuant ad id alicujus temporis lapsum requiri, 42. *Conciliatio eorum,* 42. 43. *A cujus voluntate pendet temporis determinatio?* 43. b. *Quâ ratione promulgatio aliquando renovatur?* ibid.

Publibicatio. An cùm licentiâ Regis necessaria est promulgatio Decretorum Conciliorum & quamobrem? 154. a. *Difficultas petita ex Concilio Aquensi,* ibid. *Notabilia circa publicationem Concilii Tridentini in Gallia excepta à Conciliis Narbonensi, Rhemensi, Rothomagensi, Rhemensi II. Turonensi, Aquensi,* 154. 155. 156. 157. a.

Utilitates quas Gallia traxit ex non publicatione Concilii Tridentini, 174. a. *Quare Papæ optaverunt ut publicaretur in Galliâ?* ibid.

PUBLICUM.

Publicum. Quid intelligitur per peccatum publicum? 198. a. *Pro eo pœnitentia publica imponenda,* ibid. *Episcopus potest eam mutare in secretam,* ibid. *An Confessariis & Pœnitentiariis id liceat?* ibid.

RATIO.

RATIO. *Jus assistendi rationum redditioni in Episcopo quantùm extenditur?* 191. a. *Quam exceptionem patitur?* ibid.

RECEPTIO CANONUM.

Receptio Canonum per usum, 26. 28. 65. a.

RECONCILIATIO ECCLESIÆ POLLUTÆ.

Reconciliatio Ecclesiæ pollutæ an possit Sacerdoti committi ab Episcopo? 193. a.

REFERENDARII.

Referendarii in quo subjacent jurisdictioni Episcoporum, 196. a.

REGIMEN ECCLESIÆ.

Regimen Ecclesiæ in communi probatur autoritatibus, XII. XIII. XIV. sæculis, quibus Episcopis major fuit quam in prioribus autoritas, 144. a. Vide ECCLESIA.

REGINON.

Reginon. Ejus Collectio, 241. 242. a.

REGULA.

Regula. Circa Juris Canonici regulas observationes, 15. b. *Qui primi eas collexerunt?* ibid. *Quid per regulas intelligitur?* ibid. *Illarum divisiones,* ibid. *Quæ regulæ communes leguntur in Jure Canonico?* 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. *Quæ particulares?* 22. & seq. *Quæ beneficiales?* 22. 23. 24. *Quæ judiciales?* 24. 25. 26. *Quæ morales?* 27. *Quæ prohibitoriæ circa mores regulæ?* 27. 28. 29. *Quæ permissoriæ?* 29. 30. *Quæ præceptoriæ?* 30. 31. 32. *Quæ sit regularum connexio cum reliquo Jure Canonico?* 32. *Quæ cum Jure Naturali?* 33. b.

Quomodo his utendum in decidendo? 33.b. *Quid sentiendum de Commentariis circa Regulas Juris Canonici, & quænam aliis præferenda?* ibid. *Plurimorum Canonum, quorum alii sunt regulas vel regulæ habentur, cum aliis Canonibus inter qui illis adversari videntur*, ib. *Harum magna pars à Jure Civili desumpta est*, ibid. *Quomodo conciliatur regula*, idem de similibus sit judicium, *cum illâ*, odia restringenda, 41. b.

Regula 54. *in* 60. qui prior est tempore potior est jure, *quas exceptiones patiatur?* 75. b.

REHABILITATIO.

An pœnitentiarius posset in foro interiori rehabilitare provisiones nullas? 200. a.

RELIGIO.

Religio. An parentes possint filios suos ante pubertatem post sicut ante Concilium Tridentinum vovere, eosque monastico habitu induere? 202. a.

RELIGIOSUS.

Religiosus. Tridentinum vetat translationes Religiosorum ad aliam Religionem absque Superioris autoritate, 202. a.

RENUNCIATIO.

Quandonam Renunciatio Juris valet? 4. b.

RESERVATIO.

An Reservatio translationis Episcoporum, sive Consecratorum, sive tantùm Electorum, ad Summum Pontificem sit ei Jure communi tributa, an ex privilegio? 41. b.

RESIDENTIA.

Quid circa eam Tridentinum statuerit, circa officia eam imponentia, causas ab eâ dispensantes, pœnas non residentium, mutationes in hâc materiâ à Concilio Tridentino inductas? 192. a. *Episcopus in suâ Diœcesi residens non in Ecclesiâ Cathedrali pœnas, quarum meminit Concilium, non incurrit, quamvis residentiæ præcepto non satisfaciat?* ibid. *Quædam quæstiones circa residentiam Episcoporum à Fagnano propositæ*, ibid.

An residentiam Episcopi esse de Jure Divino definierit vel definire debuerat? 163. 164. a. *Casus dispensandi ab eâ*, ibid. *Cur Episcopi Italici impedierint definire eam esse Juris Divini?* 172. Choreæ, *an juxta Tridentinum sint crimina vis Ecclesiasticis?* 165. a. *Pœnæ contra Parochos non residentes*, 192. *Contra eos citationes vel monitiones possunt fieri januis Ecclesiæ*, 192. 193. a. *Et quid aliud statuit circa eam Tridentinum, circa pœnas, modum procedendi?* ibid. *Mutationes à Concilio Tridentino factas in Jure veteri circa residentiam Parochorum*, ibid. *Pœnæ contra alios Beneficiatos non residentes, præsertim Dignitarios, Canonicos*, ibid.

RESCRIPTUM.

Rescriptum. Quibus aliis nominibus in Jure appellari solet, quid sit, & quotuplex? 60. b. *Nullum est si falsitas expressa fuit vel veritas tacita*, 60. 61. *Quid si per simplicitatem vel ignorantiam falsitas expressa, vel veritas tacita?* 61. *Forma rescripti invalida, si fiat contra Jus, Constitutionem, Concilium, Privilegiatos, Consuetudinem, nisi de iis fiat mentio*, ibid. *Item si fiat contra stilum Romanæ Ecclesiæ, si sine causæ cognitione, si per ignorantiam, negligentiam, subreptionem*, ibid. *Item si fiat ad habendos Judices sine appellationis mentione*, ibid. *Quæ vitia in formâ illius contingere possunt?* 62. b. *In Rescriptis Papa Episcopos fratres appellat, cæteros, filios*, ibid. *Uni personæ nunquam loquitur in plurali*, ibid. *Per salutationem non recensetur excommunicationem relaxare*, ibid. *Variæ clausulæ quæ rescriptis apponi solent, quomodo sunt intelligendæ?* 62. 63. *Eorum effectus, & ad quas personas extenduntur?* 63. *Non dantur ad gravamen, nec ad derogandum Jurisdictioni cujusquam. An possint valere ad unum effectum & non ad alium & quando conveniri possit successor per Rescriptum contra decessorem? An Abbas cum Monachis dispensetur?* ibid. *An & quando is, cui rescriptum dirigitur à Papâ, teneatur executioni demandare?* 64 b. *Quid requiritur ut exequantur, & quomodo debent adimpleri?* ibid. *Quando tempus currere incipit, data attendenda, forma mandati observanda?* ibid. *Tenor mandati, mandantis intentio observanda, cum cessat causa, executor illius non tenetur illud adimplere*, 65. b. *Per rescripta nulli Jus sibi quæsitum tollitur, juxta Jus Commune sunt intelligenda, ad expressos tantùm casus extenduntur, per solam citationem perpetuantur*, ibid. *Non expirant cum mandante, cùm Judex ante mandantis mortem procedere incœpit*, ibid. *Notanda circa rescripta gratiæ in particulari*. 65. 66. *Pœnæ contra eos qui rescripta falsant vel falsis utuntur*, 66. 67 *De secundis rescriptis, utrum & quando priora revocent, & illis prævaleant, necne, casus excipiendi?* 67 68. b.

Regulæ circa rescripta à Jure Canonico depromptæ, 68. & seq. *Quid hic rescriptum intelligitur? Rescriptorum divisiones ex parte materiæ, formæ accidentium, modi exequendi: Decisoria vel Decretalia rescripta sunt partes Juris Publici, & Jus Novum constituunt, alia sunt illius exempla*, 68. b.

Rescriptorum autoritas quanta sit, quo sensu oracula dicuntur, & Apostolica, & Divi Petri voce firmata, ad quas se extendant, an sint infallibilia? 68. 69. *Unde suam hauriant autoritatem? An quæ inserta sunt in Corpore Juris nullam hinc capiant utilitatem?* 69. b. *Quæ requiruntur ut suâ potiantur autoritate?* ibid. *Ad quas res extendantur*, ibid. *An Conciliis & statutis Ecclesiarum specialibus derogant*, ibid.

Rescripti falsi quæ in Jure notæ? 69. 70. *Quæ cautela in Jure adhibetur ne fiant falsa rescripta?* 70. b. *Quis circa falsum rescriptum reus censendus est?* ibid. *Quomodo puniendus reus & rationes?* ibid. *Quæ rescripta falsitatis suspecta à Jure censeantur, & quid circa illa faciendum?* ibid.

Rescripta nulla quæ à Canone declarantur? 10. *An ignorantia rescriptum efficiat irritum?* 1. b. *An nullum quoad aliquid ideò quoad cætera est irritum*, 71. *Irritum est quidquid sit vi rescripti irriti*, ibid. *Quæ exprimenda in rescriptis ut valeant?* 71. 72. b. *An clausula expressioni respondens, vel clausula* motu proprio, *suppleant expressionis defectum*, 72. b.

Rescripta dubia quid agendum si dubitetur an posterius prius revocet? 72. b.

Rescripta ambigua quomodo interpretanda? Plurium clausularum interpretatio; quandò strictè sunt interpretetanda? 72. b.

Rescripta conditionata non valent nisi conditione adimpletâ, 72. *In disjunctivo, sufficit quod una pars sit vera*, 73. b. *Quid per rescriptum obreptitium & subreptitium intelligitur?* ib. *Quid obreptio & subreptio in quovis rescripto operentur, & quæ clausulæ impediant ne noceant?* ibid. *Quid operetur clausula* proprio motu *?* ibid. *Quæ in Jure habentur circa rescriptorum stylum?* ibid. *Quod inter Rescripta excitatoria, restitutoria & attributoria discrimen?* ibid. *Ad quem in eis appellatio devolvatur?* ibid.

Rescriptorum executio gratis facienda, 76. b. *Non omittenda sine rationabili causâ, quando suspendenda?* ibid. *An Sede vacante à Capitulo exequenda?* ibid.

In

In eis mandantis intentio est exequenda, 76. b. *Quando processus factus est irritus vel irritandus?* ibidem. *Quomodò exequendum, si bonâ fide obtentum sit suppressâ veritate?* ibid. *Qui vocandi?* ibid. *Quando quis potest rescriptum non exequi?* ibid. *Quid observandum in Galliâ ut rescripta exequantur?* ibid. *In quibus jus Canonicum differat à civili circa rescripta?* ibid.

Rescripta Gratiæ. Quæ iis peculiaria in jure leguntur? 74. 75. b. *In iis tempus datæ attenditur, per quod tempus valent, quandonam nulla fiunt, quo pacto interpretanda, speciali gravatus non est iterùm gravandus generali, an ignorantes ligent?* ibidem. *Quæ in jure habentur rescriptis justitiæ & gratiæ Communia?* 75. b.

Rescripta justitiæ forum contentiosum respicit, 73. *Quæ iis peculiaria in jure habentur?* 73. 74. *Ad quos diriguntur?* 73. *Ad quos extendi possunt, quandonam nulla fiunt, an valeant sine speciali Domini mandato, quos convenire licet per rescriptum, intra quod tempus eo utendum, quam appellationem prohibeant?* 74. b.

REVELATIO.

Revelatio Divina superat omnem Legem, 55. b.

REVOCATIO LEGIS.

Revocatio Legis. Vide Lex.

ROMANI PONTIFICIS.

Romani Pontificis Epistolæ Synodicæ sunt observandæ, 4. b.

ROTÆ.

Rotæ tribunal. Ejus origo ignoratur, 262. *Quam autoritatem habent ejus Decisiones?* 263. a. *Has curæ inferiores sequi debent*, ibid. *Sæpe variat?* ibid. *Auditores Rotæ sunt Judices ordinarii quoad processum, Judicium verò ferunt quatenùs Delegati*, ibid. *Quomodò olim, quo pacto nunc procedunt, qui Auditores eligebantur?* ibid.

Rota potestatem habet Pontificis, verba, & mentem, 264. a. *Quando dimittit partes ad Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini interpretem?* ibid.

Aliæ quædam particularitates circa illud Tribunal, ejus Decisiones, 264. 265. a.

RUBRICÆ.

Rubricæ Juris Canonici quid sint, quare sic appellantur? 254. a. *Quandonam & quæ vim Legis habent?* ibid. *Rubricæ Gratiani Legis robore carent*, ibid.

SCRUTINIUM.

SCRUTINIUM. *Circa quas qualitates fieri debeat & quo pacto?* 199. *Quænam qualitates scrutatorum?* 200. a.

SERVITUS.

Servitus à jure gentium introducta, 8. a.

SIMONIA.

Simonia circa literas orditationis, provisiones beneficiales & alios actus, 187. 188. a.

SOLLICITUDO.

Effatum illud quod in jure legitur Episcopi in partem sollicitudinis vocati sunt, *solus Papa in plenitudinem potestatis, qui canones referunt, quid de illo sentiendum, & quæ illius origo?* 262. a.

STATUTA.

Statuta Capituli, quando valent, quando verò nullius sunt roboris, quando consensus Episcopi est necessarius? 49. *Statuta comparantur consuetudinibus*, 89. 90. 91. b.

STATUTUM.

Quid sit, cujus finis, quomodò & à quo tollitur, mutari potest, benignè est interpretandum, ignorantes non ligat, ad connexa se extendit, non ad præterita, quis potest ab eo dispensare? 57. b. Vide Consuetudo.

STIPULATIO.

Stipulatio an concurrentes rejecti appellare possint. Vide Concursus & Electio.

SUBSCRIPTIO CONCILIORUM GENERALIUM.

Quorum Conciliorum subscriptiones habemus? 99. a. *Quid ex his inferri potest?* ibid. *Alia observanda circa subscriptiones*, 91. a.

SUMMÆ TEXTUUM.

Juris Canonici non habent publicam autoritatem, 255. a. *Ante Gregorianam collectionem, nulla habet summas*, ibid. *Summæ sunt utillissimæ*, ibid. *Illarum utilitates*, 255. 256. a.

SUMPTUS.

Qui tenentur adesse Conciliis eunt & manent suis sumptibus etiamsi pro aliis Episcopis Provinciæ suæ adsint, 305. *Imperator & Pontifex aliquando aliquid erogaverunt ex liberalitate in sumptus Episcoporum & qui?* 105. *An utilius foret Episcopis sumptus suppeditare?* 106. a.

SUSPENSIO.

Suspensus tantùm pro se, irregularis non fit celebratione, 205. a. *Quis sit suspensus tantùm pro se?* ibid.

SYNODATICUM.

Quid illo nomine debetur Episcopo? 72. a.

SYNODUS.

Quid intelligitur nomine Synodi? 63. à *Synodus est in Ecclesia ad instar in corpore humano nervorum*, 122. a.

In eâ eligendi & ab eâ approbandi examinatores pro Ordinibus & pro functionum sacrarum exercitio, 132. 133. a. *Item testes Synodales*, 133. *Pariter qui Judices à Sanctâ Sede delegentur*, ibid. *Quæ dotes in ipsis requirebantur?* 134. *Quid ex iis inferri potest in gratiam autoritatis secundi ordinis?* 135. a. *Infertur etiam illa autoritas ex Canonibus, qui præscribunt ea quæ non potest Episcopus statuere sine consensu Capituli?* ibid.

SYNODI PROVINCIALES.

Synodi Provinciales possunt disceptare quæstiones circa fidem & mores, 64. a.

SYNODUS DIOECESANA.

Quid jus doceat circa Synodum Diœcesanum? 72. *Qui tenentur adesse?* 73. a.

Synodus Diœcesana constat Episcopo & secundo ordine, 116. *Circa secundi ordinis autoritatem in eâ alia sunt testimonia negativa, alia positiva*, 116. 117. *Præjudicium generale in gratiam illius autoritatis*, 117. *Secunda probatio in ejusdem gratiam petita ex praxi*, 117. 118. *Tertia probatio ex hujus Synodi origine deprompta*, 118. *Alia petita ex convenientiâ Synodorum Diœcesanarum cum Conciliis Provincialibus*, 119 a. *Canones qui Concilii nomen tribuunt Synodo Diœcesanæ*, ibid. *Alia probatio desumpta ex auxilio Spiritûs Sancti*, 120. *Alia probatio petita ex locis quæ ostendunt olim duas Synodos quotannis habitas fuisse*, 120. 121. 122. *Qui tenebantur convenire ad Synodum Diœcesanam, per Procura-*

curatorem interesse debebant, quando legitimè impediebantur, 122. 123. *Pœnæ inflictæ iis qui sine legitimo impedimento Synodo interesse negligunt*, 124. 125. *Provocationes ad Synodum Diœcesanam*, 125 126. *In iis Synodis judicabatur de litibus tùm capitalibus, tùm civilibus*, 126. 127. *Illius judicium ultra correctionis terminos non extendebatur*, 126. *E Synodo sine licentiâ discedere vetabatur*, 127. *Autoritas secundi ordinis quoad statuta, quæ Synodalia vocata sunt*, 128. 129. a. *Qui Synodo intererant, viri Synodales dicebantur*, ibid. *Synodus per plures dies continuabatur*, 130. *Canones vel statuta Synodalia quæ clarè loquuntur de illâ autoritate*, 130. 131. 132. *Item infertur ex locis quæ ostendunt Synodos celebrari ad præparandam Conciliorum Provincialium materiam*, 135. *Objectiones contra horum autoritatem & responsa*, 136. & seq. *Quædam constitutiones Synodales solius Episcopi nomen ferunt, non ideò absque secundi ordinis autoritate factæ sunt*, 136. *Nec etiam quæ dicuntur solummodò lectæ & approbatæ in Synodo*, 137. a. *Nec ex eo quod quidam Canones dicunt Synodos celebrari, ut qui intersunt, erudiantur*, ibid. *An præscriptio contra hanc autoritatem locum habere possit, & quid respondendum non usui illius?* 138. 139. *Responsio autoritati Congregationis Cardinalium*, 138. *Item ex eo quod statuta condantur ad secundi ordinis emendationem non infertur secundum ordinem in Synodo nihil autoritatis habere*, 140. a.

TONSURA.

TONSURA. *Quandonàm Abbas possit tonsuram conferre.* Vide COMMISSIO.

TRIDENTINUM.

Tridentinum. Annotationes circa illud, 146. a. *Quot Concilia habita sint in Galliâ ad executionem illorum decretorum?* ibid. *Singula receperunt omnia illius decreta circa fidem, non circa Doctrinam*, ibid. *Discrimina illorum Conciliorum circa acceptationem & modum acceptandi Decreta disciplinæ*, ibid. *Decreta Concilii Remensis Primi & Secundi*, 146. 147. *Rothomagensis*, 147. *Burdigalensis*, 148. *Turonensis*, 149. a. *Bituricensis*, ibid. *Aquensis*, 150. *Solosani*, 151. *Narbonensis*, 152. *Burdigalensis alterius*, 153. a. *Concilii Tridentini Decretis consona, quodlibet illorum optavit ut Rex publicationem Tridentini permisisset; præcipua Decreta communiter ab iis recepta sunt*, ibid. *Inter ea quæ confirmationem postulaverunt, à Sanctâ Sede subjecta fuere examini*, ibid. *Quare quædam non postulaverunt confirmationem?* 154. a.

Tridentinum. An renovaverit Canones abrogatos & malè observatos? 164. *Quorumnam Conciliorum Canones innovat?* 165. a. *Quid per Canones* de cultu *& Canones* de retinenda doctrinâ *intelligat?* ibid. *Quomodo intelligenda sunt hæc verba*, eadem, iisdem pœnis vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur? 166. *Quas novinates introduxit circa Conciliorum Generalium celebrationem?* 167. & seq. a. *Et quænam earum causa?* ibid. *Quam partem Principes habuerint in Conciliis Provincialibus post Tridentinum habitis?* 174. a. *Et quid inde eruitur illi Concilio favorabile?* ibid. *An Tridentinum faverit sententiæ tuenti Papam esse superiorem Concilio Generali?* 177. 178. *Quid dixerit in favorem superioritatis Concilii?* 178. 179. a.

Tridentinum. Ea quæ ad doctrinam spectant modò per Decreta, modò per Decreta & Canones, modò per Canones solùm, 182. 183. *Ex his quæ ad fidem pertinent*, 183. a. *An sit discrimen quoad Doctrinæ certitudinem inter Canones & Decreta?* ibidem. *Axiomata generalia Fagnano circa Tridentinum confirmata vel confutata*, 184. & seq. *An quod fit contra illius decreta nullum sit?* 184. a. *An Papa illius decretis subjiciatur?* ibid. *Quare non utitur clausulâ speciali ad derogandum constitutionibus contrariis tùm Conciliorum etiam Generalium, tùm Pontificum?* ibid. *An rescripta Paparum Decretis Concilii Tridentini contraria nulla sint?* 185. a. *Quibus competit Decreta Tridentini interpretare?* ibid.

Tridentinum. Qui possunt Concilii Tridentini decreta interpretare? 203. a.

Tridentinum. Magna pars Decretorum Concilii Tridentini usu non ordinationibus accepta est in Galliâ, 179. *Quæ Decreta sic accepta sunt?* 180. a.

VERBORUM JURIS CANONICI SIGNIFICATIO.

VERBORUM *Juris Canonici significationis studium est magni momenti*, 14. *Quid jus Canonicum doceat circa verba in genere sumpta, quæ verba interpretatur?* 14. 15. b.

VIGILIUS.

Vigilii methodus cum hoc opere confertur, 265. & seq. *Defectus hujus methodi, hujus operis utilitates commendant*, 266. *Observationes circa argumentum, titulum & præfationem hujus methodi*, 265. 266. *Circa divisionem operis in quâ invertit Decretalium ordinem*, 267. *Vitia hujus divisionis*, 268. a. *Observationes in Librum Primum in quo de jure ac legibus in genere*, ibidem. *In Caput Secundum exceptiones contra Leges continens*, 269. *In Caput Tertium & Quartum juris species continentia*, 269. 270. *In Caput Quintum, ubi de Magistratibus*, 270. *In Caput Sextum ubi de Judiciis Publicis*, 271. a. *In Caput Septimum ubi de pœnis*, ibidem. *In Caput Octavum, Nonum, ubi de censuris*, 272. 273. 274. *In Caput Decimum ubi de Judicio Publico*, 274. *In Caput Undecimum & Duodecimum ubi de accusatione admissorum, de sententiæ executione*, 275. a. *In Caput Decimum tertium, ubi de remissione pœnarum*, ibid. *In Caput Decimum quartum, ubi de remediis accusationi subsidiariis*, 276. *In Caput Decimum quintum, Decimum sextum, Decimum septimum, Decimum octavum, Decimum nonum, circa crimen Læsæ Majestatis, vim publicam & privatam, raptum, homicidium, plagium, adulterium, & stuprum, falsum, magiam, simoniam, hæresim, usuram*, 277. 278. 279. 280. 281. 282. a.

Observationes in Librum Secundum hujus methodi, in divisionem hujus Libri, 282. a. *In generalem descriptionem judiciorum*, ibidem. *Circa tempus, durationem judiciorum, institutionem Judicis, forum competens*, 283. 284. *Circa officia Judicum, Advocatos, Procuratores*, 284. 285. *Circa actorem, reum, rem litigiosam*, 285. *Circa citationem, effectus, edictum peremptorium, libelli oblationem, editionem instrumentorum, dilationes*, 286. *Circa exceptiones*, 287. 288. *Circa reconventionem, contestationem litis, juramentum calumniæ*, 288. *Circa probationes per instrumenta, per testes*, 289. 290. 291. 292. *Circa confessionem judiciariam*, 292. *Circa jurejurandum*, 293. *Circa ordinem cognitionum & alia officia judicis*, 293. 294. *Circa appellationem, remedia appellationi subsidiaria*, 294. 295. 296. *Circa sententiam & rem judicatam*, 297. 298. *Circa executionem rei judicatæ, impensus litis, salaria Judicum & Ministrorum*, 298. *Circa missionem in possessionem*, 299. a. *Circa compromissam*, ibid. *Circa transactiones*, 300 a.

Observationes in Librum Tertium methodi Vigilianæ in divisionem, 300. a. *Circa Ecclesias generatim*, ibid. *Circa Ecclesiam vacantem*, 301. *Circa Clericos & Monachos & eorum ordinationem*, 301. 302. 303. 304. *Circa privilegia & bona Clericorum & Monachorum*, 304. 305. *Circa Præbendas, dignitates*, 305. *Beneficia*, 305. 306. 307. 308. *Circa Judicem actionis beneficiariæ, amissionem Beneficiorum*, 308. 309. *Circa Episcopos & alios Prælatos,*

tos, eorum gradus, officia, jus supplendi negligentiæ Prælatorum inferiorum, poteſtatem, bona & privilegia Epiſcoporum & aliorum Prælatorum, 310. 311. *Circa juriſdictionem Prælatorum*, 311. *Electionem Prælatorum*, 312. 313. 314. 315. *Circa Prælatos & alias perſonas Eccleſiaſticas*, JESU CHRISTI *Apoſtolos, Papam, Legatum, Cardinales, Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Coepiſcopos, Archidiaconos, Archipresbiteros, Presbiteros, Curatos, Diaconos, Subdiaconos, Acolitos, Exorciſtas, Lectores, Pſalmiſtas, Primicerios, Theſauriſarios, Sacriſtas, Cuſtodes oſtiarios, Vicarios, Officiales, Abbates, Benedictos, Moniales, Abbatiſſas, Diaconiſſas*, 315. 316. 317. 318. 319. 320. *Circa loca divino cultui, piiſve operibus dedicata*, 320. 321. *Circa Decimas, Primitias, Oblationes*, 321. 322. *Circa Jus Patronatûs, Jura Patronorum*, 323. *Circa res Eccleſiaſticas corporales, ædificationem Eccleſiæ, Oratoria privata, Altaria, Sacriſtias, Campanas, Imagines Sanctorum, Sacramenta, Aquam Benedictam, Reliquias Sanctorum*, 324. a.

Obſervationes in Librum Quartum methodi Vigilianæ, circa fidem, Doctrinam Chriſtianam, Conciones, Preces, Officia & Myſteria Sacra, 324. 325. 326. 327. *Circa Sacramenta in genere, Euchariſtiam, Baptiſmum, Confirmationem*, 328. 329. 330. 331. *Circa Pœnitentiam, Peccata, Pœnas Peccatorum, Eleemoſinas, Jejunium, Martyrium*, 332. 333. 334. 335. *Circa Sepulturas*, 336. a.

Obſervationes in Librum Quartum Vigilii. Circa Votum & Jurejurandum, 337. a. *Circa Sponſalia*, ibid. *Circa Matrimonium, impedimenta Matrimonii*, 338. 339. *Circa jura Matrimonii contracti*, 340. *Circa Matrimonii diſſolutionem*, 341. *Circa Jura Matrimonii diſſoluti*, 342. *Circa ſecundas nuptias, circa Concubinas*, 343. *Circa Concilia*, 343. 344. *Circa Viſitationes*, 344.

Obſervationes in Librum Quintum Vigilii. Circa Jus Publicum, 345. *Circa Jus Perſonarum*, 346. *Circa Jus Rerum, Cenſus*, 347. *Circa cauſas Juris lucrativas & conditiones*, 348. *Circa Matrimonio appoſitas conditiones*, 349. 350. *Circa Obligationes & Actiones generatim ſpectatas*, 350. 351. *Circa Contractus & quaſi Contractus*, 351. 353. *Circa Delicta & quaſi Delicta*, 352. *Circa Exceptiones & Liberationes*, 352. 353. *Circa in integrum Reſtitutionem*, 353. a. *Circa Verborum Significationem*, ibid. *Circa Caput Ultimum de Regulis Juris*, 354. 355. a.

VISITATIO.

Ad correctionem medium aptiſſimum, correctionis hujus finis, ex jure corrigendi naſcitur jus viſitandi, 125. b. *Quâ Lege illud Jus competat?* ibid. *Nemini conceſſum eſt ut à nullo Prælato viſitetur*, ibidem. *Ii quibus dantur peculiares Viſitatores non eximuntur ab Ordinarii Juriſdictione*, ibid. *Quis textus antiquior de exemptione à viſitatione Epiſcopi?* 126. b. *Plures ſunt ante & poſt, exemptiones quoad ſpiritualia Sæculo VI. Monaſteriis conceſſas, qui Epiſcopi Viſitationi Monaſteria ſubjiciunt*, ibid. *Quæ exemptiones à Concilio Tridentino à viſitatione ſunt abrogatæ?* 127. b. *Quid circa viſitationem poſſunt Epiſcopi ut Ordinarii, quid ut Sedis Apoſtolicæ Delegati?* ibid. *Quæ moniales ſubjectæ Epiſcopi viſitationi?* ibid. *Quæ exemptio ab Epiſcopi viſitatione circa animarum curam, & Sacramentorum adminiſtrationem?* ibid. *A viſitatione Epiſcopi non ſunt exempti Religioſi ex eo quod habeant Prælatos Regulares*, ibid. *Cujus viſitationi ſubdantur Eccleſiæ & perſonæ Sæculares nullius Diœceſis*, 128. b.

VISITARE.

Jus viſitandi in Epiſcopo, ad quæ loca extenditur? 191. a. *Quam exceptionem patitur*, ibid.

VOTUM.

Quid poteſt circa votum Eccleſia? 21. a. *Quid Judex Laïcus?* ibid.

USUS.

Ad uſus Gallicanos accommodantur notæ circa Concilia, 107. *Uſus legitimus habet autoritatem à Principe*, 179. a.

Uſus. Non uſus. Vide PRÆSCRIPTIONEM.

XENODOCHIUM.

XENODOCHIUM. Vide HOSPITALE, 2.

FINIS TOMI PRIMI.


Colbert
corpus juris.
Th
474a